



TRACTATVS
De ſeptem Eccleſiæ
SACRAMENTIS
Praxim potius, quàm ſpeculationem attendens, & intendens:

PER P. FRANCISCVM DE LVGO
Hiſpalenſem, è Societate IESV Theol.ᵉ profeſſorem.


Prodit nunc primùm.

Perilluſtri, ac Reuerendiſſimo Præſuli D.

DON TIMOTHEO PODIANO DE PERVSIA
Congregationis Oliuetanæ Abbati, Procuratori Vigilantiſſimo. D.



VENETIIS, Apud Baba. M. DC. LII.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.





Perillustris, ac Reuerendissime Præsul.





Equum, Reuerendissime Præsul, vt qui inter tuis mortales virtutibus, omnes gloriæ diuitias mirabiliter es assecutus, Typis etiam immortalibus splendescas, ac in ipsis æternè viuas. Maximum ideò apud me, Tibi incomparabilitèr deuotissimum, Tuo decoratum nomine Opus prodire; At vana mei quamuis ardens cupiditas, nisi D. Franciscus Baba amicus meus singularis, non minus Tua gloriosissima fama permotus, quàm inflammatis meis precibus inclinatus, in opulentissima sua Typographia, in lucem emittendum Admodum Reuerendi Patris Francisci de Lugo Societatis Iesu, Eminentissimi S.R.E. Cardinalis Fratris, Tractatum de Sacramentis eximium, *eximiæ Tuæ Virtutis à me dicandum, libentissimè approbasset, atque dedisset; diligenter exquisitum, prosperè consequutum exequor. Hic, vti laudabilis mos; copiosissima recensenda, de Tuæ familiæ nobilitate, ac progenitorum tuorum mirabiliter gestis; Inter quæ (omissis alijs) illud admirandum, vt ad nutrienda fouendaque facillimè studia, proprijs Bibliothecas magnis sumptibus in Perusina Patria Ciuitate erexerint, quæ vs-*

que

que adcò Pudianæ Bibliotechæ summa institutorum , ac descendentium gloria appellantur . Pariter infinita recolenda de Tua Prudentia , Scientia , Sapientia , Doctrina , Vigilantia , Charitate, Benignitate, ac Iustitia , quæ Te in septennij paruissimo progreßu , ad supremos Tuæ Nobilissimæ Oliuetanæ Religionis , Abbatiæ , Vicariatus Generalis , Generalatus , hodieque Procurariæ in Vrbe Generalis gradus euexerunt . At in encomia neque Tuorum , neque Tui digredi valeo , nil possum . Optima ideò sententia, ea omnia quæ se ipsis in Cælum tolluntur , & satis verba , haud commendare queunt , silentio illustrare , solumque de Te paucis , multum comprobatum veraciterque dictum ;

Semper Honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt.

Meum itaque Te humiliter , sicut enixè deprecor , precari , vt meæ infinitæ obseruantiæ , & obsequentissimæ voluntatis hæc vota benignè hilariterque excipias ; meque in tua tutela diù viuere permittas . Vale .

Datum Romæ Idibus Nouembris 1651.


Perillustris , ac Reuerendissimæ Paternitatis Tuæ

Addictiss.mus , & obsequentiss.mus Seruus

Ioannes Casonius.



Ad Lectorem.



Aucis aperiam animum meum. Vidi ſæpius (& dolens quidem, ac gemens) in multis Clericis, in multis Sacerdotibus, in multis Parochis multam ignorantiam doctrinæ moralis non minus ipſis pernceeſſariæ, quàm ſit Medicina Medicis, & Iuriſprudentia Iudicibus: Siquidem Parochi ſunt Iudices animarum, & Medici. Cauſam rimatus aduerti, libros doctrinæ moralis in duas ferè claſſes eſſe diuiſos: Quidam ſunt Scholaſtici, qui vaſtis voluminibus continent doctrinas optimas, ſed ſubtilibus immiſtas quæſtionibus, quales in Academicis ſcholis diſputari ſolent: Vnde minus litteratis minus proſunt, & ad inſtruendum communem clerum minus videntur idoneæ. Alij Summæ vocantur, qui concluſionibus dumtaxat, & ſingularibus caſibus inde deductis vt plurimum contenti ſunt. At communis Clericorum captus, quibus non adeſt litterarum cultura, vel ſumptus deſunt multis coemendis libris, vel tempus, vel ingenium non ſuppetunt ad eos perlegendos, aut percipiendos; nec aliunde Summæ ſuppeditant principia, rationes, & cauſas moralium deciſionum, exi-

gere

gere videtur talem doctrinæ methodũ, vt clara simul, & breuis nec debitis fundamentis, & probationibus careat, nec in immensam molem excrescat. Propterea curaui Sacramentorum doctrinam, quæ magis est in praxi Parochorum (praxim magis attendens, & intendens, quàm Scholasticam speculationem) adamussim aptare, certa supponens, incerta disquirens, & singulas controuersiæ partes suis vel authoritatis, vel rationis momentis ita fulciens, vt appareat facilè, quæ sit inconcussa veritas, quæ probabilis, quæ probabilior. Duos diuido tomos, quorum prior contineat Sacramentorum genus & communes proprietates, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Missam. Posterior Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Id vbique conatus sum, vt quæ pluribus alij disputarunt, paucis constringerem; nec tamen ideò scitu digna, vel necessaria præterirem, omnibus ingenii neruis adnitens, vt res plurimum inter se dissidentes, strictam scilicet breuitatem cum solida claritate coniungerem. An hoc assecutus fuero, Sapientiorum esto iudicium. Interim isto quali quali labore vtere, fruere. Vale.

Re-

Reuerendissime Pater.



EGI librum cui titulus est, Tractatus de septem Ecclesiæ Sacramentis *praxim potius, quàm speculationem attendens, à R. P. Francisco de Lugo Societatis nostræ Theologiæ professore compositum, ex P. V. commissione: & nihil inueni in illo sanæ doctrinæ, aut bonis moribus non consonus. Censeoque lectionem eius multùm lucis, & vtilitatis allatura Sacramenta sancta administraturis. In Collegio Romano 19. Septembris 1648.*

P.V. Reuerendissimæ

Humilissimus Seruus in Christo

Io. Baptista Rossi Societatis Iesu.

VIN-

VINCENTIVS CARRAFA
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVm opus P. Franciſci de Lugo noſtræ Societatis Sacerdotis *de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis* aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur ſi ita, ijs ad quos pertinet videbitur, cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus.

Romæ 13. Septembris 1648.

Vincentius Carrafa.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. D.S.P.A.Mag.

A. Riualdus Viceſgerens.

Imprimatur

Fr. Vincentius Candidus Sacri Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.



INDEX
LIBRORVM, CAPITVLORVM, ET QVÆSTIONVM,

quæ in hoc Volumine continentur.

8. *Quan-*

CAPVT IV. De vnitate Baptismi. 181

CAPVT V. De Ministro Baptismi. 199

CAPVT VI. De præceptis Ministri. 207

CAPVT VII. De Patrinis. 217

5. Quam-

5. *Quæ*


Indicis Librorum, Capitulorum, & Quæstionum Finis.

LIBER



LIBER PRIMVS
DE SACRAMENTIS
IN GENERE.



1 Acramentum à ſacro dicitur, apud Latinos varias habet acceptiones: apud ſcripturam, & Patres ſignificat myſterium aliquòd arcanum, eiusvé ſignum. Apud Eccleſiam iam communiter denotat cæremoniam ſacram, ſignumve rei ſacræ latentis, per quam homo ſacratur, & initiatur Deo. Sic dixit *S. Thom. 1 2. q. 102. ar. 5. Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibentur Dei cultoribus ad quandam conſecrationem, per quam deputatur quodammodo ad cultum Dei.* Variæ Sacramenti definitiones circumferuntur. *Ex Magiſtro in 4. diſt. 1. & S. Thom. 3 p. q. 66. art. 2. & 3.* hæc colligitur. *Sacramentum eſt viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ ad populum Dei ſanctificandum diuinitus inſtitutum.* Dicitur *viſibile ſignum*. id eſt externum, ac ſenſibile, *inuiſibilis gratiæ*, ſcilicet ſanctificantis, *ad populum Dei ſanctificandum* &c. quia confert aliquam ſanctitatem ſaltem legalem, & hoc ex inſtitutione diuina.

2 Hæc definitio conuenit etiam Sacramentis antiquæ legis, quæ gratiam quidē ſignificabant conferendam per Chriſtum; conferebant autem aliquam ſanctificationem legalem. At Sacramenta nouæ legis non ſolum ſignificant gratiam iuſtificantem, ſed etiam ex opere operato conferunt illam. Quare ſic definiuntur. *Sacramentum nouæ legis eſt ſenſibile ſignum ex inſtitutione diuina vim habens gratiæ ſanctificantis tum ſignificandæ, tum efficiendæ.* Videantur *Catechiſm. Romanus tit. de Sacram. S. Tho. 3. p. q. 62. art. 3. Suar. 3. p. to. 3. diſp. 6. ſect. 2. & diſp. 1. per totam. Filliucius tit. 1. nu. 3. & 13. Coninch. 3. p. q. 60. n. 2. & ſequent. Layman lib. 5. tit. 1. c. 2. & 3. Auerſa 3. p. q. 60. ſect. 3. Villalobos to. 1. tit. 4. Diffic. 1.*

CAPVT I.

De inſtitutione Sacramentorum.

3 E fide conſtat, in lege noua ſeptem inſtituta fuiſſe ſacramenta, nec plura, nec pauciora: ſcilicet Baptiſmum, cuius fit mentio *Ioan. 3.* Confirmationem, de qua fit ſermo

Actor 8. *&* 19. Euchariſtiam, de qua *Matt.*26. Pœnitentiam, de qua *Ioan.*20. Extremam Vnctionem, de qua *Iacobi.*5. Ordinem, de quo *Matth.*26. Matrimoniū, de quo *ad Epheſ.*5. Sic definiūt *Concilium Conſtantienſe.ſeſſ.*14. *Florētinum in decreto de Sacramentis. Tridentinum ſeſſ.*7.*can.*1. Ratio potiſſima fuit diuina voluntas, & inſtitutio. Congruentias aſſerunt Doctores ex analogia vitæ ſpiritualis cū corporali. Quippè per Baptiſmum naſcimur, per Confirmationem ſolidamur, & augemur, per Euchariſtiā nutrimur, per Pœnitentiam ad animæ ſanitatem peccatis amiſſam, reſtituimur per Extremam Vnctionem integrā ſanitatem, peccatorum reliquijs ſublatis, obtinemus, per Ordinem idonei miniſtri conſtituimur, per Matrimonium gignimus Sanctā prolem ad Eccleſię propagationem. Ita *Magiſter in* 4.*diſt.*2. *S. Thom.*3.*p.q.*65.*art.*1.

4 Suppoſita Sacramētorum inſtitutione neceſſaria ſunt ad ſalutem non cuncta cunctis, nec eodem modo, ſed quædam ſingulis, quædam toti Eccleſiæ. Videlicet Baptiſmus eſt neceſſarius non ſolùm neceſſitate pręcepti, ſed ēt medij, ſaltē in voto pro adultis, re ipſa pro paruulis. Nam illud eſt neceſſariū neceſſitate medij, ſine quo non pōt omninò finis obtineri, quamuis per impotentiam, aut ignorantiam inuincibilem omittatur: ſed ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto non poſſunt paruuli ſaluari, nec adulti ſine voto ſaltē Baptiſmi *ex Ioan.*3. Nec prodeſt impotentia, vel ignorātia. Ergo Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij vel in re, vel in voto. Pœnitentiæ ſacramentum ſuppoſito peccato mortali neceſſarium etiam eſt eadē ratione vel in re, vel in voto. Votum ſacramenti vocamus illud medium, quod Deus voluit eſſe quaſi vicarium Sacramētorum ad inducendā per ſe moraliter gratiam, quādo non habetur ſacramentum. Tale quidem eſt martyrium tàm in paruulis, quā in adultis cum debita diſpoſitione; vel etiam contritio, ſeu dilectio Dei. Hæc enim vt vicaria Sacramentorum per ſe concurrūt ad iuſtificationem, quatenus mouent Deū, vt intuitu talis voti per ſe conferat gratiam. Etenim ſicut aliorum præceptorum obſeruatio non concurrit per ſe ad iuſtificationē, ſed ſolùm remouendo prohibens: ita contritio, quatenus continet propoſitum ſeruandi reliqua præcepta, nō eſt cauſa per ſe primæ gratiæ, ſed ſolùm remouendo prohibens: At quatenus deteſtatur peccatum propter Deum, continet votū ſacramenti, & gerit eius vicem, ac ſubindè per ſe mouet Deum ad infuſionem primæ gratiæ. Quondam enim acceptabat Deus contritionem attendendo ſolum meritum congruum ipſius; nunc autem acceptat contritionem ad iuſtificationem peccatoris, attendendo ſimul ad Sacramentū, cuius votum cōtinet, & quaſi vicem gerit ex inſtitutione diuina. *Ita Card. de Lugo de Euch. diſp.*3.

Notandum tamen eſt, Martyrium, quod vicarium eſt Sacramentorum, ex ſpeciali priuilegio ſic ſupplere ſacramēti vicem, vt cōferat gratiam præter meritum operantis: vnde quidam aſſerunt, conferre gratiam ex opere operato non ſolū paruulis, qui nullum meritum poſſunt habere, ſed etiā adultis, quibus confert maiorem gratiam, quā Baptiſmus, ob maximam operis excellentiam, ſic indicat *S. Thomas, & alij*, quos ſequitur *Auerſa de Baptiſmo q.*70 *ſect.*5. Cæterùm contritio, quatenus continet ſacramēti votum, non confert gratiā ex opere operato, ſed ex opere operantis iuxta meritū operationis. Ita ſupponunt Teologi communiter. Videantur. *Adrianus quodlib.*5.*ar.*5. *Ruardus ar.*1. *contra Lutherum*, *Auerſa de Sacram. q.*62. *ſect.*3. Probatur, quia promiſſio conferēdi gratiam ex opere operato non eſt facta niſi ſacramēto realiter ſuſcepto, vel ex ſpeciali priuilegio Martyrio, vt colligitur ex ſcripturæ verbis: ideo Baptiſmus in voto non imprimit characterem, quia non eſt illi promiſſus talis effectus: nec Baptiſmus in voto cōtritionis remittit totam pœnam. An autem cōtritio ratione voti mereatur maiorem gratiam, quam

alias

alias obtineret? affirmat *Ledesma* 1.4. *q.21.art.1. negat Auersa supra*. Vtrumque videtur incertum.

Eucharistia saltem est necessaria necessitate præcepti, vt omnes fatentur ex Ioan.6. An vero sit etiam necessaria necessitate medij, dicemus *lib.4.c.8.q.2. de Cõfirmatione*, ac Extrema Vnctione sunt opiniones suis locis expendendæ. Ordo & Matrimonium non sunt necessaria singulis, sed toti Ecclesiæ. Videantur *S. Thom. 3.p.q.65.art.4. Suarez tum ibi, tũ disp.17.sect.1. Auersa de Sacram. quæst. 61.sect.1. Bonacina disp.1.q.1 punct.4. referens plurimos.*

5 Auctor, & institutor Sacramentorum primarius fuit Deus, qui talibus rebus, & verbis imposuit significationem diuinæ gratiæ, vimq; contulit eandem producendi; nec principaliter, & auctoritatiuè potuit alius talem imponere significationem effectricem gratiæ significatæ. Quare Christus Dominus, qui per se ipsum immediate nouæ legis instituit sacramenta, quatenus Deus fuit illorum causa principalis auctoritatiuè; quatenus homo dupliciter dici potest auctor sacramentorum. Primò, quoniam ipsorum institutionem, & operationem nobis ex condigno promeruit; quapropter sacramenta fluxisse dicuntur ex latere Christi pendentis in Cruce. Secundò, quia propter vnionem hypostaticam habuit potestatem excellentiæ, per quã vtique gratiam dare, dandamve promittere, sacramentaq; subindè potuit instituere. Videantur *S. Thomas 3.p. q.64.ar.1.& 2. Suarez supra disp.12.sect. 1. Vazquez 3.p.disp.135.& 139.* Quidam verò Doctores, qui subindicant, aliqua sacramenta fuisse ab Apostolis instituta, intelligendi sunt quoad promulgationem: sicut antiqua lex dicitur data per Moysem, cum tamen eam Moyses non instituerit, sed tantùm promulgauerit. Videantur *Bonacina disp.1.q.3. punct.1. Auersa de sacram.q.64 sect.1.*

6 Sacramenta quoad suam compositionem, quamuis sint composita moralia, & artificialia, quæ moralem, & artificialem materiam, & formam duntaxat requirunt, cõsiderari possunt ad modum compositi physici, vbi materia supponitur indeterminata, forma verò determinat materiam, & constituit compositum sub tali, vel tali specie. In hoc sensu res dicuntur materia sacramentorum, verba verò forma; quatenus accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, vt docuit *S. August. in cap. De trahe. 1. q. 1.* intelligens per elementum materiam, quæ verbis determinatur ad speciem huius, vel illius sacramenti. Sic accipiẽdum est Florentinum supra, dum inquit, omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personæ Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Consonat *Tridentinum sess.7. decreto de sacramentis.*

7 Et quidem in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Extrema Vnctione, ac Ordine propriè reperiuntur res sensibiles, quæ sint materia; & verba, quæ sint forma. Verùm in Pœnitentia, & Matrimonio non ita propriè, sed per analogiam, & proportionem quãdam: Nam in Pœnitentia res, seu materia sunt actus pœnitentis, qui solent manifestari verbis. In Matrimonio materia est mutua traditio corporũ verbis, vel nutibus declarata; forma est acceptatio mutua similiter verbis, aut nutibus expressa: Nã hæc perficit traditionem: itaq; nomine rerum intelligitur id, quo posito nondũ est completa significatio sacramẽti, siue res illa sit, quid permanens, siue sit actio transiens, siue sit verborum prolatio. Nomine verborum intelligitur id, quod complet, & perficit significationem, siue sint nutus, siue verba, vel scriptura.

8 Distinguitur communiter duplex sacramentorũ materia, proxima scilicet, & remota. Materia remota dicitur illa res, quæ in sacramentum assumitur, seu circa quam actus, aut ceremonia sacra exercetur, vt aqua, chrisma, panis, oleũ. Materia proxima dicitur vsus istius rei sensibilis, & actus sacri cultus exercitus

ad ſacramentum conſtituendum, videlicet ablutio, vnctio &c. Patet inductione, nam in Baptiſmo materia remota eſt aqua, proxima eſt ablutio; in Confirmatione materia remota eſt chriſma, proxima eſt vnctio: in Eucharistia materia remota eſt panis, & vinum, proxima ſunt ſpecies ſacramentales; in Pœnitentia materia remota ſunt peccata, proxima ſunt actus pœnitẽtis, nimirum contritio, confeſſio, ſatisfactio: in Extrema Vnctione materia remota eſt oleũ benedictum, proxima eſt vnctio: in Ordine Sacerdotali materia remota eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia, proxima eſt porrectio talis calicis, & patenæ: in Matrimonio materia remota ſunt perſonæ contrahentes, proxima eſt traditio Corporum, vt in ſingulis ſigillatim apparebit.

CAP. I. QVÆS. I.

Quomodo debeat forma cum materia concurrere, vt validum Sacramentum fiat?

9 SVppono 1. Materiam, & formam Sacramentorum eſſe partes eſſentiales neceſſariò requiſitas ad Sacramentum conſtituendum; Deus enim inſtituens Sacramẽta, has ipſorum partes determinauit, ex quibus eſſentialiter coaleſcant. Ita definiunt *Tridẽtinum in Decreto de Sacram. ſeſſ. 7. & Florentinum ſupra.*

10 Suppono 2. Materiam, & formam Sacramentorum conſtituere compoſitũ artificialẽ morale: Quare non requirunt vnionem phyſicam, qualis inter corpus & animam viuentis reperitur, ſed ſolùm moralem, & artificialem iuxta ſingulorum artificium, & conditionem. Nimirũ in Sacramẽto Pœnitentiæ, quòd per modum iudicij fuit inſtitutum, & in Sacramento Matrimonij, quod in contractu conſiſtit, quamuis longa ſit diſtantia tẽporis inter materiam, & formam, fit validum Sacramentum: Nam actus iudiciales, & cõtractus humani totam hanc diſtantiam admittunt; vt bene notant *Sayrus de Sacram. lib. 1. c. 4. ar. 7. Suarez 3 p tom. 3. diſp. 2. ſect. 2. Coninch. 3. p. q. 60. num. 40. Bonac. diſp. 1. q. 2. punct. 2. num. 1.* in Euchariſtia verba nõ ſolùm ſunt forma conſecrationis, ſed etiam Sacramẽti, cum tali tamen vnione morali, quę ſolùm requirit extrinſecum influxum, non autem coexiſtentiam temporis, aut loci. Sic notant *Villalobos to. 1. tract. 4. Diffic. 2. n. 3. Auerſa De Euchariſtia q. 1. ſect. 8. Card. m. de Lugo de Euch. diſp. 1. ſect. 4. & 5.*

11 Reſtat igitur difficultas in Baptiſmo, Cõfirmatione, Extrema Vnctione, ac Ordine: Nam in his ita debent verba cõcurrere cum ablutione, vel vnctione, vt verificentur. Ideò prima ſententia poſtulat omnimodã ſimultatem; ita vt ſi poſt finitam ablutionem vel vnctionẽ aliqua particula formæ proferatur, non valeat Sacramentum. Ita quidam, quos ſine nomine refert, & ſequitur *Biteſſ. in c. Detrahe 1. q. 1.* Quaſi compoſitio Sacramenti tam punctualem exigat concurrentiam, & coexiſtentiam ſuarum partium. Hanc ſententiam *Scotus in 4. diſt. 6. q. 3. meritò* reputat nimis ſeueram, & reliqui cõiter illam reijciunt. Nam ferè videtur impoſſibilis, vel ſaltem nimis periculoſa punctualis ſimultas, quam requirit. Quare non eſt credendum, Chriſtum Dominum id requirere pro valore Sacramentorum, quod vix humana prudentia diſcernere, vel obtinere poſſit: Ne vel multi fruſtrẽtur ſacramentis, vel hæc ſæpius repetantur, donec prædicta ſimultas habeatur.

12 Secunda ſententia requirit phyſicã coniunctionem materiæ cum forma, ſaltem partialem, ita vt aliqua pars formæ ſimul coexiſtat cum aliqua parte materiæ, ſcilicet ablutionis, vel vnctionis: quare ſi poſt finitam ablutionem, vel vnctionem incipiat forma proferri, vel è contra, poſt totam formam prolatam incipiat ablutio, vel vnctio, non erit validum Sacramentum, Ita docent Scotus ſupra. *Gabriel in 4. diſt. 6. q. 1. art. 2. concl. 8. Maior. diſt. 4. q. 2. argum. 4. Nauarrus*

quartus cap.22.num.7. Toletus lib.2. cap. 19.num.1. Zambranus de articulo mortis cap.1.dub.2.num.5. Fauent *Richardus in 4.dist.3.art.4.q.2. Syluest.Baptismus 5.q. 2.n.3.* dum aiunt ad Baptismi valorem sufficere, si prolatio verborum incipiat, antequam ablutio finiatur, aut è contra. Fauet Catechismus Romanus tit.de Baptismo, dum monet, nec ante, nec post ablutionem, sed simul cum illa proferendam esse formam.

13 Probatur, nam aliqua coniunctio materiæ cum forma requiritur, vt resultet vnum Sacramentum ex vtraque coalescens: alioquin qui mane lauaret, vel vngeret, & vespere formam proferret, verum efficeret Sacramentum, quod nemo concedet. Sed nulla datur vera coniunctio, si non concurrant simul secundum aliquam saltem sui partem. Ergò saltem hæc simultas requiritur. Nec aliter propriè, ac rigorosè verificaretur forma Sacramenti, quæ de præsenti loquitur. *Ego te baptizo. Ego te confirmo Chrismate salutis:* si non coexistat ablutio, vel vnctio cum prolatione saltem secundùm partem.

14 Tertia sententia docet, validum fieri Sacramentum, si paulò post finitam ablutionem, vel vnctionem proferatur forma: vel paulò post prolatam formam incipiat ablutio, vel vnctio. Sic tradunt *Sotus in 4.dist.3.q.1. art.8. Petrus de Ledesma tom.1. summæ tract. de Baptismo, cap.4.in fine. Henriquez lib.1.cap.9.n.10. & lib.2.cap 9.n.1. Suarez to.3.disp.2.sect. 3. Vazquez 3.p. disp.143.n.54. Valentia to.4. disp.4. q.1. punct.4. Coninch. q.60.n. 40. Sà verb. Baptismus.n.4. Vega ibi casu 23. Diana p.3.tit.4. Resol.6. Villalobos to. 1.tract.4 Diffic.2.n.6. Layman lib.5.tract.2.cap.7.n.5. Bonacina disp.1.q.2. punct. 1.n.23. & punct.2. n.2.* dicens esse communem Doctorum. Probatur, quia cùm Sacramentum non sit compositum physicum, sed morale, non requirit physicam coniunctionem partium, sed solam moralem; At moraliter verum censetur loqui, qui dicit. Ego comedo panem, istum, osculor istam Crucem, lauo manus, &c. vel immediatè post actionem præstitam, vel mox illam præstiturus: ergò similiter in forma Sacramenti.

15 Quin addit *Vincentius Fernandez de Heredia disp. de Sacram. p.6. dub.2. n.8.* post finitam totam ablutionem, vel vnctionem posse fieri formam, vel è contra post prolatam totam formam ablui, vel vngi recipientem, etiam interposita breui morula, qua scilicet oratio Dominica recitari possit. Verum hæc doctrina nimis laxa videtur, ideoq; non admittenda in praxi, vt notat Diana supra: si mora breuior sit, probabilis est speculatiuè tertia sententia. Cæterum quoad praxim.

16 Dico 1. summoperè curandū est, vt in Sacramentis quantum fieri possit, cōcurrant materia, & forma simul, præsertim in Baptismo, & Ordine; Quia si quis verè baptizatus non sit, non est capax aliorum Sacramentorum: & nisi verè sit ordinatus, nec verè consecrat Eucharistiam, nec vera Sacramenta confert præter Baptismum; *ita Sotus, Zambranus, Henriquez supra.* Quare tutius est, vt baptizans, vel vngens prius incipiat abluere, vel vngere, dicendoque formam prosequatur ablutionem, vel vnctionem, donec forma finiatur. Ita monet *Richardus in 4. dist.3. art.3. q. 2. & Rituale Romanum circa formam Baptismi dicens. Caput baptizandi perfundatur vno, eodemq; tempore, quo verba proferuntur.*

17 Dico 2. si qua pars formæ cōcurrat simul cum aliqua saltem ablutionis, vel vnctionis parte, non erit iterandum Sacramentum: quia secunda sententia satis est tuta, satisque certum Sacramentum sic collatum, vt docent Henriquez, Suarez, & Zambranus supra. Si tamen ablutio, vel vnctio non concurrat cum aliqua parte formæ, sed omninò præcedat, vel sequatur, Petrus de Ledesma dicit, non esse Sacramentum iterandum ob magnam probabilitatem tertiæ sententiæ, quæ videtur attingere certitudinem moralem. *Henriquez docet*, posse sub conditione repeti Sacramentum, sed non debere. *Doctores secundæ sententiæ*

docent, debere, quia non est alias certum Sacramentum. Equidem in Baptismo saltem, si baptizatus tali modo careat vsu rationis, omninò videtur repetendum esse Sacramentum sub conditione. Quia tutior pars in Sacramento tantæ necessitatis est amplectenda; præsertim dum non suppetit alia via salutis æternæ. In cuius confirmationem narrat *Zambranus supra n.7.* Parochum Oppidi Ruthi Cordubensis Diœcesis per decem annos fuisse solitum baptizare non coniungendo formam cum materia, nempè cum ablutione: quod vbi cognouit Cordubensis Antistes, post exactam cum viris doctis consultationem decreuit, omnes sic baptizatos iterum sub conditione baptizari, cùm iam plures essent grandioris ætatis.

CAP. I. QVÆSTIO II.

Qualis mutatio materiæ, vel formæ Sacramentum irritet?

18 SVppono 1. Materias, & formas Sacramentorum fuisse determinatas à Christo Domino instituente Sacramenta nouæ legis. Constat ex fide, quia colligitur ex scriptura simul cum Ecclesiæ traditione, ac Patrum expositione. Videantur *Suarez to. 3. disp. 2. sect. 3. Vazquez 3. p. disp. 129. cap. 5.* Materia determinata fuit à Christo non in indiuiduo: possumus enim hãc vel illam hostiam consecrare; nec quo ad speciem physicam; nam attritio, & contritio differũt specie physica, & potest vna vel altera esse materia Pœnitentiæ; sed quoad speciem moralem, vel quatenus ordinãtur ad vnũ finem, vt apparet in pluribus Ordinibus, qui ordinantur ad eundem finem diuini cultus; vel quatenus indicũt rationem vnius artificij, sicut panis, & vinũ vnius refectionis; vel quatenus conueniunt in eodem effectu præstando, sicut attritio, & contritio conueniunt in detestatione peccati. Est etiam determinata materia Sacramentorum quoad illa accidentia, cum quibus deseruire potest confectioni Sacramenti, videlicet in Baptismo requiritur aqua naturalis, & liquida, quæ deseruiat ablutioni: nec sufficit glacies, etsi differat accidentaliter solum ab aqua liquida, quia lauare non potest.

19 Suppono 2. Ecclesiam non posse mutare materias, aut formas Sacramentorum, quia sunt iure Diuino determinatæ. Videantur *Villalobos to. 1. tit. 4. diffic. 2. n. 7.* Nec Ecclesia in Tridentino mutauit propriè materiam matrimonij, dum decreuit illud sine præsentia Parochi, & testium non valere, siquidem loco contractus, non substituit aliud pro materia: sed remotè variauit materiam Matrimonij. Nam cùm hæc sit contractus existens sub Ecclesiæ potestate, potest Ecclesia conditiones apponere, sub quibus sit verus contractus, & non aliter, & per consequens aliqua ratione variare materiam Matrimonij. Quod in alijs Sacramentis non ita contingit.

20 Hinc fit 1. si materia, vel forma Sacramentorum substantialiter varietur, nullum effici Sacramentum, quia tollitur vera materia, vel forma Sacramenti præscripta, sine qua non potest Sacramentum consistere. Si verò mutatio sit accidentalis, valet Sacramentum. Sic tradunt Concilia, & Patres. Videantur *Reginaldus lib. 26. n. 20. Suarez supra sect. 4. Villalobos diffic. 3.* qui rationem reddunt, quoniam accidentalis mutatio non variat essentiam rei: constat ex cap. *Retulerunt. de consec. dist. 4.*

21 Fit 2. peccatũ esse mortale mutare substantiam materiæ, vel formæ, quia redditur inualidum Sacramentum. Similiter erit mortale peccatum adhibere materiam, aut formam incertam omissa certa, sine causa cogente: quia subest periculum nihil agendi. Si verò mutatio sit accidentalis, & sine causa fiat, erit mortale, vel veniale peccatum pro grauitate, vel leuitate materiæ. Debemus enim in materia, vel forma Sacramentorum adhibenda seruare modum etiam accidẽtalem, quem Ecclesia præscribit, & mos receptus obseruat. Nam

in

in re tam graui potuit Ecclesia grauiter id precipere. Quod autem præceperit de facto, constat ex decretis Conciliorum, ex ritualibus, vsuque recepto. *Ita S.Thomas 3.p.q.60.art.8. Henriquez lib. 1.cap.9.n.15. Fillincius tract.1.n.66. Layman lib.5.tract.1. cap.4. n.4. Coninch. q. 60.art.8.dub.2. Bonacina disp.14.2. puncti.1.n.33. Villalobos supra.* Sic peccaret mortaliter, qui Calicem consecraret sine mixtione aquæ, vel Latinus consecrans fermentatum: venialiter verò peccaret, qui particulam *enim* omitteret in consecratione, vel qui priuatim baptizaret lingua vulgari. Quin aliqui notant, melius facere fœminas, si baptizent in necessitate sermone vulgari, ne malè pronuncient formam latinè. Sic aiunt *Henriquez lib.2.cap.29. n.5. Toletus lib. 2.cap.19.n.5. Bonacina disp.2.q.2. punct. 4.n.17. Trullenc.de Sacram. l.1.c.1.dub. 3.n.4. Suarez to.3.disp.21 sect.2.* monens, vt semper retineatur verbum *Baptizo*, quamvis alia dicantur sermone vulgari.

Vt autem discernamus, qualis sit mutatio substantialis, qualis accidentalis, assignant Doctores duplicem regulam. Primam circa materiam, quæ si taliter varietur, vt nec nomine, nec ratione conueniant cum materia per Christum præscripta secundum communem hominum existimationem, & vsum Ecclesiæ, censebitur mutatio substantialis, alioquin accidentalis. Sic enim Christus sub aliqua ratione materias Sacramentorum determinauit, vt extra talem determinationem Sacramentum non fiat, & hanc vsus Ecclesiæ per traditionem declarat. Quare si mutetur aqua naturalis in artificialem, erit substantialis mutatio: nam artificialis aqua nec simpliciter est aqua, nec habet vsum aquæ simpliciter dictæ. Cæterum si frigida mutetur in calidam, vel turbidam, accidentalis mutatio reputatur, nam aqua calida, vel turbida simpliciter, & nomen, & vsum aquæ retinet. Similiter si panis azymus mutetur in fermentatum, est accidentalis mutatio. Cæterùm massa non retinet rationem, ac vsum panis, quamvis physicè forsan non differat ab illo. *Sic Suarez sup.disp.2.sect.4. Layman ro num.4.*

22 Secundam regulam assignant circa formam, cuius si varietur sensus, erit substantialis variatio, si non varietur, erit accidentalis. *Ita S.Thom.3.p.q.60.art. 8. Coninch.ibi n.78. Suarez supra.* Probatur, quia forma Sacramenti determinat materiam significando: Quare dum manet idem sensus, eademque significatio verborum, quamvis mutentur verba, manet eadem forma Sacramentalis: E contra verò si non maneat eadem significatio substantialis, licèt vna littera duntaxat varietur, vt si baptizes in nomine Matris, & Filij, &c. non manet eadem essentialis ratio formæ. Plures numerantur modi variandi formam his versibus contenti.

Nil formæ demas, nil ponas, nil varia-
bis:
Transmutare caue, corrumpere verba,
morari.

Primus est per detractionem alicuius particulę; Secundus per additionem: Tertius per mutationem vnius idiomatis in aliud, vel vnius vocis in aliam synonimā. Quartus est per transmutationē verborum. Quintus per formæ corruptionem, seu prauam probationem. Sextus per interpolationem, cum inter ipsa verba tempus aliquod interponitur.

23 Suppono 3. mutationē vnius idiomatis in aliud, vel vnius vocis in aliā synonimam esse fere semper accidētalem. Idem est in praua prolatione, quando quis balbutiendo, vel ignorando, vel aliter mutando litteras, committit sollecismum, aut barbarismum, retento tamen eodem sensu saltem ex modo proferendi hic, & nunc. Sic *in cap. Retulerunt de Consec. dist.4* qui baptizauit in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, dicitur verum contulisse Baptismum. Quoad interpolationem, si tantā sit, vt ex modo proferendi verba non componant vnam integram orationem, erit mutatio substantialis: secùs si mora sit ità breuis, vt

iuxta communem sensum verba sufficienter iungantur in vnam orationem, quod arbitrio prudenti discernendum. Certè si quis dicat, *Ego te baptizo*, & post quadrantem adijciat, *in nomine Patris*, &c. non erit validum Sacramentum, quoniam est interruptio notabilis. Si verò dicat, *Ego te baptizo*, & perstrepentibus pueris, interponat, recedite pueri, nolite garrire, vel excitare rumorem, postea; subiungat, *in nomine Patris*, &c. valet Sacramentum, licet in hoc insit irreuerentia venialis; vt asserit *Marchantius de Sacram. tract. 1. cap. 2. q. 2. casu 3. Trullench. sup. n. 5.* item facilius discontinuatur forma per interpositionem aliorum verborum, quam per silentij morã. Facilius etiam, si fiat interruptio inter syllabam, & syllabam, quam inter terminum, & terminum; vnde si quis dicat, *Ego te bap-* & ibi sistendo, vel alia verba miscendo, prosequatur, *tizo in nomine Patris*, &c. quamvis mora sit mediocris, non valet Sacramentum: & idem est proportionaliter in alijs formis. Videantur *Nuñus 3 p. q. 60. art. 8. Dian. 3 p. 5. tr. 6. & t. 5. resol. 41. Trullench. sup.*

Pariter in transpositione, quando retinetur idem sensus, mutatio est accidentalis, vt si quis dicat. *Ego baptizo te in nomine Filij, & Patris*, &c. Secus si sensus mutetur, vt si quis dicat. *Ego baptizo in te nomine Patris*, &c. si verba mutentur in signa, nutus, vel scripturam, est mutatio substantialis, excepto Matrimonio. Quoties aliquid demitur, vel additur eodem sensu retento, fit accidentalis mutatio, v. g. si quis dicat. *Baptizo te in nomine Patris aeterni*, vbi demitur vox, *Ego*, & additur *aeterni*, si verò sensus mutetur, erit mutatio substantialis, vt si baptizando dicas. *In nomine Patris increati, Filij creati*, &c. Exempla ponimus in forma Baptismi, quae possunt alijs formis aptari. Sic Doctores relati, & alij communiter. Demum quoties Minister ex industria corruptè profert, aut mutat verba formae, quamvis mutatio sit accidentalis, peccat mortaliter, si corruptio, vel mutatio sit notabilis, ob irreuerentiam grauem; venialiter verò, si parum sit, aut non plenè deliberata iuxta superius dicta *num.* 21. Videantur *Hurtado de Sacram. disp. 1. diffic. 14. Sylvius 3. p. q. 60. art. 8. dub. 3. concl. 3. Diana cum alijs sup. Resol. 39. Trullench. n. 15.* qui rectè monet *n.* 20. totam formam esse proferendam ab vno Ministro: nam aliter mutaretur substantialiter sensus. Excipit Extremam Vnctionem, de qua dicemus *lib.* 7.

24 Restat difficultas, an qui baptizat, vel confirmat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B Mariae, vel aliorũ Sanctorum, validum conferat Sacramentum. Prima sententia negat. *Ita Graffis 1. part. lib. 1. cap. 3. n. 25. Vazquez 3. p. disp. 129. cap. 7. n. 109.* Probatur: nam illud, *in nomine* denotat auctoritatem: nec enim quis dicitur aliquid facere in alicuius nomine, nisi auctoris. Vnde talia verba per se se iuxta communem acceptionem, quae non pendet ab intentione proferentis, significant B. Virginem, vel alium Sanctum esse pariter auctorem gratiae per Sacramentum conferendae, sicut Deum, quòd falsum omninò sensum inducit. Vndè (subdit *Vazquez*) qui similiter absolueret in nomine B. Virginis, nihil faceret; nam haec vox hoc significat vsu communi, nec eius significatio subindè pendet ex intentione Ministri.

25 Secunda sententia distinguit, si baptizans, vel confirmans intendat conferre Sacramentum in nomine, seu virtute Beatae Virginis, aut Sanctorum, sicut in nomine Patris, inualidum reddit Sacramentum: nam adest mutatio substantialis in verbis formae cum errore contrario formae verae. Si tamen intendat conferre Sacramentum per intercessionem B. Virginis, aut Sanctorum, quos inuocet auxiliatores talis muneris ritè praestandi, validum confert Sacramentum, vt habetur, *cap. Si non sanctificatur, de consec. dist.* 4. Quia sensus formae non mutatur substantialiter, & ver-

verba formæ superaddita sunt in vtrumque sensum ambigua, subindeque determinantur intentione proferentis. *Ita S.Thom.3 p. q.60. art.8. Nuñus ibi. Diffic.1. Suarez disp. 2. sect.5. Layman lib.5.tract.2.cap.3. Diana part.3.tract.4. Resol.48. Sylvester, Armilla, Tabienna, Sotus, Henriquez, & Bonacina disp.1. q.2. punct.1. nu.18. & disp.2. q.1. punct.4. n.19.*

26 Tertia sentētia distinguit aliter, nimirum si talis additio fiat in fine, valere Sacramentum, quando Minister intendit solam intercessionem adhibere B. Mariæ, vel Sanctorum. Quia forma tunc habet suam perfectam significationem, antequam additio fiat, & consequenter nisi per malam intentionem impediatur, in illo priori suum operatur effectum, qui non potest à verbis sequentibus impediri: licet enim omnia illa verba simul sumpta iuxta primam sententiam significent errorem contrarium formæ; verba tamen essentialia etiam, vt hic, & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis, quam secundum commune Christianorum audientium iudicium, prius tempore, quam additio fiat, habent perfectam suam significationem, & operationem quæ per verba subsequentia tolli nequit, quamvis hæc errorem contineant: vt indicat Aug. lib. 6. de Baptismo, cap.25. Si tamen additio ponatur in medio, dicendo scilicet. *In nomine Patris, & Matris, & Filij*, &c. non valere Sacramentum: quia tunc illa verba interposita corrumpunt formæ sensum, interim dum profertur, & impediunt, ne forma, vt hic, & nunc prolata possit vllo vnquam instanti verificari, & consequenter impediunt eius valorem. Nam illud, *in nomine*, pariter de Matre dicitur, ac de Patre, nec intentio sola proferentis efficere potest, vt verba eodem modo prolata significent audientibus auctoritatem in Patre, solamque intercessionem in Matre. Sic docet *Coninch. 3.p. q. 60. n.70.*

27 Dico 1. non valere Sacramentum quando sic ministrans intendit æqualem auctoritatem Beatæ Virgini, vel Sanctis tribuere cum Diuinis personis. In hac conueniunt omnes ob adducta fundamenta.

Dico 2. Quando Minister intendit solam intercessionem Beatæ Virginis, aut Sanctorum implorare, valere Sacramentum, si additio ponatur in fine. In hoc conueniunt secunda, & tertia sententia contra primam. Ad cuius fundamentum respondetur: quamvis significatio formæ debeat esse secundum communem hominum impositionem, & existimationem stabilis, & recepta, tamen dum est ambigua, qualis est particula, *in nomine*, ad significandam auctoritatem, vel intercessionem ipsorum hominum impositionem, & existimationem remissiuè in proferentis arbitrium, & intentionem huius, vel illius significationis vsum. Si tamen additio ponatur in medio, Bonacina supra dicit, nihilominus verum effici Sacramentum. Coninch. verò negat: vterque probabiliter. In Praxi certissimum est, similes additiones esse vitandas. Quia sunt contra morem, & præceptum Ecclesiæ: sunt etiam aliquo modo contra Diuinam institutionem, & inducunt periculum irritandi Sacramentum. Ita *Coninch. supr. n.74.*

CAP. I. QVÆSTIO III.

An priuatus error, vel intentio sinistra Ministri circa materiam, aut formam Sacramenti reddat illud irritum?

28 SVppono 1. triplicem ex parte Ministri dari posse mutationem verborum. Prima contingit bonâ fide, sed per ignorantiam, aut impedimentum linguæ variando verba. Quo casu procedunt regulæ quæstionis præcedentis, & decisio capitis *Retulerunt, de consec. dist.4.* Secunda fit aduertendo mutationem, non tamen intendendo nouum ritum inducere, sed vel ex indiscre-

discreta deuotione, vel alio vano modo; & tunc si Minister non mutet substantialem sensum verborum, & habeat intentionem faciendi sacramentum, valide confert, etsi peccet sic proferendo. Ratio redditur, quia tunc debita materia ponitur, & forma retinet substantialem sensum, & Minister habet debitam intentionem, quæ tria requirit Florentinum ad valorē Sacramenti. Si verò desit hæc intentio, vel verba sic mutētur, vt varietur essentialis significatio, nullū erit Sacramentum. Ita *Suarez tom.3.disp.2.sect.5. Vazquez 3.p. disp.129. nu.80. Filliucius tract.1.n.64.& 66.* colligens inde balbū, qui valde titubat, si non sit ordinatus, consultius fore non ordinari. Si tamen est ordinatus, valide celebrat, dum verba substantialiter profert, sed rarò deberet, & in occulto. Si verò sit parua balbuties, nihil impediet. Tertia mutatio contingit, quando Minister non solùm ex certa sciētia mutat materiam, aut formam, sed etiam per eam mutationem intendit nouum ritum, & errorē in Ecclesiam introducere. Quo casu

29 Suppono 2. si Minister errorem suū contra Sacramēti veritatem manifestat in forma, nullum effici Sacramentum, cū hæc sit substātialis mutatio formæ iuxta superius dicta quæst.2. Consonat S. Gregorius relatus in cap. *Ni verò*, de Consecrat.dist.4.tradunt Layman lib.5.trac. 1.cap.4. n.5. Vazquez sup.n.103. v.g. si dicat Arrianus; *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris & spiritus Sancti creati.* Si tamen error manifestatus non tollat verùm formæ sensum, & Minister intendat facere, quod Christus instituit, validum fit Sacramentum: vt siquis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij Sapientis, & Spiritus Sancti Paracliti*, putans hæc omnia verba necessariò dicenda, & volens hūc errorem inducere, nihilominùs verè baptizat, quia retinet veram materiam, & formam, & debitam intentionem. Ita Layman sup.

30 Restat difficultas, quoties error interius conceptus in administratione Sacramenti non exprimitur. Et prima sententia docet irritari Sacramentum, quādo Minister addit aliquid formæ non necessarium tanquā necessarium, volens introducere nouum ritū erroneum. Ita *S. Antonius part.3.tit.14.cap.13.§.3. Richardus in 4.dist.3.art.2.quæst.3.* Fauent *S.Thom.3 p.q.60.art.8.Gabriel in 4.d.3. q.1 art.2. Marsilius in 4.q.3.art.4.* dum aiunt, siquis intendat per additionem aut diminutionem inducere ritum alienum ab Ecclesia, non confici Sacramentum, quia non intēdit facere, quod facit Ecclesia. Nam intendens in administratione Sacramēti nouum errorem inducere, iuxta quem vult ministrare Sacramentum, non potest intentionem habere faciendi, quod facit Ecclesia: Quare defectu intentionis erit irritum Sacramentū. Confirmatur ex cap. *Retulerunt. De Consec.dist.4.* vbi Pontifex dicit, valere Baptismum collatū in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sācta, si Minister id fecerit ex ignorantia, non intendens inducere hæresim: quasi non valeret, si voluisset illam inducere.

31 Secunda sententia distinguit asserēs, siquis mutet formam, eius sensu retēto, volens errorem inducere, in ritu tamen ab Ecclesia tolerato, verùm effici Sacramentum; quia cum intentione introducendi erroris in ritu tolerato, compatitur intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Si tamen velit errorem inducere in ritu non tolerato per Ecclesiam, non effici Sacramentum, quia tūc vrget fundamentum primæ sententiæ; nec cum tali voluntate compatitur intentio faciendi, quod facit Ecclesia. *Ita Scotus in 4.dist.1. q.1.art.8. & dist.3.q.1.art.5.* qui pariter philosophatur de mutatione materiæ seruata substantia illius.

32 Tertia sententia docet, quando Minister seruat essentialia verba formæ, habetque generalem intentionē faciendi, quod Christus instituit, & facit Ecclesia vera, quæcunque sit, quamuis aliquid mutando velit errorem in Ecclesiam inducere, validum effici Sacramentum. Quoniam hæ duæ intētiones scilicet faciendi,

ciendi, quod Christus instituit, & introducendi priuatum errorem, quem Minister existimat institutioni Christi conformē, non sunt cōtrariæ: Potest enim cum errore priuato mentis dari volūtatis intentio faciendi verum Sacramentum.

Cōfirmatur exemplo Græcorū, qui plures ritus intendunt, vt essentiales, scilicet consecrare fermentatum, & diuersam Baptismi formam adhibere, nihilominus intendunt facere Sacramentum à Christo institutum; & verè faciunt, quia nō destruunt legitimum sensum formæ, nec substantiam materiæ. Similiter inter Catholicos sunt opiniones, an aliquod verbum sit de substantia formæ, necne? videlicet in forma sanguinis de verbis illis: *Qui pro vobis, & pro multis*, &c. Siquis igitur, opinetur, esse substantialia, & sic illis intendat conficere Sacramētum; quamuis verè non sint essentialia, non propterea faciet irritum Sacramentum: Nam illa priuata sententia, & intentio non excludit absolutam, & generalem intentionem conficiendi, sicut Christus instituit; nec aliàs impedit, quominus applicentur sufficiēs materia, & forma. *Sic docent Durandus in 4. dist. 7. q. 2. n. 4. Palud. ibi q. 1. n. 13. Laym. lib. 5. tract. 1. c. 4. n. 5. & alij.*

33 Dico 1. si Minister errās circa materiā, aut formam Sacramenti, voluntatē habet expressam nō aliter faciēdi Sacramentum, nisi secundum suum erroneum conceptum, nullum efficit Sacramentū. Tunc enim deficit intētio requisita, quæ necessariò debet esse conformis institutioni diuinæ. Voluntas verò sic ministrātis est omninò repugnans institutioni Christi. Sic habet verū prima sententia, & eius fundamentum conuincit. Consentiunt *Suarez, Coninch, Layman sup.* Nimirum si minister Arianus nolit, Baptismum esse inuocatione Trinitatis valere, nisi Pater sit Filio maior; vel si Græcus nolit Eucharistiam confici, nisi panis fermentatus sit de necessitate Sacramēti, sine dubio Sacramētum irritum erit; non quidem ob defectum materiæ, vel formæ, sed ob defectum intentionis. Similiter si quis etiam Catholicus demat aliquid materiæ, vel formæ, putans esse necessarium ad valorem Sacramenti, cū re vera non sit; V. g. si non infundat aquā Calici consecrando; vel omittat in forma Pœnitentiæ Trinitatis inuocationē, quam existimat essentialem esse, vel matrimonium contrahat, credens subesse impedimentum dirimens, quod verè nō subest, regulariter non faciet Sacramentum, quia moraliter loquendo non habebit intentionem efficacē illius faciendi. Sicut nequit efficaciter intendere finem, qui medium omittit, quod reputat simpliciter necessarium ad finis consecutionem; nisi rarò forsan intendat facere, quod potest; vel habeat intentionē conditionatam efficiendi, si possit. *Ita Suar. ea sect. 5. Bonacina disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 28. & 29.* Demum qui profert integram formam, sed putans per errorem aliquid non esse substantiale formæ, cùm verè sit, non intendit per illa verba conficere Sacramentum, nullum efficit ob intentionis defectum. V. g. si non intendat baptizare in nomine Patris &c. quia putat illa verba non esse necessaria. *Sic Suar. sup. & Bonac. cum alijs.*

34 Dico 2. si Minister habeat intētionē generalem faciendi, quod Christus instituit, nec exterius prodit errorem cōtrarium substantiæ Sacramenti, validū facit illud, licet intendat inducere nouum ritum. Hoc intendit tertia sententia, & eius fundamentum confirmat. Quod explicari potest; nam eo ipso quod errans intendit absolutè Sacramentum ministrare, sicut Christus instituit, impedit planè, ne suus priuatus error influat in administrationem: non vult enim suum errorē inducere nisi ex suppositione, quod sit institutioni diuinæ conformis, vt ipse putat deceptus. Vnde non repugnat Ministro sic decepto simul inesse actualem errorem, & prauam intentionem innatam introducendi ritum erroneum; & aliundè rectam intentionē ministrandi secūdum institutionem Christi. Nam hæc intentio non cōformatur errori priuato, sed iudicio Christi recto; iuxta

quod

quod absolutè, ac efficaciter intendit Sacramentum ministrare. Sic Doctores tertiæ sententiæ. Consonant *Fillincius tract.1.n.66.Castro Palaus tom.4. tit.18. disp.1.punct.3.n.6.& 7.*

35 Sic Arrianus vtens legitima forma Baptismi, credens tamen per illam non significari personarum æqualitatem; si nihilominus habet intentionem illis verbis significandi, & faciendi, quod Christus significari, & fieri voluit, validum efficiet Sacramentum, quia virtualiter intendit significare per ea verba, quod verè significant. Quoniam autem hi communiter habent hanc intentionem, cap. *Sine hereticus.*50. cap. *Rebaptizare.* 107. *cap.de Arrianis.*108.*de Consec.dist.*4.Baptismus hæreticorum vtentium debitâ forma declaratur validus, & subinde nō repetendus: *Et Tridentinum sess.7.can.4.* damnat asserentes non esse verum Baptismū, qui datur ab hereticis sub debita forma cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

36 Sic etiam, qui debitā materiam, & formam adhibet cum intentione generali faciendi Sacramentum iuxta diuinam institutionem, quamuis aliquid addat vt essentiale non est, validum efficiet Sacramentum. V.g. siquis Eucharistiæ formæ superaddat illa verba. *Quod pro vobis tradetur*, vt essentialia, vel si formam eandem proferat vulgari lingua intēdens hunc ritum, vt essentialem inducere, verè consecrat; quia simul retinet intentionem conficiendi Sacramentum institutum a Christo. Similiter qui profert integram formam, intendens facere, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, licet falso credat, aliqua verba non esse necessaria, cùm verè sint, scilicet inuocationem Trinitatis in Baptismo, verè cōficit Sacramentum; quia debitam adhibet materiam, & formam, & intentionem. *Ita Suarez disp.2. sect.4. & 5.Coninch.quæst.60.art.8.dub.1 Bonac. disp.1. quæst.2. punct.1.n. 28. & sequentibus. Trullench. de. Sacram.lib.1.cap.2. dub.3.*

37 Dico 3. quando Minister errans ita mutat Sacramenti formam, vt reddat sensum ambiguum, si sic intendat introducere suum errorem, vt nolit verum sensum, sed falsum per illam formam significare, nullum efficit Sacramentum. Tunc enim est aliud signum formaliter, quod Minister intendit exhibere, quam quod Christus instituit, cum intendatur diuersa significatio. Quare non solum defectu intentionis, sed etiam formæ Sacramentum irritatur. Hoc intendit Pontifex *in cap. Retulerunt relato sup.n. 30.* Cæterum si Minister intendat significare, quod verba formæ significant ex institutione diuina, nec velit absolutè nouum ritum inducere contrarium essentiæ Sacramenti, validum illud efficiet; quia nihil deficit essentiale. *Sic Suarez sup. Conineh. n.64. Bonac. n.25. Vazquez 3.p.disp.129.n.102. Layman lib.5.tract.1. cap.4.n.5. Villalobos tom.1. tract.4.Diffic.3.n.3.*

38 Exemplum sit, siquis baptizet in nomine Patris per Filium in spiritu Sancto, volens significare personarum inæqualitatem, nullum confert Baptismum. Si tamen velit æqualitatem personarum significare, soluṁque variare ritum accidentalem, verè baptizat. Similiter, siquis ita consecret; *Hoc est quodammodo corpus meum*, intēdens significare solam figurā corporis, non consecrat. Si tamen velit verum corpus significare cū incorporeo modo existendi, verè consecrat, quoniam hic sensus non est contrarius veritati formæ, cui prior sensus omnino repugnat. Et quidem in dubio præsumēdum est. Ministrum intendisse sensum substantiæ Sacramenti contrarium, quādo de industria mutauit formam, præsertim si sit hæreticus: secus si non sponte, sed propter imperitiam verba mutauit, vt notat *Layman sup.*

39 Sic primā sententiam accipimus cū suis fundamētis iuxta nostram primam conclusionem, & iuxtà priorem tertiæ conclusionis. Tertiam sententiam cum suis fundamentis accipimus iuxtà nostram secundam conclusionem, & posteriorem tertiæ. Secunda non habet solidum

dum fundamentum: Nam Ecclesia tolerando, vel non tolerando ritum, potest illum reddere licitum, vel illicitum; non tamen potest sua prohibitione præstare, vt forma prohibita sit inualida, si retineat alioqui sensum institutioni diuinæ conformem. Sicut enim Ecclesia non potest materiã, aut formam Sacramenti mutare, sic nec tollere Sacramenti valorem habentis formam, & materiam à Christo præscriptam. *Ita Vazquez sup. n. 90. Coninch. n 57.*

CAP. I. QVÆST. IV.

An liceat vti materia, vel forma dubia Sacramenti?

SVppono 1. duplex distingui dubium. Primum strictum, & negatiuum, quò mens nec assentitur, nec dissentitur alterutri parti, sed manet in æquilibrio suspensa. Secundum latè dictum, & affirmatiuum, quod inuoluit assensum alterius partis probabilem, & formidolosum, vel etiam vtriusque partis probabilitatem amplectitur. Circa primum dubium omninò negatiuum.

41 Suppono 2 debere Ministrum adhibere materiam, & formam certam, grauiterque peccare, si dubium conferat Sacramentum ex dubia potestate, vel intentione, vel materia, seu forma citrà necessitatem. Nam temere subit periculum irritandi sacramentum, decipiendi fideles, fraudandique suscipientem fructu Sacramenti. *Sic censent Suar. to. 3. disp. 16. sect. 2. & disp. 43. sect. 1. fine. Valent. to. 4 disp. 6. quæst. 2. pun. 2. Coninc. quæst. 60. n. 80. Henriquez lib. 1. cap. 9. n. 7. & 15. Filliuc. tract. 1. n. 69. Bonacina disp. 1. quæst. 2. punct. 1. n. 32. Reginaldus lib. 26. n. 25. Scotus, vterque Sotus, & alij, quos sequitur Salas 1. 2. tract. 8. disp. 1. n. 56. qui subdit n. 282.* etiam sub conditione ministrare cum dubia potestate, vel materia circa necessitatem esse mortale peccatum: continet enim irreuerentiam grauem ex suo genere.

42 Cæterum in necessitate, si non adsit materia certa, vel qui nouerit certam formam, sed vtraque, vel vtralibet sit dubia, vel si non adsit Minister certam habens potestatem, poterit cum dubia ministrari Sacramentum, duplici conditione posita. Prima, vt detur euidens necessitas tam ex parte Ministri, nimirùm vt nõ occurrat alius certiorem habens potestatem, vel qui certiorem materiam, aut formam adhibeat; quàm ex parte recipientis, qui scilicet indigeat specialiter receptione Sacramenti. Secunda, vt Sacramentum sub conditione cõferatur: His enim positis tollitur omnis inordinatio, siquidem necessitas facit, vt actus non temerè, sed prudenter fiat; quippè melius est dubium Sacramẽtum indigenti ministrare, quàm nullum: Conditio verò tollit periculum irritandi Sacramentum. Ita Doctores relati; quin addit Salas, non solùm posse, sed etiam teneri Ministrum vti dubia potestate, materia, vel forma, quoties administratio Sacramenti requiritur ad vitandum scandalum, vel periculum damnationis, vel aliud grauissimum inconueniens. Cùm enim ob necessitatem liceat administratio Sacramẽti dubij, tenemur vtique per tale Sacramentum indigenti prouidere. Siquidem quoties sine dispendio possumus indigenti succurrere, tenemur saltem ex charitate seu misericordia. *Consonat Zambranus cap. 1. n. 4.*

43 Circa secundũ dubium positiuum latè dictum, quod claudit assensum probabilem: Suppono 3. in administratione Sacramentorum dari posse vel probabilem solùm assensum vtriusque partis, vel probabilem vnius, & certum alterius. Prioris casus exempla sunt: An moribando præbenti solùm signa contritionis danda sit absolutio? Quidam probabiliter negant, alij probabilius affirmant. An circumstantiæ notabiliter aggrauantes sint necessariò confitendæ? Quidam aiunt, alij negant: Vtrique probabiliter tantum. In his itaque potest quilibet (sicut in alijs materijs) in administrationem Sacramentorum vti opinione,

opinione, probabili, vel etiam minùs probabili, relicta probabiliori. Tunc enim non subitur voluntarium periculum irritandi Sacramētum, cum neutra pars sit secura. Quare nec delinquitur contra Religionem Sacramenti nec cōtra charitatem proximorum. *Ita Castro Palaus to. 1. tract. 1. disp. 1. punct. 5. num. 1. Ioan. Sanchez disp. 44. n. 1. qui subdit n. 35.* quoties altera sententia Sacramēti reuerentiam attendit, altera verò fauorem recipientis, hanc illi præferendā esse, quia charitas præualet Religioni; maiorque securitas salutis proximorum honestat periculum, quod incurritur irritandi Sacramentum. Consonat *Montesinos 1. 2. disp. 29. quæst. 5. n. 245.*

44 Exempla posteriori casus sunt; Valere Baptismum sub forma genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque probabilis est opinio: At valere sub forma Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, certum est. Similiter abluto capite valere Baptismum, certum est: abluto pede, vel digito valere, opinio est. Aquam naturalem esse materiam Baptismi, certū est; lexiuium, aut ius, opinio tātum. Item est opinio, validè consecrari typham, vulgo *centeno*; at panem triticeum est omninò certum. Item validè Confessarium absoluere, si sit approbatus ab Ordinario loci, vbi confessionem audit, certa res est; si verò sit approbatus ab Ordinario alterius loci, opinio solùm est. Item in articulo mortis valere confessionem proprio Parocho factam, certum est; an verò præsente Parocho valeat confessio facta simplici Sacerdoti, probabilis est vtraque pars. Matrimonium valere, si contrahatur coram Parocho contrahentium, & in propria Parochia, certum est; at si Parochus contrahentis assistat in aliena Parochia, probabilis est valor Matrimonij. Tam in his, quàm in alijs similibus exemplis, an vti liceat opinione probabili relicta certa sententia, disquirimus in præsenti.

45 Prima sententia negat. *Ita Petrus de Soto lect. 2. de Euch. Henriquez lib. 1. cap. 9. n. 15. Valentia to. 4. disp. 6. quæst. 2. punct. 1. Suarez to. 3. disp. 16. sect. 2. disp. 21. sect. 4. fine, disp. 45. sect. 1. fine tom. 4. disp. 26. sect. 6. n. 5. Salas 1. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 5. n. 86. Bonac. disp. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 32. Fillincius tract. 1. n. 69.* Huic sententiæ per intrinseca principia rationis inhæret *Ioan. Sanch. disp. 44. n. 10.* Sacrilegium existimans committi, quoties in administratione Sacramētorum via certa pro dubia sine causa mutatur. Eidem ita simpliciter adhæret *Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 13.* vt contrariam appellet improbabilem. Probatur 1. quia facis irreuerentiam Sacramento, cum sine causa subis illius irritandi periculum, quod facilè vitare posses certam sententiam secutus. Ergo peccas contra Religionem Sacramenti. Confirmatur, nam vsus Ecclesiæ prohibens materiam, aut formam dubiam in administratione Sacramentorum, ad id vtique tendit, vt reuerentia Sacramentis debita seruetur. Ergo ex hac reuerentia prouenit, vt nullus vti possit in Sacramentis sententia probabili, relicta certa.

46 Probatur 2. quia si debens centum aureos, solueres in moneta dubij valoris, non rectè satisfaceres, quia debito certo non satisfit solutione dubia. Sed Minister Sacramentorum debet Fidelibus Sacramenta certa ministrare. Non ergo satisfacit ministrando dubia, vel probabilia, dum potest omninò certa ministrare. Quapropter peccabit vtique contra iustitiam, vel charitatem. Probatur 3. Nam in rebus ad animæ salutem pertinentibus hoc ipso quis grauiter peccat, quod certis incerta præponat, vt docet *S. Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 3.* sed qui ministrat Sacramenta probabilia relictis certis, iam certo præponit incertum. Ergo grauiter peccat; V. g. si consecrat panem hordeaceum, vel confirmat sine balsamo, cum posset materiam omninò certam adhibere.

47 Secunda sententia docet, licere. *Tenent Medina 1. 2. quæst 19. art. 5. & 6. Salon. 2. 2. quæst. 63. art. 4. Controuers. 2. ad 3. Vaz-*

3 *Vazquez 1.2. disp.63. cap.2. & 3. Thomas Sanch. de Mat. lib.1. disp.20. n.4. & lib.1. Decal. cap.9. n.34. Antonius Perez in laurea, certam.10. cap.12. & 13. Villalobos to.1. difficult.13. n.1. & 2. Sayrus in claui lib.1. cap.7. n.4. Basil. legion. de Mat. lib.4. cap.25. n.9. Castro Palaus to.1. tit.1. disp.2. punct.5. n.5* & per extrinseca principia consentit *Ioan. Sanch. eo n.*10. Probatur, nam in quavis alia materia sufficit opinio probabilis ad formandum rectum conscientiæ dictamen circa nostrã operationem, non obstante formidine, seu periculo partis oppositæ, nimirùm vel alienum retinendi, vel violandi legem. Ergò similiter in administratione Sacramentorum sufficiet; nec obstabit periculum irritandi Sacramentum, quo minus licitè possimus operari iuxtà probabilem opinionem relicta sententia certa. Nec tam grauis obligatio sequendi certam omninò doctrinam imponi debet Ministris Sacramentorum, potius quam alijs agentibus moralibus; si quidem ministrando iuxtà probabilem opinionem, etiam relicta certa sententia, prudenter operantur, sicut & alij: nec exponuntur culpabili periculo Sacramentum irritandi, sed viam tenent moraliter certam, quam probabilitas opinionum constituit. Confirmatur, nam alioquin non liceret confiteri cum attritione cognita, nec attritum absoluere possemus, cum contritio sit materia certa, & attritio probabilis duntaxat. Similiter non liceret simplici Sacerdoti moribundum absoluere præsente Parocho. Quod durum videtur in his, & similibus casibus.

48 Limitant hanc sententiam *Vazquez Sayrus, Antonius Perez, Villalobos, vterque Sanchez*, vt sic ministrans non peccet contra religionem ob fundamentũ adductum, peccet tamen contra charitatem, vel etiam contra iustitiam ergà recipientem. Nam obligatio charitatis postulat, vt si proximo possumus certum remedium adhibere, non adhibeamus incertum: quod magis vrget in Baptismo præsertim paruulorum, qui non possunt aliter iustificari. Iustitia quoque ligat non solum Parochos, qui tenentur ex officio ministrare: sed quoslibet alios: nam supposito quod ministrant, tenentur certa Sacramenta conferre, quasi ex implicito pacto cum suscipientibus, qui nollent, nisi certum Sacramentum recipere. Temperat limitationem *Thom. Sanchez n.*34. vt procedat in his, quæ ab ipso Ministro sunt exhibenda, non tamen in ijs, quæ ponenda sunt à pœnitente. V.g. si pœnitens velit cum attritione cognita confiteri, dum potest confiteri contritus, non fit contra charitatem, vel iustitiam sic attritum absoluendo, nam ipse cedit iure suo. Excipit, nisi pœnitens esset in articulo mortis, tunc enim censet esse mortale, vel recipere, vel tali pœnitenti Sacramentum ministrare cum attritione cognita dumtaxat propter graue damnationis periculum, cui moriens exponeretur, si talis sententia non esset vera. Temperat enim *Ioan. Sanchez n.*13. & 15. nisi Minister moneat recipientem de modo ministrãdi iuxtà probabilem opinionem. Tunc enim si nihilominus velit recipere tale Sacramentum solum probabile, cessat ergà illum obligatio charitatis aut iustitiæ.

49 Pro decisione noto, posse reddi Sacramentum inualidum, vel ex defectu materiæ, seu formæ à Christo præscriptæ, quem Ecclesia supplere non potest. Vnde quamvis sit probabilis opinio de valore Sacramenti cum tali materia, seu forma, si verè Christus illam non instituit, non potest ab Ecclesia validum reddi. Vel ex defectu iurisdictionis ab Ecclesia concessæ. Qualiter irritatur Matrimonium celebratum coram Sacerdote, qui non sit Parochus contrahentium: & Sacramentum Pœnitentiæ, si ministretur ab habente potestatem Ordinis, & non iurisdictionis in pœnitentem.

50 Itaque dico 1. quoties opinio probabilis versatur circa illa, quę Summus Pontifex in administratione Sacramentorum determinat, vt in Matrimonio, quod sic, & non aliter celebratum valeat; in Sacramento Pœnitentiæ circa iuris-

iurisdictionem Sacerdotum ad absoluendum; licitè potest Minister quamlibet opinionem probabilem ministrando sequi, cum in qualibet iurisdictio detur, & Matrimonium validetur ex præsumpta, vel iuridica voluntate Pontificis; qui sicut supplet iurisdictionem habentis titulum coloratum, & potestatem dumtaxat existimatam errore communi iuxtà legem *Barbarius, ff. de officio Prætoris*, sic etiam operantibus iuxtà probabilem opinionem, confert certam iurisdictionem, vt certum reddatur Sacramentum. Non enim minus potens est sapientium opinio, quam error vulgi ad inducendam iurisdictionem, & validandum actum. *Sic docent Henriq. lib. 5. cap. 14 n. 3. & 4. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 6. Lessius lib. 2. cap. 29. n. 68. Reginal. lib. 1. n. 102. Thom. Sanch. de Mat. lib. 3. disp. 22. n. 39. & 65. & l. 1. Decal. cap. 9. n. 35. Coninch. 3. p. disp. 8. n. 22. & 47. Bonac. de Sac. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 4. n. 4. Filliuc. tra. 7. n. 227. Basil. legion. de Mat. lib. 5. cap. 19. n. 8 & cap. 20. n. 7. Villalob. tom. 1. tract. 1. diffic. 13. n. 5. Garcia de Benef. part. 5. cap. 4. n. 305. Hurtado de Pœnit. disp. 10. diffic. 6. Castro Palaus to. 1. disp. 2. punct. 5. n. 9. Auersa 3. p. q. 64 sect. 5 & 7. fine. Diana cum alijs p. 2. tr. 13. Resol. 2. & 9. p. 3. tr. 2. Resol. 3. p. 4. tr. 4. Resol. 4. & 153. p. 8. tr. 1. Resol 93.*

Moneo tamen pœnitentem, qui confiteri velit Sacerdoti iurisdictionis probabilis, debere simul aliquot peccata venialia confiteri. Sic enim licitè ministratur Sacramentum sine peccato contra iustitiam, vel charitatem, vel religionem. Quippe cum omnis Sacerdos habeat certam iurisdictionem circa venialia (quidquid in contrarium velint *Salas 1. 2. tract 8. disp. 1. n. 285. & Nuñus in Addit. q. 8. a. 5. dub. 3.*) certus erit Sacramenti valor, & mortalia saltem indirectè remittentur. Sufficit autem opinio probabilis, vt licitè subeamus periculum absoluendi à nonnullis peccatis indirectè, dum certa sit absolutio cœterorum. Ita censent vterque *Sanch. & Suarez*, qui subdit *n. 9.* Sic reddi moraliter certam hanc partem, vt propterea liceat in praxi Confessarijs vti iurisdictione probabili.

51 Dico 2. etiam in his, quæ pendent ab institutione Diuina, licitum est interueniente necessitate, ministrare Sacramentum iuxtà sententiam probabilem relicta certa; Quia periculum irritandi Sacramentum sufficienter honestatur ratione necessitatis. *Ita Suarez ea sect. 6. fine Villalob. n. 4. Palaus n. 9. Antonius Perez, Auersa, Layman, Salas supra, Bonacina disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 32. Præpositus 3. p. q. 64 a 8. dub. 2. n. 90. & a. 4. n. 22. Amicus to. 7. disp. 11. sect. 2. n. 29. & 32. & sect. 4. n. 54. Diana p. 2. tract. 13. Resol. 2. & 13. & p. 3. tract. 2. Resol. 9. & 10. & p. 8. tract. 1 Resol. 49. Thom. Sanch. lib. 2. de Mat. disp. 36. n. 8.* qui subdit cum *Soto*, licèt opinio sit parum probabilis, quam seclusa necessitate non liceret amplecti: dum vrget necessitas, reddi practicè probabilem. Consonat *Nauarrus cap. inter verba, corol. 58. n. 135* dicens. Periculum graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni: & *Iasson leg. 1. n. 57. Cod. de sum. Trin.* ait in dubijs præferendam esse opinionem animabus fauentem. Quod si licitum est, tenebimur ita ministrare iuxtà superius dicta *n. 42.* Quoniam lege charitatis tenemur subuenire proximo grauiter indigenti, quoties sine graui nostro præiudicio possumus, vt notat *Suarez de charit. disp. 9 sect. 2. Sà verb. Charitas n. 5. Palaus to. 1. tr. 6. disp. 1. punct. 9. Baldell. lib. 4. disp 11. n. 15. Vnde colligunt Præpositus eo n. 22. Puteanus, Tannerus, Chamerota*, quos refert *Diana p. 5. tr. 3. Resol. 1* in extrema necessitate posse, debereque conferri Baptismum iuxtà sententias communiter reprobatas, de quibus dicemus *lib. 2.* interim videatur *Diana sup. Resol. 3. 4. 5. 12. 14 15. 19. 26* doctè quidem, vt solet, applicans hanc doctrinam varijs casibus.

52 Nec semper requirenda erit extrema necessitas, sed prudenter expendenda iuxtà circumstantias occurrentes. *Suarez to. 3. disp. 16. sect. 1.* tradit hanc regulam. Quoties Sacramentum est omittendum om-

vel isto probabili modo ministrandum, licitum erit vti tali materia, vel forma probabili: Tunc .n. non tàm exponimur periculo, quã illud permittimus., vt maius euitemus: & alioquin habemus humanã cognitionem,quę potest esse principium operationis rectę. Nimirùm in Sacramento Confirmationis Chrisma confectũ ex oleo,& balsamo consecratũ per Episcopum est materia certa; oleum verò simplex ab Episcopo benedictũ,est materia probabilis; Si tamen Episcopus non possit inuenire balsamum, poterit oleum simplex consecratum adhibere. Quippe minus malum est hoc, quã omninò carere Sacramento, cui nulla fit irreuerentia, siquidè ministratur certiori modo, quo tunc potest moraliter fieri. Quod si necessitas sit extrema, quæ potest in Baptismo pręsertim occurrere: dicunt Doctores relati,ministrandũ esse, vel in extremitate digiti, quando partus periclitãs illã extrahit, quia licet opiniò sit parũ probabilis, ratione magni periculi,sustinetur. Addũt aliqui,baptizandũ etiam in capillis, vnguibus, aut secundinis,vnica gutta per solam aspersionem, si non possit aliter. Quia charitas ergã proximũ alioqui sine Baptismo decessurum præponderat religioni Sacramenti. Certè quibus collata sunt Sacramenta dubia propter vrgentem necessitatem,si postea superuixerint, ministrari debent certa sub conditione, vt dicemus q. 6.

53 Dico 3. citra necessitatem, quoties opinio de valore Sacramenti est valdè probabilis,& communiter recepta,licebit illã in praxi sequi. Quoad hoc assentior secundæ sententiæ,consentitq; *Layman lib.1.tract.1.cap 5.§.3.n.14.* Quoniã in quęstionibus moralibus,(etiam de valore Sacramenti) non requiritur semper exacta certitudo,sed sufficit magna probabilitas,& quasi certitudo moralis, ita vt opposita sententia negans talem materiam,aut formam sufficere, quasi nihil probabilitatis habere videatur. Sic docent *Layman sup. Filliuc. tract.1. n.69. Suarez,Vazquez,Coninch Becanus,Reginaldus, & plures*, quos sequitur *Auersa P. Lugo de Sacramentis*, *de Pœnit. q.11. sect.4.* licitum esse,ac tutum,præsertim post Tridentinum, recipere Pœnitentiæ Sacramentum cum attritione cognita. Quia sententia negans illam sufficere, iam improbabilis est, & communiter reijcitur. Videantur *Caietan. in Summa verb. Opinio, cap. 2. Armilla ibi n.2. Azor to.1.lib.2.cap.12.fin.& cap.16.q.2. Salas 1.2.tract.8. disp.1.n.57.* qui benè notat, in articulo mortis procurandam esse contritionem: quia licet attritio sufficiat cum Sacramento, præceptum tamen virtutis Pœnitentiæ, ac charitatis ergã Deum videntur obligare tunc temporis ad potissimos suos actus eliciendos.

54 Dico 4. Quoties Ecclesia per consuetudinem receptam, vel per speciale decretum præscripsit vsum materiæ, vel formæ certæ,relicta probabili, tenemur obedire, nec possumus probabilem materiam,aut formam adhibere sine peccato Sacrilegij cõtra religionem, quam illud Ecclesiæ præceptum attendit,& intendit. Potuit siquidem Ecclesia in re tàm graui certum modum ministrandi præscribere, ne pro singulorum opinione varietur. Et de facto videmus communem Ecclesiæ morem, Pontificum, & Conciliorum Decreta, Ritualiaque recepta modum indicere ministrandi Sacramenta,quem securi possumus amplecti, & non sine peccato prætermittere, quod ex genere suo mortale sit, vtpote contra virtutem Religionis. Ita Theologi communiter *in 4. dist. 3. vbi Palud.q.1.a.3. Sotus dist. 1.q.1. a.8. circa finem Suarez to.3.disp.16.sect.1.Vazquez 1.2.disp.63.cap.2.Thom.Sanch.de Matr. l.3 disp.20.n.4 & l.1.Decal.c.9.n.33.Ioan. Sanchez disp.44.n.26.Villalob.to.1.tra.1. diffic.13.n.1.Castro Palaus tract.1.disp.2. punct.5 n.6.Montesinos.1.2.disp.19.q.5.n. 232.* Quare tàm prima, quàm secunda sententia in hoc videntur cõuenire. Possumus id exemplis explicare. Quamvis probabile sit valere Baptismũ in nomine Genitoris,&c.tamẽ ex Ecclesiæ præscripto ministrandus est in nomine Patris, &c.nec altera forma licebit. Item quã-

vis probabile sit, in Confirmatione non requiri Balsamum; at probabile non est, non esse ponendum. Similiter in Eucharistia probabile quidem est, typham essentialiter à tritico non differre, subindeque validè consecrari: non est tamen probabile licitè consecrari; suppetuntq; similes casus non pauci. Quin addunt Montesinos, & Palaus supra; supposita ista conclusione communi, vix manere diffidij locum in quæstione proposita: quia ferè nullus occurret casus materiæ, vel formæ probabilis, & certæ: vbi non designauerit Ecclesia, quid sit adhibendum in praxi, quod adhibentes, conuenienter administrabimus; omittentes verò delinquemus contra præceptum.

55 Quod si forsan occurrat casus, in quo detur materia, vel forma Sacramenti certa, & alia probabilis, nec Ecclesia determinauerit, quam debeamus apponere, censeo cum prima sententia, non licere, probabilem adhibere, relicta certa: propter eius fundamenta, temere siquidem incurritur periculum irritandi Sacramentum, & fraudandi recipientem eius fructu, & ad reuerentiam Sacramentis debitam spectat, vt ex materia, & forma certis conficiantur, dùm commodè possunt. Consonat *Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 2. dub. 3. n. 16.* Nec obstat fundamentum secundæ sententiæ, nam vtens opinione probabili circa præceptum aliquod in alijs materijs non incurrit periculum violandi præceptum formaliter, etsi materialiter violet: probabilitas enim opinionis excusat ibi delictum, cùm tamen eadem non sufficiat validum reddere Sacramentum citra diuinam institutionem. Ad confirmationem respondetur, eius exempla pertinere ad nostram primam, & tertiam conclusionem, in quibus specialis ratio concedit vsum talium opinionum.

(∵)

CAP. I. QVÆST. V.

An metu mortis liceat in Sacramentis vti materia, vel forma dubia?

56 Loquimur tàm de dubio negatiuo, quàm positiuo, seu probabili, & fit casus, si metu graui mortis, vel alterius notabilis nocumenti cogaris baptizare in nomine Genitoris, aut cum aqua ex sale resoluta, vel consecrare typham, aut vinum congelatum, &c. Num ob metum grauem excuseris à culpa sic ministrando? *Henriquez lib. 1. cap. 9. n. 7. lit. B.* dicit, excusari, sed propter dubium repetendum esse Sacramentum sub conditione. Consonat *Antonius Perez certam. 10. cap. 12. n. 64.* rationemque reddit, nam talis materia, vel forma sufficiens est secundùm opinionem probabilem, & per consequens licita quoad cultum Sacramenti. Rursùs nemo tenetur ex charitate succurrere proximo cum periculo vitæ: nam etiam nostra salus æterna dubia est: & præceptum charitatis incipit à nobis.

57 Dico 1. si tyrannus expressè præcipiat vsum materiæ, seu formæ dubiæ, vel probabilis in Ecclesiæ contemptum, aut protestationem hæresis, non licebit eidē obedire, quamvis mors obeunda sit: Nam sic obediens censeretur actum externum contemptus Ecclesiæ, vel hæresis exercere cum graui damno Catholicæ Religionis. Ita tenent *Antonius Perez supra nu. 64. Bonacina disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 33. Ioan. Sanchez disp. 44. num. 12. Diana p. 3. tract. 6. Resol. 48 fin. Trullench. de Sac. lib. 1. cap. 2. dub. 3. n. 16. Coninch. q. 60. n. 81.* qui subdit, si tyrannus ministrās mortem, suspectus sit de fide, prudenter præsumi, quod velit suam hæresim inducere saltem damnando communem formam, vt illegitimam. Item si nouerit eam formam esse contra communem vsum Ecclesiæ Catholicæ, prudenter censeri, ponere præceptum in Ecclesiæ, Sacramentive contemptum. Quare non

erit

erit obediendum, sed quid vis potius tolerandum. Certæ circumstantiæ prudenter erunt considerandæ, ne contemptus, aut hæresis implicitè volita foueatur.

58 Dico 2. Quando præcipiens materiam, vel formam dubiam in Sacramentis adhiberi, verus Catholicus esset, & omninò putaret, eam materiam, aut formam esse certam; quin haberet suspectam sententiam Sacerdotis, contrarium affirmantis, credens ipsum errare vel ex ignorantia, vel ex malitia, licebit obedire, talemq; formam, aut materiam adhibere sub conditione. Tunc enim euitatur periculum irritandi, nec irreuerentia reputatur culpabilis. Nam illud præceptum adhibendi certam materiã, & formam in Sacramentis, non obligat cum tanto dispendio. Sic docent *Antonius Perez, Ioan. Sanch. Diana, Trullench. Coninch. supra n.82.* & sic accipiendus est *Henriquez supra relatus n.56.*

CAP. I. QVÆST. VI.

An Sacramentum dubium iterandum sit?

59 SVppono 1. Quando non subest probabilis causa dubitandi de valore Sacramenti collati, non solùm esse peccatum absolutè Sacramentum iterare, sed etiam sub conditione: quia magna fit irreuerentia Sacramento; & illa conditio tunc est impertinens, & haberi potest pro non adiecta moraliter, vt notat *Suarez to.3. disp.31. sect.6.* Quin etiam addo, si subsint leues scrupuli duntaxat, hos esse reijciendos, nec vllo modo repetendum Sacramentum etiam sub conditione. Sic ex communi sententia docet *Catechismus Romanus de Bapt. cap.2.* § 43. dicens, alioqui grauem iniuriam irrogari Sacramento, quod irrideri videtur per illam inutilem repetitionem. Consentiunt *Henriquez lib.2. c.31. n.1. Valentia to.4. disp.4. q.1. punct.4. Coninch. q.66. n.92. Zambranus cap.1. dub.1. n.8.* qui loquuntur in particulari de Baptismo,

60 De Sacramentis in communi loquuntur *Villalobos to.1. tract.4. Diffic.4. n.1. & 2. Bonac. disp.1. q.2. punct.1. n.36. & sequentibus.* Et si diffident, quatenus *Villalobos* asserit, ob scrupulum etiam leuem iterare Sacramentum sub conditione non esse peccatum mortale, sed imprudentiam, & irreuerentiam venialem; quia verè non intenditur iteratio Sacramenti, si validum fuerit. At *Bonacina* docet, quoties adest leue dubium, seu leuis scrupulus, esse graue peccatum iterare Sacramentum, quoniam, vt ait Catechismus, iteratio Sacramenti facta sine sufficienti causa videtur quædam irrisio Sacramenti, subindeque grauis irreuerentia. Quod ego quoque reor esse verum ex genere suo, nisi vel inaduertentia, vel ignorantia, quæ solet scrupulum comitari, reddat culpam venialem.

61 Suppono 2. Nunquam licere Sacramentum absolutè repetere sine conditione, nisi certo constiterit, aliquid essẽtiale priori Sacramento defuisse. Tunc autem non tam dicitur repeti Sacramẽtum, quam denuò conferri. Cæterum in quouis alio casu, quo liceat iterare Sacramentum, certum est, ponendam esse conditionem; vt de Baptismo docuit *Alexander 3. cap. de quibus, de Baptismo.* Quippe si sine conditione repeteretur, periculũ esset frustrandi formam, ac subindè grauis iniuria Sacramento fieret; vt notat *Vazquez 3.p. disp.146. cap.4. n.18.* Addit *Sayrus to.3. disp.21. sect.3.* conditionem exterius proferendam esse, præsertim quãdo dubium est publicum, vt omnis occasio tollatur scandali. Si verò dubium sit occultum, & Sacramentum secretò fiat, satis esse conditionem mente concipere. Ferè consonant *Henriquez lib.1. cap.31. n.2. lit.K. Coninch. q.66. n.98. Fillius. tract.2. n.65.*

62 Suppono 3. Quoties verè subest dubium negatiuum, vel positiuum, quæ distinxi nu.40. siue sit dubium facti; Num scilicet Sacramentum collatum fuerit, siue iuris; Num scilicet Sacramentum valuerit propter oppositas opiniones probabiles, Sacramentum esse sub conditione repetendum. Quia per hoc animæ

marum saluti prouidetur, nec vllum subest iterationis periculum, cùm illud prorsùs excludat apposita conditio. Sic habetur *cap. Paruulos, cap. cum itaq. de consec. dist.* 4. Vbi ratio redditur: Quia non potest in iterationis crimen venire, quod omninò factum esse, nescitur. Alia ratio redditur *cap. Placuit, eadem dist.* Videlicet ne noster scrupulus, seu trepidatio pueros faciat Sacramentorum purgatione priuari. Consentiunt *S. Thom. 3. p. q. 66. art. 9. ad 4. Suarez to. 3. disp. 22. sect. 1. Vazquez 3. p. disp. 146. cap. 4. n. 19. Henriquez lib. 2 cap. 31. n. 2. Zambranus cap. 1. dub. 1. Diana p. 8. tract. 1. Resol. 49. §. Non desinam. Trullench. de Sac. lib. 1. cap. 2. dub. 3. n. 17. Bonacina supra, & communiter Doctores.*

63 Distinguit *Sotus in 4. dist. 1. quest. 1. a. 8. §. Circa hec.* Sacramenta, quæ non iterantur, scilicèt Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: & in his maius dubium requirit, vt possint repeti, quàm in alijs, quæ sunt iterabilia, & faciliùs possunt repeti. Contrarium docet *Villalobos to. 1. tract. 4. diffic. 3. n. 1.* dicens, sufficere minus dubium ad iteranda Sacramenta, quæ non sunt iterabilia secundùm se, quam ad alia repetenda. Quippe Sacramenta non iterabilia si semel certò non recipiantur, nunquam recipientur; & Baptismus, ac Ordo sunt valdè necessaria, sine quorum valore nec cetera Sacramenta valebunt. Ergò multò magis requiritur, vt horum valor sit omninò certus, & quovis dubio rationabili dato repetantur: quam valor ceterorum, quæ si semel inualidè recepta fuerunt, possunt iterum, ac iterum validè recipi. Quare probabiliorem reputo sententiam istam.

64 Suppono 4. Quoties vrget præceptũ ministrandi Sacramentum, nõ solùm posse, sed etiam debere repeti Sacramẽtum à Ministris, qui tenebantur alioquin ministrare. Nam qui recepit Sacramentum dubium, ius habet petendi à suo Pastore Sacramentum certum. Ergò hic tenetur sub conditione repetere; non solùm ex charitate, vt docet *Vazquez 3. p. disp. 146. n. 28.* sed etiam ex iustitia, vt docent *Coninch. 3. p. q. 66. n. 101. & Zambranus cap. 1. dub. 1. n. 7.* Quapropter si paruulus recepit Baptismum dubium; tenentur eius parentes eidem procurare Baptismum certum; & Parochus ab illis requisitus tenetur infantem sub cõditione baptizare, vt certior reddatur eius salus. Laicus autem tenebitur ex charitate talem infantẽ baptizare, vel etiã adultũ petentẽ, eo scilicet casu, quo propter instantem necessitatẽ licebit Laico baptizare. Cũ n. dubius de suo Baptismo sit in graui necessitate, siquidẽ incertã habet animæ salutẽ: quicumq; commodè possit, tenetur eidẽ ex charitate succurrere.

65 An autẽ adultus secundum opinionem probabilem baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus teneatur ad iterum recipiendũ sub conditione Sacramẽtum illud? Negat *Vazquez supra n. 29.* probat, quia recipiens Sacramentũ non tenetur obligatione peculiari misericordiæ, vel charitatis ergà se ipsum ad remedium salutis omninò certum adhibendum: sed solùm obligatione ceterarum virtutum, aut charitatis ergà Deũ tenetur ad quærendam iustificationem. Rursùs obligationi recipiendi Sacramenta satisfacit, sequens opinionem probabilem, etsi non omninò tutam. Ergò ex nullo capite tenetur iterare Sacramẽtum dubium.

66 Dicendũ tamen est, teneri prorsùs ad iterandum Sacramentũ dubium, sicut tenebatur ad recipiendũ tale Sacramẽtum. Ita docet *Coninck. q. 66. n. 103. &* 104 Respectu Baptismi probatur, quia recipiens Baptismum dubiũ tenetur ex charitate sui vitare probabile periculum damnationis. Sed ad hoc euitandũ opus est (saltẽ instãte periculo mortis) procurare certũ Baptismum; siquidem est probabile, non esse baptizatum, & sine contritione non saluandum: cum tamen satis dubium communiter sit, an habeamus veram contritionem. Ergò debet ad euitãdum tale periculum iterare Baptismum sub conditione. Confirmatur quia nisi rursùs sub conditione baptizetur, non potest vllum aliud Sacramentum

tum

tum recipere, ne temerè subeat periculū recipiendi Sacramentum inualidū, quod sine necessitate non licet, cùm possit facilè recipere Sacramenta certa, iterato Baptismo sub conditione. Confirmationis si non datur præceptum recipiendę, non dabitur iterandæ. Quoad Ordinem, qui dubium recepit Sacerdotium, non poterit Sacramenta conficere (prętęr Baptismum in necessitate) nisi prius iterùm ordinetur sub conditione; ne subeat temerè periculum ministrandi Sacramentum inualidum.

67 Ad fundamentum oppositum respondetur, negando antecedens, obligat enim charitas sui ad certam æternæ salutis viam ineundam: obligat etiam reuerentia Sacramentis debita, ne recipiantur, aut ministrentur cum periculo nullitatis, quando possunt, iterato Sacramento sub conditione, recipi, vel ministrari cum certitudine valoris. Hæc doctrina procedit, quando dubium est positiuum, & prius Sacramentum fuit validum probabiliter. At multò certior est, quando dubium est omninò negatiuum: in quo nec *Vazquez* negabit, teneri dubium de valore prioris Sacramenti rursùs idem sub conditione recipere. Nec eius fundamentum in hoc dubio vim vllam habet.

CAP. I. QVÆST. VII.

An in singulis Sacramentis eadem materia, & forma pro vniuersa Ecclesia sufficiat?

68 SVppono pro tradendis Sacramentis non eundem seruari ritum accidentale in vniuersa Ecclesia, & subinde diuersa dari pręcepta quod tale ministeriū in diuersis regionibus: Quod inquirimus est; an nō obstantibus præceptis Ecclesiasticis, & ritibus diuersis variatū Ecclesiarū, ea materia, vel forma, quę sufficit ad verum Sacramentum in vna regione, vel Ecclesia, sufficiat vbique?

69 Negant aliqui Iuristæ, *Innoc. c. 1. de Baptismo, Felin. c. Quæ in Ecclesiarum. P. Lugo de Sacramentis. de constit. n. 26.* qui censent, sufficere Græcis ad Baptismum formam illam. *Baptizetur seruus Christi*, &c. & panem fermentatum ad Eucharistiam; Latinis verò non sufficere. Probant 1. ex matrimonio, quod, vbi *Tridentini* decretum non est receptum, clandestino consensu validè celebratur. At vbi Tridentinum viget, clandestini consensus non sunt sufficiens materia, vel forma matrimonij.

70 2. Potest vrgeri magis ex Ordinatione Sacerdotū, & Diaconorum. Quia Sacerdotium, & Diaconatus conferebātur olim per solam manuum impositionem, vt habetur in *Concilio Carthag. 4. Can. 3. & 4.* traduntque *Dionysius, Clemens, Damasus, Augustinus apud Bellarminum to. 2. lib. 1. de Ordine, cap. 9.* Videantur *Petrus Arcudius de concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis lib. 6. cap. 3. Vazquez 3. p. to. 3. disp. 239. Card. de Lugo de Sacram. disp. 2. sect. 5* Et nunc in Ecclesia Græca non solùm Episcopi schismatici, sed etiam Catholici, & qui Romæ degunt, dùm Græcos Præsbyteros ordinant, sciente, ac consentiente Summo Pontifice, non per calicis, & patenę porrectionem id faciunt, sicut Latini, sed per manus impositionem super caput ordinandi, dicente Episcopo. *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet; creat, seu promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo*, &c. Similiter ordinant suos Diaconos sine traditione libri, vel calicis per solam manuum impositionem cum his verbis. *Diuina gratia promouet hūc in Diaconum*, &c. Ergò nō sufficit eadē materia & forma Sacramenti Ordinis pro vniuersa Ecclesia.

71 Probatur 3. nam apud Latinos quatuor minores Ordines conferuntur per traditionem instrumentorum proportionalium singulorū officijs, & potestatibus; Græci verò Lectorē ordinant, illum prius tondendo, posteaq; manum imponendo: cæteros Ordines minores non conferunt. Ergò diuersæ sunt formæ Sacramentorum pro diuersis Ecclesijs.

72 Communis sententia docet, eandē materiam, & formam vbiq; terrarum esse sufficientem ad valorem Sacramētorum. *Ita Visualdus de Sacram.c.3.n.21. Suarez to.3.disp.2.sect.3.Vazquez 3.p.disp.129.cap.5.n.73. Reginaldus lib. 26.n. 22.Filliuc.tract.A.n.70.Bonacin.disp 1.q. 2.punct.3.n.1.* Probatur; nam omnia Sacramenta constant materia, & forma, quam Christus instituit: nec enim alius potest instituere materias, vel formas Sacramētorū. Sed materia, & forma, quā Christus in singulis Sacramētis designauit est vna, & eadē iuxta id *Pauli ad Ephes.4.Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Ergò hæc eadē vbiq; sufficiet ad validū Sacramentū. Vnde Latinus vtens forma Græcorum in Baptismo, validè baptizaret, & cōsecrans fermentatū, verum efficeret Sacramentū Eucharistiæ. Sicut è contra Græcus vtens forma, vel materia Latinorū: quoniam est mutatio solū accidentalis. Peccaret tamē Sacerdos in hoc vsu contra præceptū Ecclesiæ.

73 Ad primum fundamentum oppositum respondetur hoc esse peculiare Matrimonio, cuius materia, & forma est contractus humanus; Hic autem celebrandus est iuxta locorum consuetudinem, & legem particularem; ac subindè fieri potest, vt expressio consensus, quæ sufficit in hoc loco, vel tempore ad valorem contractus sine tali solemnitate, nō sit sine illa sufficiens in alio loco, vel tempore. Nec propterea variatur formaliter, ac propriè materia, & forma Matrimonij, quæ censetur esse cōtractus validus, & semper, ac vbique constituet verum Sacramentum; sed id, quod in hoc loco secundùm regionis morem, & legē est validus contractus, & per consequens materia, & forma sufficiēs Matrimonij, non est validus contractus in alio loco propter Ecclesiasticā legem ibi receptā, & ideò non sufficit ad verum Matrimonij Sacramentū; quod vbiq; retinet materiam, & formam formaliter eandem, nempè consensum legitimum contrahentium, diuersam verò materialiter, quia plura requiruntur ad consensum legitimum in vno loco, quàm in alio.

74 Ad secundum varij variè respondent. Quidam dicunt illas Græcorum ordinationes non valere, defectu scilicet essentialis materiæ, vel formæ. Verū hæc responsio communiter reijcitur, & meritò: quoniam redderentur nullæ, vel saltem dubiæ plures Ordinationes Antiquorum Patrum, & Præsulum, quæ ritu Græco factæ fuerunt: nec constat alius ritus Græcus communiter receptus præter supra dictum. Nunc etiam non solùm alibi, sed etiam Romæ fiunt ordinationes huiusmodi cum Summi Pontificis assensu, vel etiā præcepto. Nam *Clemens 8. peculiari Bulla*, quæ incipit, *Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa* 8. Anno 1595. die 31. Augusti, ex sententia Congregationis super reformatione Græcorū decernit, & mādat; vt Romę sit Episcopus Græcus Catholicus, qui Græcos ordinet ritu Græco, scilicet supra dicto, qui habetur in Græcis Euchologijs, & est in vsu apud Græcos Catholic. Quare nō possunt tales Ordinationes inualidæ censeri sine graui Apostol. Sedis iniuria.

75 Alij dicūt, duplicem esse materiam Ordinationis aliam ordinariam, quā adhibent Latini, aliam extraordinariam, quæ sufficiat cum dispensatione Pontificis, & hanc adhiberi à Græcis ex Pontificis dispensatione. Probant ab exemplo Confirmationis, cuius Minister Ordinarius est Episcopus, qui dispensatione nō eget ad confirmandum: Alter Minister extraordinarius est simplex Sacerdos, qui nō potest validè confirmare sine dispensatione Pōtificis, cū illa verò potest; & ita sæpè Græci Presbyteri solebāt ministrare Sacramentū Cōfirmationis. Sic asserit *Petrus à Sancto, Ioseph in Idea Theol.Sacram.c.35.Resol.3.* Tamen hæc etiā respōsio reijci debet. Nam in Ecclesia primitiua, & postmodū in Oriēte modus ordinarius conferendi Diaconatū, & Presbyteratū erat per manuū impositionē sine libri, vel calicis, ac patenę traditione, vt constat ex Sacris litteris. *Act. 13.& 1.ad Thimoth.5.& Epistola 2.cap. 1.& 4.* Item ex *Concil. Nicœno. 1. can.9.*

Carthag. 4. can. 3. & 4. cap. Presbyter. de Sacram. non iter. Nec verisimile fit. Ecclesiam ferè totam per tot sæcula, relicta ordinaria materia Ordinationis, ex dispensatione Pontificis extraordinariam adhibuisse. Nec illa Concilia dispensationis meminerunt, sed ordinariam materiam exponunt.

76 Alij respondēt, instituisse Christum sub disiunctione, scilicet vt Presbyteratus conferretur vel per vnicum actū; & tūc per impositionē manuū ritu Græcorum; vel per duos actus, & tūc per traditionē calicis cū patena, deindè per manuū impositionem ritu latinorū, diuisim conferēdo diuersas potestates (idem est proportionaliter de Diaconatu) ita vt Ecclesia possit has potestates conferre vel coniunctim vnica materia, & forma determinata per Christū; vel diuisim duplici materia, & forma determinata pariter à Christo Domino; nec materias istas, & formas variare possit. Probant, quia nisi Christus sic instituisset, nō fuissent isti ritus Ordinationum adeò perpetui, & immutabiles in Ecclesia.

77 Hæc responsio ingeniosè quidem excogitata fuit. At tam egregium Christi factum adeò conducens ad validam, & licitam Ordinationis administrationem, aliquo deberet Antiquitatis testimonio comprobari. Cùm enim nec scriptura, nec Patres, nec Concilia, nec Doctores talis institutionis meminerint, equidē valdè dubia, vel potiùs suspecta redditur hęc institutio diuina disiūctiua.

78 Responsio communior, & probabilior asserit, materiam, & formam Sacramēti ordinis eo modo, quo Christus illas instituit, vbique terrarum easdem esse; Christum tamen in particulari non determinasse materiam, & formam materialiter sumptas, sed genericè solùm, & in communi præscripsisse, quod conferretur Ordo per aliquod signum sensibile significatiuum potestatis, quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia, subindèque fuisse commissum Ecclesiæ determinare materiam, & formam in particulari, siuè particularia signa potestatis per ordinationem collatæ. Quapropter Ecclesia vtens hac facultate sibi concessa pro diuersis temporibus, aut Ecclesijs diuersa signa determinauit, siue diuersam, materiam, & formam Ordinationis materialiter sumptam. *Ita docent Bellarminus, & Cardin. de Lugo supra. Petrus Arcudius lib. 6. cap. 4. Amicus to. 7. disp. 2. sect. 4. Martinon to. 4. disp. 9. sect. 5. n. 48. Marchinus de Ordine tract. 1. part. 7. cap. 1. Auersa de Ordine quæst. 2. sect. 1. Ruardus, Fornarius, & alij plures, quos sequitur Ioan. Præpositus 3. p. quæst. 1. de Ordine dub. 10. n. 109. Diana part. 6. tract. 8. Resol. 18. & part. 8. tract. 1. Resol. 42.*

79 Probat Innocentius in cap. Presbyter n. 1. de Sacram. non iter communiter receptus. Quoniam ex sacris litteris constat, Apostolorum tempore formam Ordinationis fuisse solam manuum impositionem. *Vnde credimus* (inquit) *quod nisi essent formæ postea inuentæ, sufficeret Ordinatori dicere. Sic Sacerdos, vel alia æquipollentia verba: sed subsequentibus temporibus formas, quæ seruantur, Ecclesia ordinauit.* Ergo sicut Ecclesia pro diuersis temporibus diuersa signa particularia determinauit in Ordinatione; sic etiam potuit pro Græcis, & Latinis determinare diuersa: Ita tamen vt vtraq; Ecclesia Græca, & Latina conferat Ordinationem per sensibile signū, & verba rectè significantia traditionem potestatis; & per consequens vtraque validum Sacramentum efficiat, quia seruat formaliter loquendo materiam, & formam institutam à Christo, licèt materialiter vtatur signis diuersis: Quatenus græci magis confusè significant potestatem Diaconi, vel Sacerdotis solo nomine Diaconi, vel Presbyteri; latini verò magis explicitè; Quoniam in Diacono duplicem exprimunt potestatem legendi Euangelium, & ministrandi Sacro. In Sacerdote pariter potestatem sacrificandi, & absoluendi distinctè significant. Auersa putat hos diuersos ritus in Ecclesia Latina, & Græca fuisse institutos ab Apostolis sicut & varieta-

tem formæ Baptiſmi, panis azymi, vel fermentati, ac ſimiles. Vnde reddetur ſufficiens ratio, cur iſti ritus in Eccleſia fuerint adeò perpetui, ac inuariabiles: Nec .n. decet, in re tàm graui ritus ſemel præſcriptos tam Græcis, quàm latinis à primis Paſtoribus, mutari facilè, ſed oportet equidem iugiter retineri. Similis ferè difficultas moueri poteſt circa formam Confirmationis, de qua dicemus lib. 3.

80 Ad tertium reſpondetur, ſi minores Ordines non ſint Sacramenta iuxtà probabilem multorum ſententiam, quā latè defendit *Arcudius* ſupra, facilè potuiſſe cęremonias illas accidentales in diuerſis Eccleſijs variari ſine variatione ſubſtantiali Sacramentorum. At in opinione dicentium minores Ordines eſſe Sacramenta, reſponderi poteſt, vel omnes implicitè dari à Græcis per impoſitionem manuum factam lectori, quod aſſerunt *Arcudius eo cap. 4. & S. Bonauent. in 4. diſt. 24. part. 2. a. 1. quæſt. 2. & ar. 2. quæſt. 1.* Vel gradum lectoris apud gręcos eſſe quaſi noſtram primam tonſurā, & omnes Ordines minores dari ſimul cùm ſubdiaconatu, quòd docent aliqui Recentiores.

81 Petes 1. Si Græcus ordinet ritu latino, vel latinus ritu græco; vtrùm validum Sacramentum efficiant? Negat *Ioannes Præpoſitus* ſupra, & probari poteſt. Nam differentia ſignorum conſtituentium materiam, & formam Ordinationis apud græcos, & latinos quoad immediatam ſignificationem, & quoad proximum modum ſignificandi videtur ſubſtantialis, cùm valdè confuſſe dicant græci, quod latini ſatis exprimunt, & diſtinguunt. Et quidem qui baptizaret in nomine Trinitatis, ideò non conferret validum baptiſmum, quia non exprimens diſtinctè perſonas, variat ſubſtantialiter formam Baptiſmi. Auerſa ſupra diſtinguit aſſerens, latinum ordinantem ritu græco non efficere validum Sacramentum. Quia Chriſtus Dominus ita commiſit Eccleſiæ determinationem certi ritus ad ſubſtantiam Ordinis, vt Eccleſiæ determinatione poſita talis ritus eſſet neceſſarius, & eſſentialis: Eccleſia verò determinauit pro latinis hūc ritum ordinandi, qui ſubindè factus eſt apud nos neceſſarius, & eſſentialis. At græcum ordinātem ritu latino dicit validum conferre Sacramentum. Primò, nam hæc eſſe videtur intētio Pontificis, & Eccleſiæ. Secundò, nam in ritu latino plures actus ponuntur, quàm in græco, ſcilicet inſtrumētorum traditio, maiorque verborum expreſſio, quæ non videntur impedire valorem Ordinationis.

82 Ego fateor, Chriſtum Dominum Eccleſiæ commiſiſſe poteſtatem determinandi ritus neceſſarios, & eſſentiales Ordinationibus, & Eccleſiam tales determinaſſe in hoc ſenſu, vt qui conferret Ordinem alio ritu per Eccleſiam non præſcripto, non conferret validum Sacramentum. Hoc indicat *Innocentius* ſupra, quem plures Canoniſtæ ſequuntur, dum aſſerit. *Quod niſi eſſent formæ poſtea inuentæ, ſufficeret Ordinatori dicere: Sis Sacerdos* &c. quaſi dicat, poſt ordinatas ab Eccleſia formas, iam non ſufficere quamlibet aliam, quæ pro latinis, aut græcis non ſit ordinata. Ideò tàm accuratè ritus nobis præſcriptus obſeruatur, vt ſiqui defectus in Ordinatione contingant, diligenter ſuppleri iubeantur; tanquam ordinatio ſecus facta non valeat. Quia dum latinus non adhibet ritum græcum, & in ritu latino deficit ſubſtantialiter, nullum ritum adhibet ab Eccleſia præſcriptum. Idem eſt eadem ratione, ſi græcus non adhibens ritum latinum, in ritu græco deficiat ſubſtantialiter.

83 Attamen ſicut Auerſa putat, non eſſe vel Eccleſiæ, vel Pontificis intentionem, vt græcus ordinans more latino, nullum efficiat Sacramentum; ſic ego reor, non eſſe Pontificis, nec Eccleſiæ intentionem, vt latinus ordinans more græco, reddat irritum Sacramentum; Etſi grauiter peccet vterque cōtra præceptum Eccleſiaſticum. Ita cenſet *Ioannes Martinon* ſupra, & ſatis indicat

Cardin.

Cardin. de Lugo, qui differentiam inter græcos, & latinos materialem vocat, & comparat cùm differentia panis azymi, ac fermentati. Probatur 1. Quia nusquàm habemus ordinationem alicuius latini factam ritu græco, vel è contra, fuisse declaratam inualidam eo solo titulo. Probatur 2. Nam id videtur magis consonum vnitati totius Ecclesiæ; ne particulares Ecclesiæ differant in Sacramentis plus quàm accidentaliter; & sicut est *vnum Baptisma*, sit vnus Ordo substantialiter. Probatur 3. quia dum institutio generica Christi seruetur, omnis particularis variatio censetur accidentalis. Et hoc est conforme communi sententiæ, quam defendimus. Nec obstat exemplū Baptismi, nam ibi Christus instituit distinctam personarum expressionem: at in ordinatione non præscripsit signum distinctū, aut confusum, sed abstrahens ab vtroque.

84 Petes 2. An Pontifex possit solo verbo validum Ordinem conferre? Negant communiter Theologi, quos sequuntur *Azor to. 2. lib. 9. cap. 29. q. 4. Philiarchus de offic. Sacerd. part. 2. lib. 1. cap. 14 Diana part. 8. tit. 1. Resol. 28.* Probāt. Quia Summus Pontifex non potest mutare ius diuinum, ac proindè nec materias, aut formas Sacramentorum nobis à Christo relictas: Inferior enim non habet potestatem abrogandi legem superioris, sed Christus nobis reliquit materias, & formas Ordinationum. Ergo non potest Pontifex solo verbo validum Ordinem conferre; sicut enim non potest conferre validū Baptismum dicens, *esto Christianus*, sic non conferet validum Ordinem dicens, *esto Diaconus*, vel *esto Sacerdos*.

Affirmant *Angelus leg. 2. C. de crim. Sacril. Felinus in c. 1. de Constitut. n. 23. Decius ibi lect. 1. n. 50. Rebuffus in Praxi benef. parte 1. titulo de Clericis, à quibus citantur, n. 9. & 10. Iacobatius lib. 4. de Concil. quæst. 4. Gigas tract. de pension. q. 8. Victoria de Sacram. Ordin. quæst. 5.* Probant. Quia Summus Pontifex introduxit formas Ordinationum, vt docent Innocentius, Ioannes Andreas, Hostiensis, & Abbas in eo cap. *Presbyter.* de Sacram. non iter. Ergo potest illas abrogare, ac alias inducere ad suum beneplacitum; ac subindè solo verbo validū Diaconatum, aut Sacerdotium conferre dicens. *Esto Diaconus*, vel *esto Sacerdos.*

86 In hac quæstione certum est, posse Pontificem solo verbo conferre potestatem iurisdictionis Episcopalis, aut Parochialis, aut similis; quoniam hæc collatio, cùm non sit Sacramentum, non habet formam à Christo determinatam. *Ita notat Azor sup.* & cæteri consentire videntur. Quoad potestatem Ordinis, quę confertur per Sacramenta, dicendum est iuxta superiorem doctrinam, & institutionem à Christo factam circa Sacramentum ordinis, Ecclesiam potuisse vel soli Summo Pontifici, vel alijs etiam Episcopis pręscribere, vt quibuslibet verbis significantibus collationem talis potestatis, verùm Sacramentum Ordinis conferrent. Ita censent *Innocentius, Ioannes Andreas, Hostiensis, & Abbas supra*, dum aiunt. Nisi fuissent certæ verborum formæ per Ecclesiam institutæ, fore sufficiens Ordinationi validæ, si diceret Ordinator. Sis Sacerdos, vel æquipollentia verba. Quod sequitur *Auersa de Ordine quæst. 2. sect. 1.* & subdit; facta iam ab Ecclesia determinatione signorum, quamuis Summus Pontifex possit hanc determinationem, & hæc signa mutare, nullum inferiorem Prælatum posse. Quapropter quæstioni propositæ respondendum erit. Si Summus Pontifex velit, stare signorum institutionem ab Ecclesia factam, nec inferiores Prælatos, nec ipsum posse solo verbo conferre validum Ordinem: Si verò velit, institutionem factam mutare (quòd certè vix vnquam erit expediens) poterit vel solo verbo, vel alijs sufficientibus signis, quæ præscripserit, validum Ordinem conferre. Nec ampliùs probat vtriusq; partis fundamentum.

CAPVT II.

De Ministro Sacramentorum.

1 SVppono 1. illum esse sufficientem, ac necessarium Ministrum ad Sacramenta conficienda, quem Christus Dominus institutione sua designauit. Nam ad Auctorem Sacramentorum pertinet materiã, & formam, & Ministrum singulorum designare: cùm hæc tria perficiant substantialiter Sacramentum, vt expendit *Suarez to.3.disp.13.sect.2.* Non designauit autem Angelos, aut Beatos, sed homines viatores; quia pro viatoribus Sacramenta sunt instituta; vt docent *S. Thomas 3.p.quæst.64.art.7. Coninch.ibi. Suarez sup.sect.1. & Doctores communiter.* Quare si quando constiterit, Angelos, vel Dæmones Sacramentum ministrasse, credendum est, Angelis, aut Beatis datam fuisse potestatem à Deo, qua diuinitus Sacramenta confecerint, vt multis exemplis exornat *Sayrus lib.2.de Sacram.cap.3. quæst.1.art.2.* Dœmonibus autem, aut damnatis nunquam est credendum, hanc potestatem communicari, sed ex sua malitia Sacraméti ministerium attentasse. *Sic S. Thom.ibi. Coninch.sup.n.55. Bonacin.disp.1.quæst.3. punct.1.n.10. Trullench de Sacram.lib.1. cap.3.dub.1.num.3.* qui subdit *num. 4.* si Sacerdos post mortem resurgeret quãuis esset beatus, validè consecraturum; quia non est essentialis Ministro status viatoris, quod indicat sanè *S. Thom.3. p. quæst.64.art.7. ad 2. & sequuntur Syluest. Baptismus.3.dub.2. Suarez to.3 disp. 13. sect.1. Auersa 3.p.quæst.64.sect.2. Negat id Cardin. de Lugo de Sacram. disp.8.n.2. & 3.* Quia Sacramenta datæ sunt Ecclesiæ militanti, vt ipsa scilicet talia Sacramenta ministret filijs, seu membris suis per suos Ministros, quales non censentur ij, qui iam beatitudine donati, nullo modò subiacent Ecclesiæ militanti. Confirmatur ex verbis Iacobi, quibus essentiam Extremæ Vnctionis declarat, dicens. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: vngẽtes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei saluabit infirmum, &c.* vbi requiritur Presbyter Ecclesiæ, nimirùm militantis, qualis nõ est beatus: requiritur oratio fidei, seu procedens ex fide, qualem beatus fundere non potest, cùm non habeat fidem. Ergo sicut in hoc Sacramento, sic in alijs requiritur Minister viator.

Certum est 1. animam separatam, quamuis retineat characterẽ, non posse ministrare Sacramenta valida: quia nec est homo, nec potest humana verba formare. Certum est 2. post diem iudicij non retenturos esse Sacerdotes potestatem conficiendi Sacramenta: nam hæc instituta sunt pro isto sęculo, vt colligunt Expositores ex illis verbis *1. Corinth. 11. donec veniat.* Certum est 3. si beatus resurgat in corpore mortali, ministraturũ valida sacramenta, sicut prius, quia redit ad eundem statum, in his cõueniunt relati Doctores. Si verò resurgat nunc in corpore glorioso prorsus extra viam, certè non ministrabit Sacramenta, nisi nouerit forè valida, & grata Deo. An autem ex vi præsentis institutionis retineat potestatem validè ministrandi, res est valdè dubia, nec ad praxim vtique necessaria. Communis Ecclesiæ sensus Ministros viatores attendit.

2 Non tamẽ omnes homines possunt omnia Sacramenta ministrare, sed illi duntaxat, qui secundum institutionem diuinam habent circa singula potestatem, vt in singulis ostendetur. Nunc generaliter asserimus in omnibus Sacramentis requiri Ministrum, qui sit rationis compos. Quoniam alioquin non poterit habere debitam intentionem: ideò nec infantes, nec amentes, nec alij similes possunt esse Ministri Sacramentorum. Deindè quo ad valorem Sacramenti quilibet rationis compos potest esse Minister Baptismi 1. Matrimonij Christiani omnes baptizati. Eucharistię, ac Extremæ vnctionis quilibet Sacerdos. Pœnitentiæ verò Sacerdos iurisdi-

ctio-

ctionem habens. Confirmationis, & Ordinis solus Episcopus secundum legem Ordinariam; ex dispensatione Sacerdos potest Confirmationem, & aliquos Ordines conferre. Debet item Minister esse distinctum à recipiente; nemo siquidem sibimet validū Sacramentum ministrat, præter Euchariſtiam, & quodammodo Matrimonium, quod esse de fide, docuit *Henriquez lib. 1. cap. 26. n. 7. lit. P. Vide Bonacinam disp. 2. quæst. 2. punct. 4. n. 20.* Quomodo debeat vnius Sacramenti Minister esse vnicus, dicemus infra num. 108.

3 Suppono 2. non pendere per se valorem Sacramentorum ex fide, vel sanctitate Ministri. Quare Sacramentum collatum à Ministro, quātumuis iniquo, vel etiam ab Ecclesia per hæresim, aut censuram præciso, validum est, & sortitur effectum; dummodò reliqua necessaria concurrant, & recipiens non ponat obicem. Ita contrà plures Hæreticorum errores tradunt *S. Thomas 3. p. quæst. 64. art. 5. & 9. Coninch. Pesantius Nuñus ibi. Bellarmin. de Sacram. lib. 1. cap. 26. Suar. tom. 3. disp. 13. sect. 4. Vazquez 3. p. disp. 137. cap. 2. Bonacin. disp. 1. quæst. 3 punct. 2. §. 1. & 2. Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 6. Villalob. to. 1. tract. 4. Diffic. 13. n. 1. Habetur de fide definitum in multis Cōcilijs, præsertim Constantiensi sess. 8. Trid. s. ss. 7. Can. 4. & 12.* Ratio sumitur ex voluntate Christi sic instituentis, quæ nobis per traditionem innotuit. Congruentia verò, ne sæpè dubius esset Sacramenti valor, si penderet à probitate Ministri sœpe moraliter dubia.

4 Adde gratiam, quàm Sacramenta conferunt ex opere operato, nec minui ob improbitatem Ministri, nec ob eius probitatem augeri. Nam hæc gratia non datur ex Ministri meritis, sed ob merita Christi, quæ sæpè sunt eadem. *Ita S. Thom. 3. p. quæst. 64. art. 1. ad 2. Coninch. & Nuñus ibi. Toletus lib. 2. cap. 20. n. 11. Bonac. disp. 1. quæst. 4. punct. 5.* cùm alijs. Subdit autem Villalobos supra num. 2. recipientem Sacramentum à probo Ministro, maiorem accipere gratiam ex opere operantis, quam talis Minister impetrat à Deo precibus administrationi Sacramenti coniunctis. At dicendum est, nec merita Ministrorum, nec parentum alteri posse mereri gratiam habitualem, nec illam impetrare sine recipientis dispositione proportionata, sed solùm impetrare possunt aliquod auxilium, aut motum, quo recipiens Sacramentum se disponat ad maiorem gratiam. *Ita Suarez to. 3. disp. 7. sect. 5. Henriquez lib. 1. cap. 14. n. 1.* & Doctores Scholastici communiter.

5 Suppono 3. vt Minister licitè conferat Sacramenta, requiri præter potestatem conficiendi Sacramentum illud, ius etiam, seu facultatem dispensandi sacra mysteria. Soli quippè Sacerdotes hoc habent; quia collatio Sacramenti est actio Sacra, ad quam dignè perficiēdam Ministri consecrantur. Excipitur Matrimonium, in quo contrahentes ipsi sunt Ministri; & Baptismus in necessitate, quem etiam laicus licitè ministrat; si vero baptizet extrà necessitatem, faciet quidem Sacramentum, quia simpliciter potestatem habet; at grauiter peccabit, quia non habet ius, & indebito modo potestatem sibi datam exercet. *Ita Suarez supra disp. 16. sect. 1. Fillluc. tract. 1. n. 82.*

Nec omnes Sacerdotes gaudent hoc iure, sed qui potestatem habent iurisdictionis Ordinariam, vel delegatam ab Ordinario Pastore; quod dicit Suarez à iure diuino deriuari, præscribente nimirùm, vt alij sint in Ecclesia Pastores, alij sint oues; per ius autem humanum consummari, quatenus huius iuris distributio per homines facta est, & huic, vel illi sigillatim tribuitur: cui subindè fit iniuria, si ministerium eius vsurpetur sine superiori facultate, seu delegatione. Sic peccat Episcopus, qui confert Ordines in aliena diœcesi sine facultate proprij Pastoris. Peccat etiam simplex Sacerdos auctoritate propria Sacramenta ministrans alienis ouibus. Iurisdictionem istam Ordinariam, vel etiam delegatam suppleri per errorem communem, &

& titulum coloratum, docet cum multis *Auersa 3.p.quæst.64.sect.5.* & quãuis desit titulus, sufficere communem errorem, tenet cum alijs *Diana part.8.tract.1.Resol.94.* de quo nos agemus latius lib.6. Nam in Sacramento Pœnitentiæ non solùm ad licitam, sed etiam ad validam ipsius administrationem requiritur iurisdictio ministrantis.

CAP. II. QVÆST. I.

Quis, & quando teneatur Sacramenta ministrare?

6 Obligatio ministrandi Sacramenta solùm cadit in eum, qui potest illa licitè ministrare, vel simpliciter, vel in aliquo casu. Non enim obligari quis potest nisi ad actionem licitam. Oritur autem hæc obligatio vel ex charitate, vel ex iustitia. Charitas obligat omnes licitè ministrantes respectu cuiuslibet indigentis receptione Sacramenti, cui sunt applicanda generalia præcepta Charitatis; vt scilicet in extrema necessitate salutis spiritualis teneamur omnes etiam cum magno discrimine proximis subuenire. In graui necessitate teneantur similiter Pastores; reliqui verò, si possint sine magno detrimento. *Videatur S.Thom.2.2.q.25.Valentia, & Suarez ibi. Sà verbo Charitas Toletus lib.1.cap.10. Filliuc.tract.4.nu.267. & tract.28.n.35.* Obligatio iustitiæ competit ex officio Parochis, & Pastoribus animarum, ac subindè respicit subditos, & inducit interdum obligationem restitutionis, vel stipendij, vel fructuum, qui propter officium, aut ministerium dantur. Vide *Suarium to.3.disp.16.sect.1.concl.3. Filliucium tract.1.n.83.*

7 Difficultas est, quando teneantur Parochi hac obligatione iustitiæ ministrare Sacramenta suis Parochianis? Prima sententia docet teneri solùm, quando subditi tenentur Sacramenta recipere; videlicet dum in articulo mortis vrget præceptum Pœnitentiæ, Communionis, & Extremæ Vnctionis recipiendæ, vel dum in Paschate debent confiteri, & communicare. Probatur, quia sicut præceptum vrget Parochianos illis solũ temporibus ad recipiendum, sic etiam Parochos ad ministrandum illis solum temporibus obligabit. *Ita Richardus in 4.dist.18.art.2.q.3.Syluester Confessor.1.q.18.Armilla.verb.Absolutio.n.27.& verb.Confessio.n.38. Ioannes de Medina Cod. de Confes.q.37. Addit Henriquez lib.1.cap.4.n.4.* teneri quoque per insigniora festorum, & Iubilæi tempora ministrare Pœnitentiam, & Eucharistiam, quasi tunc censeatur pabulum Sacramentorum perutile. Sequitur *Villalobos to.1.tract.4.Diffic.19.n.1.*

8 Secunda sentẽtia docet, teneri Parochũ suis ouibus sacramenta ministrare, quoties vel ex obligatione, vel ex deuotione petierint. *Ita Valentia, Sotus Nauarrus, Viualdus, Sà, quos sequitur Auersa q.64.sect.7. Toletus lib.5.cap.5.n.7. Manuel in summ.p.1.cap.63.n.1. Azor to.1.lib.2.cap.17.q.10.& alij.* Probatur, quia tenetur Parochus nõ solùm necessitati subditorum succurrere, sed etiam vtilitatem, & profectum ipsorum spiritualem procurare. Sed est contra manifestam subditorum vtilitatem, & bonum spirituale defraudare illos spirituali fructu, quem è Sacramentis perciperent. Ergo non potest petentibus Sacramenta denegare, quin desit muneri suo.

9 Tertia sententia media, & probabilior asserit, teneri Pastores suis subditis per se loquendo Sacramenta ministrare, quoties ipsi rationabiliter, & opportuno tempore petunt, id est, si non nimis frequenter petant, vel vltra quàm prudentia dictat, & ipsorum statum, ac conditionem decet. Probatur nam Parochus ex officio tenetur subditis ministrare Sacramenta secundum eam rationem, qua Christus illa met instituit, & vult à nobis adhiberi. Sed Christus Sacramenta confessionis, & communionis instituit, non solùm vt ipsis vteremur tempore præcepti, sed quoties ipsorum vsus attentis circumstantijs personæ, loci,

ci, temporis, indigentiæ, ſecundum prudens iudicium vniuſcuiuſque ſaluti notabiliter conducit. Ergo Paſtor ex officio tenetur ſubditis rationabiliter petentibus iuxta prudentiæ regulas miniſtrare Sacramenta. Quod ad alia Sacramenta proportionaliter extenditur. Debet enim Parochus Extremam vnctionẽ moribundis petentib. miniſtrare, quamuis hi non teneantur illã recipere. Debet Epiſcopus opportunis temporib. ſacramenta confirmationis, & ordinis miniſtrare, quamuis nullus teneatur illa recipere. Sic cenſent *Suarez tom. 3. diſp. 72. ſect. 3. & to. 4. diſp. 32. ſect. 1. n. 4. Vaſqu. 3. par. qu. 93. art. 3. dub. 6. Coninch. diſput. 8. n. 129. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 13. q. 1. Bonacina cum aliis diſput. 4. q. 5. punct. 1. n. 15. & diſp. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. n. 23. Filliucius trac. 4. n. 268. & trac. 7. n. 352. Fagundez præcept. 3. lib. 3. ca. 3. n. 4. & 6. Palauss to. 4. trac. 21. punct. 20. n. 3. & tr. 23. punc. 18. n. 3. Ioan. Sanch. diſp. 47. n. 5.*

10 In particulari notant iſti Doctores, rationabiliter petere Sacramenta ſubditum, quoties vrget præceptum, vel adeſt feſtum, aut Iubilæum, aut tempus, quo ſolet talia Sacramenta recipere, ſingulis videlicet menſibus, vel octauo quoq; die, vel ſi grauiter indigeat ad vincendã grauem tentationem, aut ad gratiam conſeruãdam, aut ad ſpecialem profectum; quia grauatur conſcientia peccatorum, quæ non ſola contritione, ſed etiam abſolutione conueniat expiari, vel ob ſimilem cauſam itineris longi, vel negotii ſuſcipiendi. Excuſabitur autem Parochus ab obligatione miniſtrandi propter rationabilem cauſam occurrentem, qualis erit infirmitas, aut laſſitudo grauis, aut occupatio magni momenti pro tũc impediens adminiſtrationem Sacramentorum; vel ſi ſubditus importuno tempore petat, ſcilicet hora prandii, vel ſomni, vel de nocte velit in Eccleſia confiteri. Sic *Suar. Fagund. Bonac. ſup. Ioan. Sanc. n. 10.*

11 Aduerte 1. non ſolùm peccare grauiter Parochum palam Sacramenta negando ſubditis rationabiliter petentib., ſed etiam exhibendo ſe rogantib. adeo moroſum, difficilem, & infenſum, vt non audeant deinceps ita frequenter petere Sacramenta. Nam hoc eſt implicitè negare. Sic *Ioan. Sanch. diſp. 47. n. 11. Poſſeuinus c. 5. n. 13.* qui ſubdit, ſi tamen poſt difficultatem, & aſperitatẽ oſtenſam de facto temporib. opportunis ſemper requiſitus miniſtrat, ſolum peccabit venialiter, niſi ratione ſcandali ſit culpa mortalis. Similiter ſi curet vitare laborẽ miniſtrandi, quãtum poſſit, cum animo tamen miniſtrandi cunctis opportunè petentibus, peccat venialiter dũtaxat. Debet ergo Parochus ita ſe facilem adminiſtrationi Sacramentorum exhibere, vt ſubditos ad piam frequentiam alliciat. Nam officiũ Paſtoris eſt non ſolum paſtum ouibus nõ ſubtrahere, verum oues ad illum deducere. Quapropter *Auerſa ſup. Poſſeuinus n. 2. & 32. Toletus li. 5. c. 5. n. 7.* dicunt, teneri Parochum infirmos ſuę Parochię viſitare, quos ſi nouerit Sacramentis egere, quia periculoſus eſt morbus, hortetur ad illa recipienda, vel ſaltem offerat ſe promptum ad illa miniſtranda; ſecus grauiter delinquere.

12 Aduerte 2. nonnullos excuſare Parochum à mortali, ſi ſemel, vel iterum deneget Sacramentum ſubdito rationabiliter petenti. Sic *Ioan Sanch. ſup. n. 10. Nuñus in Additon. q. 8. art. 4. dub. 3.* qui putant, hãc eſſe materiam leuem. Quin addit *Henriqu. lib. 6. cap. 17. n. 3.* non peccare mortaliter Parochum, ſi bis, vel ter in anno quoſdam extra tempora præcepti non admittat: vel ſi volentes frequentare Sacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ ſemel, aut bis in qualibet hebdomada, repellat propter moleſtum onus. Diſſentit vero *Bonacina diſp. 5. q. 2. punc. 4. § 2. num. 23.* Nam ſi omiſſio vnius confeſſionis cenſeretur materia leuis, ſequeretur, illum, qui ſemel omitteret confeſſionem annuam ab Eccleſia præceptam, vel debitam ex voto, vel ex iniuncta pœnitentia, non peccare mortaliter; quod non videtur concedendum.

Dicendum eſt, extra tẽpus neceſſitatis, aut magnæ vtilitatis, quamuis ſemel aut iterum Parochus differat Pœnitentiam,

aut

aut Eucharistiam ministrare, non peccare mortaliter, dummodò dilatio tanta non sit, vt subditus in re graui censeatur priuari iure suo, quòd arbitrio prudentis discernendum est. *Ita Suarez to. 4. disp. 32. sect. 1. n. 5.* colligens indè, si subditus importunè, seu nimis frequenter confiteri velit, non teneri Parochum ad audiendum illum: oportet enim etiam habere rationem aliarum occupationum, & obligationum Parochi: præsertim quia non tenetur summum laborem impendere, sed moderatam, & prudentem solicitudinem. In quo conuenit *Bonac. supra.*

CAP. I. QVÆST. II.

An teneatur Parochus per se ipsum Sacramenta ministrare.

14 NEgant *Suarez to. 3. disp. 72. sect. 3. & to. 4. disp. 32. sect. 1. n. 5. Filliucius tract. 4. n. 268. & tract. 7. n. 352. Fagundez Præcept. 3. lib. 3. n. 3. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. 5. punct. 1. n. 15. Vazquez 3. p. q. 93. art. 3. dub. 6. n. 4. dicens, non teneri* Parochum ministrare Sacramenta, modò sit alius, cui possit committere ministerium illud. Probatur, quia Sacramentum æqualis virtutis est, à quocunque Sacerdote ministretur; & subditi non solent ægrè ferre, quod Parochus ipsis Pœnitentiam, aut Eucharistiam non ministret, si Sacerdotes alios ministrantes inueniant. Vndè colligit *Castro Palaus to. 4. tract. 21. disp. 1. punct. 20. n. 4. & tract. 23. disp. 1. punct. 18. §. 1. n. 4. cum Suario, Vazquio & alijs*, in oppidis, vbi Religiosi Mendicantes commorantur, vix Parochum extrà necessitatem extremam peccare posse mortaliter, si subditos remittat ad Religiosos, vt ab illis Sacramenta recipiant.

15 Affirmat, teneri Parochum per semetipsum ministrare Sacramenta, *Ioan. Sanchez disp. 47. n. 2.* Probat 1. quia *Tridentinum sess. 7. cap. 3.* decernit collationem beneficij curati factã indigno per se ipsum non valentẽ curam animarum exercere, nullam esse; & *sess. 23. cap. 1.* Parochis iniungit obligationem per semetipsos ministrandi Sacramenta. Nec sufficere putat prouidere Ministrum idoneum: nam electa fuit industria personæ, quandò Parochus tali muneri destinatus est, iuxtà legem *Inter artifices 21. ff. de Solut. & cap. 15. cui, de offic. deleg. vt notant Corduba lib. 1. q. 19. & Possevinus cap. 1. n. 8.* Quare *Declaratio Concilij* censuit, cogendos esse curatos ad subeunda per se ipsos, & non per substitutos ea munia, ad quæ tenentur.

16 Probat 2. Quia Parochus iure naturali, & diuino residere tenetur, vt per se curam animarum gerat. Sic habetur cap. *Extirpandæ. De præbend.* & quàmuis *in cap. Cum ex eo de elect.* concedatur, vt abesse possit ex iustissima causa, requirit tamen, vt diligentem vicarium relinquat. Quæ iura renouat *Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform. & Vrbanus 8. in suo Decreto de Residentia Pastorum.* Sed non dicitur verè residere, nisi per se deseruiat, & Sacramenta ministret. Ergo per se tenetur ministrare. Minorem docent *Graff. tom. 1. Consiliorum. Consil. 1. de Cler. non resid. n. 7. & lib. 2. decision. cap. 97. Corduba lib. 1. q. 19. Sà verb. Residentia n. 1. Couarub. cap. 13. n. 8. Vazquez in Opusc. de Benefic. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 1. n. 143. & art. 2. dub. 1. num. 181. Garcia de Benef. part. 2. cap. 2. n. 52. Possevinus cap. 1. n. 11. cum alijs. Indicat Trident. sess. 23. cap. 1. & Declaratio Cardinalium ibi.* Quapropter in cap. *Inter corporalia. De Translat. Episc.* dicitur illam Ecclesiam viduam esse, quæ licèt Pastorem habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Quis autem inutilior, quàm qui non deseruit Ecclesiæ? Vndè colligunt *Ioan. Sanch. sup. n. 4. Couarrub. n. 13. Corduba, Graffis, & alij,* Parochum non ministrantem Sacramenta per se ipsum, non facere fructus suos: Nõ in pœnam, quæ requirat sententiam iudicis, vt putauit *Garcia supra, n. 53.* nec solùm ex dispositione *Tridentini* supra, sed potissimum ex iure naturali. Beneficium enim datur propter officium virtuali

tuali contractu innominato. Quare qui per semetipsum non præstat Officium debitum, non potest fructus beneficij percipere.

17 Hæc posterior sententia videtur vera, quandò subditus vult à suo Parocho recipere Sacramenta & nõ ab alio, quòd in Sacramento Pœnitentiæ nonnunquam continget. Habent enim Parochiani ius ad obligandum Parochum, vt per se ipsum illis ministret Sacramenta, quæ moraliter possit, siquidem Parochum ipsum alunt suis decimis, & deputatum habent suarum animarum saluti. Prior verò sententia capienda est, quando Parochus remittit suos subditos ad Coadiutorem, vel ad alios Sacerdotes legitimam facultatem habentes etiam ex priuilegio, voluntariéque ministrantes, sine dispendio subditorum spirituali, & ipsi spontè consentientibus: tunc enim cedunt iuri suo sine detrimento proprio. Sic limitant suam sententiam *Suarius, & Bonacina supra*. Sic etiam sentit *Ioannes Sanchez num. 12. & 13.*

18 An autem Parochus teneatur adhibere Coadiutores, vt omnibus subditis Sacramenta petentibus satisfaciat? *Vazquez 3. p. to. 4. q. 93. art. 3. dub. 5. fine*, videtur obligare Parochum omni tempore prouidere de Ministris. Quam doctrinam restringit *Ioan. Sanchez disp. 47. n. 6.* ad solemnes festiuitates, & Iubilæa. Tunc enim si Parochus per semetipsum nequeat omnium subditorum cõfessiones excipere, tenebitur prouidere Ministros, qui petentibus satisfaciant. Debet enim ex munere suo tantæ subditorum vtilitati consulere.

CAP. I. QVÆST. III.

An teneatur Parochus cum periculo vitæ ministrare Sacramenta?

19 SVppono, cùm imminet vitæ discrimen Ministro, vel tempore pestis, aut Belli, vel ex inimicorum insidijs, vel ex itinere periculoso, Fidelesque petunt Sacramenta solùm ex deuotione, non teneri Parochum, nec alium Ministrum cùm tanto discrimine ministrare. Quia non datur sufficiens ratio subeundi tale periculum, vt notat *Fagund. Precep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 4.* Procedit ergo quæstio, quando fidelis indiget Sacramento propter instantem mortem. In qua.

20 Prima sententia docet debere Parochum cum discrimine vitæ subditis periclitantibus ministrare Sacramenta, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, ne subditis priuentur fructu Sacramentorum; Cùm teneatur Parochus ex iustitia subditorum saluti prospicere. Cæteros vero Sacerdotes solùm ex charitate teneri, quando timeretur, sine Sacramento damnandum infirmum. *Ita Sylvius 3. p. to. 2. q. 32. a. 3. Nuñus in Addition. q. 33. Diffic. 2.* qui contrariã sententiam vocat falsam & impiam. Probatur, nam obligatio iustitiæ, qua teneatur Parochus ad spiritualem salutem subditorum procurandam, vrgere videtur etiam cum periculo vitæ, quando subditi grauiter indigent Sacramentorum subsidijs. Quod latius expendit *Suar. to. 4. disp. 44. sect. 3. n. 6.*

21 Secunda sententia docet, nec simplices Sacerdotes, nec Parochos debere per se loquendo Sacramentum vllum ministrare cum periculo vitæ, nisi quando moraliter timetur æterna damnatio subditi, si discedat absque Sacramento. Probatur, quia cum homo possit per cõtritionem sine Sacramento saluari, non videtur tã grauis esse necessitas recipiẽdi Sacramentum, vt cogatur etiam Parochus vitam exponere pro Sacramentis ministrandis. *Ita tenent Armilla verb. Episcopus n. 6. Tabienna n. 5. Ferè consonat Maiolus lib. 2. de irregular. cap. 20. Fauet S. Thom. Opusc. de perfectione vitæ spiritualis, cap. 14. dicens*, in solo casu necessitatis extremæ debere vitam exponi pro salute spirituali proximorum.

22 Tertia sententia media distinguit iuxta necessitatem Sacramenti. *Maior in*

in 4.dist.17.qu.vlt.& dist.27.q.1. censet, teneri Parochũ periclitanti subdito ministrare Pœnitentiam (idem erit de Baptismo) cum periculo vitæ, vel contagij. Nam est Sacramentum necessarium necessitate medij, nec facilè habetur contritio. Quare vel extrema, vel grauissima reputari debet necessitas spiritualis petentis eo tempore tale remedium. Addunt *Nauar.c.24.n.10. & cap.25.n.133. Manuel to.1.sum.c.87.n.8. Villalob.tom. 1.trac.10. Diffic.6.n.7. Posseuinus cap.5. n.50.79. & sequent. & cap.8.n.51.* teneri similiter ad administrandam Eucharistiam cum discrimine vitæ. Nam Eucharistia quodammodo censetur esse Sacramentum necessitatis, quatenus infirmus fine viatico relictus exponitur magno periculo deficiendi. Parochus autem tenetur etiam graui necessitate subditorũ cum vitæ discrimine subuenire. At ad administrandam Extremam vnctionem cum vitæ periculo non teneri; quoniam hoc Sacramentum non est simpliciter necessarium.

23 Quoniam huius quæstionis decisio multum pendet ab obligatione charitatis, aliquas huius obligationis regulas breuiter perstringemus. Prima regula sit, charitas obligat quemlibet ad subuertẽdum extremæ necessitati spirituali proximi cum iactura bonorum spiritualiũ, & vitæ quoque discrimine. Censebitur extrema necessitas spiritualis, quando prudenter præuidetur, proximum damnandum in æternum, nisi iuuetur; nec habet alium, qui iuuet: Et vrgebit te præceptum charitatis, si constet auxilium tuum illi necessitati profuturum esse. Sic explicata regula. Probatur 1. ex Ioan.15. *Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Christus enim dilexit nos expendendo propriam vitam pro nostra spirituali salute, & 1. Ioan.3. dicitur. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quem locum expendit Augustinus lib. de Mendacio, cap.6. & concludit. *Temporalem vitam suam pro aeterna proximi non dubitabit Christianus amittere.* Probatur 2. Nam spiritualia bona sunt excellentiora, & Deo gratiora quolibet temporali bono etiã proprio. Ergo debent ex charitate præferri propriæ quoque vitæ. Sic tradunt *S.Thom.2.2.q.26.art.5. Bannez, Malderus, Aragon. & Caietanus ibi, Valentia to.3.disp.3 q 4.punct.3. concl.5. Reginaldus lib 4.n.359. Torres,2.secunda disput. 87.dub.2.concl.3. Azor to.2.lib.12.cap.4. Toletus lib.4.cap.10. Coninc.2.2.disp.25. num.86. Suarez de Charit.disput.9.sect.2. n.2. Bonac.de Decal.disp.3.qu.4.punct.4. n.2. Layman lib.2.tract.3.cap.3.n.3. Nauarrus cap.24 fine, Castro Palaus tom.1. trac.6 disp.1.punc.9.n.2. & 3.* Sit exemplũ, si populus in infidelitatis errore versetur, vel ab Hæretico Ministro decipiatur, aut pestis contagione laboret, omni Sacerdote Catholico destitutus, debeo cum propriæ vitæ periculo remedium adhibere, si possum.

24 *Addit Suar.3.p.to.4.disp.44.sect.3. n.7.* in hoc casu necessitatis extremę maiorem esse Pastoris obligationem, quam aliorum quoad Sacramentorum administrationẽ. Quia Parochus tenetur non solum ex charitate, sicut alij, sed etiã ex iustitia ratione sui muneris, quod obligat illum ad Sacramenta ministranda subditis indigentibus, & iuxta mensuram necessitatis. Ideoque si necessitas sit extrema, munus obligabit cum extremo discrimine. Sicut miles in bello pugnare tenetur ex iustitia cum discrimine vitæ. Consonant *Filliuc.tr.3.num.98. Valentia, & Bonac.supra,* qui colligunt indè Parochum ad plura obligari, quã alios, nimirum ad Sacramenta ministranda tempore pestis per semetipsum, si sic Episcopus iudicauerit. Videatur *Suar. supra num.8.10. & 12.*

25 Secunda regula sit, extra casum extremæ necessitatis, non teneris ex charitate, si non sis Pastor animarum, cũ periculo morali vitæ, vel amissionis membrorum, vel cum graui iactura bonorum fortunæ succurrere in spiritualibus proximo periclitanti. Quia ius conseruandi propriam vitam, & vitæ necessaria est maximè naturale. Non est ergo

post

postponendum necessitatibus proximorum passim occurrentibus, etiam grauibus. *Ita S. Thom. eo art. 5. ad 3. Valentia supra, Malderus concl. 2. Coninch. num. 96. Nauar. num. 12. Bonac. num. 4. Palaus num. 9. Sà verb. Charitas. num. 2. & 5.* Reipublicæ tamen, seu Communitati grauem necessitatem spiritualem patienti teneris etiam cùm periculo vitæ succurrere. Nam illa necessitas communis est grauissimum damnum, cui meritò postponi debet amissio vitæ particularis; nimirùm si scias, concionatorem seminare prauam doctrinam, pluresque fore peruertendos, nisi resistas etiam cùm graui discrimine, teneris obsistere. *Sic Suarez de Charitate disp. 9. sect. 2. num. 4. Coninch. 2. 2. disput. 25. num. 99. & 100. Bonacina sup. num. 5. Castro Palaus num. 10.*

26 Tertia regula sit. Pastor animarum tenetur cùm periculo vitæ succurrere graui necessitati spirituali cuiuslibet subditi, si moraliter speret, remedium profuturum esse. Nam obligatio muneris ad hunc casum extenditur ex implicito pacto, consensuque Doctorum, qui communiter asserunt ad plura, vel in pluribus casibus obligari Parochum, quàm alios. Sed alij obligantur in extrema necessitate. Ergò Pastores obligantur etiam in graui. *Sic docent S. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 5.* Et eius expositores ibi. *Suarez, & Bonac. sup. Valentia eo punct. 3. circa finem. Coninch. n. 101. Palaus n. 12.* Qui colligunt indè, si Minister hæreticus peruertat plebem, vel pestis grassetur in illa, non posse Pastorem fugere; quia multi grauiter egebunt Sacramentis, & alijs subsidijs spiritualibus, & bonus Pastor animam suã dat pro ouibus suis *Ioan. 10.* Quod testimonium expendunt Patres, & Doctores ad hanc veritatem confirmandam. Excipe, nisi Ministros alios sufficientes de Ordinarij consensu substituat, vt notant Valentia, Layman, Palaus supra; latèque declarant *Suarez 3. p. tom. 4. disp. 44. sect. 9.* & Ioannes de Chapeauille de modo ministrandi tempore pestis *cap. 1. quæst. 4.*

27 His positis dico 1. Baptismum tenetur Parochus infanti moribundo suæ Parochiæ ministrare cùm periculo vitæ. Nã ibi datur necessitas spiritualis grauissima, vel etiam extrema, cui non potest nisi per Baptismum subueniri. Colligitur ex prima, & tertia regula, supponuntque Doctores citati. Cæteros verò Ministros, qui Pastores non sunt, negant, teneri cùm vitæ discrimine baptizare puerum etiam moribundum, *Sotus de secret o, memb. 2. quæst. 2. post Sextam concl. & Sà verb. Charitas, num 4.* Quia dum Baptismus impeditur ab extrinseca causa, non est extrema necessitas per se, sed per accidens. Confirmatur; alias teneretur mater grauida permittere, se secari, vt filius in vtero existens baptizaretur, alioqui sine baptismo moriturus, quòd non est concedendum.

At verius affirmant, teneri etiam non Parochos ad baptizandum in eo casu, *Valentia, & Layman supra. Coninch. nu. 88. Palaus, n. 5. Suarez de Charit. disp. 9. sect. 2. n. 3. Bonacina de Decal. disp. 3. quæst. 4. punct. 4. num. 2.* Quia si verè subest extrema necessitas spiritualis, verè teneris subuenire cùm periculo vitę iuxta primam regulam, & impertinens est, à quo, vel quomodo proueniat necessitas, vt de obligeris. Vndè soluitur fundamentum oppositum. Ad confirmationem respondetur, illam sectionem fęminæ grauidæ, cùm sit eius occisio directa, nunquàm licere; quare nemo volet cùm peccato mortali proprio procurare baptismum alterius; ac subindè nunquàm moraliter obligabitur fęmina permittere sectionem, quæ moraliter non continget. Siquandò tamen in casu metaphysico vellet quispiam secare matrem ad baptizandum fętum vel ex ignorantia, vel ex malitia, patiatur illa mortem corporis ob æternam salutem suæ prolis.

28 Dico 2. Sacramentum Pęnitentiæ (idem est de baptismo adultorum) non tenetur Sacerdos, qui nõ est Pastor, cùm periculo mortis ministrare. Quia non

censetur extrema necessitas, quandò potest salus animæ per contritionem obtineri, quæ cùm diuina gratia possibilis est omnibus adultis. Quapropter hæc conclusio probatur ex secunda regula posita *num.25*. Et ex illa colligitur, si non sis Parochus, te non teneri tempore pestis, aut inuasionis hostilis, deficientibus etiam Parochis, cùm periculo propriæ vitæ sic oppressis Pœnitentiā ministrare (dùm tota communitas non periclitetur) sed fugere posse, vt communiter affirmant Doctores, *teste Palao tom.1.tract.6.disp.1.punct.9. num.6.*

Excipe 1. nisi conuenientibus medijs adhibitis ad euitandum contagionis periculum, hoc valdè minuatur, & circumstantijs personarum perpensis, periculum damnationis ipsarum augeatur, quòd prudenter attendendū est ad obligationem charitatis diiudicandam. Excipe 2. si quis morti proximus confessarium petat, & sit ita rusticus, vel ignarus, vt omninò nesciat elicere contritionem: Tunc enim debes, nec Parocho, nec alio succurrente, confessionem eius excipere cùm periculo vitæ. Nam huic Difficillimum est, seu moraliter impossibile contritionem habere; Quare reputatur eius necessitas extrema. *Sic notant Nauarrus, Valentia, Suarez, Bonacina supra, Coninch. num.90.*

29 Dico 3. Parochus per se loquendo tenetur cùm periculo vitæ Sacramētum Pœnitentiæ periclitantibus ministrare. Quamuis enim non sit necessarium in re, sed sufficiat in voto, tamen contritio, quæ votum est Baptismi, vel Pœnitentiæ sic est difficilis, vt magno periculo proximus exponatur, si cùm hoc solo remedio relinquatur; præsertim dum morti proximum infirmitas debilitat, timor damnationis conturbat, Dæmon acrius oppugnat. Quare si non sit eius necessitas extrema, saltem est ita grauis, vt sufficiat ad obligandum Parochum iuxta tertiam regulam positā *nu.26* Sic docent Doctores primæ, ac tertię sententiæ. *Consonant Suar.3.p.to.4.disp.44.sect.3.Fillluc.tract.1.n.99.Layman li.5.tract.6.cap.13.q.3. Castro Palaus tom.4.tract.23.punct.18.§.1.n.5. Posseuinus c.5.n.50.& 79.* Qui notant 1. posse, debereque Parochum conuenientibus vti remedijs ad suam mortem euitandam, scilicèt vestibus cōtrà temporis intemperiem, armis contra inimicos, pharmacis præseruantibus contra contagiū, curareq; simul, vt dum infectos audit, ipse sit in loco libero, vel aere non infecto. Quare vel infirmus è lecto, vel è cubiculo egrediatur, vel portetur ad fenestrā, Parocho foris stāte, vel si nihil simile fieri possit, dicat alta voce saltem illa peccata, quæ sine nota potest, & faciet confessionē formaliter integram. Si nec hoc velit, aut possit infirmus, accedat Parochus, & ne longa mora maius ingerat periculum contagij, moneat pœnitentem, vt statim dicat peccata grauiora, cœteris omissis. Videantur *Suarez, & Layman supra, Maior in 4. dist.23.q.1. Chapeauille de tempore pestis cap.1.q.9.& c.3.q.29. Zambranus de mortis articulo cap.4.dub.6.*

Notant 2. si Parochus moraliter certus sit, infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, vel esse benè dispositum ad mortem, vel antè moriturum, quàm ipse perueniat; & alioqui periculum mortis in Parocho esset euidēs moraliter, excusari probabiliter ad administratione: præsertim si sit solus, & eo deficiente non speretur facilè reperiendus successor; tunc enim commune bonum valdè præponderat. *Ita Suarez, & Filliucius sup. Posseuinus n. 81.& 82.*

30 Dico 4. Sacramentum Eucharistiæ vix vnquam tenebitur Sacerdos, qui non est Parochus, cùm periculo vitæ ministrare. Quia vix vnquam erit medium simpliciter necessarium ad salutem, aut vix vnquam constabit talis necessitas. Ideò tales Sacerdotes liberat ab hac obligatione Castro Palaus *tom.4. tract.21. punct. 20. num.2.* Quin etiam Parochum non teneri cùm periculo mortis Eucharistiam ministrare subdito, qui iam confessus est, nisi valdè dubitaretur de salute morientis, d

cet *Molfesius tom.1. Summ.tract.4.cap.3.num.52.* Probabilius tamen est. Parochum absolutè teneri (excepto casu posito num. præcedente) Nam Eucharistiæ receptio medium est moraliter necessarium ad salutem animæ, vel quatenus auxilium, quòd Eucharistia confert, reputatur moraliter necessarium ad salutem animæ conseruandam cùm perseuerantia finali, vel etiã quia potest Eucharistia conferre primam gratiam, quam imperfecta pœnitentia prius non contulit. Quod magis vrget, si non possit infirmus confiteri: Fructus etiam Eucharistiæ præferendus est multis incommodis temporalibus; & hæc omnia simul sumpta constituunt necessitatem valdè graue, cui debeat Parochus subuenire cum periculo contagij, vel mortis. Ita præter Doctores tertiæ sententiæ tenent Suarez, Filliucius, & Palaus supra. *Valentia tom.3. disp.3. quæst.4. punct.3. Suarez tom.4 disp.44. sect.3. num.17. Filliuc. tit.3. num.99. Ioan. Sanchez disput.27. num. 16. Diana part.3. tract. 4. Resol. 174. Auersa 3. part. quæst.64. sect.7.*

31 Dico 4. Extremam Vnctionem tenetur Parochus ministrare tempore pestis, si possit sine morali vitæ periculo, & ad hoc præcauendum adhibere media conuenientia: nimirum infirmum in loco patenti collocando, sumendo præseruatiua, vngendo virga oblonga, ministrandoque solùm in Ecclesia. Nam obligatio Pastoralis cogit, dum fine manifesto periculo potest, subditos non priuare fructu Sacramenti. *Sic Suarez supra, num.20. Filliucius num.100. Palaus tom.4. tract.16. punct.8. num.5.* Si tamen periculum contagij vitari non possit, vel simile vitæ discrimen, & infirmus aliud Sacramentum recipere nequeat; nec moraliter constet, illum sine Sacramento saluandum, tenetur Parochus extremam vnctionem cùm vitæ discrimine ministrare. Quia tunc Vnctio tàm est necessaria saluti, quàm Pœnitentiæ Sacramentum, quòd diximus n.29. ministrandum a Parocho cùm periculo vitæ. Sic docet *Ioan. Sanchez supra.* Sacerdos verò non Parochus nõ tenetur Vnctionem cùm tali periculo ministrare; nisi forsan infirmus, qui nullum aliud Sacramentũ recipere potest, adeò sit ignarus contritionis, vt moraliter nequeat illam elicere; sicut in simili dicebamus, *num.26.* Si demum infirmus aliud Sacramentum recipiat, & periculum ministrandi præcaueri non possit, non tenetur Parochus cùm vitæ discrimine Sacramẽtum vnctionis ministrare, quia non est medium necessarium salutis. *Ita Suarez, & Filliuc. sup. Possevinus c.9. n.41. Diana p.3. tract.4. Resol. 174.* Sic intelligendæ sententiæ relatæ. Sic ipsarum fundamenta capiẽda sunt.

CAP. II. QVÆST. IV.

Qualis debeat esse dispositio Sacramenta ministrantis ex officio?

31 SVppono 1. Fidem, aut probitatem Ministri non esse necessariam ad validam Sacramenti ministrationem, sed æquè per malos Ministros, vel hæreticos, ac per bonos, & Catholicos Sacramenti virtutẽ conferri. *Sic docuit Augustinus lib.3. de Baptismo cõtra Donatistas, & lib.6. c.1. Gratianus in cap. Rebaptizare, & sequentibus. De Consec. dist.4. Conc. Constantiense, cap.8. Tridentinum sess.7. can.12. de Sacramentis. Magister in 4. dist 5. S. Thom. 3. p. q.64. art.5. Vbi Caietanus, Pesantius, Vazquez, Coninch, Suarez to.3. disp.13. sect.4. Bellarminus de Sacram. lib.1. c.26.* & alij communiter. Ratio sumitur ex voluntate Christi, qui noluit suorũ Sacramẽtorum valorẽ, & efficaciam ex fide, vel probitate Ministri pẽdere; quòd à Patribus, & Concilijs per traditionem accepimus.

Suppono 2. quadruplicem distingui Ministrum sacrarum functionum. Primus est per se, vel ex officio, quia scilicet est consecratus ad tale ministerium, vt Sacerdos ad celebrãdum, Diaconus ad canendum Euangelium solemniter &c. Secundus est non conficiens Sacramen-

tum, sed coadiuuans tantùm, vt Diaconus, & Subdiaconus adiuuant Sacerdotem celebrantem. Tertius est conficiens verè Sacramentum, vt Sacerdos celebrans, baptizans &c. Quartus est per accidens, vt laicus in necessitate baptizãs, vel tonsuratus canens epistolam non solemniter. De singulis sigillatim dicemus.

Suppono 3. Ministrum per se, vel ex officio verè conficientẽ Sacramentum, debere se disponere ad gratiam, si conscientiã habeat peccati mortalis, quando Sacramenta ministrat, secus graue sacrilegium committet. *Ita S. Thom. supr. art.4. Et 6. Caietanus, Nuñus, Pesantius ibi. Henriquez lib.1. cap.29. n.2. Valentia to.4. disp.3. q.5. punct.3. Suarez 3. p. to.3. disp.16. sect.3. Fillinc. tract.1. n.86. Vazquez 3. p. disp.136. cap.1. & sequentibus, Coninch. p.64. art.6. dub.1. Bonacina disp.1. q.3. punct.2. §.1. n.2. Layman lib. 5. tract.1. ca.5. n.7. Possevinus cap.5. n.53.* cùm alijs. Habetur in iure, cap. fin. de Cohabit. Cleric. & mulier. *cap. omnia 1. q.1. cap. fin. 15. q.8* Ratio sumitur partim ex sanctitate, ac dignitate Sacramenti, quòd conficere, seu ministrare in peccato mortali, velut sordidum instrumentum principalis agentis summè sancti, magnam continet irreuerentiam; cùm sancta sanctè tractanda sint, ea potissimum, quæ ad homines santificandos destinata sunt. Partim ex sanctitate, ac dignitate muneri Sacerdotalis: Est enim Sacerdos publicus Ecclesiæ Minister in eum finem per ordinationis gratiam institutus, vt causa sit sanctificationis Fidelium. Igitur ratione suæ consecrationis, & status suscipit specialem obligationem decenter obeundi munus suum, & dignè Sacramenta ministrandi.

33 Hinc fit 1. dari præceptum in Ecclesia non ministrandi Sacramenta cùm conscientia peccati mortalis, vel latum à Christo, vel ab Apostolis, vel, quòd est verosimilius, ex ipsa rei natura prouenniens, posita semel institutione Sacramentorum, vt esse certum inter scholasticos testatur *Vazquez supra, cap.2. Fit* 2. falsam esse prorsus illorum sententiã, quos tacito nomine refert *Petrus de Ledesma de Sacram. cap.6. post 7. concl. dub.* 3. dicentium, attritionem esse sufficientem dispositionem ad Sacramentorum administrationem: Cùm enim attritio non constituat peccatorem in gratia Dei, nec excludat peccatum, non confert illam sanctitatem, quę sanctissimum deceat ministerium. *Ita Ledesma sup.* docens cùm omnibus, requiri contritionem, vel attritionem cùm confessione præmissa. Fit 3. sacrilegium ministrantis cùm consciẽtia peccati mortalis eo grauius esse, quo grauioribus peccatis innodatur Minister, vel quo dignius Sacramentum ministrat. *Ita Villalobos tom.1 tract.4. Diffic.14. Ledesma sup. dub.1. &* 2. vbi subdit, esse declarandum in confessione, quale Sacramẽtum in peccato ministratum fuerit; quia notabiliter aggrauat maior excellentia Sacramenti. Verùm in hoc non assentior, quia multò probabilius reputo, circumstantias etiam notabiliter aggrauantes non esse necessariò confitendas.

34 Restat Difficultas. An ministraturus Sacramenta, qui conscientiam habeat peccati mortalis, debeat præmittere confessionem? *Affirmant Marsilius in 4. quæst.12. art.1. part.5. casu 6. Adrianus in 4. quæst.3. de Confessione.* Nimirùm vt certiori modò, quo possit, se constituat in gratia. Negant tamen communiter Doctores supra *relati num. 32. & 33. Suarez ea sect.3. Henriquez, num.3. Layman, num.11. Vazquez, num. 1. & 2. Ledesma, dub.3. Villalob. num. 2. Bonac. num.3.* qui citant alios. Probatur. Quia nullum extat præceptum præmittendi confessionem antè Sacramentorum administrationem; Nec tenemur semper maiorem certitudinem iustificationis procurare. Sufficit ad contritionem conari, donec Minister probabiliter existimet, se diuinam gratiam recuperasse.

CAP.

CAP. II. QVÆST. V.

An habens conscientiam peccati mortalis excusetur interdum ab obligatione disponendi se per gratiam ad Sacramenta ministranda.

35 Negare videtur Petrus *de Ledesma tract. de Sacram. cap. 6. post concl. 7. dub. 8.* dicens, in nullo casu, nullaque necessitate peccatum excusari ministrantis in mortali. Quia semper violatur ius diuinum præscribens, vt Minister ex officio disponatur per gratiam ad sancte ministrandum, in quo dicit conuenire *Thomistas omnes. Villal. to. 1. trac. 4. diffic. 14. n. 3.* censet, ob impotentiam nunquam moraliter excusari Ministrum ab elicienda contritione, cum hæc possit elici breuissimo tempore; præsertim si ministrandum sit Pœnitentiæ Sacramentum, dum auditur confessio, poterit confessarius elicere contritionem.

36 Alij nonnullas excusationes admittunt, quas sigillatim expendemus. Prima contingit, si Minister putet inuincibiliter, se contritum esse, cum verè sit duntaxat attritus; tunc certè per ignorantiam excusatur. Nam obligari non potest homo, nisi vt humano modo operetur; dum autem inuincibiliter iudicat, se contritum esse, non potest moraliter vlterius obligari, cum non possit ignorantiam inuincibilem depellere, nec euidentiam habere suæ contritionis. Ita *Suarez tom. 3. disput. 16. sect. 3. Fillucius tract. 1. num. 86. Henriquez lib. 1. cap. 29. num. 2.* consentit ipse *Ledesma supr. dub. 3. conclus. 2.* dicens, in hoc omnes conuenire.

37 Secunda contingit, quando grauis vrget necessitas nimirum baptizandi, vel absoluendi quempiam sine Baptismo, vel Pœnitentia decessurum, nisi mox baptizetur, vel absoluatur, & vnicus adsit Sacerdos, qui conscius sibi peccati mortalis non possit statim excitare contritionem; nam affixus inueterato vitio non potest vacare motiuis perpendendis ad illud detestandum; & ipsa præsens festinata turbatio diuertit animum à necessaria consideratione. Tunc non solum posse, sed etiam teneri Ministrum conferre Sacramentum, quamuis sit in peccato, docent *Coninch 3. par. quæst. 64. num. 22. Vazqu. 3. par. disputat. 136. num. 27. & 40. Laym. li. 5. trac. 1. cap. 5. num. 8.* qui referunt alios. Probatur, quia cessat irreuerentia Sacramenti propter celerem eius administrationem, & proximi necessitatem, cui mox subuenire debemus. Vnde respondetur ad fundamentum positum *num. 35.* præceptum diuinum Religionis cedere tunc præcepto charitatis, & licet contritio per se breuissimè possit elici, tamen ab homine perditissimo, qui magis terrore, quam amore mouetur, vix post diuturnam considerationem elicitur, ne dum occasione tam subita. Quare *Nuñus 3. parte quæst. 64. art. 6. diffic. 1.* dixit, omnes in hoc conuenire, quod Minister necessitatis non peccat in peccato ministrans. At hoc intelligendum est de Sacramentis omnino necessarijs ad salutem: Nam alia non debent ministrari nisi per Ministrum existentem in gratia, quamuis vrgeat articulus mortis, vt omnes fatentur, & notat *Vazquez supra numero 41.*

38 Tangit Villalobos sup. difficultatem aliam. An scilicet Minister habens conscientiam peccati mortalis, teneatur elicere contritionem, antequam incipiat administrationem Sacramenti; vel satisfaciat præcepto, si contritus perficiat Sacramentum: nimirum in Baptismo, dum profert formam, in Extrema Vnctione, dum adhibet Vnctionem vltimam, & sic in alijs? Generaliter affirmandum est, quia totum illud opus est sacrum, & tendit ad sanctificationem recipientis, ac subindè prærequirit sanctitatem ministrantis; & ita peccaret mortaliter qui vel abluere, vel vngere inciperet in mortali. Sic *Suar. 3. p. tom. 4. disput. 28. sect. 1. Possevinus cap. 5. num. 41. Auersa de Sacram. q. 64. sect. 4 Cardin. de Lugo de Sacr. disp. 8. num. 158.* Excipiunt

aliqui confessionem, quàm dicũt, audire posse Confessarium in mortali, dum habeat propositum conterendi, priusquàm absoluat. Quoniam audire cõfessionem nõ est tàm agere, quàm pati; quare Confessarius audiens propriè non exercet actionem sacramentalẽ. Sic censent *Henriquez lib.6.cap.18 n.6.lit.V. Diana part. 1. tract.7. Resol.47. Auersa de Pœnit.q.16. sect.10 Cardin. de Lugo sup.* & est sententia probabilis. Sed mihi probabilior videtur opposita, quàm tenent *Suarez, & Possevinus sup. Bonac. de Sacram. disp.5. q.5. sect.2.§.3. Diffic.2.n.8.* Nam ad totũ Sacramenti ministerium accedere debet Sacerdos in statu gratiæ. Sed auditio confessionis verè pertinet ad Sacramẽtum, cuius materiam tunc exhibitam, Sacerdos iudicialiter percipit, & discernit. Ergo debet esse in statu gratiæ, dum audit, alioqui grauiter peccabit.

Addit Suarez, in necessitate audiendi moribundum excusari posse Confessarium, dum attendens pœnitenti, non elicit cõtritionem, donec absoluat; & tunc etiam ob vrgẽtissimam causam, scilicet absoluendi morientem, excusari nonnunquam ex inaduertentia; si tamen aduertat, vix moraliter vnquam excusandum, cum interior contritio citissime possit haberi. Equidem in bene moratis assentirer; at malè morati non ita cito mouentur ad contritionem, cui non sunt assuefati. Fateor adhuc plerumq; tunc inaduertentiã, & perturbationẽ excusare.

39 Tertia ponitur excusatio, vel exceptio; quando Sacerdos extrà Missam ministrat Eucharistiam ex Hostijs præconsecratis. Tunc enim non peccare mortaliter sic ministrantem cum conscientia peccati mortalis; asserunt *Vazquez 3 p. disp.136. cap.3. n.36. Nuñus 3.p. q.64. art.6. Diffic.1. concl.2. Syluius in eodem articulo, Cabrera ibidem disp.1.§.5. n.17. Henricus quodlib.6.q.30. Martinus de Ledesma, Petrus de Ledesma, Petrus de Reyna, Ioannes de la Cruz apud Dianam part.2. tract.14. Resol.23. & tract. 17. Resol.13.* qui censet esse sententiam probabilem. Probatur, nam hæc actio non est propriè Sacramentalis, cùm per illam non fiat Sacramentum, sed iam factum dispensetur; ac subindè sic ministrans non concurrit ad iustificationem proximè, sicut in alijs Sacramentis, sed solùm est velut applicãs actiua passiuis. Quare non videtur grauem irreuerentiam irrogare, si distribuat Eucharistiam in peccato mortali.

Confirmatur 1. Nam alias Diaconus, imò laicus in necessitate ministrans Eucharistiã cùm conscientia peccati mortalis, peccaret mortaliter, quod non videtur admittendũ. Confirmatur 2. Quia siquis peccator Eucharistiam eleuet à terra, vel deferat in supplicatione solemni, vel transferat à loco in locum, non peccat mortaliter. Ergo nec illam ministrans: Hoc enim ministerium nudũ non in voluit, nisi contractum illarum specierũ, quæ deferuntur ad ora recipientium.

40 Multò probabilius est, peccare mortaliter sic ministrantem in mortali, Sic tradunt Doctores communiter in 4 *S. Thom. dist.5. q.2. a.2. quæstiunc. 4. ad 2. Palud. dist. 13. q.1. Sotus ibi q.1. a. 3. Suarez to.3. disp. disp.16. sect.4. & disp. 72. sect.4. Sayrus, Valentia, Coninch. Chamerota, Reginaldus, quos sequitur Bonacina disp.1. q.3. punct.2. §.1. n.13. & 14. & disp.4. q.5. punct.2. n.1. Richardus Filliucius, Villalobos apud Dianam sup. Fagũdez Pracept 3. lib.3. cap.3. n.10. Layman l.5. tract.1. cap.5. n.7. Trullench. de Sacram. lib.1. cap.3. dub.3. n.9. Lessius 3. p. q. 82. n.16.* Fauet *Nicolaus Papa in cap. finali 15. q.8.* dicens, adulterum Sacerdotem ministrando sacram Eucharistiam se tantummodò lædere, & vnde alijs commodum exhibet, indè sibi dispendium præbere. Probatur, nam hæc est administratio Sacramenti, dispensatioque Dominici corporis, ac subindè grauissimum ministerium proximè tendens ad sanctificationem animarum, quibus communicantur Christi merita, & ipse Christus sacramentaliter vnitur. Ergo requirit in Ministro puritatem, cùm verè distribuat nomine Christi, & sit ad hoc munus specialiter deputatus.

41 An autem in peccato distribuens Eucharistiam multis, vnicum peccatum committat? Affirmat *Filliucius tract. 4. n. 171. Henriquez lib. 1. cap. 29. n. 4. lit. S. Manuel in summ. verb. Missa cap. 249. concl. 26.* cùm enim sit vnica actio continua, censetur moraliter vnum peccatum. *At Coninch q. 64. n. 35 Bonacina eo §. 1 n. 15. Possevinus cap. 5. n. 59. dicunt*, tot peccata mortalia committere, quot Hostias diuersis distribuit. Quia verè sunt plures Sacramenti ministrationes, & plures actiones prauæ cōpletæ, quamuis continuè, seu consecutiuè fiant. Secus si dentur vni plures Hostiæ cōsecratæ simul, tunc enim esset vnica ministratio. Mihi videtur si quis ab initio voluit multis Eucharistiam ministrare cum conscientia lethali, commisisse quidem vnicum peccatum æquiualens multis. Si tamen circa singulos habuit distinctas volitiones, plura commisisse peccata. Semper tamen in confessione declarandus erit numerus communicantium, vt dicemus libro 6.

42 Ad fundamentum oppositum respondetur; Etsi ministrans duntaxat Eucharistiam, non cōficiat Sacramentum, solam tamen Eucharistiæ ministrationem esse grauissimum, & sanctissimum ministerium, ad quòd sanctè perficiendum consecrantur Sacerdotes, & deputantur pro casu necessitatis Diaconi. Quapropter vtrosque, si ministrent cùm conscientia lethali, reos esse culpæ grauis, asserunt Doctores *nu. 40. relati*. Vnde respondetur ad primam cōfirmationem, etiam Diaconum peccare mortaliter, si ministret Eucharistiam in peccato mortali, cùm sit Minister ad id ex officio deputatus. De laicis autem idem erit, ac de laico baptizante in necessitate, de quo dicemus infrà q. 7. Ad secundum Confirmationem nonnulli negant antecedens; concesso tamen cùm *S. Thom. in 4 dist. 24. q. 1. a. 3. quæstiun. 5. ad 4. Suario supra disp. 72. sect. 4. Bonacina ea q. 5. punct. 2. n. 2.* & alijs, negamus consequentiam. Quia diuersum est tangere Sacramentum, ac ministrare. Tactus solus etiam cùm conscientia lethali non continet grauem irreuerentiam; ministratio semper continet grauem iniuriā.

CAP. II. QVÆST. VI.

Qualis debeat esse dispositio Sacras functiones exercentis.

43 Prima sententia docet, peccare mortaliter peccatorem conficientem Sacramentalia, vel exercentem actus Ordinis sacri. V. g. si Diaconus, vel Subdiaconus cùm conscientia peccati mortalis in Ordine suo ministrent. Similiter si Sacerdos nuptias, aquam, populū interdùm cùm venerabili Sacramento benedicat. Si conferat Episcopus primā tonsuram, si benedicat oleum, si Virgines, altaria, templa, chrisma, sacra vasa consecret. Probatur, nam indignè tractat munus sacrum, ad quòd est vi consecrationis deputatus, & subindè committit sacrilegium, quod est peccatum ex genere suo mortale. Confirmatur ex cap. *Quæsitum de temp. Ordin.* Vbi Gregorius Papa decernit. Clericos peccatores esse monendos, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent. *Ideo S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. a. 3. quæstiunc. 5.* generaliter statuit, peccare mortaliter eum, qui sacrum Officium ex ordinatione sibi competens exequitur in peccato mortali; quoniam indignè tractat res sacras. Sequuntur *Caietanus 3. p. quæst. 64. a. 3. ad 1. Nauarrus cap. 25. num. 72. & cap. 27. num. 163. Angelus Clericus 8. §. 1. Syluester, Clericus 2. num. 2. Victoria de Sacram. quæst. 29. Sà verbo Ordo num. 31. Sayrus cùm multis lib. 2. de Sacram. cap. 7. quæst. 1. art. 1. & 5.* Quin Angelus, & Syluester asserunt, Clericum affectum lethali culpa peccare mortaliter tangendo rés sacras, vt calicem, corporalia, vestes &c.

44 Secunda sententia probabilior docet, Ministrum non conficientem, nec

 mini-

miniſtrantem Sacramentum, quamuis exerceat miniſterium Ordinis ſui proprium in ſtatu peccati mortalis, non peccare mortaliter. *Ita Sotus Valentia, Vazquez, Fillincius, Coninch. Fernandez de Heredia, Ioannes de Cruce, Cabrera. Syluius, Granado, Hurtado, Præpoſitus, Mœratius, Tannerus, quos ſequitur Diana part. 3. tract. 4. Reſol. 195. & 196. & tract. 6. Reſol. 67. & part. 5. tract. 13. Reſol. 73. & part. 8. tract. 1. Reſol. 7. Suarez tom. 3. diſp. 16. ſect. 3. Bonac. de Sacram. diſput. 1. quæſt. 3. punct. 2. §. 1. num. 4. Villalobos tom. 1. tract. 4. Diffic. 14. Poſſeuinus cap. 5. num. 61. Trullench. lib. 1. de Sacram. cap. 3. dub. 3. num. 6. Auerſa 3. part. quæſt. 64. ſect. 4.* Probatur; nam exercitiū Ordinum, aut ſacrarum functionum præciſa Sacramentorum adminiſtratione, non eſt opus in ſe tam ſanctum, vt inducat graue obligationem exercendi tale miniſterium in gratia. Nec ex Patrum, vel Eccleſiæ traditione colligi poteſt, mortalem irreuerentiam à Clericis committi per indignum exercitium illarum functionum, quæ proximè non tendunt ad ſanctificandam animā ex opere operato. Confirmatur; quia non exſtat ſpeciale præceptū exercendi ſacras omnes functiones in gratia. Nam Scripturæ, Canones, & Pontifices ſufficiēter intelliguntur de Miniſtris conficientibus, vel miniſtrantibus Sacramenta; nec extendendi ſunt ad alias actiones, qua non ſunt immediatè ſanctificatrices.

45 Hinc colligit. *Vazquez 3. part. diſp. 136. num. 45.* nec veniale peccatum cōmitti per huiuſmodi miniſterium in ſtatu peccati. Quia nullum peccatum etiam veniale dari poteſt, quin ſit cōtra præceptum aliquod, vt ipſe tradit. 1. 2. *diſput. 143. cap. 3.* Cùm ergo non detur hic præceptum, nullum erit peccatum. Confirmat; Quia ſiquod peccatum committeretur, non eſſet veniale, ſed mortale, cùm materia ſit grauis: Alioquin Diaconi, vel Subdiaconi ſuſpenſi, vel excommunicati non peccarent mortaliter exercendo ſolemniter actum Ordinis ſui, nec incurrerent irregularitatem, quod nemo concedet. Quòd ſi tales functiones exercere contrà præceptum Eccleſiæ meritò reputatur mortale peccatum, cur mortale non eſſet, ſi fierent contra præceptum aliquod naturale prohibens tale miniſterium in ſtatu peccati mortalis? Nec enim maioris vigoris eſt præceptum humanum, quā naturale circa materiam prorſus eandem.

46 *Suarez verò ſupra, Coninch. 3. par. quæſt. 64. num. 38. & 39. Petrus de Ledeſma de Sacram. cap. 6. poſt concl. 8. dub. 6.* certum reputant, ibi dari veniale peccatum irreuerentiæ contra naturale præceptum ſanctè tractandi res, & actiones ſacras: quod alij cōmuniter ſupponunt, & mihi fit veroſimilius. *Conſonat S. Tho. in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. dicens*; quod quicunque in peccato mortali ſe Miniſtrum exhibet Eccleſiæ in quolibet ſpirituali, peccat. Ad fundamētum oppoſitum dicimus, dari præceptum naturale reuerendi res ſacras, & ſancta ſanctè tractandi. Ad Confirmationem negamus ſequelam: nam hæc materia reſpectu præcepti naturalis cenſetur leuis, etſi poſſit illam Eccleſia ſub peccato mortali prohibere ob ſpecialem finem, puniendi ſcilicèt excommunicatum, aut ſuſpenſum, & eius contumaciam conterendi. Sicut licèt citrà neceſſitatē comedere ſæpius in die ſit veniale peccatum contrà temperantiam; ſi fiat tamen contrà prohibitionem Eccleſiæ præſcribentis ieiunium, eſt ſufficiens materia peccati mortalis. Similiter voluntaria diſtractio recitantis preces Canonicas contra præceptum naturale ſolùm eſt veniale peccatum; at contrà præceptum Eccleſiaſticum recitandi mortale reputatur.

47 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, intrà latitudinem ſacrilegij dari materiam leuem, quæ non excedat culpam venialem, eo tamen grauiorem, quo miniſterium fuerit magis ſacrum. Ad confirmationem reſpondetur, illum textum loqui de Clericis

omni-

omnibus, vnde minorum etiam Ordinum exercitium comprehēdit, quod nemo dicit esse mortale, quamuis fiat in peccato mortali. Quare vel sacerdotibus duntaxat prohibet ministerium suorum ordinum: *Sicut etiam cap. fin. dist. 33.* cœteris vero Clericis astrictis graui culpa solum interdicit ascensum ad superiorem ordinem, ne scilicet Sacramētum ordinis in peccato recipiant, vt explicat Vazquez; vel solum exponit naturalem obligationem, qua sub interminatione quoque diuini iudicij prohibentur omnes irreuerenter ministrare. Quanta vero sit huius irreuerentiæ culpa, non definit ibi Pontifex, sed ex obiecto, seu materia diiudicandum relinquit, vt intelligit Suarez.

48 Verum ad particularia descendamus. Et primo ministerium ordinū minorum cum consciētia peccati mortalis exercere, non esse mortale peccatū, fere certum est apud omnes supra relatos. Quia leuis est materia, cū valdè remote conferat ad sacrificium, vel administrationem Sacramentorum. Itē est opinio probabilis, ordines minores non esse Sacramenta, sed sacramētalia quędam. Vnde *Sotus in 4. dist. 24. qu. 1. artic. 4. ante concl. 8.* etiam à veniali culpa tale ministerium excusat, quod non refellit *Filliuc. tr. 1. n. 87.* Suar. vero docet, excusari frequenter ex ignorantia, vel inaduertētia naturali; per se tamen nonnullam irreuerentiam cōtinere, quando fit solēni ritu tanquā à publico Ecclesiæ Ministro.

49 Secundò tangere Clericum cum conscientia peccati mortalis res sacras, Calicē, Patenam, corporalia, vel similes non esse mortale, certissimum reputant *Suar. sup. Bonac. n. 6. Sayrus l. 2. c. 7. q. 2. ar. 1.* circa finem; nam est materia leuis. Addit Coninch. nō solum non peccare, sed potius actum honestum facere, qui quamuis conscius sibi sit peccati mortalis, lapsam Eucharistiam reuerenter eleuat, quia potius cooperatur ad maiorem Eucharistiæ reuerentiā. Consonat *Henriqu. lib. 1. cap. 29. num. 4. lit. X.*

50 Tertiò Diaconum, & Subdiaconū solemniter ministrantes in mortali, peccare mortaliter, canendo videlicet Euāgelium, & Epistolam, probabiliter affirmant Doctores primæ sententiæ. Petrus *de Ledesma eo dub. 6. concl. 2. & 3.* Subdiaconum excusat à mortali, nō vero Diaconum; quia proximius accedit celebrationi. Probabilius tamen est, neutrū peccare mortaliter. Nam actus illi nō procedunt ex speciali consecratione, sicut procedit administratio Sacramētorū ex officio facta. Sic censent DD. secundæ sententię, pręsertim quos refert, & sequitur *Diana p. 3. tra. 4. Resol. 195. Suar. autem, & Filliuc.* hoc limitāt, dūmodo fiat sine contemptu, vel scandalo semel, aut iterū; secus si quis consuetudinē habeat, aut intentionē sic frequenter ministrādi cum conscientia lethali. Nam illud obiectum ita sumptū graue videtur, & illa consuetudo, vel propositū oriri videtur ex quodam contemptu formali, seu virtuali. Quare probabilius iudicant, in eo casu committi peccatum mortale. Videatur etiam *Layman lib. 5. tr. 1. cap. 5.*

51 Hanc limitationē refellunt Vazq. Bonac. Coninc. Quia velle sæpè peccare venialiter non constituit mortale, nisi quando ratione læsionis illatæ, vel alia simili causa materia violationis continuatur, vt contingit in furtis minimis, in comestionibus paruis intra diē ieiunij, vel similib., quod non euenit in præsenti. Nam actus illi planè separātur inter se, nec relinquunt effectum post se, ratione cuius prior coalescat cū posteriori. Porro contemptum virtualē non facere de veniali mortale, censet *Vazq. 3. p. disp. 136. n. 47. Coninch. vero negat,* hic reperiri contemptum virtualem, aut implicitū; Sicut non includitur in frequentatione mēdacij iocosi, vel verbi otiosi, similisve venialis culpæ; Non. n. hic apparet maior ratio, quā in alijs. Vnde cōcludit, Diaconum, & Subdiaconum exercēres in mortali sua ministeria solemniter, & frequenter solum venialiter peccare cōtra naturale præceptum, vt diximus *sup. n. 46.* Quod videtur verosimilius.

52 Quartò circa sacramētalia, Presb. bene-

benedicens aquam sal, panem, fructus, cidonium, naues, &c. conscientia lethali non peccat mortaliter: secluso semper scandalo, vel contemptu. Nam hæ functiones, cum proximè non ordinentur ad sanctificationem animarum, non ita grauiter exigunt internam Ministri sanctitatem. Vnde refelluntur *Nauarrus de Horis Canon. cap. 6. n. 41. Sayrus de Sacram. lib. 2. cap. 7. q. 1. a. 5.* docentes oppositum. Similiter Episcopus in mortali benedicens aras, vestes, vasa sacra, vel Templa non peccat mortaliter. At *Petrus de Ledesma eo cap. 6. dub. 10. concl. 3. & Nuñus 3. p. q. 64. art. 6. diffic. 2. concl. 3.* volunt, Episcopum consecrantē Chrisma, vel oleum in mortali, peccare mortaliter. Quoniam hæc ex institutione diuina proximè referuntur ad Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Vnctionis. Addit *Medina cod. de Pœnit. tract. 1. q. 6.* circa finem, Ecclesiæ consecrationem in mortali mortale peccatum esse; quoniam est actio valdè grauis. Doctores verò secundæ sententiæ censent, eandem esse rationem horum, quia non sunt actiones Sacramentales, nec proximè sanctificatrices animarum. Videantur *Villalobos supra n. 6. Possevinus n. 62. Castro Palaus to. 4. tract. 18. punct. 6. n. 4. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 67. & part. 5. tract. 13. Resol. 73. & part. 8. tract. 1. Resol. 7.* Verùm in praxi benedictio Chrismatis, & olei semper fit cum celebratione Missæ iuxtà Pontificale Romanum, ac subindè mortale peccatum erit hæc benedicere cum conscientia peccati mortalis. Consecratio Templi potest à Missa separari, & tunc habebit locum doctrina tradita.

53 Idem est, si mortalis culpæ conscius Episcopus conferat primam tonsuram, vt fatentur relati. Si tamen in eo statu confert maiores Ordines, peccare mortaliter, dicunt *Henriquez lib. 1. cap. 29. n. 4. Petrus de Ledesma sup. concl. 4.* Quod verum erit, si minores Ordines sint Sacramenta; Quia ministratur Sacramentum à peccatore. Si verò non sint Sacramenta, sed Sacramentalia quædam iuxtà probabilem sententiam, consequenter dicendum erit probabiliter, solum esse veniale peccatum. *Sayrus supra* putat, Parochum peccare mortaliter, si matrimonio assistat in mortali. Sed probabilius est oppositum; quamvis etiā impendat benedictiones nuptiales sine Missæ celebratione; quia non ministrat ibi Sacramentum, sed Sacramentalem ceremoniam. Ita *Palud. in 4. dist. 5. q. 2. n. 22. Ledesma eo cap. 6. dub. 9. Possevinus cap. 5. n. 55. Thom. Sanchez cum multis lib. 2. de Mat. disp. 6. n. 4. Suarez, Filliucius, & alij supra.*

54 Concionantem in peccato mortali etiam occulto peccare mortalitèr. Docet *S. Th. in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* sequitur *Caietanus 3. p. q. 64. a. 6.* Quia munus concionandi per se connectitur Ordini, præcipuèq; competit Episcopis; Quamvis enim interdùm ab alijs exerceatur, non tamen ex officio, nec à Laicis exerceri potest, nisi vel ob dispensationem, vel ob necessitatem. Nihilominus dicendùm est, hoc non esse mortale per se loquendo; idest secluso contēptu, vel scandalo, quod prouenire posset, si peccatum Concionatoris esset publicum. Ita *Sotus in 4. dist. 1. q. 5. a. 6. Suarez to. 3. disp. 16. sect. 3. Vazquez 3. p. disp. 136. cap. 5. Conimb. q. 64. n. 39. Bonacina supra n. 8. Laym. n. 10 Villalob. n. 8.* Probatur, quia nullum extat præceptum prohibēs concionari cum conscientia peccati mortalis, nec est actus alicuius Ordinis, etsi maximè pertineat ad Pastores animarum, sed actio quædam honesta, quæ vel ex charitate, vel ex misericordia, vel ex iustitia procedit. Potest autem exterior actio, quantumvis honestissima sit ex obiecto, sine peccato fieri ab homine sibi conscio culpæ lethalis. Quæ ratio pariter valet in actu corrigendi, iudicandi, docendi, ac similibus, qui non sunt speciali consecratione sanctificati. Videatur *S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 5. Diana par. 3. tract. 6. Resol. 67. par. 5. tract. 13. Resol. 73. par. 8. tract. 1. Resol. 7.*

CA-

CAP. II. QVÆST. VII.

An Laicus in necessitate ministrans Sacramentum cum conscientia peccati mortalis peccet mortaliter?

55 SVppono 1. posse Laicos vrgente necessitate ministrare Baptismũ; & forsam etiam Eucharistiam; de facto quoque ministrare Matrimonium, quoties illud contrahunt; cętera Sacramenta numquam ministrare possunt. Quando Diaconus in necessitate dispẽsat Eucharistiam, si conscientiam habeat peccati mortalis, peccare mortaliter, diximus supra *n.42. tradunt etiam Henriqu. lib.1. cap. 29. n.4. Layman lib.5. tract. 1. cap.5.n.8.* Tunc enim Diaconus ratione ordinationis, quæ supplet vicem Sacerdotis, ac subinde similem cum illo debet obligationem subire dignè ministrandi tàm augustum Sacramentum. De Laico procedit nostra quæstio, vel de Clerico gradus inferioris.

56 Suppono 2. Quando necessitas recepturi Sacramentum sic vrget, vt angustiæ temporis tollat aduertentiam, & sollicitudo subueniendi periclitanti perturbet animum ministrantis, cui subindè liberum non sit, nec possibile moraliter conscientiam discutere, peccata perpendere, contritionem elicere, planè Ministrum excusari, licet cum cõscientia peccati mortalis ministret; nec omittẽdam Sacramenti ministrationem ob statum peccati lethalis: quia charitas religioni præualet, vt dicebamus supra, n.37. Quare Laicus, dùm in necessitate ministrat, tum quia rudis obligationum huius ministerij, tum quia periculo recipientis vrgetur, sępè per inaduertentiam excusabitur, vt notant *Durandus in 4. dist.5. q. 2. n.6. Gabriel ibi q. 1. art 3. dub.2. Layman lib.5. tract.1. cap.5. n.8. Vazquez 3. p. disp.136. n.27. & 40.* Procedit ergò quæstio, quando Laicus Minister aduertit suum statum peccati, vel aduertere debuisset.

57 Prima sententia docet, peccare mortaliter Laicum in mortali ministrantem aliquod Sacramentum quando per necessitatem ei licet ministrare. Probatur: nam quicumq; ministrat Sacramentum, quamvis Laicus sit, & in necessitate, priuatimque ministret, exercet hoc ministerium, vt Christi Minister ad hoc institutus, & proindè virtute Christi dispensat eius merita, rem sacrã, & actionem sanctificatricem tractans. Ergò debet se tum sanctitati principalis agentis, nempè Dei; tùm ipsius ministerij sanctificationi conformare per conscientiæ puritatem, & per consequens in gratia ministrare, dum potest se disponere per contritionem. Alioquin irreuerentia grauis irrogatur Christo, dum ab eius hoste ipsius merita dispensantur. Nec enim grauitas huius irreuerentiæ tàm sumitur ex deputatione per cõsecrationẽ Ministri, quam ex ministerio, ad quod Minister est deputatus; ita vt quisquis in gratia possit ministrare Sacramentum, ita facere debeat. Sic docent *Gabriel supra, Angelus verbo Baptismus n. 10. Adrianus in 4. q.3. de Baptismo, Vazquez 3 p. disp.136. cap.3. n.26. & 27. Palaus to. 4. tract.18. disp.1 punct.5. n.11. tutiorem vocat Reginaldus lib.26. n.28.*

58 Secunda sententia communior, & probabilior docet, non peccare mortaliter Laicum, qui priuatim in necessitate ministrat Sacramentum, licet aduertat, se conscientiam habere peccati mortalis. Ita *S. Thom. in 4. dist.24 q.1. a.3. quæstiunc.5. & 3. p. q.64. a 6. ad 3. Caietanus ibi, Richardus, Sylvester, Sotus, quos sequitur Suarez to.3. disp. 16. sect.4. Henriquez supra, Layman n.9. Coninch. q. 64. n.37. Filliuc. tract.1. n. 88. Bonacina de Sacram. disp. 1. q.3. punct. 2. §. 1. n. 12. Trullench. de Sac. l.1. c.3. dub.3. n.4. Toletus l.2. c. 20. n. 3. Villal. h. to.1. tract. 4. Diffic.14. n.4. Sanchez de Matr. lib.2. disp.6. n.4 Diana par.3 tract.4. Resol.10. & par. 8. tract.1 Resol.57.* Probatur; nam (vt diximus sup. n.32.) obligatio ministrandi Sacramenta in gratia nõ solùm oritur ex sanctitate Sacramẽtorum, quæ Deus, vt causa principalis operatur, sed

etiam

etiam ex consecratione Ministri per aliquod Sacramentum, quo deputatur ad tale munus per se quidem, & ex officio præstandum.

Alij verò, licèt sint in aliquo casu, vel in aliquo Sacramento Ministri deputati per Christum, non astringuntur ita grauiter ad sanctè peragendum ministeriũ, quod illis non competit per se, sed per accidens ob necessitatem permittitur. Verum est, Laicum ministrantem in mortali, cùm posset conteri prius, graue peccatum veniale committere; quia re vera se gerit irreuerenter. Et hoc probat fundamentum primæ sententiæ.

59 Doctores nuper relati communiter loquuntur de laico baptizante priuatim ob necessitatem; idem tamen dicendum est, si Laicus existens in mortali deferat Eucharistiam ad moribundum ob extremam necessitatem illius, qui nullum aliud Sacramentum in eo mortis articulo receperit. Non enim peccabit mortaliter sic ministrando, quia non est illa ministratio Sacramenti solemniter facta, nec à Ministro per se consecrato ad tale munus, sed solùm priuatim ex necessitate, sicut de Baptismo dictum est. Ita *Paludan. in 4 dist.5.q.2.concl.3. Henriquez l.1.c.29.n.4. Suar.to.3.disp.7. sect.4.*

60 Maius dubium est de Laicis Matrimonium contrahentibus, ac subindè nõ solum recipientibus, sed etiam ministrãtibus illud Sacramentum. Et quidem quatenus recipiunt, si sint in mortali, peccare mortaliter, conueniunt omnes; quia recipiunt Sacramentum indignè. Quare quod dixit *Sà verb. Sacramentum.* n.1. fortè recipere Matrimonium in peccato, non esse mortale peccatum: in editione correcta sublatum est. An verò quatenus ministrant in mortali, mortale rursùs sacrilegium committãt? dissentiunt Doctores. Affirmant, diuersam ibi dari malitiam sacrilegij. *Nauarrus cap.1. § Sacerdos, n.10. ad.5. de Pœnit. dist. 6. Petrus de Ledesma de Mat. q.42.a.3. ad vltimum, Vazquez 3.p. disp. 136. cap.3.n.37. & 38. Basilius legion. de Matr. l.1.cap.8. n.11. Palaus to.4. tract. 18. punct.5. nu.11. Hurtado de Matr. disp.3. diffic.22.n.84. Martinus Perez de Matr. disp.19. sect.8.n.3. & 5.* Quia ratione supra facta *num.57.* sibi persuadent, à quolibet quomodolibet ministrante Sacramentum in mortali grauem irreuerentiam irrogari Sanctitati Sacramentorum, & ipsorum Auctori.

Probabilius tamen est, illos ex hac parte non peccare mortaliter, quia non sunt ministri ad id munus deputati per consecrationem, sed necessitate quadam admisi, quatenus debuit in ipso cõtractu materia, & forma Sacramenti cõstitui; nec contractus fieri poterat, nisi per expressos consensus contrahentium. Quare sicut iuxta superius dicta *num.* 52. & 53. si quis celebrans in mortali benedicat simul oleum, Chrisma, vel Templum, aut nuptias, peccat quidem mortaliter, quia celebrat in mortali, sed non addit distinctum peccatum mortale ratione benedictionis adiunctæ; sic contrahentes matrimonium in mortali peccant mortaliter ob indignam receptionem Sacramenti, non tamen addunt aliud mortale sacrilegium ob indignam eiusdem administrationem, sed veniale duntaxat. Ita *Paludanus, Sotus, Martinus de Ledesma, Lopez, Henriquez*, quos sequitur *Sanchez de Matrim. lib.2. disp. 6.n.4. Suarez to.3. disp.16. sect.4. Petrus de Ledesma sibi contrarius in summ. to.1. tract. de Sac. cap.6. post 8. concl. dub.9. Coninch. Layman, Moure, Fernandez de Heredia, Ioannes de la Cruz, Guttierez, Villalobos, Fillucius, quos sequitur Diana par. 3. tract.4. Resol.199.*

CAP. II. QVÆST. VIII.

An Sacerdos sine solemnitate Sacramentum ministrans cum conscientia peccati mortalis peccet mortaliter?

61 Quæstio præcipuè procedit de Baptismo priuato; sed potest etiam

etiam ad Eucharistiam extendi, quam si Sacerdos ministret in extrema necessitate sine solita solemnitate cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter, censet *Paludanus in 4. dist. 5. q. 2. concl. 3.* Quia præstat munus, quod in eo casu Laicus etiam præstare posset. Melius verò *Suarez to. 3. disp. 72. sect. 4.* docet, talem Sacerdotem peccare mortaliter. Quia Sacerdos exercet semper hoc ministerium, vt Minister ad illud consecratus, & tale ministerium, vt ab illo fit, semper est de se solemne, ac maximè sacrum. Poterit tamen excusari per inaduertentiam, dùm anxia sollicitudo tempestiuè succurrendi morienti distrahit mentem, & perturbat animum.

62 Circa Baptismum prima sententia docet, Sacerdotem in necessitate baptizantem priuatim cum conscientia peccati mortalis, peccare mortaliter. Ita *Doctores supra relati num. 57.* quos inducit, & sequitur *Vazquez 3. p. disp. 136. cap. 3. n. 27. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 8. Coninch. q. 64. n. 36. Castro Palaus to. 4. tract. 18. punct. 5. n. 10.* Probatur, nam hic concurrit non solùm sanctitas Sacramenti, quod petit sanctè tractari, sed etiam consecratio Sacerdotis, per quam deputatur ad quorumlibet Sacramentorum dispẽsationem: ac subindè quotiescumque, & quomodocumque ministret Sacramentum, id agit ex officio. Quippè Sacerdos non magis in ordinatione sua secundùm diuinam institutionem consecratur ad baptizandum solemniter, quàm aliter, cum solemnitas sit iuris Ecclesiastici, consecratio verò iuris Diuini. Sed dùm baptizat solemniter, exercet actum, ad quem peculiariter est consecratus. Ergò pariter dùm baptizat non solemniter. Vndè colligit *Layman*, idem esse de Diacono, quotiès ex peculiari Sacerdotis delegatione baptizat. Nam, & ipse tunc ministrat ratione ordinationis suæ, per quam videlicèt habilis redditur, vt tale ministerium ipsi committatur à Sacerdote.

63 Secunda sententia communior, & probabilior afferit, istum Sacerdotẽ non peccare mortaliter. Ita *S. Thom. 3. p. q. 64. a. 6. ad 3. Nuñus, & Caietanus ibidem. Suarez to. 3. disp. 16. sect. 4. Sylvester, Henriquez, Heredia, Ledesma, Sylvius, Ioannes de la Cruz, quos sequitur Diana part. 3. tract. 4. Resol. 10. & part. 8. tract. 1. Resol. 57. Victoria, Valentia, Nauarrus, & alij, quos sequitur Bonacina disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 1. n. 11. Lessius 3. p. q. 64. nu. 11. Trullench, Toletus, Villalobos relati supra n. 58.* Probatur, quia Sacerdos tunc non baptizat vt Minister ex officio, sed subuenit necessitatem patiẽti, sicut posset laicus subuenire; Quamvis enim consecratio respiciat primariò substantiam Sacramenti, prout à Christo Domino institutam: secũdariò respicit etiam administrationem cum ritibus, & solemnitate per Ecclesiam assignatis. Quare cùm hæc prætermittuntur, solùm attenditur in necessitate nudum ministerium, quod laicus posset præstare. Quod autem in hoc casu Sacerdos præferatur laico, non conuincit, operari Sacerdotem, vt ministrum ex officio; nam etiam vir, fœminæ, Clericus Laico præferuntur ob reuerentiam Sacramenti, cum tamen non ministrent ex officio per se.

64 Hinc colligitur 1. solutio fundamẽti contrarij: negamus enim ibi concurrere per se consecrationem Sacerdotis, siquidem potius materialiter se habet in illo casu. Colligitur 2. Sacerdotem baptizantem extrà necessitatem, sed priuatim cum conscientia peccati mortalis, licet grauiter peccet, vel vsurpando ius baptizandi, quod non habet; vel indebitè baptizando contrà ritum Ecclesiæ: Tamen præter hoc peccatum non committere peccatum graue diuersum, quatenus in mortali ministrat. Nam hic, & nunc de facto non operatur, vt minister ex officio, subindèque de facto cessat obligatio grauis disponendi se per gratiam. Ita *Suarez*, supra. Secus si baptizet solemniter in mortali, quamvis recipiens sit in extrema necessitate, vt tenent Doctores communiter, & notat *Bonacina* supra.

CAP.

CAP. II. QVÆST. IX.

An in Ministro requiratur intentio conficiendi Sacramentum?

65 SVppono 1 intentionem esse voluntatis actum liberè tendentis in finem, & extendi ad omnem volitionem operandi quidpiam. Sic actus, quo Minister vult conficere Sacramentum, dicitur intentio; Nam est actus liber voluntatis tendentis in illum finem, vel effectum. Vndè distinguitur ab attentione, quæ est actus intellectus considerantis humanas actiones.

66 Suppono 2. multiplicem distingui posse ministrantis intentionem; Quare multiplex datur intentionis diuisio. Prima fit in intentionem materialem, quæ scilicet tendit in solam actionem externam Sacramentorum, vt lauandi, vel vngendi, vel proferendi verba, & in intentionem formalem, seu substantialem, quæ tendat ad conficiendum Sacramētum, vel explicitè, si quis velit tale Sacramentum sigillatim perficere: vel implicitè, si solum facere velit, quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit.

67 Secunda diuisio fit in actualem, virtualem, & habitualem, vel interpretatiuam. Actualis intentio est in præsenti volitio faciendi Sacramentum actu cōcurrens cum prolatione formæ, vel appositione materiæ. Virtualis intentio dicitur, quando præcessit actualis volitio faciendi Sacramentum, & permanet aliquid ab ea relictum, per quod mouere censetur ad actionem externam adhibendi materiam, & formam, dùm per impressionem prioris volitionis in imaginatiua relictam excitatur exterior facultas ad perficiēdos actus initio propositos cum primo mediate saltem connexos, homine interim alia cogitante, donec illa series actionum desinat, vel interrumpatur. Habitualis intentio dicitur, quādo quis sola cōsuetudine ductus adhibet materiam, vel formam Sacramenti, quin habuerit voluntatem hoc Sacramentum ministrandi, vel si voluntatem habuit, iam illa fuit interrupta, nec per aliquem effectum, aut virtutem relictam influit in actionem externam. Interpretatiua intentio dicitur, quando nec præcessit actus, nec adest habitus volendi, sed solùm existit talis animi præparatio: vt si peteretur Sacramentum à Ministro, ministraret illud; vel quando voluit Minister Sacramenti ministrationem in causa, scilicet volens somnum, aut ebrietatem, in qua solet talem actionem præstare.

68 Tertia diuisio fit in intentionem absolutam, quæ sine conditione procedit; & in conditionatam, quæ tendit in obiectum sub conditione, vel præterita, vel præsenti, vel futura. Quarta diuisiō fit in intentionem versantem circa materiam, aut personam certam: & in versantem circa materiam, vel personam incertam.

Itaq; circa primam diuisionem insurgit quæstio præsens: An scilicet sufficiat intentio materialis terminata nimirùm ad solam actionem externam lauandi, vel vngendi, seu proferendi talia verba: vel potiùs requiratur intentio faciendi Sacramentum iuxta Diuinam institutionem? Hæretici sola prima contenti sunt, quia nihil tribuunt Sacramentis præter externum symbolum, quatenus aptum est ad excitandam fidem: hoc enim præstare possunt actiones, & verba sensibilia: quamvis vlterior intentio non detur. Hoc clarè refellunt *Bellarminus de Sac. lib. 1. cap. 27. Suarez 3. p. to. 3 disp. 13. sect. 2. Vazquez 3. p. disp. 138. cap. 2. & 3.* atq; alij probantes Sacramenta nostra esse quidem instrumenta Dei ad producendam gratiam; cuius productioni necessarium est, vt Minister cooperari velit secundùm institutionem agentis principalis.

69 Ex Catholicis Catherinus in opusculo de intentione Ministri, *& Sylvester Baptismus 3. q. 12.* sufficere putant intentionem seruandi ritum exteriorem Ecclesiæ in rebus, & verbis adhibendis ad perficiendum Sacramentum. Citantur etiā *Paludanus, & Angelus*, quos exami-

nat

nat *Vazquez sup.* Fauet *S. Tho. in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. ad. 2. & 3. p. q. 64. a. 8. ad 2.* dicens, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est Minister; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti. Fauet etiam *Augustinus in cap. Solet, de consec. dist. 4.* dicens, *Baptismum à quocumque verbis Euangelicis consecratum valere.*

70 Probatur 1. quia sicut non decuit pendere Sacramenti valorem à bonitate Ministri, ne semper essemus incerti de ipsius effectu, sic non decuit, eundem ab eius intentione pendere, cùm tam ignota sit nobis intentio, quàm bonitas. Cōfirmatur, nam alias damnari posset aliquis ob alienam malitiam, si Minister non haberet debitam intentionē: ideóque suscipiens Sacramentum non iustificaretur. Quod subindè videtur negare *Chrysostomus hom. 85. in Ioan. circa finem,* dicens, *Sacerdos, & linguam, & manum præbet: nec enim iustum est, propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.* Probatur 2. quia Sacramenta per modum causæ naturalis operantur, quatenus etsi Minister intendat non conferre gratiam, si confert Sacramentum disposito, verè quoq; confert gratiam. Ergò similiter quoties ponit externam materiam, & formam Sacramenti, quamvis solùm intendat illam extrinsecam, & materialem actionem verè ponet Sacramentum ipsum.

71 Dicendum tamen est, ad valorem Sacramenti requiri secundam intentionem videlicet perficiendi Sacramentum iuxta Diuinā institutionem, nec sufficere solam intentionem adhibendi ritum, externum. Ita Catholici communiter. *S. Bonau. Richardus, Alēsis, Scotus, Gabriel, Durandus, Adrianus, Sotus, & alij, quos sequuntur Bellarminus, Suarez, & Vazquez, sup. Conincb. q. 64. n. 62. Taunerus to. 4. disp. 3. q. 4. dub. 2. n. 22. Petrus de Ledesma eo cap. 6. concl. 13. Filliuc. tract. 1. n. 73. Angles, Vasualdus, Sayrus, Valentia, quos sequitur Bonacina de Sac. disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 3. n. 5. cum alijs.* Probatur 1. ex Concilijs, nam *Florentinum in decreto de Sacram sic ait. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si quid desit, non perficitur Sacramentum. Assonat Trident. sess. 7. can. 11. & sess. 14. can. 7.* definiens, requiri saltem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & nihil agere Sacerdotem absoluentem per iocum, qui tamen intentionem habet proferendi verba. Probatur 2. quia ministrās Sacramētum necessario se præbet Christi Ministrum, vt docet *Apostolus 1. Corinth. 4.* Vnde Christus dicitur in omni Baptismo baptizare *Ioan. 1.* secundùm interpretationem *Augustini tract. 6. in Ioan.* Nullus autem operatur vt Minister alterius, nisi dùm intendit agere, quod alter instituit, & eamet ratione, qua voluit institutor fieri; sed Christus instituēs Sacramēta, iussit externā actionē fieri, vt ceremoniā sacram sanctificātem animas. Ergò qui non intendit eam perficere, vt talem, non agit, vt Christi Minister, & consequenter nō efficit validū Sacramentū.

72 Hinc fit 1. sententiam istam esse, vel expressè de fide definitam, vt vult *Vazquez sup. n. 28. & 34.* vel saltem ita certā, vt opposita iam contineat errorē in Fide. Nam apertè repugnat supradictis Concilijs, & rationi, quæ fundatur in Scripturis, vt asserunt *Petrus de Ledesma sup. & Conincb. num. 64.* Quare iam certissimè tenendum est, non sufficere ad valorem Sacramentorum intentionem proferendi verba, vel apponendi materiam, sed requiri prorsùs intentionem faciendi Sacramentum saltem implicitam. Hæc autem dari censetur, quoties Minister habet generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, vel alia particularis; vel etiā quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit. Nam Hæreticus verè baptizat, & tamen non credit Ecclesiæ Romanæ, vel alij Catholicæ; sufficit enim, si facere velit, quod Ecclesia Lutherana, vel similis fa-

cit,

cit, si putet illam esse verā Ecclesiam, quamuis re vera sit ficta. Sic tradit *Reginald. lib. 26. nu. 40.* argumento capitis *Sicut ficti. 1. quæst. 1.* Videantur *Bellarminus sup. Filliuc. num. 74. Vazquez n. 32.* subdens, sufficere, si Minister intendat facere, quòd vidit, vel audiuit facere talem, vel talem Ecclesiæ Ministrum. Nam hæc intentio confusa verè tendit ad institutionem diuinam, & ad intentionem vniuersalis Ecclesiæ, quàm particularis Ecclesia, vel particularis Minister imitatur.

73 Fit secundo, quemlibet alium finem extrinsecum, quantumuis peccaminosus sit, non tollere valorem Sacramenti. Nam, vt rectè docet *S. Tho. 3. p. quæst. 64. art. 10. Coninch.* & expositores ibi, dupliciter peruerti potest intentio Ministri. Primò respectu Sacramenti non intendens id facere, quòd Christus instituit, aut Catholici faciunt; sed solùm iocandi, repræsentandi, vel irridendi causa. Et talis peruersitas tollit veritatem Sacramenti iuxta suprà dicta. Secundò quantum ad id, quòd sequitur Sacramentum; puta, si Sacerdos intendat baptizare fœminam, vt eam alliciat ad copulam, vel conficere Christi corpus, vt eodem abutatur ad veneficia; vel intendat verè conferre Sacramentum, ob lucrum tamen, aut iocum, aut vindictam. Et quia priùs à posteriori non pēdet (inquit *S. Thomas*) indè fit, quòd talis intentionis peruersitas veritatem Sacramēti non tollit, sed Minister ex illa grauiter peccat. Sic validè baptizauit inter ludendum Athanasius adhuc puer, nam vt posteà confessus est, intendebat facere, quòd viderat Episcopum facientem. Sic Augustinus in eo cap. *Solet* iuxta secundum modum intelligi potest. Nec tamen ibi quidquam resoluit absolutè; sed dicit rem per reuelationem, aut per generale Concilium esse determinandam; quod iam duo Concilia præstiterunt. S. Thomam adductum pro contraria sententia, Caietanus, Suarez, & Coninch. explicant de certitudine Sacramenti quoad nos; qui, dum Minister adhibet debitam materiam, & formam, existimare debemus, verum effici Sacramentum, nisi contrarium exterius exprimatur.

74 Ad primum fundamentum oppositum nego paritatem; nam de fide, vel sanctitate Ministri sæpè possumus dubitare prudenter, cùm plures occurrant Ministri peccatores; ideò noluit Christus, Sacramenti valorem ab istis conditionibus pendere. Raro tamen contingit, quemquam esse tam prauum, vt nolit intendere, verùm Sacramentum conficere, cùm hoc ipsi facillimum sit, nec possit contrarium illi prodesse: Quare quandiu contrarium non constat ex aliquibus signis, possumus de ministrantis intentione moraliter esse securi. Si verò subsit ratio dubitandi, quia Minister erat omninò perfidus, vel familiaris Diabolo, vel dederit aliquod signum intentionis peruersæ; tunc sub conditione repetatur Sacramentum, præsertim Baptismus, vel Ordo. *Ita Suarez ea sect. 2. Coninch. num. 67. Henriquez lib. 1. ca. 10. num. 3. & 4.*

75 Ad Cōfirmationem aliqui respondent, in eo casu supplere Deum defectum intentionis Ministri, quoniam ita decet diuinam bonitatem. *Ita Durandus, Alensis, Gabriel apud Suarium 3. p. quæst. 64. art. 8. in Commentario. Sylvester, Baptismus 6. num. 3. Angelus, Baptismus 7. num. 12. Zanardus in Direct. part. 1. de Baptismo cap. 4. fin. Bartholomæus ab Angelis in Exam. de Sacram. Dialog. 1. § 31. citans S. Thomam, & Viguerium, innuit Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3.*

76 Meritò docent oppositum *Sotus, Ledesma, Maior, quos sequitur Suarez supra, Coninch. 3. part. quæst. 64. num. 58. Bonacin. de Sacram. disput. 1. q. 3 punct. 2. § 3. num. 10. & disp. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 18. Henriquez lib. 1. cap. 10. num. 3. & lib. 2. cap. 11. fin. Filliuc. tract. 2. num. 80. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 3. dub. 2. n. 11. Homobonus in Exam. part. 1. tract. 4. cap. 2. quæst. 10. Naldus, verbo. Sacr.*

Sacramentum,n.10.Syluius 3.p.q.68.art.2.ad 4.Heredia de Sacram.p.9.dub.1.n.17.Auersa 3.p.q.66.sec.2.Diana p.3.trac.4.Resol.17. Patet: quia certum est de fide, non esse validum Sacramentum, si desit intentio Ministri, subindeque non cōferri gratiam eius virtute. Quod autē Deus suppleat huiusmodi defectum, nō fundatur vlla lege, vel promissione, vel ratione necessaria,nedum probabili;potius pugnat contra generalem legē, seu regulam a Christo traditam. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Quare Doctores nu. præcedenti relati sola nituntur pietate, quam *Suarez* vocat non secundum sciētiam,& ipsorū sententiam appellat *Henriquez* imperitam;*Cabrera.3.p.q.64.a.8.disp.4.§.6.n.65.& 66. vocat illā erroneā & temerariā.*Mihi videtur falsa prorsus, & improbabilis vnde si constaret, in aliquo Baptismo defuisse debitā intentionem Ministri, repetendus erit, non sub conditione, vt voluit Armilla verb. *Baptismus.n.*50. sed potiùs absolutè iuxta supra dictos Auctores.

77 Igitur ad illam confirmationem respondetur, ex defectu intentionis Ministri non iustificari peccatorem in illo casu;damnari verò non propter alterius malitiam,sed propter proprium peccatum actuale,vel originale; malitiamque Ministri solum esse quasi causam per accidens damnationis, quatenus noluit remouere prohibens salutem, quod idē accidit,quando quis paruulum non vult baptizare,vel impedit volentem. Nec illud est magis absurdum,quā hoc.Vtrūq; verò sequitur ex ea prouidētia, qua voluit Deus hominibus per homines prouidere remedia quædam salutis animarū.Chrysostomus ibi nō negat, Ministrū præbere simul intentionē in administratione Sacramētorum: Dum adhibet linguam,& manū. Nec loquitur de malitia non habentis intentionem debitam;hāc enim nullus suspicari potest in Ministris Catholicis,de quibus ibi loquebatur,sed de malitia morum,quæ nihil nocet recipientibus Sacramenta cum debita dispositione.*Sic Vasq.3.p.disp.138.n.46. P.Lugo de Sacramentis.*

78 Ad secundum fundamentum respondetur,effectum Sacramenti nunquā conferri,nisi Minister illum intendat saltem implicitè, scilicet in sua causa,quatenus absolutè velit conferre Sacramētum.Ad hoc autem non sufficit velle ponere materiam,& formam externā, nisi simul intendat facere, quod Christus instituit modo supra dicto. Quia ratio Sacramenti non consistit in his nudè sumptis, sed prout habent rationem ceremoniæ sacræ sanctificantis animas;subindeque debent a legitimo Ministro cū intentione debita fieri.

CAP. II. QVÆST. X.

An requiratur virtualis intentio Ministri, vel sufficiat habitualis?

79 Circa secundam diuisionem suppono 1. cum Sacramentū pendeat ex intentione ministrantis, & omnis intentio sit voluntaria, Sacramentalem actionē fore voluntariam.Cum autem voluntarii duplex sit, alterum directum,quod directè tendit in obiectum; alterum indirectum, quod non fertur in ipsum obiectum per se,sed in aliquē causā,vel occasionem illius per accidēs: assero intentionem indirectam,seu remotā quam aliqui vocant interpretatiuā in causa,non sufficere valori Sacramenti. v.g.siquis in somno, vel ebrietate soleat adhibere materiā,vel formā Sacramenti, vel verba consecrationis proferre super panē, & hoc præuidens velit somnū vel ebrietatem,in qua Sacramentalis operatio contingat,non efficit validū Sacramentū.Cum enim administratio Sacramenti iuxta diuinam institutionē requirat humanam, & moralē operationem Ministri cum intētione proportionata, debet esse palā in semet actus humanus,& rationalis. Atqui nullus actus voluntarius solum in causa,censetur esse proprie rationalis, cum actu non detur rationalis libertas interior,vel exterior. Ergo nō sufficit ad valorem Sacramenti? Similiter quamvis habuisses intentionem conficiendi Sacramētum,vel

illam haberes, si rationis compos rogareris: dùm de facto conficis impos mentis, ac subindè nō procedit humano modo, plenèque libero, non habes intentionem sufficientem ad efficiendum validum Sacramentum. Christus enim instituens Sacramenta, potestatemq; faciens hominibus eadem ministrandi, voluit, vt secundùm rationem, & humanum arbitrium ministrentur: quod ab homine rationis impote præstari non potest. Sufficit autem hæc intentio præterita recipientis Sacramentum, vt validè recipiatur: Quoniam sicut in naturalibus, sic in moralibus maior perfectio requiritur in agente, quam in patiente, seu suscipiente. Sic docent *Suarez to.3 disp.13.sect.3. Coninch.q.64.n.74. Bonacina disp.1.q.3. punct.2.§.3.n.17. Henriquez lib.1.cap.10. n.1.* dicens. Ebrius, freneticus, dormiens, aut infans intentionem humanam habere non poterit, quæ sufficiat ad Sacramentum (scilicèt ministrandum) si quis autem ante somnum, aut amentiam petijt Baptismum, valet datus ei, dum dormit, aut amens est. Nam in passo satis est prior voluntas non reuocata: Verùm in Ministro, qui est agens morale, requiritur, intentionem manere in actu exteriori secundū se humano, & libero.

80 Suppono 2. Quamvis actualis intentio sufficiat ad Sacramentum validè conficiendum, & procuranda nobis sit, vtpotè perfectissima, & quæ maximè deceat sacri ministerij dignitatem, quòd omnes fatemur; non tamen requiri, quia moralitèr est impossibile semper actualiter attendere, ac intendere idē obiectū & nimis durū esset, hoc ab hominib. exigere, cum nō sit in nostra potestate, quin aliquādò distrahamur. Sufficit itaq; virtualis intentio superius posita n.67. quoniā hæc sufficiens censetur ad operandū humano modo libero moralitèr, & ad alia negotia transigenda. Nec Christus Dominus maiorem mentis attētionem, vel intentionē requisiuit ad Sacramētorū administrationē, quā ad alia negotia requiri soleat. Nec ex verbis Christi, vel ex potestate Ministri Sacramētorū collata colligi potest, aliū modum intētionis esse simpliciter necessariū. Ita *Suar. supra, Bonac.n.11. Vazquez 3.p. disp. 138. n.78. Reginald.lib.26.n.38. Fillinc tract.1. n.76. Layman.lib.5.tra.1.c.5. n.12. Villalob.to.1.tr.4.diffic.16. & alij communiter.*

81 Suppono 3. Doctores communitèr ad hanc intentionem virtualem requirere, vt præcesserit actualis, vel in actu signato, dicendo, v. g. volo conficere Sacramentū, vel in actu exercito, dum aduertit Minister operationem Sacramentalem, quā exercet, aut præparat, sciens, & volens illam peragere. Præterea requiruntur, vt hæc præterita voluntas non sit reuocata per contrariā intentionem. Iam restat nonnulla difficultas; An hoc sufficiat ad validum Sacramentum efficiendum? Affirmant enim nonnulli Doctores, qui subindè videntur in re solam habitualem intentionem postulare. Sic *Henriqu.lib.1.cap.10.n.2. Nauarrus c.25. n.21 Sotus in 4.dist.1.q.5. a.8. fin. Valentia to.4.disp.3.q.5. punct.3.* non videntur requirere influxum actionis ex motiuo prioris intentionis, dùm afferunt ad valorē Sacramenti sufficere, si quis Ordines sacros suscepit, vt fiat Ecclesiæ Minister, & absq; alia intentione formali (si numquam habuit contrariam) consueuit celebrare, ministrareq; Sacramenta, etiam cum distractione mentis. Hunc enim dicunt, Eucharistiam, & alia Sacramenta cōficere: nā illa consuetudo celebrandi, ministrandiq; Sacramenta (inquit Sotus) quæ nominari potest habitus, sufficit, vt quoties per actus humanos administrat, intendere censeatur, facere, quod facit Ecclesia.

82 Dico 1. intentionem merè habitualem (qualē explicui n 67.) non sufficere valido Sacramēto conficiēdo. Ita *Suar. Vazquez, Coninch. Fillucius, Layman, & Villalobos sup a*, & omnes ferè recētiores. Probatur, nam intentio habitualis, siue sit solus habitus, siue volitio præterita iam interrupta non influit per semet in actionē externā humano seu libero modo; quare non est causa libera Sacramēti, siquidem ex illa volitione præterita solùm

lum habitualitèr permanēti nec procedit Sacramentū,nec actio aliqua,quæ sit administrationi Sacramēti cōnexa. Sed Sacramentū conferri debet ex intentione formali faciendi, quod Christus instituit,quæ subindè proximè,vel remotè fit per se causa cōfectionis Sacramēti.Non ergò sufficit intentio merè habitualis. Quam ob rē siquis proposuerat puerum baptizare; postea verò prorsùs immemor eius propositi, nec actu, nec virtute permanētis,sed tantū non reuocati, per solam imaginationē, aut consuetudinē illum aqua perfundat cū prolatione verborum,non efficit Sacramentum, vt notant *Bonac.disp.1.q.3.punct.2* §.3.n.16. *Sayrus lib.2.de Sac.cap.4.q.5.a.2.fin. Vega verb. Baptismus, casu* 58. Et quidem *S.Thomas,& alij Doctores*,dùm afferunt intētionem habitualem sufficere, minus propriè loquuntur, & vsurpant habitualem pro virtuali: quia varius est vsus harum vocum apud Auctores. Et quidem si *Sotus,Valentia,Navarrus,Henriqu.relati num.præcedenti*,vellet, intentionem elicitam in ordinatione sufficere,quamvis interruptam per alias actiones impertinentes, planè reciderent in intentionem habitualem, quam ipsimet fatentur,non sufficere. Volunt itaque,non requiri formalem intentionem explicitam etiam præteritam faciendi Sacramentum,sed sufficere confusam,quæ remotè cōtineat intentionē faciēdi, quod facit Ecclesia: quod etiam nos fatemur.

83 Dico 2. virtualis intentio sufficiens valori Sacramēti præter duas conditiones supra positas nu.81. requirit tertiam nimirùm vt præterita volitio mediatè saltē influat in actionem sacramētalem, quatenus sic imperauit actionē istam,sic applicuit potentias executrices ad illam efficiendam, vt in operationibus externis ad administrationem Sacramenti subordinatis iugiter perseueret eius vis, & actiuitas, nec opere quopiam ab administratione Sacramenti diuerso prorsùs interrumpatur;siue volitio fuerit explicita conficiendi tale Sacramentū hic, & nunc, siue fuerit confusa, v.g. si velis celebrare Missam, aut ministrare Baptismū, aut Ordinem, & ex hac voluntate pergis ad templū,vestes assumis,aliaque necessaria præparas, & præmittis; in harum operationū serie, progressuq; continuo prior intentio virtualis permanet, quia perseuerat præteritæ volitionis virtus,& efficacia. Quin etsi voluntas explicita non præcesserit,dùm vis induere Sacras vestes, aliave disponere, quæ sunt media ad Sacrum ministeriū, habet virtualem intentionē implicitam, seu confusam ministrandi, quę non interrupta sufficiat ad valorem Sacramēti. Sic *Suarez to.3.disp.13.sect.3. Filliuc. tract.1. n. 77. Reginaldus lib.26.nu.38. Bonac. eo §. 3.n.15 significat Henriquez lib.1. cap.10. n.2 dum inquit,licet numquam habuit intentionem sic explicitam, volo facere, quod Ecclesia facit,aut Christus instituit, habuit tamen confusam*. Igitur Sacramenti valor ita pendet ab intentione virtuali saltem confusa faciendi Sacramentum, vt verè sit effectus illius saltem mediatus, in quem intentio præcedens influat per se, vel per aliquam sui virtutem,consonat *Auersa 3.p q.64.sect.3.*

Si petas adhuc, quæ sit ista virtus, & vbi maneat? Respondeo breuitèr, esse actus aliquos cognoscēdi,& amandi,vel spirituales intellectus, & voluntatis, vel corporales imaginatiuæ, ac appetitus sensitiui,qui reliquas potentias moueāt & applicent ad continuandā actionem Sacramentalē. Itaq; manet virtus præteritæ volitionis, vel in aliquo voluntatis actu tenuissimo, & cōfuso,quo volumus operationem prosequi, mouemusq; potentias tām internas, quām externas ad istam prosecutionem:& cū hic actus voluntatis nequeat ad illud obiectū tendere,nisi sub ratione boni, necessariū est,vt saltem in confuso velit hanc operationē præsentē, & vtilem ad finem prius volitū, quem nunc etiā confusissimè proponat intellectus; sine reflexione tamen, quo percipiamus tenuissimam illam cognitionē,& volitionem: aut expresse cōsideremus formalitatem Sacramēti, sed quantum sufficit ad continuationem

actus exterioris ex prævia deliberatione. Sic indicant Recentiores perdocti.

Vel si nolimus, vllum actum voluntatis permanere præsentem, quando cum distractione mentis sacramentalis actio continuatur, sed actum imaginatiuæ duntaxat, & appetitus sensitiui, vt indicat *Coninch.3.p.q.64.a.8. dub.2.* dicemus in his ipsis actibus manere virtutem præteritæ volitionis: tum quia per illā applicatæ fuerunt potentiæ materiales ad repræsentandū, & imperandum illud opus; tum quia licet appetitus sensitiuus non feratur in eundem omninò finem, & in eandem rationem boni, quā intendit voluntas in actione Sacramentali, ferri tamen debet in aliquod bonū sibi propositum correspōdens aliquo modo bonitati superiori, quam concipit intellectus, siue sit cōmodum apprehensum in communi, siue delectatio proueniens ex cōsensu cū potentia superiori; vel quidquid illud sit, id certè sufficit, vt homo continuare dicatur illam actionem ex intentione præterita; quæ permanere censetur virtualiter, quatenus datur aliqua virtus præsens ab illa relicta, nimirùm vel actus voluntatis confusus, vel actus appetitus inferioris imperās prosecutionem actionis cum ordine ad priorem intentionem. Videantur *Cardin. de Lugo de Sacram. disp.8 sect.5.n.87. Diana part. 2.tract.17.Resol.32. Lessius 3.p.q.64.n.22. & 23. Trullench. de Sacr. lib.1. c.3. dub.2.* qui deducunt indè nonnulla corollaria.

CAP. II. QVÆST. II.

An requiratur intentio absoluta, vel sufficiat conditionata?

84 Circa tertiam diuisionem procedit hæc difficultas, in qua multi teste *Coninch.3.p.q.64.n.81.* dicunt conferentem Sacramentum sub conditione quam sit necessariò futuram, validum efficere Sacramentum. Nam, vt aiunt, quod scitur necessariò futurum, habetur pro præsenti: quapropter idem est, ac si conferret sub cōditione de præsenti. Certè *Tho. Sanch. de Mat.l.5.disp.2.n.2.* docet, matrimoniū irritū sub conditione de futuro necessaria, validū, & absolutū esse. Cùm.n. illa conditio futura iam præsens, & determinata sit in sua causa necessaria, censetur impleta, citatq; plurimos.

85 Dico 1. siquis ministret Sacramentum sub conditione de præsenti, vel de præterito, valet statim Sacramentum, si conditio verè subsistat; non valet autem, si cōditio non existat. Colligitur *ex cap. 2. de Bapt.* praxiq; fideliū, qui Sacramentum conferunt sub conditione, quando de valore prioris dubitatur. Ratio est, nam intentio conditionata, posita conditione, transit in absolutā, vel æquiualet absolutæ voluntati. Si verò non existat conditio, verè deficit intentio conferendi Sacramentum. Ita *Suarez to.3. disp. 31. sect.3. Coninch.q.64 n.78. Henriq. lib. 1.c.10.n.7. Vazquez 3.p.disp.146.c.4. Filliuc. tract.1. n.78. Bonac. disp.1.q.3. puncto.2.§.3.n.18. Reginald.l.26.n.39. Laym. lib.5 tract.1.cap.5.n.13. Villalob. to.1. tract.4. diffic.16. & communiter Doctores.*

86 At verò *Sotus in 4. dist.1.q.1. a.8.* docet, siquis baptizet alium sub hac cōditione: si es hæreticus, non te baptizo, si autem es Catholicus, ego te baptizo, nō conficere Sacramentum, quia nō intendit facere, quod facit Ecclesia. Nam hæc intendit, vt Sacramentum valeat etiam hæretico collatum, cuius contrarium intendit ille Minister. Cęterùm *Henriquez, & Suarez supra*, cum alijs censent, licet errore priuato putaret Minister Baptismum non esse validum in Hæretico, valere Baptismum sub illa conditione collatum Catholico. Quia concurrunt omnia necessaria, materia scilicet, & forma debita: volitioq; cōditionalis posita conditione transit in absolutā. Nec valor Sacramēti particularis in indiuiduo pēdet ex intētione generali Ecclesię circa personas oēs; nec error priuatus obest, quādo nō tollit aliquid essētiale Sacramēto.

87 Dico 2. conferēs aliquod Sacramētum (excepto Matrimonio) sub conditione de futuro contingenti, v.g. baptizans, vel absoluens, vel ordinans sub cōditio-

ditione restitutionis, vel alterius operationis cras faciendæ, nullum conficit Sacramentum. Ita Doctores supra relati, qui referunt alios. Probatur, quia nec illud Sacramentum validè fit tempore formæ prolatæ, cum Minister non intendat pro tunc efficere Sacramentum, donec ponatur conditio. Voluntas enim conditionalis de futuro, quandiu talis est suspendit suum effectum vsque ad euentum conditionis. Nec fit Sacramentum tempore conditionis impletæ, cum iam tunc non existant materia, & forma, quæ sunt partes essentialiter constituentes Sacramentum. In Matrimonio militat diuersa ratio: nam habet pro materia contractum, cuius subinde naturam sequitur: contractus autem sub conditione de futuro validè celebratur. Videantur *Sanchez de Matrim. lib. 5. disput. 1. & 6. Coninch. q. 64. n. 82.*

88 Quod si Minister sciens, & prudens intendat ex tunc facere Sacramentũ sub hac conditione, si verùm est, vel si Deus scit, hoc esse futurũ, vel si prædestinatus es, vel sub similibus cõditionibus. Suarez difficultatem vrget vtrimque, tandẽ censet, verè confici Sacramentum, si subsistat conditio, quamvis ignoretur. Quia talis conditio iam non est de futuro, sed de præsente. *Verũ Coninch. q. 64. n. 88.* putat, Sacramentum inualidum reddi, quia verè penderet a conditione futura, cui conformatur diuina scientia, & veritas cognitionis. Vnde fit talem modum ministrandi continere grauissimum sacrilegium, & fore tale Sacramentum iterandum (saltem sub conditione, si sit iterabile) quia dubium est, an intentio sub tali conditione sufficiat? & saltem in tali persona non constat hic, & nunc, an verificetur conditio. In quo ferè conueniunt *Suarez, & Coninch.*

89 Si conditio de futuro sit necessaria, sciatque Minister necessitatem conditionis, *Coninch. supra n. 81.* putat, non valere Sacramentum; nam apponens conditionem futuram in alicuius rei productione, satis indicat, se nolle, fieri rem actualiter, nisi posita iam conditione, v. g. dicens. Ego te baptizo, si sol cras orietur; secundum rigorem verborum intendit suspendere realem Sacramenti productionem in diem crastinum, & consequẽter inualidè baptizat; siquidem nisi Sacramentum fiat, dum materia, & forma ponuntur, nunquam fiet.

Mihi videtur distinguendum si conditio necessaria de futuro ponatur cum intentione suspendendi Sacramenti productionem in tempus futurum conditionis implendæ, reddit Sacramentum nullum ob rationem proximè dictam. Quod etiam docent *Henriquez, & Villalobos supra*, nec vllus, credo dissentiet. Nam *Sanchez quoq; de Mat. lib. 5. disp. 2. n. 6.* dicit, in huiusmodi conditionibus non tãm verbis inhærendum esse, quàm menti contrahentium, qui sæpius ea verba proferunt, non tanquam conditionem, sed tanquam temporis præfinitionem, & tunc nõ statim perfici matrimonium, aut contractum, donec præfinitum tempus accedat. Quare reliqua Sacramenta, quæ suspendi non possunt in tẽpus futurum, inualidè ministrantur sub illa conditione. Si tamen qui conditionem apponit necessariò futuram, velit mox perfici contractum, aut Sacramentum: nec tam addat conditionem, vt suspendat effectum, quam vt certius exprimat suam intentionem, quasi dicat: Tam certo te baptizo, quam est certum, solem cras oriturum; tunc validum fiet Sacramentum, & intentio potius dicetur absoluta, quam conditionata, sic fatetur Coninch supra, & sic sustineri post sententia relata *num. 84.* Qualis autem fuerit intentio ponentis conditionem necessariò futuram, si non ipse prodat, colligi poterit ex circumstantijs; & in dubio præsumi potest pars Sacramento fauorabilior. Si verò possit iterari Sacramentum, iterandum est sub conditione.

90 Dico 3. Qui conditionem apponit in conficiendo Sacramento, non solùm de futuro, sed etiam de præsenti, vel de præterito; sine rationabili causa, committit peccatum ex genere suo mortale.

Nam exponit se periculo ministrandi Sacramentum inualidè, si nimirùm conditio non subsistat. At existente iusta causa; quia scilicet prudenter dubitatur de valore prioris Sacramenti, vel de materia, seu dispositione præsenti recipientis, potest administrari Sacramentum sub conditione, vel de præterito, vel de præsenti. Sic tetigi supra *cap. 1. n. 59. decem q. Coninch sup. Henriquez lib. 1. cap. 10. n. 7. Reginaldus lib. 26. n. 39. Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 36. & sequentibus, & q. 3. punct. 2. § 3. Vazquez 3. p. disp. 146. cap. 4* qui latè perpendit, quale debeat esse dubium, & quando possit, & debeat Minister sub conditione ministrare Sacramentum.

CAP. II. QVÆST. XII.

An error Ministri circa recipientem irritet Sacramentum?

91 Circa quartam intentionis diuisionem oritur difficultas; An error personæ, cui vult Minister conferre Sacramentum, impediat intentionem necessariam ad valorem ipsius? *Syluester Baptismus, 3. q. 15.* secutus Hostiensem, existimare videtur, Baptismum non valere, quando Minister putans se baptizare puerum, baptizat puellam, vel è contra, quia talis error impedire censetur voluntarium, quod administratio Sacramenti tanquam quid essentiale requirit. Contrarium docent *Victoria de Baptismo num. 34. Petrus de Ledesma tract. de Sacram. cap 6. fin. Sotus in 4. dist. 1. q. 5. a. 8. Castro Palaus to. 4. tract. 18. disp. 1. punct. 3. n. 10.* Quia talis error speculatiuus non nocet intentioni practicæ Ministri.

92 Dico 1. Requiritur ad Sacramenti valorem, vt intentio Ministri dirigatur ad certam aliquam personam, aut materiam, circa quam versetur sine deceptione substantiali. Sic *Suarez 3. p. to. 3. disp. 13. sect. 3. concl. 4. Fillinc. tract. 1. n. 79. Coninch. q. 64. num. 93.* Probatur ex ipsis formis Sacramentorum, quæ vel continent pronomen demonstratiuum, aut ad certam personam diriguntur. Cùm enim intentio ministrantis efficax esse debeat, oportet, vt circa singularia versetur; Nam actiones sunt circa singularia. Quod si detur error substantialis, cum intentio dirigatur ad vnum, & actio versetur circa diuersum omninò, iam actio non procedet ex hac intentione, subindèque non sufficiet ad Sacramentum efficiendum.

93 Dico 2. si Minister expressè determinet intentionem suam ad hanc personam, aut materiam, itavt omnem aliam excludat: error in tali persona, vel materia censetur substantialis: quia reuera solum id facit, quod de facto realiter intendit. Quare si tunc varietur materia, vel persona, iam actio, & intentio non versantur circa idem, & ita nihil fit. In quo casu loquitur *Syluester*, & consonant *Sotus, Suarez, Coninch. Fillucius sup. Vazquez 3. p. disp. 138. n. 85. Villalob. to. 1. tract. 4. difficult. 17.* Si verò Minister velit huic, quem præsentem habet, quicumque sit, Sacramentum conferre, quamvis erret circa personam, valet Sacramentum; Nam intentio perseuerat circa personam istam præsentem, vt docent relati Doctores. Et quidem hæc conclusio procedit de facto, scilicet expresso per explicitam voluntatem ministrantis. At loquendo de iure, siue de modo determinationis, quem debet intentio ministrantis tenere.

94 *Sotus, & Fillucius sup.* censent, sacrilegum fore Ministrum, qui restringeret intentionem suam ad solam hanc personam, aut materiam, quoniam exponeret se periculo nihil faciendi. Cęterùm, quamvis hoc regulariter verum sit; interdùm tamen poterit subesse ratio sic intentionem limitandi, videlicet si timeat Minister, ne supponatur aliqua persona ficto nomine, vel sexu, cui non expediat conferre Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, vel Ordinis, vel similis; & tunc accipiens monendus esset de hac intentione: ne fortè falsò credat, se verum Sacramentum recepisse.

Quapropter dico 3. debere Ministrum in alijs Sacramētis præter Matrimoniū dirigere simpliciter intentionem suam ad præsentem materiam, seu personam sine limitatione, vel exclusione, vel tacita conditione non faciendi Sacramentum, si materia, vel persona sit diuersa; nisi ratio, vel necessitas specialis obliget ad sic limitandam intentionem. Ita docent omnes relati propter rationem supra positam; ne scilicet sine causa subeamus periculum irritandi Sacramentum. Vnde colligunt, quoties intentio contraria non constat, sic accipiendam esse mentem Ministri, qui præsumitur debitam, & vsitatam intentionem habere. Sic Minister baptizans præsentem puerum, licèt falsò putet esse puellam, validum confert Baptismum, nec error speculatiuus nocet Sacramento. Nam intentio practica tendere censetur in hunc, quem habet præsentem: Ita, *S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 3. Syluester, Tabienna, Sayrus, Henriquez, Reginaldus, Graffijs, Coninch. Vazquez, Toletus, & alij*, quos sequitur *Bonacina cum alijs disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 26* Sic Sacerdos absoluens Petrum, putans esse Paulum, validam confert absolutionem; & consecrans duas hostias, credens esse vnicam, vtramq; consecrat, vt docet *Coninch. q. 64. n. 94.* nisi restringat intentionem ad vnam, quod non est faciendum. Si dicat Episcopus ordinandis, nolo vel à censuris illos absoluere, vel ordinare, qui scienter excommunicati, vel irregulares accedunt, intelligitur, quantum est ex se, si nosset. At dùm sigillatim ordinat illum, quem ignorat ligatum, applicat intentionem suam in particulari simpliciter, & recedit à conditione generali, subindèque verum impendit Sacramentum, vt asserunt *Layman lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 6. Henriquez lib 1. cap. 10. n. 6. & lib 2. cap. 8. n. 4. Bonac. sup. cum alijs.*

95 Dico 4. in Matrimonio error personæ censetur substantialis, subindeque reddit nullum Sacramentum ex defectu consensus voluntarij. Sic docent *S. Thom. in 4. dist. 30. q. 1. a 1. Sotus ibi q. 1. a. 1.* & Doctores communiter, quos refert *Sanch. de Matr. lib. 2. disp. 18. n. 12.* Rationes huius discriminis inter Matrimonium, & reliqua Sacramenta diuersas refert, & refellit *Vazquez 3. p. disp. 138. cap. 7.* communis est; nam in alijs Sacramentis conditiones indiuiduæ recipientium nihil conferunt ad finem Sacramenti: Matrimonium verò per se respicit indiuiduas conditiones contrahentium, & iuxtà illas determinat consensum, cum hæ suapte natura conducant ad indiuiduam vitæ consuetudinem inter coniuges retinendam, in quo consistit essentia Matrimonij. Sic notant *Layman sup. & Villalob. to. 1. tract. 4. diffic. 17.*

CAP. II. QVÆST. XIII.

An valeat Sacramentum, quando dantur intentiones contrariæ ministrantis?

96 Exemplum sit, si quis intendat facere, quod Christus instituit, non verò quod facit Ecclesia Romana: contrahere matrimonium, & non facere Sacramentum; vel si velit conferre Sacramentum, & non effectum illius, vel è contra. Suppono que primò. Si quis Eucharistiam iam consecratam ministret sine voluntate conferendi Sacramentum, nihil nocere communioni; nam Eucharistia continet in se vim sanctificandi, quare licèt à Diacono detur, & olim à Laico, conferret gratiam ex opere operato. Suppono secundò, neminem posse duas habere volitiones verè contrarias, nisi putet per errorem non esse contrarias. Quapropter alterutra, nimirùm illa, cui minus pertinaciter adhæret, debet esse saltem implicitè conditionata, scilicet, si possit eius obiectum cum alterius obiecto consistere.

97 Iam dico 1. si voluntas ad valorem Sacramenti necessaria sit in conferente præcipua, quatenùs obiectum contrariæ solùm intendatur ex supposi tione,

quod cum ista voluntate possit consistere, valet Sacramentum. V.g. siquis baptizare velit iuxta Diuinam institutionem, & iuxta Lutheranam Ecclesiam ex suppositione, quod hæc cum illa conueniat, non autem secundùm Ecclesiam Romanam, ex suppositione, quod hæc ab institutione Diuina discordet. Tunc enim intentio præcipua sufficiens ad Sacramenti valorem non impeditur per oppositam conditionalem. Ita *Suarez to.3. disp. 13. sect. 2. circa fin. Henriqu. lib.1. cap.10. num.6. Coninch. quæst. 64. num.91. Filliucius tract.1. num.97. Bonacin. de Sacram. disp.1. q.3. punct.2. §.3. n.9.* cum alijs. Secùs si contraria volitio sit præcipua: nam hæc destruit etiam confusam intentionem necessariam ad substantiam Sacramenti. Sic *Filliucius, & Coninch. supra.*

98 Dico 2. regulariter loquendo contrarietas intentionum ex ignorantia concepta non impedit Sacramenti productionem. Ita *Suarez, Henriquez, & Coninch. supra.* Quia nullus Minister, licèt Hæreticus, ita vult facere Sacramentum moraliter loquendo iuxta suam falsam existimationem, vt nullo modo velit facere, quod facit Ecclesia vera, si contingat Romanam esse veram Ecclesiam. Talis enim modus intentionis requirit nimiam reflexionem actuum ex odio, vel maxima pertinacia profectam. Quare Minister intendens facere, quod Christus instituit, non verò quod facit Ecclesia Romana, quia putat illud fieri posse sine hoc, nisi sit omninò peruersus secundam intentionem eliciet, conditionatam, scilicet si possim facere Sacramentum à Christo institutum, non faciendo, quod Ecclesia Romana præscribit; vbi, cum conditio non subsistat, secunda volitio irritatur, non prima. Corrigitur enim error priuatus per intentionem generalem, saltem confusam faciendi, quod facit Ecclesia vera. Sic *Bonacina Coninch. & Filliucius supr. Lessius 3. p. q.6. [illegible] num.24.* [illegible]

99 Qui cùm sit baptizatus, intendit celebrare contractum Matrimonij, non verò Sacramentum, quia falsò putat Matrimonium non esse Sacramentum, dum saltem implicitè retineat intentionem celebrandi Matrimonium, quale Christus instituit, vel quale celebrant alij Fideles, vel quale debet inter Christianos celebrari, verum efficit Sacramentum; Nam illa voluntas vniuersalis, & confusa sufficit. Si verò nec confusè quidem haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, nec contrahendi Matrimonium tamquam quid sacrum, aut religiosum: vel intenderet separare rationem contractus à ratione Sacramenti, ne Matrimonium esset indissolubile, vel ob aliam ineptam rationem, non faceret Sacramentum defectu intentionis. Ita *Suarez sup. Vazquez. 3. p. disp. 138. nu. 63. Sanchez de Matr. lib.2. cap. 10. n.6. Henriq. lib.11. c.11. n.5.*

An verò faceret contractum Matrimonij validum? Affirmat Vazquez: nam intentio videtur efficax circa suum obiectum, & actus agentium moralium secundùm intentionem operantur. Negat autem *Sanchez*; quoniam ex institutione Christi Domini iam est inseparabilis in Matrimonio ratio contractus à ratione Sacramenti; ac per consequens intentio non faciendi Sacramentum repugnat intentioni faciendi contractu Matrimonij; sicut è contra qui vellet efficere Sacramentum Matrimonij, non verò contractum, nihil efficeret, quia tollit materiam necessariam. Coninch. distinguit, si sic velit abesse rationem Sacramenti, vt potiùs malit non contrahere, quam illud recipere, nihil efficit. Si verò sic contrahere velit, vt malit, & contractum, & Sacramentum valere, quàm neutrum, efficit vtrumque certè res est incerta; Quare tale Matrimonium repetendum esset sub conditione.

100 Qui Sacramentum intendit conficere, nō tamen eius effectum communicare, verum efficit Sacramentum, & subiecto rectè disposito communicat effectum Sacramenti: Nam, vt notat Durandus, intentio Sacramenti prior est, & essentialis, nec impeditur per intentione-

posteriorem ex errore procedentem. Ita tradunt *Henriquez lib. 1. cap. 10. n. 6. Suarez to. 3. disp. 13. sect. 2. circa finem*. Qui subdit per oppositum, si quis dare velit effectum Sacramenti sine Sacramento, nihil facere; quia simpliciter non intendit facere Sacramentum; & alia voluntas dandi gratiam non est virtualis intentio Sacramenti, sed procedit ex errore putantis, se posse dare gratiam sine Sacramento.

CAP. II. QVÆST. XIV.

Quem ritum seruare debeat Minister in Sacramentis ministrandis?

101 Duplex ritus in Sacramentis distingui potest. Primus essentialis, seu de necessitate Sacramenti, quem Christus præscripsit instituens Sacramenta; ideoque non potest ab Ecclesia mutari. Nam huc pertinent materia, forma, & intentio Ministri, sine quibus nec licitè, nec validè ministrantur Sacramenta. Secundus ritus est accidentalis, seu de necessitate præcepti: Quo pertinent ceremoniæ, seu Sacramentalia, quæ sunt actiones externæ religiosæ, quibus decenter ministrantur Sacramenta iuxta præscriptum Ecclesiæ, sic statuentis vel propter significationem sacram, vel propter ornatum ministerij. Videantur *Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 29. & sequentibus. Suarez 3 p. to. 3. disp. 15. sect. 1. & disp. 16. sect. 5. Henriquez lib. 1. cap. 11. Coninch. quæst. 71. n. 1.*

102 Hos ecclesiasticos ritus vel omninò reijciunt hæretici tanquam superstitiosos; vel ad summum illos admittunt vt voluntarios, & non necessarios; quasi non possit Ecclesia ceremonias alias inducere, vel præcipere præter eas, quas Christus instituit, & præscripsit. Contra quos dico 1. Ecclesia potestatem habet inducendi, seu præcipiendi sacros ritus, & ceremonias, de factoque præcepit, vt Ministri Sacramentorum illa non administrent, nisi cùm ornatu, solemnitate, modo, ritibus per ipsam institutis.

Quare licèt validè ministrentur Sacramenta sine ritibus accidentalibus, non tamen licitè. Sic definit *Tridentinum sess. 7. Can. 13. de Sacram.* confirmat traditio, praxisque Fidelium, & plura decreta, quæ pro singulis Sacramentis afferuntur. Nam in singulis statuunt modum, & ritum vnicuique proprium. *Ita docent Bellarminus, Suarez, Henriquez, Coninch. supra, Filliucius tract. 1. num. 89. Bonacina de Sacram. disp. 1. quæst. vlt. punct. 1.*

103 Dico 2. non seruare, seu variare ritus Sacramentorum est peccatum ex genere suo mortale; cùm sit contra religionem, cuius obligatio grauis est ex genere suo. Potest enim ecclesiastica lex obligare sub mortali præsertim in rebus diuini cultus: Sic ergo censetur obligare circa ritus, & ceremonias sacras. *Ita Suarez to. 3. disp. 16. sect. 2. & 5. Henriquez lib. 1. cap. 11. num 4. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 2. Reginaldus lib. 26. num. 59. Filliucius sup. Bonacin. cum alijs n. 4.*

104 Vnde fit 1. contemptum huius præcepti semper esse mortale peccatum. Patet ex doctrina generali legum, & præceptorum. Is autem dicetur contemnere, qui negligit obseruantiam ceremoniarum, putans esse superstitiosas, vel superfluas, vel quid simile. Non verò contemnit, qui solùm est negligens ex fragilitate quadam, & quamuis aduertat culpam, eam reputat leuiorem, ideòque frequenter delinquit, vt notant Suarez, & Filliucius.

105 Fit 2. citra contemptum, vel scandalum omissionem, vel variationem ceremoniarum esse mortalem, aut venialem pro materiæ grauitate, vel leuitate. Quæ verò censenda sit in hoc negotio materia grauis, aut leuis, prudenti iudicio definiendum est, vt asserunt citati Doctores. Exempla culpæ grauis sunt, si quis in Ecclesia latina consecraret in fermentato, vel in consecratione calicis omitteret mixtionem aquæ, vel extra necessitatem baptizaret sine solemnitate, aut ministraret aliquod Sacra-

cramētum sine vestibus Sacris eius ministrationi designatis, vt asserit Diana, *part.7 tract.10 Resol 31.*

106 Ceterum veniale peccatum erit ex leuitate materiæ, si quis aliquod verbum in precibus, vel ritum aliquem accidētalem omitteret in solemni Baptismo, vel simili ministratione. Nonnunquàm excusat ab omni culpa vel inaduertentia, vel necessitas, vt si quis non possit perfectè verba proferre. Certè Paulus V. in Bulla Rituali Romano præfixa omnes hortatur, vt ritibus ibi præscriptis in Sacris functionibus vtantur; & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus vsus antiquitatis statuit, inuiolate obseruent. Nec ritus à Papa præscriptos possunt inferiores Prælati mutare: Nam inferior non potest abrogare legem superioris. *Videantur Henriquez sup. Filliucius num. 63. Castro Palaus tom.4. tract.18. punct. 16. num.4. & 5. Coninch. quæst.60. num. 84. Valentia tom.4. disp.3. quæst.1. punct. 1. Sayrus lib.2. de Sacram. cap.4. art.8. Bonacina disp.4. quæst.5. punct.2. num. 8. & disput.1. quæst. vlt. punct.1.*

107 Dico 3. vnius Sacramenti regulàriter vnicus debet esse Minister, qui vicem vnius Christi sustineat, tanquam causa de se sufficiens. In Matrimonio duo contrahentes ministrant vnum Sacramentum. Quia contractus petit distinctionem contrahentium, vt vnus tradat, & alius acceptet. In Pœnitentiæ Sacramento, cùm fiat per modum iudicij pœnitens exhibet materiam, & Sacerdos inducit formam; Nam oportet distingui reum, & iudicem, & à reo fieri confessionem, in quàm cadat sententia iudicis. In alijs Sacramentis si plures simul concurrant, singuli quasi causæ totales independēter ab alijs, proferentes formam super debitam materiā, & simul finiant prolationem, omnes simul conficiunt vnum Sacramentum. Si quis verò prius finiat, hic solus perficit Sacramentum. Quòd in ordinatione Sacerdotum simul consecrantium cùm Episcopo notant Doctores. *S. Thom. 3. p. quæst.66. art.5. ad 4. & quæst.67. art.6. Henriquez lib.1. cap.26. & 27. Suarez 3. part. tom.3. disp.23. sect.3.* Extra casum Ordinationis peccarent grauiter, qui simul ministrarent id Sacramentum contra morem Ecclesiæ receptum, & institutioni diuinæ conformem, vt docent *S. Thom. sup. Henriquez cum alijs lib. 1. cap.30. n.3.*

108 Si vnus Minister proferat formæ partem, & alius aliam partem, non fit Sacramentum, quia tollitur verus formæ sensus. Ita Suarez supra, *Henriquez num.2. Bonacin. de Sacram. disp.1. quæst. 2. punct.4. & disp.2. quæst.2. punct.4. nu. 24. Auersa 3. p. q.64. sect.2. Trullench. de Sacram. lib.2. cap.1. dub.4. num. 17.* Excipitur Extrema Vnctio, vbi potest vnus Minister in casu necessitatis facere quasdam vnctiones, & alius alias cùm suis formis partialibus, vt dicemus lib. 7. in Eucharistia quoque validè consecrat vnus Sacerdos hostiam, & alius calicem. Si tamen vnus Minister applicet materiam, & alius proferat formam, in Baptismo dicunt nonnulli valere Sacramentum, si mutus infundat aquam, & mancus proferat verba, ne puer alias sine Baptismo decedat. *Ita Marsilius in 4. quæst.4. art.8. Rubeus quæst.1. fin. Caietanus 3. p. quæst.67. art.6.* Probant; nam institutio Christi non tollit, quin Minister Sacramenti componi possit ex duplici persona; satisque forma verificatur, quatenus illam proferens verè baptizat, aut abluit per alium. Nam qui facit per alium, per semetipsum facere censetur.

109 Dicendum tamen est, tale Sacramentum non valere. Sic tenet communis sententia. *S. Thomas, Trullench. & Auersa supra, Vazquez 3. part. disp.148. cap.1. Lessius 3. par. quæst.67. n. 7. Palaus tom.4. tract.19. punct.5. num. 7. S. Bonauentura, Scotus, Alensis, Gabriel, Richardus, Paludanus, Sotus quos sequitur Suarez ea sect.3. Coninch. Pesantius, Nuñus, Pitigianus, Chamerota, Reginaldus, Valentia, Toletus, & alij, quos sequitur Bonacina disp.2. quæst. 2. punct.*

2.punct.4.num.23. Probatur, nam institutio Christi per illa verba, *baptizantes eos in nomine Patris &c.* iuxtà communem Ecclesiæ praxim optimam legum interpretem significat ablutionem ab ipso Ministro non moraliter, sed physicè adhibitam. Vnde tollitur formæ sensus à Christo Domino intentus, quoties vnus abluit, & alius profert verba. Idem est proportionaliter in Confirmatione, Ordinatione, vel Extrema Vnctione, de quibus nullus, quem viderim, contrarium censuit.

117 An autem in casu necessitatis, quando puer alioqui sine baptismo decedet, possit abluere mutus, & mancus verba proferre? Affirmant *Suarez sup. Heredia de Baptismo p.5.dub.9. Amicus tom.7. disp.11.sect.4.num.64. Chapeauilla de tempore pestis q.20. de Bapt.* Quoniam in tali casu melius est conferre baptismum dubium, & aliquo modò probabilem, quàm nullam. *Et quamuis Diana part.3. tract.4. Resol.11.* dixerit, hanc sententiam nō videri probabilem, cùm Doctores communiter oppositum sentiant, indicans, nec in eo casu posse ad praxim etiam sub conditione reduci, quòd habet item *part.5 tract.3. Resol. 26. & tract.6. Resol.2. Cæterum part.8. tract.1. Resol.49.* docet apertè, talem baptismum esse ministrandum in illo casu tantæ necessitatis ob ipsius probabilitatem; & consentire videntur aliquos sequitur *Henriquez lib.2. cap.12. num.1. lit. C. dicens, in eo casu* formam Græcorum adhibendam esse, quia non exprimit clarè personam baptizantem. Negare videntur *Bonacina sup. Meratius tom.3.tract. de Bapt.disp.5. sect.3. Granado 3.p. de Sacram. Contro.4. tract.2. disp.3.num.9. & 13. Tannerus to.4. disp. 4.quæst.2.dub.1.nu.17. Fellincius tract.2. num.77. Ochagauia de Bapt. tract.1.q. 13.num.10. Gaspar Hurtado cum alijs de Sacram.disp.2. Diffic.6. & Trullench supra sicair.* Non valet Baptismus, si mutus infundat aquam, & carens manibus proferat formam etiam Græcorum: Nam vt formæ sensus sit verus, oportet, vnum per se Ministrum repræsentare vicem vnius Christi. Deinde quia formæ sensus est falsus, cùm ille verè non abluat. Vnde non est audiendus Fernandez de Heredia dicens, id licere sub cōditione in articulo necessitatis; nam id ē dictum sine fundamento, & cōtra communem. Equidem casus in praxi rarissimus erit, in quo (si vix vnquam contingat) mutus, & mancus faciant, quòd eis circa baptismum morientis sua conscientia dictauerit esse cōuenientius. In alijs Sacramentis censeo talem praxim nunquam licere.

CAPVT III.

De Sacramentorum efficacia.

1 POST expeditam Sacramentorum essentiam, & causas, exponendi sunt ipsorum effectus: duplex autē distinguitur. Primarius est gratia tàm habitualis, quàm Sacramentalis. Secundarius est character. Gratia verò conferri potest vel ex opere operantis, id est solùm propter meritū, & dispositionem recipientis; vel ex opere operato, quando confertur non propter solam dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud institutum à Deo ad conferendam gratiam vltra meritum, & dispositionem operantis. *Ita Sayrus lib.5. de Sacram. cap.1.art.3. Toletus lib.2.cap.16.num.7. Reginaldus lib.26.n.46. Bonacina de Sacram. disp. 1.q.4.punct.1.n.1.*

2 Suppono 1 Sacramenta nouæ legis non ponentibus obicem per mortale peccatum non retractatum sufficienter, conferre gratiam habitualem ex opere operato. Conueniunt in hoc Catholici tanquam in veritate certa de fide, quàm definiunt Cōcilium Florentinum in Decreto *de Sacram. Tridētinum sess. 7. can. 6.7. & 8. Itaque probant contra Nouatores Suarez 3.part. tom.3. disp.7. sect.1.*

sect.1.& 4 Vazquez 3. part. disput. 131. Coninch.q.63.a.1 dub. 1. Bellarminus de Sacram.lib.2 cap.3.& sequentibus. Ratio fuit voluntas Dei, & Christi Domini sic instituentis ad ostendam efficaciam nostræ redemptionis, & liberalitatem diuinam erga nos vt communiter Patres ex scriptura colligunt. An verò Sacramenta producant gratiam istam physicè, vel solùm moraliter? quæstio est speculatiua, solùm illam producere moraliter, afferunt *Vazquez 3.p.disp.134. cap. 3.4.& 5.Coninck.q.62.n.123.Becanus de sacram.c.10.n.14.Castro Palaus tom.4. tract.18.disp.1. punct. 8. n. 5.* At non solùm moraliter, sed etiam physicè producere gratiam illam docent Bellarminus supra cap.11 *Suarez cap.3 q.1. art.1.§.6.& 7.Bonacina d.punct.6.n.3.Henriq.lib.1.c.16.n.4.Suarez disp.9.sect.2.Pesantius.3.p.q.62.a.1.disp.1 concl.3.Tuilench.de Sacr.lib.1.c.3.dub.4. vtrumque probabiliter. Vide,quæ diximus.1.p.lib.1.disp. 11.*

3 Suppono 2. præter gratiā habitualem, dona & virtutes infusas, quæ gratiā comitantur, dari per Sacramenta gratiam sacramentalē, quæ superaddit specialia quædam auxilia cōsequendo cuiusque Sacramenti fini proportionata. Sic docent *S. Thomas 3.p.q.62.a.1.Caietanus,& Pesantius ibi.Suarez disp.7.sec.3.Coninch.q.62.n.106.Henriq.lib.1.c.12. Vazquez 3.p.disp.132.c.7 Fillruc.tract.1. n.94.Bonacina cum aliis disp.1.q.4. punct. 1. n.6.& punct.5.n.2.Villalobos to.1 tract.4. diff.6.n.3.* Probatur, quia Sacramenta debent conferre, quod necessariū est ad obtinendum ipsorum finem, sed singula habent distinctos & peculiares fines. Ergo conferre debent distinctam, & peculiarem gratiam. Cum autem gratia iustificans, & virtutes infusæ sint eiusdem rationis in omnibus, & per se non sufficiant ad excitandam voluntatem actualiter, addi debent auxilia gratiæ præuenientis vnicuiq; Sacramento proportionata; quæ licet alia quoq; ratione, nimirum per orationem, aut meritum possint adquiri, tamen per vsum Sacramentorum faciliùs, & certiùs adquiruntur. Sic Baptismus dat speciale auxilium ad conformandum se Christo, seruandaq; diuina præcepta. Confirmatio dat robur ad fidem confitendam. Eucharistia præstat auxilij vires ad charitatem conseruandam, & augendam. Extrema vnctio confortat hominem ad vincendas tentationes in articulo mortis. Pœnitentia confert auxilium ad detestanda peccata, & satisfaciendum pro ipsis sine recidiua. Ordo dat specialem gratiam ad exercendas religiosè functiones sacras. Matrimonium ad conuiuendum in eo statu cum fidelitate, castitate, pietate.

4 Suppono 3. dari semper infallibiliter per Sacramenta non ponentibus obicem non solùm gratiam habitualem, vt definit Trident.sess.7.can.7.sed etiam gratiam sacramentalem, quantum est ex parte Sacramenti. Verum hæc ex parte recipientis duo requirit: Primum vt eo tempore, quo recepturus est auxilia, sit in statu gratiæ. Nec enim hic effectus datur, nisi vt coniunctus gratiæ iustificanti; & qui est in peccato, redditur indignus supernaturalibus donis, quamuis interdum illa conferat Deus peccatoribus ex sua liberalitate. Secundum vt homo non habeat actualem dispositionem his auxilijs repugnantem. v. g. si propter Eucharistiam, aut Matrimonium erat dandum auxilium ad charitatem nutriendam erga proximum, vel coniugem; dum quis actualiter gerit odium erga illum, non ipsi conferetur auxilium, vt pote prædictæ dispositioni contrarium; ponitur enim obex talibus auxilijs. *Ita Suarez to.3.disp.7.sect.4. fin. Fillrucius tract.1.n.100.& 137.* vbi subdit actualem dispositionem repugnantem gratiæ sacramentali nonnunquam esse voluntariam distractionem, & veniale peccatum, quod in singulis Sacramentis clariùs exponetur.

Addit Henriquez lib.1.cap.12.nu.8. hanc gratiam sacramentalem in Sacramentis, quę nō possunt iterari, recuperari per pœnitentiam, si per peccatum amittatur, vt in Baptismo, confirmatione, ac

ac ordine: quia liberalis Deus non vult, iustos tanto bono fraudari. Quæ ratio probat similiter, recuperari gratiam Matrimonij, quod viuo coniuge non iteratur. Sic etiam videtur per pœnitentiam recuperari gratia Sacramentalis Extremæ vnctionis: nam hæc non iteratur in eodem morbi periculo. In alijs Sacramentis non est ita necessarium, recuperari gratiam sacramentalem, cùm facilè possint iterari; Quamvis piè credi possit redire.

CAP. III. QVÆST. I.

An omnia Sacramenta conferant æqualem gratiam?

6 SI comparatio fiat inter Sacramenta specie diuersa, videlicet inter Baptismum, & confirmationem; res est incerta. Quamvis *S. Thom. 3. p. q. 65. a. 3.* videatur in hoc etiam Eucharistiam præferre. Videantur *Suarez ibi, & Fillincius tract. 1. n. 98.* Si verò comparatio fiat inter Sacramenta solo numero diuersa, videlicet inter duo baptismata, vel duas confirmationes, &c. Prima sententia docet, ratione sanctitatis, & deuotionis Ministri Sacramentum vni cõferre maiorem gratiam, quam alteri. Sic asserit *Caietanus 3. p. q. 64. a. 1. ad 2. Verum hanc sententiam iam refellimus* supra *cap. 2. num. 4.*

7 Secunda sententia docet, etiam æqualiter dispositis conferre Sacramenta gratiam inæqualem propter solam Dei voluntatem, qui prædestinauit vnum ad maiorem gloriam, quàm alium. *Ita sentit Paludanus in 4. dist. 4. q. 1. a. 2.* vbi loquens de Baptismo dixit, paruulos, qui cum solo Baptismo morituri sunt, recipere gratiam inæqualem, quia prædestinati sunt ad inæqualem gloriam, vt nimirum obtineant sedes malorum Angelorum, qui sicut in natura, sic in gratia, & in gloria futuri censentur inæquales. Fauent *Scotus in 4. dist. 4. q. 7. art. 1. Gabriel ibi. quæst. 2. art. 2. concl. 7.* Quatenus asserunt, rem esse dubiam, an Sacramentum conferat vni maiorem gratiam, quam alteri propter solam Dei voluntatem. Hæc sententia leuissimo nititur fundamento, siue potius leuissima dicitur coniectura sine fundamento. Quapropter illam refellunt *Suarez to. 3. disp. 7. sect. 5. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 6. n. 6. Coninch. 3. p. q. 62. a. 47. dicens, non videri probabilem.*

8 Tertia sententia per oppositum asserit, Sacramenta eiusdem rationis æqualem semper gratiam conferre recipientibus, quamuis inæqualiter dispositis. Probatur: nam vt Sacramentum cõferat suum effectum ex opere operato, solum requirit, vt recipiens non ponat obicem, & tunc operatur, quantum potest, conferens quantam gratiam vi sua potest conferre, melior autem dispositio recipientis conferet ad maiorem gratiam recipiendam ex opere operantis, non tamen ex opere operato, cum in obicis negatione sint omnes æquales. Hanc sententiam *refert Suarez supr. & forsan improbabilem non esse, dicit Lessius 3 p. q. 69. a. 8. n. 8.*

9 Dico 1. Sacramenta conferre semper æqualem gratiam subiectis æque dispositis. Sic docent *S. Thom. 3. p. q. 69. a. 8. Rickardus, Alensis, S. Bonauentura, Sotus, quos sequitur Suarez sup. sect. 5. Coninch. num. 49. Layman eo num. 6. Lessius, n 7. Fillincius num. 96. Henriq. lib. 1. cap. 14. num. 1. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 4. dub. 2. Bonacin. de Sacram. disp. 1. quæst. 4 punct. 3. cum alijs.* Probatur 1. *ex Patribus, Augustino, Damasceno, Chrysostomo, Nazianzeno,* quos afferunt *Suarez, & Lessius supra. Certe S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum,* expressè docet, effectum baptismi, quantum ex ipso est, æqualem esse in omnibus, idque probat 1. ex definitione Concilij Carthag. 2. quia sicut sol æqualiter radios suos effundit, ita baptismus. 3. ex parabola seminis a Domino super omnem terrã seminati, quamuis ex terræ varia fecunditate inæquales fructus procrearit: idem confirmat *epist. 59.* quia Deus non est personarum acceptor.

Pro-

Probatur 2. ratione; quia licèt Sacramentum non sit agens naturale, seu necessarium, tamen ex certa lege, seu promissione Dei determinatur ad modum agentis naturalis, vt secundum dispositionis proportionem producat definitũ effectum, quòd satis innuit *Tridẽtinum sess. 7. can. 7. de Sacram.* Sicut enim decreuit Deus, ritè suscipientibus Sacramenta semper conferre gratiam, sic oportuit mensuram gratiæ singulis definire, cùm ad conuenientem prouidentiæ modum spectet, vt singulæ causæ certos habeant effectus; & idem secundum idẽ semper sit aptum facere idem. Cùm ergo ex parte Dei principalis agẽtis, & ex parte Sacramenti, quòd est instrumentum, semper effectus gratiæ sit æqualis; si detur etiam ex parte recipientium æqualitas, effectus erit semper æqualis.

10 Dico 2. meliùs dispositis conferunt Sacramenta maiorem gratiam ex opere operato. Sic tradunt Doctores num. præcedenti relati, & *S. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 10 sic ait, Remissio peccatorum omnibus aquè per baptismum donatur, gratia verò spiritus sancti secundum proportionem Fidei, & puritatis.* Accedit *Tridentinum sess. 6. cap. 6.* Vbi loquens de iustificatione per baptismum, dicit singulos recipere iustitiam *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, pro vt vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Itaque pone, duos recipere Baptismum (idem est de Pœnitentia) cùm attritione sola, sed inæquali, certè non possunt ex opere operantis vllam gratiam mereri, nam attritio peccatoris nõ est meritoria gratiæ iustificantis; & tamen secundum Tridentinum recipiunt cum Sacramento gratiam inæqualem. Ergo datur excessus ex opere operato propter meliorem dispositionem recipientis, ne scilicèt attritus vt centum, & attritus vt vnum æqualem fructum Sacramenti percipiant. Ratio fuit institutio Christi, qui rectè sic statuit, quoniã iustissimæ distributioni diuinæ prouidentiæ consentaneum erat, vt meliùs disposito daretur ampliùs, & sic homines excitentur ad feruentiorem dispositionem.

Simile quid videmus in causis naturalibus, quæ meliorem effectum in subiectum aptius inducunt; Quare decuit causas gratuitas eandem seruare proportionem; & indè soluitur fundamentum oppositum. Nota verò causas naturales habere limitatam virtutem, ita vt calidum vt sex V.g. non possit ampliùs efficere, quàm sex gradus, quantumuis subiectum patiens sit aptissimũ; at Sacramentis credẽdum est Christum Dominum vim illimitatam dedisse meritorum suorum, ita vt singula secundum certam proportionem, quo melior fuerit dispositio recipientis, possint maiorẽ, & maiorem gratiam conferre sine limite. Nimirùm vt Baptismus infantibus nullam habentibus dispositionem, conferat vnum gradum gratiæ, habenti dispositionem vt duo, conferat quatuor gradus, Confirmatio sex, Eucharistia octo, & sic deinceps proportionaliter sine termino. Verisimile quippe fit, non omnia Sacramenta æqualem gratiam conferre eidem dispositioni, vt vidimus n. 6. quanquam incertum sit, quantam vnumquodque conferat; omnia tamen crescente dispositione recipientis sine termino, vberiorem fructum parient in infinitum. Videatur *Lessius sup. num. 8.*

11 Nota rursus, si dispositio recipientis sufficit extrà Sacramentum ad promerendam gratiam, qualis est contritio, vel amor Dei super omnia, tunc meliùs dispositum recipere maiorem gratiam, non solùm ex opere operato virtute Sacramenti, sed etiam ex opere operantis ex vi dispositionis. Non enim debet esse talis dispositio deterioris cõditionis ob coniunctionem cùm Sacramento: lucratur ergo vi sua portionem gratiæ, quàm extra Sacramentum mereretur. Si verò dispositio non sufficiat extrà Sacramentum ad gratiam obtinendam, vt non sufficit attritio peccatoris, non datur recipienti Sacramentum

tum

tuarvlla gratia præcisè vi dispositionis ex opere operantis; quia talis dispositio per coniunctionem cùm Sacramento non adquirit vim ad promerendam gratiam in eomet instanti, quo disponit ad illam recipiendam ex opere operato vi Sacramenti. Sic ostendunt. *Sotus in 4. dist. 6. quæst. 1. artic. 6. Suarez tom. 3. disp. 7. sect. 5. concl. 3. Bonac. disp. 1. q. 4. punct. 3. n. 3. & 4.* colligens indè recipientem Sacramēta Baptismi, vel Pœnitentiæ cùm contritione, non solùm ex opere operato vi Sacramenti, sed etiam ex opere operantis vi dispositionis præcisè recipere maiorem gratiam, quàm accedentem ad ea Sacramenta cùm attritione duntaxat.

CAP. III. QVÆST. II.

An omnia Sacramenta producant primam gratiam?

12 PRimam gratiam vocamus, qua mortale peccatum expellitur, & peccator primo iustificatur; secūdam verò gratiam vocare possumus, qua gratia iusti iam accepta nouum accipit incrementum. Et quidem certum est, non omnia Sacramenta nouæ legis, sed duo dūtaxat, scilicèt Baptismum, & Pœnitentiam per se primo principaliter instituta fuisse ad tollendum peccatum, & ad conferendam primam gratiam. Constat enim ex fide, Baptismum institutum fuisse per se primo ad delendam originale peccatum: Pœnitentiam ad remittēdas culpas actuales, quæ, si mortales sint, non tolluntur nisi per infusionem primæ gratiæ. Cętera verò Sacramenta per se primo principaliter instituta fuisse ad augendam gratiam, ideoque supponere recipientem in gratia constitutum. Ita definit Florentinum in Decreto de Sacram. docent communiter Doctores, *Suar. tom. 3. disp. 7. sect. 2. Bonacin. de Sacram. disput. 1. quæst. 4. punct. 2. num. 2. Layman lib. 5. tract. 1. c. 6. num. 1. Castro Palaus tom. 4. tract. 18. disput. 1. punct. 7. num. 3.* Quapropter Baptismus, & Pœnitentia dicuntur Sacramēta mortuorum, quia collata mortuis in peccato, dant ipsis vitam spiritualem per infusionem primæ gratiæ. Reliqua verò dicuntur Sacramenta viuorum, quia per se supponunt, recipientem habere vitam gratiæ, quàm augeant, & corroborent. *Ita Castro Palaus supra Villalobos to. 1. tract. 4. Diffic. 7.*

13 Certum est etiam, Baptismum cōferre paruulis primam gratiam; quia Fides docet, paruulos per Baptismum iustificari. Verùm adultis nunquàm dari per Sacramenta primam gratiam, sentiunt *Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 2. post 4. concl. & Petrus de Soto lectione 4. de Baptismo, & lect. 8. de Pœnit.* quatenus ad recipiendum Baptismum, & Pœnitentiam prærequirunt in recipiente contritionem, per quàm iam erit remissum peccatum, & prima gratia collata.

Communior tamen, & verior sententia docet, interdum de facto cōferri per Baptismum, & Pœnitentiam adultis primam gratiā ex institutione talium Sacramentorum. Cùm enim hæc duo Sacramenta sint instituta per se primo principaliter ad delendum peccatum mortale, quòd de lege communi non expellitur nisi per gratiam, oportet, vt habeant per se vim conferendi primam gratiam, & faciendi de attrito contritum; ac subindè nōn debent prærequirere contritionem, sed attritionem, vt latè probāt *Suar. sup. Vazquez 3. p. disp. 158. cap. 4. Bonacina disp. 2. q. 2. punct 6. num. 25. Diana cum alijs part. 3. tract. 4. Resol. 13.*

14 Restat Difficultas. An Sacramenta viuorum interdum per accidens remittant mortale peccatum, & cōferant primam gratiam? Negat *de cunctis Sacramentis viuorum Villalobos to. 1. tract. 4. Diffic. 7. num. 4. Specialiter de Eucharistia negant S. Bonau. in 4. dist. 13. part. 2. art. 1. quæst. 2. & dist. 19. art. 2. quæst. 3. Gabriel dist. 9. quæst. 2. art. 2. concl. 1. Maior ibi quæst. 1. Vazquez disp. 205. cap. 4. & 5. Probatur, quia cùm effectus Sacramentorum* ex sola Dei voluntate fuerint

eis assignati, nullum effectum ex opere operato possumus Sacramentis adscribere, nisi vel Scriptura, vel traditione constet, vel ex ipsorum institutione colligatur: sed hunc effectum, nimirùm collationem primæ gratiæ nec Scriptura, nec Ecclesiæ definitio tribuunt Sacramentis Viuorum; nec traditio Patrum, qui possunt exponi de peccatis venialibus, vel de præseruatione mortalium, dùm asserunt hæc Sacramenta viuorum esse peccatorum remedia. Nec ipsorum institutio talem effectum indicat, sed potiùs ostendit oppositum, cùm instituta sint ad roborandam, nutriendam, & augendam vitam spiritualem, potiùs quàm ad primo generandam. Ergo Sacramenta Viuorum nunquàm conferunt remissionem peccatorum, nec primam gratiam.

15 Affirmant communiter Doctores tum in communi de Sacramentis omnibus; tum in particulari de Sacramento Eucharistiæ, de quo potissimum loquitur *S. Thom. 3. p. quæst. 79. art. 3. & quæst. 80. art. 4. ad 5. Paludanus, Richardus, Sotus, Syluester, Victoria, Vega, Palacios, quos sequitur Suarez 3. part. tom. 3. disput. 63. sect. 1. concl. 3. Bellarminus de Euch. lib. 4. cap. 19. Coninch. 3. p. quæst. 79. num. 52. Henriq. lib. 8. cap. 34. num. 3. Fillincius tract. 4. num. 161. Fagundez Præcept. 3. lib. 4. cap. 2. num. 9. Toletus lib. 2. cap. 29. Bonacina cum alijs disp. 4. quæst. 4. punct. 1. num. 2.* De omnibus Sacramentis viuorum loquuntur *Henriquez lib. 1. cap. 12. num. 2. & cap. 22. num. 6. Suarez disp. 7. sect. 2. Castro Palaus tom. 4. tract. 18. punct. 7. num. 3. Coninch. quæst. 62. num. 42. Reginaldus lib. 26. n. 45. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 4. dub. 3. Bonacin. disp. 1. quæst. 4. punct. 2. num. 2. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 6. num. 2. Petrus de Ledesma de Sacram. cap. 4. concl. 3. & alij.*

16 Probatur, nam omnia Sacramenta nouæ legis eo ipso, quòd habent vim conferendi gratiam ex opere operato, planè conferunt illam non ponentibus obicem, vt Concilia tradunt, ac subindè possunt etiam primam gratiam conferre non impedientibus. Nimirùm dum aliquis existens in peccato mortali, sed inuincibiliter putans, habere se Dei gratiam, aut sufficientem dispositionem, bona fide recipit Confirmationem, Eucharistiam &c. non peccat, nec ponit obicem actualem gratiæ per Sacramentum recipiendæ; Ergo recipit illam. Sicut enim Sacramenta, quæ per se primo principaliter instituta sunt ad conferendam primam gratiam, si reperiãt subiectum anteà iustificatum, conferunt illi gratiam secundam, cùm nihil obstet ex parte subiecti; sic Sacramenta, quæ per se primo principaliter instituta sunt ad augendam gratiam, si non inueniant in subiecto gratiam primam, conferunt illam, dum non insit obex suscipienti. Confirmatur, nam omnia Sacramenta gratiam ex institutione significant, & per consequens illam conferre possunt, ac de facto conferunt omnibus non ponentibus obicem, vt docet *Trident. sess. 7. can. 7.* Nec prima gratia distinguitur essentialiter à secunda: Poterunt ergo Sacramenta viuorum per accidens primam gratiam conferre peccatoribus accedentibus bona fide.

17 Ad fundamentum oppositum respondetur, hunc effectum ex ipsamet institutione Sacramentorũ colligi, quatenus instituta sunt ad communicãdam gratiam, quàm continent, omnibus non ponentibus obicem; & licèt quædam per se communicent gratiam primam; quædam verò secundam: Cùm hæc sit accidentalis duntaxat differentia gratiæ, non tollit, quin per accidens illa cõmunicent interdum gratiam secũdam, & hæc interdum gratiam primam, intercedente nimirùm bona fide cùm sufficiente dispositione. De qua sit.

CAP. III. QVÆST. III.

Quam dispositionem recipientis requirant Sacramenta viuorum, vt conferant primam gratiam?

18 PRima sententia docet recipientem Sacramenta viuorum bona

na fide, quia putat inuincibiliter, se gratiã habere, vel dispositionem sufficientem, quamuis sit in peccato mortali, nec aliam dispositionẽ habeat, per tale Sacramentum iustificari; Sic sentiunt *Durandus in 4. dist. 9. q. 4. Paludanus ibi q. 2. S. Antoninus p. 3. tit. 12. c. 6. §. 7.* Probatur; quia Sacramenta dant gratiam non ponentibus obicẽ; Sed qui sic accedunt, non ponunt obicem, siquidem non peccant sic accedendo: Ergò iustificantur. Fauent Sotus, & Catherinus *apud Suarium to. 3. disp. 63. sect. 2.* quatenus non agnoscunt accessum ad Eucharistiam mediũ, idest sine peccato nouo, vel gratia recepta, putãtes oẽm côicantem, qui côicãdo nõ peccat mortaliter, iustificari. *Vazq. 3. p. disp. 205. n. 33.* fine, cẽset, ab Authoribus admittẽtibus, dari primam gratiã interdũ per Eucharistiam (idem erit de cęteris Sacramentis viuorũ) sine fundamento requiri dolorẽ de peccato, quasi sufficere debeât in ea sentẽtia bona fides recipiẽtis, & virtus Sacramenti.

19 Secunda sententia docet, sufficere quidem attritionem etiam cognitam. Quia vel attritio est dispositio sufficiens, vt homo iustificetur per Sacramenta viuorum, vel non; si non sufficit, quamuis existimetur contritio, non sequetur effectus; nam existimatio sola non auget dispositionem, & per consequens Sacramenta viuorum nunquãm cõferent primam gratiam. Si tamen attritio sufficit (vt in nostra sententia videtur dicendũ) quamuis sit cognita, sufficiet; falsa siquidem existimatio non conducit ad effectum Sacramenti; nec attritionis cognitio quidquãm detrahit de doloris substantia, vel de vi Sacramenti. Non est ergò, cur nõ sufficiat attritio cognita. Nullum Authorẽ huius sententię reperi. *Filliuc. vero tract. 3. n. 56. & 57. & 131.* dicit, esse valdè probabilem. Quia præceptum diuinum solùm est de recipiendis dignè Sacramentis tàm viuorum, quàm mortuorum. Sed dignè recipit, qui non ponit obicem gratiæ Sacramenti, qualis est, qui veram habet attritionem: Cùm enim Baptismus, & Pęnitentia cõferant gratiam attrito, signum est attritum nõ ponere obicem gratiæ Sacramenti.

20 Dico 1. cõtra primam sententiam, vt Sacramenta viuorum conferant primam gratiam, requiri prorsus attritionem supernaturalem saltem extrinsecè. Quare non sufficit ignorantia, vel obliuio, quantumuis inculpabilis, peccati, si reuera recipiens Sacramentũ sit in peccato mortali, nec detestetur illud ex motiuo simpliciter honesto. Quia secundum communem legem peccatum, quòd voluntariè committitur, non remittitur sine voluntaria detestatione, seu retractatione, quãm Deus non acceptat, nisi sit simpliciter honesta; videlicèt ex motiuo simpliciter honesto. Nec hæc necessitas retractationis sublata fuit per institutionem Sacramentorum, sed adhuc in lege gratiæ perseuerat, vt docet *Tridentinum sess. 6. c. 6.* vbi nomine contritionis latè sumpto comprehẽdit etiam attritionem, vt patet ex contextu. Sic docent *Sotus in 4. dist. 7. q. 1. art. 7. Valentia tom. 4. disp. 5. q. 1. punct. 4. Suar. to. 3. disp. 63. sect. 2. Henriq. lib. 8. ca. 45. n. 2. Filliuc. tract. 4. n. 169. Reginaldus lib. 28. n. 34. & lib. 29. n. 109. Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 6. punct. 2. n. 15. & disp. 4. q. 6. punct. 1. n. 32.* qui colligit indè cũ quibusdam Doctoribus, recipiẽtem Sacramenta Viuorũ elicere debere contritionis, vel attritionis actũ, ne careat fructu Sacramẽti, si fortè sit in peccato mortali, quòd ignoret. Ad fundamẽtum primæ sententiæ negatur minor; & enim licèt sic recipiens Sacramentum non peccet recipiendo, ponit tamen obicem per mortale peccatum non retractatum, sufficiẽter; cui subindè censetur affectus habitualiter adhærere.

21 Dico 2. contra secundam sententiã, simul cũ attritione prædicta requiritur bona fides existimantis, se ritè dispositũ accedere, quatenus inuincibiliter vel ignorat, se peccasse mortaliter, vel putat se contritum esse, vel credit, sibi licere, cũ attritione sola tale Sacramentum suscipere. Sic Doctores communiter supponũt; & docent *ipse Filliuc. tract. 4. n. 169.*

Sotus, Valentia, Reginaldus, Henriquez, Suarez supra, qui dicit, oppositam sententiam nec probabilem, nec sine temeritate posse defendi.

22 Probatur ex communi consensu Theologorum, & Patrum requirentium tum ad omnia Sacramenta viuorũ, tum præsertim ad Eucharistiam recipiendã, vt recipiens accedat puro corde sine cõscientia peccati mortalis. Per se quippe Sacramenta viuorum in recipiente requirunt statum gratiæ, quã augere possint iuxta finem institutionis suæ. Quare præcepto diuino naturali tenemur, supposita Sacramẽtorum institutione, gratiam iustificationis obtinere, priusquam ad Sacramenta viuorũ accedamus. Nec ab hoc præcepto excusamur, nisi per inculpabilem ignorantiã peccati, vel præcepti, vel attritionis, quam reputemus contritionem: alioquin cognoscens, se teneri culpa mortali, præceptumq; simul non accedendi cum conscientia peccati mortalis ad Sacramenta viuorum, si vellet accedere cũ attritione cognita, certè Sacramentum reciperet indignè; quia scienter violat præceptum purificandi conscientiam ad dignè recipiendum. Vnde corruit fundamentum secundæ sententiæ. Nam attritio per se non ponit obicem gratiæ, sed potius adhibet sufficientem dispositionem, & retractationem, vt gratia per Sacramentum conferatur; sicut per Baptismum, & Pęnitẽtiã confertur attritis. At si mala fides accedat, & cognitio violati pręcepti, hæc ponit obicem gratiæ, quatenus ponit mortale peccatum, ac proindè veram rationem attritionis vniuersalis destruit.

Hinc fit contra Sotum, Catherinum, Durandum, & alios, posse quempiam recipere Sacramenta in statu medio; scilicet ita vt nec peccet mortaliter recipiendo Sacramentum, nec recipiat gratiam cum illo; si nimirum existens in mortali, nõ habeat saltem veram attritionem, & inuincibiliter existimet, se ritè dispositum esse. Sic notant *Suarez. to. 3. disp. 63. sect. 2. Filliuc. tract. 4. n. 170. Fagundez cum alijs Precep. 3. lib. 4. c. 2. n. 14.*

CAP. III. QVÆST. IV.

An Sacramentum fictè susceptum recedente fictione conferat gratiam?

23 VT videamus, quando Sacramenta conferant suos effectus, possumus triplex tempus distinguere. Primum est antecedens receptionem Sacramenti, secundum est comitans receptionem. Tertium subsequens illam. Circa primum etsi quidam apud *Sotum in 4. dist. 1. q. 2. ar. 1. putarint*, Sacramenti votum ante realem eiusdem susceptionem interdum conferre gratiam ex opere operato; certissimum tamen esse debet, nullum Sacramentum conferre suum effectum ex opere operato, priusquam re ipsa suscipiatur; vt docent *Sotus sup. Suarez. to. 3. disp. 8. sec. 1. Coninch. q. 62. n. 61. Filliuc. trac. 1. n. 101. cum alijs.* Nam effectus Sacramentorum scilicet Baptismi *Marc. vltim.* confirmationis, *Act. 8.* Eucharistiæ, *Ioa. 6.* non promittũtur nisi realiter suscipienti Sacramenta. Igitur tempore præcedenti per solum Sacramenti votum nihil confertur ex opere operato, sed ex opere operantis respondebit ei gratia, si conditiones habeat requisitas ad merendum illam.

24 Circa secundum tempus difficilè videtur, quando possit Sacramentũ causare suos effectus. Cum enim sit ens successiuum, nunquam est simul secundum esse perfectum (excipe Sacramentũ Eucharistiæ, quod permanet) Nõ potest autem causare gratiam, antequam sit perfectum, nec postquã desiit: Nunquã ergo causare potest. Quidã dicunt Sacramenta causare gratiam in tempore vel determinato, vel indeterminato. Quidã recurrũt ad instans extrinsecum, quod ad causalitatem moralem sufficiẽs est. Alij melius ad instãs intrinsecum, in quo datur terminus successionis sufficiens ad Sacramenti complementum, qui licet sit extrinsecus motui præcedenti, tamen est intrinsecus Sacramento; nam ex parte materiæ permanet contactus aquæ, vel

vel olei, vel similis; ex parte formæ permanet sonus; ac subinde Sacramentum per aliquod sui complementum realiter existens in instanti terminatiuo producit gratiam habitualem non solùm moraliter, sed etiam physicè secundum opinionem probabiliorem, quam *tradidi* 1. *p. lib.* 1. *disp.* 11. Gratiam vero Sacramentalem auxiliorum non producit tunc physicè, sed confert ius ad illam, vt Deus in opportunitatibus intuitu Sacramenti suppeditet auxilium superabundans. At Eucharistia cum sit Sacramentum permanens, non producit gratiam, quando completur forma consecrationis, sed in ipsa sui sumptione. *Videantur Henriq li.* 1. *c.* 19. *n.* 1. *Suarez to.* 3. *disp.* 8. *sect.* 2. *Coninch. q.* 62. *n.* 62. *& 63. Bonacin. de Sacr. disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 7. *n.* 20.

25 Circa tertium tempus insurgit difficultas, vtrum Sacramenta conferant gratiam, post quam transacta sunt, & procedit de gratia iustificante; quia Sacramentalis ferè semper datur post transactum Sacramentum, vt nuper dicebamus. Suppono q; 1. Sacramenta tempore subsequente sui receptionem non conferre suum effectum; nisi fuerint fictè suscepta: cōferunt enim vnicum effectum gratiæ iustificantis propriè loquendo. Quare si Sacramentum præstat suum effectum, quando recipitur, postea non conferet alium similem, quia solum ordinatur ad vnicum adæquatum effectū gratiæ conferendum. *Ita Suarez supra sect.* 3 *Filliuc. tract.* 1. *num.* 104.

26 Suppono 2. duplicem dari posse fictionem in Sacramentis. Prima contingit, quando deficit intentio recipiendi Sacramentū, vel aliquid aliud essentiale Sacramento defectu cuius sit nullum, & tūc iterari debet, nec aliter obtinetur eius effectus, quamvis tollatur fictio; nam intentio subsequens sine noua materia, & forma non facit validum Sacramentum. *Ita Suarez, to.* 3. *disp.* 28. *sect.* 4. *Coninch. q.* 6. 2. *n.* 64. *Bonac. disp.* 1. *q* 6. *punct.* 3. *Castro Palaus to.* 4. *tract.* 18. *punct.* 9. *n.* 1. *&* 2. *Villal. to.* 1. *tr.* 5. *diffic.* 20. *n.* 1. Secunda fictio contingit, quando Sacramentū secundum essentialia validum fit, & integrum recipitur, non tamen sortitur effectum defectu dispositionis in recipiēte requisitæ, quia scilicet non habet dispositionem necessariam recipiendo fructui talis Sacramenti. Tunc igitur quærimus, vtrum Sacramentum validè sed fictè susceptum, postea recedēte fictione per contritionē, aut attritionē respectiuè, conferat gratiam ex opere operato.

27 Prima sententia negat omninò. Sic Iuristæ quidam cum Glossa in cap. *Tūc valere, de consecrat. dist.* 4. *Ioānes de Medina. Cod. de confessione, q. de confessione ficta* iteranda docentes, recedēte fictione Baptismi fieri remissionem peccatorūm non virtute Baptismi, sed solius cōtritionis, itaut nihil speciale correspondeat Baptismo, quod dicit *Vazquez* 3. *p. disp.* 159. *n.* 5 videri contra mentem Augustini; verum infra *n.* 35. putat ipse, probabilius esse, recedente fictione, nullum gratiæ gradum ex opere operato conferri virtute Baptismi. Fauent *Scotus in* 4. *dist.* 4. *q.* 5. *Gabriel ibi q.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. *Paludanus. q.* 5. *Sotus dist.* 6. *q.* 1. *a.* 8. quatenus solam remissionem pœnæ pro peccatis ante Baptismum, vel in ipso commissis debitæ tribuunt Baptismo tunc temporis ex opere operato. Fundamentum est quia collatio gratiæ iustificantis ex opere operato non est asserenda sine sufficiente fundamento, quod hic non suppetit. Nam auctoritas Augustini relati prædicto cap. *Tunc valere*, qua cæteri Doctores nituntur, de remissione pœnæ capi potest; vel quatenus per Baptismū fictè susceptum satisfit obligationi suscipiendi Baptismi: nec recedente fictione debet aliud baptisma recipi, cum iā per illud homo sit capax aliorum Sacramētorum, quibus postea iustificetur.

28 Secunda sententia soli Baptismo tribuit hanc efficaciam conferendi gratiam recedēte fictione, quia de solo Baptismo loquitur S. Augustinus relatus in cap. *Tunc valere, de consec. dist.* 4. Ita tenet sub conditione *Vaz q.* 3. *p. disp.* 161. *n.* 10. *dicēs cum Soto sup.* si cui Sacramento conuenit, recedēte fictione gratiā cōfer-

re, nulli nisi Baptismo conuenire.

29 Tertia sententia tribuit hoc priuilegium Sacramentis imprimentibus caracterem, ne prorsum ipsorum gratia frustretur: si semel validè suscepta non habuerint effectum. Cum enim repeti non possint, iam non poterit ipsorũ fructus obtineri, nisi recedente fictione cõferant illum. *Ita Syluester, Canus, & alij, quos sequitur Sylu. 3.p.q.69.a.10. Maior in 4.dist.4.q.2. Couarrub. in c. Alma mater. p.1.§ 4.n.13. Fauent. S.Tho. in 4.dist. 4.q.3.a.2.quaestiunc.3.ad 3.& Richardus ibi.a.2.q.2.ad* 2. quatenus alijs Sacramẽtis hoc denegant: quoniam non imprimunt characterem.

30 Quarta sententia Baptismo, & Pœnitentiæ tribuit, vt recedente fictione suum effectum operentur; nam hæc duo Sacramenta sunt instituta per se principaliter ad remissionem peccati per infusionem primæ gratiæ, ac subindè sunt valdè necessaria saluti. Quare non debet effectu suo frustari, dum obex antea positus tollatur. Insinuat *Durãdus in 4.dist. 4.q.4.n.8.& 10.& dist.17.q.13.n.7. sequitur Canus relect. de Pœnit. p.5.§. sed enim.* Petrus de Ledesma tract. de Baptismo. *cap.* 11. *concl.* 1. & 2. & *tract. de Pœnit. cap.*18.*concl.*8.

31 Quinta sententia censet, omnia Sacramenta, recedente fictione, producere suum effectum, quoniã eadem omnium videtur esse ratio quoad efficaciã supernaturalẽ. Ergo cũ hoc sit tribuẽdum Baptismo iuxta sententiam Augustini cõmuniter receptam, nõ est, cur alij omnibus non tribuatur. Innuit *S.Th. in 4.dist. 17.q.3.a.4.quaestiunc.* 1. quatenus docet, recipiet Sacramentum Pœnitentiæ cum obice, postmodum hoc sublato percipere fructum ipsius, *sicut* (inquit) *etiam in alijs Sacramentis*. Tenent *aperte Caiet. in opusc. to.1.tr.5.q.5. Petrus de Soto lect.5. de Baptismo, Hẽriq. l.1.c.25.n.1.& 8. Bonac. de Sacr. disp.1.q.6. punct.3.n.3. Cabrer.* 3. *p.q.69.a.10.disp.3.n.9. Diana p.3.tr.4.resol.15. dicens,* hanc sententiam multum extollere dignitatem Sacramentorum. *Nuñus Cabezudus 3.p.q.62.ar.1.diffic.6. excipit* Eucharistiam, & Pœnitentiã; quia facilè repeti possunt. Solam autem Eucharistiam, si post consumptas species obex tollatur, recipiunt *Suarez. 3.p.to.* 3. *disp.28.sect.6.& disp.63.sect.8. Fillucius tract.1.n.138.& sequentibus, Villalob. to. 1.tr.5.diffic.20.& 21.& tract.7.diffic.* 32. *n.2. Card. de Lugo de Sacram. disp.9. nu.* 23.100.& 108. *Trullench. de Sacr. lib.* 1. *c.5.dub.3. Lessius.3.p.q.69.n.22.*

32 Hæc sententia videtur præferenda, tum propter Authoritatem S. August. de Baptismo contra Donatistas *l.1.c.10.& 12.& l.3.c.13.& l.6.c.5. dicẽtis,* Baptismũ quem hæreticus recipit, incipere valere ad salutem, cum ad reconciliationẽ Ecclesiæ venerit, operarique in hæretico reconciliato peccatorũ remissionem; quia sanctũ est, & semen Christi, quod iniquitate suscipientiũ pollui non potest. Quæ verba satis indicant, Baptismum ritè susceptum, recedente fictione, vi sua cõferre gratiam, aliàs nõ operaretur propriè salutẽ, nec peccata remitteret, vt latius expẽdũt *Card. de Lugo sup. Coninch. 3.p. q.62.n.70. Castro Palaus to.4. tr.18. disp. 1.pũct.9.nu.4.* De cęteris vero Sacramẽtis nihil dixit Augustinus, quia nõ occurrebat occasio, idem autẽ sensisse videtur cũ eadẽ ferè sit omniũ ratio. Sicut enim per Baptismum voluit Christus nostræ necessitati subuenire suauiter, & efficaciter contra peccatum originale, cęteraq; præcedentia baptismum; sic per confirmationem, Eucharistiam &c. Subuenire voluit nostræ necessitati, vt roboraremur ad profitendam fidem, ad nutriendam, & conseruandam charitatem, ad rectè præstanda sacra ministeria &c. Ergo sicut Baptismus impeditus obice retinet suã efficaciã ad præstãdos suos effectus etiam nõ necessarios ad salutem quãdo tollitur obex, sic cętera Sacramẽta pariter retinere censenda sunt. Tũ etiam quoniam hæc sentẽtia conformior videtur diuinæ bonitati conanti sui cõmunicationem, & effectus Sacramẽtorũ operari, quoties obex recipiẽtis amouetur. Quodlibet .n. Sacramentũ est opus diuinæ bonitatis ex sese viuũ, & efficax,

gratiæ,

gratiæ, qua nobis diuina natura communicatur tanquam Dei filijs. Ergo quamvis per fictionem possit quodammodo mortificari, & eius effectus impediri, tamen recedente fictione, mox viuificatur, & suam efficaciam exerit, secundum quam in acceptatione diuina mansit.

33 Sed descendamus ad singula Sacramēta. De Baptismo ferè cōueniunt omnes cum *S. Th. 3. p. q. 69. ar. 1*. Cum enim solus Baptismus sit per se principaliter institutus ad remissionē originalis peccati per infusionem primæ gratiæ; nec possit aliud Sacramentum per se principaliter tollere peccatum originale, vel actuale commissum ante baptismū dicendum est, obice sublato, Baptismum recuperare vim suam ad remittēda per se talia peccata, conferendamq; gratiā primam. In cæteris Sacramentis licet nō sit ita certum est, tamen valdè probabile. Nam in Pœnitentia viget eadem ferè ratio, si detur Pœnitentiæ Sacramentum informe, siquidem peccata semel validè manifestata nō tenemur iterum subijcere clauibus. Quare non dabitur aliud Sacramētum, per quod directè remittantur; si Pœnitentia prior informis obice sublato, non reuiuiscat. Si non detur Pœnitentiæ Sacramentum informe (quod probabilius reputo) non habet hæc quæstio locum in hoc Sacramento.

In confirmatione, ac ordine, quæ characterem imprimunt, viget coniectura supra facta *n. 29*. Maximè quippe decet diuinam liberalitatem, vt homo constitutus in statu quodam immobili, ad quē indiget gratia Sacramentali, possit illā obice remoto recuperare; ne semel impeditus fictione, maneat semper obligatus ad functiones sine gratia talibus operibus propria. Nec recuperatur gratia Sacramentalis sine habituali, cum qua connectitur; nam habitualis gratia collata per Sacramenta dat ius intrinsecū, & quasi radicale ad auxilia gratiæ Sacramentalis. Quæ ratio probat etiam in Matrimonio, quatenus aliquo modo perpetuum est, siquidem viuēte coniuge nō potest iterari. Pariter probat in extremā vnctione, quoties eodē mortis periculo durante tollitur obex. Si verò dissoluto Matrimonio, vel recuperata sanitate, tollatur obex Matrimonij, vel extremæ vnctionis: *adhuc Villal. to. 1 tr. 5 diff. c. 21. n. 2. & Auersa de extrema vnct. q. 1. sect. 3. dicunt* hæc Sacramenta sortiri suum effectū; quia per accidens est, occasiones fuisse transactas, & Sacramenta per se habēt ex institutione sua sublatis impedimētis operari: credendū enim est talē efficaciam Sacramentis fuisse concessā. Et quidē effectus gratiæ sanctificantis in omni statu cōueniens, & opportunus est ad animæ salutem vel inducendam, vel promouendam; gratia vero Sacramentalis extremæ vnctionis etiā post recuperatam sanitatē deseruire potest ad extirpandas reliquias peccatorū, & ad superandam Dæmonis infestationē gratia Sacramentalis Matrimonij post obitum coniugis deseruire potest ad educādā prolem, si superfit, ad conseruandum pium affectū erga coniugem defunctū, aliaq; grauamina tolerāda forsā ex Matrimonio relicta. Cōsonat *Nugnus in addit. q. 30. art. 1. Cæterum Coninch. 3. p. q. 62. n. 76. & 77 Laymā l. 5. tr. 1 c. 7. n. 5. & Card. de Lugo sup. n. 106.* negāt, in eo casu cōferre suum effectū ista Sacramēta; quia cessat ratio præcipua talis actiuitatis, cum hæc Sacramenta iam iterari possint, & ipsorum fructus percipi per Sacramenta denuo recepta. *Suarez, to. 3. disp. 28. sect. 6.* censet vtrumq; probabile, quoniam vtraq; coniectura verisimilis est, cui libenter subscribo.

34 Eucharistia potest fictè suscipi vel cum aperto sacrilegio, vel bona fide: si sumatur cū aperto sacrilegio cognoscētis se indignè cōmunicare; nec tollatur obex ante cōsūptas species Sacramētales, nullum operatur effectū recedente postea fictione Nam qui sic manducat indignè, indicium sibi manducat, vt inquit *Apostolus 1. Corinth. 11.* scelus immane committens. Ergo non est, cui fructum inde percipiat, vnde tā grauiter delinquit; cum præsertim iterari facilè

Sacramentũ,& dignè recipi possit. Alioqui Sacerdos, qui cùm indignitate sibi nota contrarius,& fas celebrat grauissimis criminibus, & censuris innodatus, sępiùs etiam quotidie per longam vitã, reciperet in fine vitæ contritus gratiæ cumulum ingentẽ ex tot sacrilegijs horrẽdis; quòd apparet satis absurdum. *Ita sentiunt S.Thom.in 4.d.4.q.3.ar.2. quæstiunc.3. ad 3. Durandus, Maior, Palud. ibi, Cano, Syluester, & alij, quos sequitur Suarez sup.disp.63. sect.8. Filliuc. tract. 1 num.143. Bonac.disp.1.quæst.6. punct. 3 Coninch.q.62 n.78. Henriq. lib.1. cap. 25 n.7. Palaus to.4.tract.18.punct.9.nu.6. Villalob.to.1.tract.7. Diffic.32 n.1. Trullench.& Layman supra, Auersa de Euch. q.7.sect.1.*

35 Si verò tollatur obex antè cõsumptas species, probabile quidem est, conferri fructum Sacramenti. Nam promissio gratiæ facta fuit huic Sacramento propter Christum manducatum non ratione solius manducationis, sed ratione quoque termini manentis, & per mãducationem applicati, iuxta id *Ioan. 6. Qui manducat me, viuet propter me. Rursus in me manet, & ego in illo. Vbi Augustinus tract. 26. ait*, Manducare Christum est illum manentem in se habere. Dum ergò manet Christus in stomacho sub speciebus efficax est ad producẽdam gratiam iuxta dispositionem subiecti; subindeque posita sufficiente dispositione, conferet gratiam ex opere operato; quia manet adhuc Sacramentum cùm efficacia sibi propria. *Sic docẽt Caietanus 3.p.q.79.art.1. Coninch.ibi. n.48. Paludanus in 4. dist.17.q.8. Suarez disp.63. sect 7. Lessius sup.* & satis innuunt alij dicentes, effectum Eucharistiæ non conferri, quando tollitur obex post consumptas species, siue corruptas, ita vt iam non adsit Christus in stomaco; quasi velint, conferri quidem, si tollatur obex, dum adhuc manet Christus in stomacho sub speciebus.

36 Hoc est multò probabilius, quando moribundus bona fide communicauit in peccato mortali falsò putans, se necessariam habere dispositionem, nec licèt iterum eodem die viaticũ in gratia recipere: Quare recedente fictione, dũ adhuc manet Christus in stomacho sub speciebus, valdè verisimile fit, conferri moribũdo fructũ Eucharistiæ. Quin etiamsi tollatur obex corruptis iam speciebus, probabile quidem est, in hoc casu dari moribundo fructum cõmunionis; & extrà mortis articulũ quoque quoties fictio posita fuit bona fide, quamuis tollatur post corruptas species, dari fructũ Eucharistiæ. Nam qui sic cõmunicauit, non manducauit sibi iudiciũ; nec subindè militat in illo ratio supra facta *n. 34.* & aliundè virtus & excellentia talis Sacramenti postulare videtur, vt quando non ponitur culpabiliter obex, post illum ablatũ, etiamsi sint species corruptæ, conferat suum effectũ. *Ita cẽsent Bonacin.de Sacram.disp.1 q.6. punct.3 n.3. Henriq. lib.1.c.25.n.7.& lib.8.c.43.n.4. vbi citat S.Thomam, & alios.*

CAP. III. QVÆST. V.

Qualis dispositio requiratur ad tollendum obicem?

37 Paludanus *in 4.q.5. Syluest. Baptismus 4.q.17.* simpliciter asserunt, attritionem sufficere ad tollendã fictionem, sicut sufficit ad recipiendũ dignè Baptismum, aut Pęnitẽtiam, & eius fructũ. At duplex obex distinguẽdus est, alter positiuus, alter negatiuus. Positiuus est, quãdo quis actualiter peccat recipiẽdo Sacramentum. Negatiuus est, quãdo quis indispositus accedit ad Sacramentum, tamen hoc inuincibiliter ignorat, ideoq; nõ peccat. Sic distinguunt *Suar.3. p.to.3.disp.28.sect.5. Coninch.q.62, n.80. Diana p.3.tract.4.Resol.14. Villalob.to.1. tract.5. Diffic.20.* Quoties obex fuit positiuus, conueniũt Doctores, non sufficere solã attritionẽ ad tollendum obicem, sed requiri contritionẽ, vel attritionem cum Sacramẽto. Probatur, quia nullum Sacramentũ institutum est ad tollenda peccata futura, nec vim habet ad ipsorũ remissionẽ; sed peccatum indignæ rece-

ptionis est aliquo modo natura posterius ipso Sacramento; Quippè nō solùm interna voluntas recipiendi Sacramentum sacrilegè, sed ipsamet externa receptio verū peccatum est, quòd non cōpletur, donec perfecta receptione Sacramentum fuerit collatū; & consequenter secundum esse cōpletum est saltem natura posteriùs ipso Sacramento. Sic docent Authores relati colligentes indefictionē baptismi non remitti per baptismum, sed per Pœnitentiam, & per consequens aperiendā esse Confessario. Consonant *Nuñus 3.p.q.69.art.10.dub.2.Cabrera ibi disp.2.§.2.Sylvius, q.69.art.10. Ioannes de la Cruz in Directorio, p.2.de Bapt.q.4.dub.4.concl.2.Bonacin.disp.1.q.6.punct.3.n.3. Diana sup. Lessius 3.p.q.69.n.22.Trullench.de Sacram.lib.1.cap.5.dub.3.*

38 Quoties obex fuerit negatiuus, & post Sacramentū fictè susceptū commissa fuerit culpa lethalis, probabile reputant *Paludanus in 4.dist.4.q.5. & Suar. sup.* solā attritionē sufficere. Quia licèt Sacramenta nō sint instituta pro peccatis futuris, per accidens tamen videntur in hoc casu posse talia peccata remittere; sicut Sacramenta viuorū per accidēs interdum conferunt prima gratiam, & confessio delet indirectè peccata, quę licitè tacentur.

39 Multò tamen probabilius est, in eo casu necessariam esse contritionem, vel attritionem cùm Sacramento. Sic docēt *Suar. & Bonac. supra, Coninch. n.82. & 89. Durandus in 4.dist.4.q.4.ad 1. Scotus ibi q.5. obiectione 2. Vazquez 3.p. disp.160.c.2.n.10. Palaus to.4. tract.18. punct.10.n.3.* Quia præcedens Sacramentum, cùm institutū sit ad remittenda peccata præcedentia dumtaxat, nullam vim habet ad remittenda peccata subsequentia, nec indirectè, neque per accidens: Nec attritio per se sufficit ad remissionē peccati mortalis, nisi cū aliquo Sacramento cōiungatur. Vndè colligunt *Coninch. & Vazquez*, oppositum non esse probabile, Quoniam ex Augustino supra, cōmuniq; consensu Theologorum habemus, Sacramenta nullam habere vim ad remittēda directè, vel indirectè peccata post ipsorum receptionem cōmittenda; nam applicant merita Christi; dū vnicuique conferuntur, & non ad effectū indeterminatū, qualis esset peccatorum futurorum remissio. Debēt ergò semper ad præterita solùm determinari; sicut in exemplis positis *n.38.* semper remittuntur præterita. Ferè consentiunt *Diana, Nuñus, Villalobos, & alij relati n.37.*

40 Restat difficultas, quādo fuit obex negatiuus, nec posteà commissum fuit mortale peccatū; an ad tolendum obicē sufficiat attritio? Quidam negant *cum Scoto in 4.dist.4.q.5.proposit.3.* Nam hoc nobis ex auctoritate dumtaxat præsertim Augustini constare posset: Sed nec Augustinus, nec vllus antiquior affirmauit, sufficere solā attritionem; ergò nec nos debemus id affirmare. Verùm hæc ratio non vrget; nā, vt benè notat *Vazquez sup.* nec Augustinus, nec antiqui disputarunt vnquam de hoc casu, sed de fictione positiua: Quare nō est mirum, si non dixerint, attritionem sufficere.

41 Dico 1. in hoc casu sufficit attritio, quæ moraliter omnia peccata detestetur. *Ita Paludanus, Suar. & Diana supr. Coninch. n.91. Lessius nu.21. Palaus n.2. Henriq. lib.1.c.24.n.2. & lib.2.c.27.n.3. Bonacin. disp.1.q.6.punct.6.n.3. Cabrera 3.p.q.69.art.10.disp.10. Cardin. de Lugo de Sacram. disp.9.n.52. Auersa 3.p.q.62. sect.4.* Probatur; quia peccata commissa, priusquā recipiatur Sacramentū, respectu ipsius non habent rationē obicis, nisi quatenus permanent habitualiter voluntaria. Sed hæc ratio voluntarij sufficienter tollitur per veram attritionem. Ergò sufficienter etiam tollitur obex; siquidē qui sic receperat Sacramentum, nullam commisit culpā mortalem, quæ tollenda sit per aliud Sacramentū. Confirmatur; nam omnia Sacramēta remittunt attrito peccata mortalia prius cōmissa, quatenus ex opere operato cōferunt gratiam, vt vidimus *q.2.* sed similiter, dū reuiuiscunt obice sublato conferūt gratiam ex opere operato: Similiter

ergò remittũt attrito peccata mortalia priùs cõmissa. Sicut enim attritio cũ Sacramento bona fide suscepto sufficeret ad gratiam, per se quidem in Sacramentis mortuorum, & per accidens in Sacramentis viuorum, sine ordine ad aliud futurum Sacramentum; sic etiam cùm bona fide sufficiet, vt reuiuiscat Sacramentum fide susceptum. Quoniam suppletur ea dispositio, quæ præterito Sacramento defuit, & quasi retrotrahitur, vt tanquam dispositio præcedentis Sacramenti sufficienter disponat ad recipiendum fructum ipsius ex opere operato.

42 Dico 2. quãdo Sacramentũ reuiniscit per solã attritionem, tũc solũ Sacramentũ confert tòtam gratiã; quãdo verò reuiuiscit per Sacramentũ Pœnitẽtiæ, simul natura cùm illo confert gratiã, vt causa partialis maiorẽ, quàm vnũquodque per se conferret. Nam vtraq; causa vim habet producẽdi gratiã determinatam; nec vna vim alterius impedit. Idem est, quãdo tollitur obex per contritionẽ; tàm enim cõtritio præsens, quàm Sacramentũ præcedens simul natura concurrunt ad conferendã gratiam, & remittẽda peccata per modũ vnius agentis totalis; ita vt totus effectus sit à singulis partialitate causæ, nõ effectus. *Ita Suar. sup. Palaus n. 5. Coninch. n. 98. & 101.*

43 An autem dum Sacramentũ obice sublato reuiuiscit, conferat gratiã iuxta mensuram præsentis dispositionis, ita vt meliùs dispositio conferat maiorẽ gratiam? Affirmat *Cardinal. de Lugo sup. n. 71. & sequentibus*, consonat *Vazquez 3. p. disp. 159. c. 5.* ex suppositione quod Sacramentum recedente fictione gratiam conferat ex opere operato. Probatur; quia Sacramentũ, dum recipitur, cõfert plus gratiæ meliùs disposito iuxta supra dicta *q. 1.* Ergò similiter dũ reuiuiscit, siquidẽ militat eadẽ ratio, & idem inconueniens apparet, quando Sacramentum reuiuiscit per solam attritionẽ, quòd attritus vt 100. non recipiat maiorem gratiam, quàm attritus vt vnũ. Cõfirmatur ex *Trid. sess. 6. c. 7.* dicẽte, dari gratiam adultis per Sacramenta secundùm propriam cuiusq; dispositionem; illũ autem actum, quo tollitur obex in nostro casu, veram, & propriam dispositionem esse, probant *Vazquez, & Card. de Lugo.* Quia Sacramentum præsens non confert suũ effectum sine dispositione recipiẽtis; ergò nec Sacramentũ præteritum poterit illum producere sine dispositione necessaria, cũ non habeat maiorem actiuitatem Sacramentum prẹteritũ, quàm prẹsens, & per cõsequens iuxta mensuram dispositionis, qua tollitur obex, conferetur inæqualiter gratia.

Negant *Suar. to. 3. disp. 28. sect. 4. Coninch. q. 62 n. 102. Lessius 3. p. q. 69 n. 18. Auersa, q. 62. sect. 2.* quamuis oppositum cẽseant esse probabile. Probãt; quia gratia Sacramenti commensuratur cùm dispositione recipientis actualiter, & hæc dispositio in actuali receptione nulla fuit, vnde minimã conferet gratiã, quam tale Sacramentũ conferre solet; qualem nimirũ confert Baptismus infantibus, & quòdlibet Sacramentum amẽtibus, qui non habent obicem, nec dispositionem vllam. Nã actus, quo tollitur fictio, non est vera dispositio, sed solùm remouens prohibẽs, vt Sacramentũ præteritũ operetur suum effectum iuxta dispositionẽ subiecti; quòd equidem hic, & nũc reporitur sine obice, sed simul sine vlla dispositione. Cõfirmatur quia Sacramẽtũ, dũ confertur, applicat merita Christi ad effectum determinatũ vel tũc, vel vbi primum fictio recesserit, conferendũ secundum dispositionem, quam tunc reperit in subiecto; non autem applicat ad effectum indeterminatum, qualis esset, si foret attendendus actus, quo postea tolletur obex; posset quippè posteà dari gratia vel vt 100. vel vt vnũ pro varia dispositione subiecti. Nõ ergò datur gratia secũdum dispositionẽ tollentis fictionem, sed iuxta dispositionem habitam tempore receptionis.

44 Vtrumq; possibile quidẽ est; sactũ pendet ex institutione diuina, quæ nobis quoad hanc commensurationem non est omninò manifesta. *Quare Palaus to. 4.*

10.4.tract.18.punct.10.n.9. vtramq; partem probabilem censuit, & sub disiunctione defendit; quod olim ego secutus fui. Nunc verò probabiliorem reputo partem affirmantem, de facto gratiam promissam fuisse Sacramentis iuxta mēsuram dispositionis existentis, quando fructus Sacramenti cōmunicandus est; Vnde si tollitur obex meliori dispositione, maior gratia confereтur ex vi Sacramenti iuxta mensuram dispositionis tollentis fictionem. Cum enim Sacramentum præcedens fuerit impeditum ob defectum solius dispositionis ad suum effectum præ requisitæ, nequibit ad operandum expediri, nisi posita dispositione, cuius defectus impediebat; & per consequens actus tollens fictionem est propria dispositio, iuxta cuius mēsuram conferant Sacramenta gratiam.

Nec obstant fundamenta contraria. Nam ad primum dicimus, actum illum, quo tollitur fictio, quamvis propriè non disponat ad Sacramentum, quod sine illo validè fuit receptum, esse verò dispositionem veram, & propriam ad fructū Sacramenti recipiendum, videlicet ad iustificationem, de qua loquitur generaliter Tridentinum asserens, nos recipere iustitiam in nobis, vnumquemq; suam *secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, secūdum propriam cuiusq; dispositionem, & cooperationem*, quæ doctrina verificatur etiam, quoties homo iustificatur extra Sacramentū per contritionē, vbi dispositio non inest ad Sacramentum, sed ad gratiam, quę (sicut aliæ formæ) melius cōmunicatur subiecto disposito melius ad ipsam; Itaq; dicimus, actum, quo fictio tollitur, disponere quidem ad effectum Sacramenti, qui debeat subinde tali dispositioni commensurari Vnde dicimus ad secundum, actum, quo tollitur obex, non concurrere solùm remouendo prohibens, sed positiuè simul ad gratiam disponendo: sicut enim quando Sacramentum dignè recipitur gratia correspondet non soli Sacramento, sed simul dispositioni recipientis, itaut ex vtroq; conflетur mēsura gratiæ, quæ confertur ex opere operato, vt vidimus q.1. sic etiam quando recedēte fictione reuiuiscit, adæquata mensura gratiæ conflari debet non solùm ex Sacramēto, sed etiam ex dispositione præsenti ad gratiam recipiendā prærequisita. Ad confirmationem dicimus, non esse quidem incōueniēs, acceptari Sacramentum, quando fictè recipitur, ad effectum indeterminatum secundum præsentem statum, determinatum verò iuxta mensuram futuræ dispositionis, quam Deus optimè nouit. Etenim causas acceptat Deus secundū modum singularū proprium. At Sacramentum in homine compote rationis est causa indifferens ex se, quę determinari debeat per dispositionē; vnde quādo non est posita dispositio requisita, solū acceptatur vt causa indifferēs, cuius effectus determinandus vltimò fit per futuram dispositionem.

CAP. III. QVÆST. VI.

Quid sit character Sacramentalis?

45 PRæter gratiā habitualē, & Sacramentalē quædam Sacramenta producunt aliū affectū, qui vocatur character, idest forma, seu figura. Veteres Patres, & Doct. accipiūt hanc vocē pro signo, seu signaculo, vel nota distinctionis. Hæretici reclamant characterē nihil esse nostris animis impressum. Quia nec scriptura, nec ratione probari potest. Sic *Vvicleffus l.5. Trialogi, c.15. Caluinus in Antidoto Trid. sess.7. can.9. Kennitius in Exam. p.2. Ex cathol. Gabriel in 4. dist.6. q.2. art.2.* dixit, nec ratione certa, nec authoritate manifesta probari characterē Sacramentalem. *Durand. in 4. dist.4. q.1.* docuit, characterē solū esse relationē rationis, aut denominationē extrinsecam, per quā ex institutione diuina deputatur aliquis ad sacras functiones. Quia posita solū relatione rationis, aut extrinseca denominatione, constare possunt omnia, quæ de charactere docet Ecclesia.

46 Dico 1. cōtra Hæreticos, aliqua Sacramenta quemdam effectum in animæ producere, qui rectè vocatur character.

Ita

Ita definiunt *Innoc. III. in cap. Maiores de Bapt. Concil. Florentinum in Decreto de Sacramentis, Tridentin. seff. 7. can. 9. Colligitur ex scriptura 2. Corinth. 1. Vnxit nos, & signauit:* idest vnxit nos per gratiam, & signauit nos charactere. *Ad Eph. 4. In quo signati estis*, idest charactere, vt exponunt vtrobique Patres, & Doctores communiter. Ratio quidem est institutio Diuina, quæ nobis tum scriptura, tum traditione constat, vt ostendunt *Vualdensis tom. 2. cap. 109. Vazquez 3. par. disp. 134. cap. 1. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 7.* Accedit congruentia: Quia decuit, Christi milites, & seruos per aliquod signum à reliquis secerni. Sic docent *S. Thom. 3. p. quæst. 63. a. 1. vbi Nuñus, Pesantius, Conimb. & alij.*

47 Dico 2. contra Durandum, characterem esse qualitatem diuinitùs infusam, qua Christianus redditur aptus ad Sacramenta recipienda, vel ministranda, & ad alia opera cultus Diuini. Hoc significant Concilia relata, quatenùs asserunt imprimi characterem in anima, qui sit signum spirituale: Nam extrinseca denominatio, vel ens rationis, nec est spirituale, nec imprimitur in anima. Sic *S. Thom. sup. art. 2. Coninch. Nuñus, Vazquez ibidem. Suarez to. 3. disp. 11. sect. 2. Bellarm. de Sacram. lib. 2. cap. 19. Bonac. disp. 1. q. 5. punct. 2. Quare sententia Durandi post Concilium Florentinum, & Tridentinum* non potest iam in Ecclesia defendi.

48 Dico 3. Tria Sacramenta, scilicèt Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem. Ita definiunt Concilia relata, & addunt, ideò hæc Sacramenta iterari non posse; quo tacitè significant, non imprimi characterem à reliquis Sacramentis, quæ possunt iterari. Videantur *S. Thom. & eius expositores ibi. Suarez sect. 1. Bonac. punct. 1. n. 8. Filliuc. tract. 1. n. 118.* Quidam reducunt characterem ad primam speciem qualitatis, scilicèt habitum, aut dispositionem: alij reducunt illum ad secundam speciem, scilicèt potentiam. Quidam subiectant illum in intellectu, quidam in voluntate, quidam in anima; Quia Tridentinum dixit, imprimi characterem in anima.

49 Ego dico 4. Characterem secundùm varios respectus posse vel ad primam, vel ad secundam speciem qualitatis reduci; & in anima subiectari mediatè: immediatè verò in intellectu. Sunt enim characteres signa quædam, nimirùm qui datur in Baptismo, domesticorum Dei; qui datur in Confirmatione, militum Dei, qui datur in Ordine, dispensatorum mysteriorum Dei. Sunt etiam quædam animæ dispositiones, quæ nos proximè reddunt idoneos ad aliqua Sacramenta, vel recipienda, vel ministranda. Nam sine charactere Baptismi nullum aliud Sacramentum validè recipimus, & sine charactere Confirmationis minus ordinatè quædam; sine charactere Sacerdotali nemo Pœnitentiam, aut Extremam Vnctionem validè ministrat: nec sine charactere Baptismi validè quispiam ministrabit Sacramentum Matrimonij. Sunt demum characteres quodam modo potentiæ, quatenus coniuncti cum gratia Sacramenti conferunt ius ad auxilia necessaria muneri singulorum, & per naturalem sympathiam excitando potentias, & species intentionales, conducunt ad auxilia Diuina, quibus gratia Sacramentalis continetur, suscipienda, fouenda, coadiuuanda: Quod latiùs ostendimus, 1. *p. lib. 1. disp. 10. cap. 3.*

50 Dico 5. Characterem esse rem, & Sacramentum simul: Quippe Theologi solent in Sacramentis distinguere tria, cum *Magistro in 4. dist. 4.* Primum est Sacramentum tantum, idest, illa signa sensibilia, verba scilicet applicata materiæ, quæ tantùm significant, & non significantur, vt Baptismi forma cum ablutione; Confirmationis verba cum vnctione, &c. secundum est res tantùm, nempè gratia, quæ significatur per illa signa, & ipsa nihil aliud significat. Tertium est res, & Sacramentum simul, idest, res significata: simulque significans. Dicimus ergò congruè characte-

rem

rem vocari rem, & Sacramentum simul Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: quoniam est effectus Sacramenti significatus vtique per illud, & ideò res est; significat etiam gratiam, & hominis deputationem ad Christi familiam, militiam, & Sacerdotium, & ideò simul est Sacramentum, vt docet *S. Thom. 3. p. q.63. a. 3. ad 2.* Quid autem in alijs Sacramentis non imprimentibus characterem sit res, & Sacramentum simul dicetur suis locis.

51 Dico 6. Characterem indelebilem esse, nec propter vllum peccatum quantumvis grauissimum amitti. Quapropter Baptismus, Confirmatio, & Ordo, si semel validè recipiantur, ob nullum peccatum etiam hæresis, aut apostasię commissũ iterari possunt. Ita definiunt *Florent. sup. Trid. sess. 7. can. 9. docent S. Tho. 3. p. q. 63. a. 5. Suar. Vazqu. Coninch. & alij sup.* Sicut .n. Christi Sacerdotium est æternũ, sic omnis huius Sacerdotij participatio, qua res diuino cultui cõsecrãtur ad aliquod sacrũ munus, perpetua perseuerat, dũ res consecratę permanent, vt patet in vasis, & Templis cõsecratis. Cũ igitur anima rationalis duret in æternũ, etiã character durabit, non solùm dùm homo viuit (quod est de fide) sed etiã post hanc vitã in beatis ad gloriam, in damnatis ad confusionẽ; vt docent Theologi communiter, & testatur cõmunis sensus Ecclesiæ, quæ suscitatum ex mortuis non rebaptizat, nec reordinat. Sic enim instituit Christus huius characteris indelebilem impressionẽ in animabus nostris.

CAPVT IV.

De recipiente Sacramenta.

1 QVidam hæretici dixerunt, solos prædestinatos esse capaces Sacramentorum: alij solos iustos. At Fides Catholica docet, omnes, & solos homines viatores esse Sacramẽtorum capaces. Quoniam pro viatoribus dumtaxat, & in ipsorum remediũ instituta sunt Sacramenta. Nec enim Beati recipere possunt augmentum gratiæ, nec damnati peccatorum veniam; sed viatores dumtaxat recipere possunt primam gratiam, & augmentum illius, quod per Sacramenta confertur. *Ita S. Thom. 3. p. q. 64. a. 10. & eius expositores ibi. Henriquez lib. 1. cap. 21. n. 1. Suarez 3. p. to. 3. disp. 14. sect. 1. Reginald. lib. 26. n. 50. Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. 6. punct. 1. Filliuc. tract. 1. n. 128.*

2 Non tamen omnes viatores capaces sunt omnium Sacramentorum; sed singuli possunt aliquod, vel aliqua validè, vel etiam cum fructu recipere. Nimirùm omnis viator est immediatè capax Baptismi; post illum verò susceptum, aliorum etiam Sacramentorum respectiuè, saltem Confirmationis, & Eucharistiæ. Quidam sunt incapax Matrimonij propter impotentiam, aut defectum vsus rationis: ob quem defectum infantes, & amentes perpetui sunt incapaces Pęnitentiæ, ac Extremæ Vnctionis: Huius etiam sunt incapaces sani: Fœminæ sunt incapaces Ordinis. Ita *Suar. sup. Bonac. n. 5. Henriq. n. 2.*

CAP. IV. QVÆST. I.

Quid requiratur ex parte recipientis ad valorem Sacramenti?

3 HÆc quæstio non procedit in Eucharistiæ Sacramento, cum enim consistat in re permanenti, verè conficitur, quamvis non recipiatur; & quicumque recipit Hostiam consecratam, verè recipit Eucharistię Sacramentum, quamvis ignorans recipiat, & nulla, vel qualibet intentione manducet. Nec item procedit in Sacramento Matrimonij, quia cum ijdem sint suscipientes, & ministrantes illud, debent eandem intentionem habere, quam Ministri Sacramentorum, de qua diximus cap. 2. Nec procedit in paruulis, vel adultis, qui numquam habuerunt vsum rationis; hos enim certum est validè recipere Sacramen-

menta, quorum sunt capaces, nimirùm Baptismum saltem, & Confirmationem, licet nullum habeant consensum, vel intentionem. Quippè cùm liberum consensum præstare non possint, aut censendi sunt incapaces omnium Sacramentorum, quod est hæreticum, aut asserendum est aliquod miraculum, vt assentiri possint anticipato rationis vsu, quod sine fundamento fingeretur. Ita *Suarez 3.p.to.3.disp.14.sect.2. Coninck.q.64. n.97. Fillius tract.1. n.130. Bonac. disp.1. q.6. punct. 2.* vbi notat, ideò *Concilium Florentinum* asserens Sacramenta tribus perfici, materia scilicet, & forma, & intentione Ministri, non meminisse recipientis intentionem: quoniam hæc non est semper necessaria, siquidem ad conficiendam Eucharistiam non requiritur ex vi Sacramenti suscipiens, & infantes sine intentione recipiunt verum Baptismum, & veram Confirmationem.

S. Thomas in Addit. 3.p.q.39.a.2. & Henriquez lib.1.cap.22.n.3. dicunt, etiam Ordinem validè conferri paruulis; quia non prærequirit essentialiter actum recipientis. Consonat *Palaus to. 4. tract. 18.punct.12. n.3.* dicens, paruulos esse capaces omnium Sacramentorum præter Pœnitentiam, & Extremam Vnctionem, quæ præsupponunt actuale peccatum; & præter Matrimonium, quod prærequirit consensum liberum contrahentis. Quia reliqua Sacramenta non prærequirunt ad sui valorem propriam suscipientis voluntatem.

4 Manet difficultas in adulto compore rationis: Et prima sententia docet, ad valorem Baptismi sufficere, si quis ore dicat, se consentire, quamvis corde dissentiat. *Ita Glossa in cap. Maiores, de Baptismo.* Sed hoc est apertè falsum, vt videbimus, nisi forsan intelligatur quoad forum exterins, vbi præsumeretur ille verè consensisse, subindeque baptizatus esse; Nam forum externum non iudicat de occultis, & internis actibus, nisi per signa, seu voces externas.

5 Secunda sententia docet, ad valorem Sacramenti non requiri positiuam voluntatem recipientis, sed sufficere positiuam habitudinem, seu neutralem, idest vt adultus non habeat contrariam voluntatem. Vndè si Gentilis adultus, qui nihil vnquam de Baptismo cogitauit, dormiens baptizetur, secundum istam sententiam valeret Baptismus. Ita *Caietanus 3.p. q.68. art.7.* Probatur 1. Nam hoc sufficit in paruulis, vt vidimus *num.3.* ergò pariter in adultis. Probatur 2. Nam *Innocentius III. in cap. Maiores, de Bapt.* sic ait, *Tunc ergò characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.*

6 Tertia sententia potest esse, præter intentionem recipientis requiri fidem, vel attritionem, vel contritionem ad Sacramenti. Fidem indicat *Augustinus in cap. Solet, de Consec. dist.4.* quatenus ad Sacramenti substantiam requirit, vt sine simulatione, & cum aliquali fide recipiatur. Propterea fortasse dixit Cyrillus Hierosolim. in præfatione Catechesium, eos rebaptizari, qui baptizati fuerunt in hæresi. Contritionē, vel attritionem requirent hæretici, qui putarunt, neminem recipere verum Sacramentum, nisi qui rectè dispositus recipit etiam effectum Sacramenti: ne tantum donum sine fructu conferatur, & indigno.

7 Dico 1. ad valorem Sacramenti requiri voluntatem aliquam, & intentionem recipientis, si sit adultus, & rationis compos. Ita *S. Thom. 3.p.q.68. a.7. S. Bonau. Durandus, Scotus, Alensis, Paludanus, Adrianus, Richardus,* quos sequitur, *Suarez supra, Vazquez cum aliis 3.p. disp. 157.n.6. Henriquez lib.1. cap.22. Coninch.q.64.n.100. Layman lib.5.tract.2. cap. 6.n.4. Bonac. sup. Palaus n.4.* Probatur *ex cap. Maiores. §. Item quaeritur. de Bapt.* vbi sic ait *Innoc. III. Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem recipit Sacramenti,* rationemque reddit. *Quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire.* Quasi dicat: qui numquam consentit, nec rem, nec effectum Sacramenti

ti recipit; ergò nec ea recipiet, qui Sacramento recipiendo contradicit. Accedit Augustinus multis in locis; refertur in *cap. Cum pro paruulis, de Consec. dist.4.* Ratio redditur à priori, quia sic Deus voluit, & Christus instituit, quòd ex communi Doctorum,& Ecclesię sensu cognoscimus. Confirmatur à simili; quia sicut Deus non iustificat adultum sine consensu ipsius libero;sic per Sacramenta non consecrat nisi liberè volentem. Hoc enim spectat ad suauem Dei prouidentiam; nec decebat hominem liberum omninò repugnantem Sacramentis initiari, quòd Suarez in singulis Sacramentis sigillatim ostendit.

8 At nota 1. non requiri consensum recipientis actualem, sed sufficere præteritum non reuocatum. *Ita Vazquez sup.n.8.Coninch.n.*102. *Bonac.n.*8. *Reginald.lib.*26.*n.*50. *Henriq. & alij.Sic tradunt Innoc.*3. *in eo cap.Maiores. S.Leo Papa epist.*89. *& definitur in Conc. Carthag.*3.*cap.*34. *& Arausic.*1.*can.*12. decernentibus, vt ægrotis, qui loqui non possunt, Sacramenta ministrentur, si præteritæ voluntatis testimonium aliorum verbis habeatur. Vnde rectè colligit Vazquez, non solùm ad valorem,sed etiam ad fructum Sacramenti sufficere talem voluntatem; alioqui non præciperent Concilia, Sacramenta conferri.

9 Quare non requiritur ad Sacramenti valorem intentio virtualis recipientis,qualem ex parte ministrantis requiri diximus *cap.*2.*q.*10. sed sufficit habitualis, quatenus significat volitionem præteritam non retractatam, sed interruptam, & solùm habitualiter permanentem. *Ita S.Thomas, S.Bonau. Richardus, Alensis, Syluester, Sotus, Gabriel*, quos sequitur *Vazquez sup.n.*11.*&* 14. *Bonac. sup.cum alijs, Trullench. de Sacram.lib.*2.*cap.*1.*dub.*7.*n.*4. *Et lib.*1.*c.* 5.*dub.*2.*n.*2. *Approbat Innoc.*3.*in eo cap. Maiores* §. *finali*, dum asserit,amentes, qui fuerunt sui compotes, & voluntatem habuerunt Baptismi, quàm non retractarunt, baptizandos esse. Cur autem ex parte Ministri requiratur intentio virtualis, & ex parte recipientis sufficiat habitualis, rationem reddunt *Suarez, Vazquez*, & alij communiter. Quia Minister est agens,& operatur per intentionem, quæ nequit influere, nisi vel in se,vel in aliqua sui virtute,vel operatione perseueret. Qui verò recipit, est patiens, ac subindè licèt aliquo modo dispositus esse debeat sua voluntate, non tamen requiritur ad receptionem, sic ipsum voluntariè concurrere, vt ipsa receptio procedat à recipientis voluntate. Sufficit enim, receptionem esse voluntariam non vt effectum, sed vt obiectum volitum, & hoc sufficienter præstatur per volitionem omninò præteritam,& non retractatam.

10 Imò licèt ad Pęnitentiæ Sacramētum validè recipiendum debeat pœnitens illud explicitè petiuisse; nam actus pęnitentis sunt pars huius Sacramenti; pro reliquis verò Sacramentis sufficit ipsorum implicita petitio. *Sic notant Suarez,Henriquez, Bonac.sup. Coninch. num.*103. Ideò quicunq; vult fieri Christianus, vel habere veram cōtritionem, aut attritionem, censetur implicitè petere Baptismum,quamuis illum nunquā audierit. Quia talis dolor includit virtuale propositum seruandi præcepta, quorum vnum est præceptum recipiendi Baptismum.Item qui catholicè viuit, vel contritionem, aut attritionem elicit, censetur velle sibi morienti dari Sacramenta solita morientibus ab Ecclesiā conferri. Quapropter si subitò destituatur vsu rationis, debet inungi, nisi certo sciatur, esse, in peccato mortali, de quo non doluerit, quòd non est facilè præsumendum,nisi quis in ipso actu peccandi subito priuetur vsu rationis. Si tamē aliquādiu post peccatum commissum vsus fuerit ratione,potest pręsumi saltē attritus esse,vt docet Aug.*li.*1.de adulterinis coniugijs,c.vltimo, & expēdit *Coninch. sup.* qui subdit *n.*105. similiter omnibus baptizatis nondum confirmatis, qui reputentur iusti, validè cōferri Confirmationē etiam nesciētibus,aut amentibus; modò non habuerint voluntatē explicitam

tam non recipiendi Confirmationem. Hoc enim ipso, quod iste catholicè, pièque viuit, censetur aliquo modo velle, sibi conferri quælibet Sacramenta, quæ Christianis omnibus valdè sunt vtilia, qualis est Confirmatio. Secus est de Ordine, cum enim tantam status mutationem contineat, nullus adultus censetur illum petere, qui non habuerit aliquandò talem expressam voluntatem.

11 Nota 2. volitionem recipiendi Sacramentum futuram esse simpliciter liberam: quia debet esse rationalis, & per consequens immunis ab omni coactione absoluta; vt expresse definiunt *Innoc. III. in eo cap. Maiores, & Conc. Carthag. 3. cap. 34.* Quare nullum Sacramentum recipiet, qui prorsùs inuitus baptizatur, aut fungitur, &c. vt docent *Reginaldus lib. 26. n. 50. Coninch. q. 64. n. 98. Bonacin. disp. 1. q. 6. punct. 2. n. 4.* Si verò detur verus consensus recipientis, quantumvis extortus metu graui etiam extrinsecus incusso contra iustitiam, sufficiet ad valorem Sacramenti. Sufficit enim quæcumque voluntas, quantumvis coacta, vt verè quis baptizetur, confirmetur, &c. Sic Doctores communiter, quos refert, & sequitur *Vazquez 3. p. disp. 157. n. 10. Zambranus cap. 1 dub. 6. n. 1. Bonac. sup. sup. cum alijs, Coninch. n. 99 Definitur in Conc. Toletano 4. cap. 55. & refertur cap. de Iudæis. 45. dist.* Quod approbat *Innoc. III. in eo cap. Maiores, §. fin. Probatur,* quia voluntas coacta voluntas est simpliciter libera, quamvis aliquod inuoluntarium habeat admixtum, & ideò iure naturæ sufficit ad valorem actuum; nisi per ius positiuum irritetur, sicut irritatur Matrimonium metu contractum, de quo diximus in *tract. de actibus humanis cap. 7. q. 10. & sequentibus,* & dicemus infrà *lib. 9. & 10.*

12 Nota 3. ad valorem Sacramenti non sufficere voluntatem recipientis cōditionatam sub conditione futura. Nam hoc modo suspenderetur Sacramētum, quod fieri nequit: sed esse necessariam voluntatem absolutam, vel æquiualentem absolutæ volitioni, vt docet *Coninch. q. 64. n. 107.* & nos diximus de Ministro *sup. c. 3 q. 11.* vbi Matrimonium excepimus, & hic etiam excipiendum est.

13 Ad primum fundamentum secundæ sententiæ concesso antecedente negatur consequentia. Discrimen assignat *Augustinus in cap. Cùm pro paruulis. de consec. dist. 4.* dicens, pro paruulis ideò sufficere, vt alij respondeant, quoniam ipsi respondere non possunt. *At si pro eo* (inquit) *qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet.* Quasi dicat, non easdem conditiones in omnibus subiectis ad valorem Sacramentorum requiri, sed iuxtà singulorum capacitatem. Cum ergò paruulus non sit capax propriæ Voluntatis liberæ, voluntas Christi, vel Ecclesiæ sufficit ipsi; secus autem esse debuit in adulto, qui capax est propriæ voluntatis.

14 Ad secundum respondetur, Innocentium illis verbis iuxtà præcedentia capiendum esse, quatenùs per contrariam voluntatem intelligat, non solùm positiuum dissensum, sed etiam carentiam consensus. Etenim quia quæsitum fuerat de recipiente Baptismum inuitè, de hoc expressè respondet: iam verò dixerat, solam carentiam consensus obsistere Sacramento. Sic intelligit illum textum *Suarez tom. 3. disp. 14. sect. 2.*

15 Dico 2. Præter Pœnitentiæ Sacramentum, de quo dicemus *lib. 6.* cœtera nullam dispositionem fidei, vel attritionis, vel sanctitatis ad sui valorem requirunt. Ita *Suarez sup. Vazquez 3. p. disp. 157. n. 17. Fillincius tract. 1. n. 133. Castro Palaus to. 4. tract. 18. punct. 12. n. 8.* constat ex definitione Conciliorum, & Pontificum asserentium, hæreticos baptizatos, vel ordinatos iuxtà ritum Ecclesiæ Catholicæ non esse iterùm baptizandos, vel ordinandos: consonat *Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 14.* & vsus Ecclesiæ confirmat. Vnde fit, ex parte recipiētis, nullam dispositionem supernaturalem esse necessariam ad Sacramenti valorem, imò nec bonum voluntatis motum, sed sufficere solam intentionem reci-

recipiendi, quod in Ecclesia recipi consueuit, vt in simili diximus de ministrante; quamvis finis recipientis sit prauus, vt notat *Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. 35.* dicens. Si quis baptizetur propter lucrum, aut propter aliquod flagitium committendum, validè baptizari.

16 Ad fundamentum tertiæ sententiæ respondetur, tantam esse Dei bonitatem, vt omnibus se communicet, donaque sua, quantum est in ipso, suppeditet, iustè permittens interdum, vt praui Sacramentis abutantur: noluit tamen, ea tunc irritari: quia Sacramenta debuerunt esse certa, & vniuersalia. Quare nonnumquam etiam illis prosunt, qui receperunt indignè Sacramenta: si videlicet postea fictio recedat. Augustinus ibi magis dubitando, quàm asserendo procedit: nec requirit fidem simpliciter, idest supernaturalem, sed aliqualem credulitatem, qualis scilicet necessaria sit ad habendam voluntatem recipiẽdi Sacramentum, vt Sacramentum est. Cyrillus intelligendus est de his, qui circa substantiam Sacramentorum sequuntur hereticum dogma: subindeque veram formam, aut materiam Baptismi corrumpunt. Quippe nisi talis defectus interueniat, sola hæresis recipientis non irritat Sacramentum.

CAP. VI. QVÆST. II.

Quid requiratur ex parte recipientis ad gratiam ex Sacramento percipiendam?

17 SVppono 1. Quæstionem non procedere de paruulis, vel amentibus, qui numquam vsi sunt ratione: constat enim in his nullam requiri dispositionem: quia sicut aliena voluntate peccauerunt, ita sine proprijs actibus iustificantur. Vnde Baptismus semper, & infallibiliter in his sortitur effectum, tam characteris, quàm gratiæ; nam hi non possunt obicem ponere, cum non sint capaces actualis culpæ, nec ad remissionem originalis peccati requiratur ipsorum aliqua dispositio. Post Baptismum verò, si Confirmationem, vel aliud Sacramentum, cuius sint capaces, recipiant, infallibiliter etiam recipient eius effectum ob eamdem causam. Ita *Suarez 3. p. to. 3. disp. 7. sect. 4. Filliuc. tract. 1. n. 134. Coninch. q. 62. n. 23.*

18 Suppono 2 conuenire Doctores, vt adultus percipiat ex Sacramento gratiam, requiri dispositionem aliquam recipientis. Ita *Gabriel in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. Vazquez 3. p. disp. 158. n. 2. Suarez sup. Filliuc. n. 135. Coninch. n. 24.* Videlicet in intellectu fidem, sine qua (vt dicitur *Hebræor. 11.*) impossibile est placere Deo: & in voluntate pium aliquem motum in Deum, qui non admittit adultum ad suam amicitiam, nisi priùs adultus illam amplexetur liberè. Dissentiunt autem Doctores, qualis esse debeat hic motus voluntatis, præsertim in Baptismi, vel Pœnitentiæ receptione.

19 Prima sententia docet ad effectum Baptismi sufficere solam volitionem illum recipiendi sine vllo dolore; vel detestatione peccatorum. Ita videtur sentire *Caietanus 3. p. q. 68. a. 2 ad. 1. §. vltimo.* Secunda sententia docet, sufficere dolorem naturalem. Ita videtur sentire *Sotus in 4. dist. 6. q. 1. a. 7. §. At verò.* Tertia sententia docet, ad effectum cuiuslibet Sacramenti percipiendum in eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, requiri cõtritionem. Ita sentit de Baptismo *Gabriel sup. art. 2. post 4. conclus.* & de Pœnitentia sic censet *Magister in 4. dist. 18. lit. H.* quamvis *dist. 5. lit. C.* contrarium insinuet de Baptismo. Quarta sententia tenet, ad effectum Baptismi, seu Pœnitentiæ sufficere attritionem quando bona fide putatur contritio: secus si cognoscatur esse tantum attritio. Citantur *Adrianus in 4. de Pœnit. q. 1. Alensis 4. p. q. 18. memb. 2. a. 1. Medina Codice de Confess. q. de confessione ficta iteranda. Corduba lib. 1. q. 2.* videantur *Vazquez sup. cap. 1. & 2. & Cabrera 3. p. q. 69. a. 8. disp. 2. §. 5. & 10.*

20 Quinta sententia communis, & vera

ra docet, ad recipiendum fructum Baptismi, vel Pœnitentię, quæ sunt Sacramẽta mortuorum, attritionem sufficere licèt cognitam; Ad reliqua verò Sacramenta, quæ sunt viuorum, per se loquendo requiri contritionem; quandoque per accidens attritionem sufficere, nimirùm si simul adsit bona fides. Ita docent *S.Thom.in 4.dist.6.q.1.a.3.quæstiunc.1. ad.5. Durandus dist.4. q.2. ad 2. Henriquez lib.1.cap.22.n.5. Layman lib.5.tract.1.cap.6.n.5. Villalob.to.1.tract.5.diffic. 19.Bonac.cum alijs disp.1.q.6.punct.2.n. 12.& 13. Suarez, & Cabrera sup. Vazquez cap.4.Coninch. n.31.* Pro cuius maiori declaratione, seu confirmatione.

21 Dico 1. iustos ad recipiendam gratiam in Sacramentis, quæ sunt viuorum, præter intentionem recipiendi Sacramentum, alia bona dispositione non indigere. Nam Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, dum in suscipiente voluntariè nullus obex existat. Non potest autem alius obex adesse voluntariè suscipienti Sacramentum, nisi mortale peccatum: ergò si hoc absit, cõfertur gratiæ sanctificantis augmentum. Verùm ob reuerentiam Sacramẽti valdè decet, & ad augmentum gratiæ conducit, vt ad actualem pietatem, & deuotionem quisque quamvis iustus, semet excitet, imò quoniam incerti sumus de nostra gratia, suadendum est suscepturis Sacramẽtum, vt saltem generalem peccatorum dolorem concipiant, ne forsan illud cum obice recipiant. Ita *S.Thom. 3.p.q.79. a.8. Scotus in 4. dist.4. q.7. Castro Palaus to. 4. tract. 18. punct. 13. n. 2. Suarez, & Layman sup. Coninch. n. 44. Filliucius n.136.Bonac. n.10.*

Idem est de iusto recipiente Baptismum: quod siquis adultus nullum habẽs peccatum actuale mortale, sed solùm originale, veniat ad Baptismum iustificandus, non tenetur habere dolorem de peccatis, sed sufficit illi pius animi motus, Fidei videlicèt, & spei, quo feratur in Deum. Videantur *Suarez, Vazquez, & Layman sup. Coninch. n. 27. Henriquez lib.2.cap.26.n.1. Bonac.disp.2. q.2. punct. 6.n.27.* Siquis verò recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, debet etiam iustus habere contritionem, vel attritionem, quoniam hæc est pars materiæ necessariæ talis Sacramenti. Sic notant pręd.cti Doctores.

22 Dico 2. Qui commisit mortale peccatum, quod nondùm sit remissum, disponi debet per contritionem, vel attritionem ad Sacramenti fructum percipiendum. Ita contra primam sententiam omnes aliæ. Videtur in *Tridentino* definiri, quatenùs *sess.14.cap.4.* dicitur. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus necessarius*, vbi contritionem accipit latè, prout comprehẽdit etiam attritionem, vt patet ex sequentibus: *& sess.6. cap.6.* de peccatore conuertente se ad Deum dicitur. *Ac propterea monetur aduersus peccatum per odium aliquod, ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Consonant *Augustinus, & alij Patres apud Doctores relatos.* Colligitur ex *Act.2.Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Ratio est, quoniam omninò decet, eum, qui se voluntariè per peccatum auertit à Deo, voluntariè detestando peccatum, semetipsum ad Deum conuertere.

23 Hoc autem sic est necessitate medij necessarium ad fructum Sacramenti percipiendum, vt quamvis sine culpa propter inuincibilem ignorantiam recipiens Sacramentum careat tali dolore, nullum adhuc fructum ex Sacramento percipiat. Quod probationes factæ conuincunt, quatenùs probant, eum dolorem requiri tàm ex natura rei, quàm iure Diuino. Quare licet Deus per absolutam potentiam possit etiam adultis remittere peccatum actuale sine preuia dispositione (sicut infantibus de facto peccatum originale per Baptismum remittit) at secundùm legem ordinariam id non facit; quia communiter operatur omnia conuenienter naturis rerum: ideò nullum Sacramentum est illi conferendum, quem moraliter constat, esse

m

in peccato mortali, qualis videtur esse, qui percussus in duello, vel post aliud mortale commissum subito destituitur sensibus sine aliquo signo doloris. Ita *Doctores communiter*. Videantur *Suarez, & Laym. sup. Coninch. n.12. Palaus n.3.*

24 Dico 3. ad gratiam in Baptismo, vel Pœnitentia recipiendam post peccatum mortale commissum etiam cognitum, sufficit tam necessitate medij, quam præcepti attritio cognita, quæ tamen contineat absolutam detestationem omnium mortalium saltem implicitam ob pœnas inferni, vel ob turpitudinem peccati, simulque propositum efficax numquam mortaliter peccādi deinceps: Ita *Doctores quinta sententiæ, Coninch. 3. p.q.61.n.31. Nuñus ibi. art.1. diffic.3. concl.3. & q.69. a.9. dub.2.* vbi contrarium vocat improbabile. *Possevinus c.5. n.40. Palaus sup. n.5.* Probatur, quia dum Cōcilia recensent effectus, qui per se competunt Sacramentis, proprium effectum Baptismi dicunt esse remissionem omnis culpæ tum originalis, tum actualis: & effectum Sacramenti Pœnitentiæ dicunt esse, vel absolutionem à peccatis, vt loquitur Florentinum, vel reconciliationem cum Deo, vt docet *Tridentin. sess. 14. cap. 3.* Igitur cum hæc duo Sacramenta directè fuerint instituta per Christum ad remittenda peccata, conferendamq; primā gratiam, non tenemur habere gratiam ad ipsa recipienda, nec Sacramentum debet illud pro dispositione requirere, ad quod conferendum fuit institutum. Dolor verò de peccatis ob infamiā, aut pœnam temporalem procedens ex solo timore mundano, vel ex amore cōmodi temporalis, nō sufficit ad obtinendā gratiam per Baptismum, aut Pœnitentiam; quia non est actus simpliciter honestus, & ideò non est dispositio sufficiens ad iustificationem etiam cum Sacramento. Nec item sufficit dolor merè naturalis, qui non sit donum Dei, procedens ex gratia per Christum. Ita videntur definire *Concil. Arausicanum 2. can.7. Mileuitanum cap.4. Trident. sess.6. can.3. & cap.3.4.5.6. & sess.14 cap.4.* quatenùs docent, nos nihil agere posse, sicut oportet ad salutem, nec pœnitere sicut oportet ad iustificationem, etiam in Sacramento sine gratia per Christum, & impulsu Spiritus sancti. Quapropter rectè censet *Coninch. sup. n.26.* contrarium nulla ratione defendi posse.

25 Dico 4. in reliquis quinque Sacramentis, quæ dicuntur viuorum, saltē necessitate præcepti requiritur vera contritio peccatoris, qui sibi conscius sit peccati mortalis. Ita *Doctores relati, & communiter Theologi*. Cum enim instituta nō sint primo principaliter ad remissionem mortalium, ex suamet institutione vitam in suscipiente prærequirunt, quam augeant, & corroborent. Ergò contra dignitatem ipsorum erit, cum conscientia peccati mortalis talia Sacramenta recipere. Vnde fit, recepturum hæc Sacramenta, si conscientiā habeat peccati mortalis, debere se in gratia constituere per cōfessionem quidem, si velit Eucharistiam recipere, vt docet *Trid. sess.13. c.7.* Si tamen alia recepturus sit, sufficit cōtritio. Quamvis in omnibus deceat, cōfessionem præmitti maioris certitudinis gratia. Si quis autem inuincibiliter ignorat, se peccasse mortaliter, vel requiri contritionem, aut bona fide putat, se cōtritum esse: dum attritus accedit, percipit fructum Sacramēti iuxta superius dicta *cap.3. q.2.* Quod expresse de Confirmatione docuit *S. Thom. 3. p. q.72. art.7. ad 2.* & eius ratio probat pariter in alijs Sacramentis. An autem aliquando possint Sacramenta viuorum in peccato mortali cognito recipi sine nouo peccato recipientis; dicemus *lib.4. cap.6. q.3.*

CAP. IV. QVÆST. III.

An sufficiat attritio virtualis cum Sacramento?

26 SVppono 1. cum omnis amor boni contineat virtualiter odium oppositi mali, dilectionem Dei super omnia continere virtualiter contritio-

nem, idest detestationem peccati, quatenus est offensa Dei; similiter actum spei, qui formaliter est amor propriæ beatitudinis, vt bonum proprium est, continere virtualiter attritionem, idest detestationem peccati, quatenus est summum malum peccantis, vel quatenus infert peccatori pœnam æternam.

Suppono 2. licet extra Sacramentum requiratur ad iustificationem peccatoris contritio perfecta, sufficere tamen dilectionem Dei super omnia, vt communiter asserunt Theologi, quia talis actus virtualiter continet contritionem. Restat ergò difficultas, an similiter sufficiat interdum attritio virtualis cū aliquo Sacramento mortuorū, quod peccator recipiat cum amore formali Dei, quatenus bonum proprium est. Nec procedit in Sacramento Penitentiæ, quod postulat formalem dolorem de peccatis, non precisè vt necessariam dispositionem, sed vt partem essentialē Sacramenti. Solum itaq; procedit quęstio de Baptismo.

27 Negant *Vazquez 3.p.disp.158.n.22. & 26. Suarez to.3.disp.28.sect.1.& 2.* quatenus in peccatore requirunt absolutè pœnitentiam. Nec videtur extra charitatis actum, alium dari posse, qui contineat pœnitentiam virtualitèr. Negat expressè *Castro Palaus to.4.tract.18.punct.13.n.8* Probat, nam actus spei requiritur etiam in adulto recepturo Baptismum cum originali duntaxat, cum tamen ad remissionē originalis peccati nulla penitentia requiratur. Ergò actus spei, vel amor proprij boni supernaturalis non continet virtualiter Penitentiā, seu detestationē peccati; sed ad summum continet illā causaliter, quatenus volens animæ salutem, & sciens necessariā esse detestationem peccatorum ad illam obtinendā, eliciet illam, quasi ab amore boni proprij supernaturalis imperatam.

28 Dico 1. in peccatore memore suorum peccatorum, qui vult recipere Sacramentum, requiri formalem pænitentiam; scilicet contritionem, vel attritionem: cum debeamus disponi per formalem detestationem peccati, quod impedit Sacramenti fructum. Tunc enim actus doloris de peccatis est saltem de necessitate præcepti, quo tenemur ritè disponi, digneq; recipere Sacramenta; nec efficax amor boni proprij supernaturalis potest sine tali dolore consistere, quando cognoscitur necessitas huius actus ad Diuinam amicitiam conciliandam, & conseruandam. Ita *Coninch. q. 62. n. 38.* & in hoc sensu rectè censent *Vazquez, Suarez, & Castro Palaus* requiri saltem attritionem formalem.

29 Dico 2. quando peccator immemor suorum peccatorum, vel ignarus inuincibiliter obligationis penitendi cum amore proprij boni supernaturalis, seu cum spe propriæ salutis æternæ recipit Baptismum: probabilius est, ipsum fore recepturum etiam gratiam iustificantem. Ita videtur sentire *Caietanus 3.p.q. 86 art.2.* quatenus ad fructum Baptismi percipiendum requirit solam voluntatem recipiendi Baptismi: quod intelligi debet de voluntate, quæ procedat ex spe propriæ salutis; alioquin esset apertè falsum, vt vidimus quæstione præcedenti; & forsan in eodem sensu loquitur *Scotus in 4.dist.14.q.4.art.3* *Probabile dicit esse Coninch. sup. n.36.* Probatur: quia licet ad remissionem actualis peccati necessaria sit detestatio peccati, tamen quoad necessitatem medij sufficit virtualis, qualis est dilectio Dei propter ipsum respectu contritionis; & propterea sufficit ad iustificationem sine Sacramento: Pariter ergò sufficiet actus spei cum Sacramento, quatenùs virtualiter continet attritionem. Sicut enim charitatis actus, quia tendit in bonum Dei, quatenùs bonum Dei, virtualiter odit peccatum, quatenùs est offensa Dei, ac subindè sufficit ad iustificationem extra Sacramentum; sic actus spei, quia tendit in bonum proprium supernaturale, quatenùs bonum proprium est, virtualiter detestatur peccatum, quatenùs malum proprium est, & consequenter sufficiet ad iustificationem cum Sacramento.

Nec

Nec obstat contrarium fundamentum; nam in adulto solum Originale peccatum habente requiritur spes ad Baptismum, quatenus formaliter tendit in amicitiam diuinam, ad quam nemo nisi volens admittitur: At in habente simul actuale peccatū mortale supplet præterea defectum attritionis formalis, quam virtualiter continet. Vnde forsan inferri possit, si concurrat bona fides recipientis, & hæc attritio virtualis, posse Sacramenta viuorum per accidens cōferre primam gratiam; sicut diximus *cap.3.q.3.* illam conferrē, quando concurrunt bona fides, & attritio formalis supernaturalis. Nam si Baptismus habet vim tollēdi peccatum actuale mortale, quando recipiens habet bonam fidem, & attritionem virtualem, vt probabilius reputamus, cur Sacramenta viuorum eandem vim non habebunt? Hoc tamen aliorum iudicio remitto. *videatur Lessius 3.p.q.72.n.24.* vbi dicit in Confirmatione sufficere attritionem virtualem.

CAP. IV. QVÆST. IV.

Vtrùm veniale peccatum actualiter commissum in receptione Sacramenti, fructum eius impediat?

30 CAietanus *3.p.q.79.art.1.* dicit, Eucharistiam & propter veniale peccatum, & propter actualē distractionem impediri, ne conferat augmentum gratiæ; quòd extendit ad omnia Sacramenta *Petrus de Soto de Sacram. in genere lect.9. & Confes. lect.* 8. Probari potest, quia videtur absurdum, quòd dum aliquis actu peccat, sanctior fiat. Nihilominus.

31 Dico 1. nullum veniale peccatum vel actualiter in receptione Sacramenti commissum, vel antè patratū, & adhuc placens impedit præcipuum effectum Sacramenti. Solùm enim mortale peccatum est obex gratiæ; veniale verò nec habet repugnantiam cùm prima gratia iustificantē, nec cùm ipsius augmento. Sic docent *Suarez 3. part. to.3. disp.7. sect.4. Conınch. quæst.62. num.45. Palaus tom.4. tract.18. punct.13. num.2. Fillinc. tract.1. num.136.* Sic etiam tradit *S. Thom. 3. part. quæst.79. art.* 8. Loquens de Communione; quapropter Idē diceret à fortiori de reliquis Sacramentis, quæ minùs digna sunt. Idem de Baptismo *docet Scotus in 4. dist.4. q. 7.* & alij Patres, ac Scholastici, qui solum mortale peccatum dicunt obstare, ne Sacramentum conferat gratiam. Nec est absurdum hominem, dum peccat actu, fieri sanctiorem diuersis titulis, vel actibus; nam vt recipit Sacramentum non ponens obicem, fit sanctior, quatenus peccat leuiter, offendit leuiter Deum.

32 Dico 2. veniale peccatum in Sacramenti receptione commissum, vel adhuc placens recipienti, non solum impedit ipsius venialis culpæ remissionem, sed etiam aliquem secūdarium fructum Sacramenti, scilicet specialem Dei fauorem, vberius auxilium, feruentiorem deuotionem, vel quid simile tibi fortasse concedendum, si liber ab omni macula veniali Sacramentum reciperes. Minuitur etiam fructus præcipuus Sacramenti iuxta diminutionem dispositionis; sicut enim veniale peccatum minuit feruorē charitatis, sic etiam diminuit feruorem dispositionis ad Sacramētum recipiendū. Ita Doctores relati. Quòd si finis recipiendi Baptismum sit venialiter prauus V.g. vana gloria, vel fauor Principis, aut temporale lucrū, quo sic adæquatè mouearis, vt alioquin Baptismum recusares, nō recipies gratiam, quia finis, ob quē immediatè recipit Baptismū, non est honestus, & habet adiunctum affectū ad id, quòd est Christianæ Religioni cōtrariū, ac subindè mortale peccatū, quòd impedit fructū Sacramēti. Idē erit in alijs Sacramentis, quando recipiuntur tempore præcepti cùm affectu non recipiēdi eadem nisi propter finē vanitatis, quā recipiēs intēdit adæquatè. Quippe iā datur ibi lethalis affectus

concomitans, & impediens iustificationem, nimirum volitio non implendi præceptum debitæ receptionis Sacramenti, nisi subesset vanitas receptioni. Si verò vanitas, aut quid simile leuiter prauum sit causa solum impulsiua recipiendi Sacramentum, nec habeas affectam actualem graui præcepto contrarium, non impeditur fructus Sacramenti cùm sufficiente dispositione recepti. *Sic tradit Lessius 3. part. quæst. 69. num.10.*

CAPVT. V.

De Sacramentis non recipiendis ab indigno Ministro.

1 SVppono 1. tripliciter posse peccare Ministrum indignè ministrãdo Sacramentum. Primo si non conferat validum Sacramẽtum defectu potestatis, aut intentionis, vel quia non adhibet ritum substantialem. In hoc casu grauiter peccat, qui Sacramentum petit à Ministro nõn potente validè, ritequè conferre; vel nolente seruare substantialem ritum Sacramenti. V.g. si petas Extremam vnctionem à non habente Sacerdotium, vel absolutionem à non habente iurisdictionem; vel Ordinem ab Episcopo hæretico, qui non solet adhibere debitam materiam, aut formam Ordinationis, peccas mortaliter duplici ratione; nam inducis aliũ ad sacrilegium, & præterea recipis Sacramentum fictum, quòd continet delusionem sacrilegam, *Ita Suar.3.p.tom.3. disp.18.sect.1.Coninch.q.64.n.54.Filliuc tract.1.num.151. Henriquez lib.1.cap. 13.num.1.*

2 Secundo peccare potest Minister, si potestatem habeat conferendi Sacramentum validum, nequeat tamen licitè suam potestatem exercere vel simpliciter ob aliquam censuram, aut directam prohibitionẽ, vel respectu petentis; quia non habet ius huic personæ ministrandi. Tunc autem regula generalis est, illicitum esse semper Sacramentum ab illo petere, qui sine peccato non potest illud ministrare: Consequenter enim petitur ipsum peccatum; quòd intrinsicè malũ est. *Ita Suarez sup. & Castro Palaus to.4. tract.18. punct.15.n.1.* Tertio peccare potest Minister, qui licèt possit licitè, nõ tamen est daturus Sacramentum sine peccato, quòd notum sit recipienti: de quo casu dissentiunt Doctores.

3 Suppono 2. dupliciter posse nobis esse prohibitum petere, vel accipere Sacramentum ab aliquo Ministro. Primo directè per aliquòd præceptum nobis impositum, quò directè vetamur accipere Sacramentum ab illo, qui seclusa tali prohibitione, haberet potestatem, & ius dandi. Quòd fit per censuras ecclesiasticas; his, enim prohibemur cùm ligato communicare præsertim in sacris. Verùm hęc prohibitio per Extrauagantem. *Ad euitanda*, limitatur ad non toleratos. Secundus modus prohibitionis dicitur indirectus; quia nascitur ex obligatione generali vitandi scandalũ, siue non inducendi quempiam ad peccatum, nec cooperãdi peccatis alienis, & versatur circa Ministros etiam toleratos, & quomodolibet illicite ministraturos. Quapropter agitari potest controuersia, primo circa Ministros non toleratos; secundò circa toleratos; tertio circa nulla censura ligatos, illicitè tamen ministraturos.

CAP. V. QVÆST. I.

An liceat accipere Sacramentum à Ministro non tolerato?

4 PRima sententia negat simpliciter; quia Minister non toleratus, qualis nunc est publicus Clerici percussor, & publicè denuntiatus, non solùm illicitè ministrabit, sed etiam non potest licitè mini-

ministrare Sacramentum. *Ita S.Tho. 3.p.q.64.ar.6.ad 2.& q.82.art.9. Durandus in 4.dist.5.q.2.Paludanus ibi q.3.art. 1. Richardus art.3.q.4.* Secunda sententia docet, extrà necessitatem extremam nullum Sacramětum posse recipi à non tolerato; quoniam esset contrà prohibitionem Ecclesiæ, grauemque obligationem censuræ communicare cùm non toleratis in diuinis. At in extrema necessitate, qualis est articulus mortis, licere Baptismum, vel Pęnitentiâm à non tolerato recipere; quoniam Ecclesia non obligat ad euitandum excommunicatum etiam nō toleratum cùm graui detrimento. Cętera verò Sacramenta nec in articulo mortis recipi posse à non tolerato; nam Ecclesia prohibet nobis absolutè cùm non toleratis communicare, præsertim in diuinis, nec excipit aliud Sacramentum etiam in articulo mortis preter Baptismum, & Pęnitentiam; ergò vult suum præceptum etiam in articulo mortis obligare quo ad reliqua Sacramenta. Nec aliorum Sacramentorum est tanta necessitas, quin id meritò velit. *Ita Canus Relec.de Pęnit.p. 5.Henriq.lib.8.c.4.Sayrus de Sacram. li. 2.c.1.n.21. Auila de Censur.p.1.c.6. disp. 3.dub.3. Alterius lib.1.disp.7.ca.4. Vazquez 3.p q.93.art.1.dub.4.nu.13.& tract. de Scandalo cap.2.dub.3.Coninch.3.p.q. 64.n.47. Lessius ibi. n 15.& 16.Zambranus cum alys, cap.3.dub.7.n.1.*

5 Tertia sententia docet, etiam in extrema necessitate solùm Baptismum à non tolerato recipi posse; non verò Sacramentum Pęnitentiæ: quoniam Ecclesia priuat excommunicatum iurisdictione, quæ planè requiritur etiam in articulo mortis ad validam absolutionem. Baptismus autem ad suum valorē nullam prærequirit iurisdictionem in Ministro, sed à quodlibet laico potest in necessitate ministrari. Sic asserunt *Medina C. d. de Conf.quæst.* cui debeat fieri confessio. *Marsilius in 4. quæst.12. art. 2 part.2. concl.2. Fauet Couarrub. in ca. Alma part.1. §. 6. num.* 8. Quarta sententia docet, non solùm Baptismum, & Pęnitentiam, sed etiam Eucharistiam in articulo mortis à non tolerato recipi posse. Nam Sacramentum Eucharistię censetur vtilissimum, & sufficienter necessarium, vt præsumatur Ecclesia nolle fideles priuare tanto bono. Quare supposita necessitate recipientis in articulo mortis constituti, Minister Eucharistiam ministrans, quamuis non toleratus non peccabit. *Ita Suarez 3.p.to.3. disp.72. sect.4.fine,& tom.5. disp.11. sect.1. n.17. Petrus de Ledesma, tract. de Extrema vnct.ca.5.circà finem,& de excommunic. cap.6. Fillius,tract. 12.num.75. Nauarrus cap.22. n.4. Bonac. de Censur disp.2. q.2.punct.2.§.4.n.8.Mercerus,Guttierez, Præpositus, Cornelo,quos sequitur Diana p.5.tract.9. Resol.83.*

6 Dico 1. citrà necessitatem non est licitum à non tolerato recipere Sacramentum aliquòd; quia violaretur sine causa præceptum ecclesiasticum non communicandi cùm excommunicatis non toleratis præsertim in diuinis. In hoc conueniunt omnes sententiæ, Doctoresque relati.

Dico 2. in extrema necessitate moribundi Baptismus recipi potest a non tolerato. Quoniam hoc est Sacramentum maximæ necessitatis, & videtur exceptum ab Ecclesia *cap. si quem forte* 24. q.1. & in Florētino decreto de *Sacram. cap. de Bapt. dicente,* in casu necessitatis posse baptismum etiam ab hæreticis recipi. Sic censent contrà primam sententiam reliquæ. Videantur *Suar. to.5.disp. 11.sect.1.Zambrano c.1.dub.15.n.2.Sayrus lib.2.c.2.n.12.Villalobos tom.1.tract. 4.diffic.15.n.5.Bonac. supra.*

7 Dico 3. Moribundus potest (dum non suppetit alius Sacerdos) recipere Pęnitentiæ Sacramentum à non tolerato. Sic insinuat. *Tridentinum sess.14. cap.7.* docens, in articulo mortis quoslibet Sacerdotes posse quoslibet pęnitentes ab omnibus peccatis absoluere. Sic etiam docent *Syluester Confessio 1.num.16. Nauarrus cap.27. num. 272. Victoria, numer.*328. *Sayrus lib. 2. cap. 18. Reginaldus lib. 32. num. 7.*

Fillisuc. tract. 12. *n.* 74. *Zambrano cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 1. & 20. *Henriquez lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 7. *Vazquez* 3 *p. q.* 93. *a.* 1. *dub.* 4. *n.* 16. & 16. *Conınch. q.* 64. *n* 46. *Suarez sup. Villa. lob. n.* 6. *Auila concl.* 4. Ratio sumitur ex necessitate huius Sacramēti, quę grauis saltem reputatur in hoc casu. Quamvis enim possimus per contritionem saluari, difficile quidem est elicere contritionem, & rarò sumus securi, nos veram contritionem elicere. Possumus ergò Pęnitentiæ Sacramentum tunc temporis petere non solùm à non tolerato, sed etiam ab hæretico; modo non sit periculum peruersionis, vel scandali, nec adsit Sacerdos non ligatus.

8 Dico 4. Quando morti proximus baptizatus non potest Pœnitentiam recipere, licitè recipiet Eucharistiam, vel Extremam vnctionem, vel aliquod aliud Sacramentum à non tolerato. Tunc enim subest summa necessitas alicuius Sacramenti, cùm possit per illud peccator iustificari, si tantùm sit attritus iuxtà superiùs dicta *cap.* 3. *quæst.* 2. Sic docent *Auila, Coninch. Zambranus sup. n.* 2. & 3. *Bonac. n.* 8. *Suarez n.* 23. *Fillıucius num.* 76. Qui notant in Confirmatione, Matrimonio, vel Ordine non ita frequenter contingere necessitatem extremam: consonat *Cornego*, quem sequitur *Diana sup.*

9 Si possit infirmus Pœnitentiam, vel aliud Sacramentum recipere, non licere, vel Eucharistiam, vel Extremam Vnctionem à non tolerato recipere, probabilius est, vt docet secunda sententia; cōsonatque *Petrus de Ledesma tract. de Euchar. cap.* 9. *concl.* 12. & *tract. de Extrem. Vnct. cap.* 5. *circa finem*; licèt quoad Eucharistiam non satis in vtroque loco sibi concordet; Et certè quoad illam oppositum nō est improbabile, vt fatetur *Zambranus sup. n.* 2. Quin absolutè posse recipi, secluso tam scandalo, quam Religionis detrimento, docet *Fagundez Precept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 18. *Suarez to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 4. *fin.* quamvis Minister sit hæreticus. Sanctus Hermenegildus ideò noluit Eucharistiam ab hæretico recipere, quoniam in illis circumstantijs sequeretur scandalū, & infamia Religionis Catholicæ. Sic intelliges *cap. fin.* 24. *q.* 1. Videantur alij Doct. quartę sententiæ: quæ certè nō caret probabilitate, & illam extendūt ad Extremā vnctionē, *Prępositus* 3. *p. q.* 1. *de Extr. Vnct. dub.* 6. *n.* 144. & *Diana p.* 5. *tr.* 3. *Resol.* 81. Quia licèt hoc Sacramentū in hoc casu non sit ad salutem simpliciter necessarium, valdè tamē conducit ad remissionē venialiū, & ad robur obtinendum cōtra diabolicos insultus.

10 Fundamentum primæ sentētiæ soluit secunda; non enim obligat pręceptū Ecclesiæ cum tanto detrimento, quantū ex priuatione Sacramenti tam necessarij sequeretur. Fundamentum secundæ sententiæ, quatenùs excludit reliqua Sacramenta pręter Baptismum, & Pœnitentiam, intelligendum est regulariter. Quippè si non possit fidelis Sacramentum Pœnitentiæ recipere, grauis vrget necessitas alterius Sacramenti, quæ videtur excepta. Fundamentum tertiæ sententiæ, quatenùs excludit etiam Pœnitentiæ Sacramentum, supponit falsum; non enim in articulo mortis priuat Ecclesia non toleratum iurisdictione: necessaria valori Sacramenti, vt constat *ex Trident. sess.* 14. *cap.* 7. Fundamentum quartæ sententiæ reddit illam probabilem, tamen non tollit, quin opposita sit probabilior: quia per se loquendo Sacramentum Eucharistiæ non censetur simpliciter necessarium saluti.

CAP. V. QVÆST. II.

An liceat accipere Sacramentum à Ministro tolerato?

11 Prima sententia negat, licitè Sacramētū à tolerato peti, vel accipi. Quoniam Extrau. *Ad euitanda*, quę concedit Fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis, nullum fauorem concedere vult ipsis excommunicatis, vt constat ex verbis ipsius: ergò illi mortaliter peccant ministrando

do Sacramentum; ac per consequens mortaliter peccabunt, qui petunt ab illis Sacramenta, si quidem per hoc inducunt excommunicatum ad peccandum. Potuit enim Martinus V. per illam Extrauagantem tollere, quod erat iuris positiui, scilicet ne censuram incurrant, qui communicant cum toleratis; non tamen quod est iuris naturalis, scilicet ne peccent, qui proximum inducunt ad peccandum. *Ita S. Thom. in 4. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 5. Viguerius cap. 15. §. 7. vers. 8. Caietanus in Summa, verbo Absolutionis impedimenta. Adrianus Quodlib. 3. ad 3. Vazquez 3. par. quæst. 93. art. 1. dub. 4. num. 16. & tract. de scandalo art. 8. dub. 4.* limitans, hoc intelligendum extra necessitatem extremam; tunc enim omnibus Sacerdotibus concessum est administrare Sacramentum necessarium. Item quando toleratus copiam absolutionis habere non potest. tunc enim petitio Sacramenti præbet scandalum actiuum Ministro tolerato. Si verò copiam habeat absolutionis à censuris, sed illam nolit, tunc petitio Sacramenti rationem habebit scandali passiui: quia petitur, quod benè præstare potest Minister, si velit. *Fauet huic sententiæ Nauarrus cap. 23. num. 35.* dicens, excommunicatum eodem modo teneri post illam Extrauagantem, ac antea.

12 Secunda sententia distinguit Parochum, & non Parochum: & à Parocho censet posse peti Sacramenta; quia petens vtitur iure suo: Cæterùm à non Parocho peti non posse, quia nullum ius excusat malitiam scandali. Sic tradunt *Couarrub. in cap. Alma part. 1. §. 6. nu. 7. Lessius 3 p. q. 64. n. 16. Henriq. lib. 1. cap. 30. nu. 3. Toletus lib. 1. n. 86. vel 93.* iuxta diuersas editiones. Vbi distinguit etiam expositum, & non expositum, asserens à toleratis, & publicis peccatoribus, si sint expositi, siue competat illis ex officio, siue non: dum non sequatur scandalum graue, posse recipi Sacramenta; Nam Ecclesia ipsos tolerat, & ipsi Sacramenta Ministrantes, sibi solis nocent iuxta textum in *cap. sciscitantibus 15. q. 8.* Verùm à Parochis, siue sint parati, siue non sint, siue detur necessitas, siue non detur, licere tàm petere, quàm accipere Sacramenta: nam illi tenentur ex officio, quotiescumq; petiero, ministrare; nec ego ius meum amitto ex illorum malitia. Demùm à non Parochis non expositis non licere petere Sacramentum extra necessitatem (nimirùm extremam) quia tunc esset inductio moralis ad peccandum; non enim habeo ius exigendi.

13 Tertia sententia docet, posse recipi, vel etiam peti Sacramentum à tolerato, quamvis non sit Parochus, nec paratus ad ministrandum, nec suppetat necessitas petendi. Quoniam *Extrauagans Ad euitanda*, facultatem concessit Fidelibus communicandi cum excommunicatis, suspensis, interdictis, vel irregularibus toleratis in Sacramentis, & in quibuscumque Diuinis ad euitanda scandala, scrupulos, & animarum pericula. Possunt ergò Fideles Sacramenta petere à toleratis, siue Parochis, siue non Parochis, siue paratis, siue non paratis; siue detur necessitas, siue non detur; alioquin non haberent facultatem communicandi cum toleratis in quibuscumque Diuinis; nec euitarentur scandala, scrupuli, & animarum pericula: si quidem petens ferè semper dubitare possent, an vrgeat necessitas petendi Sacramenti m: an Sacerdos sit paratus, &c. Sic tenent *Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. Lopez in instruct. p. 2. de Sacram. cap. 59. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 9. n. 8. Alterius lib. 1. disp. 7. cap. 2. Bonac. de censur. disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. n. 4. Raynaudus de Monit. p. 2. c. 2. n. 24. Diana p. 5. tract 9. Resol. 83.*

14 Dico 1. Licitè Sacramenta petimus à Ministris censura ligatis, & toleratis, quoties extrema necessitas nos vrget. In hoc ferè conueniunt omnes sententiæ relatæ, Doctoresq; communiter. Quoniam, vt quæstione præcedenti vidimus, etiam à non toleratis licitè petimus Sacramenta in extrema necessitate, licitèq; subinde ministrat illa Sacerdos, si prius conteratur, & quoad possit,

absolutionem censuræ procuret; ergò possumus à fortiori petere ratione necessitatis eadem à toleratis; & hi poterunt illa licitè ministrare, si prius conterantur, & conentur absolui. Videantur *Petrus de Ledesma tract.de Sacram.cap. 6.concl.12.& tract.de Excom.cap.6.post concl.7.& Diana supra.*

15 Dico 2. licitè Sacramentum recipimus, & petimus à toleratis, quoties aliqua necessitas communis, vel vtilitas magna petentis id exigit. Ita sentiunt *Doctores tertiæ sententiæ*, ac prætereà *Suarez to.5. disp.11.sect.4. Sà verb. Sacramentum n. 2. & 3. Viualdus de Sacram.cap.19.Coninch.q 64.n.49. Filliuc. tract.12.n.70.* & probabile reputat *Lessius sup.* Nimirùm quoties vrget præceptum recipiendi Sacramentum, vel adest occasio lucrandi Iubilæum, vel spiritum reficiendi contra grauem tentationem, aut graue discrimen, vel quid simile. Probatur; quia *Martinus V. in illa Extrauag.* concessit fidelibus, vt in nulla re teneantur vitare toleratos: ergò non solùm recipere possunt ab illis Sacramenta, sed etiam petere, quatenus est ex vi censuræ, seu directæ prohibitionis, siquidem nulla communicatio fidelibus interdicitur cũ toleratis. Quod si possumus licitè petere, poterũt etiam tolerati licitè dare: quod cõtra primam sententiã docent Authores tertiæ, *Suarez etiam, Coninch.& Filliuc.sup.Reginal.l.1.n.106.Henriq.lib.1. c.23.n.2. Fagundez Præcept.1.l.2.c.5.n. 19.* Nã vno correlatiuo concesso cõmuniter conceditur aliud, vt tradunt *Abbas in c.Qui Clerici, de iure patr.n.7. et Bartolus in leg.1.cod.de cupressis l.10* Quare si ius concedit, vt fideles licitè Sacramẽta petant à toleratis, cõ sequenter cõcedit ipsis toleratis, vt ea possint licitè ministrare. Quamvis enim *Extrauagans Ad euitanda.* non tollat ab illis censuram absolutè, suspendit tamen eius effectum, quandó præueniuntur à fidelibus, in quorum fauorem directè tendit: sed inditectè subindè vergit in fauorem toleratorum, quatenùs expedit, vt securè fideles vtantur priuilegio communicandi cum toleratis.

17 Vndè fit 1. cum priuilegium Extrauagantis amplissimum sit, & absolutè loquatur de toleratis omnibus, non esse restringendum ad Parochos, vel Sacerdotes paratos dumtaxat, sed ad omnes etiam non Parochos, & non paratos extendi debere; dùm adsit aliqua necessitas, vel vtilitas magna, quæ quidem ante prędictam Extrauagantem non sufficeret, & nunc eius fauore sufficiat. V. g. si non suppetat alius Minister, qui possit æquè commodè ministrare petenti. *Henriquez lib.1. cap. 30. num. 2. Suarez, Coninch. Filliucius, et Ledesma supra.*

17 Fit 2. cum fauor Extrauagantis sit solùm concessus fidelibus, & non ipsis toleratis directè, peccare mortaliter toleratum, si semet offerat, aut ingerat ad Sacramenta ministranda nõ requisitus, requisitũ verò debere pręmittere contritionẽ, si cõscientiã habeat peccati mortalis, & absolutionẽ censuræ procurare, quam si non possit ante ministrationem obtinere, debet remittere petentem ad alium (si suppetat) qui possit cum æquali satisfactione ministrare Sacramentum. Si tamen alius non adsit, proponat, se petiturum absolutionem, quamprimùm possit. Quia non potest toleratus Sacramenta ministrare, nisi rogatus, & ob aliquale commodum petentis. Imò *Suarez sup. Coninch. num.51. Filliucius n. 72. Henriquez, & Ledesma* requirunt aliquam petentis necessitatem, vel notabile commodum. Quia licet per illam Extrauagantem sublata sit omnis directa prohibitio communicationis, tamen supposito ligamine censuræ, sequitur connaturaliter, vt, & ipsi ligati, quantum possint, moraliter, abstineant à sacro ministerio, nisi detur notabilis vtilitas petentis: & cęteri fideles, si comodè possint, ab alijs potiùs non ligatis debeant recipere Sacramenta: quod est satis probabile.

18 Verùm non est minus probabile, quod docet tertia sententia, nimirùm

rùm quamuis non interueniat notabile commodum petentis, nec vlla necessitas, propter solam vtilitatem Sacramenti, atque liberam electionem nostram posse nos petere Sacramentum à tolerato, quem existimamus sine peccato ministraturum, licèt alij Sacerdotes ad sint, qui nullam habeant censuram, vt notat cùm alijs *Fagundez sup.* Probatur; quia iam ab Ecclesia non prohibemur petere Sacramentum à toleratis, sed solo præcepto charitatis indirectè præscribente, ne simus eis occasio peccandi, quòd non magis obligat respectu tolerati, quàm respectu cuiusuis alterius peccatoris, de quo dicemus quæstione sequenti. Potest equidem toleratus, à quo petimus Sacramentum, priusquàm illud conferat, conteri, potest absolutionem censuræ procurare, vel si nequeat illam obtinere, proponere, se petiturum, & sic licitè conferet Sacramentum. Quòd si prudenter præsumimus toleratum facturum, nullam occasionem ipsi damus peccandi, dum ab ipso petimus Sacramentum: ergò non minus licitè possumus petere Sacramentum à toleratis, quàm ab alijs nulla censura ligatis, quamuis adsint vtrique pari satisfactione ministraturi.

19 Ad fundamentum primę sententię respōdetur, illam Extrauagantem directè quidem intēdisse fauorem fidelium; indirectè tamen concessisse toleratis, vt requisiti possint ministrare, ne frustretur fauor fidelium, si propter vitandū scandalum nequeant petere Sacramentum à toleratis. Distinctiones secūdę sententiæ nullum habent fundamētum in Extrauagante *Ad euitanda*, vt vidimus *n. 16.* Fundamentum tertiæ sententiæ probat, illam esse satis probabilem, quando præsumimus toleratum sine peccato ministraturum; non verò tollit, quin pariter probabile sit, requiri necessitatem aliquam, aut vtilitatē notabilē petentis: Cùm enim maneat in tolerato ligamē censuræ, nō videtur sine causa requirendus, vt ministret Sacramenta, quæ possumus a nō ligatis ęquè cōmodè recipere.

CAP. V. QVÆST. III.

An liceat accipere Sacramentum à Ministro, quem scio peccaturum in administratione?

20 SVppono, recipientem Sacramenta non debere ministrantis conscientiam indagare: nec inquirere, an sit ministraturus in peccato; quoniam hæc cura non est ipsi commissa, dū enim nobis morali certitudine nō constat. Ministrum indignè ministraturum, præsumere debemus, vel esse probum, vel dignè ministraturum. Quiuis enim præsumitur bonus, & operari rectè, donec oppositum constet manifestè. Quare licèt videamus Sacerdotē paulo antè peccantē mortaliter, credere possumus, conterendū, priùsquàm administret, nisi cōstaret, illum iam diu cuius piam peccati mortalis consuetudine teneri sine cura salutis; tunc etenim maior prudentia requiritur ad petendum ab ipso Sacramentum. *Ita Suarez 3. p. to. 3. disp. 18. sect. 1. Coninch q. 64. n. 40. Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. 6. n. 5. & 6.* Difficultas itaque procedit, quando prudenter coniectamus ex circumstantijs, Ministrum sacrilegè ministraturum.

21 Prima sententia docet, quamuis ex sola deuotione Sacramentum recipere velimus, licitè posse nos illud petere vel à Parocho, vel à non Parocho, sed habēte facultatem ministrandi, quem certo nouerimus sacrilegè ministraturum. *Ita Cutillus in Addit. ad Pract. 4. Mancini dub. 42. Diana p. 7. tract. 12. Resol. 33.* Probatur; quia cùm talis Minister sine peccato possit ministrare Sacramētum, eliciendo scilicèt contritionem; & quando vel nō facilè possit, vel nolit conteri, potest ex honesto prætextu ministrationē omittere, si sacrilegè Sacramentū administret, voluntariè peccat omninò, sibiq; debet tale peccatū imputare, nō autem petenti, qui petit hic & nunc à legitimo Ministro, qui pōt sine peccato ministrare, vel abstinere ministerio. Quapropter si quòd hic reperitur scādalum, est merè

pas-

passiuū; ob quod non debemus actiones alioqui licitas omittere, ne mille laqueis implicemur, cùm ex operibus bonis sæpè iudicia temeraria, suspiciones, detractiones oriantur, & his similia scandala passiua. Hinc colligunt, quámuis suppetant alij Ministri, qui commodè sine peccato ministrent, posse nos Sacramentum ab illo petere, quem peccaturum scimus. Quia licèt proximi peccatum, quoties commodè possumus, euitare teneamur: id tamen est intelligendum de peccatis, in quibus vitandis indiget proximus aliqualiter nostro iuuamine, quòd in isto casu non contingit, siquidem Minister per se se vel rectè ministrare, vel administrationem omittere, potest.

22 Secunda sententia docet à Ministro, quem moraliter scio cùm peccato ministraturum, si sit paratus, aut Parochus, licitè peti, vel recipi Sacramētum; Secus illicitè. Probatur ex *cap. Sciscitantibus* 15. *quæst*. 8. Vbi Nicolaus Papa decidit, ab adultero, donec Episcoporum iudicio reprobetur, cōmunionem recipiendam esse, rationemque reddit. *Quoniam mali bona administrando, se tantummodo lędunt*. Cōsonat Lucius 3. *in cap. Vestra de cohab. cleric. Probatur 2. rat.* Nam vtimur iure nostro, dum à nostro Parocho petimus, aut recipimus Sacramenta, quæ licitè potest ipse conferre, si velit. Qui autem vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, *Leg. Iniuriarum, ff. de iniurijs*. Quando verò petimus; aut recipimus à parato, non inducimus illum ad peccandum, cùm iam actu peccet, & habeat voluntatem ministrādi quibuslibet accipere volentibus; sed vtimur alieno peccato ad vtilitatem nostram; quòd sæpè licitum est. Ita docent *Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. Petrus de Ledesma tract. de Sacram. cap. 6. concl. 10. Cabrera 3. p. q. 64. art. 6. disp. 2. § 4. n. 24. Carthagena de Sacram. disp. 7. cap. 3. n. 3. & approbare videtur Diana p. 3. tit. 4. Resol. 59. & p. 4 tract. 4. R. 21.*

23 Tertia sententia docet, si nulla necessitas, vel rationabilis vtilitas intercedat, non licere petere, vel accipere Sacramentum ab illo, quem moraliter scimus administraturū in mortali, quamuis sit Parochus, aut expositus ministerio sacro. Quare si plures sedeant ad excipiendas confessiones, quorum vnus sciatur ministraturus esse cùm peccato, licèt sit Parochus, alterum adeundum esse, qui pari satisfactione ministrabit, & sine peccato. Probatur; quia tunc obligat lex charitatis ad impediendum proximi peccatum, quantum sine notabili nostro detrimento possumus: Sed possumus sine notabili nostro detrimēto, vel incommodo Sacramentum ab alio petere, vel recipere, qui sine peccato ministret æquè nobis vtiliter: Ergò tenemur potiùs hunc, quàm illum adire. Sic sentiunt *Sotus in 4. dist. 1. quæst. 5. ar. 6. Nauarrus cap. 14 n. 28. Sayrus de Sacram. lib. 2. c. 8. q. 1. art. 1. Suar. to. 3. disp. 18. sect. 1. concl. 1. Coninch. q. 64. n. 44. Fillinc. tract. 1. n. 152. Reginald. lib. 1. n. 165. Bonacina de Sacram. disp. 1. q. 6. punct. 5. Villalobos to. 1. tract. Diffic. 15. n. 4. Castro Palaus tom. 4. tract. 18. punct. 15. num. 3. & alij.*

24 Dico 1. à Ministris peccatoribus, quos prudenter credimus indignè ministraturos esse, petere possumus, & recipere Sacramenta, quoties aliqua nostra, vel aliena necessitas, aut vtilitas specialis id exigit, siue sit Parochus, siue non sit Parochus, siue sit paratus, siue nō sit paratus; qui cùm peccato ministrabit; cùm tamen posset licitè ministrare, si vellet conteri. Conueniunt in hoc omnes sententiæ relatæ; Consonant *S. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. ad 2. Nuñus ibi, Henriq. lib. 1. cap. 23. n. 1. & cap. 30. num. 1. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 9. n. 8. Viualdus de Sacram. cap. 3. n. 13. Naldus verb. Sacramentum n. 5. Fagundez Pracept. 1. lib. 2. cap. 5. Trullench. de Sacram. lib. 1. cap. 5. dub. 4.*

Hanc conclusionem probant fundamenta secundæ sententiæ; nam illa necessitas, vel vtilitas, quàm ex Sacramentis percipimus, dat nobis ius ad petendam ipsorum administrationem, quam licitè potest exhibere Minister, licèt sciamus

mus

mus ipsum de facto sacrilege ministraturum; non enim ipsum inducimus ad peccandum, sed eius peccatum permittimus ex iusta causa. Nec lex charitatis obligat ad omittendum ea, quæ nobis sunt necessaria, vel vtilia, ne proximus inde sumat occasionem peccandi, sola nimirum malitia, seu libertate sua. Videatur *Vazquez opusc. de scandalo, art. 8. dub. 2. n. 21.* confirmatur; nam ob corporalem necessitatem, vel vtilitatem propriam, aut alienam possumus petere mutuum ab vsurario, quem scimus mutuaturum sub vsuris, & iuramentũ a periuraturo, vel iuraturo per falsos Deos; ergo similiter ob spiritualem necessitatem, aut vtilitatem propriam vel alienã possumus petere Sacramentum ab illo, quem scimus sacrilegè fore ministraturum, & in hoc sensu loquuntur textus adducti *n. 22.*

25 Dico 2. si nulla sit necessitas, nec specialis vtilitas proueniat, ex Sacramẽto recepto potius ab hoc Ministro, quã ab alio, non possumus licitè petere, vel accipere Sacramentum a Ministro sacrilege ministraturo, dum adest alius, qui pari satisfactione ministrabit. Ita Doctores tertiæ sententiæ, qui planè nituntur communi regula charitatis præscribente generaliter; vt si commodè possumus, & sine graui detrimento, tollamus proximis occasionem peccandi, quamuis ex fragilitate, vel etiam malitia sua lapsuri sint. Ergo quando possumus recipere Sacramentum ab alio, qui pari satisfactione ministrabit, & sine peccato, non licebit inducere Ministrum, qui sacrilegè ministraturus sit. Si tamen hic alius esset mihi multo inutilior, eo quod sit indoctior, nec possit satisfacere difficultatibus proponendis, aut saltem parum securè; vel notabiliter minus me posset in spiritu dirigere, vel esset valdè morosus &c. non tenerer cũ tanto meo incommodo hunc eligere ad alienum peccatum euitandum, vt notant *Coninch. & Trullench supra.*

26 Petes 1. Quanta, vel qualis necessitas, aut vtilitas petentis futura sit, vt licitè petat a sacrilegè ministraturo? certè communiter erit metienda prudenter iuxta circumstantias rerum, & personarum; *Castro Palaus, & Villalobos* grauem necessitatem, aut vtilitatem generaliter requirunt *Suarez, Filliucius, Bonacina sup. Coninch. num. 52.* ferè conueniunt, non requiri semper necessitatem extremam, nec valdè grauem, aut implendi præceptum diuinum, vt voluit Sotus, sed minores causas sufficere, sicut & ad petendum mutuum ab vsurario, vel iuramentum a periuraturo; *Coninch, n. 43.* putat communiter sufficere præceptum Ecclesiæ, vel magnum aliquod festum, quo soleo communicare, vel indulgentias occurrentes, & similia. Cabrera censet sufficere, quod peccator sit doctior alijs ibidem concurrentibus. *Auersa 3. p. q. 64 sect. 11. dicit*, necessitatem esse sufficientem, quoties non possumus commodè differre receptionem Sacramenti, & non adest alius Minister probus.

27 Certè maior requiritur necessitas, vel vtilitas, vt licitè Sacramenta petamus a non Parocho, quam a Parocho, quia maius ius habemus respectu Parochi, quam non Parochi. Maior item, vt petamus a non parato, quam a parato; quia plus habet illud inductionis saltem indirectæ. Quapropter vt liceat petere Sacramentum a Ministro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus est, quamuis indignè ministraturus sit, si non adsit alius, qui dignè ministret, sufficere communẽ vtilitatem, quæ percipitur ex Sacramentis, censet *Suarez*, & videntur consentire *Fillucius, & Bonacina sup.* & in hoc casu probabiliter sustineri potest secunda sententia, quam tenet etiam *Martinus de Ledesma, 1. 4. q. 5. a. 6. dub. 12. proposit. 8.* Cæterùm respectu non Parochi, vel non parati maior causa requiritur, scilicet vt vrgeat præceptum ecclesiasticum audiendi Missam, vel recipiendi Sacramenta, vel vtilitas non differendi nimiũ ipsorum receptionem, præsertim si petens habeat cõscientiam peccati mortalis, aut quid simile. Consonant *Vazquez*

quez 3.p.q.93.art.1.dub.2.n. 24. Franciscus Pitigianus in 4.dist.5.q.2.art.2. Sanchez lib.3.decal.cap.8.nu.7.& 19. Auersa supra.

Rursus si ponatur Sacerdos in mortali dispensans actualiter Eucharistiam omnibus accedentibus ad communicandum, *Suarez sup.* censet, sine limitatione licitum esse recipere; quoniam ibi mera datur acceptio, nullaq; petitio, nec apparet vlla cooperatio, vel occasio ruinæ, vel scandalum culpabile. *Bonacina* tamen etiam tunc videtur negare, si facilè reperiatur alius sine peccato ministrans; nam illa saltem numero ministratio peccaminosa vitabitur. Certè quælibet difficultas, aut incommoditas alium quærendi, vel expectandi sufficiet, vt a peccatore tunc licitè recipiamus Eucharistiam.

28 Petes 2. Quale peccatum sit recipere Sacramētum ab indigno Ministro, quando possumus æquè commodè recipere a digno? vel quando sine dispendio possumus differre receptionem? ita ut verè deficiat necessitas vel vtilitas excusans talem receptionem. Tangunt hanc difficultatem Doctores vel in petitione mutui ab vsurario, vel iuramenti a periuraturo, vel Sacramēti ab indigno Ministro: Et prima sententia docet, esse mortale peccatum, quoties sine necessitate vel vtilitate rationabili petimus ab alio, quod scimus ab ipso cum peccato mortali fore præstandum. Quia generale præceptum charitatis erga proximū sub mortali nos obligat ad euitandum mortale peccatum alterius, quando cōmodè possumus, & sine nostro detrimēto. Nec in tam graui materia datur sola venialis culpa, cum illa petitio nostra verè cōtineat cooperationem illicitam ad mortale peccatum alterius. Ita docent in nostro casu *Suarez to.3. disp. 72. sect.4 fin. Fagundez Præcept.3 lib.3.c.3.n. 12. Villalobos to 1.tract.4.diffic.15.n.3.et 4.* In petitione mutui, vel iuramenti *Valboa to.2.in cap.26.de iuresur.n.72. Molina de iust. tom. 2. disput. 335. Syluester, Aragon. Valentia, Salon,* quos sequitur *Sanchez sup. numer. 22.*

Secunda sententia dicit, esse solùm veniale. Probatur; quia licet præceptum vitandi mortale peccatum proximi, quoties commodè possumus, ex genere suo nos obliget sub mortali, at in his petitionibus tales circumstantiæ concurrunt, vt is rigor temperandus censeatur. Nam ex parte petentis ponitur scandalum solum passiuum, non tam datum, quam acceptum praua voluntate peccantis, qui posset, si vellet, sine culpa præstare, quod petimus; & per consequens ex parte peccantis non tam inductio nostra, quam eius malitia peccatum inducit, cum sponte sua peccet, maximè si iam erat paratus, & hac occasione sublata, mox alias haberet, aut saltem voluntate peccaret. Confirmatur, nam vt vidimus *num.27.* modica quidem causa culpam excusat huiusmodi petitionis, quod etiam in vsura, vel periurio notat *Sanchez sup.num. 12. & sequentibus*; at a præceptis grauiter obligantibus non solet excusare causa tam leuis. Et quidem graue videtur onus, tam stricta peccati mortalis obligatione cogere petentem ad discutiendum, an subsit iusta causa petendi Sacramentum, vel mutuum, vel iuramentum. Ita censent in petitione Sacramenti *Sotus in 4.dist.5.art. 6. Bartholomeus de Ledesma de Sacram. diffic. 14. Cabrera, & Carthagena sup. in petitione mutui Caietanus, Sotus, Nauarrus, Aragon, Sa, Ledesma, Bañes, quos refert Sanchez sup.nu.23. Salas de vsuris dub. 48.n.7. cum alijs, & esse probabilem sententiam in omnibus his petitionibus, dicunt Valboa sup. Sanchez num.23. Petrus Hurtado, 2.2. disp. 173. sect.4. §. 176. & 177. Diana p.1.tract. 5. Resol. 31. & p.4. tract.4. Resol.21. & part.5. tract.7. Resol. 8. & part.7.tract.12. Res.33.*

29 Dicendum est, petere sine causa vel iuramentum, vel mutuum, vel Sacramentum a non parato, qui præsumitur cum peccato præstiturus esse, semper esse mortale peccatum contra charitatis præceptum, vt omnes fatentur teste *Sanchez supra nu. 24. consonant Basil.* [illegible]

Legion.

legion. de Matrim. lib. 5. c. 18. n. 50. Suarez de Religion, to. 2. tract. 5. lib. 3. c. 14. n. 14. Vazquez de scandalo, art. 8. dub. 3. n. 33 & in hoc casu prima sententia posita nu. præcedenti certa est, eiusq; fundamentũ conuincit. Si verò petimus à parato, probabilis est secunda sententia propter eius fundamentum, & ob auctoritatem Doctorum id afferentium: probabilior autem est prima, sicut & communior, vt fatentur *Valboa, Petrus Hurtado, & Diana sup. Sanchez n. 13.* verè siquidem inducimus ad hoc numero mortale peccatum, quod facilè possemus, ac subindè deberemus euitare nulla necessitate ducti, nulla maiori commoditate pellecti.

Fundamentum contrarium positum n. 21. & 22. probat, nos ex iustitia non teneri passiuum scandalum vitare, cùm sit potius acceptum, quàm datum: at non probat non obligari nos ex charitate, quæ semper vrget nos ad euitandum malum proximi præsertim spirituale, quoties euitare possumus sine nostro dispendio. Quare licet cum notabili detrimento, vel incommodo non teneamur impedire passiuum scandalum proximi, tenemur tamen ex charitate, quoties commodè possumus iuxtà receptam regulam charitatis fraternæ. Fundamenta posita num. 28. iam diximus, quam vim habeant ad firmandam nostram decisionem.

CAP. V. QVÆST. IV.

An liceat à publico concubinario Sacramenta recipere?

30 PVblicus, seu notorius concubinarius est ille, cuius delictum est notum per confessionem factam in iudicio, vel per sententiam, aut legitimam testium depositionem, vel per talem euidentiam facti, quæ nulla possit tergiuersatione celari. Sic explicatur *in cap. Quæsitum, de cohabit. Cleric.* exemplum ponunt *Syluest. verb. Concubinarius n. 1. & Toletus lib. 1. cap. 47. n. 1.* in Clerico, qui retinet domi concubinam, vt vxorem: ita vt etiam ipse non audeat diffiteri. Fornicator autem publicus iuxtà prædictos Doctores est, qui vagatur abutens hac, vel illa. Quæstio procedit in vtroque.

Prima sententia negat à publico concubinario, vel fornicatore posse nos recipere Sacramenta, nec eius Missam audire. Probatur 1. Nam in *cap. Nullus. cap. Præter hoc, dist. 32. cap. Vestra, cap. Quæsitum, de cohab. Cleric. & mulier.* distinctè prohibemur publici concubinarij, vel fornicatoris Missam audire, vel ab ipso Sacramenta recipere. Quod præceptum negatiuum obligare, censet *S. Thom. 3. p. q. 82. art. 9. ad 3.* Probatur 2. nam hi fornicarij publici dicuntur in prædicto *cap. Quæsitum*, esse suspensi quoad se propter cõscientiam criminis, & quoad alios propter obligationem eos vitandi, quod videtur confirmare *Tridentinum sess. 25. cap. 14.* dum nõ imminuit, sed innouat, & aggrauat pœnas à iure concubinarijs, & fornicarijs statutas. Ideoque Declaratio Cardinalium ibi sic ait. *Si Clerici concubinarij notorij sunt, etiam hodie ipso iure à Diuinis suspensi (prout in veteri iure) sunt.* Sed à Sacerdotibus suspensis non possumus petere Sacramẽta, cum illa dignè ministrare nequeant. Ergò nec à publicis concubinarijs, aut fornicarijs. Ita sentire videntur *Abbas in prædicto cap. Vestra. Maiolus de irregul. lib. 5. cap. 37. Syluest. & Toletus sup. Nauarrus cap. 25. numero 76. Azor. tom. 1. lib. 6. cap. 7 quæst. 5. Armilla verb. Concubinarius numero 5. & verb. Clericus, num. 13. Vega 2. part. cap.* 108. *casu 3. Lopez in instruct. part. 2. cap. 23. & 31.* quatenùs docent, tales fornicarios esse iure suspensos.

Probabilior est secunda sententia docens, concubinarios, aut fornicarios etiam notorios non esse suspenos ipso iure, nec vitandos in Diuinis plusquam reliquos Ministros peccatores, de quibus diximus quæstione præcedenti. Sic sentiunt *Sotus in 4. dist. 1. q. 5. a. 6. & dist. 13. q. 1. a. 9. Suarez 3. p. to. 3. disp. 18. sect. 1. & to. 5. disp. 31. sect. 4. n. 4. & 10. Manuel* in

in sum.to.2.cap.76.num.1. Medina lib. 1. summa, cap.11.§.8. Sayrus de censuris li. 4.cap.16.num.23. Aula de censuris part. 3.disp.4.dub.2. Garcia de Benef. part. 7. cap.14.num.32. Henriquez lib.9.cap.25. n.13.lit.f.& lib.13.cap.5.num.3.fine, & c. 31.num.3.lit.P. Fagundez cum alijs Pracept.1.lib.2.cap.5.num. 48. Probatur. 1. Nam in illis iuribus non satis exprimitur suspensio ipso iure lata, sed ad summum ferenda; ideoq; Tridentinum supmanifestè decidit, illos esse suspendendos. Et quamuis antiqua iura suspensionem ipso facto tulissent, iam essent quoad hoc per contrariam consuetudinem abrogata. Probatur 2. Nam illa quoque prohibitio recipiendi Sacramentum à concubinarijs, vel ipsorum Missas audiendi iam censetur ablata vel contraria consuetudine, vel per Extrauag: *Ad euitanda*, quæ concedit, vt neminem nisi denunciatum, aut publicum Clerici percussorem vitare teneamur. Ergo non magis prohibemur a publicis fornicarijs, quam ab alijs peccatoribus Sacramenta petere, vel recipere iuxta regulam charitatis adductam præcedenti quæstione. Videantur etiam *Conınch. q. 64.num.45.& Villalobos tom. 1. tract. 4. difficult.15.n.1.*

CAP. V. QVÆST. V.

Vtrum in necessitate liceat dare pretium pro Sacramento?

32 CAsus communiter ponitur in Baptismo, quem Sacerdos vel tibi, vel infanti tuo moribundo nolit ministrare, nisi pro illo des pecuniæ summam; sed extendi potest ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vel simile, quo grauiter indigeat moribundus. Triplex autem modus distinguitur dandi pecuniam in hoc casu; Primus est, si daretur pecunia pro Sacramento tanquam pretium æquiualens; & hoc nunquam licebit; quia talis æstimatio Sacramenti prorsus est iniqua contra ius naturale, cum multum deroget intrinsecæ dignitati Sacramentorum, vt expendit *Lessius lib.2.cap.35.dub.2.nu.16.* Secundus modus est, quando pecunia datur pro Sacramento, non vt æquiualens ipsi, veruntamen vt proprie pretium apprehensum, veluti medium necessarium ad obtinendum Sacramentum. Tertius modus est, si pecunia detur non pro Sacramento, sed ad redimendam vexationem, vel ad alliciendum animum Sacerdotis, vt deposita praua voluntate, debite ministret. Difficultas procedit in secundo, & tertio modo.

33 Prima sententia simpliciter negat, in eo casu licere dare pecuniã sub quouis colore, vel titulo, quamuis extrema sit omninò necessitas Sacramenti, qualis est in infante moribundo, qui non potest nisi per Baptismum saluari, nec adest qui baptizare possit, aut sciat, nisi Minister auarus, qui postulat pecuniam. *Ita S.Thomas in 4.dist.5.q.2.a.2. quæstiunc. 5.ad.2.& dist.25.q.3.a.2.quæstiunc. 2. ad. 3.& 2.2.q.100.art.2.ad.1. Alensis part.2. q.169.memb.4.a.1.dub.2. Paludanus in 4.dist.5 q.3.nu.17. Turrecremata in cap. Gratia.1.q.1. Syluester verb. Simonia q.8. Glossa in cap. Baptizandis.1.q.1. dicens*, in hoc casu permittendum esse potius infantem mori sine Baptismo; sed addit inconsequenter. *Ego tamen potius darem pecuniam, quam permitterem eum sic mori, licet non deberem sic facere.*

34 Probatur, nam emere Sacramentum est intrinsecè malum contra ius naturale diuinum, sicut & vendere; Cum vtrumq; contineat simoniam iuri diuino naturali contrariam. Sed non potest in eo casu dari pecunia Ministro, nisi Sacramentum emendo: quia vexatio Ministri consistit solum in iniqua negatione Sacramenti Ergo tollere, vel redimere vexationem est ponere Sacramẽtum ablata vexatione, quod fit data pecunia; & per consequens emitur collatio Sacramenti. Quæ quidem emptio cum sit intrinsecè mala, propter nullum finem, vel necessitatem licebit, sicut nec blasphemia, periurium, aut mendacium. Non enim mala facienda sunt, vt inde veniant bona. *Rom.3.*

35 Secunda sententia distinguit inter

extremam necessitatem simpliciter, qualis est pueri damnandi, nisi baptizetur; & necessitatem grauem, non omninò tamen extremam, qualis est adulti, qui sine Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ potest contritione saluari, quãuis difficillimum sit homini præsertim rudi veram elicere contritionem. In graui necessitate conuenit hæc sententia cum prima, scilicet nullo titulo posse dari pecuniam, vt obtineatur Sacramẽtum; quia dum non vrget extrema necessitas, præponderat reuerentia debita Sacramento, nec excusatur labes simoniæ: Verum in extrema necessitate docet dari posse pecuniam; quia ius naturale vitandi damnationem infantis alioquin perituri præponderat religioni Sacramenti. Sic *docent Abbas in cap. cum Ecclesia. De Simonia, Guillermus Redoan. tract. de Simonia par. 1. cap. 6. Caietan. 2. 2. q. 100 a. 2. Maior in 4. dist. 5. q. 1. ad 3. Angelus verb. Simonia, nu. 12. Tabienna, n. 29. Sotus de iust. lib. 9. q. 6. art. 1.* qui censet, non solam redemptionem vexationis, sed etiam emptionem Sacramenti, qualem explicuimus in secundo modo dandi pecuniam *sup. n. 32.* licere in extrema necessitate; non autem extra illam; ne tunc videatur quis dando pecuniam alterius iniquitati consentire, quam absolutè vitare posset.

36 Hoc assumptum probatur, quia nõ est sic intrinsecè malum emere rem spiritualem, vt in casu necessitatis extremę cohonestari non possit, sicut cohonestatur homicidium in defensionem, ablatio rei alienæ, vel similia; cessat enim iniuria Sacramenti, quando salus æterna proximi præsertim filij aliter amittenentur. Confirmatur; nam hic concurrũt duo præcepta contraria. 1. Primum religionis non emendi Sacramentum. Secundum charitatis subueniendi proximo extremè indigenti. Sed prudentia dictare videtur, fortiùs esse hoc, quam illud, nec esse relinquendum infantem in æterna damnatione, sed emendum esse Sacramentum, ne pereat. Ergo talis emptio Sacramenti non est sacrilega, nec illicita, sed conformis præcepto charitatis. Vnde non solùm poteris, sed debebis in tali casu Sacramentum emere. Debes enim, dum potes, extremæ necessitati perpetuo perituri subuenire, saltem ex charitate. Quod aliqui Thomistæ dicunt esse probabile teste *Lessio lib. 2. cap. 35. n. 37.*

37 Tertia sententia probabilior asserit, in eo casu licere dare, vel etiam offerre pecuniam, non vt pretium Sacramenti, sed ad redimendam vexationem & ad tollendum impedimentum prauæ voluntatis auaræ, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui tam paruuli, quam adulti. Sic docent *Albertus in 4. dist. 5. art. 1. fine. Hugolinus tabula, 1. cap. 6. n. 7. Altisiodorensis 3. part. summæ, q. 3. de Simonia, Adrianus, quod. lib. 9. a. 3. ad 2. Lessius sup. S. Bonauent. in 4. dist. 5. a. 2. q. 3. fine. Suarez de Simonia lib. 4. cap. 12. n. 13 Vazquez in opusc. de scandalo a. 8. num. 59. Bonac. de Simon. disp. 1. q. 4. §. 1. n. 7. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 21. Villalobos to 2. tract. 37. diffic. 10. Filliuc. tract. 45. n. 12. Trullench de Sacram. lib. 2 cap. 1. dub. 6. n. 6. Basil. legion. de Mat. lib. 5. cap. 18. §. 6. n. 12. Petrus Hurtado. 2. 2. disp. 183. sect. 17. §. 111. & sequentibus. Diana part. 5. tract. 3. Resol. 29. & tract. 7. Resol 16.*

38 Probatur; nam qui dat pecuniam in eo casu, nullam irreuerentiam irrogat Sacramento, sed potiùs præsefert reuerentiam erga illud, dum suo facto testatur, esse necessarium ad salutem. Non enim æstimat illud pecunia, nec intendit dare pecuniam tanquam pretiũ, sed solùm inducere Ministrum, vt velit id, quod velle debet, & explere cupiditatem ipsius, ne priuet alterum remedio salutis necessario. Nec est cur traditio talis pecuniæ per intentionem dantis, & habentis ius ad illam dandam vrgente necessitate, separari non possit ab emptione Sacramenti, subindeq; denudari prorsus à labe Simoniæ. Quod si separari sic potest, & denudari, etiam adultus in articulo mortis indigens Baptismo, vel Pœnitentia rationem habet honestissi-

ſtiſſimam dandi talem pecuniam; quia peccatoris adulti neceſſitas eſt ſatis magna, periculumq; grauiſſimum æternæ damnationis. Quapropter iſta largitio nec continet vllam irreuerentiam Sacramenti, nec derogat eius dignitati, nec abſoluto Dei dominio in omnibus ſupernaturalibus donis. Ergo non minus licebit in adultis, quam in paruulis. Confirmatur, nam vt notat Adrianus ſupra, licet Sacerdotem illum inducere minis, & precibus ad Sacramenti miniſtrationem; ergo pecunijs etiam inducere licebit. Et quidem cum omnia bona temporalia conceſſa ſint nobis, vt iuuent nos ad ſalutem conſequendam; quando Sacramentum ad ſalutem neceſſarium nobis, vel proximis ob Miniſtri malitiam aliter obtinere nequimus, nō eſt inordinatum offerre pecuniam, non tanquam pretium Sacramenti propriè, ſed tanquam medium ad alliciendam auari Miniſtri voluntatem, vt conferat Sacramentum vel paruulo, vel etiam adulto grauiter egenti.

39 Ideo præfatam doctrinam extendunt Hugolinus, *Villalobos, & Diana ſup. Suarez num.* 18. *Fillincius, num.* 16. & 17. ad Pœnitentiæ Sacramentum adulto moribundo neceſſarium; item ad Euchariſtiæ Sacramentum vt viaticum recipiendum, quamvis homo ſit confeſſus, & non habeat conſcientiam peccati mortalis; quia poteſt obtineri ſine ſacrilegio, vel ſimonia, poſita intentione ſuperius explicata; nec debeo tanto bono priuari propter alterius malitiam. Præſertim cum probabile ſit, Euchariſtiam eſſe medium neceſſarium ſaluti, quod in re debet recipi, quoties commodè poteſt recipi ſine propria culpa. *Sic Suarez n.* 19. *Bonacina vero, & Diana ſup.* generaliter id extendunt ad omnia Sacramẽta, dum grauis vrget neceſſitas illa recipiendi, v.g. quando moribūdus aliter extremam vnctionem obtinere nequit, niſi data pecunia; quamvis enim nō ſit per ſe medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, eſt tamen vtiliſſimum, & eius carentia meritò reputatur calamitas, ad quam euitandam permittere poſſumus peccatū alterius. Addit *Petrus Hurtado* §. 224. idem videri dicendum, quoties obligat præceptū annuæ cōfeſſionis, & communionis, nec illud implere poſſumus, niſi data pecunia Miniſtris. Item ſi Sacerdos priuaret aliquem frequenti Sacramentorum vſu, liceret illum allicere pecunijs, vt tollat prohibitionem; nā eſt grauiſſimum malum carere Sacramentorum ſubſidijs. Item quoties aggredimur longum iter cariturì Sacerdotibus. Item quoties in peccato mortali ſumus, & ea die non reperiemus Sacerdotē, qui nos gratis audiat, & abſoluat, poſſumus offerre pecuniam, vt abſoluamur. Quippe grauiſſimum malū eſt ire cubitum in mortali; multi ſiquidem ſani cubant, nec viui ſurgunt è lectis. Idem in omnibus eiuſmodi neceſſitatibus grauibus videtur cenſendum. Verum quoniam ipſe non vult eſſe primus author iſtarum opinionum, relinquit illas tempori maturandas, cui conſonat Diana; nec ego fero iudicium. Illud eſt magis certum, quoties moribundus aliud Sacramentum recipere non poteſt, licitè dari pecuniam, vt obtineat Extremam vnctionem, vel aliud Sacramentum, quo fiat ex attrito contritus. Vrget enim ibi grauiſſima neceſſitas, quod notat *Suarez, n.* 18.

40 Ex dictis fit. 1. ſi Miniſter non petat pecuniam pro Sacramento, nec illud deneget ex auaritia, ſed ex odio, vel alio prauo affectu, poſſe grauiter indigentem inducere Miniſtrum pecunijs ad Sacramentum miniſtrandum. Quia non offert pecuniam, vt ſupponimus, animo Sacramentum emendi, ſed ſolùm redimendi vexationem, & impedimentum auferendi; nec ſimpliciter a Miniſtro petit, vt accepta pecunia conferat Sacramentum, ſed quaſi ſub conditione tacita, vel expreſſa; ſi non vult aliter omittere grauiſſimum peccatum, & nocumentum denegandi Sacramentum. Confirmatur, nam ſiquis alius Sacerdotem impediret, ne Sacramentum cōferret, poſſemus ipſi dare, vel etiā offerre pecu-

pecuniam, vt cessaret impedire. Pariter ergo dare Ministro possumus, & offerre pecuniam, vt tollat impedimentum, quod ipse sibi per odium, vel per alium prauum affectum imposuit. *Sic Adrianus sup. Suarez num.* 17. *Lessius num.* 39. *Bonacin.n.*4.

41 Colligitur 2. si qua regio non haberet prædicatores Euangelij, vel Sacerdotes Sacramentorũ Ministros, posse Prælato Ecclesiastico dari pecuniam, vt alliciatur ad eos mittendos. Tunc enim non datur pecunia pro Sacramentorum administratione, sed vt remoueatur impedimentum mittendi Ministros Euangelicos. Ita *Bonacina supra Lessius numero* 44.

42 Colligitur 3. *Si tyrannus, vel hæreticus, vel iudæus habeat quasi captiuam Eucharistiam*, vel illam velit conculcare, vel comburere, posse dari, vel offerri pecuniam, vt cesset ab iniurijs, & Sacramentum fidelibus restituat. Quia tunc non emitur Sacramentum, nec dans pecuniam hoc intendit, sed redimitur vexatio, quæ fit Sacramento, & Ecclesiæ. Nam hæc sola ius habet retinendi sacram Eucharistiam. Sic etiam licitum est pretio redimere reliquias Sanctorum ab hæreticis, & infidelibus illas indignè tractantibus, quamvis alioqui vēdi, vel emi non possint. Quoniam ista redemptio rei sacræ non est illius emptio. *Sic Villalobos sup. Suarez num.* 20. *Hugolinus.Tab.*1.*c.*38.*n.*5.

43 Colligitur 4. decisio difficultatis, quam attingit *Sotus lib.*9.*de iust.q.*6.*a.*1. si Sacerdos ita prauus esset, vt nollet Sacramentum ministrare, nisi dicas, & iures, te dare pecuniam in pretium ipsius Sacramenti; liceat ne sic iurare? Certè si Minister hoc petat in contemptũ, vel irrisionem Sacramenti, vel Christianę Religionis; conueniunt Doctores, nec posse tale iuramentum emitti, nec dari pecuniam illo titulo. Quia talis actio, cũ contineat iniuriam Religionis, est ita intrinsecè praua, vt fieri nō possit pro spirituali salute propria, vel aliena. *Sic Sotus supr. Suarez.n.*15. *Lessius.n.*42. *Bonac.n.* 4.

44 Si tamen intentio petentis pecuniam, vt pretium Sacramenti non sit tã praua, sed procedat ex auaritia, vel odio nimirum vt faciat alium consortem sui criminis, Sotus consequenter ad suam sententiam relatam *sup. n.*35. dicit, licitum esse dare pecuniam in pretium, & iurare, quod datur hac intentione. Nam in hoc casu putat, emptionem Sacramēti licere. *Suarez vero n.* 16 *iudicat*, hanc Soti doctrinam esse singularem, improbabilem, & horrendam. Nam talis intētionis assertio præsertim iurata grauissimam inuoluit iniuriam Sacramenti, quę iam tunc non est separabilis ab eo largitione pecuniæ. Fatetur verò *Suarez cum Hugolino Tab.*1.*cap.*6.*n.*5.& 8. posse quempiam in eo casu verbis amphibologicis vti, vel restrictione mentali, qua secludatur emptionis intentio, & responsio verificetur iuxta mentem dantis, qui scilicet interius addat, se dare pecuniam in pretium, si liceat sic dare, non aliter. Consonant *Bonacina num.* 3. *Filliucius tract.*45.*n.*14. Casus erit rarus, & hæc praxis est secura. Quia verè subest iustissima causa talis, vel similis restrictionis adhibendæ.

45 Ad fundamentum primæ sententiæ, concessa maiori negatur minor, potest enim dari pecunia, quin ematur Sacramentum; nimirum si detur ad tollendum prauum animum, vel aliud peccatum, quod Minister committit in denegatione Sacramenti. Quapropter collatio Sacramenti finis quidem est, ob quem pecunia datur, non tamen est materia, cui correspondeat pecunia tamquam pretium. Nec tollere vexationem est immediatè tollere negationem Sacramenti, sed tollere prauum affectum, ex quo sequebatur denegatio Sacramenti. Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex dictis, sufficere quoque grauem Sacramenti necessitatem, vt detur pecunia pro remouendo impedimento. Ad fundamentum Soti negamus, emptionem Sacramenti vllo casu licere; quia separari non potest ab emptione gratiæ, cum pro-

pter illam ematur;nec emptio gratiæ separari potest ab emptione Spiritus Sancti,cum & ab illo,& cum illo debeat infundi: emptio autem Spiritus Sancti cõtinet intrinsecam eius iniuriam, vt expendit *Tarasius in cap. Eos, qui* 1. q. 1. Nec vnquam est moraliter necessarium emere Sacramentum, cum possit dari pecunia, vel ad redimendam vexationem, vel ad molliendum animum Ministri iuxtà dicta.

CAP. V. QVÆST. VI.

An pro Sacramentorum administratione possit aliquid accipi?

46 QVia datio,& acceptio correlatiua sunt, post quæstionẽ præcedentẽ hæc congruè potest agitari, cõmunis equidẽ omnibus functionibus externis,quæ licet ex fine,vel principio fiat spirituales, nihilominùs habent annexũ vel laborem corporis, vel aliqnam incommoditatem,quatenus insumunt tẽpus,quod impendi posset temporalibus lucris,aut commodis;tales sunt celebratio Missæ,preces Canonicæ,consecratio templi, & similes.

47 Supponimus in his functionibus tria cõsiderari posse, primum actionem ipsam,qua talis est. Secundum laborem intrinsecè cum illa coniunctum. Tertium laborem extrinsecus annexum. Labor intrinsecùs operi dicitur, sine quo non potest opus consistere: duplexq; distinguitur, primus intrinsecè constituit ipsam functionem, videlicet in Sacramentis prolatio formæ cum lotione, vel vnctione,vel actione simili constituente sacrum ministerium: In alijs functionibus proportionaliter labor celebrandi Missam, consecrandi templum, vel aram, benedicendi vestes sacras, vel aquam, recitandi preces, &c. Secundus est labor necessariò præcedens, vel subsequens sacram functionem: Ire videlicet ad Ecclesiam, indui vestibus sacris, studium præcedens concionem, defatigatio manens post illam, & similia. Labor extrinsecùs operi dicitur, sine quo potest opus absolutè consistere, dupliciterque pariter,distingui potest. Primus est, qui nascitur non ex ipsa functione sacra, sed ex opere diuersa per accidens cum illa coniuncto, nimirum si Sacerdos ambulare cogatur duo, vel tria milliaria, vel expectare duas horas, vt Sacramentum ministret, vel Missam celebret. Secundus est, qui per accidens ex parte Ministri coniungitur cum sacra functione: quatenus idem opus molestius, & laboriosiùs est personæ debili, vel non assuetæ, quàm forti,& exercitatæ. Sic Sacerdos debilis, aut infirmus magis defatigatur faciendo sacrum, vel administando Sacramentum, quàm robustus, & sanus. Ità distinguunt Doctores citandi.

48 Hoc supposito prima sententia docet,etiam pro intrinseco labore sacræ functionis licere pretium accipere. *Tenent Adrianus quodlib.9. a.1. lit.D. Altisiodorens. q. penultima de Simonia. S. Bonauentura in 4. dist.25.a.1.q.4. dicens, pro labore celebrationis Missarum, & similibus posse pretium exigi. Consonat glossa. cap. Significatum de Præbendis verb. Itaque, Abbas ibi.n.8.* Iulius Clarus dicens esse communem. *verb. Simonia. n.2. Angelus Simonia.n.6.* referens Innocentium. *& Hostiensem in cap Quoniam.* Ne Prælati vices. *Propendet Richardus in 4.dist.25. artic.3.q.2. quatenus asserit,* Episcopum recipere procurationem, dũ consecrat Ecclesiam, tanquam pro labore debitam; & Clericos dicentes Officium pro defunctis, posse mercedem accipere pro suo labore: sed *q.3.* minùs consequenter excipit laborem administrationis Sacramentorum.

49 Probatur; nam omnis labor corporalis mercede locari potest; ergò labor etiam sacrarum functionum iuxtà id. *Luc.10. Dignus est operarius mercede sua.* Declaratur consequentia; nam labor corporalis intrinsecùs sacræ functioni, vel incommoditas eundi, vel redeundi, vel assistendi tempore necessariò moraliter est æstimabilis,nec amittit suum

suum valorem propter coniunctionem cum spirituali functione, Poterit ergo vendi precisè secundùm istum valorem non augendo pretium ob spiritualem dignitatem sine labe Simoniæ. Confirmatur; nam huic labori debetur ex natura rei merces, vel stipendium. Sic enim dicitur *cap. Clerici omnes*, 1. *quæst.* 2. *Clerici omnes, qui fideliter Ecclesiæ deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum seruitij sui meritum a Sacerdotibus consequantur*. At non debetur stipendium ratione functionis spiritualis, vt spiritualis est, sed quatenus in ea corpus laborat, & occupatur: ergo potest hic labor iustà mercede compensari, iustoq; pretio vendi.

50 Secunda sententia docet, laborem intrinsecum sacris functionibus nec æstimari pretio, nec vendi posse: secus extrinsecum, & accidentarium laborem. *Ita docet S. Thom. in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corpore, & ad* 4. *&* 5. negans absolutè licere vēdere tales actus, vel locare tales operas, quamvis liceat sustentationem accipere. Sequitur *Sotus lib.* 9. *de iust. q.* 6 *art.* 1. *Caietanus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Abulensis, Abbas, Ioannes, Andreas, & alij, quos sequitur Suarez de Simonia lib.* 4. *cap.* 21. *n.* 5. *Sylvester verb. Simonia, q.* 9. *Villalob. to.* 2. *tract.* 37. *diffic.* 9. *Lessius l.* 2. *cap.* 35. *nu.* 45. *Layman lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *n.* 41. *Bonac. de Simonia disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 3. Probatur quoad primam partem; quia labor intrinsecus actioni sacræ sic est cum illa coniunctus, vt non possit ab actionis sanctitate separari; tali siquidem actioni consideratur inesse sanctitas, nempè locutio, motioq; membrorū promanās ab intellectu, & voluntate ministrantis; ergo vendi nō potest sine iniuria sanctitatis intimè coniunctæ. Confirmatur; nam operatio, siue labor corporalis non est pretio æstimabilis nisi per ordinem ad opus, cuius causa suscipitur; ergo quoties opus est spirituale, ac per consequens invendibile, labor corporalis intrinsecè cū operatione coniunctus, ac necessariò requisitus nec vendi, nec æstimari pretio poterit. Etenim cum corporalis labor nihil proficiat per se sine spirituali operis fructu; *Quisquis horum alterum sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum relinquit*, vt habetur in *cap. Si quis obiecerit.* 1. *q.* 3. Quoad secundā partem probatur hæc sententia; quia tunc non accipitur pretium pro spirituali functione, sed pro labore corporali per accidens ipsi coniuncto, qui suam retinet æstimationem.

51 Dico 1. licitum est aliquid dare, vel accipere pro laboribus extrinsecè, seu per accidens adiunctis, siue prævij sint actioni sacræ, siue comitentur illam. In hoc conueniūt vtriusq; partis Doctores. Probatur, nam hi labores in se sunt quid temporale per se pretio æstimabile, nec sacræ functioni necessariò connexum. Sic cantores aliquid exigere possunt prò labore, vel artificio canendi voce, vel instrumentis; nam hæc per accidens comitantur officium diuinum, vt quod sine cantu peragi potest; nec ex coniunctione cum sacris functionibus amittunt æstimationem, quam alias haberent in re profana. Similiter Sacerdos si longum iter conficiat ob administrādum Sacramentum, vel longo tempore quemquā ex spectet ad celebrandum, potest pretiū huius laboris exigere. Videantur *Lessius, Layman, Bonacina sup. Suarez. n.* 11. qui quidem hanc doctrinam limitat ad laborem extrinsecum primo modo positõ *sup. n.* 47. Quippè laborem extrinsecum ex parte solius operantis, qui senex, aut debilis, aut tardus est, existimat non augere valorem operis; cum respectu petentis opus sit omninò per accidens; ideò siquidem opera viri nobilis fodientis terram non pluris æstimatur, quam opera rustici, licet nobilis maiorem laborem adhibeat, quam rusticus. Contrarium opinatur *Bonacina n.* 5. *&* 9. quia putat, augeri valorem laboris ex circūstantia personæ maiorem sentientis difficultatem. Verum opinio Suarij probabilior, & tutior est, quam amplectitur *Filliucius tract.* 45. *n.* 49.

52 Dico 2. pro laboribus intrinsecis

sacræ functioni non potest propriè pretium exigi, vel accipi, sed solum stipendium titulo sustentationis. Prima pars probatur fundamentis secundæ sententiæ: Secunda pars patet; quia dum Ecclesiasticus Minister sacris ministerijs occupatus, non potest alijs operibus, & lucris incumbere, quibus aleretur, ius comparat, vt à Fidelibus, in quorum vtilitatem incumbit, sustentetur. Ideo dicitur *Matth.* 10. *Dignus est operarius cibo suo, & Luc.* 10. *Dignus est operarius mercede sua*, quod sæpè repetunt scripturæ. Christus etenim instituens Sacramentum Ordinis iustissimè voluit, vt Sacerdos viuere posset ex sacris functionibus; concurrentibus scilicet ad eius sustentationem proportionaliter illis, qui commodum indè percipiunt; verum non tam secundum proportionem commodi sibi prouenientis ex Missa, vel Sacramento, vel simili, quam iuxta proportionem incommodi, quod indè Ministrans incurrit. Sicut si Petrus constitueret Paulū dispensatorem liquoris pretiosissimi, dās illi facultatem donandi singulas eius libras, quibus vellet, nihil pro se paciscendo, nisi pretium laboris; Paulus non venderet liquorem, cuius non esset Dominus, nec translationem dominij, cum nihil accipere possit correspondens eius æstimabilitati; sed solam suam operam, quæ per se quidem vilis esset, sed haberet æstimabilitatem a facultate cōcessa per Dominū liquoris. Ita contingit in sacris functionibus. Et quamuis intentio Ministri, vel applicatio Missæ (quæ sunt actiones ex obiecto suo sacræ) deducantur in pactum, vtpotè sine quibus labor esset inutilis paciscenti; fructus tamen Sacramenti, vel Missæ non venditur, sed solus labor exterior compensatur, vt cōtingit in illo custode, qui ius habet donandi liquorem accepta compensatione maiori, vel minori iuxta maius, aut minus incommodum distributionis. Videantur *Layman sup. Suarez*, *nu.* 10. *Bonacina, punct.* 2. *Lessius, n.* 53. *Reginaldus lib.* 23. *n.* 39. & per hæc soluitur fundamentum primæ sententiæ.

53 *Suarez lib.* 4. *de Simonia, cap.* 21. *n.* 13. 14. & 15. *censet*, hanc doctrinam esse veram de omni labore sacris functionibus intrinseco tam primo, quam secundo modo positis *sup. num.* 47. Probat, nam omnis labor, & operatio, quæ per se necessaria sunt ad sacrum ministerium, siue præcedant, siue comitentur, siue sequantur, veluti componunt vnum opus morale, quod totum censetur sacrum, & vt tale tractandum est. Nec actiones illæ præuiæ, vel comitantes, aut subsequentes habent vllam æstimationem, aut vtilitatem, nisi propter opus spirituale, seu ministerium ecclesiasticum, ad quod ordinantur: Vndè si pretio fierent, ipsum opus spirituale venderetur. Inde colligitur, Sacerdotem, qui canit Missam, non posse ratione cantus stipendium augere; nec adeuntem templum ad Sacramenta ministranda posse vendere laborem itineris, quoties non excedit communem distantiam; nec studium præcedens concionem, nec defatigationem ex illa resultantem posse pretio compensari; nec Canonicos in choro canentes posse pro cantu pretium accipere. Quoniam ille cantus, & cæteri labores numerati sunt intrinseci functionibus sacris, quæ talem operam, & laborem requirunt. Consonat *Filliucius sup. num.* 48.

54 Contrarium docet *Bonacina de Simonia disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 3. *n.* 4. & *sequentibus*, Quia putat laborem præcedentem, aut subsequentem retinere suam æstimationem, quam habet ex natura sua, nec illam amittere ob respectum ad functionem sacram. Vnde colligit studium concionatoris præuium, vel eiusdem fatigationem ex magna vocis, & animi contentione, dum concionatur; vel laborem Sacerdotis canentis Missā, vel facientis iter ad celebrandum, seu ministrandum, quamvis breue, vēdi posse. Fatetur tamen Suarij sententiam esse tutiorem, & in praxi sequendam. Et quidem tutius erit, vt siquid detur pro his, non titulo venditionis, sed sustentationis accipiatur.

55 Petes,

55 Petes, an obligatio peragendi functiones sacras vendi possit, seu pretio compensari? videntur affirmare Caietanus *verb. Simonia regul.*4. *Navarrus cap.*13. *n.*102. *Lessius lib.*2. *cap.*35. *n.*45. *Layman li.*4. *tract.*10. *cap.*8. *n.*41. *Bonac. sup. n.*9. Probatur 1. nam obligatio distinguitur ab spirituali functione 2. quia sic excusantur Capitula, seu Conuentus Ecclesiarum, qui pretio suscipiunt onus celebrandi singulis annis Anniuersaria, vel officia sacra 3. quia licet in mutuo nihil accipi possit vltra sortem, at pro mutuandi obligatione potest accipi. Similiter ergò licet pro sacra functione præcisè nihil accipi possit, tamen pro obligatione præstandi talem functionem recipi potest.

56 Hanc sententiam veram esse censeo, quoties obligatio sacrarum functionum suscipitur cùm oneribus corporalibus per accidens annexis V.g. qñ Sacerdos obligatur ad celebrandũ, vel ministrandũ in tali loco distãti, tali, vel tanto tẽpore, vt specialem molestiam, aut incommoditatem passurus sit. Hæc videtur esse mens cõmunis *Doctorum, vt explicuit Abbas in cap. significatum de Prabendis, n.*8. *Innocentius ibi, & in cap.*3. Ne Prælati vices suas, *Caietanus sup. reg.*5. Dicens, esse licitum locare operam spiritualem non secundum se precisè, sed ratione corporalium, quæ per accidens adiunguntur. Et certè moraliter in his obligationibus interueniunt ferè semper onera similia. Cogitur enim Minister in tali loco manere, talem horam exspectare, priuari commodis alijs, vel occupationibus, vt paratus sit sacro ministerio; & in hoc casu conuincunt fundamenta num. præcedenti relata.

57 Si tamen obligatio præcisè sumatur, per ordinem ad sacras functiones, vt tales sunt, non potest pretio vendi, vel locari. Nam vt inquit *S. Thomas* 2. 2. *q.*100. *art.*4. *ad* 1. temporalia connectuntur spiritualibus tanquã fini, & ideò quamuis liceat vendere temporalia; ordo tamen ad spiritualia sub venditione cadere non debet. Igitur obligatio considerata solùm secundum ordinem ad spirituale ministerium vendi, seu locari non potest; aliàs spirituale ministerium venderetur, vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis, quorum vtrumque simoniacum est. *Ita Suarez de Simonia lib.*4. *cap.*21 *num.*17. Quare tutius quidem est & in praxi consulendũ, vt etiam in his obligationibus pecunia non accipiatur titulo venditionis, vel locationis, sed sustentationis.

58 Quin etiam titulus sustentationis excluditur, quoties Ecclesiæ pastor, aliùs ve beneficiatũs sufficientem à fidelibus sustentationem habet ex decimis, vel ex alijs prouentibus, ratione quorum ex iustitia teneatur ad spiritualia ministranda. Tunc enim iniuriam infert, si quid ampliùs exigat pro Sacramentorum administratione. Quòd docere videntur Glossa, & Abbas in *cap. Suam* 4. *de Simonia*; limitat id *Layman sup. num.*16. nisi consuetudo legitimè præscripta ferat, vt Fideles aliquid offerant Parochis, vel Ministris, quamuis alioquin sufficientes prouentus habeant. Consonat *Possevinus cap.*5. *n.*15. dicens, recipi posse, quidquid spontè fuerit oblatum.

59 Rursus excluditur pactum circa sustentationem, quoties eius exactio turpis auaritiæ, vel simoniæ præsefert speciem Verbi gratia, si prius non conferatur Sacramẽtum, quàm pecunia numerata sit, vel de illa numeranda cautio præstita fuerit. Quòd prohibetur *cap. in tantum, & cap. Audiuimus*, de Simonia, notatque *Laym. vt sup.* & addit Posseuinus, *n.*16. maioris perfectionis forè nihil etiam oblatũ spontè pro Sacramentorum administratione recipere, quoniam Apostolus gratis in Euangelio laborabat *ad Thessalon.* 3. *Certè Paulus* 5. Rituali Romano sic monet Parochum in monitis generalibus. Diligenter caueat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quauis de causa, vel occasione directè vel indirectè petat, sed ea gratis ministret, & ab omni Simoniæ vel auaritiæ suspicione, nedum crimine lon-

longissimè absit. Siquid verò nomine eleemosynæ, vel deuotionis studio, peracto iam Sacramento, sponte a Fidelibus offeratur, id licitè pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

CAPVT VI.

De Sacramentis non ministrandis indigno.

1 Supponono 1. petentem Sacramentum indignè vel esse publicum peccatorem, vel occultum; Rursus vel publicè petere, vel occultè. Suppono 2. delictum, & delinquêtem dici tripliciter occultum. Primo quando vel a solo Sacerdote cognoscitur; aut ab vno, vel altero, nulla tamen infamia, vel publico rumore laborat. Secundo quando certa scientia constat vni, vel alteri, verum apud alios est publica suspicio, vel rumor, vnde nascitur aliqualis infamia, & hoc dici solet delictum occultum, sed famosum. Tertio, quando constat tribus, aut quatuor, & adhuc cêsetur peccatum occultum; dicitur autem probabile; quia probari potest in iudicio. *Sic Suarez 3 p.to.3.disp.67 sec.5.*

2 Suppono 3. peccatorem, & peccatum dici publicum primo notorietate iuris; quando de delicto constat in iudicio per delinquentis confessionem, aut per sententiam iudicis, aut eius declarationem. *Ita Suarez sup. Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 8 Villalobos to 1. tract. 7. diffic. 28. n. 3. Addunt Possevinus cap. 5. n. 19. Lessius lib. 2. cap. 31 n. 73. Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. 6. punct. 4. num. 1.* crimen dici iure notum per legitimam testium depositionem. Secundo dicitur peccatum publicum per euidentiam facti, seu notorietate facti notorium, quoties pluribus ita constat, vt nulla possit tergi versatione celari. Sumitur ex *cap. Quæsitum, & cap. Tuanos,* De cohabitatione cleric. & mulier. docetq; *S. Thom. 3. p. q. 80. ar. 6.* & communiter Doctores.

3 Quantus verò numerus requiratur, vt factum ex ipsorum notitia dicatur notorium dissentiunt Auctores. Adrianus *in 4. quæst. penult. de Euch.* cum Panormitano, & alijs requirit decem homines, nam hic numerus est necessarius ad constituendum populum, seu Parochiam. *Siluester, verb. Notorium, num. 4. Nauarrus cap. 25. n. 73.* putant sufficere maiorem partem collegij, vel congregationis, vbi non sint pauciores quam decem. *Lessius sup. n. 74 dicit*, hoc fore publicum respectu talis congregationis, non autem absolutè respectu totius vrbis, aut Parochiæ; quapropter illa solum censet absolutè publica, quæ in tali loco, cum talibus circumstantijs gesta, vel propalata sunt, & cuius innotescere potuerunt. *Ideo Sotus in 4. dist. 11. q. 2. ar. 6. Villalobos, & Possevinus sup.* prudentię Sacerdotis relinquunt, vt in particulari dijudicet ex circumstantijs; an ita peccatum innotuerit, vt publicum reputari debeat. Quod etiam tradit *Vazquez 3. p. disp. 209. Suarez vero sup.* distinguit de publico respectiuè, vel absolutè.

4 Peccator respectiuè publicus dicitur in præsenti respectu modi, quo petit Sacramentum, quando scilicet tam publicum est prius peccatum, quam petitio Sacramenti coram illis, qui norunt crimen alias occultum absolutè; quoniam tribus tantum, aut quatuor personis notum est. Absolutè publicus dicetur, cuius crimen ita multis est cognitum, vt prudenter iudicari possit esse generaliter notorium, cum qua tamen notorietate nonnunquam stabit, vt coram illis Sacramentum petatur, qui delictum ignorant. Hanc distinctionem amplectitur etiam *Possevinus sup.*

5 Suppono 4. Ministrum Sacramentorum per se loquendo teneri non conferre Sacramentum indignis, idest carentibus debita dispositione ad effectum illius Sacramenti percipiendum. *Ita*

Suarez 3.p.to.3.disp.18.sect.2. Fillincius tract.1.n.91. Palaus to.4. tract.18. punct. 14.n.1. & Doctores communiter. Probatur 1. ex communi præcepto non cooperandi peccatis alienis. Quippè si recipiens est indignus, iam est mala receptio; quare Minister conferens cooperatur indignæ receptionis, subindeque peccato recipientis. Probatur 2. ex speciali præcepto non dandi sanctum canibus Matth. 7. immundis nimirum, & peccatoribus. Committitur enim Ministro Sacramētorum administratio tanquam seruo prudenti, fideli que dispensatori; cuius est dispensare Sacramenta iuxtà reuerētiam ipsis debitam, & finem institutionis ipsorum. Sed indignè suscipiens iniuriam irrogat Sacramento, quòd frustrat ipsius effectu, seu fine proprio; ergo non est illi ministrandum.

6 Hinc fit, tibi ministrāti Sacramentum probabiliter constare debere rectā suscipientis dispositionem; tum vt fideliter dispenses; tum ne peccato receptionis indignæ cooperereris; vt autem ea dispositio tibi moraliter constet, debet in eius indagine talem diligentiam adhibere, qualem cuiusque Sacramenti conditio postulat iuxta prudētis viri iudicium. V.g. siquis petat Baptismum, inquirendum est de fide, cęterisque dispositionibus ad illum requisitis. Ad confirmationem, Eucharistiam, Extremam Vnctionē sufficit, si petens catholicè vixerit, & ius habeat recipiendi, nec constet, illum esse in statu peccati mortalis, vt præsumatur habere debitam dispositionem. In Sacramento Pęnitentiæ, cùm Minister sit iudex, debet accuratius examinare causam, vt dispiciat, an reus sit absoluendus, an ligandus. Siquis petat Ordinem, aut Matrimonium, præmittēdæ sunt inquisitiones, quas *Trident. præscribit sess. 21. 23. 24. Sic notant Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. Henriq. lib. 1. cap. 30. n. 6. Suar. sup. Bonacina n. 17. Palaus n. 2. Addunt Toletus lib. 5. capit. 5. numero 7.* & Possevinus *cap. 12.* teneri Parochum in sua Parochia peccatores publicos inquirere, ne recipiant indignè Sacramenta.

CAP. VI. QVÆST. I.

An præceptum non ministrandi Sacramentum indignis sit affirmatiuum, aut negatiuum?

7 SVarez *3.p.to.3. disp.67. sect.1.* docet, non esse simpliciter negatiuum, quia cùm sit præceptum naturale, si semper, & pro semper obligaret, nunquam liceret conferre Sacramenta peccatori; cùm tamen aliquando liceat. Censet ergo reducendum esse ad præceptum affirmatiuum prudenter, & fideliter dispensandi Sacramenta. Vndè fit, vt quoties cōmodè fieri potest, debeant indignis denegari, nō vero cùm incommodum graue sequatur.

8 *Vazqu. vero 3.p. disp. 209. n. 6.* dicit, esse præceptum negatiuum, sicut præceptum non occidendi, cùm tamen aliquando sine peccato possimus occidere. Nam quando dicimus, præcepta negatiua semper, & pro semper obligare, non intelligimus ea circa materiam absolutè sumptam, nimirum circa occisionem, vel administrationem Sacramenti peccatori collati obligare absolutè, sed circa talem materiam debitis circumstantijs determinatam; cùm alijs enim excusamur à malitia talis actionis; quia cessat obligatio pręcepti, quantumuis negatiui. Certè mihi magis arridet, peccatum administrationis indignæ potiùs esse commissionis, quàm omissionis; ideoq; potiùs esse contra præceptum negatiuum, quàm affirmatiuum.

CAP. VI. QVÆST. II.

An Sacerdos, vel Diaconus in mortali communicans se ipsum de præconsecratis, committat duo peccata necessario manifestanda in confessione?

9 NEgat *Vazquez 3. part. to. 3. disp. 209. num: 4.* quia putat, vnam, & eandem malitiam falsæ significationis reperiri, siue quis ab altero Sacramētum accipiat indignè, siue manu sua sumat. Melitis tamen *Suarez 3. p. tom. 3. disp. 67. sect. 1.* circa finem, docet ibi reperiri plures malitias secūdum speciem moralem diuersas; quia violantur duo præcepta valdè distincta. Primum de recipiendis Sacramentis cum debita dispositione, quòd omnibus fidelibus est commune. Secundum de fideli dispensatione Sacramentorum, quòd specialiter pertinet ad Ministros. Quapropter in confessione debet vtrumque manifestari. Consonant, quæ diximus supra *c. 2. q. 5. n. 40.* scilicet ministrantes Eucharistiæ Sacramentum ex hostijs præconsecratis in mortali, peccare mortaliter (quoties ex officio ministrant) ob indignam administrationem; ergò si præterea concurrat indigna receptio, duo peccata distinguuntur specie morali.

CAP. VI. QVÆST. III.

An aliquando liceat inducere peccatorem ad receptionem Sacramenti, quòd scimus in peccato mortali recepturum esse?

10 PRima sententia negat absolutè. Quoniam id esset non solùm alterius peccato cooperari, sed etiam inducere proximum ad malum. Vndè quamuis vrgeat præceptum recipiendi Sacramentum, non licebit compellere talem peccatorem ad Sacramenti receptionem. Minùs enim malum erit violare præceptum confessionis, aut communionis V. g. etiam in articulo mortis, quàm sacrilegium indignæ receptionis patrare. Sic docent *Sotus in 4. dist. 12. q. 1 art. 6. Henriq. lib. 8. cap. 57. n. 3. Suar.* supra, qui colligit indè, quando Christus in cœna dixit: *Comedite; seu bibite ex eo omnes*, non inuitasse Iudam ad Communicandum in mortali, sed eius peccatum permisisse, dum instituens Eucharistiæ Sacramentum loco, & tempore conuenienti, communem exhortationem præmisit, quam non debuit propter Iudam differre, vel auferre.

11 Secunda sententia distinguit asserens, si probabile sit, peccatorem occultum indignè recepturum esse Sacramenta, nec inducendum esse, ne dum aliquo modo compellendum, ad ipsorum receptionem propter fundamentum primæ sententiæ. Si tamen prudenter speretur, forè vt resipiscat, & dignè recipiat Sacramenta, poterit induci, vel compelli ad ea recipienda. Quin si dubium fuerit, an dignè, vel indignè recepturus sit Sacramenta, poterit induci ad ipsorum receptionem. Quia non inducitur, aut compellitur ad aliquòd scelus perpetrandum, sed ad id peragendum, quòd rectè potest agere. Si tamen id indignè peregerit, non ex alterius inductione, sed ex operantis prauitate crimen proueniet. *Ita Possevinus ca. 5. n. 28.*

12 Dicendum est, non solùm quoties speratur digna receptio Sacramenti, vel dubia fuerit, vt dicebat secunda sententia, sed etiam quando moraliter est certum, peccatorem occultum indignè recepturum esse, si sufficiens occurrat necessitas, quæ iuxta Charitatis ordinem sufficiat ad permittendum illud malum propter aliquòd maius bonum; tunc esse licitum inducere quempiam ad recipiendum Sacramentum, quòd dignè posset recipere, sed spontè recipiet indignè. Quia prudentia dictat in tali necessitate permissionem alieni peccati licere; quamuis connexam cùm petitione secundū se iusta. Necessitas autē sufficiēs in præsēti reputabitur, si populus, vt audiat sacrum in die festo, non habet

Sacer-

Sacerdotem nisi peccatorem. Ideò licebit illum inducere ad celebrandum, quamuis in peccato communicaturus sit ex sua malitia. Similiter si valdè conducat, vt aliqui nubant statim, licebit illos ad mox contrahendum inducere, licèt timeatur, non forè disponendos, vt deberent. Idem potest in recipiendis sacris Ordinibus contingere; facilèque possunt similes casus excogitari, in quibus inducens peccatorem ad recipiendum Sacramētum vtatur iure suo iuxta regulas prudentiæ, vel Charitatis. *Ita docent Bonacina de Sacram. disp. 1.q.6. punct.4.n.6. Filliucius tract.1.n.9. Consonat Suarez tom.3.disp.18.sect.2.fine.*

CAP. VI. QVÆST. IV.

Vtrùm peccatori publico semper sit denegandum Sacramentum?

13 Communis est Doctorem sententia peccatori publico, siue petat occultè, siue publicè, denegandum esse Sacramentum, nisi publicè dederit signa pęnitentiæ. Sic docent *S. Thom. 3.p.q.80.art.6. Nauarrus, & Coninch. ibi. S. Bonau. Durandus, Albertus, Alensis, Richardus, Paludanus, quos sequitur Suarez 3.p.to.3.disp.67.sect.1.& 2. Nauarrus cap.22.n.13.& cap.26.n.17. Sylnester verb. Extrema vnctio,n.9. Armilla ibi n. 7. Henriq. lib.1.cap.30.n.4. & lib.3.cap. 10.nu.1. & cap.13.nu.1. & lib.8.cap.65. Vazquez 3.p.disp. 209.n.10 & 19. Reginaldus lib.26.n.16. Filliucius tract.4 ca. 9.q.10. Layman lib.5. tract.4. cap 6.n 8. Villalob.to.1.tract.7. Difficult.38. Possevinus cap.5.n.19. Bonacina de Sacram, disp.1.q.6.punct.4.* qui refert alios. Consonat Rituale Romanum *pag.65.dicens,* Fideles omnes ad Sacram. communionem admittēdi sunt exceptis ijs, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames, vt meretrices, concubinarij, fęneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij eius generis publici peccatores, nisi de eorū pęnitentia, & emēdatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

14 Probatur 1. ex Patribus, sic enim asserunt *Chrysostomus hom.83.in Matth. Cyprianus Epist.10.11, & 12. Augustinus in cap. Multi 2.q.1. Iuuant textus in cap. Quæsitum, & ca. Tuas nos de cohabit. Cleric.* Probatur 2. quia naturale præceptum non conferendi Sacramentum indignis, de quo diximus q.1. tunc maximè censetur obligare, quando Minister potest commodè sine detrimento denegare Sacramentum peccatori. Sed peccatori publico commodè potest denegari, siquidem nec in re, nec in externa specie ius habet petendi Sacramentum, nec sequitur eius infamia, nec vllū scandalum, imò sequeretur scandalum, si tali daretur Sacramentum. Ergò debet illi denegari prorsus; quando non constiterit eius cōuersio; nam interim iure reputatur indignus tanto beneficio, & per consequens ab omni Sacramento repellendus.

15 Circa quām doctrinā nota 1. peccatores publicos vocari meretrices, cōcubinarios, vsurarios, magos, sortilegos, blasphemos, quos recenset Paulus 5. *relatus sup.n.13.* Item histrionem, qui turpes comædias publicè repræsentat, parasitum, qui cùm aliorum præ iudicio mordacibus vtitur dicterijs; exercētem torneamenta, quæ iure prohibentur, aut ludos periculosos cùm discrimine vitæ; raptores etiam, & pyratas. Videantur *Clemens Romanus lib.8. Constit. cap.32. Cyprianus epist.10. & 61. S. Thom. sup. Henriq. lib.8.cap.56.n.4.* qui addit aleatorem sacris initiatum, aut beneficiatū; nam his clericis iura sub mortali prohibent consuetudinem ludēdi notabilem quātitatem; Item exercentē cōiter cùm noto periculo choræas cùm fœminis, & fęminas, quę nimio fuco, vel ornatu procos pellicere conātur. At hæc, & similia, dum sine periculo mortali, & sine intentione praui finis exercentur, non impediunt receptionem Sacramentorū. Quare considerandum est, an actio publica, quām exercēt, ex se, vel ex obiecto, vel

vel saltem ex modo talis sit, vt manifestè constet, non fieri sine peccato mortali. Sic enim, & non aliàs repelluntur à Sacramentis, quia tunc sunt publici peccatores, donec ab exercitio talium actionum desistant. Sic aduertunt *Glossa in cap. Pro dilectione, de consec. dist. 2. Suarez to. 3. disp. 67. sect. 2.*

16 Nota 2. si peccator sit absolutè publicus euidentia iuris, vel facti, repellendum esse, quamuis petat Sacramentum coram illis, qui peccatum petentis ignorant. Colligitur ex *S. Thoma sup.* qui sine restrictione loquitur, docent *Layman sup. & Suarez sect. 5.* quia per illam publicam notitiam amittit peccator ius petendi Sacramentum in foro Ecclesiæ, maiorisq; momenti censetur, reuerentiam debitam Sacramēto seruare, quam famam petētis apud aliquos tueri. Quin ipse petens sibi potest imputare paruam istam famę iacturam, qui cum sit publicus peccator, audet ad Sacramentum accedere. Consonat *Vazquez 3. p. disp. 209. n. 15.* quando crimen est notorium notorietate iuris: quando verò publicum est per euidentiam facti, monet considerare, sit ne verosimiliter paulò post ad illorum etiam notitiam peruenturum, qui nunc delictum ignorant. Cæterùm quoties delictum est absolutè publicum, moraliter fit certum, paulò post deuenturum in illorum notitiam, qui nunc ipsum ignorant, vt asseruit *Suarez* supra.

17 Nota 3. non sufficere, quod delictũ sit probabile, quatenus iudicio probari potest, vt peccator publicè petens repellatur, quia sola probabilitas non facit crimen publicum, nec tollit ius in externo foro, donec probatio fiat in iudicio: subindèq; peccatum innotescat notitia iuris, vt colligitur ex *cap. Tua nos, de cohabit. Cleric.* & aduertunt *Richardus in 4. dist. 9. a. 3. q. 1. Gabriel ibi q. 2. Nauarrus cap. 2. n. 55.* An autem sufficiat peccatum publicum respectiuè iuxta distinctionem supra positam *num. 4.* dicemus infra *q. 7. n. 38. & 39.*

18 Nunc restat difficultas, quando crimen est notum alibi, non hic; an peccator petens hic Sacramentum sit repellendus? Conueniunt Doctores, quando creditur breui peccatorem infamādum, etiam vbi petit Sacramentum, denegandum ipsi fore tamquam publico peccatori; magis enim pręponderat reuerentia Sacramenti, quam breuis conseruatio famæ. Quando verò prudenter existimatur, famam illius delicti numquam in illum locum peruenturam esse. Prima sententia docet, non esse denegandum Sacramentum petenti. Sic *Adrianus Quodlib. 1. q. 1. Henriquez lib. 8. cap. 57. n. 1. Vazquez 3. p. disp. 209. n. 18. Petrus de Ledesma tract. de Euch. cap. 12. Nuñus 3. p. q. 80. a. 6. diffic. 3.* Probatur: quia nullum crimen notorium in vno loco per euidentiam facti, vel iuris potest in alio loco sine peccato reuelari: ac subindè tali peccatori publicè petenti Sacramentum non erit denegandum; Cum enim eius peccatum sit hic occultum, eadem videtur esse ratio huius, & occulti peccatoris.

19 Secunda sententia per oppositum affirmat, crimen in aliquo loco notoriũ notorietate iuris, vel facti posse reuelari sine peccato detractionis in quolibet alio loco, ac subindè denegandum esse Sacramentum illi, qui publicus peccator est alibi iure, vel facto. Nam infamis in vno loco iam amisit ius ad famam, & ideò non peccatur contra iustitiam alibi reuelando delictum; Contra charitatem verò peccari potest, quando sine causa reuelatur, quia grauem mœrorem, & iacturam infert infamato, verùm in hoc casu Sacerdos reuelat delictum ex iusta causa, scilicet, vt euitet irreuerētiam Sacramenti. Debet ergò Minister denegare Sacramentum, quia cessat obligatio charitatis, & iustitiæ circa petentes, & vrget religio Sacramenti. Sic tenent *Caietan. 2. 2. q. 73. a. 4. Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 6. punct. 4. n. 12.*

20 Tertia sententia distinguit de publico per euidentiam iuris, cui censet esse negandum Sacramentum, & de publico per euidentiam facti, cui putat, non esse denegandum, quando breui non est ibi pu-

publicandum. Ita *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6.* quem videntur sequi *Suar. 3. par. tom. 3. disp. 67. sect. 5. fin. Coninch. q. 80. num. 28.* quatenus asserunt, peccatori publico per euidentiam iuris denegandum esse Sacramentum; & de publico per euidentiam facti tacent. Ratio potest esse; quia per sententiam iudicis amittitur omne ius ad famam in omni loco: quod non ità videtur esse de notorietate facti.

21 Certum equidem esse debet, quoties peccator iam creditur, vel credi potest probabiliter emendatus in eo loco, in quo petit Sacramentum, quamuis alibi fuerit notorius iure, vel facto, non esse denegandum illi Sacramentum. Ità Sotus, Vazquez, & Coninch sup. Et certè dum oppositum non constat, censet Sotus, præsumendum esse, iam illum emêdatum ibi fuisse; consonat Coninch asserens, esse denegandum publico peccatori Sacramentum, etiam vbi delictum ignoratur, si constet Ministro, petentem in peccato persistere, ac sine turba scilicet, aut scandalo possit denegare. In quo casu probabilis est prima sententia, probabilior secunda, vel tertia; praxis verò multum pendet à circumstantijs personæ, loci, temporis, & adstantium, & à prudenti iudicio ministrantis, qui cautè dijudicet, an breuiè sit ibi delictũ euulgandum; an præsumi debeat peccator emendatus: & demum an infamia proximi præponderet reuerentiæ Sacramenti, vel è contra. Quare concludit *Henriqu. lib. 8. cap. 57. num. 2. his verbis, Interdum datur Parocho libera optio admittendi, vel repellendi iuxta circumstantias occurrentes.*

CAP. VI. QVÆST. V.

Quæ pœnitentia publici peccatoris requiratur, vt admitti possit peccator ad Sacramenta?

22 Regula generalis Doctorum est, talem esse debere conuersionem, & pœnitentiam, qualis fuerit administratio Sacramenti, nimirum, vt si publicè Sacramentum administrãdum sit, publicè constet eius conuersio; si verò petat occultè, sufficiat occulta pœnitentia, quæ tàm Ministro, quàm alijs, qui forsan aderunt, manifestè constet; nam hic coram Deo iam est dispositus, & apud homines datur illius pœnitentię notitia sufficiens ad tollendum scandalum: vt colligitur ex cap. *Si peccauerit. 2. q. 1. & cap. Scenicis. de consecr. dist. 2.* docentque *Paludanus, Sotus, Nauarrus, quos sequitur Suar. tom. 3. disp. 67. sect. 2. Nuñus. 3. p. q. 80. ar. 6. concl. 2. Vazquez 3. p. disput. 209. cap. 2. Layman. lib. 5. tr. 4. cap. 6. num. 8. Villalob. tom. 1. trac. 7. diffic. 38. & alij communiter.*

23 Circa quàm regulam nota 1. peccatori publico post actam occultè pœnitentiam nec priuatim esse ministrandum Sacramentum, si prudenter timeatur, mox euulgandam esse Sacramenti receptionem, non autem pœnitentiam recipientis. Nam hęc ministratio Sacramenti, quæ mox euulgatur, æquiualet publicæ. Sic Palud, Sotus, Suar. Vazq. supr. Nota 2. peccatorem publicum ex accidenti, qui nimirum casu patrauit homicidium, aut sacrilegium, non egere publicis pœnitentiæ signis, vt palam admittatur ad Sacramenta, quia præsumitur bonus habitualiter, & malus ex accidenti tantùm; ac subindè, cum accedit ad Sacramentum, iam censetur pœnituisse. Quare si quem Iudex comprehendit, vel etiam damnauit vt furem, vel inhonestum ob primum furtum, vel incestum, non erit huic publicè denegãdum Sacramentum; quia non ex consuetudine, sed ex accidenti peccauit, & in eius fauorem præsumenda est conuersio. Idem est, quoties publicè cõstat, iam desijsse peccatum, & non continuari: tunc enim præsumendum est, peccatorem iam fuisse conuersum, quando vult recipere Sacramentum. V. g. si quis etiam per multum tempus inimicum quæsiuit, & tandem occidit, vel concubinam habuit multo tempore, quàm pu-

publicè constat obijsse, vel eiectam fuisse domo, non metu pœnarum, sed spontè. Prudenter enim præsumitur, in his iam peccatum cessasse. Ita *Ioa. Sanch. disp.* 34.

24 Quando verò peccatum publicum est habituale, nec constat desijsse; videntur dissentire Doctores in assignandis pœnitentiæ signis, quæ publicè debeant præcedere Sacramenti receptionem. Prima sententia fit, non sufficere confessionem, sed post illam esse tempus aliquod expectandum bonæ conuersationis, vt vulgo satisfiat, & scandalum omninò tollatur. Indicat *Nauarrus cap.* 21. *n.* 55. dicens, meretricibus, & vsurarijs, & quibuslibet alijs peccatoribus notorijs, quantumlibet suorum peccatorum eos pœniteat, & sanctissimè confiteantur, non esse publicè communionem ministrandam, donec publicè pœnitentiam agant; Addunt *Nuñus*, *& Layman* sup. requiri longi temporis emendationem, & bonorum operum exercitium notum illis, quibus crimen innotuerat. Fauet *Rituale Romanum titulo de Eucharistia pag.* 65. requirens ipsorum emendationem, quæ publicè constet.

25 Secunda sententia docet, signa sufficientia publicæ pœnitentiæ fore, si peccator coram multis ad confitendum accesserit. Nam satis pœnitere censetur, qui publicè confessionem petit; & subinde ritè confessurus, & omninò conuertendus esse credendus est. Cumq; fateantur communiter Doctores, signa pietatis sufficere, quibus credatur peccator mutare peruersam voluntatem, vt Eucharistiam, & alia Sacramenta recipere possit, potiori iure sufficiet accessus ad confessionem, qui magnam pietatem, & resipiscentiam præsefert. Ita sub disiunctione significat *Nauarrus sup.* Dum addit, vel etiam sufficere, quod Parochus ab ipsis peccatoribus facta sibi facultate, publicè denunciet, iam eos pœnitere, fuisseq; confessos; sequitur *Possevinus cap.* 12. *n.* 4. & clariùs affirmat *Ioan. Sanchez sup.* subdens, non esse necessarium post cōfessionem expectare per aliquot dies ad recipiendam Eucharistiam, vt ita prius emendatio constet, cum satis hæc liqueat, eo ipso quod accessus ad confessionem palam innotuerit.

26 Quidam addunt, rarò iam in praxi contingere, negandum esse Sacramentum publico peccatori, quamvis palam ad confessionem non accesserit. Nam si constet occasionem peccandi extrinsecam iam cessasse, vel fuisse sublatam iuxta superius dicta, *n.* 23. non est necessarius publicus accessus ad confessionem, cum prudenter præsumatur cessasse peccatum. Si verò peccator non habeat extrinsecam occasionem peccandi, sed solam consuetudinem, quamvis publicè non accesserit ad confessionem, non est arcendus a communione, cum regulariter præsumatur, nullum peccatorem ad communionem accedere sine prævia confessione; nisi quis ita perditus reputetur, vt præsumatur tantum sacrilegium ausurus esse; quæ præsumptio rarò prudens censebitur.

27 Dico 1. Si publicus peccator habeat proximam occasionem peccandi, quamvis confessus fuerit, non est admittendus ad communionem, vel ad aliud Sacramentum (excepto Matrimonio, de quo dicemus infra) nisi prius eam depulerit, saltem negatiuè, quatenus alij non cognoscant, illam adhuc perseuerare. Sic censent vtriusque partis Doctores, qui colligunt inde, publico concubinario palam ad confessionem accedenti, negandam non esse communionem, & si domo non eiecerit concubinam, dummodo firmum habeat propositum illam eijciendi, nec vicinis positiuè constet, illam adhuc domi retineri. Similiter vsurario publico publicè confessionem adeūti posse ministrari communionem semel, & iterum, cum præsumendum sit, restitutionem, & a confessario fuisse iniunctam, & a pœnitente promissam. Si tamen sæpiùs confessus esset, & nō restituisset, cum posset, creditur in publico peccato velle persistere, ac impœnitentem ad Eucharistiam accedere, quare publicè repellendus erit, donec publicè credatur satisfecisse.

28 Di-

28 Dico 2. qui non habet occasionem proximam peccati, sed solam consuetudinem peccandi, si publicè Confessarium adeat, potest ad Eucharistiam admitti; quia peccator ex consuetudine proponens firmiter ampliùs non delinquere, potest absolui, publicèque pœnitens dum publicè confitetur, publica communione fit dignus. Ita Doctores secundæ sententiæ. Si verò palam ad confessionem non accesserit, opus erit, vt Sacerdos publicè denunciet, talem peccatorem esse iam confessum, & conuersum, vt dicebat *Nauarrus*, cui consonant *Petrus de Ledesma tract. de Euch. cap.* 11. *Villalobos, & alij.*

29 Si peccator publicus sit morti proximus, *Rituale Romanum pag.* 70. monet, ne deferatur ad illum Eucharistia cùm aliorum scandalo, nisi se priùs confessione purgauerit, & offensioni publicæ, prout de iure satisfecerit. Equidem in articulo mortis, vt publicus peccator tollat scandalum, & offensioni publicæ satisfaciat, sufficit, si pro temporis opportunitate vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat. Quiuis enim fidelis præsumitur in eo articulo facere, quòd potest, vt se rectè disponat. *Ita Sotus in 4. dist.* 12. *q.* 1. *art.* 6. *Syluester Eucharistia.* 3. *q.* 5. *Suarez tom.* 3. *disp.* 67. *sect.* 2. *Toletus lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 4. *Villalob. tom.* 1. *tract.* 7. *Diffic.* 38. *Posseuinus cap.* 5. *n.* 23. *S. Thomas* 3. *p. q.* 80. *art.* 6. requirit etiam in articulo mortis, vt præcedat pœnitentia; nec dubium est, quin, si possit, debeat occasio proxima peccati priùs tolli, furtum, vel vsura restitui, vel cautio pignoratitia, vel iuratoria præmitti. Videatur *Henriq. lib.* 8. *cap.* 56. *n.* 6. Si verò nihil horum moribundus præstare possit, sed solùm exhibeat signa contritionis, hæc censentur tunc temporis pœnitentia sufficiens, vt Sacramenta recipiat, quamuis coram vnicò teste talia signa præstiterit, cùm per ipsum non stet, quin coram pluribus dedisset, si potuisset. *Ita Ioan. Sanchez sup. cum alijs.* Et quidem *Layman supra* regulam generalem assignat, cui Sacramentum absolutionis confertur in articulo mortis, Euchatistiam non esse denegandam. Idem est de Sacramento Extremæ vnctionis, quòd si publicus peccator petierit, quamuis nequeat præmittere confessionem, ministrandum ipsi fore, docet Posseuinus *cap.* 5. *num.* 44. quia petitione Sacramenti sufficientem indicat pœnitentiam.

30 Si publicus peccator voluerit contrahere matrimonium, & monitus nolit conteri, vel resipiscere, poterit Parochus nihilominùs assistere; quia non ministrat ibi Sacramentum. Quin etiam coniux, qui minister est matrimonij, potest ministrare Sacramentum istud alteri coniugi, quamuis sciat, illum esse publicum peccatorem; quia Christus reliquit hunc contractum humanum, qualis apud homines fiebat, ne per eleuationem ad Sacramentum redderetur Difficilior. Sic indicat *Thom. Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disp.* 9. *num.* 8. *& disp.* 11. *num.* 11. *Docet Cardin. de Lugo de Pœnit. disp.* 14. *sect.* 8. *n.* 116.

CAP. VI. QVÆST. VI.

An ex metu graui possit ad ministrari Sacramentum publico peccatori?

31 NEgat *Petrus de Ledesma tract. de Euchar. cap.* 12. *post* 2. *concl. dub.* 6. Probatur, quoniam est intrinsecè malum, sicut fornicari, & mentiri, quòd ob nullum metum licere potest. Supposita quippè Sacramentorum institutione, datur præceptum diuinum naturale sancta sanctè tractandi, & non dandi, sanctum canibus, id est peccatoribus, ne cooperemur peccatis indignè recipientium. Qua ratione non licet ob vllum metum Sacramenta tradere cuipiam irridenda, vel conculcanda. Sic etiam censent quidam Iuniores apud *Nunum* 3. *p. quæst.* 80. *art.* 6. *Difficult.* 4.

32 Dico 1. si publicus peccator velit sine debita pœnitentia præmissa recipere Sacramentum in contemptum ipsius, vel Catholicæ religionis, ob nullum metum

tum erit illi Sacramentum ministrandum. Tunc enim ius diuinum naturale præscribit, esse præferendam æstimationem Sacramentorum, & Religionis Catholicæ fortunis, honori, vitæ. Sic fatetur omnes, & notat *Ioannes Sanch. disp.* 34.

33 Dico 2. si non ob contemptum Sacramenti, vel Religionis, sed ob alium finem velit publicus peccator etiam publicè recipere Sacramentum, & minetur mortem, vel infamiam, vel graue detrimentum fortunarum, poterit Minister ipsi ministrare Sacramentum. *Ita censent Nuñus & Ioan. Sanchez sup. Bonacin. de Sacram. disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 4. *n.* 14 Probatur, quia sicut licitè confertur Sacramentum occulto peccatori publicè petenti (iuxtà dicenda *q.* 9.) ob euitandam petentis infamiam, sic licebit publico peccatori conferre Sacramentum ob euitandam ministrantis mortem, vel infamiam, vel graue detrimentum temporale, tàm proprium, quàm parentum, coniugis, filiorum, fratrem, & similium, quòd veluti proprium reputatur. Vbi potiùs Minister permittit alterius peccatum ex iusta causa, quàm cooperetur eidem: Rumori tamen videntium publicum peccatorem recipere Sacramenta, Minister, cui grauis metus fuisset incussus, poterit posteà satisfacere; vel si non possit, patienter ferat, fidens Deum esse propalaturum veritatem.

34 Ad fundamentum oppositum respondetur, quædam esse naturalia præcepta necessaria simpliciter, quæ nullo casu non obligant, scilicet præceptum non mentiendi, non peierandi, non irridendi, vel conculcandi res sacras; Quædam verò necessaria regulariter, quæ deficiunt in aliquo casu, videlicet præceptum non occidendi, vel reddendi depositum; cùm tamen ob defensionem propriam liceat occidere, depositumque non reddere, quando petitur ad lædendum, & tale censeri præceptum non ministrandi Sacramentum indignis, quòd in aliquibus euentibus non obligat. *Ita Nuñus supra.*

CAP. VI. QVÆST. VII.

An occulto peccatori, dum occultè petit, sit denegandum Sacramentum?

35 PRima sententia negat absolutè, denegandum esse Sacramentum occulto peccatori, Probatur 1. *ex Augustino cap. Non prohibeat de Consecr. dist.* 2. *& cap. Cùm multi* 2. *q.* 1. Probatur 2. Nam quilibet Fidelis eo ipso quòd baptizatus est, ius habet ad omnia Sacramenta petenda; non ergò potest nisi per manifestam causam illo iure priuari. Sic asserit *S. Thomas* 3. *p. q.* 80. *art.* 6. *sequitur Sotus in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 6. *in probatione* 2. *concl.* addens, occulto peccatori non esse denegãdum Sacramentum, quamuis occultè petat, si petit à suo Pastore, quoties hic tenetur subditis ministrare. Tunc enim vrget ratio superius facta, cùm habeat ius petendi, cui non potest Pastor reluctari. Si verò petit à Sacerdote, qui non est eius pastor, vel à proprio pastore petit frequenter Sacramentum extra tempus obligationis, denegandum esse; quia tunc peccator non habet ius cogendi Ministrum ad Sacramentum sibi ministrandum.

36 Hanc sententiam dicit *Petrus de Ledesma, tract. de Euch. cap.* 12. *post* 2. *concl. dub.* 4. non esse prorsus improbabilem, imò sequendam forsan, quoties Minister ita scit peccatum occultum, vt ipse peccator nesciat, à Ministro cognosci; tunc enim denegare Sacramentum ob id crimen esset exprobatio quędam, & contumelia. *Possenius cap.* 5. *num.* 26. dicit, peccatorem occultum occultè petentem Sacramentum, non esse repellendum ex iustitia, & hoc conuincere textus, & rationem adductam; benè tamen ex charitate, vt vel sic resipiscat à suo delicto.

37 Communis, & vera sententia docet, occulto peccatori, dum occultè petit Sacramentum, esse denegandum. *Ita S. Thomas in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *S. Bonauentura, Durandus, Maior, Richardus ibi, Suarez* 3. *p. to.* 3. *disp.*

disp.67. sect.3. Vazquez 3.part. disp.209. num.51. Coninch. quæst.80. num.35. Bonacin. disp.1.q.6. punct.4. num.4. & 13. Layman lib.5.tract.1.cap.6.num. 10. Villalobos tom.1.tract.7. Difficult.38. & alij plures. Probatur 1. *ex cap. Si tamen 6. quæst.2. & Rituali Rom. pag. 65.* dicente, peccatores occultos, si petant occulte, nec eos emendatos agnouerit, repellat. Probatur 2. ratione supra facta *n.* 14. quia naturale præceptum non conferendi Sacramentum indignis obligat, quoties Minister potest sine detrimento, vel inconuenienti denegare Sacramentum peccatori. Sed hic peccator occultus indignus quidem est secundum se receptione Sacramenti, nec ius habet ad illud in externo foro, dùm petit occultè; nec ex occulta denegatione Sacramenti sequitur infamia repulsi, nec aliorum scandalum, nec vllum incommodum; ergò denegandum est illi Sacramentum. Textus, & ratio primæ sententiæ procedunt, quando peccator occultus publicè petit Sacramentum; tunc enim habet ius in externo foro, quo non debet nisi propter publicam causam spoliari.

38 Vt autem ex occulta denegatione Sacramenti nulla sequatur peccatoris infamia, vel aliorum scandalum, requiritur, vt nullus adsit præter Sacerdotem delicti conscium, & peccatorem, cui Sacramētum denegatur, ne repulsus apud aliquem nouiter infametur. Si tamen adsint alij, qui delictum ignorant, iam hoc est occultum respectiuè, nimirum respectu videntium. Sacramentum ab hoc homine postulari; quare negari non potest sine noua petentis infamia, vt notant *Suarez sup. sect.5. Vazquez num.55.* Si sint alij præsentes, qui peccatum nouerunt, iam hoc erit publicum respectiuè, ac subindè denegandum est Sacramentum; sufficit enim, vt peccatum sit respectiuè publicum, ad denegandū petenti Sacramentū: siquidem nec infamia repulsi, nec scandalum aliorum, nec aliud incommodum ex tali denegatione sequitur, & alioqui seruatur reuerentia debita Sacramento. *Sic Suarez sup.* qui rectè monet, ne vocibus implicemur, si peccatum istud vocare velis occultum, etiam petitionem Sacramenti forè vocandam occultam, & ideò Sacramentum denegandum esse iuxta communem sententiam numeri præcedentis.

39 Si verò quidam astantium norunt peccatum, alij tamen ignorant. *Coninch. quæst.80. num.29.* censet, si crimen sit notum omnibus præsentibus, vel saltem maiori parti, cùm sint plures quàm decem, dici respectiuè publicum, & coram illis esse denegandum Sacramentum, non verò coram alijs. *At Bonac. eo num.13.* fatetur, sufficere respectiuè publicum, vt Sacramentum denegari debeat; subdit verò, siqui tamen astantium ignorent delictum petentis, Sacramentum negari nō posse; quia delictum non est publicum etiam respectiuè; peccatori autem occulto non est publicè denegādum Sacramentum. Certè praxis requirit prudentiam; nam si decem adsint, & nouem peccatum norunt, propter vnius ignorantiam non videntur nouem scandalizandi. Possuntque variæ combinationes excogitari, & sub diuersis circumstantijs infamia noua parua censeri, cùm irreuerentia Sacramenti magna videatur, vel è contra.

CAP. VI. QVÆST. VIII.

Quando per solam confessionem notum est Sacerdoti peccatum, an debeat ob illud denegare Sacramentum occultè petenti?

40 PRima sententia docet, si nullum subsit periculum infamiæ, denegandum esse. Sic *asserunt S.Tho. in 4. dist.9.quæst.1.art.5. quæstiunc.1. & dist.21.quæst.3.art.1. quæstiunc.1. ad 3. & quodlib.5. art.3. Durandus in 4. dist.9. quæst.5. & 6. S.Bonauent. dist.21. part.2. art.2.quæst.1. Scotus ibi quæst.2. ad 3. & 4. Angelus, Victoria, Tabienna, Fernandez de Heredia, Petigianus apud*

Dianam part.3.tract.4. Resol.46. Petrus de Ledesma tract. de Eucharist. cap.12. Vazquez 3.p.disp.209.num.55. Probatur, quia negare Sacramentum in eo casu non excedit potestatem clauium, quæ datur etiam ad hoc vt Sacerdos dignos admittat, & indignos repellat à Sacramentis. Nec est contra sigillum, quando nullus adest, qui conijciat ex negatione Sacramenti confessionem talis peccati. Nam, vt inquit *Vazquez sup.nu. 56.* monere pœnitentem circa peccatum auditum in confessione, ipsumque dirigere circà emendationem illius, non est improperare peccatum pœnitenti, nec vllo modo cōtrà reuerentiam debitam Sacramento: Sic igitur in præsenti, dum Sacerdos impedit pœnitētem, ne nouum peccatum cōmittat, sine verbis improperij, non improperat pœnitenti crimen, nec quidquàm efficit contrà reuerentiã Sacramenti, nec contrà ius petentis; cùm enim sit indignus, nullum ius habet petendi Sacramentum. Si tamen ex eius negatione pudore suffundatur ipse pœnitens, non est damnum alicuius momenti; nec id Sacerdoti suo iure vtenti, sed iniquitati pœnitentis rem, cuius est indignus, postulantis tribuendum est.

41 Confirmatur, quia si Sacerdos per confessionē sciret, pœnitentem occidere velle Confessarium ipsum, & eius ensem haberet apud se depositū, pœnitenti postmodum ensem petenti denegare posset, vt omnes fatentur, quamvis pœnitens intelligat, ob peccatum in confessione dictum sibi gladium denegari, quòd nullo modo liceret, si confessionis sigillum per hunc vsum notitiæ violaretur; ergò idem erit in denegatione Sacramenti. Similiter si petijssem à Petro, vt audirem meã confessionem, & ipse mox mihi fateretur, se, cùm Sacerdos non sit, confessiones audire, possem ob illam confessionis notitiam illi non fateri; ergò possum vti scientia confessionis citra sigilli violationem ad actus humanos dirigendos, ac per consequens ad denegandum Sacramentum illi, quem per confessionem nouerim indignum.

42 Secunda sententia negat, ex sola notitia confessionis denegari posse Sacramentum, *sic censent Henriq. lib.8. ca. 59.num.3. Suarez 3.p.to.4.disp.33.sect.6. n.3. Sanchez de Mat.lib.3.disp.16.n.4. & 14. Basilius legion.de Mat.lib.5.cap.35.n. 2. Martinus del Rio, lib.6. Magic.cap.1. sect.2. Layman lib.5.tract.4.ca.6.n.9. Filliuc.tract.4.n.279. Bonac. de Sac. disp.1. q.6.punct.4.n.4. Fagundez Precept.3. lib. 3.ca.10.n.23. Diana sup. qui citant alios. Probatur 1. ex cap. Si Sacerdos de offic. Ordin. dicēte, licet ei etiam confessus fuerit, sed tamen non nominatim potest eum remouere à communione, licèt sciat, esse reum; quia non vt iudex scit, sed vt Deus;* vbi redditur ratio; quia notitia confessionis ita manet intrà illius secretissimi fori cancellos, in quo Sacerdos Dei vicem gerit, vt nequeat vllis alijs actionibus deseruire, nec per consequens denegationi Sacramenti. Consonat Clemens 8. in decreto de casuū reseruatione pro regularibus inquiens. *Tã Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint pro moti, caueant diligēter, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Sic etiam præcepit anno 1590. P. Claudius Aqua viua N. Generalis in Societate nostra seruari, rationem reddens. *Quoniam vt humanarum rerum regimen à Sacramento Pœnitentiæ longissime distat; ita debet nullatenus ab illo pendere.*

43 Probatur 2. quia nō licèt vti scientia confessionis ad regimen pœnitentis, nec loqui cum illo de rebus auditis in confessione, nisi licentiam ipse pœnitens concesserit, ne confessio reddatur odiosa, retrahanturq; fideles ab illa: sed denegare Sacramentum petenti, quamvis occultè, pertinet ad regimen pœnitentis, & est virtualis quædam exprobratio peccati cōfessi, quamvis enim aliæ caussæ prætexantur, saltem ipse petens facilè cōijciet, negari sibi Sacramentū ob peccatum in confessione manifestatū; ergò non est licita talis denegatio Sacramenti.

ti. Confirmatur 1. quia ſicut prohibetur confeſſarius aliquid efficere, quo cœteri ſuſpicari poſſint peccatũ auditum in cõfeſſione, ſic etiam prohibetur, etſi non eodẽ gradu prohibitionis, aliquid facere, quod pœnitens intelligat ob peccatũ confeſſum fieri. Nam quamuis hoc non ſit violare ſigillum propriè, tamen eſt quoddã genus quaſi reuelationis odioſã reddens confeſſionẽ; ergo ſicut nefas eſſet negare Sacramentũ, vel ſuffragium, quoties alij cognoſcerẽt negari propter peccatũ auditum in cõfeſſione, ſic nefas erit, quoties pœnitens id intelliget. Confirmatur 2. quia ratio potiſſima, propter quàm ſigilli pręceptũ ſemper, & inuiolabiliter obligat præcœteris omnibus ſecretis, eſt, ne confeſſio reddatur oneroſa, retrahanturq; peccatores ab illa: Similiter ergo vitandum eſt, quidquid confeſſione m oneroſam reddere poteſt, quãuis non ſit violatio ſigilli. Nihil autem ita reddet oneroſam confeſſionem, quàm ſi peccatores intelligant, poſſe confeſſariũ ob ſolius confeſſionis notitiã ipſos priuare Sacramentis, & ſuffragijs. Ergo meritò negandum eſt, id licere.

44 Tertia ſententia diſtinguit aſſerẽs, ſi peccator occultus occultè petat Sacramentũ à Miniſtro, qui non eſt paſtor eius, vel à proprio paſtore petat extra tempus obligationis, Sacramentum eſſe denegandum, etiãſi Miniſter peccatum ſolùm nouerit in confeſſione: cùm enim tunc ſit voluntarius Miniſter, poteſt, & debet vti iure ſuo negando Sacramentũ, vt euitet proximi peccatum, & prætexẽdo cauſam liberę nolitionis: Si verò peccator occultus occultè petat Sacramẽtũ à ſuo Parocho tempore præcepti, non poſſe Parochum ex ſola notitia confeſſionis denegare Sacramentum petenti, quàmuis ceſſet periculum violandi ſigillum. Quia peccata nota per ſolam confeſſionem non tribuunt ius negandi miniſterium aliàs debitum. Ita *S. Antonin. par. 3. tit. 14. cap. 12. §. 2. Syluester Eucharistia 3. qu. 5. Paludanus in 4. dist. 9. qu. 4. art. 1. Palacios ibi disp. 12. Sotus dist. 12. q. 1. art. 6. Nauarrus ca. 21. num. 55. & 56. Lopez part. 2. cap. 76. de Euch. Manuel in sum. tom. 1. ca. 68. concl. 6. Discrepant autem Sotus, & Lopez ab alijs*, quatenus aſſerunt etiam, Parochum non poſse negare Sacramentum occultè petenti, cuius peccatum ſola confeſſione nouerit, quàmuis petat extra tempus præcepti, niſi tàm frequenter petat, vt vilipẽdium videatur.

45 Dico 1. quàmuis ſpeculatiuè forſan probabilius ſit, in hoc caſu, ſecluſo periculo violandi ſigillum, poſſe denegari Sacramentum ex ſola notitia confeſſionis: At non tenetur Miniſter tale Sacramentum denegare, quia pręceptum euitandi ſacrilegium alienum non obligat cum tanta difficultate. Sic enim eſt difficilis, & grauiſſimo periculo violandi ſigillum expoſita talis denegatio Sacramenti, vt magna cautela, pluriumq; circumſtantiarum circumſpectio neceſsaria ſit; nec præceptum fraternæ correctionis obligat ad tàm difficile mediũ, quamuis liceret. Ita *S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Paludanus in 4. dist. 18. q. 8. art. 1. n. 20. Syluester confessio 3. q. 14. Lopez part. 2. cap. 96. q. 2. Sanch. sup. n. 3. & 13.*

46 Dico 2. quoties ſubſit vel leue periculum præbendi cuipiam (ſaltem præter ipſum petentem) occaſionẽ ſuſpicandi, Sacramentũ iſti denegari propter ipſius indignitatem, denegari nequit; nã alioquin reuelaretur confeſſio. Sic docent *Suar. 3. p. to. 3. disp. 67. sect. 3. circa fin Coninch q. 80. n. 37.* Nec itẽ poteſt Sacerdos etiam occultiſſimè ſic denegare petenti Sacramentum, vt expreſsè ſignificet, ſe propter peccatũ in confeſſione cognitũ denegare; Siquidẽ hoc eſſet illi palã exprobrare tale peccatũ, quod eſt prorſus illicitũ Ita *Suar. & Coninch supr.* Si verò poſſit ita denegari petẽti Sacramẽtũ, vt nulla vel leuis indè proueniat ſuſpicio criminis occulti, prætexendo nimirũ aliquã aliã veriſimilem occaſionẽ, probabile quidem eſt ſaltem ob auctoritatem Doctorũ primæ ſẽtẽtiæ, denegari poſſe Sacramentum ex notitia confeſſionis. Cœterum quoniã in praxi vix occurret

casus, in quo vitari possit omnis infamia petentis, & scandalum aliorum, omnisq; suspicio reuelatæ confessionis, vel criminis, & omne periculum tacitę saltem exprobationis, per quam confessio reddatur odiosa, vel onerosa; ideo regulariter in praxi denegandum non erit Sacramentum, nisi delictum petentis cognoscat Minister extrà confessionem. *Ita Suarez supra Layman numer.* 10. *conclus.* 2.

47 Debet itaq; Minister, vt Sacramentum deneget occulto peccatori, certam occulti criminis notitiam habere, vel ex cōfessione peccatoris extrà Sacramentum facta, vel ex aliorum testimonio fide digno, quamvis testes se prodere nolint ad peccatorem conuincendū; vel ex proprio visu, si Minister vidit crimen, & certo scit peccatorē non esse confessum ad Eucharistiam percipiendam, vel ad aliud Sacramentū recipiendum non ritè pęnituisse, sed in peccato persistere, quāuis negantem conuincere non possit. Nā hæc non est propriè punitio, quæ iuridicum ordinem requirat, sed est prudens administratio Sacramenti secreta, quæ vix potest aliter exerceri. *Sic Suarez, & Layman sup.*

48 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, potestatem clauium nō extendi ad hoc, vt Confessarius ex notitia confessionis aliquid agat extrà confessionem, ex quo cōfusio, vel exprobatio criminis, vel aliquòd damnum pęnitenti sequatur; Quamvis enim propriè non violetur sigillum, offenditur tamen, & retraherentur homines à confessione, quæ non parum fieret onerosa, si posset eius notitia deseruire denegationi Sacramentorum. Ad Confirmationem respondetur, in neutro illorum casuum sequi confusionem pęnitenti, nec eius honori præiudicari, vel alicui bono temporali; quare nec rationabiliter ob id retrahentur homines à confessione; secus si pudor, vel detrimentum ex confessione sequatur. Ad fundamētum tertię sententiæ patet ex supra dictis, non sufficere prætexere liberam nolitionem, si sequatur suspicio detecti criminis, vel exprobationis etiam tacitæ.

CAP. VI. QVÆST. IX.

An occulto peccatori publicè petenti sit denegandum Sacramentum?

49 Ratio dubitādi potest esse, quoniam in nullo casu licèt alieno peccato cooperari, sed Sacerdos ministrans occulto peccatori Sacramentū, cooperatur eius peccato; nunquam ergò licebit ministrare, quamvis publicè petat. Confirmatur 1. quia simili ratione proijcere sacram Eucharistiam in lutū, aut in ignem nunquàm est licitum, quoniam est intrinsecè malum. Ergo nec licebit vnquàm indigno Sacramentum ministrare. Confirmatur 2. quia si peccator occultus habeat apud me depositū ensem, quò nouerim, se, vel alium occidere velle, quamvis publicè petat illum, debeo denegare, licèt opus sit manifestare prauum eius animum, vt maius malum minori vitetur. Ergo similiter in præsenti debeo denegare Sacramētum, licèt opus sit infamare peccatorem.

50 Prima sententia docet absolutè, nō esse denegandum Sacramentum occulto peccatori publicè petenti. Sic censent communiter Doctores, *S. Thomas in* 4. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. *Vbi communiter Scholastici, &* 3. *p. q.* 80. *art.* 6. *Vbi communiter Thomistæ, Nuñus, & Conınch. ibi, Vazquez disp.* 209. *cap.* 3. *Suarez to.* 3. *disp.* 18. *sect.* 2. *& disp.* 67. *sect.* 4. *Filliuc. tract.* 4. *cap.* 9. *q.* 10. *Henriq. cum alijs lib.* 1. *ca.* 30. *n.* 5. *Possevinus cap.* 5. *n* 26. *Layman lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 10. *Villalobos to.* 1. *tract.* 7. *Difficult.* 38. *Sylvester, Nauarrus, Armilla, Sotus, Angles, Viualdus, Manuel, Pitigianus, Valentia, Graffis, Chamerota, quos sequitur Bonac. de Sacr. disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 4. *n.* 4. Probatur 1. *ex c. si tantum c. Placuit* 6. *q.* 2. quatenus præscribunt, vt Episcopus, qui peccatum alienum nouit, sed probare non potest, ea de causa peccatorem à publica communione non repellat, & ex cap. Si Sacerdos, de

de officio Ordinarij, vbi Pontifex adducit exemplum Christi, qui Iudam publicè non repulit à communione.

51 Probatur 2. ratione, quàm diuersi reddunt diuersam, *S. Thomas in 4. dist. 9.* eam reddit cùm alijs: ne proximus infametur: præfertur enim obligatio iustitiæ religioni Sacramenti, quia Deus suum externum cultum ordinat ad hominum vtilitatem, & dicit *Osea 6. & Matth. 12. Misericordiam volo, & non sacrificium.* Hanc rationem sequitur Vazquez, illam verò refellunt Suarez, & Coninch. quia non debet nocentis fama seruari cùm innocentis iniuria: hic autem interuenit iniuria Sacraméti. Aliam rationem reddit *S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6.* Quia peccator occultus habet ius publicè petendi Sacramentum, nec debet hoc iure publicè priuari, nisi publicè conuincatur. Hanc sequuntur Suarez, Filliucius, Layman dicentes ad conueniens Ecclesiæ regimen pertinere, vt bona communia (qualia sunt etiam Sacramenta) dispensentur à Ministro communi secundum publicam scientiam, non secundum priuatam: alioqui sequerétur scandala, perturbationes, iniuriæ. Refellit hanc etiam rationem *Coninch. q. 80. n. 32.* Quia peccator quamuis occultus sacrilegè recipit Sacramentum: non habet autem ius ad committendum sacrilegium etiã in publica receptione Sacramenti. Nõ ergò iure petit: Nec bona communia debent semper distribui secundum publicam notitiam: aliàs nec occultè posset Sacramentum denegari peccatori: nec Episcopus posset ab Ordinibus, vel matrimonio repellere, quem priuatim nouerit impeditũ, & vno teste probare põt impedimentum. *Videatur etiam Vazq. supra n. 28. & sequent.* Alij recurrunt ad scandalum, sed hoc vel nullum est, vel non distinguitur ab infamia peccatoris.

52 Secunda sententia distinguit inter Parochum, & non Parochum, & fatetur Parochum non posse denegare Sacramentum occulto peccatori publicè petenti, quia tenetur ex officio ministrare: Ministrum verò, qui non est Parochus, debere tali denegare Sacramentum. Quia potest licitè denegare, cùm facilem prætédere possit excusationem, remittendo petentem ad suum Parochum, & per consequens tenetur illud denegare propter reuerétiam debitam Sacramento. *Sic censent Durandus in 4. dist. 9. q. 5. num. 6. Paludanus, & Maior ibi. Cæterum Caietanus 3. p. q. 80. art. 6. Vazquez sup. n. 45. Suarez ea sect. 4.* distinguunt etiam in Ministro non Parocho, dicentes, si nondum sit expositus ad publicè ministrandum Sacramentum, debere quidem illud indigno denegare, quia facilem habet excusationem, cùm teneatur. Si verò iam sit expositus, & publicè dispensans Sacramentum, non posse repellere peccatorem occultum accedentem: quia iam subit munus publici Ministri, nec moraliter poterit infamiam euitare.

53 Dico 1. quoties ex publica denegatione Sacramenti sequetur infamia repulsi, non potest denegari Sacramétum occulto peccatori publicè petenti. Hoc intendit prima sententia, quæ communis est doctorũ: eius tamen rationes etsi non efficiãt, vt solo iure naturæ teneantur Ministri conferre Sacramentum occulto peccatori publicè petenti, fuerunt equidẽ sufficientes, vt talem obligationem ius positiuum induceret: ac subindè tota ratio, cur nõ liceat occulto peccatori denegare publicè Sacramétum, est voluntas & lex Christi sic statuentis, quę satis innotescit tum ex ipsius facto Iudã admittẽtis ad communioné, tum ex vsu perpetuo Ecclesiæ. Conuenientia legis fuit: quia si Minister probare cogeretur indignitatem repulsi, grauissimum esset onus, cui sępè sine culpa succumberet, dũ testes non suppetunt, aut testari nolunt. Si nõ cogeretur probare, nimia daretur ipsi licentia quosvis infamandi, & multi fuissẽt iniustè diffamati vel ex malitia, vel ex imprudétia Ministrorum, & maluit Christus ferrè suã iniuriã, ne petens Sacramentũ infametur, quàm per institutionem Sacramentorum occasionem præbere perturbationi, vel infa-

miæ fidelium. *Ita Coninch. sup. num. 33.*

54. Quamvis hæc doctrina communiter de communione tradatur, ad alia Sacramenta debet extendi, cùm omniũ sit eadem ratio. *Sic in cap. Ex tenore de Temp. Ordinat.* dicitur, licèt Episcopus sciens occultum crimen clerici, propter quòd, si publicum esset, depositionẽ mereretur, paternè illum corrigere possit, & admonere, vt ad altiorẽ ordinem non ascẽdat; si tamen ordinari se petat, repelli ab Episcopo non debere. Quòd multo magis procedit, si Minister peccatum occultum ex sola confessione Sacramentali nouerit; quare si Parochus ad infirmum cùm Eucharistia veniens, audita eius confessione reperiat illum indispositum, nec ipsum disponere possit ad absolutionem recipiendam, eum monere debeat, vt spontè abstineat à communione: Si verò nihilominus illam publicè petat, denegare non potest. Videantur Layman sup. & Posseuin. n. 27.

55 Excipitur Matrimonij Sacramentum, cuius impedimentum occultum dirimens si solus Parochus extrà cõfessionem nouerit, debet volentem contrahere non admittere, ac Ordinarium impedimenti monere. Sic docent *Henriq. lib. 1. cap. 30. n. 6. Maiolus de Irregul. lib. 3. c. 25. n. 13. Coninch. disp. 27. n. 66. Sanch. de Mat. lib. 3. disp. 15. n. 11. Bonac. de Mat. q. 3. punct. vlt. n. 13. Reginald. li. 31. n. 240.* Probatur: nam assistentia Matrimoni nõ est dispensatio Sacramenti, sed officium testis; Nullus autem testimonium præstare potest de actu, quem irritum esse nouit; præsertim cùm teneatur Parochus impedire, ne cõtrahentes maneant in perpetuò damnationis statu. Similiter si sit impedimentũ solùm impediẽs, v.g. votum cõtinentiæ, quod Parochus priuatim nouit, & hominem secreta monitione diuertere non potest, ad Ordinarium deferre debebit; modo credat, esse sibi fidem habendã, *argumento capitis finalis de clandest. desponsat.* Agitur enim de impediendo peccato, ad quòd maximè Pastores obligãtur. Quod si Parochus facta denũciatione sufficiẽter nõ probet impedimentum, & ab Episcopo compellatur assistere matrimonio, non peccat assistẽdo, cùm enim ex iusta causa fungatur suo munere, non debet ipsi peccatum contrahentis imputari.

56 Quin imò si contrahentes non habeant impedimẽtum matrimonij, quod illos constituat in perpetuo damnationis statu peccatis multiplicandis exposito; sed solùm sint in peccato mortali, quòd illos reddit indignos receptione Sacramẽti; quoties id peccatum occultum est, etsi per duos testes probari possit, si publicè petant matrimonio coniungi, non potest Parochus illos publicè repellere, sed debet assistere matrimonio, ne diffamentur. Tunc enim agitur de vnico sacrilegio externo vitando, quòd iam peccator, quantum potuit, interius compleuit, & à quo post modum speratur emendandus; nec voluit Christus ob sacrilegam Sacramẽti receptionem euitandam labefactare famam fidelium. *Ita docet Coninch. ea disp. 27. nu. 68. & 69.* Quod si solus Episcopus impedimentum matrimonij vel Ordinis nouerit, non poterit publicè petentem repellere; quia non potest simul esse iudex, & testis; potest tamen sicut Parochus ad Episcopum, sic Episcopus ad Nuncium, vel alium superiorem sibi iudicem impedimentum deferrè, suscipiens munus denunciatoris, qui potest simul esse testis. Videantur *Sanchez ea disp. 15. n. 12. Coninch. sup. n. 67. Laym. n. 12.*

57 Dico 2. peccatorem occultũ etiam publicè repellendũ esse à receptione Sacramenti, quoties repelli possit sine petentis infamia, & aliorũ scandalo. Tunc enim nulla datur iusta causa ministrãdi Sacramentũ indigno, cessatq; ratio legis suprà positæ n. 53. Quapropter reuerẽtia Sacramẽti postulat, vt eius sacrilega receptio vitetur. *Ita Suar. to. 3. disp. 67. sect. 4. fine. Vazq. 3 p. disp. 209. n. 29. & 45. Bonac. de Sac. disp. 1. q. 6. punct. 4. n. 5.* & alij, qui colligunt indè, debere Ministrum omnes modos, intentare, quibus peccator repellatur à receptione Sacramenti sine nota; videlicèt vel fingendo,

ſe oblitum fuiſſe hoſtiam apponere, vel defeciſſe præconſecratas, vel immorari non poſſe propter aliquam corporis indiſpoſitionem, aut aliam rationabilem cauſam (quę poſita reſtrictione, vel ęquiuocatione mendacia nō erunt, & ſuppetit iuxta cauſa ponendi) vel aliam apparētem excuſationem prætexere, quę petentis infamiam ſecludat, ſi poſſit prætexi. Solum enim eſt miniſtrandum Sacramentum indigno, quando petentis infamia non poteſt aliter euitari. Nec minus Parochus, quàm non Parochus tenetur ob Sacramenti reuerētiam modos iſtos intentare; quamuis difficilius, & rarius habebit Parochus excuſationē, pręſertim ſi Sacramentum petatur tempore præcepti; faciliùs, & frequentiùs excuſari poterit, qui non eſt Parochus, præſertim quando non eſt paratus ad Sacramenta miniſtranda.

58 Ad rationem dubitandi poſitam *n.*49. reſpondetur, Sacerdotē in eo caſu non coöperari peccato petentis, quod exercendo munus ſuum iuxta Chriſti legem euitare nō poteſt, ſed illud permittere, ne ſequantur perturbatio fidelium, infamia petentis, & incommoda ſupra numerata. Sic *Henriq. lib.*8.*c.*57.*n.*4. Ad primam confirmationem conceſſo antecedente negatur conſequentia; nam Euchariſtiam in ignem proijcere ſemper eſt malū ex obiecto, præſefert enim intrinſecam deformitatē per ſe loquendo; ſecus verò miniſtrare Sacramentum indigno iuſtis de cauſis; cum malit Chriſtus illam externam irreuerentiam Sacramenti pati, quàm publica denegatione Sacramenti peccatorem occultū infamare. Ad ſecundam confirmationem varias ſolutiones refert, & refellit *Vazqu. ſup. n.*32. *& ſequentibus* Ego cum Soto, & Suario conceſſo antecedente nego conſequentiam. Nam in caſu antecedētis tueri vitam propriam vel alienam præualet infamiæ petentis enſem; ſiquidem talis infamia pro tuenda vita nihili fieri debet iuxta prudentem æſtimationem: & per conſequens obligatio tuendi vitam, & nullam occaſionem homicidij præbendi, ſiue ſit miſericordiæ, ſiue iuſtitiæ, fortior eſt, quàm obligatio non infamandi proximum. At in noſtro caſu præfertur obligatio non infamandi proximum, nec perturbandi fideles obligationi miniſtrandi dignis dumtaxat Sacramenta: quia Chriſtus ipſe voluit, aliquam iniuriam Sacramenti potius permitti, quàm cum offenſione fidelium præcaueri.

CAP. VI. QVÆST. X.

An debeat Miniſter, ne peccatori miniſtret Euchariſtiam, alios etiam communione priuare?

59 Inter modos repellendi peccatorem occultum ſine nota numeratur iſte, nimirum vt Sacerdos conſumat omnes hoſtias præconſecratas, vel non conſecret neceſſarias, fingens obliuionem, vel inaduertentiam, quāuis alij, qui volebant etiam communicare, ſine communione relinquantur. In quo caſu *Vazqu.* 3.*p. diſp.*209.*c.*3.*n.*29. putat, ſine controuerſia teneri Miniſtrum hoc medium adhibere. Probatur, nam quilibet tenetur ab opere conſilij ceſſare propter peccatum proximi pręcauendū. Sic fœmina tenetur non audire Miſſam in die pro feſto, ſi timet, aliquē eius viſu fore pelliciendum ad libidinem; vt docent *S. Th.* 2.2.*q.*43.*art.*3. *Torres ibi diſp.*96.*dub.*2. *Suar. de fide tr. de ſcand. diſp.* 10.*ſect.*3.*n.*8. *Sanch. li.*1. *Decal. c.*6.*n.*16. *Sa, verb. ſcandalum, n.*2. cum alijs. Ergo miniſtrans Euchariſtiam, & cœteri volentes communicare, tenebuntur abſtinere communione, quæ tunc eſt opus conſilij, ne peccator ſacrilegè cōmunicet; ac ſubindè Sacerdos debebit, vt peccatorem repellat, alios etiam ſine communione relinquere; Confirmatur; quia tenetur fidelis vitare peccatum proximi præſertim mortale, ſi poſſit ſine magno ſuo detrimento; Verò gr. ſi quis diuiti diceret, da mihi duos argenteos, ſin minus vel me, vel proximum occidam, vel mœchabor, tenetur dare diues, vt aſſerunt Armilla verb. *Scandalum*

n.6.Vazquez tract. de Scand.q.43. dub.2. n.21. Manuel to.2.summ.cap.47.concl.4. Cùm igitur nō sit magna iactura semel carere cōmunione, tenebimur ad istam carentiā, vt euitemus proximi peccatū.

60 Negat Ioannes *Sanchez disp.37. n. 4.* talem obligationē Ministri;& probat. Quia quoties aliquis peccat non ex passione, sed ex malitia, nullus alius cessare tenetur ab opere bono,& etiam consilij propter illius peccatum vitādum; vt docent *S. Thomas sup. art. 7. Herrera de peccatis disp.32.q.14.fin.* atq; Doctores numero precedenti relati;sed qui vult in peccato communicare,planè peccat ex malitia,non ex infirmitate;ergò nec alij volētes simul recipere Communionem, debent abstinere, nec Minister alios cōmunione priuare propter euitandum sacrilegium illius indignæ communionis. Addit *n.*8. per se loquendo maioris esse perfectionis non se, vel alium dignum priuare fructu communionis ob euitandam sacrilegam alterius cōmunionem; quia charitas erga nos ipsos, vel erga iustos est perfectior in bonis ordinis supernaturalis,quam erga proximos peccatores. Per accidens verò si probabiliter crederetur, amisso semel pudore peccatorem ex vna communione sacrilega lapsurum in alias plures,perfectius forsan fore,Ministrum hostias consumere, aliosque non communicare, nō tàm ob vitāda sacrilegia deinceps committenda, quàm ob reuerētiam Sacramēti, ne tàm indignè tractetur ab indigno.

61 In hac quæstione certū est primo;si solus peccator petat publicè cōmunionem,debere Ministrum,si possit,vel omnes hostias cōsumere, vel alio titulo defectū hostiæ consecratæ prætexere; tunc enim solus peccator communione priuatur; & ideò non vrget fundamentum secundæ sententiæ.Secundò si celebranda sit alia Missa,quàm expectabunt ceteri,peccator verò creditur nō expectaturus,debet Sacerdos hostias consumere;quia vitatur sacrilega cōmunio, nec ceteris irrogatur graue damnū tàm breui dilatione.Tertiò certū est, si ceterorū communio fit ex precepto, non esse cōsumendas hostias; quia nō est omittendum opus preceptum ob euitandum alterius peccatum ex eius malitia prouenienes; solùm enim quæstio procedit de opere consilij:Cuius secunda sententia videtur probabilior. Quia fundamētum primæ sententiæ procedit in peccatis ex passione,vel ignorantia prouenientibus, non autem quoties ex sola malitia proueniunt, in quo casu nec forsan antecedens confirmationis est verum. Prudentia tamē in praxi necessaria est, vt in particulari perpendantur circūstantiæ personarum, temporis, loci; quantitas etiā iniuriæ,vel sacrilegij;simul etiā detrimēti,quod ex caēntia cōmunionis alijs proueniet;vt discernatur,quid preponderet.

CAP. VI. QVÆST. XI.

Vtrùm occulto peccatori præberi possit hostia non consecrata, ne sacrilegè recipiat consecratam?

62 Conueniunt Doctores, hoc non esse faciendum ignorante peccatore,qui petit Eucharistiam; quia tūc non euitaretur eius sacrilegium ex erronea conscientia profectum; & fictio Sacramenti per se mēdacium est perniciosum,& nimis iniuriosum Deo. Si tamen ipse peccator id sciat, & euitetur omnis idololatria, quamvis materialis, proposita videlicèt hostia consecrata, quam populus adoret, postea verò mutata, quando peccator accipit non consecratam, licere talem fictionem asserunt *S. Bonauentura in 4 dist.9.art.2. q.vltima. Albertus dist.13.art.20. Altissiodorens li. 4.tract.5.c.5.q.4. Angles in 4.q. de suscipientibus Eucharistiam, Difficult.4. Villalob.to.1.tract.7.Difficult.38.n.7. Ludouicus de S. Ioannes 1 p.summæ,tract. de Euch.q.7.art.8.Difficult.4.fine.*

63 Probatur;quia dū occulto peccatori graue periculū immineret, nisi cōmunicaret,V.g. si vir iubeat vxorē cōmunicare,factū obseruās,vt si viderit,illā non cōmunicare,credat adulteram esse, nec ipsa possit præ metu, seu perturbatione mora-

moraliter disponi; tunc Sacerdos hostiã non consecratam ponens à tergo consecratæ, quàm non seiungat, donec peccator accedat: & accedentis famæ, seu vitæ consulit, & simul reuerentiæ Sacramenti, nec alteri facit iniuriam: ergò nõ peccat præbens hostiam non consecratam: imò prudenter occurrit varijs incommodis. Vndè subest sufficiens causa talem fictionem, aut æquiuocationem adhibendi re ipsa, pro vitando scilicet sacrilegio, & pro fama, seu vita peccatoris tuenda.

64 Negant verò licere fictionẽ istam *S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2. Caietanus ibi, Richardus, Durandus, Gabriel, Paludanus in 4. dist. 9. Sotus dist. 12. q. 1. art. 6. Syluester Eucharistia 2. n. 11. Angelus, Eucharistia 3. n. 20. Armilla verbo Fictio, n. 2. Bonac. de Sac. disp. 1. q. 6. punct. 4. nu. 15. & 16. Henriq. lib. 6. c. 22. n. 4. Suar. to. 3. disp. 67. sect. 4. Vazquez 3. p. disp. 209. n. 41. Valẽtia to. 4. disp. 6. q. 8. punct. 3. Reginald. li. 29. n. 49. Alensis, Astensis, Graffis, Nuñus, Palacios, Malderus, quos sequitur Ioannes Sanchez disp. 35. n. 3.* Probatur 1. nam in Sacramentis fictio quælibet est execrabilis, nisi maxima, causa subsit, quæ non apparet in hoc casu: siquidem si communicãs simpliciter se potest disponere, si velit, ad dignam communionem: Quare voluntariè quidem admittit sacrilegium, & sine causa datur execrabilis fictio: quatenus vel verbis, vel saltem ipso facto significat Sacerdos, esse verum Christum, quòd re vera nõ est. Probatur 2. nam adhibita quavis cautela non euitatur exterior idololatria materialis: quoniam ipsamet sumptio taliter facta cẽsetur actus Religionis, & cultus latriæ. Fauet *Innoc. 3. in c. de homine, de celeb. Missar.* dicens, Sacerdotem celebrantẽ in peccato grauius peccare simulando consecrationem, quàm si verè cõsecraret, & communicaret cùm conscientia peccati mortalis. *Quia falsa sunt abijciẽda remedia, quæ veris sunt periculis grauiora.* Confirmatur facto Christi Domini qui Iudę prębuit Eucharistiam, quàm sciebat sacrilegè recepturum: nec voluit sacrilegium illud vitare dato pane non consecrato.

65 Hęc posterior sententia videtur securior, & probabilior. Prima tamen non est improbabilis, quãdo peccator in eas angustias redigitur, vt nec possit omittere communionẽ sine periculo vitæ, vel infamiæ, nec moraliter queat disponi sufficienter. Datur enim tunc sufficiens causa fictionis: Sicut siquis minetur mortẽ Sacerdoti, nisi consecret omnem panẽ fori (non tamen in contemptũ Religionis) posset verba proferrè sine intẽtione consecrandi. Similiter si pœnitens minetur mortem Cõfessario, potest hic absolutionem proferrè sine intentione: Quia suppetit in his casibus sufficiens causa fictionis, vt fatetur *Ioan. Sanchez sup. n. 6. & 7.* Cuius sententiã & si tedolere temeritatẽ, & audaciã asserant *Castro Palaus to. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. n. 8. & Auersa de Sac. q. 64. sect. 3.* quia putant, adhuc posito tali metu, grauissimã iniuriam fieri Sacramentis per eiusmodi fictionem; Certè vidẽtur excedere: Nõ enim est tàm certum, in hoc casu tantã fieri Sacramentis iniuriam, vt euitanda sit cùm periculo mortis; nec reuerentia debita Sacramentis semper obligat cùm tanto discrimine. Quapropter *Diana p. 3. tract. 6. Resol. 83.* dicit, immeritò notari Ioannem *Sanc. à Palao* quoad hanc doctrinã, & Resol. 48. refert ex probatis Auctoribus aliquos casus, in quibus metus grauis excusat ab irreuerentia Sacramentorum: Videlicet celebrando Missam sine vestibus sacris, vel altari, vel calice consecrato, vel lumine, vel Eucharistiam ministrando peccatori, de quo *Nos supra, q. 6.*

66 Id antè erit consultius, si sufficiat ad vitandũ peccatoris periculum, vt Sacerdos simulet, se consecratam hostiã in os accedẽtis immittere, nec immittat, sed potiùs demittat in vas. Quòd licere censet Henriq. sup. ob euitandã infamiam accedentis ad cõmunionem; sicut expedit (inquit) aliquãdo confessionis schedulã dare pęnitẽti nõ absoluto tẽpore præcepti, vel moris, quo cõfratres, aut scho-

lares communionem accipiunt, vt docuit *Medina lib. 2. summa, cap. 4.* circa finem. Consonat Ioan. *Sanch. n. 9.* quoties datur legitima causa talis fictionis, vel simulationis: vt in casu mariti cogẽtis vxorem ad communionem: cũ enim maritus ius non habeat cogẽdi sic vxorem, sicut licet vim vi repellere, sic etiam vim fallacia retundere, retenta mentaliter æquiuocatione. Conueniunt tamen Henriqu. & Ioannes Sanchez non teneri Sacerdotem ad hãc simulationem: nam qui peccat spontè, tibi prouideat, quomodo peccatum occultet. Certè si potest Sacerdos hac simulatione sacrilegiũ vitare, simulque consulere famæ, vel vitę peccatoris moraliter hic, & nunc impotentis ad dignè communicandum, cur non tenebitur ex charitate subuenire simulando? Quapropter ego non liberarem Sacerdotem ab hac obligatione.

CAP. VI. QVÆST. XII.

An sit conferendum Sacramentum personis de crimine suspectis?

67 SVppono, duplicem esse sensum quæstionis. Primus est omnibus Sacramentis communis, nimirum vtrum suspicio criminis sufficiat, vt petenti Sacramentum (scilicet ad vsum, & effectum illius) denegetur? Secundus est proprius Eucharistiæ: nimirum vtrum ad delicti probationem, seu purgationẽ danda sit Eucharistia suspectis de crimine? Quod adhuc dupliciter præstari potest. Primo cum intentione mouendi Deum: vt aliquo miraculoso signo probat, num de crimine suspectus sit re vera nocens, an innocens: Secundo cum intentione grauissimi iuramẽti prętandi. De singulis sigillatim differendum est.

68 In primo sensu quæstionis. *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6.* circa primam conclus. docet, infamiam non sufficere ad repellendum hominem à Sacramentis, sequitur *Vazquez 3. par. disp. 209. nu. 13.* dicens, infamiam non sufficere, sed euidentiam criminis requiri. Quia sic iura decernunt in cap. *Quæsitum*, & cap. *Tuæ nos, de cohabit. Cleric.* Contrarium insinuat *Bonacina de Sacram. disput. 1. qu. 6. punct. 4. n. 1.* dicens; quoties fama delicti, & delinquentis orta ex sufficientibus indicijs innotuit maiori parti Parochiæ, peccatorẽ esse repellendũ à Sacramẽtis.

69 Distinctione tamen opus est, quàm significauit Glossa in cap. *Dixit Dominus 32. q. 1.* recensens triplicem suspicionem. *Temerariam*, quæ nullo probabili fundamento nititur, *Probabilem*, quãdo datur ratio sufficiens ad generandũ dubium, non tamen ad iudicandum simpliciter peccatum alterius. *Violentam*, quæ probabili ratione deponi non potest; quia nititur talibus indicijs, quę licet non faciant euidentiam rei, faciunt tamen moralem certitudinem.

70 Igitur dicendum est, non sufficere primam suspicionem, vt Sacramentum petenti denegetur: quia non est rationabilis, sed potius iniusta. Nec item secundam, nam in dubio melior est conditio possidentis suam famam, & dum aliquis non probatur sufficienter prauus, pręsumendus est bonus: sufficere tamen tertiam, vt debeat Sacramentum petenti denegari, vel occultè, si suspicio sit occulta; vel publicè, si violenta, seu vehemens suspicio sit publica. Quippe sic suspectus parũ distat moraliter à publico peccatore, seu manifestè cognito; nam violenta suspicio moraliter æquiualet manifesto crimini, nec admittitur in cõtrarium probatio, teste *Vazqu. 3. p. disp. 210. n. 18.* exemplum adhibet *Possevinus c. 5. n. 19.* si solus cum sola visus sit in opportuno loco peccati. Conclusionem istam tenent *S. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Rich. ibi, art. 3. q. 7. Gabr. q. 2. art. 3. dub. 2. S. Antonin. par. 3. tit. 14. cap. 12. §. 2. Henriq. lib. 8. c. 56. n. 5. Suar. 3. par. to. 3. disp. 67. sect. 6. fine Vazqu. & Possevin. supra Bonac. n. 3. & 10. Regin. li. 29. n. 55. Conin. q. 80. n. 39. Villal. to. 1. tr. 7. diff. 38. n. 5.* qui communiter asserunt, ad denegandum Sacramentum petenti sufficere vehementem suspicionẽ, non verò leuẽ.

71 Excipe 1. si petẽs Sacramentũ legitime

timè purgauerit suspicionem; quatenus iam legitimè constet vel innocentia, vel emendatio suspecti; tunc enim iam cessat ratio denegandi Sacramentum. Ita notant *Henriquez, & Bonacina supra*. Excipe. 2. si petens Sacramentum sit in articulo mortis; tunc enim ob denegatum sibi Sacramentum exponeretur periculo grauis incommodi, cui non videtur exponendus ob solam suspicionem, licet violentam; præsertim quia sic suspectus, & morti proximus, si negat delictum, & alioqui præbet signa bonæ dispositionis, purgare censetur suspicionem; iam enim istæ circumstantiæ videntur magni ponderis ad deponendum suspicionem, siquidem nemo præsumitur ita negligens suæ salutis, vt in illo articulo velit negare veritatem, & damnari. Sic tradunt *Suarez, Possevinus, & Bonacina*.

72 In secundo sensu quæstionis inquiritur; an Eucharistia danda sit personis de crimine suspectis ad delicti probationem, vel purgationem; ita vt vel nocens visibiliter puniatur, vel communicans solemniter iuret, se nihil tale commisisse? Simpliciter affirmant *Adrianus quod lib. 3. q. 5. Gabriel in 4. dist. 9. quæst. 2. dub. 5.* Probatur. 1. quia sic olim iura quædam fieri iubebant. *cap. Sæpè contingit. cap. si Episcopo 2. q. 4* Probatur 2. nam hæc probatio moraliter æquiualet iuramento vel execratorio, vel assertorio. Negant absolutè *S. Thomas 3. p. q. 80. ar. 6. ad 3. & Thomistæ ibi. Bonacina sup. n. 11.* Quia subest sacrilegij periculum, si nocens in peccato communicet ad excusandum suum delictum.

73 Dico 1. non esse dandam Eucharistiam suspectis, vt si post communionem visibiliter non puniantur, credantur innocentes. Nam hoc est planè tentare Deum petendo miraculum, quod recta ratio dictat in eo casu petendum non esse. Vanum etiam est credere, quempiam esse innocentem ex hoc præcisè, quod Deus per Eucharistiam ab illo pœnas non sumpserit. Quo sensu videtur S. Thomas intellexisse canones nuper relatos, quos dicit abrogatos iam esse per contraria documenta Romanorum Pontificum, quatenus prohibent probationem ferri candentis, vel aquæ feruentis, aut frigidæ. *cap. Mennam. cap. Consuluisti, 2. q. 4. cap. Dilecti. de Purgat. vulg. cap. Ex tuarum, de Purgat. Canonica, cap. Sententiam.* Ne clerici, vel monachi. Rationemq; reddunt; nam in his superstitio, seu tentatio Dei reperitur; quæ ratio pariter militat in probatione per communionem hac intentione sumptã. Quapropter a paritate rationis hanc Eucharistiæ probationem reijciũt communiter Doctores *in 4. dist. 9. Summistæ verb. Eucharistia. Canonistæ cap. sæpe cõtingit. 2. qu. 4. Coninch, & Bonacina sup. Reginaldus lib. 29. nu. 54. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 8. Martinus del Rio lib. 4. Magic. cap. 4. quæst. 3.* & sequentibus. Vnde colligit *Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 6. fin.* grauiter peccare maritos, qui cogunt vxores ad communicandum coram ipsis, vt adulterij suspicionem purgent. Nec obstat similis probatio zelotypiæ, quam Deus præscripsit *Numer. 5.* nam ibi dabatur Dei promissio miraculosè prodendi veritatem, quæ non datur in nostro casu.

74 Dico 2. receptionem Eucharistiæ per modum assertorij iuramenti testificantis veritatem non esse malam intrinsecè, nec vllum genus superstitionis continere, sed esse graue quoddam iuramẽtum de se licitum, de quo purat *S. Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad secundum loqui canones in cap. sæpe contingit, & in cap. si Episcopo 2. quæst. 4.* Sic censent intrinsicè licere, *Gabriel, Adrianus, Henriquez, Suarez, & Coninch supra, Vazquez num. 13. Layman num. 9. Maior in 4. dist. 9. quæst. 4.* Sicut enim interdum iuramus tangendo crucem, vel aram, vel Euangelia, sic iurare possumus Eucharistiam recipiendo debitis circumstantijs adhibitis, sicut in alijs iuramentis.

75 Addunt Maior, *Henriquez, & Vazquez* ita prædictis canonibus etiam in hoc sensu contraria consuetudine fuisse

dero-

derogatum, vt iam non liceat eiusmodi purgationem, seu iuramentum adhibere, Probatur, nam in *cap. Ex tuarum. De Purgat. Canon.* vetantur peregrinæ probationes. Hoc autem genus probationis, eo ipso quod in vsu non est, censetur peregrinum, ac subinde vetitum. *Suarez vero, Coninch, & Layman* non agnoscūt omnimodam prohibitionem; sed asserunt, huiusmodi iuramentum nec extra grauissimos, & rarissimos casus vsurpādum esse: quia dedecet Sacramenti reuerentiam, & frequenter adhibitum pateret multis sacrilegijs; nec ita vero reijciendum esse, quasi nullo casu possit licere, siquis enim in grauissimo negotio sponte sua nullo modo coactus Eucharistiam acciperet ad probandam suam innocentiam; nec id esset per se malum, nec prorsus in vsitatum. Nam id fecisse dicitur Gregorius VII. coram Imperatore Henrico IV. quem inuitauit ad simile testimonium suæ conscientiæ redimendum, nec ausus fuit Imperator communicare, teste Lamberto in historia rerum Germaniæ.

76 Hæc pars mihi probatur, dum tale iuramentum vltro suscipiatur ex grauissima causa; nemini q; talis iuramenti necessitas imponatur ob periculum grauissimi sacrilegij; multoq; minus exigatur ab illo, qui delictum suum manifestare non tenetur. Quare grauiter peccat maritus, si cogat vxorem, vt se per communionis iuramentum ab adulterij suspicione liberet. Item Prælatus, si per hoc medium occulta delicta subditorū inquirere, seu deprehendere tentet. Iam enim capiti *sæpe contigit. 2. q. 4.* precipiēti furtum monasterij per Eucharistiæ sūptionem indagari, quoad coactionem talis iuramenti contraria consuetudine fuit derogatum; nec fur occultus tenetur se prodere. Sic notant *Suarez, & Layman supra*. Sic etiam conciliari possunt Doctores relati *num. 71. & 74.*

AD LECTOREM.

Huic primo libro de Sacramentis in genere visum est adnectere quasi Theoremata quædam Sacramentorum in particulari, quæ possit, qui volet, ad manum habere, quasi breue compendium doctrinæ latius infra tradendæ.

Theorema 1. De Baptismo.

Definitio 1 Aptismus est triplex, *fluminis*, idest aquæ; *flaminis*, idest contritio; *sanguinis*, idest martyrium. Baptismus flaminis est adultorum dumtaxat; Fluminis, & Sanguinis etiam paruulorum; & hi duo delent totam pœnam peccatis debitam. Videantur. *S. Thomas 3. p. q. 66. & 87. Suarez 3. p. to. 3. disp. 9. Auersa. 3. p. q. 66 sect. 3. & q. 70. sect. 5.* Baptismus fluminis, qui Sacramentum est, sic definiri potest. *Baptismus est Sacramentum constans ablutione corporis externa sub præscripta forma verborum institutum per Christum ad regenerationem spiritualem*, vt ex Scripturæ verbis colligit *Auersa supra*.

2 Materia remota Baptismi est aqua naturalis, vt docent Concilium Florentinum in decreto de Sacramentis. *Tridentinum sess. 7. can. 2. de Baptismo. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 4.* Quare siquis adhibeat vinum, acetum, lac, siceram, ceruisiam crassam, multumq; decoctam; herbarum, florum ve liquorem, sputum, sud-

sudorem, vrinam, non efficiet Sacramētum. *Ita S. Thomas supra. Coninch. 3. p. q. 66. num. 24. Bonacina de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 3. Diana part. 5. tract. 3. Resol.* 2 Iusculum carnium, aut piscium, lixiuium, aqua decocta, vel alijs corporibus permista potest adhiberi validè, quoties mistio non est talis, vt aquæ substantia corrumpatur. Ita *S. Thomas sup. Coninch. num. 23. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 3.* Nix, gelu, grando, glacies, dum non liquefiunt, non sunt materia sufficiens; quia non deseruiunt ablutioni. *Sic Suarez tom. 3. disp. 20 sect. 2. Fillincius tract. 2. num. 29. Auersa sup. q. 66 sect. 4. Diana Resol. 3.* Aquam profluentem ex sale sufficere, affirmant *Henriquez, Hurtado, Moure, Bonacina*, & alij, quos sequitur *Diana par. 3. tract. 4. Resol. 5.* quia putant esse naturalem aquam licet salsam. Negant *Syluester, Angelus, Coninch*, quos sequitur *Auersa sup.* Equidem si sal fiat ex aqua salsa, resoluitur in aquam naturalem, quæ sit materia Baptismi. Si verò generetur in fodinis, & alijs terræ partibus, resoluetur in liquorem mistum, qui non sit materia sufficiēs. Videatur *Layman supra.* Extra necessitatem esse debet aqua pura, benedicta, chrismateq; permista eiusdem anni.

3 Materia proxima est ablutio, quæ fieri potest per immersionem vnam, vel trinam, per effusionem, & per aspersionem iuxta cuiuslibet Ecclesiæ ritum. Vide *Dianam part. 5. tract. 3. Resolut. 19.* Esse debet actus ad abluendum ordinatum per se se. Quare qui puerum in puteum proijcit, vt baptizetur, & suffocetur baptizat quidem iuxta probabiliorem sententiam, quam tenent *Suarez supra sect. 3. Coninch. num. 68. Vazquez. 3. p. disp. 145. cap. 3. Villalobos. tom. 1. tract. 5. diffic. 4. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 5. Auersa cum alijs q. 66. sect. 4.* Sed peccat mortaliter, & fit irregularis, vt fatentur relati Doctores. Ablutionem in capite valere, certum est, in alijs partibus probabile dumtaxat. Sic *Auersa sup. Suarez sect. 2. Vazquez num. 27. Diana. Resol. 4. Zambrauus cap. 1. dub. 3.* In necessitate sufficiet aspersio; dum aqua successiuè diffluat per aliquam corporis partem. Ita *Suarez, Auersa, Layman sup. Fillsucius, num. 34. Diana Resol. 5. contra Vazquium cap. 4. & Henriquez lib. 2. cap. 7. & 21.* qui putāt sufficere guttam aquæ, quamvis non diffluat.

4 Forma Baptismi substantialiter est vnica, sed duplex eam exprimendi modus. Primus est Græcorum dicentium. *Baptizetur seruus Christi. N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Amen. Secundus est latinorum dicentium. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Pertinent ad substātiam formæ saltem hæc verba. *Baptizo te nomine Patris, Filij, Spiritus sancti.* Nam hæc saltem requiruntur, vt Dei trinitas, & vnitas exprimatur tanquam causa principalis, & minister tanquam instrumentum, & persona, quæ baptizatur, & actio baptizandi; quæ quidem omnia pertinent ad substantiam formæ. Non requiritur vox *Ego*, necomittitur sine veniali contra præceptum Ecclesiæ. Præpositionem *in* esse substantialem, aiunt *Toletus, Reginaldus, & alij*; sed probabilius negant *Henriquez, Bonacina, Coninch*, quia non variatur sensus: Qui tamen omitteret, peccaret mortaliter; quia dubium conferret Baptismum. Similiter peccaret mortaliter, qui coniūctionem & omitteret; quia licet probabilius sit, valere Baptismum, est etiam probabile, non valere. Videantur *Auersa quest. 66. sect. 5. Diana part. 2. tract. 15. Resolut. 47. Coninch. sup n. 61. Fillincius, n. 63.* Forma

5 An valeat Baptismus in nomine Iesu Christi, vel in nomine Genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroq; probabilior sententia negat; quia tollitur expressio Trinitatis per consueta verba. Vide superius *dicta, cap. 1. quest. 2. & 4.* & quomodo sit iterandus baptismus dubius, diximus *q. 6.*

6 Minister Baptismi duplex est. Primus ex officio scilicet Sacerdos curatus, ita vt quilibet alius baptizans solemniter, peccet mortaliter; & pariter qui baptizat priuatim extra necessitatem; nā Minister

vsur-

vsurpat sibi iurisdictionem alienam. Ita *S. Thomas. 3. p. q. 67. ar. 3.* & sequentibus. *Auersa ibi sect. 2. Suarez disp. 31. sect. 4. Bonac. de Sacram. disp. 2. quæst. 2. punct. 5.* Secundus Minister dicitur necessitatis;& est omnis homo cuiusuis status, sexus, & conditionis, capax rationis, etiam infidelis, si debitam habeat intentionem. Debet autem inferior cedere superiori; nimirùm infidelis fideli, fœmina viro, laicos clerico, censura ligatus non ligato per se loquendo. Hunc ordinem inuertere sine causa *Vazquez* dicit esse mortale. Negant vero *Sotus in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 2. Valentia tom. 4. disput. 4. q. 2. punct. 1. Auersa 3. part. q. 67. sect. 2.* Certè si Parochus adsit, quiuis alius baptizans peccat mortaliter. Similiter si Sacerdos adest, & baptizet, vel si relicto fideli baptizet infidelis: aut excommunicatus, dum adest alius non ligatus. Ita *Suarez, & Auersa sup. Fillsucius tract. 2. num. 82. Regnal. lib. 27. num. 44. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 7. Coninch. q. 67. num. 22.* In reliquis ordo non obligat cum tanto rigore, vt notant *Bonacina sup. Diana p. 3. tract. 4. Resol. 4. & part. 5. tract. 3. Resol. 18. & tract. 9. Resol. 87.*

Recipiës 7 Quilibet viator, qui non fuerit antea baptizatus, est subiectum capax Baptismi, & tenetur illum recipere; quia sine Baptismo nemini patet salutis aditus. Ita *S. Thom. 3. p. q. 66. art. 2. & q. 68. art. 2. Valentia sup. q. 3. punct. 4. Auersa q. 66. sect. 2.* Adultus per se loquendo non tenetur baptizari cum periculo mortis; per accidens interdum tenebitur, vt notat *Diana part. 3. tract. 6. Resol. 48. & par. 5. tract. 3. Resol. 9.* Filij tamen infidelium, qui non subduntur Ecclesiæ, non sunt inuitis parentibus baptizandi. Sic *S. Thomas 3. p. q. 68. art. 10. Suarez tom. 3. disp. 25. sect. 3. Layman sup. cap. 6. Bonacina, punct. 6. Auersa q. 68. sect. 3.* Excipe, nisi tales filij sint iam rationis compotes, & ipsi baptizari velint. Ita *S. Tho. Suarez, & Bonacina. Vide Dianam part. 2. tract. 15. Resol. 45. part. 3. tract. 4. Resol. 7. part. 5. tract. 3. Resol. 25.* Si verò dum sunt rationis impotes, baptizarentur, valeret vtique baptismus, licet fuisset illicitus, vt notant relati Doctores. In adulto requiritur ad Baptismi valorem intentio videlicet habitualis; ad fructum recipiendum requiritur fides, & dolor peccatorum, de quo diximus *sup. cap. 4.*

8 Effectus baptismi sunt quatuor. Primus est gratiæ infusio, qua remittuntur peccata. Secundus est remissio totius pœnæ peccatis debitæ. Tertius character. Quartus irregularitatis ablatio præter bigamiam. Videatur *Auersa q. 69. sect. 1.* Effe.

Solemnitates Baptismi, sine quibus nullus extra necessitatem baptizari debet, & quando fuerunt omissæ, debent postea suppleri; quædam antecedunt Baptismum, scilicet catechismus, quo baptizandus circa fidem instruitur: Exorcismus, quo malignus spiritus abiuratur; & vnctio sancti olei. Quædam subsequuntur, scilicet signatio sincipitis chrismate, vestis candida, candela demum accensa. Videatur *S. Thomas 3. p. q. 61. Auersa ibi sect. 1. & 2.* Solemnitates.

Sunt etiam Patrini ad summum duo, vir, & fœmina, quamvis alter horum sufficiat. Hic contrahit spiritualem cognationem cum baptizato, & cum eius parentibus duntaxat, sicut & baptizans, omni alia fraternitate sublata per *Tridentinum sess. 24. cap. 2. Sic S. Thom. q. 67. art. 7. Auersa ibi, sect. 3. & 4.* Patrini.

Theorema II. De Confirmatione.

1 Confirmatio est *Sacramentum vnctionis chrismatis consecrati, quo Episcopus inungit frontem baptizati, sub certa forma verborum ad fidei robur communicandum.* In hac definitione continentur materia proxima, & remota, Minister, forma, & effectus confirmationis. Definitio.

2 Materiam remotam esse solum oleum, mistionem vero balsami requiri necessitate præcepti, dicunt *Caietanus, Sotus, Nauarrus, & plures apud Dianam part. 3. tract. 4. Resol. 23.* Sed alij melius asserunt, esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, itaut alterutro deficiente; Materia.

te, non fiat Sacramentum. Ita *S.Thom. 3.p.q.72.art.2.Coninch.ibi.nu.30. Auersa,sect.2.Suarez tom.3.disp.33.sect.1. Bonacin.disput.3.qu.1.punct.3.Diana supra cum alijs.* Et sic indicat *Florentinum* decreto de Sacramentis, docens simul futurum esse benedictum, seu consecratum ab Episcopo.

3 Materia proxima est vnctio, quæ fieri debet in fronte recipientis in formam crucis, & manu Episcopi. Sic habet Ecclesiæ praxis, ex qua colligitur necessitas etiam Sacramenti, quod non valebit, si vel vnctio non fiat in fronte, vel non immediatè manu Episcopi, vel non in formam crucis. Videatur *Diana sup.Suar. sect.2.Auersa sect.3. Coninch.num.42.*

Forma. 4 Forma est, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vox *Amē* nō est essentialis. Quidam probabiliter putant, essentialia non esse illa verba, *Signo crucis*, vel *chrismate salutis*, vel verbum *signo*, vel *confirmo*. Sed communior sententia Doctorum omnia supradicta verba requirit ad substantiam formæ, valoremq; Sacramenti; nam omnia significationem habent specialem. Sic *Henriqu.lib.3.c.2. Layman lib.5.tract.3. cap.3.Suar.sup.sect.5.Auersa q.72.sect.3:* de forma Græcorum dicemus suo loco.

Minister. Recipiens. 5 Minister ordinarius confirmationis est Episcopus consecratus; ex commissione Papæ potest esse simplex Sacerdos. Ita *S.Thom.q.72.art.10.Auersa ibi. sect.5.* Confirmari possunt omnes baptizati cuiusvis ætatis, sexus, & status, qui confirmati non fuerint. Quare pueri, & amentes confirmandi sunt, quando subest causa non expectandi rationis vsum. Sic *Auersa supr.sect.6.* Peccatum esse non confirmari, docent *Sotus in 4.dist. 7.qu.2.Richardus ibi, art.5.qu.1.Durandus q.1.art.2.* Probabilius est non peccare, qui confirmationem omittit; quia non datur præceptum eius recipiendæ. Sic censent *Sotus, Victoria, Couarrubias,* quos sequitur *Suar.tom.3.disp.38.sect.1. Bonacina cum multis disp.3.q.1.punct.2. Diana cum alijs part.3.tract.4, Resol.20.* & 25. *Auersa sup sect.6.* Certè peccaret saltem venialiter, qui non confirmatus reciperet ordinemaliquem, vel primam tonsuram. Colligitur *ex Trident.sess.23. ca.4.de reform.* Imò peccatum esse mortale, censet cum alijs *Auersa sup.* Plures tamen id negant apud eundem. Quia Tridentini decretum non videtur inducere grauem obligationem.

6 Effectus confirmationis sunt tres, Character, & gratia, & cognatio spiritualis inter confirmatum, & Patrinum, siue confirmantem. Videatur *Auersa q. 72.sect.4.* Effectus.

Theorema 3. de Eucharistia.

1 *Eucharistia Sacramentum est sub speciebus panis, & vini continens Christi corpus, & sanguinem ad conseruationem spiritualis vitæ.* Cōstituitur enim essentialiter non solum per species, & corpus Christi sub illis contentum, sed etiā per verba consecrationis, vt formam huius Sacramenti moraliter informantem, & determinantem species consecratas, vt docent *Suar.3.p.to.3.disp.42 sect.2. Filliuc.tr.4.n.19.Coninc.q.73.nu.20.Auersa de Euchar.q.1.sect.8. Bonacina cum alijs disp.4.q.1.pun.1.nu.4. & 6.* Vnum est Sacramentum ex duplici materia, & forma partiali per modum conuiuij cōpositum; sicut vnus in eo Christus continetur, vnaque refectio spiritualis. Definitio.

2 Materia consecrationis corporis est panis ex tritico, & aqua naturali confectus, azimus in Ecclesia Latina; nam Græci ritè consecrant fermentatum. Et quidem in alia specie frumenti consecrare non licet. An verò Sacramentum valeat, dissentiunt Doctores. Videantur *S.Thomas 3.p.qu.74 art.3. Auersa supra q.2.sect.3.& 4.Suar.disput.44.sect.1.Vazqu.3.part.disput.170.cap.3.Conineh.qu.. 74.num.51.* Materia.

3 Materia consecrationis sanguinis est vinum ex vuis, non agresta, nec acetum, nec sapa, nec lora. Videatur *Auersa supra sect.5.* An sufficiat vinum congelatum? Negāt *Alanus, Armilla, Ledesma,* quos sequitur *Henriquez lib.8. cap.12.*

num.

n.3. Affirmant Sylvester, Sotus, Valentia, Suarez, Vazquez, Reginald. quos sequuntur Auersa sup. Coninch, & Sylvius. 3. p. q. 74. a. 5. Diana, p. 3. tract. 6. Resol. 100. Bonac. de Sacr. disp. 4. q. 2. punct. 2. n. 10. saltē erit materia dubia. Cum vino parum aquæ miscēdū est ecclesiastico præcepto, quod obligat sub mortali ratione significationis, vt notant Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 15. nu. 21. Diana part. 5. tract. 5. Resol. 56. Suarez tom. 3. disp. 45. sect. 1. Filliucius tract. 4. num. 90. Bonacin. cum multis sup. punct. 4. num. 1. Quod si tempore consecrationis aqua fuerit in vinum conuersa, conuertetur in sanguinem; sin minus vel aqua pura remanebit, vt aliqui probabiliter censent; vel immediatè conuertetur in sanguinem, vt alij probabiliter etiam asserunt. Videantur S. Thomas. 3. p. q. 74. art. 8. Suarez sup. sect. 4. Auersa q. 2. sect. 7. Diana p. 3. tract. 4. Resol. 49. Coninch. q. 74. nu. 144. & 152. Adhuc in die Natalis Domini licet Sacerdos aquam illam cum sanguine sumpserit, non violat naturale ieiunium, & ita potest alias duas Missas celebrare. Quia quod ritus Ecclesiæ præscribit, non debet obstare celebrationi.

4 Vtraq; materia debet esse certa, & determinata in intentione consecrantis, & Sacerdoti præsens saltē præsentia morali, vt promine Hoc, vel Hic demonstrari possit. Videantur Suarez disp. 43. sect. 6. Auersa q. 2. sect. 2. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 32. & 103. Vtriusq; consecratio coniungi debet saltem obligatione diuini præcepti; in quo posse grauissima de causa dispensare Papam, quidam aiunt; alij melius negant. Videantur Suarez sup. sect. 4. Bonacina punct. 3. num. 13. Vazquez 3. p. disp. 223. cap. 3. Auersa q. 11. sect. 5.

Forma. 5 Vtriusq; formæ verba determinata sunt, & a Ministris tum recitando, tum potissimum, & necessariò formaliter significando proferuntur. Pronomen Hoc, & Hic significant contentum sub his speciebus, & verificantur propositiones in vltimo termino prolationis. Videantur S. Thomas 3. part. quæst. 70. artic. 5. Suarez disp. 58. sect. 4. & 5. Auersa q. 6. sect. 4. & 5.

6 In forma consecrationis corporis illa verba sunt essentialia; Hoc est corpus meum. Cœtera vel antecedentia, vel subsequentia, sicut etiam vox enim, sunt de præcepto tantum, aptissimè tamen vsurpantur. In forma sanguinis illa tantum essentialia sunt, Hic est calix sanguinis mei. Cœtera, quæ præmittuntur, aut subsequuntur de præcepto sunt: Quamvis maiorem connexionem habeant illa subsequentia, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorū. Et propter probabiles opiniones oppositas, intentio consecrantis esse debet, vt consecrare velit ijs verbis, quæ Christus instituit, & intendit Ecclesia. Sic monent Henriquez lib. 8. cap. 17. num. 4. fine. Reginaldus lib. 29. n. 32. Filliucius tract. 4. nu. 115. Bonacina cum alijs disp. 4. quæst. 3. punct. 2. n. 3. Videatur Auersa, q. 6. sect. 2. & 3.

7 Prolatis verbis consecrationis nulla manet substantia panis, aut vini, sed tota conuertitur in corpus, & sanguinē Iesu Christi; quæ mirabilis cōuersio merito subindè transsubstantiatio vocatur: solum remanent accidentia panis, & vini, nempè quantitas, color, sapor, & odor cum primis qualitatibus, quæ dicuntur species Sacramentales. In hostia ponitur ex vi verborum Christi corpus, & per concomitantiam sanguis, anima, diuinitas. In calice ponitur ex vi verborum Christi sanguis, & per concomitantiam corpus, anima, diuinitas.

8 Duo sunt huius Sacramenti Ministri regulariter, Sacerdos quilibet respectu consecrationis, & nullus alius, qui Sacerdos non sit: Respectu verò collationis Sacerdos, ad quem pertinet ex officio, scilicet qui iurisdictionem habet ordinariam: vel ex commissione, scilicet qui cum licentia Pastoris saltem præsumpta ministrat. Videantur S. Thom. 3. p. quest. 82. art. 3. Suarez disp. 72. sect. 2. Auersa q. 10. sect. 1. & 3. & 4. Suscipientis pariter duo sunt, vnus suscipiens, & con- Minister.

secrans.

secrans, vt Sacerdos celebrans; & hic vtramq; speciem sumere debet; alter duntaxat suscipiens, vt Sacerdos, quando non celebrat,& laicus,quando communicat, & hic solam panis speciem sumit. Ita *S.Th.3.p.q.80. art. 12. Vazquez 3.p.disp.216.cap.3. Auersa q.8.sect.4.*

9 Absente Sacerdote si necessitas vrgeat, ne quispiam sine viatico decedat, potest Diaconus Eucharistiam ministrare moribundis; quia vel præsumitur Pastoris voluntas, vel pro tali casu ius commune censetur illi concedere facultatem. *Ita S.Thomas, Sotus, Syluester*, quos sequitur *Suarez sup. sect. 1. Coninch.q.82.num.21.Vazquez disput.219. num.10.cum alijs;* Imò facultatem istam extendunt etiam ad Clericos minores, & laicos *Suarez sup. sect.1.& 3. Coninch. num.23. Layman lib.5.tract.4. cap.7. nu. 4. Reginaldus lib.29.num. 93. Granado 3. part.controu.6.tract.12.disp.1.num.4. Auersa q. 10. sect. 3.* Quamvis hoc non sit communiter receptum; quia rarissimè necessitas aderit cogens, vt laicus ministret Eucharistiam moribūdo. Videatur *Diana part.3.tract.4.Resolut.47.& part. 5.tract.3.Resol.47.* Potest Sacerdos extra Missam non solum in necessitate, sed ex deuotione communicare seipsum. *Ita Vazquez, & Layman sup. Pelliucius trac. 4.num.285. Suarez sect.3. Bonacina disp. 4.q.5.punct.1.num. 13. Auersa cum alijs q. 10. sect. 3.* Potest etiam Diaconus in necessitate, ne sine viatico decedat. An idē possint laici, negat communis sententia. Sed affirmant *Suarez, Layman, Filliucius, Auersa, Granado, Diana sup. Valentia to.4.disp.6.q.10.punct. 1.* Quoniam id nullo iure prohibetur, & aliundè necessitas vrgere potest.

10 Eucharistiæ cum fructu recipiendæ solus,& omnis homo capax est, sed aliquas conditiones habere debet, quas hæc carmina continent.

> *Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus.*
> *Contritus, fassus, mundus, recteq; paratus.*

Lotus, idest baptizatus; nam ante Baptismum non percipitur Sacramentorum fructus ex opere operato. *Discretus* nam licet infans, & perpetuo demens possint Eucharistiam cum fructu recipere, iam Ecclesiæ consuetudo iustis de causis prohibuit huiusmodi communionem. Amentibus vero, qui rationis vsum habuerunt, debet in periculo mortis Eucharistia ministrari; dum non constet illos in censura, vel in peccato mortali sine pœnitentiæ signis vsum rationis amisisse, nec immineat periculum irreuerentiæ. Sic docent *S.Thomas 3.p.q.80.art.9. Coninch ibi. num. 73. Auersa q. 8. sect. 1. Suarez disp.69 sect.3. Bonacina* cum alijs *disp.4.q.6.punct.1 num.4.& 5.* Pueri non statim ac attingunt vsum rationis, communicādi sunt, nisi sint in periculo mortis. *Ita Bonacina sup. quest.7.punct. 2. nu. 4. Auersa sect.2. Suarez disput.70. sect. 1. Salas de legibus disp.14 sect.13.nu. 117. Diana part.3.tract.6.Resol.89. & part.5. tract. 3. Resol. 44.* Quapropter aliquod tempus expectari debet, aut saltem potest, vt hunc cœlestem cibum pueri discernant. Ita vt regulariter nec ante decimum annum videatur illis concedenda communio, nec vltra decimū quartum differenda. Sic *Suarez, & Salas sup. Bonacina num.1. Coninch. quest. 80. num. 101. Villalobos tom. 1. tract. 7. diffic. 42. num.6. Granado t.2.controu.7.tract. 3. p. 1. disp.6.num.36.*

11 *Sanus*, quatenus oportet, vt stomacho benè valeat, ne receptam Eucharistiam euomat. *Ieiunus*, scilicet naturali ieiunio post mediam noctem, nisi mors immineat, vel alia causa grauis excuset. Nec soluit ieiunium naturale, qui dum os abluit, modicum aquæ per modum saliuæ deglutit, vel micas, aut alias cibi particulas, quæ manere solent inter dentes; vel qui papirum, aut vngues, aut quid simile non comestibile sumit. Ita *Suarez tom.3. disput.68. sect.4. Henriquez lib. 8. cap.50.num.4. Reginaldus lib.29. n. 118. Auersa de Euch. q.8. sect.8. Bonacina de Sacram.disp.4.quest.6.punct.2. num. 10. Villalob.sup.difficult.39.*

12 *Contritus*, ita vt saltem existimet, se

se non habere conscientiam peccati mortalis. *Fassus*. Quia non sufficit conteri, sed debet etiam confiteri, qui conscientiam peccati mortalis habet, nisi communicandi necessitas vrgeat, & nō adsit moraliter confessarius. Sacerdos vero, qui propter huiusmodi necessitatem sine confessione celebrauit, debet postea confiteri, quam primum possit. Secus laici, qui iustis de causis sine confessione præmissa communicauerūt. Ita *Suarez disp 66 sect.7 Vazquez disp.208. n.16.& 23.Filliuc.tract.4.n.222.& 223. Auersa,& Bonacina sup.punct.1.n.37.*

13 *Mundus*, idest non pollutus, nam si præcessit copula, vel pollutio culpabilis, vnde supersint adhuc commotio carnis, & distractio mentis circa veneream voluptatem, consilium erit differre communionem, nisi grauis necessitas, aut vtilitas oppositum suadeat. Ita *Suarez disp.68.sect.2.Coninch sup.num.42.Filliucius num.230.Bonacina punct.2.num.4.Recteq; paratus*. Fide videlicet viua, charitate feruenti, humilitate reuerenti. Frequentior vsus melior est, quam rarior; optima quidem est consuetudo singulis Dominicis, vel octauo quoq; die cōmunicandi. Qui maiorem frequentiā voluerit, consulat confessarium.

Præceptum. 14 In Eucharistia quamvis necessitas medij sit solum probabilis, vt asserunt *Henriquez lib.8.cap.2.nu.2.cum multis, Bellarminus to.3.lib.1.de Euch.cap.7.& lib.4.cap.25. Fagundez Præcept.3.lib.1. cap.3.n.4.& 6.* cum alijs; necessitas præcepti tam diuini, quam ecclesiastici certa debet esse. Diuinum præceptum obligat omnes adultos rationis compotes saltem in articulo mortis; nam extra illum incertum est, quando cogeret. Tunc autem moribundi communicare tenentur, etsi communicauerint in paschate. Tenentur etiam pueri capaces confessionis, vt melior opinio docet; quam tenent *Diana p.3.trac.6.Resol.89.& p.5.tr. 3.Res.44.* cū alijs. *Auersa q.8.de Euc.sec.3*

15 An qui manè sanus communicauit, si postea mortis periculum incurrat, teneatur iterum eodem die communicare? Mordicus affirmant *Gaspar Hurtado de Euch.disp.10.diffic.2.Diana par.4. tr. 4.Resolut.147.& par.5.tract.3.Resol.33. & part.6.tract.6. Resol.* 18. qui citant alios. At melius communis sententia docet, nec debere, nec posse licitè. Nā Ecclesia non permittit extra Missam binā communionem in eodem die: satisq; præceptum impletur per communionē proximè præcedentem, quæ sufficienter præparat ad obitū. Ita *Suarez to.3. disp. 69.sect.3 Bonac.disp.4.q.7.punct.1.nu.2. Coninch.q.80.n.98.& 100.Zambranus c. 3.dub.1.n.1.Fagundez Precepto Eccles. 3.lib.1.c.3.n.7.Granado 3.p.controu.6.tr. 10.disp.3.n.9. Cardin. de Lugo de Euch. disp.26.sect.3.n.52.* cū alijs. Qui ferè cuncti cēsent, illum, qui tribus, aut etiā octo diebus antea communicauerat, non teneri morti proximum iterū cōmunicare posse tamē, licet heri communicasset ieiunus, hodie non ieiunum communicare. Videantur quoq; *Henriq.lib.8.c.4.& 5.Toletus lib.6.c.18.n.5.& Auersa sup.*

16 Præceptum communionis ecclesiasticum obligat omnes baptizatos, cum ad annos discretionis peruenerint, saltem semel in anno, tempore Paschatis, quod saltem continet quindecim dies, & in nonnullis locis extenditur ad totam Quadragesimam Excusantur pueri etiam post annum decimum, si vel a parentibus, vel a confessarijs prohibentur communione; vt sentiunt *Nauarrus cap. 21.n.51.Zambranus cap.3.dub.2.num.3. Reginald.lib.29.n.85. Auersa supra, Bonac.punct.2.num.2.* Similiter excusantur, quicunq; de consilio confessarij differunt communionem.

17 Interdictus, vel excommunicatus, per quem non stat, vt absoluatur, nō peccat, licet non cōfiteatur, nec communicet tempore per Ecclesiam præscripto. Secus si per ipsum stet. Sic *Azor.to.1.lib. 7.cap.41.q.3.Bonacina sup.n.15. Fagundez, cap.6.n.7.Diana, p.5.tract.9. Res.88.* Qui præuidet, fore vt non possit in Paschate communicare, non tenetur anticipare communionem, sicut nec sacrum diei festi. Qui sacrilegè communicat, im-

plet

plet ecclesiasticum præceptũ, vt melior opinio docet; nam lex obligat solum ad substantiam actus. Ita *Suarez disput.70. sect.3. Azor sup.q.12. Bonacina,n.12.*

18 An qui non communicauit in Paschate, teneatur postea quam primum communicare? Quidam aiunt, alij negant. Videantur *Auersa q.8.sect.3. Diana part.3.tract.4.Resol.41.* Certè qui cõmunionem distulit de consilio confessarij, tenetur præscripto per confessarium tempore communicare. Deinde constitutiones synodales communiter sub excommunicatione precipiunt, vt qui non communicauerint in Paschate, cõmunicent intra primam, vel sequentem hebdomadam; quibus parendum est.

19 Triplex est modus Eucharistiam recipiendi. Primò recipiunt spiritualiter tantum, qui solo desiderio communicant. Secundò recipiunt Sacramentaliter tantum, qui sine debita dispositione sumunt species Sacramentales. Tertiò Sacramentaliter, & spiritualiter simul recipiunt, qui dignè communicant. Effectus huius Sacramenti sunt quatuor. Primus est infusio gratiæ. Secundus spiritualis refectio. Tertius præseruatio à peccatis. Quartus est fomitis repressio. Quãdo liceat Eucharistiam ab indigno Ministro recipere, vel indignis ministrare, diximus *cap.5.& 6.*

Effectus

Theorema IV. de Missa.

1 EVcharistia non solum est Sacramentum, sed etiam vnicum sacrificium nouæ legis, quod offertur in Missa. Sacrificium in communi definitur, quod sit *oblatio, qua res offertur Deo cum aliqua immutatione per publicum Ministrum in signum nostræ subiectionis, & diuinæ potestatis.* Vnde Missa dicitur *Sacrificium, in quo sub speciebus panis, & vini Christi Domini corpus, & sanguis offeruntur Deo in memoriam Dominicæ passionis.*

Definitio.

2 In qua Missæ parte sacrificium essentialiter consistat, varij sunt Doctores. Probabilius apparet, in sola consecratione consistere, quatenus est mirabilis reproductio Dominici corporis, & sanguinis ad colẽdum Deum, vt auctorem omnium rerum; & quatenus ex vi verborum, & specierum significatione separatim quasi victima mactata proponitur. Ita *Vazquez cũ multis.3.p.disp.222. cap.5. Coninch.q.83.n.96.& sequentibus. Filliucius tract.5.n.13.* Consumptio pertinet ad aliquam integritatem, & perfectionẽ huius sacrificij, colligitur *ex c. Relatum, de consec.dist.2.* docentq; *Coninch. sup.n.93. Auersa q.11 sect.2. Cardin. de Lugo de Euchar.disp.19.n.68.* Quare Sacerdos omninò tenetur communicare, dum celebrat ex *Tridentino sess.13.c.8.*

3 Quatuor offerentes in Missa distingui possunt. Primus & principalis est Christus Dominus, qui sacrificium incruentum sui corporis, & sanguinis offert quotidie Patri ministerio Sacerdotum non solum remotè, quatenus hoc sacrificium instituit suis meritis fulcitum, sed etiam proximè, quatenus per actualem concursum totam hanc victimam, quam Sacerdos in Christi persona sacrificat. Patri repræsentat in memoriam suæ passionis.

Offerẽs.

4 Secundus offerens est Ecclesia Catholica, quæ tanquam communitas quædam, & congregatio Fidelium Christum Dominum offert Deo Patri per Sacerdotes ab ipsa consecratos, & deputatus. Tertius offerens est particularis Sacerdos ad hoc munus electus, & initiatus. Quartus offerens est quilibet inseruiens sacrificio vel in altari, vel in choro, vel eidem assistens, vel petens, vel procurans fieri factum, aut stipendium Missæ suggerens.

5 Missæ finis, vel scopus quadruplex est Primus respicit Dei cultum, & protestationem summæ potestatis, ac excellentiæ diuinæ. Sic dicitur sacrificium honorarium. Secundus gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; sic dicitur Eucharisticum. Tertius satisfactionem pro pœnis temporalibus peccatorum; & sic dicitur propitiatorium. Quartus respicit impetrationẽ alicuius doni, seu bene-

beneficij diuini. Sic dicitur impetratorium. Quò ad primum, & secundum Missa non potest offerri pro alijs: Nam vt sic inuoluit personale obligationem colendi Deum propter se ipsum, & propter beneficia iugiter ab ipso recepta; nec hinc redundat fructus, qui possit alijs ab offerente communicari.

6 Quò ad tertium, & quartum finem offerri potest Missa pro alijs. Nimirum quò ad impetrationem pro cunctis hominibus (prẹter excõmunicatos,) quantumvis peccatores sint, & infideles. Quò ad satisfactionem pro fidelibus cunctis viuis, atque defunctis, etiam cathecumenis, si iusti sint, & habeant reatum pęnæ, nec excommunicatione ligentur. Sic docent *Henriquez lib.9.cap.15.nu.5. Fagundez Precepto 1.lib.3.cap.12.nu.30.* & alij. Satisfactio si applicetur subiecto capaci, semper est infallibilis. Impetratio non ita. Videantur *Henriquez lib.9.cap.13.n.1. & cap.16.n.1. & ca.18. n.7. Suarez tom.3. disp.79. sect.6. &* 10. *Vazq. 3.p. disp.228.nu.29. Filliuc. tract. 5.n.82.* Applicatio fieri debet per intentionem celebrantis saltem habitualem, vt docet *Coninch.3.p.q.64.art.8.n.77.*

Effectus 7 Missæ sacrificium varios producit effectus. Primus, & præcipuus est satisfactio pro pœnis temporalibus, quam ex opere operato confert illis, pro quibus offertur: & quidem infallibiliter, si capaces sint; quia nititur Christi meritis, & speciali promissione Dei. Secundus est impetratio bonorum spiritualium, & corporalium, quæ petat offerens nomine Christi, vel Ecclesiæ pro se, vel pro alijs. At hic effectus non est semper infallibilis. Quia licèt nitatur Christi meritis, non habet Dei promissionem specialem. *Ita Suar. tom.3. disp.79 sect. 2. & 7. Coninch.q.83 num.1 20. Filliucius tract.5.n.71. Auersa q.11. sect.6. & 7.*

8 In his effectibus triplex Missæ fructus distingui solet. Primus est generalis, quem secundum intentionem tam Christi, quàm Ecclesiæ, debeat celebrãs applicare cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, & præcipuè præcipuis Ecclesiæ membris, Papæ, Regibus, Antistiti, quorum sigillatim in sacrificio meminit. Secundus est specialissimus, & proprius Sacerdotis, ac aliorum offerẽtium quarti generis, quem ipsi regulariter sibimet applicant. Tertius est specialis, seu medius, competens eis, pro quibus Sacerdos specialiter Missam offert. Nec alium effectum Missæ nouimus, qui non possit ad istos reuocari.

9 Quare Missæ sacrificium non confert immediatè primam, aut secundam gratiam, nec remissionem peccatorum mortalium ex opere operato. Quia non datur specialis promissio diuina talis effectus. *Ita Vazquez 3.p.disp.228.cap.2. Suar.tom.3.disp.79.sect.3. Filliuc. tract. 5.n.60. Coninch.q.83.num.137. Bonacina disp.4.q.vlt. punct.3.* Impetrat verò sacrificium istud, & quidem infallibiliter, vberiora quædam auxilia gratiæ præuenientis ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam iustificantem, vel eius augmentum non ponentibus obicem, id est non habentibus dispositionem actualem his auxilijs repugnantem, vt de gratia sacramenrali diximus *supra ca.3.n.3. & 4.* At non semper conferuntur auxilia efficacia: ideoque non semper obtinetur remissio, seu iustificatio prædicta. Sic notant *Suar. supra, Filliucius n.61. Bonacina n.4. Coninch n. 140. Vazquez n.21. cum alijs* An autem Missa deleat ex opere operato culpas veniales iustorum, pro quibus offertur? probabilis est vtraque pars. Videantur *Henriq. lib.9.cap.13.num.2. Corduba lib. 1.q.3. Diana p.3.tract.4. Resol.39. Auersa q.11. sect.6.*

10 Quamvis Missa secundum se, quatenus offertur à Christo principaliter, & à Sacerdote Christi personam gerente, valorem habeat infinitum; at fructus satisfactionis ex opere operato proueniẽs à Missæ Sacrificio, simpliciter est finitus intensiuè, ac extensiuè. Quare si pro pluribus offeratur, minuitur singulis proportione seruata. Quippè voluit Christus, conferri per Missam finitũ, & determinatũ effectum, quem ipse nouit, nos autem

autem colligimus ex Ecclesiæ sensu,quò constat, vnam Missam oblatam pro iusto non semper conferre totius pœnæ satisfactionem. *Ita docent Henriq. lib.9. cap.19.n.5. Fagundez Præcep.1.lib.3.ca.6.n.8. cùm plurimis. Suar. sup. sect.11. Coninch n.191. Auersa sect.7.*

11 Impetratio proueniens a Missa,dici potest infinita extensiuè siue cathegorematicè,quatenus non tot prodest, vel offerētibus,vel pro quibus offertur,quin possit æquè prodesse pluribus sine termino;nec minùs prodest singulis, quàm si pro vno tantum offerretur. *Ita Sotus in 4. dist.13.q.2.art.1. Vazquez 3.p.disp. 230.& 231.Auersa sup.Bonacina punct. 4.n.5.* Qui debet pro alio celebrare,tenetur eidem applicare nō solam impetrationem, sed etiam satisfactionem,vt docent *Manuel in summ. tom.1. ca.250. concl.6.Bonacina, disp.4.q. vlt. punct.8. n.5.* cùm alijs. Siue bonus, siue malus Sacerdos æquè prodest,quatenus nomine Christi, vel Ecclesiæ offert, & precatur. At quatenus orat, vt persona particularis nomine proprio,magis prodest bonus,quam malus.

Stipendium. 12 Missarum stipendium licitum est, quia *Dignus est operarius mercede sua Matth.10.* scilicet pro celebrantis sustentatione. *Nam qui altari seruit, de altari viuere debet 1.Corinth 9.* Iustum autem erit stipendium Missæ, quòd in singulis locis vel à legitimo Superiore taxatum fuerit,vel communi consuetudine receptum. An quando dantur stipendia minora iusto, possit Sacerdos plura recipere pro singulis Missis? Quidam aiunt,alij negāt: Quibus fauet decretum Vrbani 8. promulgatum 21. Iunij. Anno 1625. Certè si Sacerdos pauper sit in extrema,vel valdè graui necessitate,cui nequeat aliter subuenire, poterit pro vna Missa plures stipes etiam iustas recipere.Quia necessitas caret lege; At extrà talem casum Sacerdos stipem minorem iusta recipiēs, & promittens saltem implicitè Missam integram, debet danti totum Missæ fructum applicare;nec vnius Missæ plura stipendia iusta,vel minora iusto recipere poterit.*Videantur Diana part.2. tract.14. Resol.7. Auersa q.11.sect.18.Coninch.q.83.n.193. Bonacina sup.n.8.*

13 Debitæ dispositiones, quæ requiruntur antè celebrationem, hoc carmine continentur.

Dispositio. *Ieiuna,recita,expecta,tua*
crimina pande.

Ieiuna significat naturale ieiunium, de quo diximus *Theoremate 3.n.11.* Recita denotat antè Missam recitandum esse saltem Matutinū;quia sic præscribitur in Missali.*Quare S. Antoninus,Gabriel,Paludanus, Syluester, Nauarrus, Toletus, Azor, Graffis, & alij plures apud Auersam q.11.sect.12.* censent, esse mortale peccatum celebrare nondum recitato Matutino. Verū *Auersa cùm alijs* putat esse veniale peccatum.*Suarez to.3. disp. 82.sect.1.Vazquez tract.de Benefic.ca.4. nu.65. Coninch.q.83.art.3.n.220. Lessius lib.2. de iust.cap.73.dub.12.n.81. Diana cum alijs p.2.tract.14. Resol.36.* dicunt, per se nullum esse peccatum. Quia per se nulla datur connexio recitationis Horarum cùm celebratione Missæ; ac Rubrica Missalis vel loquitur de officio publico, & Missa solemni, vel solùm indicat,quid fieri deceat.

14 Ponuntur in Missali preces quædā præmittendæ celebrationi,quas omittere nullū est peccatum,quia solum cadūt sub consilium, vt ostendit praxis etiā timoratorum. Ponuntur etiam quædam orationes, quas Sacerdos dicat,dum induitur vestibus sacris:& harum omissionem aliqui putant esse mortale peccatū alij veniale. Sed probabile quidem est, nec esse veniale.Nam illa Rubrica(sicut & aliæ nonnullæ) pertinet solùm ad directionem,& consilium. *Videatur Diana sup. Resol.41.*

15 Expecta tempus indicat. Quia celebrandum est ab aurora vsque ad meridiem moraliter sumptum, nisi priuilegium, vel causa rationabilis concedat, per aliquòd spatium breue præuenire, vel postponere. *Tua crimina pande.* denotat confessionem, de qua diximus

vsurpat sibi iurisdictionem alienam. Ita *S. Thomas.3.p.q.67.ar.3.* & sequentibus. *Auersa ibi sect.2. Suarez disp.31.sect.4. Bonac.de Sacram.disp.2.quæst.2.punct.5.* Secundus Minister dicitur necessitatis;& est omnis homo cuiusuis status,sexus, & conditionis, capax rationis, etiam infidelis, si debitam habeat intentionem. Debet autem inferior cedere superiori; nimirùm infidelis fideli,fœmina viro,laicos clerico, censura ligatus non ligato per se loquendo. Hunc ordinem inuertere sine causa *Vazquez* dicit esse mortale. Negant vero *Sotus in 4.dist. 4.quæst.1. art.2. Valentia tom.4. disput. 4.q.2.punct.1. Auersa 3.part.q.67.sect.2.* Certè si Parochus adsit,quiuis alius baptizans peccat mortaliter. Similiter si Sacerdos adest,& baptizet, vel si relicto fideli baptizet infidelis: aut excommunicatus,dum adest alius non ligatus. Ita *Suarez,& Auersa sup. Fillsucius tract.2. num.82. Regnal.lib.27.num.44. Layman lib.5.tract.2.cap 7. Coninch.q.67.num.22.* In reliquis ordo non obligat cum tanto rigore,vt notant *Bonacina sup. Diana p. 3.tract.4.Resol.4.& part.5. tract.3. Resol. 18.& tract.9.Resol.87.*

Recipiës 7 Quilibet viator, qui non fuerit antea baptizatus, est subiectum capax Baptismi,& tenetur illum recipere; quia sine Baptismo nemini patet salutis aditus. Ita *S.Thom.3.p.q.66. art.2. & q.68. art.2. Valentia sup.q.3.punct.4. Auersa q. 66.sect.2.* Adultus per se loquendo non tenetur baptizari cum periculo mortis; per accidens interdum tenebitur, vt notat *Diana part.3.tract.6.Resol.48,& par. 5.tract.3.Resol.9.* Filij tamen infidelium, qui non subduntur Ecclesiæ, non sunt inuitis parentibus baptizandi. Sic *S.Thomas 3.p.q.68.art.10. Suarez tom.3. disp. 25.sect.3. Layman sup.cap.6. Bonacina, punct.6. Auersa q.68.sect.3.* Excipe, nisi tales filij sint iam rationis compotes, & ipsi baptizari velint. Ita *S.Tho. Suarez, & Bonacina. Vide Dianam part.2. tract. 15.Resol.45.part.3.tract.4. Resol.7.part. 5. tract.3. Resol.25.* Si verò dum sunt rationis impotes, baptizarentur, valeret vtiq; baptismus, licet fuisset illicitus, vt notant relati Doctores. In adulto requiritur ad Baptismi valorem intentio videlicet habitualis; ad fructum recipiendum requiritur fides, & dolor peccatorum,de quo diximus *sup.cap.4.*

8 Effectus baptismi sunt quatuor. Primus est gratiæ infusio, qua remittuntur peccata. Secundus est remissio totius pœnæ peccatis debitæ. Tertius character. Quartus irregularitatis ablatio præter bigamiam. Videatur *Auersa q.69.sect.1.* *Effectus*

Solemnitates Baptismi, sine quibus nullus extra necessitatem baptizari debet, & quando fuerunt omissę, debent postea suppleri; quædam antecedunt Baptismum, scilicet catechismus, quo baptizandus circa fidem instruitur: Exorcismus,quo malignus spiritus abiuratur;& vnctio sancti olei. Quædam subsequuntur,scilicet signatio sincipitis chrismate, vestis candida, candela demum accensa. Videatur *S.Thomas 3.p.q.61. Auersa ibi sect.1.& 2.* *Solemnitates.*

Sunt etiam Patrini ad summum duo, vir,& fœmina,quamvis alter horum sufficiat. Hic contrahit spiritualem cognationem cum baptizato, & cum eius parentibus duntaxat, sicut & baptizans, omni alia fraternitate sublata per *Tridentinum sess. 24. cap. 2. Sic S.Thom. q. 67.art.7. Auersa ibi, sect.3.& 4.* *Patrini*

Theorema II. De Confirmatione.

1 Confirmatio est *Sacramentum vnctionis chrismatis consecrati, quo Episcopus inungit frontem baptizati, sub certa forma verborum ad fidei robur communicandum.* In hac definitione continentur materia proxima, & remota, Minister, forma, & effectus confirmationis. *Definitio.*

2 Materiam remotam esse solum oleum, mistionem vero balsami requiri necessitate præcepti, dicunt *Caietanus, Sotus, Nauarrus, & plures apud Dianam part.3.tract. 4. Resol.23.* Sed alij melius asserunt, esse chrisma confectum ex oleo,& balsamo, itaut alterutro deficien- *Materia.*

te,

te,non fiat Sacramentum. Ita *S.Thom. 3.p.q.72.art.2.Coninch.ibi.nu.30. Auersa,sect.2.Suarez tom.3.disp.33.sect.1. Bonacin.disput.3.qu.1.punct.3.Diana supra cum alijs.* Et sic indicat *Florentinum* decreto de Sacramentis, docens simul futurum esse benedictum, seu consecratum ab Episcopo.

3 Materia proxima est vnctio,quæ fieri debet in fronte recipientis in formam crucis, & manu Episcopi. Sic habet Ecclesiæ praxis,ex qua colligitur necessitas etiam Sacramenti, quod non valebit, si vel vnctio non fiat in fronte,vel non immediatè manu Episcopi, vel non in formam crucis. Videatur *Diana sup.Suar. sect.2.Auersa sect.3.Coninch.num.42.*

Forma. 4 Forma est,*Signo te signo crucis,& confirmo te chrismate salutis in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti*,vox *Amē* nō est essentialis. Quidam probabiliter putant, essentialia non esse illa verba, *Signo crucis*, vel *chrismate salutis*, vel verbum *signo*,vel *confirmo*. Sed communior sententia Doctorum omnia supradicta verba requirit ad substantiam formæ,valoremq; Sacramenti;nam omnia significationem habent specialem. Sic *Henriqu.lib.3.c.2. Layman lib.5.tract.3. cap.3,Suar.sup.sect.5.Auersa q.72.sect.3.* de forma Græcorum dicemus suo loco.

Minister. 5 Minister ordinarius confirmationis est Episcopus consecratus; ex commissione Papæ potest esse simplex Sacerdos. Ita *S.Thom.q.72.art.10.Auersa ibi. sect.5.* Confirmari possunt omnes baptizati cuiusuis ætatis, sexus, & status, qui Recipiens. confirmati non fuerint. Quare pueri,& amentes confirmandi sunt, quando subest causa non expectandi rationis vsum. Sic *Auersa supr.sect.6.* Peccatum esse non confirmari, docent *Sotus in 4.dist. 7.qu.2.Richardus ibi, art.5.qu.1. Durandus q.1 art.2.*Probabilius est non peccare, qui confirmationem omittit; quia non datur præceptum eius recipiendæ. Sic censent *Sotus,Victoria,Couarrubias*, quos sequitur *Suar.tom.3.disp.38.sect.1. Bonacina cum multis disp.3.q.1.punct.2. Diana cum alijs part.3,tract.4, Resol.20. & 25.Auersa sup sect.6.* Certè peccaret saltem venialiter, qui non confirmatus reciperet ordinemaliquem,vel primam tonsuram. Colligitur *ex Trident.sess.23. ca.4.de reform.*Imò peccatum esse mortale, censet cum alijs *Auersa sup.*Plures tamen id negant apud eundem. Quia Tridentini decretum non videtur inducere grauem obligationem.

6 Effectus confirmationis sunt tres, Effectus. Character, & gratia, & cognatio spiritualis inter confirmatum, & Patrinum, siue confirmantem. Videatur *Auersa q. 72.sect.4.*

Theorema 3. de Eucharistia.

1 *Eucharistia Sacramentum est sub speciebus panis, & vini continens Christi corpus, & sanguinem ad conseruationem spiritualis vitæ.* Definitio. Cōstituitur enim essentialiter non solum per species,& corpus Christi sub illis contentum, sed etiā per verba consecrationis, vt formam huius Sacramenti moraliter informantem, & determinantem species consecratas, vt docent *Suar.3.p.to.3.disp.42 sect.2. Filliuc.tr.4.n.19.Coninc.q.73.nu.20.Auersa de Euchar. q.1.sect.8. Bonacina cum alijs disp.4.q.1.pun.1.nu.4. & 6.* Vnum est Sacramentum ex duplici materia, & forma partiali per modum conuiuij cōpositum;sicut vnus in eo Christus continetur,vnaque refectio spiritualis.

2 Materia consecrationis corporis est panis ex tritico, & aqua naturali confectus, azimus in Ecclesia Latina; nam Materia. Græci ritè consecrant fermentatum. Et quidem in alia specie frumenti consecrare non licet. An verò Sacramentum valeat,dissentiunt Doctores. Videantur *S.Thomas 3.p.qu.74.art.3. Auersa supra q.2.sect.3.& 4.Suar.disput.44.sect.1.Vazqu.3.part.disput.170. cap.3.Coninch.qu. 74.num.51.*

3 Materia consecrationis sanguinis est vinum ex vuis,non agresta,nec acetum, nec sapa,nec lora. Videatur *Auersa supra sect. 5.* An sufficiat vinum congelatum?Negāt *Alanus,Armilla, Ledesma,* quos sequitur *Henriquez lib. 8. cap. 12. num.*

n.3. *Affirmant Syluester, Sotus, Valentia, Suarez, Vazquez, Riginald. quos sequūtur Auersa sup. Coninch. & Syluius. 3. p. q. 74. a. 5. Diana, p. 3. tract. 6. Resol. 100. Bonac. de Sacr. disp. 4. q. 2. punct. 2. n.* 10. saltē erit materia dubia. Cum vino parum aquæ miscēdū est ecclesiastico præcepto, quod obligat sub mortali ratione significationis, vt notant *Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 15. nu. 22. Diana part. 5. tract. 5. Resol. 56. Suarez tom. 3. disp. 45. sect. 2. Filliucius tract. 4. num. 90. Bonacin.* cum multis *sup punct. 4 num.* 1. Quod si tempore consecrationis aqua fuerit in vinum conuersa, conuertetur in sanguinem; sin minus vel aqua pura remanebit, vt aliqui probabiliter censent; vel immediatè conuertetur in sanguinem; vt alij probabiliter etiam asserunt. Videantur *S. Thomas. 3. p. q. 74. art. 8. Suarez sup. sect. 4. Auersa q. 2. sect. 7. Diana p. 3. tract. 4. Resol. 49. Coninch. q. 74. nu.* 144. & 152. Adhuc in die Natalis Domini licet Sacerdos aquam illam cum sanguine sumpserit, non violat naturale ieiunium, & ita potest alias duas Missas celebrare. Quia quod ritus Ecclesiæ præscribit, non debet obstare celebrationi.

4 Vtraq; materia debet esse certa, & determinata in intentione consecrantis, & Sacerdoti præsens saltē præsentia morali, vt promine *Hoc*, vel *Hic* demonstrari possit. Videantur *Suarez disp. 43. sect. 6. Auersa q. 2. sect. 2. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 32. & 103.* Vtriusq; consecratio coniungi debet saltem obligatione diuini præcepti; in quo posse grauissima de causa dispensare Papam, quidam aiunt; alij melius negant. Videantur *Suarez sup. sect. 4. Bonacina punct. 3. num. 13. Vazquez 3. p. disp. 223. cap. 3. Auersa q. 11. sect. 5.*

Forma. 5 Vtriusq; formæ verba determinata sunt, & a Ministris tum recitando, tum potissimum, & necessariò formaliter significando proferuntur. Pronomen *Hoc*, & *Hic* significant contentum sub his speciebus, & verificantur propositiones in vltimo termino prolationis. Videantur *S. Thomas 3. part. quæst. 70. artic. 5. Suarez disp. 58. sect. 4. & 5. Auersa q. 6. sect. 4. & 5.*

6 In forma consecrationis corporis illa verba sunt essentialia; *Hoc est corpus meum.* Cœtera vel antecedentia, vel subsequentia, sicut etiam vox *enim*, sunt de præcepo tantum, aptissimè tamen vsurpantur. In forma sanguinis illa tantum essentialia sunt, *Hic est calix sanguinis mei.* Cœtera, quæ præmittuntur, aut subsequuntur de præcepto sunt: Quamvis maiorem connexionem habeant illa subsequentia, *noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorū.* Et propter probabiles opiniones oppositas, intentio consecrantis esse debet, vt consecrare velit ijs verbis, quæ Christus instituit, & intendit Ecclesia. Sic monent *Henriquez lib. 8. cap. 17. num. 4. fine. Reginaldus lib. 29. n. 32. Filliucius tract. 4. nu. 115. Bonacina cum alijs disp. 4. quæst. 3. punct. 2. n. 3. Videatur Auersa, q. 6. sect. 2. & 3.*

7 Prolatis verbis consecrationis nulla manet substantia panis, aut vini, sed tota conuertitur in corpus, & sanguinē Iesu Christi; quæ mirabilis cōuersio meritò subindè transsubstantiatio vocatur: solum remanent accidentia panis, & vini, nempè quantitas, color, sapor, & odor cum primis qualitatibus, quæ dicuntur species Sacramentales. In hostia ponitur ex vi verborum Christi corpus, & per concomitantiam sanguis, anima, diuinitas. In calice ponitur ex vi verborum Christi sanguis, & per concomitantiam corpus, anima, diuinitas.

8 Duo sunt huius Sacramenti Ministri regulariter, Sacerdos quilibet respectu consecrationis, & nullus alius, qui Sacerdos non sit: Respectu verò collationis Sacerdos, ad quem pertinet ex officio, scilicet qui iurisdictionem habet ordinariam: vel ex commissione, scilicet qui cum licentia Pastoris saltem præsumpta ministrat. Videantur *S. Thom. 3. p. quæst. 82. art. 3. Suarez disp. 72. sect. 2. Auersa q. 10. sect. 1. & 3. & 4.* Suscipientis pariter duo sunt, vnus suscipiens, & consecrans. Minister.

secrans, vt Sacerdos celebrans; & hic vtramq; speciem sumere debet; alter duntaxat suscipiens, vt Sacerdos, quando non celebrat, & laicus, quando communicat, & hic solam panis speciem sumit. *Ita S. Th. 3. p. q. 80. art. 12. Vazquez 3. p. disp. 216. cap. 3. Auersa q. 8. sect. 4.*

9 Absente Sacerdote si necessitas vrgeat, ne quispiam sine viatico decedat, potest Diaconus Eucharistiam ministrare moribundis; quia vel præsumitur Pastoris voluntas, vel pro tali casu ius commune censetur illi concedere facultatem. *Ita S. Thomas, Sotus, Syluester*, quos sequitur *Suarez sup. sect. 1. Coninch. q. 82. num. 21. Vazquez disput. 219. num. 10. cum alijs*: Imò facultatem istam extendunt etiam ad Clericos minores, & laicos *Suarez sup. sect. 1. & 3. Coninch. num. 23. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 7. nu. 4. Reginaldus lib. 29. num. 93. Granado 3. part. controu. 6. tract. 12. disp. 1. num. 4. Auersa q. 10. sect. 3.* Quamvis hoc non sit communiter receptum; quia rarissimè necessitas aderit cogens, vt laicus ministret Eucharistiam moribūdo. Videatur *Diana part. 3. tract. 4. Resolut. 47. & part. 5. tract. 3. Resol. 47.* Potest Sacerdos extra Missam non solum in necessitate, sed ex deuotione communicare seipsum. *Ita Vazquez, & Layman sup. Pilliucius trac. 4. num. 285. Suarez sect. 3. Bonacina disp. 4. q. 5. punct. 1. num. 13. Auersa cum alijs q. 10. sect. 3.* Potest etiam Diaconus in necessitate, ne sine viatico decedat. An idē possint laici, negat communis sententia. Sed affirmant *Suarez, Layman, Filliucius, Auersa, Granado, Diana sup. Valentia to. 4. disp. 6. q. 10. punct. 1.* Quoniam id nullo iure prohibetur, & aliundè necessitas vrgere potest.

Recipiēs 10 Eucharistiæ cum fructu recipiendæ solus, & omnis homo capax est, sed aliquas conditiones habere debet, quas hæc carmina continent.

Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus,
Contritus, fassus, mundus, rectèq; paratus.

Lotus, idest baptizatus; nam ante Baptismum non percipitur Sacramentorum fructus ex opere operato. *Discretus* nam licet infans, & perpetuo demens possint Eucharistiam cum fructu recipere, iam Ecclesiæ consuetudo iustis de causis prohibuit huiusmodi communionem. Amentibus vero, qui rationis vsum habuerunt, debet in periculo mortis Eucharistia ministrari; dum non constet illos in censura, vel in peccato mortali sine pœnitentiæ signis vsum rationis amisisse, nec immineat periculum irreuerentiæ. Sic docent *S. Thomas 3. p. q. 80. art. 9. Coninch ibi. num. 73. Auersa q. 8. sect. 1. Suarez disp. 69. sect. 3. Bonacina* cum alijs *disp. 4. q. 6. punct. 1. num. 4. & 5.* Pueri non statim ac attingunt vsum rationis, communicādi sunt, nisi sint in periculo mortis. *Ita Bonacina sup. quæst. 7. punct. 2. nu. 4. Auersa sect. 2. Suarez disput. 70. sect. 1. Salas de legibus disp. 14. sect. 13. nu. 117. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 89. & part. 5. tract. 3. Resol. 44.* Quapropter aliquod tempus expectari debet, aut saltem potest, vt hunc cœlestem cibum pueri discernant. Ita vt regulariter nec ante decimum annum videatur illis concedenda communio, nec vltra decimū quartum differenda. Sic *Suarez, & Salas sup. Bonacina num. 1. Coninch. quæst. 80. num. 101. Villalobos tom. 1. tract. 7. diffic. 42. num. 6. Granado, 1. 2. controu. 7. tract. 3. p. 1. disp. 6. num. 36.*

11 *Sanus*, quatenus oportet, vt stomacho benè valeat, ne receptam Eucharistiam euomat. *Ieiunus*, scilicet naturali ieiunio post mediam noctem, nisi mors immineat, vel alia causa grauis excuset. Nec soluit ieiunium naturale, qui dum os abluit, modicum aquæ per modum saliuæ deglutit, vel micas, aut alias cibi particulas, quæ manere solent inter dentes; vel qui papirum, aut vngues, aut quid simile non comestibile sumit. *Ita Suarez tom. 3. disput. 68. sect. 4. Henriquez lib. 8. cap. 50. num. 4. Reginaldus lib. 29. n. 118. Auersa de Euch. q. 8. sect. 8. Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. 6. punct. 2. num. 10. Villalob. sup. difficult. 39.*

12 *Contritus*, ita vt saltem existimet,

se

se non habere conscientiam peccati mortalis. *Fassus.* Quia non sufficit conteri, sed debet etiam confiteri, qui conscientiam peccati mortalis habet, nisi communicandi necessitas vrgeat, & nō adsit moraliter confessarius. Sacerdos vero, qui propter huiusmodi necessitatem sine confessione celebrauit, debet postea confiteri, quam primum possit. Secus laici, qui iustis de causis sine confessione præmissa communicauerūt. Ita *Suarez disp 66 sect. 7 Vazquez disp. 208. n. 16. & 23. Fillius tract. 4. n. 222. & 223. Auersa, & Bonacina sup. punct. 1. n. 37.*

13 *Mundus,* idest non pollutus, nam si præcessit copula, vel pollutio culpabilis, vnde supersint adhuc commotio carnis, & distractio mentis circa veneream voluptatem, consilium erit differre communionem, nisi grauis necessitas, aut vtilitas oppositum suadeat. Ita *Suarez disp. 68. sect. 2. Coninch sup. num. 42. Filliucius num. 230. Bonacina punct. 2. num. 4. Recteq; paratus,* Fide videlicet viua, charitate feruenti, humilitate reuereuti. Frequentior vsus melior est, quam rarior; optima quidem est consuetudo singulis Dominicis, vel octauo quoq; die cōmunicandi. Qui maiorem frequentiā voluerit, consulat confessarium.

Præceptum. 14 In Eucharistia quamvis necessitas medij sit solum probabilis, vt asserunt *Henriquez lib. 8. cap. 2. nu. 2. cum multis, Bellarminus to. 3. lib. 1. de Euch. cap. 7. & lib. 4. cap. 25. Fagundez Precept. 3. lib. 1. cap. 3. n. 4. & 6.* cum alijs; necessitas præcepti tam diuini, quam ecclesiastici certa debet esse. Diuinum præceptum obligat omnes adultos rationis compotes saltem in articulo mortis; nam extra illum incertum est, quando cogeret. Tunc autem moribundi communicare tenentur, etsi communicauerint in paschate. Tenentur etiam pueri capaces confessionis, vt melior opinio docet; quam tenent *Diana p. 3. tract. 6. Resol. 89. & p. 5. tr. 3. Res. 44.* cū alijs. *Auersa q. 8. de Euc. sec. 3*

15 An qui manè sanus communicauit, si postea mortis periculum incurrat, teneatur iterum eodem die communicare? Mordicus affirmant *Gaspar Hurtado de Euch. disp. 10. diffic. 2. Diana par. 4. tr. 4. Resolut. 147. & par. 5. tract. 3. Resol. 33. & part. 6. tract. 6. Resol. 18.* qui citant alios. At melius communis sententia docet, nec debere, nec posse licitè. Nā Ecclesia non permittit extra Missam binā communionem in eodem die: satisq; præceptum impletur per communionē proximè præcedentem, quæ sufficienter præparat ad obitū. Ita *Suarez to. 3. disp. 69. sect. 3. Bonac. disp. 4. q. 7. punct. 1. nu. 2. Coninch. q. 80. n. 98. & 100. Zambranus c. 3. dub. 1. n. 1. Fagundez Precepto Eccles. 3. lib. 1. c. 3. n. 7. Granado 3. p. controu. 6. tr. 10. disp. 3. n. 9. Cardin. de Lugo de Euch. disp. 26. sect. 3. n. 52.* cū alijs. Qui ferè cuncti cēsent, illum, qui tribus, aut etiā octo diebus antea communicauerat, non teneri morti proximum iterū cōmunicare posse tamē, licet heri communicasset ieiunus, hodie non ieiunum communicare. Videantur quoq; *Henriq. lib. 8. c. 4. & 5. Toletus lib. 6. c. 18. n. 5. & Auersa sup.*

16 Præceptum communionis ecclesiasticum obligat omnes baptizatos, cum ad annos discretionis peruenerint, saltem semel in anno, tempore Paschatis, quod saltem continet quindecim dies, & in nonnullis locis extenditur ad totam Quadragesimam Excusantur pueri etiam post annum decimum, si vel a parentibus, vel a confessarijs prohibentur communione; vt sentiunt *Nauarrus cap. 21. n. 51. Zambranus cap. 3. dub. 2. num. 3. Reginald. lib. 29. n. 85. Auersa supra, Bonac. punct. 2. num. 2.* Similiter excusantur, quicunq; de consilio confessarij differunt communionem.

17 Interdictus, vel excommunicatus, per quem non stat, vt absoluatur, nō peccat, licet non cōfiteatur, nec communicet tempore per Ecclesiam præscripto. Secus si per ipsum stet. Sic *Azor. to. 1. lib. 7. cap. 41. q. 3. Bonacina sup. n. 15. Fagundez, cap. 6. n. 7. Diana, p. 5. tract. 9. Res. 88.* Qui præuidet, fore vt non possit in Paschate communicare, non tenetur anticipare communionem, sicut nec sacrum diei festi. Qui sacrilegè communicat, implet

plet ecclesiasticum præceptū, vt melior opinio docet; nam lex obligat solum ad substantiam actus. Ita *Suarez disput. 70. sect. 3. Azor sup. q. 12. Bonacina, n. 12.*

18 An qui non communicauit in Paschate, teneatur postea quam primum communicare? Quidam aiunt, alij negant. Videantur *Auersa q. 8. sect. 3. Diana part. 3. tract. 4. Resol. 41.* Certè qui cōmunionem distulit de consilio confessarij, tenetur præscripto per confessarium tempore communicare. Deinde constitutiones synodales communiter sub excommunicatione precipiunt, vt qui non communicauerint in Paschate, cōmunicent intra primam, vel sequentem hebdomadam; quibus parendum est.

19 Triplex est modus Eucharistiam recipiendi. Primò recipiunt spiritualiter tantum, qui solo desiderio communicant. Secundò recipiunt Sacramentaliter tantum, qui sine debita dispositione sumunt species Sacramentales. Tertiò Sacramentaliter, & spiritualiter simul recipiunt, qui dignè communicant. Effectus huius Sacramenti sunt quatuor. Primus est infusio gratiæ. Secundus spiritualis refectio. Tertius præseruatio à peccatis. Quartus est fomitis repressio. Quādo liceat Eucharistiam ab indigno Ministro recipere, vel indignis ministrare, diximus *cap. 5. & 6.*

Effectus

Theorema IV. de Missa.

1 EVcharistia non solum est Sacramentum, sed etiam vnicum sacrificium nouæ legis, quod offertur in Missa. Sacrificium in communi definitur, quod sit *oblatio, qua res offertur Deo cum aliqua immutatione per publicum Ministrum in signum nostræ subiectionis, & diuinæ potestatis.* Vnde Missa dicitur *Sacrificium, in quo sub speciebus panis, & vini Christi Domini corpus, & sanguis offeruntur Deo in memoriam Dominicæ passionis.*

Definitio.

2 In qua Missæ parte sacrificium essentialiter consistat, varij sunt Doctores. Probabilius apparet, in sola consecratione consistere, quatenus est mirabilis reproductio Dominici corporis, & sanguinis ad colēdum Deum, vt auctorem omnium rerum; & quatenus ex vi verborum, & specierum significatione separatim quasi victima mactata proponitur. Ita *Vazquez cū multis. 3. p. disp. 222. cap. 5. Coninch. q. 83. n. 96. & sequentibus. Fillincius tract. 5. n. 23* Consumptio pertinet ad aliquam integritatem, & perfectionē huius sacrificij, colligitur *ex c. Relatum, de consec. dist. 2.* docentq; *Coninch. sup. n. 93. Auersa q. 11. sect. 2. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 19. n. 68.* Quare Sacerdos omninò tenetur communicare, dum celebrat ex *Tridentino sess. 13. c. 8.*

3 Quatuor offerentes in Missa distingui possunt. Primus & principalis est Christus Dominus, qui sacrificium incruentum sui corporis, & sanguinis offert quotidie Patri ministerio Sacerdotum non solum remotè, quatenus hoc sacrificium instituit suis meritis fulcitum, sed etiam proximè, quatenus per actualem concursum totam hanc victimam, quam Sacerdos in Christi persona sacrificat, Patri repræsentat in memoriam suæ passionis.

Offerētes.

4 Secundus offerens est Ecclesia Catholica, quæ tanquam communitas quædam, & congregatio Fidelium Christum Dominum offert Deo Patri per Sacerdotes ab ipsa consecratos, & deputatus. Tertius offerens est particularis Sacerdos ad hoc munus electus, & initiatus. Quartus offerens est quilibet inseruiens sacrificio vel in altari, vel in choro, vel eidem assistens, vel petens, vel procurans fieri sacrum, aut stipendium Missæ suggerens.

5 Missæ finis, vel scopus quadruplex est Primus respicit Dei cultum, & protestationem summæ potestatis, ac excellentiæ diuinæ. Sic dicitur sacrificium honorarium. Secundus gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; sic dicitur Eucharisticum. Tertius satisfactionem pro pœnis temporalibus peccatorum; & sic dicitur propitiatorium. Quartus respicit impetrationē alicuius doni, seu

beneficij diuini. Sic dicitur impetratorium. Quò ad primum, & secundum Missa non potest offerri pro alijs: Nam vt sic inuoluit personale obligationem colendi Deum propter se ipsum, & propter beneficia iugiter ab ipso recepta; nec hinc redundat fructus, qui possit alijs ab offerente communicari.

6 Quò ad tertium,& quartum finem offerri potest Missa pro alijs. Nimirum quò ad impetrationem pro cunctis hominibus (prȩter excõmunicatos,)quantumvis peccatores sint,& infideles. Quò ad satisfactionem pro fidelibus cunctis viuis, atque defunctis, etiam cathecumenis, si iusti sint, & habeant reatum pęnæ,nec excommunicatione ligentur. Sic docent *Henriquez lib.9.cap.15.nu.5. Fagundez Precepto 1.lib.3.cap.12.nu.30.* & alij. Satisfactio si applicetur subiecto capaci, semper est infallibilis. Impetratio non ita. Videantur *Henriquez lib.9.cap.13.n.1. & cap.16.n.1. & ca.18. n.7. Suarez tom.3. disp.79. sect.6. &* 10. *Vaz.q.3.p. disp.228.nu.29. Filliuc.tract.* 5.*n.*82. Applicatio fieri debet per intentionem celebrantis saltem habitualem, vt docet *Coninch.3.p.q.64.art.8.n.77.*

Effectus 7 Missæ sacrificium varios producit effectus. Primus,& præcipuus est satisfactio pro pœnis temporalibus, quàm ex opere operato confert illis, pro quibus offertur: & quidem infallibiliter, si capaces sint; quia nititur Christi meritis,& speciali promissione Dei. Secundus est impetratio bonorum spiritualium,& corporalium,quæ petat offerens nomine Christi, vel Ecclesiæ pro se, vel pro alijs. At hic effectus non est semper infallibilis. Quia licèt nitatur Christi meritis, non habet Dei promissionem specialem. *Ita Suar. tom.3.disp.79 sect. 2.& 7.Coninch.q.83,num.120.Filliucius tract.5.n.71.Auersa q.11.sect.6.& 7.*

8 In his effectibus triplex Missæ fructus distingui solet. Primus est generalis, quem secundum intentionem tàm Christi,quàm Ecclesiæ, debeat celebrãs applicare cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, & præcipuè præcipuis Ecclesiæ membris, Papæ, Regibus, Antistiti, quorum sigillatim in sacrificio meminit. Secundus est specialissimus,& proprius Sacerdotis, ac aliorum offerẽtium quarti generis, quem ipsi regulariter sibimet applicant. Tertius est specialis, seu medius, competens eis, pro quibus Sacerdos specialiter Missam offert. Nec alium effectum Missæ nouimus, qui non possit ad istos reuocari.

9 Quare Missæ sacrificium non confert immediatè primam, aut secundam gratiam, nec remissionem peccatorum mortalium ex opere operato. Quia non datur specialis promissio diuina talis effectus. *Ita Vazquez 3.p.disp.228.cap.2. Suar.tom.3.disp.79.sect.3.Filliuc.tract. 5.n.60.Coninch.q.83.num.137.Bonacina disp.4.q.vlt. punct.3.* Impetrat verò sacrificium istud, & quidem infallibiliter, vberiora quædam auxilia gratiæ præuenientis ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam iustificantem, vel eius augmentum non ponentibus obicem, id est non habentibus dispositionem actualem his auxilijs repugnantem, vt de gratia sacramenrali diximus *supra ca.3.n.3.& 4.* At non semper conferuntur auxilia efficacia: ideoque non semper obtinetur remissio, seu iustificatio prædicta. Sic notant *Suar. supra, Filliucius n.61. Bonacina n.4.Coninch.n.140. Vazquez n.21.cum alijs* An autem Missa deleat ex opere operato culpas veniales iustorum, pro quibus offertur? probabilis est vtraque pars. Videantur *Henriq.lib.9.cap.13.num.2.Corduba lib. 1.q.3. Diana p.3.tract.4.Resol.39. Auersa q.11.sect.6.*

10 Quamvis Missa secundum se, quatenus offertur à Christo principaliter,& à Sacerdote Christi personam gerente, valorem habeat infinitum;at fructus satisfactionis ex opere operato prouenies à Missæ Sacrificio, simpliciter est finitus intensiuè,ac extensiuè.Quare si pro pluribus offeratur, minuitur singulis proportione seruata. Quippè voluit Christus,conferri per Missam finitũ,& determinatũ effectum, quem ipse nouit, nos

autem

autem colligimus ex Ecclesię sensu, quò constat, vnam Missam oblatam pro iusto non semper conferre totius pęnæ satisfactionem. *Ita docent Henriq. lib.9. cap.19.n.5. Fagundez Precep.1 lib.3.ca.6.n.8. cùm plurimis. Suar. sup. sect.11. Coninch n.191. Auersa sect.7.*

11 Impetratio proueniens a Missa, dici potest infinita extensiuè siue cathegorematicè, quatenus non tot prodest, vel offerẽtibus, vel pro quibus offertur, quin possit ęquè prodesse pluribus sine termino; nec minùs prodest singulis, quàm si pro vno tantum offerretur. *Ita Sotus in 4. dist.13.q.2.art.1. Vazquez 3.p.disp. 230.& 231. Auersa sup. Bonacina punct. 4.n.5.* Qui debet pro alio celebrare, tenetur eidem applicare nõ solam impetrationem, sed etiam satisfactionem, vt docent *Manuel in summ. tom.1. ca.250. concl.6 Bonacina, disp.4.q. vlt. punct.8. n.5.* cùm alijs. Siue bonus, siue malus Sacerdos æquè prodest, quatenus nomine Christi, vel Ecclesiæ offert, & precatur. At quatenus orat, vt persona particularis nomine proprio, magis prodest bonus, quam malus.

Stipendium. 12 Missarum stipendium licitum est, quia *Dignus est operarius mercede sua Matth.*10. scilicet pro celebrantis sustentatione. *Nam qui altari seruit, de altari viuere debet 1.Corinth 9.* Iustum autem erit stipendium Missæ, quòd in singulis locis vel à legitimo Superiore taxatum fuerit, vel communi consuetudine receptum. An quando dantur stipendia minora iusto, possit Sacerdos plura recipere pro singulis Missis? Quidam aiunt, alij negãt: Quibus fauet decretum Vrbani 8. promulgatum 21. Iunij. Anno 1625. Certè si Sacerdos pauper sit in extrema, vel valdè graui necessitate, cui nequeat aliter subuenire, poterit pro vna Missa plures stipes etiam iustas recipere. Quia necessitas caret lege; At extrà talem casum Sacerdos stipem minorem iusta recipiẽs, & promittens saltem implicitè Missam integram, debet danti totum Missæ fructum applicare; nec vnius Missæ plura stipendia iusta, vel minora iusto recipere poterit. *Videantur Diana part.2. tract.14. Resol.7. Auersa q.11. sect.18. Coninch.q.83.n.193. Bonacina sup. n.8.*

13 Debitæ dispositiones, quæ requiruntur antè celebrationem, hoc carmine continentur. *Dispositio.*

Ieiuna, recita, expecta, tua
crimina pande.

Ieiuna significat naturale ieiunium, de quo diximus *Theoremate 3.n.11.* Recita denotat antè Missam recitandum esse saltem Matutinũ; quia sic pręscribitur in Missali. *Quare S. Antoninus, Gabriel, Paludanus, Syluester, Nauarrus, Toletus, Azor, Graffis, & alij plures apud Auersam q.11. sect.12.* censent, esse mortale peccatum celebrare nondum recitato Matutino. Verũ *Auersa cùm alijs* putat esse veniale peccatum. *Suarez to.3. disp. 82. sect.1 Vazquez tract. de Benefic. ca.4. nu.65. Coninch.q.83 art.3.n.220. Lessius lib.2. de iust. cap.73. dub.12. n.81. Diana cum alijs p.2. tract.14. Resol.36.* dicunt, per se nullum esse peccatum. Quia per se nulla datur connexio recitationis Horarum cùm celebratione Missæ: ac Rubrica Missalis vel loquitur de officio publico, & Missa solemni, vel solum indicat, quid fieri deceat.

14 Ponuntur in Missali preces quædã præmittendę celebrationi, quas omittere nullũ est peccatum, quia solum cadũt sub consilium, vt ostendit praxis etiã timoratorum. Ponuntur etiam quædam orationes, quas Sacerdos dicat, dum induitur vestibus sacris: & harum omissionem aliqui putant esse mortale peccatũ alij veniale. Sed probabile quidem est, nec esse veniale. Nam illa Rubrica (sicut & aliæ nonnullæ) pertinet solùm ad directionem, & consilium. *Videatur Diana sup. Resol.41.*

15 Expecta tempus indicat. Quia celebrandum est ab aurora vsque ad meridiem moraliter sumptum, nisi priuilegium, vel causa rationabilis concedat, per aliquòd spatium breue præuenire, vel postponere. *Tua crimina pande.* denotat confessionem, de qua diximus

Theoremate 3. *numero* 12.

16 In ipsa celebratione seruanda sunt, quæ hoc carmine continentur.

Apta locus, vestis, tibi sint altare, Minister.

Apta, idest commoda debēt esse, quæcunque sacrificium istud requirit. *Locus* indicat, iure communi non licere celebrare Missam extra templum, seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum, nisi priuilegium, aut necessitas excuset. Nec in Ecclesia celebrare licet, si sit interdicta, vel polluta. *Vestis*, denotat vestes sacras futuras esse non sordidas, nec dilaceratas, sed integras, mundas, & ab habente potestatem benedictas.

17 *Altare* plura complectitur, scilicet aram lapideam, integram, & consecratã, mappas tres, corporalia, calicē cum patena saltem deauratum, & consecratum, librum, & cãdelas accensas, saltem vnam. *Minister* idoneus est vir, & vnus iam ex consuetudine sufficit. Fœminam in casu magnæ necessitatis ministrare posse, dicunt aliqui. Plures tamē censent in eo casu potius esse celebrandum sine Ministro. Videantur *Henriqu. lib.* 9. *c.* 30. *num.* 1. *Suar. to.* 3. *disp.* 87. *sect.* 1. *Layman lib.* 5. *trac.* 5. *cap.* 6. *n.* 13. *Coninch. q.* 83. *nu.* 264. *Diana par.* 2. *tr.* 14. *Resol.* 44.

18 Post celebrationem quædam restant Sacerdotis obligationes hoc carmine contentæ.

Sacrifica, vna luce semel, nisi causa requirat.

Sacrifica, denotat Sacerdotis obligationem ad celebrandum saltem ter, aut quater in anno festis solemniorib. iuxta probabiliorem opinionem, quam tenent *S. Thomas* 3. *par. q.* 82. *art.* 10. *Vazqu.* 3. *part. disp.* 232. *num.* 11. *Nauarr. cap.* 25. *num.* 88. *Henriqu. lib.* 9. *cap.* 32. *num.* 2. *Layman supra cap.* 3. *num.* 1. *Vna luce semel.* Nam vnus Sacerdos vna die facere potest vnicum sacrum, *nisi causa requirat*. Qualis est dies Natalis Domini, quo tres Missæ dici possunt. Item quando Parochus duabus Ecclesijs præest, ne scilicet alteruter populus die festo Missa priuetur. Alij casus numerati solebant, circa quod dissentiunt Authores, & ferè iam non sunt in vsu. Videantur *Suarez tom.* 3. *disp.* 80. *sect.* 3. *Vazqu. supra cap.* 5. *Layman. cap.* 4. *num.* 6. *Coninch num.* 212. *Diana Resol.* 56.

Theorema V. de Pœnitentia.

1 POenitentia virtus formaliter *est dolor de peccatis, quatenus sunt offensio Dei cum intentione talem offensam compensandi*. Quæ si virtualiter, aut æquiualenter includat amorem Dei, sufficit ad remissionē peccati sine formali dilectione. Quod si peccator sit immemor suorum peccatorum, formalis dilectio Dei super omnia sufficiet ad peccata remittenda. Sic docent *Suar.* 3 *p. to.* 4. *disp.* 9. *sect.* 1. *Coninch disp.* 2. *n.* 51. *Auersa de Pœnit. q.* 3. *sect.* 7. & 8. Hæc pœnitentia formalis, aut virtualis semper fuit medium necessarium ad salutem hominibus lapsis in mortale peccatum. Quare præceptum diuinum obligat ad eliciendam contritionem in articulo mortis, & ad non differendam diu pœnitentiam in vita. Videantur *Henriqu. lib.* 4. *cap.* 6. *Suar. supr. disp.* 5. *sect.* 6. *Coninch disput.* 3. *num.* 32. *Layman lib.* 5. *tract.* 6. *ca.* 2. *num.* 6. *Cardin. de Lugo de Pœnit. disp.* 7. *sect.* 7. & 10. *Auersa q.* 1. *sect.* 4. 55 *Pœnitentia virtus.*

2 Dolor de peccatis, quatenus Deo displicent, & eius amicitiam dissoluunt, est propria contritio, & actus elicitus charitatis. Dolor de peccatis propter pęnas inferni, vel quatenus priuāt supernaturali beatitudine, vel ob ipsorū turpitudinem, quatenus supernaturali legi, finique repugnant, est attritio supernaturalis, quæ possit vel ab spe Theologica, vel ab alijs virtutibus moralibus infusis elici. Dolorem verò de peccatis ex proprio motiuo virtutis specialis pœnitentiæ, nimirum vt sunt offensiones Dei resarciendæ per condignam satisfactionem, esse veram contritionem, quidam aiunt, alii negant. Vtrique probabiliter. Videantur *Suar. tom.* 4. *disputat.* 4. *sect.* 2. *Cardin. de Lugo sup. disp.* 5. *nu.* 4. *Auersa q.* 3. *sect.* 6.

Sacra-

Pœnitentiæ Sacramentum. Sacramentũ Pęnitentię necessariũ est ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi necessitate medij vel in re, vel in voto saltem implicito: Cuius materia remota sunt peccata

Materia. post baptismum cõmissa. Materia proxima sunt actus pœnitentis, nempe cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio; duæ priores sunt partes essentiales, tertia solum integralis. Forma est absolutio Sacramentalis. Vnde sic defi-

Definitio. nitur. *Pœnitentia est Sacramentum reconciliationis post lapsum, in actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis per modum iudicij consistens.*

Forma. 4 Pœnitentiæ forma sunt illa verba. *Ego te absoluo a peccatis tuis.* Sed hæc duo sunt essentialia, *Absoluo te*, quibus potest Sacerdos simul a peccatis, & a censuris absoluere, si simul intendat vtrumq; *Sic S. Thomas, S. Antoninus, Syluester, Sotus, Nauarrus*, quos sequitur *Suarez sup. disput. 19. sect. 1.* Debet hæc forma humana voce proferri; nec dari potest absenti, nec per modum optatiuum, sed per indicatiuum. Ita *Vazquez 3. part. quæst 84. art. 3. dub. 3. Fillucius tract. 6. numero 68. & 69. Bonacina de Sacrament. disput. 5. quæst. 4. punct. 1. & 2. Auersa quæst. 12. sect. 1. & 6. Si per modum imperatiuum dicamus. Absoluat te Deus.* Formam esse dubiam, adductis vtrimq; coniecturis ostendit *Cardinal. de Lugo de Pœnit. disput. 13. nu. 106.* Quamuis absolutio Sacramentalis inueniat peccata remissa, semper habet verum sensum, saltem quatenus confert gratiam exclusiuam peccati, quod adesset.

Recipiẽs 5 Ex parte pœnitentis ad valorem huius Sacramenti requiritur voluntas confitendi tali Sacerdoti. Si tamen hæc intentio tendat ad finem mortaliter prauum, non valet Sacramentum; secus

Dolor. si finis sit venialis Ita *Suarez sup. disp. 20. sect. 3. Vazquez q. 92. art. 3. dub. 2. Fillucius tract. 7. n. 147. Sanchez lib. 1. Decal. c. 3. n. 1. Requiritur etiam attritio vera*, formalis, supernaturalis, & efficax omnium mortalium, quæ sunt in con-

P. Lugo de Sacramentis.

scientia pœnitentis. Ita *Suarez sup. sect. 4. Coninch, disp. 4. n. 39. & 40. Auersa q. 11. sect. 4. & 5.* Debet hic dolor aliquo modo confessionẽ præcedere. Sic *Layman l. 5. tr. 6. c. 4. n. 4. Coninch sup. n. 44.*

6 Cum eadem attritio supernaturalis, quæ requiritur ad valorem Sacramẽti Pœnitentiæ, sufficiat etiam ad eius fructum percipiendum, nunquam dari potest Sacramentum Pœnitentiæ informe. Sic tenent *S. Bonauentura, Maior, Gabriel, Medina*, quos sequitur *Vazquez sup. artic. 2. dub. 1. Coninch disput. 4. num. 71. Fagundez Præcept. 2. lib. 2. cap. 7.* Nec requiritur ad fructum Sacramenti, quod attritio reputetur contritio. Nec sufficit dolere, quod non satis doleas, nisi vere supernaturalem attritionem elicias.

7 Confessio Sacramentalis *est accusatio legitima de proprijs peccatis ad eorum veniam virtute clauium obtinendam coram Sacerdote facta.* Fieri debet humana voce, quam omittere sine causa mortale peccatum est ex suo genere. Si causa subsit, fieri potest per nutus, & per interpretem. Modus secretæ confessionis est honestius, non tamen de necessitate Sacramenti, nec datur præceptum secretè confitendi. Per se loquendo confessio fieri debet Sacerdoti præsenti. Quod si testes in præsentia pœnitentis, & confessarij fidem faciunt petitæ confessionis, & ostensi doloris, absolutio morienti debet impendi, quia talis confessio censetur præsens. Ita *S. Thomas opusc. 65. §. de Extrem. vnct. fine. Fagundez Præcept. 2. lib. 3. cap. 1. Zambranus c. 4. dub. 2. n. 29. Toletus lib. 3. c. 8. Coninch disp. 7. n. 99. Vazquez 3. p. q. 91. a. 2. dub. 1. n. 33. Diana p. 3. tract. 3. Resol. 4. Auersa q. 10. sect. 17. qui referunt alios.* *Confessio.*

8 Ad valorem huius Sacramenti requiritur confessionis integritas saltem formalis, ita vt omnes species morales, & circũstantiæ mutantes speciem, & numerus peccatorum mortalium, quantum hic, & nunc a pœnitente declarari possunt, aperiantur confessario, peccata vero mortalia dubia sub dubio cõfi- *Confessionis integritas.*

renda sunt, et docent *Henriquez lib.5. cap.4.num.5.Suarez to.4. disp.22.sect. 9. Sanchez lib.1. decal. cap. 10. numer. 67. Diana part.3.tract.4.Resolut.60.& part. 4.tract. 3. Resolut. 5.& part. 5. tract. 14. Resolut.44.* qui citant alios. Peccata venialia non sunt necessariò confitenda; nec ipsorum confessionem potest Ecclesia directè præcipere, benè tamen indirectè. Sic censent *Vazquez 3.par. q.90. art.2.dub.3. num. 15. Suarez sup. sect. 8. Auersa, q.2.*

9 Si quis mentiatur in confessione, vel negando veniale, quod comisit, vel confitendo veniale, quod non comisit (nisi sit hoc tota materia confessionis) non peccat mortaliter. Secus si negat mortale, cuius conscientiam habet, aut confiteatur mortale, quod non commisit, aut mortale nuper a se commissum, quasi longè prius portatum, & confessioni subiectum fateatur. Ita *Ludouicus de Torres Centur. 4. dub.7.* Circumstantiæ notabiliter minuentes grauitatem peccati mortalis non sunt necessariò confitendæ; nec notabiliter aggrauantes, nisi faciant peccatum æquiualere multis eiusdem speciei. Quare quantitas furti, vel læsionis erit confitenda; numerus etiam personarum, quas lædere voluisti, vel de facto læsisti, mora similiter extraordinaria peccati. Videantur *S. Thomas, S. Bonauentura, S. Antoninus, quos sequitur Vazquez 3. part. quæst. 91. art. 1. dub. 2. & 4. Reginaldus lib. 6. num.135. Bonacina disp.5.quæst. 5.sect.2. punct.2.§.3.diffic.3.num.5.& sequentibus. Diana part. 1.tract.7.Resolut.1.& 17. Auersa, q.10.sect.8.*

Confessione iterate. 10 Confessio quomodolibet inualida repeti debet; secus quæ valida fuit. Ex parte confessarij confessio non valet, si sit prorsus ignarus, vel si careat iurisdictione necessaria, vel intentione debita. Ex parte pœnitentis, non valet, si non satis dolet de peccatis, vel non habet satis firmum emendationis propositum, vel culpabiliter omittit integritatem debitam. An excommunicatus, qui bona fide recipit absolutionem a peccatis, quin absoluatur a censura, validum recipiat Sacramentum Pœnitentiæ? Quidam negant alij probabilius affirmant: Quia censura pœnitentis non tollit iurisdictionem confessarij. Sic *Suarez tom.4.disp.22 sect.7. num. 1. & to. 5. disp.10.sect. 3.nu.9. Bonacina sup. punct. 3.num.5. Auersa, sect.19. Coninch. disput. 14.num.26.* cum alijs.

11 An pœnitens omittens in confessione mortale peccatum ex ignorantia culpabili, teneatur illam repetere? Negant aliqui, dum non sit ignorantia crassa; quia putant, illam valere, licet sit informis. Sed alij melius affirmant; nam actuale peccatum mortale commissum in ipsa confessione, irritat illam. Non enim cum actuali peccato compatitur efficax eiusdem detestatio. Sic asserunt *Suarez tom. 4. disp. 22. sect. 7. & disput. 23. sect.4. Coninch. disput. 7. num.70. Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect.2. punct. 3.* Qui repetit confessionem eidem confessario memori prioris, vno verbo dicere potest; accuso me de omnibus peccatis, quæ tibi tali die confessus sum. Si verò confessarius oblitus fuerit omninò priorem confessionem; Quidam volunt, adhuc sufficere generalem accusationem: sed alij melius asserunt, esse repetendam confessionem, sicut si diuerso Confessario fieret; quia prior nihil deseruit, cum nec in se, nec in memoria maneat. Videantur *Vazquez 3. part. quæst. 92. art. 3. dub. 3. Henriquez lib. 5. cap.4.n.4. Layman lib. 5. tract.6. cap.9. n. 6. Cardin. de Lugo disp. 16. n.634. & 638. Auersa q.10. sect.20.*

12 Quamvis integritas materialis, quæ *Confessionis diminuta.* materiam omnem necessariam confessionis complectitur, sub præcepto debeat adhiberi, sæpè tamen omittitur licitè propter impotentiam, vel ob necessitatem euitandi graue damnū. Sic qui post diligens examen cōscientiæ recordari non potest omniū suorum peccatorum, satisfacit confitēdo, quæ meminit. Sic habens impedimentum linguæ, quia mutus est, vel balbutiens, vel alterius idiomatis, & ideo non potest omnia sua

pecca-

peccata fateri, satisfacit explicans, quæ commodè possit, & absolui potest etiã extra mortis articulum, quoties non sperátur proxima commoditas integrè confitendi. Sic notãt *Layman li.5. tract. 6.cap.8.n.9. Reginald.li.6.n.155. Auersa cum alijs de Pœnit.quæst.10.sect.15.*

13 Sic in periculo mortis absolui potest, & debet, qui confitetur vnum, vel alterum peccatum duntaxat, vel petiuit confessionem, vel dedit signa contritionis, nec vltra progredi potest. Quia datur integritas formalis sufficiens, & ita præscribit *Rituale Romanum*; Ita quoque censent *S. Antonius, Syluester, Valentia, Manuel, & alij, quos sequuntur Sanchez de Matrim. lib.2. disp.36.n.8. Suarez tom.4.disput.1. sect.1. Bonacina sup.punct.2.§.4.nu.7. Diana p.3.tract.3. Resol.1. & 2.& 3. cum plurimis.* Sic qui sine graui detrimento proprio, vel alieno non potest integram facere confessionem; tacere potest illud peccatum, vndè periculum imminet. Regulariter verò non licebit dimidiare cõfessionem ob celandum peccatum complicis, vt docent *S. Thomas S. Bonauentura, S. Antoninus, Sotus, & alij, quos sequitur Suar.sup.sect.2. Reginaldus,n.156. Henriquez lib.5.cap.9.n.3.& 5.Coninch.disp. 7.n.89.* Nec ob reseruationem peccatorum, vt docent *Coninch. sup.n.83. Suar. disp.31.sect.1. Filliucius tract.7.n.301.* Qui peccatum aliquòd reticet ex iusta causa, non tenetur illud confiteri, donec vrgeat præceptum confessionis.

Confessionis præceptũ. 14 Latum fuit à Christo Domino prẹceptum diuinum confessionis obligans fideles qui post baptismum peccauerũt mortaliter ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum. Circa tempus huius obligationis variæ sunt sententiæ. Certum est obligare, quoties aliquis in periculo mortis conscius est sibi peccati mortalis, etsi nuper confessus sit. Extra mortis articulum difficilè dignosceretur hẹc obligatio, nisi per determinationem Ecclesiæ, quæ confessionem annuam præscripsit ecclesiastico præcepto ligante pro quavis anni parte; nec anno transacto desinit obligare, donec confessio fiat. *Ita Suar. cum alijs sup.disp.36.sect. 4.Coninch.disp.5.n.63. Villalobos tom.1. tract.9. Diffic.28.n.8. Henriq. lib. 4. cap. 4.n 6.* Excusatur qui non habet Confessarium commodum, & qui non potest nisi per interpretem confiteri. Non ita, qui confiteri potest nutibus, vel scripto. Neutrum præceptum impletur per confessionem inualidam. *Ita Suarez sup. sect.7. Coninch.num.70. Bonacina punct. 4.num.23. & 24. qui citant alios.*

15 Satisfactio, quæ pœnitentiæ virtutis actus est, continet voluntariam compensationem offensæ Deo per peccatum illatæ. Conducit ad pœnæ temporalis remissionem, quàm per opera sua iustus potest obtinere. Satisfactio verò sacramentalis est *operis executio, quàm Confessarius in pœnam peccati cõfessi pœnitentibus iniungit.*

16 Confessarius non solùm potest, sed etiam regulariter debet aliquam satisfactionem imponere sub præcepto (nisi pœnitens nullam implere possit) vt Sacramentum integrum fiat: & ob eandem rationem pœnitens illam acceptare debet, & implere, quàm primùm commodè possit. *Ita Suarez to.4. disp. 38.sect.7.Filliucius tract.8.n.55.Coninch. disp.10.n.83. & 84.Bonacin. disp.5. q.5. sect.3.punct.4. Diana p.5. tract.5. Resol. 15.* Proprius effectus satisfactionis sacramentalis est ex opere operato remittere pœnam aliquam temporalem; forsan etiam conferrè gratiam, vt asserunt probabiliter *S. Thomas 3. p. q.90. art.2. ad 2. Caietanus ibi, Sotus in 4 dist. 17.q.1.art.1 Suarez sup.sect.2. Diana p. 3. tract.4. Resol.70. Ludouicus de Torres, in selectis, p.2.disp.3.dub.22. & alij.* *Satisfactio.*

17 Siquis impleat pœnitentiam in peccato mortali, satisfacit præcepto Confessarij, sed non recipit eius effectum. Quidam excusant eum ab omni peccato: communis sententia dicit, peccare venialiter: quia ponit obicem effectui partiali Sacramenti. Sic censent *Henriquez lib.5.cap.18.n.3. & cap. 20.num.7. Diana sup. & part.6. tract.6. Resol.*

Resol.45.Suarez sup.sect.8.n.7 Filliuc.n. 57.Bonac.n.15. Non solùm superior,sed etiam æqualis, vel inferior Confessarius pôt pœnitentiam impositā pro peccatis etiam reseruatis commutare, sed intrā confessionem. *Sic Henrisquez sup. cap. 22.num.1. & 2.Suarez sect.10.Bonacina punct.3.nu.6.& 7. Diana part.2.tract.1. Miscel.Resol.53.* Nec est necessarium, vt posterior Confessarius audiat sigillatim peccata, propter quæ fuerat iniuncta pęnitentia prior. Nam ex ipsa quantitate,qualitateque satisfactionis habetur confusa notitia talium peccatorum; nec magis distinctam in hoc actu iudiciali requiri,testatur Ecclesiæ praxis.

Minister. 18 Minister huius Sacramenti debet esse Sacerdos habens potestatem, & scientiam. Quare confessio Laico facta nec valet,nec ad illam vllus tenetur. Potestas debet esse non solùm Ordinis, quæ dicitur radicalis, vel habitualis; sed etiam iurisdictionis, quę dicitur actualis. Hæc est duplex, nimirùm Ordinaria, qualem habent Episcopi, Parochi, & similes; Atque delegata, qualem habent, quicunque recipiunt ab Ordinarijs iurisdictionem. Ex Ecclesiæ concessione quilibet Sacerdos habet iurisdictionem. Primò super venialia peccata. Secundò super mortalia prius Sacramentaliter remissa. Tertiò in articulo vel periculo mortis, dum abest proprius Sacerdos. *Ita Suarez disp.24. sect.2. & disp.26.sect.4. & 5. Filliucius tract.7.n. 186.& 220. Layman lib.5. tract.6. cap. 10. & 12.*

Eius scientia. 19 Scientia Confessarij talis requiritur, vt ad validè ministrandum hoc Sacramentum sciat formam absolutionis, & distinctionem peccati mortalis à veniali saltem secundum generalem rationem peccatorum, & secundum species communiter notas. Vt autem licitè cōfessiones audiat, scire debet 1. differentiam peccati mortalis à veniali sigillatim in singulis præceptis saltem modo communi 2.peccatorum species, numerum, & circumstantias, quæ debent in confessione detegi 3. dispositionem necessariam pœnitentis 4.restitutionis obligationem, quando coniungitur peccatis 5. reseruationem, & censuras, quæ quibusdam peccatis adnectuntur. In cæteris satis est, si nouerit dubitare. Videatur *Filliucius tract.7. num.252.& sequentibus.*

20 Approbatio Confessarij definitur esse *testimonium authenticum, quo Sacerdos declaratur Idoneus ad audiendas confessiones.* Hęc per se iurisdictionem non confert, sed prærequiritur in omnibus, qui non sunt Parochi, ad recipiendam iurisdictionem delegatam. At regulariter Episcopus cùm approbatione delegat iurisdictionem approbato. Dari debet ab Episcopo proprio Sacerdotis vel simpliciter, vel cùm limitatione iuxta sufficientiam approbati. *Sic notant Suarez to.4.disp.28.sect.6.n.10.Filliucius tract.7.n.260.Coninch. disp.8.nu. 50. Bonacina disp.5.q.7.punct.4.§.1.n.15.* Durat approbatio, quandiu non reuocatur, nec morte concedentis extinguitur; nec reuocari potest sine iusta causa. *Sic Suarez supra sect.8. Filliucius n.267. Coninch.nu.59. Diana cùm alijs part.3.tract.2.Resol.22.* Approbatio.

21 Si pœnitens non sit satis notus, Confessarius debet illum interrogare 1. de suo statu 2. de satisfactione præcedentis confessionis peracta 3.de præsenti peccatorum examine, seu dolore. Cętera cognosci poterunt ex decursu confessionis: in quo regulariter ignorantia, vel negligentia pœnitentis erit interrogationibus Confessarij supplēda. Quòd si circa peccatum aliquòd sit vtrimque probabilis opinio, debet Confessarius se pœnitentis opinioni conformare: vt diximus in tract. de *Consc. ent. cap. 3. quæst.14.* Obligatio.

22 Sigillum confessionis est obligatio non manifestandi, quæ per sacramentalem confessionem cognita sunt, proueniens tum à iustitia, tum à religione, tum potissimum à diuino præcepto; quòd ex Ecclesiæ praxi, traditioneque colligitur: ita vt nec pro totius orbis ruina vitanda confessio reuelari possit, nisi Sigillum.

de

de licentia pœnitentis. Hæc obligatio nascitur ex omni, & sola confessione sacramentali perfecta, vel inchoata facta Sacerdoti verò, vel existimato. Complectitur, quæcumque dicta sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem; videlicet peccata quælibet, & ipsorum circumstantias, & obiecta, defectusquoque naturales cum illis connexos. Ita *Suarez 3. par. tom. 4. disput. 33. sect. 3. Coninch. disput 9. dub. 1. Bonacina disput. 5. q. 6. sect. 5. punct. 2. Diana part. 5. trac. 11. Resolut. 5. & 29.*

Theorema 6. De Extrema vnctione.

Definitio. 1 *Extrema vnctio est Sacramentum vnctionis in oleo consecrato morientis corpori adhibita sub praescripta forma verborum.* Cuius materia remota est oleum oliuarum ab Episcopo consecratum *Victor, Ledes. Serar. & alii apud Auersam q. vn. de Extr. vnct. sect. 2.* Probabile reputant, ad valorem Sacramenti sufficere oleum non benedictum. At cõmunis sententia docet oppositũ. Tenent illam *S. Thomas, & alii*, quos sequitur *Suar. 3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 1. Coninch disp. 19. dub. 2.* dicens oppositum non esse probabile. Quia Concilia semper requirũt oleum ab Episcopo benedictum. Vnde quamuis probabile sit, posse Papã committere simplici Sacerdoti, vt hoc oleum benedicat, vt tradunt *Scot. Paludan. Caiet.* quos sequitur *Vict. in summa, n. 218. Henriqu. Viualdus, Valentia*, quos sequitur *Praepositus 3. p. qu. vnic. de Extr. Vnct. dub. 3. n. 15. Azor. Arcudius, Bonacina*, quos sequitur *Auersa sup.* Non erit tamen Sacramentum certum, nisi sit oleum ab Episcopo benedictum. Ita *Suar. sup. Coninch. n. 6. Diana par. 8. tr. 1. Resol. 30 Bellarminus, Filliucius, Laym.*, quos sequitur *Amicus tom. 8. disput. 19. sect. 3. num. 45.* Si per errorem adhibeatur oleum cathecumenorum, vel chrisma, valere Sacramentum, dicunt *Suar. & Reginaldus.* Negat vero *Zambranus*, & tutius esse dicit *Bonacina.* Quia debet esse benedictum per ordinem ad hoc Sacramentum, cuius valor aliter erit dubius. Videatur *Auersa sup. Laym. li. 5. trac. 8. c. 2. n. 3.*

Materia 2 Materia proxima est vnctio, quæ quinq; sensuum organis adhibenda est. Quoad vnctionem pedum, & renum seruetur cuilibet Diæcesis consuetudo. Volunt vnicam vnctionem valori Sacramenti sufficere. *Vega, Paludanus, & alii*, quos sequitur *Syluius 3. part. qu. 32. artic. 7.* & probabile censent *Coninch, & Layman*, quos sequitur *Diana part. 3. tr. 4. Resolut. 168. & part. 8. tract. 1. Resolut. 21.* Communior tamen, & securior sententia docet, quinque vnctiones quinq; sensuum esse de necessitate Sacramenti; nam aliter non significatur integra sanitas animę. Sic docent *Suar. tom. 4. disp. 41. sect. 2. Coninch supra dub. 3. Auersa, sect. 4.*

3 Forma est. *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiã indulgeat tibi Deus, quidquid per visum* (in singulis vnctionibus singulos sensus exprimendo) *deliquisti*. Proferri debet modo deprecatiuo secundũm praxim receptam Ecclesiæ, quæ nobis innuit, sic instituisse Christum. Ita *Sotus in 4. dist. 23. qu. 1. artic. 4. Suar. supra disp. 40. sect. 3. Auersa sect. 3. Bonac. de Sacram. disp. 7. q. 1. punc. 3. n. 3.* Si mors instet, aut contagium timeatur, poterit Minister velocissime sine signo crucis vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, nares, & os vngere sub vnica forma totali complectente partiales dicens. Per istas sanctas vnctiones, & suam pijssimam misericordiã indulgeat tibi Deus, quid quid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti. Videantur *Diana part. 3 tract. 4. Resol. 168. Auersa supra sect. 4.* Forma.

4 Minister est Parochus Sacerdos: At ex commissione vel expressa, vel præsumpta, quando necessitas vrget, absente, vel nolente Parocho, quilibet Sacerdos ministrare potest extremam vnctionem morienti, non autem vllus inferior. Ita *Suar. disput. 44. sect. 2. Coninch disput. 19. num. 28. Diana part. 3. trac. 4. Resol.* Minister.

*Resol.*170. *Auersa sup.sect.*10. Circa necessitatem vnicus Sacerdos debet omnes vnctiones perficere. Si tamen vnus quasdam adhibeat cum suis formis, & alias alius, valebit Sacramentum; & licitè quoque fiet, si priùs ob legitimam causam perficere nó possit. Peccat mortaliter Parochus, qui negat, vel omittit, vel notabiliter differt hoc Sacramétum sine causa.

Recipiens. 5 Recipiens esse debet viator baptizatus, compos rationis, quæ sufficiat ad peccandum, ęgrotans grauiter periculoso morbo, vel vulnere, vel partu, vel senio, vel motsu. Sic tradunt *Suar.tom.*4. *disp.*42.*sect.*2.*Bonacina disp.*7. *q.*1.*punc.*5.*Reginaldus lib.*28.*num.*67.*Auersa sup. sect.*8. Quapropter non est ministrãdum infantibus ante septennium (secus post illud) nec perpetuò amentibus, nec corpore sanis, quamuis illicò necandi sint, nec publicis peccatoribus. Qui tamen in amentiam incidit, si vel antea signa contritionis ostendit, vel creditur, fore vt peteret, si posset, debet inungi. Nemo potest in eodem morbo bis vngi, nisi morbus ita varietur, vt nouum mortis periculum adesse censeatur. Sic docet *Auersa cum communi sententia supra sect.*5.

Præceptum. 6 An sit præceptum recipiendi Sacrã vnctionem? Affirmant ob maximam vtilitatem huius Sacramenti *Magist. in* 4.*dist.*23. *Petrus de Soto lect.*2. *de Extrema vnct. Moure par.*3.*cap.*10.§.1.*nu.*12. sed communis sententia negat, quia nullum reperitur diuinum, vel humanũ pręceptum. Ita *S. Thomas, Palud. Syluester*, & alij, quos sequitur *Suar.disput.*44. *sect.*1.*Coninch.disput.*19. *dub.*10. *Laym. lib.*5.*tract.*8.*cap.*7.*Bonac. supr. num.*10. Quare non erit mortale peccatum Extremam vnctionem omittere, nisi subsit periculum contemptus, vel scandali, quod vix aberit, dum moribundus renuit hoc Sacramentum recipere, de quo loquitur *Tridentinum sessione* 14 *cap.*3. *de Extr.Vnct.* Videatur *Auersa sect.*9.

Effectus. 7 Effectus huius vnctionis sunt gratia sanctificans, remissio venialium, quæ sint aliquo modo retractata; reliquiarũ expulsio remanentium ex peccatis, scilicet pronitatis ad malum, & difficultatis ad bonum; subsidium contra diras hostis aggressiones: Sanitas corporis, cum expediẽs fuerit; vel certè robur ad mortis incommoda sustinenda facilius. Ita *S. Thomas, S. Antonin. Syluester, & alij*, quos sequitur *Suar.disput.*41.*sect.*1.*&* 4. *Auersa sect.*6.*&* 7. in singulis vnctionib. dari partialis effectus, indicant *Adrianus, Medina, Ledesma*, & probabile censent id esse *Suar. sup. sect.*2. *Filliucius tr.* 3.*num.*125. Verum asserendum est, dari solum, quando posterior vnctio quinque sensuum perficitur; quia tunc datur Sacramentum, & non antea. Sic docent *Suar. supr. Auersa sect.*4.*Bonac.disput.*7. *qu.*1.*punct.* 6.*num.*2. *Diana part.*3 *tract.* 4.*Resol.*179.

Theorema 7. *De Ordine.*

1 Ordo significat in præsenti signum, seu ceremoniam externam, qua confertur homini gradus dignitatis, & officium in Ecclesia. Cœterum actio, qua prædictus gradus, & officium confertur, dicitur ordinatio; & sic definiri potest. *Est actio consecratoria, qua gradus alicuius potestatis alicui confertur ad aliquod Altaris ministerium.* Et hæc est propriè Sacramentum; nam ordo significans potestatem collatam non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti, quo collata fuit. Vnde definitio, quãm indicat *S. Thomas in Addit. qu.*34. *art.*2. Scilicet *Ordo est Sacramentum, quo traditur spiritualis potestas circa Missam, & Eucharistiam*, potius ordinationi conuenit, quam ordini. Videatur *Laym.li.*5.*tr* 9.*c.*1.*&* 2. *Ordinis definitio.*

2 Septem ordines numerantur Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui dicuntur Ordines maiores; Acolyth', Exorcistę, Lectoris, & Ostiarij, qui dicũntur ordines minores. Episcopatus sub presbyterio tanquam perfectum Sacerdotium continetur. Prima tonsura non est ordo, sed præparatio quædam ad illum. Certum

tum est Sacerdotis ordinationem esse Sacramentum: Diaconi, & Subdiaconi ferè certum; quoad ordines minores probabilius. Ita *S. Thomas in Addition. q.22 art.2. Sanch.in consilijs, lib.7. cap.1. dub.7. Coninch.disp.20.num.47. Bonacina de Sacram.disp.8.q.1.punct.2. Auersa de ordine q.1. sect.3.4.5.6.& 7.* Qui citant alios. Omnes ordines vnum Sacramentum constituunt, cum ad eundem proximum finem referantur, nimirum ad Missæ sacrificium; ad quòd maiores proximè concurrunt, minores remotè. Singulis sua munera tributa sunt, singulis Sacramenti ratio communis.

Materia. 3 Materia remota ordinationis est instrumentum aliquod initiandis traditum in signum spiritualis potestatis, quā recipiunt. Proxima est talis instrumenti traditio, mutuaque receptio. In ordinatione Sacerdotis, & Diaconi Calicem esse debere consecratum, vt Sacramentum valeat, quidam aiunt, scilicet Syluester cum alijs. *Ordo 2.q.4.dict.3. Fornar. cap.2. in fine.* Negant verò *Sanch. supra dub.2. num. 5. Bonacina punct.3.num. 5. Henriq.lib.10.cap.5. litt.F.& ca.8.nu.3. Diana part.3.trac.4. Resol.189. Auersa qu.2.sect.8.* Certè graue peccatum esset adhibere Calicem non consecratum, quia saltem est contra ritum Ecclesiæ grauem, & dubium redderet Sacramentum. An requiratur Physicus contractus materiæ: licent negent *Caietanus, Sotus, Armilla, Victoria, Zambranus, & alij*, quos sequitur *Henriqu. sup. cap.10. num. 2. Diana resol.185. Layman cap.5.* Communior, & securior sententia requirit contactum Physicum saltem mediatum tam tradentis, quàm accipientis. Ita *S. Thomas in Addition.q.34. art.5. ad 3. Bonacin.supr.num.11.& 16. Sanch.nu.2. Diana part.2.tract.2. Miscell. Resolut.3. Auersa, q.2.sect.2.* Quod si per diuersa instrumenta in eodem ordine diuersa potestas conferatur, omnia tangenda sunt. Sic Acolythus tangere debet candelabrum, & vrceolum: si tamen eadem, conferatur; sufficere tactum vnius, asserunt *Sotus, Victoria, Syluester, quos Henriqu.lib.10. cap.10. Fillincius trac.9 nu. 36.& sequentibus.* Nimirum sufficere, si tangat Acolythus vnum vrceolum. At ad Ecclesiæ præceptum implendum, & ad omnes scrupulos abijciendos expedit omnia tangere.

4 In Episcopo materia necessaria est sola manuum impositio secundum opinionem probabiliorem, quam tenent *Layman sup. Henriqu. cap.7. Bonacina, punc.3. Coninch. dub.2.* cœtera sunt sacramentalia quædam. In Sacerdote duplex est. Prima traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia, qua traditur potestas supra corpus Christi verum ad consecrandum illud. Si desit vinum, aut Hostia, non valet Sacramentum, aut saltem est dubium. Videantur *Petrus de Ledesma de ordin. cap.3.dub.3. Henriqu. sup.cap.6. Fillincius num.43. Diana par. 3.tract.4. Resolut.186. Villalobos tom.1. tract.11.difficult.4.* Secunda materia est impositio manuum, qua datur potestas supra corpus Christi mysticum ad absoluendos fideles. In Diacono materia necessaria est traditio libri Euangeliorum cum impositione manuum. In Subdiacono traditio Calicis, & Patenę, atque libri Epistolarum. In Acolytho traditio candelabri cum cereo, & vrceoli vacui. In Exorcista traditio libri Exorcismorum. In Lectore traditio libri Prophetiarū. In Ostiario traditio clauium cum cymbalo. Videatur *Auersa q.2.sect.4.5. 6.8. & 10.* Quomodo Græci conferant Ordines sine talibus materijs, diximus *lib.1.cap.1.q.7.*

5 Formæ omnium Ordinum sunt verba quædam ab Episcopo prolata, quibus imperatiuo quodammodo potestas accommoda singulis tradi significatur. Scilicet accipe potestatem, &c. Accipe Spiritum sanctum, &c. Videatur *Auersa q.2.sect.2.* Forma.

6 Effectus huius Sacramenti communes sunt alijs Sacramentis imprimētibus characterem, de quibus dixi *supra cap.3.* Numerari potest cum illis immunitas Clericorum à foro laico. Item ordinibus maioribus cœlibatus adiunctus est. Effectus.

est, (ideo sacri vocantur) non iure diuino; nam in Ecclesia Græca Sacerdos nō prohibetur vsu matrimonij prius contracti. Sed in Ecclesia latina iure Canonico Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus compelluntur emittere solemne votum castitatis implicitum, quo redduntur inhabiles ad contrahendum matrimonium. Ita *S. Thomas, Sotus, Palacios, & alij*, quos sequitur *Henriq. lib. 10. cap. 14. num. 7. & lib. 12. ca. 5. num. 9. Toletus lib 4. cap. 17. num. 21. & lib. 7. cap. 8. num. 3. Layman supr. cap. 11. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 27. num. 10. Auersa quæst. 4. sect. 3. 5. & 7.* qui citant plures alios.

[Minister.] 7 Minister ordinarius ordinationis est solus Episcopus, nec Sacramenti valorem vlla censura, vel irregularitas, vel hęresis impedit. Minister ex commissione quoad primam tonsuram, & ordines minores, potest esse simplex Sacerdos, & nō alius inferior: Quoad maiores communis sententia negat, & iuuat Ecclesiæ praxis. Ita *S. Thom. Paludanus, Couarrubias, & alij*, quos sequitur *Bonacina disp. 8. q. 1. punct. 4. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 9. Auersa qu. 3. sect. 3.* Episcopatus Minister Ordinarius sunt tres Episcopi iuxta receptum Ecclesiæ ritum; in quo nonnumquam Papa dispensat, vt per vnum Episcopum alius consecretur.

8 Episcopus ordinat licitè suos subditos, non alienos sine facultate suorum superiorum. Subditus fit quispiam quoad ordines origine, domicilio, beneficio. Quare dimissorias concedere potest Episcopus originis, domicilij, & beneficij: & Episcopo absente Vicarius generalis: Capitulum etiam sede vacante post annum. Ita Doctores communiter ex cap. *Cum nullus de tempor. ordinat. in 6. & ex Tridentino sessio. 7. cap. 10. de reformat.*

[Recipiens.] 9 Non omnes homines capaces sunt Ordinis recipiendi. Nam iure diuino fęminę quælibet, viri quoque non baptizati, vel inuiti sunt inhabiles. Qui verò per metum grauem cogeretur, si voluntate quantumvis coacta consentiat, ordinatus manet, sed voto non astringitur; Vnde matrimonium contrahere sine dispensatione potest. Sic *Henriqu. lib. 10. cap. 14. num. 3. & li. 12. cap. 5. num. 9. litt. Q. Fillıucius tract. 9. num. 74. Rebellus part. 2. lib. 1. q. 5. Sanch. de Matrimon. lib. 7. disp. 29. num. 4. & sequentibus. Diana part. 3. tract. 4. Resol. 193. Auersa de ordin. qu. 4. sect. 8. contra Vazquium 3. par. disp. 246. cap 3. Basilium legion. de Mat. lib. 7. cap. 29. num. 3.* & alios putantes tale matrimonium non valere. Quia sicut Ordo valuit, sic existimant valuisse votum solemne continentiæ non obstāte metu. Infantes, vel amentes ordinandi non sunt: si tamen ordinentur, valet Sacramentū iuxta magis receptam sententiam; quam tenent *Sanch. cum multis in consil. lib. 7. cap. 1. dub. 32. Bonacina disp. 5. q. 1. pun. 5. Filliucius supr. num. 35.* Ecclesiastico iure sunt inhabiles omnes irregulares, ita vt recipiendo peccent mortaliter, & ab ordinum vsu suspendantur. At Sacramentum validum est. Vt eius fructus percipiatur, requirit in recipiente gratiam, & intentionem rectam, & vitæ, morumque probitatem.

10 Vt ritè recipiantur Ordines iuxta Sacros Canones plura requiruntur. Primum facultas Antistitis sui. Secundum genus, scilicet vt non sit filius, aut nepos via masculina, vel filius via materna hæretici, vel Apostatæ. Tertium scientia, qualem in singulis ordinibus requirit *Tridentinum sess. 23. cap. 4. & 11.* pariter pro cunctis tam regularibus, quàm secularibus. Quartum ad sacros ordines requiritur titulus beneficij, vel patrimonij sufficientis, vel pauperratis in Regularibus. Quintum est ordinata progressio, ne prius recipiatur ordo superior, quàm inferior. Sextum est ordinationū præscripta tempora, & interstitia. Septimum est locus, qui pro solemnibus ordinationibus esse debet Ecclesia cathedralis, pro priuatis sufficit particulare sacellum. Octauum est ætas, quæ pro prima tonsura debet esse septemnium completum: nec maior assignatur pro minoribus ordinibus; at scientia, quam

re qui-

requirunt, vix vnquam aderit ante decimum annum. Pro Subdiacono 22. Pro Diacono 23. Pro Sacerdote 25. anni requiruntur, sed incepti sufficiunt. Pro Episcopo requiritur trigesimus annus completus.

11 Clerici sacris initiati debent deferre vestem clericalem, & tonsuram; & Horas Canonicas recitare. Clerici minorum ordinum, si beneficium habeant, eadem obligatione ligantur, nisi beneficium valdè tenue sit. Et quamuis beneficium non habeant, si velint frui priuilegijs Clericorum, debent deferre vestem clericalem, & tonsuram iuxta cuiusque regionis consuetudinem.

Theorema 8. De sponsalibus.

Sponsalium definitio. 1 Sponsalia sunt *promissio mutua futuri matrimonii.* Si promissio non sit mutua, non constituit sponsalia; Verum acceptata promittentem obligat sub mortali. Sic docent S. *Antonin. Syluester, Nauarrus, & alii*, quos sequitur *Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 5. num. 20. Lessius lib. 2 cap. 18. dub. 8. Coninch d sp. 22. num. 39. & alii*. Ficta promissio non constituit sponsalia. Siquis vero velit obligari sub veniali, vera constituit spōsalia cum obligatione leui. Sic *Sanchez sup. disp. 9. n. 6.*

2 Possunt sponsalia contrahere, quot quot habent vsum rationis sufficientem ad mortale peccatum. Vnde quamuis iura requirunt septennium, malitia supplet ætatem, si detur ante septennium vsus rationis, & validè ac licitè celebrātur. Si non constet ante septennium saltem probabiliter vsus rationis, mortale peccatum est sponsalia celebrare, secus si probabiliter constet, & subsit grauissima causa.

3 Quando matrimonium non valet ex ætatis defectu, vel absentia Parochi, vim habet sponsalium, nisi contrahentes expresse nolint sponsalia contrahere. Sic *Henriq. lib. 11. cap. 5. & 13. Coninch disp. 21. num. 46. & 47. Sanch. de Mat. lib. 1 disput. 21. Rebellus part. 2. lib. 2. q. 9.* Si parentes, tutores, aut curatores contrahant pro filijs, pupillis, aut minoribus præsentibus, & omni metu secluso tacentibus, valent sponsalia. Secus in absentibus, vel infantibus, vbi non præsumitur consensus.

4 Sponsalia grauiter obligant ex genere suo: Quare si quis ab ipsis resiliat, per se loquendo petenre parte, per censuras, & alia remedia iuris cogendus erit, inire matrimonium. At si per accidens incommoda grauia timeantur, abstinendum est à tali coactione. Sic docent *Sanch. supr. disput. 19. Coninch. disp. 22. dub. 2. Villalobos tom. 1. tract. 2. diffic. 19. num. 3. Diana part. 3. trac. 4. Resolut. 206.* Si pœna tamen imponatur resilientibus ab sponsalibus; qui resiliunt iniustè, debent illam soluere. Secus qui iustè resiliunt. Quia iura solam prohibent pœnam iniustam. Ita *Coninch. supra dub. 5. Diana Resol. 211. Basil. Legio. de Matr. lib. 12. cap. 19. num. 8.* *Obligatio.*

In sponsalibus licitè traduntur arrhę, quas iniquus violator amittat. Qui verò recepit arrham, & iniustè recedit à fide data, duplum reddere debet etiam ante sententiam iudicis petente parte; sicut, & pœnam tripli, vel quadrupli, si fuerit ex conuentione partium imposita; Nam hoc est omni iuri conforme. Sic docent *Coninch. sup. dub. 4. Basilius Legion. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 135. Molina de iust. trac. 2. disp. 97.*

6 Sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium, quamuis firmata sint iuramento, quod principaliter in Dei honorem præstetur. Ita *Sanchez supra disput. 52. Coninch disput. 23. dub. 1. Fellucius tractat. 10. part. 1. num. 275. Bonacin. de Matrimon. quæst. 1. punct. 10.* At sponsalia impuberum, licet per dissensum vnius adepti pubertatem dissoluantur; sic tamen iureiurando firmantur, vt neutri liceat adepto pubertatem resilire. Per ingressum Religionis dissoluuntur sponsalia saltem ex parte manentis in sæculo, quamuis iurata sint; sicut dissolui possunt, quoties superuenit morbus contagiosus; aut grauis paupertas, *Dissolutio.*

tas, vel deformitas, vel infamia, vel quævis notabilis mutatio. Nam promissio non obligat rebus notabiliter variatis.

7 Post sponsalia contracta cum honesta fœmina, secuta copula, non licebit viro Religionem ingredi. Quod si vir prius emiserat votum Religionis, & postea cognouit cum promissione nuptiarum fœminam voti gnaram, debet implere votum. Si tamen fœmina votum ignorabat, debet contrahere matrimonium: Quia votum non obligat cum tanto præiudicio tertij. Sic docent *Sanch. de Matr. lib. 1. disp. 45. Bonacin. qu. 1. punct. 5. num. 7. Reginaldus lib. 31. nu. 258.* Votum castitatis sponsalia præcedens, dissoluit illa: Secus si sequatur; tunc enim dissoluuntur ex parte vouentis. Ita *Sanchez sup. disput. 46. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 54. Layman lib. 5. trac. 10. par. 1. c. 2. num. 6. cum alijs.*

8 Sponsalia iurata, vel non iurata, non extinguntur omninò per matrimonium cum alia contractum: Quare soluto matrimonio, tenebitur qui contraxerat, implere fidem priori datam. Siquis contra fidem priorum sponsalium alia contrahat, non valent posteriora, licet iurata sint. At si posterioribus accedat copula, quamuis per se loquendo non valeant; ex æquitate tamen interdum erunt implenda posteriora. *Sic Sanchez lib. 1. disp. 49. num. 5. & 6. Bonac. de Mat. q. 1. punct. 7. n. 4. Laym. lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 1. n. 5.*

9 Quando nullus terminus sponsalibus præfigitur, vel duntaxat apponitur ad solicitandum obligationis effectum, quamuis vna pars sit in mora culpabili, non statim liberat alteram partem obligatione; nisi mora tanta sit, vt morosus censeatur sponsalibus renunciare, vel peccare mortaliter contra fidem datam. Si vero terminus præfigitur ad restringendam obligationem; ille, per quem non stetit, liberatur obligatione. Sic tradunt *Coninch. disp. 23. nu. 43. Sanch. sup. disp. 53. Bonacin. punct. 6. n. 6. & 7.*

10 Fornicatio tam sponsi, quam sponsæ superueniens sponsalib. confert innocenti ius ea dissoluendi, licet iurata sint, non autem fornicanti. Si tamen sponsa per vim cognoscatur, potest sponsus sponsalia dissoluere; non tamen sponsa, si fornicetur vir sine culpa. Quia vilior manet illa, non ille. Si fornicetur vterque voluntariè, potest sponsus ab sponsalibus resilire: non autem sponsa; quia maior fuit viri læsio. *Sic Bonacin. sup. punct. 8. S. Antoninus, Syluester, Sotus, & alij, quos sequitur Sanch. lib. 1. disput. 55. Coninch. disp. 23. n. 55. & 63. Dian. part. 3. tract. 4. Resol. 284. cum alijs.*

11 Impedimentũ dirimẽs irritat spõsalia subsequentia. Si tamen sponsalibus superueniat, ea dissoluit ex parte illius, qui non fuit impedimenti causa; non ex parte illius, cuius culpa prouenit impedimentum; qui nihilominus non ideo tenetur obtinere dispensationem magnis expensis. *Vt docent Sanch. sup. disp. 56. Bonac. punct. 7. n. 9. Filliuc. tract. 10. par. 1. n. 291. Coninch. disp. 22. n. 43. & disp. 23. nu. 37.* Si solum impedimentum impediens superueniat sponsalibus, non illa dissoluit excepto voto Religionis. Papa potest in sponsalium vinculo dispensare: Non Episcopus; sicut etiam sentimus de Matrimonio rato. Sic tradũt *Gasp. Hurtad. de Matr. disp. 26 n. 3. & 10. Sanch. sup. disp 61. Fill. p. 2. n. 306.*

Theorema IX. De Matrimonio.

1 MAtrimoniũ dupliciter sumitur; Primo quatenus significat cõtractũ, *quo legitimæ personæ cõsensu verbis expresso se vicissim obligant ad vitæ societatẽ, & generationis vsum.* Et in hoc sensu est propriè Sacramentum nouæ legis. Secundo quatenus significat permanẽs, & perpetuũ iugũ, seu vinculũ vtriusque cõiugis, quod ex contractu nascitur cõiugali. Et definitur esse, *maris, & fœminæ cõiunctio maritalis indiuiduã vitæ consuetudinẽ retinẽs.* In quo sensu nõ est propriè Sacramentum: secundum meliorem opinionem: quia non sanctificat vsu suo; sed est effectus Sacramẽti trãseũtis. Videatur *Coninch. 3. p. disp. 24. n. 11.* *Matrimony definitio.*

2 Huius

Mini-stri. *Materia, & forma.* 2 Huius Sacramenti Ministri sunt ipsi contrahentes, circa materiam, & formam valdè dissident Doctores: Probabilior sententia docet, vtriusque coniugis consensum signis externis expressum, quatenus continet traditionem proprij corporis, esse materiam: & quatenus acceptat traditionem alterius, esse formam. *Ita S. Thom. Sotus, Bellarmin.* & alij, quos sequitur. *Sanch. de Matr. lib. 2. disp. 5. Coninch. disput. 24. nu. 32. Villalob. tom. 1. tract. 13. diffic. 6. Diana p. 3. tract. 4 Resol. 251. Bonac. de Mat. q. 2. punct. 4.* Potest matrimonium contrahi per Procuratorem; quod etiam post Tridentinum valet, & est Sacramentum. *Ita Molina de iust. tom. 2. disp. 254. Sanch. sup. disput. 11. Dian. Resol. 250. Coninch. n. 23. & 76.*

Insolubilitas. 3 Matrimonium est indissolubile iure diuino naturali, quatenus Deus, qui solus habet propriè dominium absolutum nostri corporis, non concessit, vt potestatem nostri corporis ad vsum coniugalem alteri tradamus, nisi per insolubile vinculum. *Ita Coninch. disput. 26. dub. 2. & Auersa de Matrim. qu. 5. sect. 4. & 5. cum alijs.* Vnde Pontifex non potest dissoluere matrimonium consummatum; bene tamen ratum iuxta praxim receptam. Sic *Henriq. lib. 11. c. 8. Sanch. sup. disp. 14. Coninch. n. 33. Bonacin. punct. 11. n. 4.* Matrimonium ratum per professionem Religionis dissoluitur iure Canonico. Sic *Coninch. sup. n. 37. Lessius lib. 2. c. 41. n. 69. Hurtado de Mat. disp. 8. diffic. 4. cum alijs.*

Validatio. 4 Vt matrimonium inualidè contractum postea validetur, si solum defuit consensus vnius, sufficit, vt hic denuo consentiat, dum alter consensum non reuocauit. Si defuit vtriusque consensus, debet vterque postea consentire non solum interius, sed etiam exterius. Si suberat impedimentum dirimens, hoc cessante requiritur vtriusque consensus interior, & exterior. Atque si commodè fieri possit, debet coniux nullitatis ignarus de illa moneri. Secus si non possit sine graui periculo, vel damno. Videantur. *Sanch. lib. 2. disp. 32. 35. & 36. Coninch. disp. 24. n. 90. & sequentibus, Fillinc. tract. 10. part. 1. n. 84. 91. & 92. Villalob. to. 1. tract. 14. diffic. 32. Diana p. 3. tract. 4. Resol. 192. & part. 4. tract. 4. Resol. 48.*

5 In impedimentis iuris humani post matrimonium contractum potest Episcopus dispensare, si matrimonium fit publicum, & impedimentum occultum & sequatur scandalum, aut graue damnum ex separatione, nec ad Papam pateat aditus propter inopiam, aut loci distantiam cum graui periculo peccandi, si dispensatio differatur: Dum adfuerit bona fides saltem vnius contrahentis, etsi cum ignorantia vincibili. Sic docent *Syluest. Armill. Vega, Manuel, & alij, quos sequitur Henriq. lib. 12. c. 3. nu. 2. Sanch. lib 2. disp. 40. Coninch. disp. 33 nu. 32. Diana par. 1. tract. 10. Resol. 37. & part. 2. tract. 16. Resol. 19.*

6 Matrimonium clandestinum sine Parocho, & testibus ante Tridentinum erat illicitum, iam vbi Tridentinum viget, non valet, quamuis vrgeat grauissima necessitas. Assistere debet proprius Parochus saltem vnius contrahentium, vel alius Sacerdos de illius licentia. Quod si Parochus non sit Sacerdos, vel assistat in aliena Parochia; quidam putant, non valere matrimonium. Sed oppositum est probabilius: Quia non constat, illos esse defectus substantiales. *Ita Sanch. lib. 3. disp. 19. & 20. Bonacina q. 2. punct 8. Layman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. cum alijs.* *Matrimonium clandestinum.*

7 Ante matrimonium tribus diebus festis continuis præmittendæ sunt denunciationes, vt si quis impedimentum nouerit, illud aperiant. Non pertinent ad valorem matrimonij, verum illas omittere sine dispensatione mortale peccatum est contra præceptum Ecclesiæ. Dispensare potest Episcopus in dispensationibus ex iuxta causa. Vi denunciationum tenetur sub mortali manifestare impedimentum, qui nouit illud extra confessionem, quamuis sub secreto. Quia lex de vitando animæ peri- *Denunciationes.*

periculo vincit legem de tegendo secreto naturali. Sic *Sanchez supra disput.* 13. *Coninch disp.* 27. *dub.* 7. *Diana part.* 3. *tr.* 4. *Resol.* 221.

Matrimonium coactum. 8 Quicumque metus si non sit incussus ad matrimonium extorquendum, non irritat illud, quia non infert iniuriā matrimonio. Similiter si metus sit iustus, aut leuis, quamuis ad eum finem incutiatur; quia non infert grauem iniuriam. Si verò metus grauis, & iniustus incussus sit ad extorquendum matrimonium, irritat illud; quoniam infert grauem iniuriam. Hæc irritatio fit solo iure Canonico. Videantur, quæ diximus *in trac. de voluntario c.*6. & 7. Iuramentum additum matrimonio, quod ex metu fit irritum, nihil præstat; sicut nec confirmat sponsalia ratione metus inualida: Quia cum sit accessorium, sequitur naturam principalis. Sic *Azor tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *q.*13. & 14. *Sanch. lib.*4. *disp.*21. *Bonacina de Matrim. q.*3. *punct.*8. *num.*29. *Diana par.*3. *trac.*4. *Resol.*278.

9 Nemo cogendus est ad nuptias nec à parentibus, nec à Principe, quamuis suauiter induci possit. Filius sicut validè contrahit matrimonium sine consensu parentum; sic nisi iustam causam habeat ipsis inuitis contrahendi, consilium parentum tenetur exquirere, non verò sequi. Filia parentibus inuitis nupta, si minor 25 annis sit, exhæredari potest à patre iure ciuili; Verum iure Canonico nō potest. Maior si nubat, tenetur pater eam dotare. Sic *Sanch. lib.*1. *disput.*23. & *lib.*4. *disp.*24. *Fillincius trac.*10. *par.*1. *nu.* 128. & *sequentibus Diana par.*4. *tract.*4. *Resol.*128. & *par.*6. *trac.*7. *Resol.*21.

Matrimonium conditionatum. 10 Matrimonium ipsum conditiones respuit per sese; Verum consensus contrahētium conditiones recipere potest. Et quidem in interno foro generaliter standum est intentioni contrahentium. Si dubius sit animus apponentis conditionem, credendum est præsumptioni iuris, quod decernit conditiones substātiæ matrimonij contrarias eidem appositas annullare matrimonium; turpes autem, aut impossibiles ipsi additas haberi pro non adiectis. Sic habetur *in ca. Finali de condit. appositis*, & docent *Sāchez lib.*5. *disp.*3. *Coninch disp.* 29. *num.* 41. *Basil. Legion. de Matrim. lib.*3. *cap.*4. *num.*9. *Bonacin. qu.*2. *punct.* 10. *num.*16. Nam in dubio valori matrimonij fauēdum est. In praxi rarò contingunt matrimonia conditionata.

11 Impedimēta matrimonij quædam reddunt illud dumtaxat illicitum, ideò vocantur impedientia tantum: quædam non solum illicitum, sed etiam irritum, ideò vocantur dirimentia. Horum quędam tollunt consensum necessarium; scilicet *error, conditio, violentia*: Quędam reddunt inhabilem personam, scilicet *impotentia naturalis, votum solemne, Ordo sacer*, & *ligamen*: & hæc absolutè reddunt personam inhabilem; Alia verò reddunt inhabilem ad aliquod matrimonium dumtaxat; scilicet aut nimia coniunctio, qualis est *cognatio, affinitas, honestas*; aut nimia disiunctio, qualis est *cultus disparitas, & crimen*. *Impedimenta dirimentia.*

12 Impedimenta solus Papa statuere potest ex recepta consuetudine. Impedimenta impedientia, quæ prouenicbant ex crimine, iam abrogata sunt per desuetudinem. *Catechismus* etiam sublatus fuit per Tridentinum. Restant *sponsalia* legitimè contracta, quæ matrimonium impediunt cum alia. *Votum simplex* castitatis, aut Religionis. *Interdictum Ecclesiæ* quoties ordinarius certis personis ob iustam causam matrimonium interdicit. *Tempus feriarum*, scilicet Aduentus, & Quadragesima, quibus prohibetur solemnitas nuptiarum. *Impedimenta impedientia.*

13 Error circa personam, siue sit antecedens, & causa contractus, siue concomitans, & causa, vt non sit voluntarius, dirimit matrimonium iure naturæ; quia tollit consensum positiuum iure naturali requisitum ad matrimonium. Ita *Sanch. de Matrimon. lib.*7. *disput.*18. *Bonacina de Matrimon. quæst.*3. *punct.*2. *Coninck disput.*31. *num.*9. & 10. *Layman lib.*5. *tract.*10. *part.*4. *cap.*2. Error qualitatis, quæ non ponitur per modum conditionis, non irritat, nisi redundet in errorem *Error.*

rorem personæ, quæ tali qualitate designatur. Videantur, quæ diximus in tractat. de voluntario, *c.5.q.6.*

Traditio. 14 Error conditionis seruilis in contractu liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo matrimonium irritat iure solum Ecclesiastico. Sic *S. Thom. S. Bonau. S. Antonin.* & plures, quos sequitur, *Sanch. sup. disp.* 19. *Coninch. n.* 22. *&* 24. *Hurtado de mat. disput.* 14. *diffic.* 1. Quamuis probabile sit, errorem ad irritandum, futurum esse probabilem, & inuincibilem; quia crassissimus æquiparatur scientiæ. Probabilius tamen est, etiam crassimum irritare; quoniam verè tollit consensum directum, & formalem, qualis ad matrimonium requiritur: Vnde quoad hunc contractum non æquiparatur scientiæ. *Sic Hurtado sup. Coninch. nu.* 26. *Sanch. nu.* 20.

Impotentia. 15 Impotentia naturalis viri dicitur frigiditas; quia plerumq; prouenit ex frigiditate, licet possit etiam ex alijs causis prouenire. Si perpetua sit, & absoluta, dirimit matrimonium iure naturali: quia non compatitur obligationem ad copulam coniugalem, qualis ex matrimonio consurgit. *Sic Henriq. li.* 11. *c.* 10. *n. fin. & lib.* 12. *c.* 8. *n.* 1. *Sanch. lib.* 7. *disp.* 92. *Basil. legion. de Mat. lib.* 7. *c.* 55. Impotentia naturalis fœminæ dicitur arctitudo: quia sæpe contingit, fœminam esse tam arctam, vt non possit recipere semen intra vas. At qualibet etiam alia ratione fœmina cognosci nequeat, si sit impotentia perpetua, & absoluta, dirimit matrimonium ratione dicta.

16 Impotentia cuiusuis coniugis respectiua (qualis esse potest respectu particularis personæ) si perpetua sit, dirimit respectu illius. *Ita S. Antonin. Durand. Henriq. & alij, quos sequitur Sanch. sup. disp.* 93. *Basil. legion. c.* 61. *Hurtad. disput.* 22. *n.* 20. Tunc autem censetur perpetua quando per nullam artem humanam sine periculo corporali remoueri potest. Impotentia tantum accidentalis, quæ prouenit ex senectute, non impedit matrimonium, vt vsus Ecclesiæ probat, & docent. *Sanch. sup. disp.* 92. *P. Lugo de Sacramentis*, *n.* 19. *&* 20. *Bonac. de Matr. q.* 3. *punct.* 13. *n.* 18. *Filliuc. tract.* 10. *p.* 2. *n.* 94.

17 Impotentia proueniens ex maleficio, si perpetua sit, dirimit matrimonium. Sic *Henriq. lib.* 12. *c.* 8. *n.* 2. *Sanch. sup. disp.* 94. *Bonac. n.* 9. *Filliuc. n.* 80. *Hurtad. n.* 26. censetur perpetua, quando non potest tolli sine peccato: Quod enim sine peccato fieri non potest, impossibile reputatur. Idem est, si solo miraculo tolli possit: Secus si per exorcismos Ecclesiæ; nam hi facilè possunt adhiberi. Quando non constat, an sit impotentia perpetua, si post triennium experientiæ iure concessum coniuges consumare non potuerunt, præsumitur perpetua; si verò potuerunt, constat, fuisse temporalem. *Ita Bonacina supr. nu.* 20. *Hurtado n.* 36. *&* 42. *Sanch. cum multis, disp.* 108.

18 Impotentia temporalis proueniens ex defectu ætatis à iure præscriptæ, matrimonium irritat Ecclesiastico iure. Siquis autem post pubertatem adhuc sit impotens ex ætatis debilitate, probabilius est, eius matrimonium valere, quia non irritatur vllo iure. Sic *Sanch. sup. disp.* 104. *Hurtad. n.* 41. *Henriq. lib.* 11. *c.* 13. *n.* 10. *Coninch. disp.* 31. *n.* 84. Hermaphroditus iuxta sexum, qui præualet, potest inire matrimonium: Si vterque sit æqualis, eligat, quem maluerit; eo tamen electo, non potest alium eligere. Sic docent *Syluest. Armill. Nauarr.* quos sequitur, *Henriq. lib.* 14. *c.* 8. *n.* 6. *Bonac. sup. nu.* 26. *& sequent. Filliuc. tract.* 10. *p.* 2. *nu.* 90. *&* 91.

19 Votũ solẽne solũ differt accidẽtaliter à simplici; quia voti solemnitas est solius iuris Ecclesiastici. Quapropter votum solemne Religionis subsequens solo iure Canonico. Sic *Sanch. sup. disp.* 25. *&* 26. *Coninch. n.* 67. *Filliuc. n.* 116. *Bonac. q.* 3. *punct.* 4. *n.* 2. *Less. lib.* 4. *c.* 41. *n.* 68. *cum alijs.* Similiter Ordo sacer Ecclesiastic. iure dirimit matrimoniũ; sola siquidẽ Ecclesiæ cõstitutio votũ solemne castitatis adnexuit ordini sacro. Vndè nascitur immediatè impedimẽtũ matrimonij. *Sic S. Thom. & alij,* *Votum.*

K quos

quos ſequitur, *Sanch.ſup. diſp.27.Vaz.q. 3.p.diſp.247. Coninch. diſp.20.n.114.*

Ligamē. 20 Ligamen eſt vinculum prioris matrimonij, quo conſtante, poſterius non valet iure diuino. Deus nunquam diſpenſauit in pluralitate virorum; quia repugnat fini primario matrimonij ſcilicet generationi, ac educationi prolis. At in vxorum pluralitate diſpenſauit cum antiquis Patribus ob multiplicationem populi fidelis; quia ſolum opponitur fini ſecundario; ſcilicet tranquillæ cohabitationi, ac gubernationi domeſticæ, iam in Euangelica lege ceſſauit hæc diſpenſatio. *Nam Chriſtus Matth.19.* reduxit matrimonium ad primum ſtatum vnius cum vna. *Sic Sanch.lib.7.diſp.80. Coninch. diſp.26.n.2.& 13.*

Cognatio 21 Cognatio carnalis eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Diſtinguitur per lineas aſcendentium, & deſcendentium, & collateralium; & per gradus, qui numerantur in recta linea ſicut perſonæ, dempta prima. Sic filius eſt in primo gradu cum parente, nepos in ſecundo, &c. in linea collaterali quoto gradu perſonę diſtant ab ſtipite communi, diſtant inter ſe. Sic duo fratres ſunt in primo gradu, duo patrueles in ſecundo. Si diſtent inæqualiter, habetur ratio remotioris. Sic patruus & ſobrinus ſunt in ſecundo gradu; quia ſobrinus diſtat duobus gradibus ab ſtipite communi.

22 Iure Canonico conſanguinitas dirimit hodie matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè. In primo gradu lineæ rectæ certum eſt, dirimi matrimonium iure naturali; quia filius eſt pars quædam parentis. In reliquis eiuſdem lineæ gradibus, & in primo lineæ collateralis vtraque pars eſt probabilis. Videantur, *Sanch.lib.7.diſp.51. Bonac.q.3.punct.5.§.1.n.8. Filliuc. tract. 10.p.2.n.180.*

23 Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum Eccleſiæ decreto proueniens ex collatione baptiſmi, ac confirmationis, & ſuſceptione baptizati, vel confirmati. Dirimit matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, huiuſq; patrem, ac matrem ſimiliter inter ſuſceptorem, & ſuſceptū, huiuſque patrem, ac matrem: Et idem eſt in confirmatione. Sic enim decernit. *Trident.ſeſſ.24. c.2. de reform.matrim.* cognatio legalis non magni refert ad praxim.

24 Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens. Affinitas. Eius gradus numerantur, ſicut in conſanguinitate; nam quoto gradu quiſpiam eſt conſanguineus perſonę cognoſcentis aliam, fit affinis perſonæ cognitæ ab illa, & è contra. Duplex eſt affinitatis linea; prima ſcilicet aſcendentium, & deſcendentium, quales ſunt ſocer, & nurus, ſocrus, & gener, vitricus, & priuigna. Secunda collateralium, quales ſunt leuir, & glos, & cęteri remotiores.

25 Probabile quidem eſt, affinitatem in omnib. gradib. & lineis aſſignatis dirimere matrimonium ſolo iure Canonico; vt docent. *Alenſis, Caiet.Henriq.* quos ſequitur, *Sanch.ſup. diſp.66. Hurtad.de matrim.diſp.20.n.13. Bonac. q.3. punct.12.nu.7.* Si proueniat affinitas ex copula licita, dirimit vſque ad quartum gradum: ſi proueniat ex illicita, ſolum vſque ad ſecundum ex *Trident. ſeſſ.24 cap.4.* Semper autem requiritur ad affinitatem, vt viri ſemen intra vas naturale fœminæ recipiatur. Sic enim, & non aliter, fit vna caro, ſanguiniſque commiſtio. Vt notant, *Sanchez ſup. diſp.64. Hurtado n.2. & 3 Bonacina nu.17.*

26 Publica honeſtas eſt propinquitas ex ſponſalibus, vel matrimonio rato proueniens per Eccleſiam inſtituta propter honeſtatem matrimonij. Quæ prouenit ex ſponſalib. non excedit primum gradum: Quæ prouenit ex matrimonio rato, dirimit vſque ad quartum gradū. Hoc impedimentum non oritur ex ſpōſalibus quomodolibet inualidis, nec ex matrimonio rato, quod irritum ſit defectu cōſenſus etiā interni, vel ob publicā Honeſtas

hone-

honestatem præcedentem. Ita *Coninch. disp. 32. dub. 5. Bonac. de Mat. q. 3. pũct. 11. n. 2. 3. & 14. Layman l. 5. tr. 10. p. 4. cap. 9.*

Disparitas cultus. 27 Disparitas cultus est, quãdo baptizatus contrahit matrimonium cum non baptizato, tunc istud matrimonium irritatur iure Canonico per communem vsum recepto. Matrimonium infidelium inter se valet, si non subsit impedimentum apud ipsos dirimens. Si tamen alter conuertatur, & alter conuerti nolit, olim licebat habitare cum infideli coniuge, dum non sequeretur contumelia creatoris; iam hodie non licet, nam experientia docuit, potius imminere periculum subuersionis fideli, quam subsit spes conuersionis infidelis. Vnde quamuis velit infidelis cohabitare sine contumelia creatoris, potest fidelis iuxta probabiliorem sententiam dissoluere matrimoniũ, vel aliud iniens, vel profitens Religionẽ. Ita *Sanchez lib. 7. disp. 74. 75. 76. Henriq. lib. 11. c. 8. Bonacin. q. 3. punct. 7. n. 6. & 9. Filliucius tract. 10 part. 2. n. 242. & 246.*

Crimen. 28 Crimen dirimens matrimonium triplex est. Primum est adulterium cum machinatione mortis alterius coniugis, si machinatio sortitur effectum, eo nempè fine, vt cum altero contrahatur. Si tamen vterq; cooperatus sit ad necem, nõ requiritur adulterium, vt docent *Henriquez, Bellarminus, Toletus, & alij, quos sequitur Sanchez sup. disp. 78. Layman, c. 10. Bonacina, punct. 6. n. 5. & 8 Hurtado disp. 23. n. 5.* Secundum est adulterium consummatum, & vtriq; notum cum fide data de contrahendo post mortem coniugis; siue præcedat adulterium promissionẽ, siue sequatur; dum modo fides nõ sit retractata, & exterius data fuerit, & acceptata. Si verò promissio fuit ficta; quidam negant dirimere; sed alij melius affirmant, dum non apparet fictio. Nam eodem modo potest esse causa captãdæ mortis coniugis. Ita *Sanchez sup. disput. 79. Filliuc. n. 255. Coninch. disp. 31. nu. 57.*

29 Tertium crimen est raptus, quo persona honestæ vitæ violenter abducitur ad diuersum locum libidinis causa; sufficit, siue vis inferatur ipsimet abductæ, siue patri, vel ijs, in quorum potestate sit. Olim raptus solum impediebat *cap. fin. de Raptorib.* sed iure nouo Tridẽtini dirimit matrimonium, dum rapta sub raptoris existit potestate, nec separatur, & in loco libero constituitur.

30 Papa dispensare non potest in impedimentis dirimentibus iure naturali *Impedimentorũ*
diuino, quod satis ostendit Ecclesiæ praxis. *dispensatio.* In impedimentis dirimentibus solo iure canonico, solus Papa dispensat; quia nullibi conceditur inferioribus talis potestas (nisi ratione grauissimæ necessitatis, vt iam censent *Sanchez de Mat. lib. 2. disp. 40. n. 7. Layman lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 4. Villalob. to. 1. tract. 14. diffic. 25. Diana cum multis p. 2. tr. 16. Resol. 19. Bonac. q. 3. punct. 15. n. 6. Reginald. lib. 31. c. 27. n. 205. & alij*) Potest etiam Pontifex in voto solemni vel ordinis, vel Religionis dispensare iuxta meliorem opinionem, quam tenent *S. Antoninus, Toletus, Azor, & alij, quos sequitur Sãchez de mat. l. 8. disp. 9. n. 2. & 7. Filliuc. tr. 10. p. 2. n. 303*

31 Quoties inferior dispensat in lege superioris sine causa, non solum est illicita dispẽsatio, sed etiam inualida; quia non censetur ipsi concessa potestas in destructionem, sed ad ædificationem. At in sua lege quisq; validè dispensat sine causa, quamuis illicitè, quia sicut valor legis ab eius voluntate dependet; sic etiam valor dispensationis. Si Papa dispẽset sine causa in voto solemni, probabilior opinio docet, valere matrimonium. Quia probabilius est, hoc impedimentũ solo iure Canonico dirimere; peccaret tamen sic contrahens, & non posset petere debitum; quia votum non fuit ablatum quoad obligationem castitatis, cũ hæc sit iuris diuini, sed solum quoad vim dirimendi matrimonium, quæ nascitur ex iure Canonico. Videantur *Filliucius supra, & Sanchez, n. 10. & 11.*

32 Causæ, quæ communiter requiruntur ad dispensationes matrimoniales, sunt extinctio magnæ litis, inæqualitas matrimonij propter angustiam loci, nimiamve cognationẽ, nisi tradatur propinquis, defectus dotis competentis, cõ-

seruatio facultatum in eadē cognatione, meritorum excellentia vel petentis dispēsationem, vel eius, pro quo petitur.

33 Causæ dispensationum verificari debent tempore concessionis Papæ, vel Pœnitentiarij; similiter quando vel ordinarius, vel confessarius exequitur dispēsationem. Quia dum hæc est in fieri, cessat cessante prorsus causa motiua: sed nondum est consummata dispensatio, donec commissarius dispenset. Ergo cessante causa prius quam iste dispenset, cessat dispensatio; nec poterit commissarius verificare causas, si iam non subsistunt. Ita *Layman lib.4.tract.4.cap. 22.n. 14. Coninch. disp.33.nu. 94. Sanchez sup. disp.30. Filliucius. n.350.*

34 Si vero cesset causa, postquam commissarius, nimirum ordinarius in externo foro, vel confessarius in interno dispensauit; sed ante dispensationis vsum; quia nondum est contractum matrimonium: Quidam affirmant, cessare dispensationem: alij probabilius negant. Quia dispensans, dum non limitat suam intentionem, censetur etiam pro causa temporali concedere dispensationem perpetuam. Ita *Suarez de legibus lib. 6. cap.20.n.14. & lib.8.c.30. Salas de legib. disp.20. sect.5.n.54. Diana p.1. tr.10. Resol.41. cum alijs.* Excipe 1. nisi causa contrarie cesset; tunc enim redditur illicitus vsus dispensationis. Excipe 2. nisi dispensatio tractum habeat successiuum, scilicet ad non recitandum, ad non ieiunandum propter infirmitatem. Nam hæc licet vnica videatur, est virtute multiplex pro multis diebus, vnde quotidie requirit causam præsentem.

35 Quando petitur dispensatio consanguinitatis, vel affinitatis, vel honestatis, explicari debet, quotus sit gradus, & cuius lineæ; item an sit vnus vel multiplex titulus coniunctionis. Si plura concurrant impedimenta, debent omnia declarari, quamvis non semper in eadem petitione. Sic notant *Coninch. disp. 33.n.74. Hurtado de Mat. disp.26. n.29. Diana part. 1. tract. 10. Resol.39.*

36 Si copula præcessit inter consanguineos, vel affines; quidam volunt, faciendam esse mentionem illius, ne dispensatio sit irrita. Sed probabilius id negant *Nauarrus, Ouandus, Henriq. & plures,* quos sequitur *Diana supra Resol.44. Hurtado n. 23.* & probabile dicit *Sanchez lib. 8. disp. 25.* Quia nullo iure iubetur, nec stylus curiæ constans est in hac parte. Quando vero dicitur in dispensatione. *Dummodo copula non interuenerit.* Si commissio sit in externo foro, intelligitur, dummodo copula non constet iuridicè; si fiat in interno foro, quāvis copula sit occulta, manifestari debet, sed occultè, nimirum in sacra Pœnitentiaria. Sic docent *Hurtado sup. num. 24. Sanchez num. 12. & sequentibus, Henriquez lib.12. cap.2. num.7.*

37 Ex matrimonio nascitur obligatio mutua reddēdi debitum. Hinc ipse coniugalis actus ex se licitus est; reddere vero debitum etiam est in præcepto, siue petatur expresè, siue tacitè. *Sic Sanchez cum alijs lib.9. disp.2.* Verum excusat ab obligatione reddendi debitum notabile detrimentum salutis, aut periculum infectionis. Nec est mortale non reddere sæpissimè, ac molestè petenti: quia moderatè petendum est: Aut sic petenti, vt non intendat obligare sub mortali: Vel quia plures iam filij sunt, quam ali possint à parentibus; vel ad euitandum magnum damnum in fortunis, aut fama, vel ad magnam in illis vtilitatem comparandam. Intellige, nisi sit incontinentiæ periculum in petente. *Sic Sanchez de Mat. lib.9. disput. 24. & 25. Diana part.5. tract. 5. Resol.14 Coninch. disput.34. dub.3.*

38 Debent coniuges cohabitare simul iure naturali; nam hoc exigit matrimonij vinculum, nisi causa rationabilis excuset: Ideoq; tenetur vxor sequi virum, & vir tenetur alere vxorem secum cohabitantem. Ita *Sanchez sup. disp.4. & 5. Filliucius, tract.10. p.1. n.314.* Inter coniuges tactus venerei, si referantur ad copulam, liciti sunt; si ad maiorem voluptatē capiendam, veniales; si tendant ad pollutionem extra vas, vel ad eius morale peri- Debitū coniugale.

periculum, sunt mortale peccatum. Spōsis de futuro tactus honesti licent, alij vetātur. Ita *Vazq.1.2.disp.115.c.2.Coninch. disp.34.dub.vlt.Hurtad.de Mat. disp.10. diffic.10.Sāch.sup.disp.45.Filliuc.n.353.*

39 Actus coniugalis est honestus, si fiat ob prolem, vel ob reddendum debitum. At ob delectationem, vel ob sanitatem, aut similes fines, non excedit culpam venialem. Nullus dies festus, nec tēpus menstrui, vel impraegnationis, vel proximè post partum impedit vsum coniugalem saltem sub mortali, nisi sit periculum aborsus; quia non prohibetur. Eucharistia sicut illum non vetat ex praecepto, sic admonet abstinentiam ex cōsilio. Locus Sacer (extra casum necessitatis) sub mortali vetat actum coniugalem. Modus (si debitum vas seruetur) rarò peccatum inducit saltem mortale. Quia non impeditur generatio. Sic latè *Sanchez lib.9.disp.11.& sequentibus.*

40 Omnis effusio voluntaria seminis extra vas, vel is copulae modus, vnde sequatur, est mortale peccatum contra naturam, quoniam opponitur fini generationis naturalis. Idē est, si copula perficiatur in vase non naturali, quod est peccatum Sodomiae. Similiter si coniuges copularentur animo non perficiendi copulam, sed ante seminationem desistendi, regulariter peccant mortaliter ob probabile periculum effusionis extra vas in alterutro. Sic *Sanchez sup.disp.19. Filliuc.tract.10.part.1.n.333.* Quando vir post matrimonium incidit in talem impotentiam, vt non possit intra vas seminare, non est licitus actus coniugalis. Si tamen sit spes complendi copulam intra vas, licebit ad id conari, quamuis praeter intentionem effundatur semen extra vas. Sic enim colligitur ex *cap.laudabilem.* De frigid. & malefic. & docet *Sanchez sup.disp.17.num.18.*

Diuortium. 41 Diuortium est legitima coniugis à coniuge separatio quoad thorum, & habitationem. Requirit legitimam causā, quae triplex est. Prima est adulterium alterius coniugis; quia frangenti fidem fides seruanda non est. An autem sub adulterio comprehendatur quoad hunc effectum copula Sodomitica? Quidā negant; sed probabilius affirmant *S.Thom. S.Bonauentura, S. Antoninus, quos sequitur Sanchez lib.10.disp.4. Henriq.lib.11. c.8.n.13. Hurtado de Mat.disput.11.n.7.* Quia iam ibi caro coniugum, quę debet esse vna, diuiditur, & cōmunicatur cum alio per talem seminationem. Idem est de copula bestiali: secus de mollitie, vel tactibus; nam in his caro non diuiditur cum alio.

42 Impeditur istud diuortium primo per condonationem, quando coniux innocens alteri condonat adulterium, vel expresśe per verba; vel tacitè, si conscius offensae non excludat adulterum à consortio coniugali. Sic ex *cap.cum sec.32.q.1 docens Sanch.sup.disp.5.Hurtado, diffic.3.Coninch disp.35.dub.2.* Impeditur secūdo per compensationē, quādo vel vterq; coniux est particeps eiusdē, aut aequiualētis criminis; vel vir ipse prostituit vxorem. Impeditur tertiò per immunitatē à culpa; quando fuit vxor violenter cognita, vel per fraude Ita *Sanch.l.10.disp.5.6.7.& sequent.Coninch, & Hurt.ad.sup.*

43 Secunda causa diuortij est hęresis, vel apostasia coniugis à fide propter periculum peruersionis, vnde licebit etiam coniugi diuortium, quoties ab altero inducitur ad peccatum, & timet lapsum; Quia iure naturae cuilibet licet cauere periculum corporis, & animae. Sic habetur *cap.De illa, cap.Quanto* de diuortijs. & docent *Sanchez lib.10.disp.15. & 17. Coninch, sup.dub.4. Hurtado, diffic.5.*

44 Tertia causa diuortij est saeuitia coniugis; quando sine graui periculo nō potest alter cū saeuo cohabitare, nisi detur cautio sufficiens. Habetur in *cap. litteras, de restitut.spol.* tradunt *Sanchez li. 10. disp.18. Coninch, & Hurtado. supra.* Si diuortiū sit absolutum, & perpetuum, potest innocens ad Religionē, vel ad ordinē sacrum transire Tunc etiā qui causam dedit diuortio, poterit similem statū assumere. Facto diuortio proles educari debet apud innocentē expensis nocentis. Videatur *Sanchez sup.disp.20.*

LIBER SECVNDVS
DE BAPTISMO.



Aptismus, & Baptizo voces græcæ sunt, & significant generaliter ablutionem, vel mersionē; vsu tamen Ecclesiastico iam accommodantur ad ablutionem animæ. Doctores latè loquendo triplicem baptismum distinguunt; scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis. Baptismus fluminis, id est, aquæ duplex numeratur; vnus institutus à Io: Baptista, qui fuit in aqua tantum, nec conferebat gratiam ex opere operato, nec erat propriè Sacramentum, sed preludium Euangelicæ gratiæ, quatenus disponebat homines ad Christi baptismū suscipiendum. Alter institutus à Christo Domino, qui dicitur propriissimè Baptismus, & est verum, ac proprium Sacramentum regenerationis. Instituit baptismum Christus iuxta veriorem sententiam, quando fuit in Iordane baptizatus, & ibi designauit materiam, conferens aquis vim regeneratiuam, vt tradunt. *S. Thom. 3. p q. 66. artic. 2. Auersa ibi sect. 1. Henriq. lib. 2. c. 2. n. 2. Vazq. 3. p. disp. 140. c. 3. & 6. Bonac. de Sacramentis, disp. 2. q. 2. punct. 1. nu. 1. Villalob. tom. 1. tract. 5. diffic. 2. n. 2.*

2 Sacramentum Baptismi sic definit. *Magister in 4. dist. 3. Baptism. est ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborū.* intellige cū intentione legitima. Clarior erit definitio, si dicas. *Baptismus est Sacramentū cōstans ablutione corporis externa sub præscripta forma verborū instituta per Christū ad regenerationē spiritualē.* Vbi *Sacramentū*, est genus, reliqua sunt differentia cōplectens omnia genera causarū. Materialis est *exterior ablutio*: Formalis est *præscripta forma verborū*. Efficiens est Christus instituens: Finalis est regeneratio spiritualis. Videantur *S. Thom. sup. art. 1. ad 2. Suar. ibi, Henriq. lib. 2. c. 1. n. 9. Vazq. sup. c. 1. Bonac. n. 1.*

3 Effectus huius Sacramenti sunt primo delere cuncta peccata. Nam homo baptizatus secundum Apostolū, *Rom. 6.* moritur peccatis, & incipit viuere gratiæ. Consonant *Concil. Florentin. in decreto de Sacram. & Trid. sess. 5. can. 5.* Secundo tollere pariter omne peccati reatum, & pœnæ debitum, virtute scilicet, & applicatione plenaria passionis, & satisfactionis Christi. Sic definiunt. *Florent. sup. Trid. sess. 5. in decreto de Originali peccato, & sess. 6. c. 14.* Tertio conferre gratiam habitualem, & virtutes illam comitantes tam infantibus, quam adultis: Quia baptizatus incorporatur Christo, à quo tanquam a capite in membra spiritualis influxus deriuatur. Sic habetur in c. *Maiores* de Baptismo, *& in Trid. sess. 6. c. 7. & can. 11.* Quarto præbere baptizatis auxilia gratiæ Sacramentalis opportunis temporibus, de quibus diximus, *lib. 1. c. 3. n. 3.* scilicèt ad seruandam Euangelicam legem, ad reprimendas concupiscientiæ passiones, ad dignè suscipienda reliqua Sacramenta. Quinto characterem imprimere, de quo diximus *lib. 1. c. 3. q. 6.* Et quidem character baptismalis reddit hominem capacem aliorum Sacramentorum, quę non baptizatis nec licitè, nec vtiliter, nec validè conferrentur, quoties valor pendet à capacitate recipientis. Ideò Baptismus dicitur ianua reliquorum Sacramentorum. Videantur *S. Thom. 3. p. q. 69. Lessius ibi n. 1. & seq. Auersa, sect. 1.*

4 Baptismus flaminis, id est, contritionis, seu pœnitentiæ, quæ flamen vocatur, quia fit impulsu spiritus sancti, & hic flamen dicitur; reperitur solum in adultis habentibus vsum rationis, nec dum baptizatis, quando nequeunt realiter

liter recipere baptiſmum, & eliciunt actum contritionis cum propoſito recipiendi baptiſmum. Tunc enim contritio, ſeu dolor de peccatis, quatenus diſplicent Deo, continens Baptiſmi votum, ſupplet eius defectum, & delet omnem culpam tam originalem, quam actualem ſub eo dolore ſaltem implicitè comprehenſam. At cum non ſit Sacramentum, non imprimit characterem, nec confert gratiam ex opere operato, nec ſemper remittit omnem pœnam. Videatur *Henriq. lib.2.c.20.n.1.*

5 Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium pro fide Chriſti, vel pro vera virtute ſuſceptum, quod ex Chriſti priuilegio confert primam gratiam tam pueris, quam adultis fidelibus, qui non habent actualem volitionem, ſeu complacentiam alicuius peccati mortalis, & inuincibiliter non aduertunt ad ſufficientem dolorem eliciendum de peccatis commiſſis; dum ante ſuſceptionem Baptiſmi rapiuntur ad mortem pro Chriſto ſubeundam, & recipiunt vulnera de ſe lethalia. Delet etiam martyrium omnem pœnam non minus quam Baptiſmus aquæ. Non tamen imprimit characterem, quia non eſt Sacramentum. Quare licèt, quis per baptiſmum flaminis, vel ſanguinis gratiam obtinuerit, tenetur, dum commodè poteſt, recipere Baptiſmum aquæ, vt ſit actu membrum Eccleſiæ viſibilis, & particeps aliorum Sacramentorum. *Videantur S. Thom. 3.p.q.66.& 87. art. 1. Henriq. lib.2.c.1.n.3.& c.34. Laym.in.lib.3.ſect.3.n.3. Suarez 3. part. to.3. diſput.29.Filliucius tract.2.n.10. Auerſa 3.p.q.70.ſect.5. & 6.*

CAPVT I.

De materia remota Baptiſmi.

6 Vppono 1. materiam Baptiſmi remotam eſſe veram, & naturalem aquam. Sic definiunt Florentinum de Sacram. *Trident. ſeſſ.7. can.2. de Baptiſmo*. Sic docent *S.Thom.3.p.q.66.art.3. & 4. & omnes Catholici.* Patet *ex Io.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Nam ibi deſcribi materiam Baptiſmi Patres communiter docent; & aquam propriè dictam intelligi, cenſet Tridentinum ſup. Sic enim ſcripturæ ſenſus ſemper eſt iuxta verborum proprietatem accipiendus, niſi ſequatur abſurdum; hic autem nulla ſubeſt ratio confugiendi ad metaphoram, præſertim cum *Actorum 4.& 10.* deſcribatur aqua vera fuiſſe materia Baptiſmi. Accedit traditio Patrum, vſus Eccleſiæ, congruentiæ nonnullæ, quas adducit. *S.Thom. eo art.3.*

7 Suppono 2. ſolam aquam elementalem, & vſualem eſſe materiam neceſſariam, & ſufficientem ad Sacramentum Baptiſmi conficiendum. Ita Doctores, *in 4. diſt.3. S. Th. ſup. art.4.* generalem regulam aſſignat. Quoties aqua retinet eſſentialem elementi ſubſtantiam, quantumuis alteretur peregrinis qualitatibus, eſſe ſufficientem materiam Baptiſmi. Secus ſi vel ita miſceatur alijs corporibus, vt habeat potius naturam corporis miſti, quam aquæ; vel ita congeletur, & dureſcat, vt ablutioni nequeat deſeruire. Requiritur enim aqua ſimpliciter dicta, qua communiter homines vtuntur ad abluendum corpus; nam in hac baptizatus fuit Chriſtus, & hæc exiuit ex eius latere percuſſo ad hoc ſignificandum, vt docet innocentius, *c. in quadam de celebrat. Miſſar.*

8 Hinc ſequitur 1. nec licitè, nec va-

lidè liquorem alium adhiberi Baptismo præter aquam naturalem. Quare siquis adhibeat vinum, oleum, acetum, lac, ptisanam, seu cremorem ex amygdalis, aut ex meli melis, aut ex hordeo, vel similem potum; vel aquam ardentem, aurum potabile; seu quamlibet aquam alchimicam, aut lambicatam ex aliquo misto, nullum efficiet Sacramentum, vt notat, *Trullench de Sacram. lib. 2. c. 1. n. 3.* Nam & ieiunium panis, & aquæ sumptis his liquoribus violatur, vt afferunt. *Henriq. lib. 2. c. 6. n. 2. Bonac. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 3. nu. 2.*

9 Sequitur 2. non esse sufficientem materiam Baptismi sudorem, lacrymas vrinam, phlegma; quia non sunt aqua naturalis, vt de phlegmate docet Innocentius eo c. *in quadam*, & de cœteris liquoribus docent, *Henriq. & Bonac. sup. Coninch. q. 66. n. 24.* Cœterum sufficit aqua naturalis cuiuscumque generis, vt maris, fluminis, paludis, fontis, putei, pluuiæ, dulcis, vel salsa, vel amara, calida, vel frigida, tincta colore, turbida, vel clara, dēsa, vel subtilis &c. ita Doct. cōm.

CAP. I. QVÆST. I.

An ceruisia, iusculum, lexiuium sint materia sufficiens Baptismi?

10 NEgant communiter Doctores ceruisiam esse materiam sufficientem valido Baptismo. *Sic Henriq. lib. 2. cap. 6. nu. 2. Bonac. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 3. nu. 2. Valentia to. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2. Zecchus de Bapt. c. 2. proposit. 2. & alij plures.* Quoniam ceruisia non censetur aqua naturalis, sed in aliam speciem per decoctionem, & mistionem transijsse. Quidam tamen *apud Coninch. 3. p. q. 66. nu 2.* putant, in extrema necessitate posse ceruisiam adhiberi Baptismo; quia forsan retinet speciem aquæ. Quod aliqualiter esse probabile docet. *Castro Palaus to. 4 tract. 19. punct. 3. n. 2. & Lessius 3. p. q. 66. nu. 13.* dicit, esse materiam dubiam; cum non omnino constet, an specie differat ab aqua.

11 Distinguēdū esse cēseo. Nā si ceruisia sit tenuis, nec valdè decocta, cōparari potest aquæ lutulētæ, nec videtur aquæ substātiā mutasse, sed permista corporibus alijs, adhuc plus aquæ retinere, quā alterius substantiæ; quapropter erit materia sufficiēs Baptismi. Si verò ceruisia sit crassa, multūq; decocta, iā videtur aquæ substātiā amisisse. Quare non erit materia sufficiens valido Baptismo. Sic docēt *Coninch. & Pal. sup. Laym. li. 5. tr. 2. c. 3. n. 1. Tān. to. 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 42.*

12 Vnde fit, si dubium sit facti, videlicet an ceruisia, quę prę manib. habetur sit tenuis, vel crassa; & per cōsequens an retineat substātiā aquæ, vel nō retineat: in extrema necessitate morientis adhiberi posse. Quia charitas erga proximū præualet religioni debitæ Sacramentis, vt diximus, *lib. 1. c. 1. q. 4.* docent etiam *Card. de Lugo de Sacr. disp. 8 sect. 9. n. 140. Auersa 3. p. q. 66. sect. 4.* Diana cum alijs, *p. 5. tract. 3. Ref. 1.* qui subdit, idem à fortiori procedere, quādo circa materiā Baptismi dantur opiniones probabiles, (quod dici potest dubium iuris) tunc. n. sub cōditione Baptismus moribūdis adhibēdus est etiā iuxta minus probabilē, aut parū probabilem opinionē, de quo nos etiā illa q. 4. Verū in præsenti, si constet ceruisiā ita crassā esse, vel adeò decoctā, vt iā amiserit aquæ substātiā, & in corpus mistum transierit, nō videò probabilē vtcumq; sententiā affirmārē, esse sufficiētem materiā Baptismi: quare nec in extrema necessitate poterit adhiberi.

13 Sic etiā philosophatur *S. Th. 3. p. q. 66. art. 4 ad 2. de iusculo*, vel aqua decoctionis carniū, aut pisciū, aut herbarū, aut leguminū, aut similiū. Nam si parum succi carnei, vel alterius substantiæ tale iusculū habeat admistum, quia valdè tenuiter coctū est, erit sufficiens materia Baptism. Si verò tāta facta sit resolutio, (nimia decoctione) plurium corporum lixatorum, vt liquor plus habeat alienę substantiæ, quam aquæ; vel potius vt aqua tota transierit in corpus mistum; quod ex densitate, vel spissitudine perspici potest; non erit materia validi Baptismi. Sic docent cum *S. Th. Coninch.*

*Layman, Palaus sup. Auersa 3.p.qu.66. sect.4.Tannerus n.*40. Sic conciliari possunt *Possevinus cap.6.n.5.negans*, iusculū esse sufficientē materiā, & *Villalob.to.1. tract.5.Diffic.3.n.2.*affirmās. Quod si dubitetur, quāta fuerit decoctio iusculi, ac per consequens, vtrū ille liquor retineat aquę naturā, nec ne: adhiberi poterit in necessitate, sicut de ceruisia dictum est.

14 Lexiuium esse materiam sufficientem Baptismi, docent *S. Thom. sup. art. 4.ad 4.Syluester Baptismus 2.q.4.Suarez tom.3 disp.20.sect.1.concl.2.Possevinus de officio Curati cap.6.num.3.Villalobos, & Layman sup.* quia cineres decoctì non corrumpunt formam aquæ. *Henriquez lib.2.cap.6.n.2. censet esse materiam dubiam. Bonacina disp.2.q.2.punct.3.nu.6.* dicit, lexiuium benè decoctum, non esse sufficientem materiam Baptismi; quia iam aqua transijt in corpus mistum. Certè si lexiuium fiat, aqua solum transmissa per cineres etiam calefactos, calceue permistos, sufficiens erit materia Baptismi; sicut aquæ medicæ thermarum, quamvis sulphureæ sint, vel ex venis metallorum, lapidum, aut mineralium, quas transierunt, aliqua qualitate fuerint infectæ. Nam adhuc retinent naturam, & plures aquæ proprietates, & solam alterationem accidentalē recipiunt, vt cùm S.Thoma docet Tannerus sup n.39. Idem est, si cineres leuiter decoquantur, vt sentiunt Auersa *sup. & Filliucius tract.2.n.28.* Cœterum tanta poterit esse decoctio cinerum, vt aquæ natura mutetur in aliam mistam, vt censuit Bonacina, & fatentur Filliucius, & Auersa, tunc non fore lexiuium sufficientem materiam Baptismi.

CAP. I. QVÆST. II.

An aqua artificiales sint materia sufficiens Baptismi?

15 COmmuni sētētia negat, aquas ex rosis, floribus, vel herbis distillatas esse materiam sufficientem Baptismi: Quia nō sunt aqua naturalis, sed succi quidā, & humores illorū corporū mistorū; ac subindè distinguuntur essentialiter ab aqua elementali, quām Concilia definiunt esse materiā necessariam Baptismi. Sic censent *S.Thom.3.p.q.66. ar.4.ad 5.Lessius ibi, Auersa sect.4.Trullench.de Sac.lib.2.c.1.dub.3.n.3. Suarez, Vazq.Henriq. Bonac.Layman, Valentia, Becanus, & alij* quinquaginta, quos refert, & sequitur *Dian.p.5.tract.3.Resol.2.*

16 Nō desunt tamen, qui velint in extrema necessitate tales aquas adhiberi posse Baptismo. Quia non omninò constat, an specie differant ab aqua naturali. *Sic Ioannes Præpositus 3.p.q.66.art.4. n.22.* Adamus *Tannerus to.4. disp.4.q.1. dub.2.n.41.Chamerota de Sac. tract.2.de Bapt.ca.2.dub.2.Castro Palaus to.4.tract. 19.disp.1.punct.3.n.2.Lessius sup.* Quam sententiam quamvis *Coninch. ca.q.66.n. 23.* non audeat approbare; quia videtur disonare Cōcilijs, & cōmuni sensui Doctorū existimantiū, aquam ex plātis expressam non esse naturalē: At quoniā extrema necessitas Baptismi, præsertim in pueris cogit extrema quęq; tentare, non vult omninò damnare tali materia (dum necessitas vrget) vtentes, donec apertè damnet illos Ecclesia; quasi necessitas vrgens honestet in Sacramentis vsum materiæ tam dubiæ quidem, vt vix dici possit probabilis.

17 Vlterius progressus est, *Ioannes Puteanus 3.p.q.66.ar.4.n.5.dicens*, quamvis aqua rosacea nō sit aqua naturalis elementalis, adhiberi posse Baptismo, dum alia nō suppetit in necessitate: Quia licēt Cōcilia requirant ad validum Baptismū aquas naturales, nō tamen hactenus Ecclesia definiuit, in nullo planè casu vllam aliā aquā sufficere valido Baptismo; cū item aqua rosacea magnā affinitatē habeat cū aqua naturali. Meritò quidem hanc sententiam audaciæ notat *Auersa sup.* Quippe dū Concilia definiunt, aquā naturalē esse materiā necessariā valori Baptismi, satis ostendunt, nullā aquam, quæ non sit elementalis, in quantacunq; necessitate sufficere valori Baptismi; necessitas enim nō variāt diuinā Sacramētorum

torum institutionem, nec affinitas cùm materia Sacramenti sufficit, vbi non suppetit vera materia. Quare si certum sit, liquorem ex floribus distillatum non esse naturalem aquam, sed purum succum ipsorum, æquè certum esse debet, nunquam adhiberi posse Baptismo, quantumvis vrgeat necessitas. Si verò dubium aliquod subsit, an in illo liquore sit aliqua pars aquæ naturalis permista sufficiens valido Baptismo; quòd certè suberit, quando liquor eductus fuit ex herbis, aut floribus aqua naturali perfusis, aut irroratis; poterit adhiberi sub conditione, iuxtà superius dicta *num.* 12.

18 Aquam manantem ex vitibus incisis, vel ex alijs plantis, aut arboribus sufficere valido Baptismo, significat *Ioannes de la Cruz in Direct. part.* 2. *de Bapt. q.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. *quasi sit aqua naturalis.* Sed oppositum asserendum est; nam humor ille non est aqua naturalis, sed succus plantæ, vel arboris, ac subindè corpus mistum, sicut planta, vel arbor, vndè fluit, quamvis ob perspicuitatem similis aquæ sit, & soleat aqua vocari. *Sic docent Henriq. lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 2. *Filliucius tract.* 2 *nu.* 26. *Bonacina de Sacram. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. *Zanardus in Direct. part.* 1. *de Bapt. ca.* 3. *Moure part.* 3. *cap.* 2. §. 3. *nu.* 3. *Auersa* 3. *p. quæst.* 66. *sect.* 4. *Diana part.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 5. *Palaus, & Tannerus sup.* qui consequenter asserit, nullam aquam, vel succum ex herbis, floribus, radicibus, frondibus, arboribus, metallis, alijsve mistis elicitum per incisionem, contusionem, aut distillationem, esse materiam sufficientem Baptismi; quoniam essentialiter differunt ab aqua naturali, iuxtà S. Thomam, & communem Doctorum. Addit verò: quia nonnulli Recentiores contrarium sentiunt, adhiberi posse probabiliter in necessitate. Verùm hoc ego nec suaderem faciendum; nec factum damnarem; Quippè licèt non appareat probabile per locum intrinsecum, at per locum extrinsecum non videtur improbandum omninò.

19 Notant Auersa, Diana, & Maure sup. veram aquam esse, Baptismoque sufficientem, quæ colligitur ex vaporibus densatis, cùm euaporantur ex olla, & tegumento repercutiuntur. Item quæ hyeme fluit ex parietibus, aut lapidibus: Nam vapores vel sunt essentialiter aqua, vel facilè conuertuntur in aquam; & aer humidus transmutatur in veram aquam, cùm hæc manat ex parietibus, aut saxis. Nec hoc video negari à quopiam.

20 Saliuam adhiberi posse Baptismo, quando necessitas vrget, indicat *Palaus sup.* quasi sit aliqualiter probabile, saliuam ab aqua naturali substantialiter non differre. Verùm communis sententia negat, sputum, pituitam, & saliuam etiam subtilem esse sufficientem materiam Baptismi. Quoniam sunt humores humani corporis distincti substantialiter ab aqua naturali, sicut sudor, & similes. *Ita Coninch. quæst.* 66. *num.* 4. *Layman lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. *Posseuinus cap.* 6. *num.* 4. *Filliucius, Henriquez, Auersa, Bonacina sup. Confirmatur ex cap. Non vt apponeres. De Bapt.* vbi decernit Pontifex, paruulos quosdam saliua baptizatos non recepisse validum Sacramentum, quia defuit elementum aquæ necessarium valori Baptismi. Quapropter, oppositum nec aliqualiter probabile reputo.

CAP. I. QVÆST. III.

An lutum, nix, Gelu, Grando, Glacies sint materia Baptismi?

21 Lutum propriè dictum magis est terra, quàm aqua; subindèque non sufficiet valori Baptismi. Secus aqua, quàm expresseris ex luto: nam hæc retinet aquæ naturam physicam, & moralem, quatenus essentialiter est aqua, deseruireque potest ad abluendum. Benè quippè notant *Palaus sup. Præpositus* 3. *par. qu.* 66. *art.* 4. *num.* 22. *& alij*, non sufficere valori Baptismi naturam aquæ physicam, sed requiri simul mora-

moralem, ideſt talem conditionem, & ſtatum, vt ſecundum hominum æſtimationem reputetur aqua naturalis apta moraliter ad abluendum. Quare ſi maior ſit pars aquæ, quam terræ; quãuis S. *Tho. 3. part. q. 66. art. 4. Henriqu. ſup. Fillincius num. 27. Bonacina num. 6.* dicant, non eſſe propriè lutum, ſed aquam lutulentam, ſeu nimis turbidam, quæ ſufficiat valido Baptiſmo; conſiderandum erit, an aqua lutulenta talis ſit, vt lauare poſſit potius, quàm polluere. Secus enim, etſi retineat naturam aquæ phyſicam, non ſufficiet Baptiſmo valido, cum ſit aptior ad polluendum, quàm ad abluendum. Sic cenſent *Palaus, & Auerſa ſup.*

22 Niuem eſſentialiter ab aqua non differre, docent *Fillincius tract. 2. nu. 29. Layman lib. 5. trac. 2. ca. 3. Moure part. 3. cap. 2. §. 3. num. 4. Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 3. num. 3.* cum facilè reſoluatur in aquam. Vnde niuem, & glaciem, ſeu grandinem adhiberi poſſe Baptiſmo, dũ vrget neceſſitas, aſſerunt *Puteanus 3. p. q. 66. art. 4. dub. 1. nu. 5. Præpoſitus eadem art. num. 22. Leſſius nu. 14.* Confirmant, nam aliqui putant cum Ioanne Maiore, ſufficere valido Baptiſmo contactum aquæ, quamuis nulla ſequatur ablutio. At Sotus *in 4 diſt. 3. quæſt. 1. artic. 4. ad 1. & Petrus de Ledeſma trac. de Bapt. ca. 3. concluſ. 1.* Putant eſſentialiter ab aqua differre, facili tamen alteratione in illam conuerti eſt.

23 Dicendum eſt, niuem, gelu, glaciē, grandinem, dum non liquefiunt, non eſſe materiam ſufficientem valido Baptiſmo. Quia ſiue differant eſſentialiter ab aqua, ſiue ſolum accidentaliter, apta nõ ſunt ad abluendum, niſi prius liquefiant; & Baptiſmus certè requirit aquam aptam ad abluendum. Si verò non nihil liquefiant, quod facilè fiet contactu corporum, perfricatione manuum, colliſioneve partium diuiſarum, itaut reſoluantur in partum aquæ ſufficientis ad abluẽdum; iam erunt ſufficiens materia Baptiſmi. Sic docent cum communi ſententia *Suar. tom. 3. diſp. 20. ſect. 2. Henriqu. lib. 2. cap. 6. num. 1. Bonacina de Sacram. diſp. 2. q. 2. punct. 3. Coninch 3. p. q. 66. art. 4. num. 27. Tannerus ibi num. 37. Præpoſitus num. 22. Auerſa ſect. 4. Sotus, Fillincius, Ledeſma, Palaus, Layman, Moure ſup. qui referunt alios.* Et quidem in praxi pronum erit ferè ſemper ex niue, vel ſimilibus aquam elicere ſufficientem nõ ſolum ad contactum, ſed etiam ad ablutionem, quæ certum reddat valorem Baptiſmi.

24 Liquorem profluentem ex ſale ſufficere Baptiſmo valido, docent *Armilla verb. Baptiſmus num. 23 Diana part. 3. tract. 4. Reſol. 5. Hurtado de Bapt. diſp. 1. diffic. 2. Ochagauia q. 3 num. 4. Henriqu., & Bonacina ſup. Moure, num. 5.* Probant; quia ſal fit ex aqua maris, aut putei ſalſi congelata, vel indurata calore ſolis, aut ignis, vt docet *Ariſtot. 2. Meteororum cap. 3.* & experientia teſtatur, ac per conſequens aqua profluens ex ſale reſoluto eſt eiuſdem rationis cum aqua maris, ſeu ſalſa. Negant verò ſufficere *Syluester Baptiſm. 2. num. 3. Tabienna Baptiſmus. 4 § 7. Angelus ibi num. 3. Layman, & Auerſa ſup. Coninch num. 23. Palaus n. 2.* Probant, quia ſal eſt mixtum quoddam ex vaporibus, & exhalationibus concretum, ſubindeque diſtinctum eſſentialiter ab aqua; Quare ſiue concretum, ſiue liquidum non eſt ſubſtantialiter aqua; ſed immiſtus aquæ liqueſcit, & communicat illi ſalſedinem; Dum verò calore ſolis, vel ignis conſumitur aquæ ſubſtantia, remanet ille ſuccus ſalſus, & indureſcit, vocaturque ſal. Et hoc ſolum voluit Ariſtoteles, ac experientia demonſtrat, & nihil aliud. Ideo *Coninch non reputat eſſe probabile,* quod liquor ex ſale reſoluto profluens, ſit materia ſufficiens Baptiſmi, quod ſatis indicat etiam *Auerſa.*

25 *Poſſeuinus cap. 6. num. 5* dicit, liquorem iſtum eſſe materiam Baptiſmi dubiam; *Palaus ſupra* dicit, eſſe probabilem, itaut adhiberi poſſit in extrema neceſſitate Baptiſmi. *Fillius. tr. 2. n. 29.* ſic diſtinguit; Si ſal retinet maiorem partẽ aqueæ ſubſtantiæ, reſoluitur in aquam naturalem, quæ ſit ſufficiens materia Baptiſmi. Secus ſi tantam habeat denſitatem

tatem, vt nimia censeatur exhalationũ admistio, ac per consequens admittat denominationem aquæ, quæ semper supponere debet maiorem eius quantitatem. Ego certè, cum variæ sint Philosophorum sententiæ de salis natura, de salsedine maris, & in commum; censeo probabiliorem esse, quæ docet, sal esse crassiores mistorũ partes, & quasi quoddam metalli genus in varijs terræ venis concrescere, quarum plures in fundo maris, & in littoribus existentes reddunt mare salsum, dum succus ille humiditate liquescit. Similiter in varijs terrarum tractibus aquæ nonnullæ salsæ repetiuntur, quia transeunt per venas salis, specus etiam, & agri salsi, quia venas salis includunt. Quare cum secunda sententia reor, liquorem ex sale manantem non esse sufficientem Baptismi materiam; adhuc ob opinionum varietatem, in necessitate sub conditione posset adhiberi. Videatur *Nicolaus Cabeus in suis Meteoris lib.2. textu 26.qu.*1. latè discutiens salis, & salsedinis naturam.

CAP. I. QVÆST. IV.

Quando sit aqua permista sufficiens materia Baptismi?

26 Regulam assignat *S. Thom. 3.p. q.66.artic.*4. quoties remanet maior pars aquæ, sufficientem esse materiam Baptismi: secus verò quando miscetur aquam tam paruæ quantitatis, vt compositum, seu mistũ magis sit aliud, quàm aqua. Sic vinum modicis aquæ guttulis lymphatum magis est vinum, quàm aqua. Sic aqua multa pinguedinis, vel farinæ quantitate densata iam transijt in mistum. Sic aqua cum melle mista, vel cum vbis expressis in dolijs decocta, similiaque mista iam absolutè non denominantur aqua, consentiunt *Henriqu.lib.2.cap.6.num.*2. *Layman lib.5.tract.2.cap.3.num.*1. *Filliucius trac.*2. *num.*27. *Bonacina disput.2.qu.2.punct.3.num.6. Coninch 3.par.q.66.n.*22. *Auersa ibi sect.*4.

27 Certè res pendet ex facto, prudenterque debet perpendi quantitas aquæ, corporisque permisti, vt discernatur, an aqua retineat suam naturam, vel in aliã diuersam transierit: Et sępè dabitur probabile dubium, an facta mistione vini, mellis, olei, farinæ, facchari, vel aromatum, vel alterius corporis cum aqua, nihilominus hęc retineat absolutam denominationẽ aquæ; necne. Quapropter erit tunc materia dubia Baptismi: Quod si per artem aliquam extrahatur ex vino limphato, vel alio simili misto naturalis aqua, certam fore materiam Baptismi, docet *S. Thomas supra, & Doctores cum illo.*

28 Quoad praxim dico 1. peccare grauiter illum, qui sine necessitate baptizat aqua non benedicta secundum Ecclesiæ ritum, vt colligitur *ex Clement. vnica de Baptismo, docentque Syluester Baptism.2.q.3. Toletus lib.1.cap.*18. *num.*4 *Reginaldus lib.27.num.*13 *Palaus tom.4.trac.19.punc.3 num.5. Villalobos tom.1.trac.5.diffic.3.num.3. Coninch supra. Bonacina n.1 num.8. Henriqu.num.*4. notans id haberi ex Apostolica traditione iuxta Sanctum Basilium, & alios. Probatur; nam Ecclesiæ præceptum, & mos in re tam graui grauiter obligat ad adhibendam in Baptismo aquam solemni ritu benedictam, quæ seruatur ad hunc effectum nonnumquam in fonte Baptismali. Nec illam laicus tangere potest ob chrisma, quod habet admistum, vt habetur cap. *In sancta*.cap. *Vestimenta, de consecr. dist.*1. cap *Sabbato sancto. de consecr. distin* 4. *cap* 1. *de Sacram. non iterand.* Quare si laicus in necessitate baptizans vti velit hac aqua benedicta, debet infundere sine contactu, scilicet medio vase, vt notant *Villalobos, & Henriqu. supra. Vide infra cap.6. q.2.*

29 Dico 2. grauius illum peccare, qui sine necessitate baptizat aqua fœda, vel impura nimirum brodio parũ decocto, vel lixiuio, vel simili; Quia facit contra reuerentiam Sacramẽto debitam. Grauius item sacrilegium committeret, qui citra necessitatem adhiberet materiam du-

dubiam; magnam siquidem irreuerentiam irrogat, dum per talem vsum subit voluntarium periculum conferendi baptismum irritum. Ita *Coninch Reginaldus, & Palaus supra Henriqu. nu. 2. Bonacina num. 7. & 9. & alii communiter*.

30 Cœterum in extrema necessitate non solum licitè possumus, sed etiam debemus vti aqua non benedicta, vel impura, vel etiam dubia, dum alia non suppetit pura, vel certa; nec tunc temporis haberi potest. Quia melius est Sacramentum dubium, quàm nullum. Si verò sic baptizatus baptismo dubio, vel solum probabili superuiuat, reiterandus est baptismus sub conditione. Nam in dubijs pertinentibus ad æternam saluté tenemur amplecti partem tutiorem. Videantur, quæ diximus *lib. 1. cap. 1. q. 4. & 6. Vazqu. 3. p. disp. 155. Coninch Henriqu. Bonacina supra.*

CAPVT II.

De materia proxima Baptismi.

1 CONueniunt Doctores, materiã Baptismi proximam esse ablutionem. Ita *Magister in 4. dist. 3. ca. 1. Ricardus, Scotus, Paludanus ibi. S. Thomas 3. par. qu. 66. art. 7. & 8 Suarez tom 3. disput. 20. sect. 2. Vazqu. 3. par. disput. 141. cap. 2. Coninch q. 66. num. 25. Bonacina disput. 2. qu. 2. punct. 3. num. 13.* Probatur 1. ex Matth. 28. *Baptizantes eos*, id est abluentes eos. Ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*. Probatur 2. nam omnia Sacramenta præter Eucharistiam (quippe quæ consistunt in vsu) habent pro materia proxima non rem permanentem, sed actionem aliquam transeuntem; illam scilicet, quàm immediatè significat, & determinat forma. Sed forma baptismi non significat aquam immediatè, nec consequenter determinat illam secundùm se consideratam, sed eius vsum, siue ablutionem, vt patet ex ipsis formæ verbis: Ergo ablutio est materia proxima baptismi.

CAP. II. QVÆST. I.

Quod genus absolutionis sufficiat, aut requiratur ad Baptismum?

2 POssunt in ablutione considerari nonnulla vel intrinseca ipsi, vel cum illa coniuncta. Primò siquidem ex parte abluentis datur motio brachij. Secundò datur motio aquæ, quæ corpori applicatur abluendo; vel ipsius corporis, quòd applicatur aquæ, dum eidem immergitur. Tertiò datur contactus corporis, & aquæ, quasi terminus illius motionis: Et hæc omnia dici possunt ablutio actiua, quatenus significant ablutionem, prout ab agente concipitur egredi. Quartò datur ex parte abluti receptio, qua per mutuum cõtactum recipit quodam modo aquam sibi cohærentem, & dici potest ablutio passiua, quatenus significat aquam applicatam corpori per contiguitatem, & ab hac corpus extrinsecè denominatur tangi, vel ablui, & sic habere modum quendam passionis, licet verè non sit passio, quia per illam nulla qualitas producitur, seu recipitur, sed solus modus præsentiæ, vel simul etiam relationis propinquitatis. Quintò dantur effectus ablutionis. v. gr. refrigeratio abluti, fordium abstersio, & cetera quæ non sunt ablutio, sed ipsam consequuntur.

3 Itaque sit dubium primum; An materia proxima Baptismi sit ablutio passiua, vel actiua? Passiuam affirmant *Sotus in 4. distinct. 3. quest. 1. artic. 1. Suarez supra. Valentia tomo quarto disputat. 4. quæst. 1. punct. 1. circa fin. Villalobos tom. 1. tract. 5. difficult. 1. numero 1. & difficult. 4. numero primo*. Probant; quia Baptismus habet rationem Sacramenti, quatenus in baptizato recipitur; ergo dicit ablutionem, quatenus passionem.

Dicendum tamen est, materiam pro-

proximam Baptismi esse tam ablutionē actiuam, quàm passiuam, quatenus includit secundum, tertium, & quartum motum supra numeratos: nam primus, & quintus omninò sunt extra rationem ablutionis. Ita *Vazqu.supra, Coninch nu. 31 Ochagauia de Baptismo qu.3. Auersa cum alijs 3.par.q.66.sect.3. circa finem*. Probatur; quia non concipitur ablutio fieri, nisi per motum allidatur aqua corpori siquidem in vtriusque contactu, seu collisione consistit ablutio, quàm significat Baptismi forma simul tanquam actionem baptizantis, vt patet in nostra forma. *Ego te baptizo*, & tanquam receptionem in corpore baptizati, quàm magis exprimit forma Græcorum. *Baptizetur seruus Christi*. Pariter igitur requirit Baptismus, vt aliquis abluat, & aliquis abluatur, ac subindè pariter penes vtrumque respectum est ablutio de ratione baptismi.

4 Hinc fit 1. valere Baptismum ex niue, vel glacie, si resoluatur in aquam, dū est in manibus baptizantis, antequam applicetur baptizato: non verò si resoluatur post applicationem, quia tunc esset ablutio passiua tantùm. Ita *Tannerus tom.4.disp.4.qu.1.dub.2.n.44. Addit Auersa supra*, valere quoq; Baptismum, si nix, aut glacies per applicationem ad corpus baptizandi resoluatur in aquam, dum modo ritè conjungatur prolatio formæ; quia Minister applicādo niuem, aut glaciem suo modo iam actiuè lauaret, & ità non deesset actiua simul ablutio. *Diana part.9.tract.3.Resol.3.* probabile reputat, sufficere solam ablutionem passiuam. Certè citra necessitatem non licet adhibere solam ablutionem passiuam; siquando tamen ob necessitatem adhibita fuerit, Baptismus erit ad summum probabilis, & ideò sub conditione repetendus.

5 Fit 2. ad valorem Baptismi requiri motionem vel aquæ tendentis ad tangendum corpus, quòd affunditur; vel corporis tendentis ad tangendam aquā, in qua mergitur, & procedentis quidem à Ministro; nam id significat forma. Quare non recipit validum Baptismum, qui quietus in aqua prorsùs immota consistit, quamuis super eo proferatur forma Baptismi, nam ibi non datur ablutio sufficiens Baptismo valido, cum non detur motus circa corpus abluti factus ab abluente. Similiter siquis continens aquam in vase, quòd infans à se, vel ab alio missus subintrat, proferat formā Baptismi, nihil mouens aquam, vel corpus, non baptizat; quia verè non abluit. Ita *Coninch q.66.num.25.26.31. Auersa q.66 sect.4.*

6 Addit *Suarez supra*, requiri communiter ad ablutionem, quòd contactus sit successiuus per successiuam motionem aquæ circa corpus, vel corporis in aqua. Quare siqua pars aquę (per aspersionem præsertim iniecta) tāgat corpus, nec diffluat cōntactu successiuo, negat effici Sacramētum; quoniam homo non dicitur ablutus per nudū aquæ contactum, nisi sit successiuus: Sicut aqua existens in vase propter solùm contactū non dicitur abluere vas. Ergo debet aqua diffundi per corpus successiuo motu, & contactu ad absolutam denominationem ablutionis. Sequuntur hanc doctrinam *Fillincius trac.2.num.30. Bonacina disp.2.q.2.punc.3.num.14. Palaus tom.4.tract.19.punct.4.num.2.& 6. Possevinus cap.6.num.13. Layman lib.5.tr.2. cap.3. Comitolus lib.1.q.12. Reginald.lib. 27.num.14 Ochagauia de Bapt.q.4.num. 8. Diana part.3.tract.4.Resol.5.& par.5. tract.3 Resolut.5. Auersa supra, & alij communiter.* Qui colligunt indè, valuisse Baptismum, dum mulier moribundum infantem baptizauit, impresso signo crucis in fronte digito madefacto; quoniam adfuit ibi contactus aquæ successiuus; secus fore, si solùm digitū aqua madefactum applicaret infanti. Et hęc sententia communior est, & probabilior, & tutior, & ideò tenenda semper in praxi.

7 Cœterum *Vazquez* eam successionem contactus non requirit ad Baptismi valorem, imò *3.p.disp.145.n.23. contra Syluestrum docet*, ad veram rationem corporalis ablutionis, per quam

spiri-

ſpiritualis ablutio peccatorum denotatur, non requiri, vt aqua diffluat ab abluto; quia ſordes optimè tergi poſſunt, licèt aqua eidem parti, quam ſemel tetigit, adhæreat: ac ſubindè per ſolam aſperſionem guttarum aquæ fieri poſſe verum Baptiſmum, etiamſi guttæ non diffluant, ſed eidem parti ſemper inhæreant. Nec vllus (inquit *Vazquez*) hunc Baptiſmum verum eſſe Sacramentum negabit. Eſt igitur talis ablutio vera materia Sacramenti, quamuis aqua nullo modò diffluat à baptizato. Fauet *Henriq. lib. 2. cap. 21. n. 4.* dicens, Sufficit ſtilla aquæ per aſperſionem tangi ſolùm hominis pedem. Magis expreſſit *Leſſius 3. p. q. 66. n. 3.* docens, ablutionem communiter fieri per contactum ſucceſſiuũ corporis, & aquæ: ſubdit verò: fieri poteſt vt partem aliquam ſimul aqua tangat ſufficienter, & tunc ablutio fit in momẽto: non eſt enim de ratione ablutionis, vt ſucceſſiuè fiat. Hæc ſententia ſic apparet probabilis, vt in extrema neceſſitate reduci poſſit ad praxim.

8 Sit ſecundum dubium: An requiratur immerſio, vel ſufficiat infuſio, vel aſperſio? Triplex etenim diſtinguitur in præſenti genus ablutionis, videlicèt vel per immerſionẽ hominis in aquam vel per affuſionem, aut aſperſionẽ aquæ ſuper baptizandum; & prima ſententia requirit immerſionem: quia per illam ſignificari mortem, & ſepulturam Chriſti domini ſatis innuit *Apoſtolus Rom. 6.* dum inquit. *Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem. Sic aſſerunt Athanaſius in lib. quæſtionum ad Antiochum q. 125. Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 7. Nyſſenus in Orat. Catechetica cap. 35. Leo Magnus in epiſt. 4. cap. 3. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 10. Auguſtinus ſerm. 201. de temp. Imò trinam merſionem* aſſignant, vt triduana Domini ſepultura, & Trinitas diuinarum perſonarum denotetur; Hieronymus in Dialogo aduerſus *Luciferianos num. 15. Baſilius lib. de Spiritu ſancto ca. 27. Theodoretus lib. heret. fabul. cap. de Eunomio.* Probatur ex *cap. Poſtquam 78. cap. Si quis Presbyter 79. cap. Eodem modo 81. cap. Multi ſunt 82. de Conſec. diſt. 4.* Vbi trina merſio baptizandi tanquam Dominicum præceptum iniungitur, & aliter facientes grauiter puniuntur.

9 Dico 1. Trina merſio non requiritur ad valorem Baptiſmi. *Sic tradunt S. Thomas 3. p. q. 66. art. 8. Coninch. ubi n. 84. Auerſa ſect. 4. Vazqu. diſp. 145. cap. 1. Suarez diſp. 20. ſect. 3. Henriq. cum multis lib. 2. cap. 7. n. 4. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 3. n. 4.* Probatur 1. nam ad eſſentiam Baptiſmi ſola requiritur ablutio, quæ ſine trina merſione dari poteſt. Probatur 2. nam ob euitandos diuerſos errores varijs temporibus occurrentes Eccleſia iam trinam, iam vnicam merſionem adhibuit; vt conſtat ex *cap. De trina 80. cap. Propter 85. de Conſec. diſt. 4.* Decreta contraria probant ad ſummũ, trinam merſionem olim fuiſſe præceptam ab Apoſtolis: Hoc tamen præceptum iuſtis de cauſis abrogari potuit ab Eccleſia; quamuis expreſſio trium perſonarum à Chriſto Domino deſignata tolli non poſſit, quin baptiſmus irritetur: quòd ſignificant Patres in contrarium adducti, & habetur *cap. Si reuera 30. cap. In Synodo 83. de Conſec. diſt. 4.*

10 Dico 2. Non requiritur ad valorem Baptiſmi merſio, ſed ſufficit affuſio, vel infuſio aquæ ſuper baptizandum, & vnica. Sic docent *S. Thomas ſup. art. 7. Vazquez cap. 2. Suarez, Coninch.* & alij communiter: ac vſus Eccleſiæ cõfirmat. Ratione probatur: nam ex inſtitutione Chriſti ſola requiritur ablutio, quæ pariter fit per immerſionem, aut affuſionem. Ergo valet vtrouis modo collatus Baptiſmus. Subindè valebit etiam per aſperſionem, dum aqua ſufficiente corpus intingatur, ita vt abſolutè denominetur ablutum. Peccaret verò grauiter, qui ſine ſufficiente cauſa baptizaret per aſperſionem, quia faceret contra morem Eccleſiæ receptum, ſubiretq; periculum irritandi Sacramentum, ſi ſufficiens aqua non pertingat ad capita ſingulorum. Videantur *Vazquez ſupra, num. 11.*

num.11.& 16.Henriqu.lib.2.ca.7. Auersa qu.66 sect.4.& Rituale Romanum pag. 6.de forma Baptismi,dicens. Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen,vel secundus modus, qui magis sunt in vsu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur. At infans moribundus, si non possit aliter, baptizandus erit per aspersionem, vt recté notat *Diana part.5.tract.3.Resol.19.*

11 Dico tertiò. Ministrans ex officio Baptismum, seruare debet Ecclesię suæ morem, & ritum. Nam quisque tenetur se ritibus suæ Diœcesis accommodare. Sic præscribit Rituale Romanum *supr.* Sic tradunt *Henriquez, & Layman supra, Coninch num.65.& 84.Reginaldus lib.27.num.19.*& alij communiter. Antiquus Ecclesiæ mos fuit, vt Baptismus per immersionem conferretur, quem *S.Gregorius, & S.Thomas* suis temporibus perseuerasse testatur: & nunc etiam apud nonnullos perseuerat. Verum in Occidente regulariter Baptismus iam per affusionem confertur ob teneritudinem infantium, & honestatem adultorum.

12 An autem sit mortale peccatum non seruare ritum Ecclesiæ suæ quoad modum baptizandi per mersionem, aut infusionem? Affirmant *S.Thom.3.part. quæst.66.art.8.Bonacina disput.2.quæst.2. punct.3.Villalobos tomo primo tractat.5. difficult.4.* Quia videtur esse præceptum grauiter obligans, nisi iusta causa subsit aliter baptizandi. Negant verò *Sotus in 4.dist.3.quæst.1.artic.7.& 8.Valentia tomo 1.disputat.4. quæst.1. punct.2. Palaus tom.4.tract 19. punct.3. num.2. Henriqu. supra, & alij.* Quia non reputant, eam obligationem esse nunc grauem, quando nonnulla Ritualia pręscribunt sub disiunctione mersionem, vel infusionem. Mihi videtur, secluso contemptu, vel scandalo, sine causa sufficiente talis mutationis fore veniale peccatum; quia saltem violatur obligatio leuis; si causa subsit sufficientis necessitatis, vel honestatis, nullum fore peccatum, causas aliquas in particulari numerat *S.Thomas sup.art.7.*

13 An verò siquis intendens baptizare trina mersione, vel affusione, conficiat Sacramētum in prima, prolata iam integra forma? Quidam aiunt, alij negant. Certè si Minister habeat expressam intentionem non conficiendi Sacramētum, nisi peracta trina mersione, vel affusione, vel aquæ totius effusione, quamuis tota forma prius proferatur, ante mersionem, vel affusionem vltimā non fiet Sacramentum defectu intētionis. Post vltimam mersionem, vel affusionem fieri Sacramentum, affirmant nonnulli; quia iam tunc posita sunt materia, forma, & intentio Ministri. Negant alij, nam intentio Ministri non potest suspendere valorem Sacramēti post adhibitam materiam, & formam sufficientem, in tempus futurum. Sic enim penderet valor Sacramenti à conditione futura, quòd repugnat. Equidem Baptismus esset dubius; & per consequens iterandus sub conditione, grauiterque peccaret, qui cum hac intentione baptizaret Videantur *S.Thom.3.p.q.66.artic. 8.Bonacin.de Sacram.disp.2.qu.2.punc. 3.num.30. & 31. Palaus tom.4.tract. 19. punct.4.Suar.tom.3.disp.20.sect.2.Vazq. 3.par.tom.4.q.84.art.3.dub.4. num. 5. & tom.2. disp.145.num.33. Coninch.qu.64. num.80.& q.66.n.86.& 87.*

14 Si tamen Minister intendat verum efficere Baptismum iuxta diuinam institutionem, quāmuis simul velit baptizare trina mersione, vel affusione, vel totius vasis effusione, valebit Baptismus prolatis verbis, & facta prima mersione, vel affusione, vel aquæ sufficientis effusione. Quoties enim ponitur forma verborum, cui pręcipuè tribuitur effectio Sacramenti, data simul ablutione, ac intentione sufficiente, perficitur Baptismus; nec vlterior ablutio concurrit, vt pars intrinseca Sacramenti. Videantur citati Doctores, & præterea *Fillіucius tract.2.num.34.Reginald.lib.27.num.20. Diana par.5.tract.3.Resol.17.*

CAP.

CAP. II. QVÆST. II.

Quando quis ita mergitur, vt suffocetur, an valeat Baptismus?

15 Est vulgaris casus, si quis puerum proijciat in fluuium, vel in puteum proferendo formam Baptismi. Prima sententia negat, tunc valere Baptismum. Probatur 1. nam ablutio requirit, vt corpus mergatur cum animo educendi; secus non est ablutio, sed suffocatio. Ergo non sufficit ad Baptismum. Probatur 2. quia Baptismus ordinatur ad vitam, vt significet Christi resurrectionem; illa verò proiectio tendit ad mortem. Probatur 3. quia debet baptizans mediatè saltem attingere baptizatum, vt dicatur illum abluere. Qui verò proijcit puerum in aquam, nec immediatè, nec mediatè tangit illum, quando puer attingit aquam. Ergo non abluit, nec baptizat. Ita censent *Scotus, Paludanus, Sotus, Sylvester, & alij*, quos sequitur *Henriq. li. 2. c. 7. n. 3. Tolet. li. 2. ca. 18. num. 4. Cabrera 3. part. qu. 66. artic. 7. num. 17.*

16 Secunda sententia probabilior affirmat. Quia dantur vera forma, & intentio, vt supponimus; vera item ablutio proiecti; siquidem proijciens verè corpus illidit aquæ, cuius contactum baptizatus percurrit. Nihil ergo deest substantiæ Sacramenti necessarium. Ita *Gabriel, Abbas, Rosella, quos sequuntur Suarez to. 3. disp. 20. sect. 3. Vazqu. 3. p. disput. 145. c. 3. Lessius 3. p. q. 66. n. 34. Conincabi, n. 68. Auersa sect. 4. Nuñus, art. 8. concl. 4. & 5 Valent. to. 4. disp. 4 q. 1. punc. 2. Regin. lib. 27. n. 21. & 22. Filliuc. tr. 2. n. 39. Bon. disp. 2. q. 2. punc. 3. n. 27. Laym. li. 5 trac. 2. c. 3. n. 5. Villalob. tom. 1. tr. 5. diffic. 4. nu. 7. Petrus de Ledesma de Bapt. cap. 3. dub. 5. Diana cum alijs par. 5. tr. 3. Resol. 14.*

17 Ad primum fundamentum oppositum negatur antecedens; non enim pertinet ad rationem ablutionis, vt ablutus educatur ex aquis, sed vt aquis illidatur ab abluente, siue post educatur, siue non educatur ex aqua. Sic siquis mergeret puerum animo suffocandi eum, & interim tenens illum in aqua proferret formam, & posteà dimitteret ipsum, vt suffocetur, verè baptizasset talem puerum, vt notat *Auersa supra*. Pariter ergo verè baptizat, si dimittens illum è manibus proferat formam. Ad secundum respondetur, ordinari baptismum ad vitam spiritualem, per quam satis significatur Christi resurrectio; mortem verò corporalem baptizati non obstare valori baptismi. Sic verè baptizat, qui puerum aqua feruenti simul abluit, & occidit, & qui super infantem iacentem in cuna tantam super infundit aquam, vt suffocet. Ad tertium respondetur, illum, qui proijcit alium in aquam, sufficienter attingere proiectum, tempore s. proiectionis, quod sufficit, vt absolutè dicatur eundem abluere.

18 Illud est certius, si puer in cistella positus, vel in cribo, chordaq; suspensus, vel solo fune dependens mittatur in flumen, aut puteum, & extrahatur prolata forma, scilicet ab ipso mittente, valere Baptismum; quia verè denominatur ablutus. Ita *Toletus sup. Bonacina num. 28. Zambrano cap. 1. dub. 12. n. 6. & communiter Doctores*. Similiter si Minister bono quidem animo mergat infantem in flumen ad baptizandum illum, & prolata forma, casu labatur è manibus, & suffocetur, valet Baptismus, vt fatentur *Sotus, Henriquez, & cæteri Doctores primæ sententiæ*. Addit *Bonacina num. 29.* Siquis puerum submittat aquæ difluente, vel ex tecto, vel ex fonte, proferens formam Baptismi, valere Baptismum, quia verè puer denominatur ablutus à submittente. Verum si teneas puerum, & casu labatur in flumen, vel in puteum, & tempore lapsus proferas formam baptismi, non valere Baptismum, docet *Ledesma supra*. Quia sicut proiectio non fuit libera, sic ablutio non fuit voluntaria, nec humana, qualis ad

ad Baptismi valorem requiritur.

19 An verò puerum moribundum in puteum proijcere liceat, vt baptizetur? Certum est, homicidium committi, si sine summa necessitate fiat. At quando puer iam certò, citòque moriturus aliter baptizari non potest, licere vel in fluuium, vel in puteum proijcere puerum baptizandum simul, & suffocandum, docent *Lessius 3. par. quæst. 66. num. 34. & Ochagauia de Baptismo qu. 7. numero secundo.* Probatur; quia salus æterna vitæ corporali nuper defecturæ præponi debet: Imò cum in moralibus parum pro nihilo reputetur, tàm parua mortis acceleratio pro sempiterna beatitudine nihili pendenda videtur, etiam in adulto catechumeno, cuius iustificatio difficilis erit per contritionem, & medio Baptismo facilis.

Confirmatur; quia quamuis numquam occidere liceat innocentem intentione directa, tamen sæpè licet actionem facere necessariam ad finem honestum, quem intendimus, quamquam ex illa necessario sequatur innocentis occisio. Tunc enim, & si physicè coniuncta sit talis actio cum innocentis occisione, subindèque ponens actionem, necessariò causet occisionem; at moraliter per accidens coniungitur occisio tali actioni: cum nec operans intendat occisionem, nec teneatur hic, & nunc omittere suam actionem ob euitandam occisionem. Quare meritò non censetur esse causa moralis occisionis. Ergo qui puerum intendit baptizare, ne pereat in æternum, non est moralis causa suffocationis ex tali Baptismo secutæ.

20 Declaratur exemplis; Sic enim primo miles in bello, dum oppugnat ciuitatem, licitè suffodit murum, aut turrim, etsi certò sciat, se casu turris obruendum. Secundùm licitè tormenta diriguntur ad euertendas hostiles munitiones etiam cum innocentium nece. Similiter licet mihi, quando non possum aliter euadere mortem, occidere inuasorem, quamuis eodem ictu simul innocentem, quo se protegit, occisurus sim. Possum item imminentem ab hoste necem fugere, quamuis equus in fuga puerum obuium conculcet, vt cum alijs docet *Lessius de iustitia libro secundo capite nono dub. 9.* Tertiò mulier grauida licitè sumit medicinam directè conducentem suæ sanitati cum certo periculo prolis etiam animatæ, quoties aliàs tam ipsa, quàm proles, antequam possit edi, vel baptizari, necessario perituræ sunt, vt docet *Lessius supra dub. 10.* Cum tamen in omnibus his casibus occidatur innocens. Similis autem videtur esse ratio proijcientis puerum iam certo moriturum in puteum, vt cum baptizet, quando non suppetit alius modus illum baptizandi; Quia talis Minister directè non intendit occidere puerum, sed baptizare; nec vult proiectionem, nisi quatenus est medium hic, & nunc necessarium ad baptismum, cui per accidens occisio coniungitur, & per consequens projiciens non est moralis ipsius causa.

21 Nihilominus dicendum est cum communi sententia, peccari grauiter, & irregularitatem incurri projiciendo puerum in puteum simul baptizandum, & suffocandum. Ita tenent omnes ferè Doctores vtriusque sententię relati *supra numero 15. & 16.* Item *Zambranus capite primo dub. 12. numero quinto Gamachæus, Hurtado, Mgratius, Præpositus*, quos sequitur *Diana par. quinta tract. 3. Resolut. 14.* Probatur; Quia non sunt facienda mala, vt indè veniant bona quamuis ęterna. Sed talis proiectio pueri, cum sit directa innocentis occisio, iure naturali diuino prohibetur. Ergo numquam licere potest. Minor probatur, nam eadem actio proiectionis est pueri baptizatio, simulque suffocatio; nec hic, & nunc hæc duo disiungi possunt: Ergo nemo potest efficaciter vnum velle, quin pariter velit alterum, aut esse causa vnius, nisi simul sit alterius causa. Dices hoc con-

sincere de causa physica, non verò de morali: quia similiter vna, & eadem explosio tormenti est causa subuersionis mænium, & occisionis innocentium; & tamen hæc non censetur explodenti voluntaria, nec hic est moralis causa necis.

Quoniam etsi physicè disiungi nequeant, tamen in intentione facilè disiunguntur: & idem esse videtur in pueri proiectione: Imò hæc videtur magis licita; cum sit vtilissima puero per hoc medium obtenturo vitam æternam, & nullo modo noxia, siquidem alias statim moriturus esset, & quod paulo citius moriatur, nullius æstimationis est respectu fęlicitatis æternæ. Secus est in ijs, qui subuersione mœnium occiduntur, & magnū damnum patiuntur inuiti: puer verò si cognosceret, quàm expediat sibi proiectio, libens illam peteret, & expeteret.

21 Aduersus istam euasionem vrgemus fundamentum communis sententiæ. Nam in subuersione męnium, & in alijs exemplis adductis *numero* 20. per accidens coniungitur occisio cum illis actionibus; siquidem possent ipsæmet consistere sine coniuncta nece; si videlicet innocentes abessent, quando turris inimica subuertitur, aut globulis tormentorum quatitur; si puer non esset in via, si mulier sumens pharmacum non esset grauida; & ideo quoad intentionem, & causalitatem moralem disiungi potest. At proiectio pueri vel in puteum, vel in fluuium secundum se considerata, seclusisque circumstantijs extrinsecis, fieri naturaliter nequit sine pueri suffocatione.

Quare volens proiectionem directè, necessario vult pariter pueri necem, nec efficaci volitione potest vnam ab alia præscindere.

CAP. II. QVÆST. III.

An liceat secare matrem, vt fœtus baptizetur?

23 Ex proximè dictis *n.*21. *&* 22. Sequitur, quamuis parturiens sit statim moritura cum euidenti periculo damnationis prolis, non licere matrem etiam consentientem secare viuam, vt fœtus possit baptizari. Postquàm verò mortua fuerit, si fætus in vtero credatur viuere, secari debet mater, vt infans extrahatur, & baptizetur. Ita *S. Thomas* 3. *par. q.* 68. *art.* 11. *Suar. ibi Coninch qu.* 66. *nu.* 75. *Bonacina de Sacram. disput.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. *Zambrano cap.* 1. *dub.* 12. *qui referunt alios*. Addit *Possevinus de offic. curat. cap.* 6. *num.* 16. sententiam esse Medicorum, post matrem mortuam viuere posse fętum per horam, & ita debere Parochum illicò procurare defunctæ sectionem. Et Ritualem Romanum titulo de Baptismo præscribit, vt ex prægnante mortua fætus quàmprimū extrahatur, ac si viuus fuerit, baptizetur.

24 Quòd si prægnans damnata sit ad mortem, regulariter differēdum est supplicium vsq; ad partum propter bonum prolis, vt habetur leg. *Prægnantem, ff. de Pœnis*. Si verò dum supplicium differtur, credatur fœtus ex morbo matris moriturus, priusquàm nascatur, dubitat *Palud. in* 4. *dist.* 6. *qu.* 1. *art.* 1. An liceat occidere prægnantem, vt fętus extrahatur ex vtero viuus, & baptizetur? Negant *Henriq. cum alijs li.* 2. *c.* 21. *nu.* 5. *Malder.* 2. 2. *tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 16. *Comit. li.* 1. *q.* 14. *n.* 2. *Mescos. in sum. tr.* 2. *c.* 2. *n.* 2. *Zambr. supr. Ochagauia de Bapt. q.* 4. *num.* 6. Probant, quia non vult Deus, vt cum vnius morte detur alteri vita spiritualis. Præsertim quia putant, ex nece matris cōmuniter sequi mortem prolis existentis in vtero; quare frustrà matris acceleratur occisio.

25 Probabilius affirmant *Suar. supra Coninch q.* 68. *n.* 92. *Laym. lib.* 5. *tr.* 2. *ca.* 3. *n.* 2. *Auersa* 3. *par. qu.* 68. *sect.* 1. *Prepositus* 3. *par. q.* 66. *art.* 8. *dub.* 3. *n.* 92. *Ochagauia de Bapt. q.* 4. *nu.* 6. *Diana part.* 2. *tract.* 15. *Resolut.* 44. *&* *part.* 5. *tract.* 3. *Resolut.* 13.

L 2 Quia

Quia dum ſubeſt ſpes, fore vt proles hoc modo baptizari poſſit, anticipando ſupplicium ſeruato iuris ordine, quantum poſſibile ſit, nulli ſit iniuria, ceditq; mors matris in maximum bonum ſpirituale prolis, cuius intuitu dilationem iura cōcedunt: Et in eo caſu ceſſat finis legis nō ſolum negatiuè, ſed contrarie: Siquidem dilatio ſupplicij non ſolùm non eſſet vtilis proli, ſed valdè noxia. Nec vrget fundamentum oppoſitum: Quippè non renuit Deus, cùm nece iuſtâ matris dari vitam ſpiritualem proli. Nec, vt vidimus *n.23.* certum eſt, extinctâ matre mox extingui fętum exiſtētem in vtero; ſed valdè probabile, nihilominus illum viuere per aliquòd ſpatium; præſertim ſi mater viuens ſecetur variato genere mortis, vt aiunt *Coninch. & Diana ſup. Filliuc. tract.2.n.139.* vel ſi mater laqueo ſuffocetur, & ſtatim aperiatur eius vterus; vix enim tam breui fœtus extinctus erit.

CAP. II. QVÆST. IV.

An Baptizandus ſit infirmus, cui nocebit ablutio?

26 SI nullum ſit periculum in differendo Baptiſmo, qui nūc impenſus nocebit ſanitati, differendus eſt, donec ſine detrimento ſalutis conferatur; quia ſic habetur vtilitas Baptiſmi ſine detrimento baptizati, quòd euitare debemus, quantum poſſimus. *Ita Sotus in 4.diſt.3.q.1.art.8. Suar.to.3.diſp.31.ſect. 3. Zambrano c.1.dub.12.n.7.* Si verò puer vel catechumenus adultus ita ſit morti proximus, vt niſi mox baptizetur, deceſſurus credatur ſine baptiſmo, cùm aliūdè timeatur ex ablutione mortis acceleratio; debet adhiberi ſumma diligentia, vt baptiſmus recipiatur ſine lęſione recipientis, quamvis Eccleſiæ ritus non ſeruentur. Videlicèt adhibere debemus aquam modiciſſimam, & temperatam, & illico corpus abſtergere; ne baptizati morti cooperemur. Vndè colligunt *Sotus, & Suarez*, Miniſtrum, qui baptizaret infirmum incautè mortem accelerando, committere graue ſacrilegium, & homicidium; intellige, niſi per inaduertentiam excuſetur.

27 Si debita cautio præmittatur in ægro baptizando, vix vnquam dabitur caſus, in quo propter euitandam mortis accelerationem omittendus ſit baptiſmus. Quia detrimentum ſanitatis, quòd ex Baptiſmo prudenter applicato poteſt oriri, vel nullum, vel leuiſſimum erit. Ob leue verò nocumentum euitandum, aut breuem mortis accelerationem non eſſe Baptiſmum omittendum cùm periculo damnationis æternę, docent *Scotus in 4.diſt.5.q.3. Gabriel ibi diſt.4.q.2.art. 3.dub.4. Sotus, & Suarez ſupra. Vazquez 3.p.diſp.145.n.24. Coninch.3.p.q.66.num. 76. Auerſa ibi ſect.4. Poſſeuinus cap.6.nu. 11. Layman lib.5. tract.2.cap.3.n.5. Petrus de Ledeſma tract. de Baptiſmo cap. 3.dub.4.* Quia quòd parum diſtat, nihil diſtare cenſetur; quare breuis acceleratio mortis nihili penditur, & exigua vitę corporalis vſura maioris ſpiritualis iacturæ cauendæ cauſa negligi debet.

28 Si verò magna mortis acceleratio ſequēda ſit ex Baptiſmo, quātalibet adhibeatur diligentia; vel quia talis eſt diſpoſitio morbi, vel quia non ſuppetit aqua niſi venenata, quę contactus ſuo baptizatum occidat, vel quia non adeſt aqua, vel Miniſter gnarus formæ, niſi loco diſtāti nimis, ad quem deferendus ſit infirmus, aut mittendus in puteum fune dependens, vel ob ſimiles cauſas, quæ poſſint interdum ſubeſſe: Sotus, Poſſęuinus, & Ledeſma ſup. cēſent, nō eſſe cōferendū Baptiſmū, nā anticipatio mortis genus quoddam occiſionis iudicatur; & gratia nō deſtruit naturam, ſed perficit.

29 Dico 1. ſi mortis acceleratio proueniat ab aqua venenata, vel feruenti, qua baptizatur infirmus, nec debet, nec poteſt baptizari; nam illa foret occiſio directa, cū ſit actio per ſe directè necāt, vt de proiectione moribūdi nō extrahēdi diximus *q.2. & notat Suar. ſup.* Nec in hoc caſu vr̄ diſtinguendū eſſe de magna vel parua mortis acceleratione. Nūquā n. licèt p ſe directè negare ſiue mox, ſiue

longè

longè post modum moriturum. Dico 2. si mortis acceleratio, quamvis magna, non proueniat ex Baptismo per se directè, sed ratione circumstantiæ per accidens annexæ; quia vel recipiens Baptismum est valdè debilis, vel in locum distantem, aut sibi noxium deportatur, vel simile periculum subit, & alias creditur sine baptismo moriturus, nisi cum tali periculo baptizetur; nõ solum licitè posse, sed etiam debere baptizari, nec periclitetur salus æterna pro temporali. Sic docent *Vazquez, Coninch, Layman, & Auersa sup. Granado 3.p.controu.4.tract. 4.disp.4.Moscoso tract.2.c.1.dub.2. Diana part.5.trac.3.Resol.8.Zambrano, cap. 1.dub.12.num.11.Palaus tom.4.tract.19. punct.4.num.14.* quorum aliqui, quamuis non distinguant accelerationem mortis magnam, aut paruam, reddunt tamen rationem vtriq; communem, nimirum quia non per se, sed per accidens ex tali Baptismo mors euenit.

30 Inde probatur nostra conclusio. Nam in hoc casu baptizare moribundum non est directè causare mortem illius, sed eam ex iusta causa permittere, quod sine dubio licet, vt vidimus *n. 19. & 20.* Baptismus enim intenditur hic per se directè, mors per accidens coniungitur ex infirmitate baptizandi, quæ prudenter permittitur ob maximum animæ bonum. Si licet militi defendere suam stationem, quamuis certo sciat, ibi sibi moriendum vel hostium ictibus, vel aeris intemperie, vel ipso labore: colligit *hinc Zambrano sup. n. 16.* sententiam istam esse veriorem, & tutiorem, & magis piam, & ideo necessariò sequendam in praxi, nec irregularem fieri baptizantem, quamuis mala fide procedat; nam in re non est homicida, quamvis talis sit ex conscientia erronea, quod non sufficit ad irregularitatem. Ego colligo, potissimum esse sequendam, quando periclitatur æterna salus infantis, qui non habet aliud remedium præter baptismum. In adultis etiam censeo seruandam; quia quamuis minor videatur ipsorum necessitas, cum possint contritio-

ne saluari, tamen exigua non est, & interdum esse potest æqualis; & saltè vtilitas semper est magna, quæ prætermittenda non est ob euitandam mortis accelerationem, quando nulla restat spes mortem euadendi.

CAP. II. QVÆST. V.

Quanta requiratur ablutio ad valorem Baptismi?

31 PRima sententia docet, tantã ablutionem requiri, quãta sufficiat ad denominandum hominem simpliciter ablutum; & paruam aquæ quantitatem sufficere, dummodo successiuè disfluat per magnam corporis partem. Tã parua vero quãtitate quempiam aspergi posse, videlicet vna, duabus, aut tribus aquę guttis, vt re vera non censeatur ablutio, nec per consequens Sacramẽtum. *Ita Sotus in 4.dist.3.q.1.a.7. Valentia to. 4.disp.4.q.1.punct.2. Suarez to.3.disp.20. sect.2. Zambrano c.1.dub.4 n.1. Regin. lib. 27.n.14. & 15. Filliuc. tr.2.n.34. Possevin. c.6.n.13. Coninch. q.66.n.81. Layman li.5. tr.2 c.3.n.1. Comitolus l.1.q.12. Diana p. 3. tr.4. Resol.5. Bonac. cum alijs disp.2.q. 2.punct.3.n.16. & 19.* Probatur; nam ad baptismum requiritur ea quantitas ablutionis, & aquæ, qua propriè verificetur forma; sed non dicitur homo propriè lotus, dũ paucis aquæ guttulis aspergitur. Ergo requiritur maior aquæ quantitas, & maior ablutio, quæ videlicet sufficiat ad absolutam abluti denominationem, tangẽdo magnã corporis partem, & per illam diffluendo, quod sane modica quãtitas aquæ præstare potest. Vnde colligit *Auersa q.66.sect.4.* non valere Baptismũ, siquis extremam digiti partem intingat aqua, respergatq; vultum infantis; quia tenues stillæ, quæ peruenient ad infantẽ, vel non defluent per eius faciem, vel saltem non per magnam partem.

32 Secunda sententia docet, sufficere quamlibet aquæ guttam, aut stillam, vt verus Baptismus fiat. Sic *Innocẽtius, Abbas, Rosella, Ledesm. quos sequitur Hẽr. l. 2.c.7.n.2. & c.21.n.4. Vaz. q.3.p.disp.1 5.c.4.*

Kellisonius q.66.art.8. dub.3. Meratius de Bapt.disp.2 sect.4. Ochogauia q.4.nu. 8: Trullench. de Sacram.lib.2.cap.1.dub. 3.n.7. Lessius 3.p.q.66.n.3. & 28. Probatur; quia licèt in verbis certa forma prescripta sit, a ... aqua non est aliqua quātitas definita pro materia Baptismi. Sed si vel vnica gutta quis aspergatur, verè dicetur aspersus; ergò etiam ablutus; nā quæuis aspersio censetur ablutio sufficiens ad Baptismum, vt satis indicant *Cyprianus epist.76. & Tertul. de Pœnit. cap.6.n.40.* Quam sententiam *Auersa sup.* dicit esse probabilē, dummodò gutta diffluat per aliquam corporis partē.

33 Dicendum nobis est primā sententiam tutiorem, & probabiliorem esse; secundam verò non esse prorsum improbabilem. Quapropter vrgente necessitate, dum plus aquæ nequit haberi, vnica gutta conferendus erit Baptismus, siue diffluat aqua per aliquam partem corporis, siue non diffluat, vt vidimus *sup.n. 7.* At qui sic baptizaret extrà grauem necessitatem, grauissimè peccaret. Tum quia faceret contra receptum Ecclesiæ ritum in re graui; tum quoniam vtens materia dubia, siue solū probabili, subiret probabile periculum conferendi Sacramentū inualidum. Si verò superuiuat sic baptizatus, debet sub conditione rebaptizari, cùm incertus sit valor prioris Baptismi. *Sic Coninch. sup.n.83. Vazquez disp.146.num.26.*

CAP. II. QVÆST. VI.

Quæ pars corporis ablui debeat, vt Baptismus valeat?

34 Vpponimus, eam partem abluendam esse, qua lota simpliciter homo denominetur ablutus. Quia Christus iussit, vt homo baptizaretur, seu lauaretur, nō tamen præscripsit certum modū ablutionis, vel partē corporis, quę debeat ablui. Sufficiet ergo quęlibet ablutio corporis, aqua simpliciter homo denominetur ablutus. Vndè valet sine dubio Baptismus, si caput abluatur, quòd inter exteriora membra præcipuū est, & in quo vigent omnes sensus interiores, & exteriores. Quapropter abluto capite, non est dubiū, quin homo simpliciter dicatur ablutus. *Ita S. Thom. 3.p.q. 66.a.7.ad 3. & q.68. a.11.ad 4. ibiq. Thomistæ, Suar. disp.20. sect.2. Vazquez disp. 145.ca.4. S. Antonius, Angelus, Viualdus, & alij, quos sequitur Bonac. de Sac. disp. 2.q.2. punct.3.n.20. & 23. quòd approbat Ecclesiæ ritus, & praxis.* De cęteris Corporis partibus variant Doctores.

35 Prima sententia docet, solam capitis ablutionem esse materiam certam Baptismi. Sic indicat *S. Thomas supra*, quatenus solum Baptismum capitis dicit nō esse repetendū; rationemq; reddit, quoniam in nulla exteriorum partiū integritas vitæ consistit, sicut in capite. Quòd sequuntur *Syluester Baptismus 4. q.1.n.2. Petrus de Soto de Bapt. sect.1.§. de suscipiente. Zambrano de mortis articulo, cap.1.dub.3. num 5. Ioan. Sanchez disp.44 n.26.*

36 Secunda sententia docet, nō solam ablutionem capitis, sed etiam pectoris, humerorum, & scapularum esse certam materiam Baptismi. Quia sunt partes hominis præcipuæ, quarum ablutio simpliciter denominat hominem ablutum. *Ita Dominicus Soto in 4. dist.3.q.1. art. 7. Filliucius tract.2.n.32. & 33. Layman lib.5.tract.2.c.3.n.3. Villalob.to.1.tract.5. Diffic.4.n.3. Lessius 3.p.q.66.n.28. Auersa ibi.sect.4. Coninch.n.79. & 83. Suar. sup. Quin Vazq. & Coninch.* ita certum reputāt Baptismum in his partibus factum, vt asserāt, postea nullo modo nec sub cōditione repetendū esse, cū de tali materia cōmuniter cōueniant *Theologi. Filliuc.* hoc extendere videtur ad bracchiū, & tibiā, quę dicuntur etiā præcipuæ partes. In minoribus partibus nō valere Baptismum probāt illi doctores; quia per ablutionem minoris partis, præsertim si minima sit, non denominatur homo simpliciter ablutus.

37 Tertia sentētia docet, ablutionem cuiuslibet corporis partis quantumuis minimę sufficere valori Baptismi. Sic te-

nent

nent. *Durand. Scot. Gabr. & alij quos sequitur Vazq. sup. Henriq. lib. 2. c. 7. nu. 2. Petr. de Ledesm. tract. de Bapt. c. 3. dub. 3. Trull. de Sacr. lib. 2. c. 1. dub. 3. n. 9. Kellesson. q. 66. ar. 8. dub. 2. Ochagau. de bapt. q. 4. n. 3. Basil. legion. de Matr. lib. 4. c. 25. n. 7. & 8.* Probatur 1. quia Baptiſmus ordinatur ad remiſſionem originalis peccati, quod eſt in anima; ſed anima tota reperitur in qualibet parte corporis: ergo Baptiſmus validè confertur in qualibet parte corporis. Probatur 2. quia qualibet parte corporis abluta, verè homo dicitur ablutus, ſicut à qualibet parte vulnerata dicitur homo vulneratus. Præſertim cũ ad valorẽ Baptiſmi ſufficiat aſperſio, vel tinctio, ſed quamcumque partem aqua contingat, dicitur homo tinctus, vel aſperſus Ergo cuiuslibet partis ablutio ſufficit ad valorem Baptiſmi.

38 Verũ in hac sẽtẽtia reſtãt adhuc nõnulla dubia. Primũ ſit, an valeat Baptiſmus in ſolis capillis, quãdo nõ tãgit carnẽ, aut cutẽ? Affirmant *Sot. Henriq. Fillinc. Vazq. Ledeſm. ſup. Trullench. nu. 8. Coninch. n. 78. Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 5. punct. 2. Tolet. lib. 2. c. 18 fin. Graff. 2. part. lib. 1. c. 4. n. 29. Poſſeu. c. 6. n. 11. Palaus to. 4. tr. 19. punct. 4. n. 7.* Probatur, nã capilli ſecũdũ Ariſtotelẽ, & meliorem Philoſophiã viuũt, & vegetantur, & in homine cõſequẽter informãtur anima rationali. Quin etiã ſi nõ informarẽtur anima ſaltẽ ſunt pars hominis ad ornatũ cõiũcta: quapropter in communi modo loquendi capillis ablutis dicitur caput ablui. Quod eadem ratione, *Vaſquez & Trullench.* extendunt ad vngues.

39 *Negant Layman, & Villalob. ſupr. Zambr. n. 7. Bonac. n. 22.* dicẽs, eſſe communẽ ſententiã doctorũ. Probatur, quia capilli nõ informantur anima rationali iuxta pluriũ Philoſophorũ mentem, nec ſunt partes corporis, ſed ipſius excrementa, ſicut etiam vngues. Nec his ablutis, dum aqua non peruenit ad cutem, propriè dicitur caput, vel homo lauari. Quapropter Baptiſmus in capillis, & vnguibus, ſatis dubius erit.

40 Secundum dubium ſit, An valeat Baptiſmus factus in ſecundinis? *Affirmant Syluester Baptiſmus 4. n. 2. Angelus, Baptiſmus 6. nu. 4. Armilla verbo Baptiſmus, nu. 38. Vazquez, Coninch, Layman, Palaus ſup.* Quia pellis ſecundina, qua puer naſcitur inuolutus, cenſetur pars corporis naſcentis. Negant *vero Zambrano ſup. n. 8. Filliuc. nu. 31.* Quia pellem ſecundinam non reputant partem corporis, ſed inuolucrum illius. *Bonac. n. 21.* docet valere Baptiſmum, ſi pellis ita poroſa ſit, vt aqua penetret ad carnem infantis; quaſi non valeat, ſi non penetret.

41 Tertium dubium ſit. An valeat Baptiſmus ſolum contingens veſtes, chirotecas, aut pileum? Affirmant quidam, quos ſine nomine refert, *Ledeſma ſup. dub. 2.* Probatur; quia dum aqua veſtes aſperguntur, aut madefiunt, homo dicitur aſpergi, vel madefieri. Sufficit ergo veſtium ablutio valori Baptiſmi. Negant communiter Doctores, quos ſequuntur. *Henriq. Suar. Ledeſma, Coninch. ſup. Layman. nu. 1. Palaus n. 6.* Quia verò non abſoluitur homo, qui ſecundum aliquam ſui partem non tangitur aqua: Diuerſum n. eſt lauari veſtem, ac hominem.

42 Dico 1. Quoad ſpeculationẽ probabilior eſt ſecũda ſentẽtia. Quia cũ inſtitutio Bapciſmi requirat veram, & propriã hominis ablutionẽ, qua ſimpliciter homo dicatur ablutus, talis denominatio non ſumitur niſi ab ablutione partis præcipuæ. Quãuis n. accidẽtia quædã extrinſecus adhiberi ſolita, ſic poſſint afficere partẽ, vt totũ ſimpliciter denominẽt, & ita dicatur homo vulneratus, aut maculatus, quacumq; parte vulnus, aut maculã acceperit: Tamẽ qui toti rei ſecundũ omnes eius, aut præcipuas partes ineſſe ſolent, vel adeſſe, qualis eſt albedo vel nigredo, vel pulchritudo, vel ornatus nõ denominant ſimpliciter totũ, niſi vel omnib. vel præcipuis partib. adſint, & talis videtur eſſe ablutio, quæ niſi præcipua parte corporis abluta, non denominat ſimpliciter hominẽ ablutũ. Nec alia ratio diſcriminis huius reddi poteſt, niſi

communis vsus loquendi; communiter enim non dicimus, illum esse locum, qui digiti partem extremam aqua madefecit, vt notat *Coninch sup. num.80.*

43 Vnde ad fundamētum primæ sententiæ respondetur; quāuis in nulla parte sensus externi, & interni resideant sicut in capite, tamen ablutionem corporis, etiā non abluto capite, sufficere quidē, vt homo denominetur ablutus, & idē est abluta præcipua corporis parte. Ad primū tertię sententię respondetur; quāuis originale peccatum sit in anima, tamen animam non esse baptizādam, sed corpus secundùm pręcipuam sui partē, itaut homo simpliciter dicatur ablutus. Ad secundùm respōdetur, aspersionem, vel intinctionem sufficere valori Baptismi, dum fiat aqua sufficiente, ac in pręcipua corporis parte; secus verò non sufficere: quia non denominat hominem simpliciter ablutum.

44 Vnde colligo, dum aqua tangit capillos, & non penetrat ad cutē; dum tangit pellem secundinam, & non penetrat per poros ad carnem, esse valdè dubium Baptismum. Quia siue capilli viuant, siue non viuant; siue pellis secundina sit pars infantis, siue non sit: ex tali ablutione nō solet homo denominari simpliciter ablutus. At dū aqua tangit dūtaxat vestem, aut pileū, aut chirotecas, aut tegumentū aliquod; certū est, non valere Baptismū: Sicut nō valet, si puer corio, vel vtre, vel vase, vel arca ferrea clausus ita mergatur, aut infundatur, vt aqua nihil corporis tāgat. Quia Baptismus necessario requirit, vt aqua contingat aliquā partem hominis, & hic subindè dicatur ablui. Sic censent Doctores relati *n.41.* & *Bonac sup. subdit.* Si verò baptizandus sit coopertus aliquo panno, itaut aqua perueniat ad carnem, valet Baptismus; quoniam homo dici potest ablutus.

45 Dico 2. quoad praxim, extra necessitatē ablui debere caput baptizati. Quia præceptū extat abluendi caput, quod innuit c. *Postquam vos 77 de consecr. dist. 4.* exprimit *Rit. Rom.* & vsus Ecclesiæ confirmat. Agnoscunt illud *S. Th. 3. p. q. 66. art. 7. ad 3. Sotus in 4. dist. 3. q. 1. art. 7.* qui seclulo scādalo censet sub veniali solùm obligare. Mihi videtur materia sufficiēs, vt obliget sub mortali, cum propter certitudinem Sacramenti, tum propter receptissimum Ecclesiæ morem. Ac ita certus est baptismus in capite factus, vt nunquam sit sub conditione repetēdus iuxta communem sententiam *S. Th. 3. p. q. 68. art. 11. ad 4. & omnium aliorum.*

46 Verū in necessitate, si videlicet infans, cui periculū mortis immineat, solū pedem, manum, aut digitum exerat, vel quid simile, baptizetur in quacunq; corporis parte; vel etiā in capillis, aut secū. dinis: quia sententiæ relatæ probabilitate non caret, & melius est Baptismum dubium recipere, quā nullum. In hoc etiam conueniunt cum *S. Tho DD. communiter.* Videantur *Coninch. 3. p qu. 66. nu. 83. Bonacina disp. 2. q. 2. punc. 3. n. 24. Aue rsa supra.* Quod si corpus morientis ablui nequeat; ego non auderem in sola veste ministrare Baptismum; quia non reputo contrariam sententiam probabilem.

47 Dico 3 Baptismū in quacunq; parte factum præter caput, si transacto periculo possit, repetendum esse sub cōditione cum ablutione capitis. Ita contra quosdā DD. secundæ sententiæ censent alij communiter, *S. Th. Syluest. Petrus de Soto, Zambr. & Trull. sup.* rationemque reddūt. Quia plures, & graues DD. negāt valere Baptismum non abluto capite. Quare Baptismus in qualibet alia parte non est certus, ac subindè reperi debet. Ideò *Rituale Rom. titulo de Baptismo sic præscribit: Si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si viuus euaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum: in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus.*

48 Dico 4 si puer nondū natus in vtero matris ablui possit, vel quia partē aliquā exerit: vel quia scisso matris vtero, potest aqua fętū attingere: vel quia tam perita sit obstetrix, vt manu in vterum

insertã

inserta, prolem aqua perfundere valeat, baptizandus equidem est, quoties timetur eius mors ante natiuitatem; vt contra nonnullos tenet probabilior sententia, quam sequuntur *Suar. 3. p. tom. 3. qu. 68. art. 11. Coninch ibi. n. 90. Lessius n. 31. Layman lib. 5. tr. 2. cap. 3. n. 2. Zambran. cap. 2. dub. 3. n. 6. Diana part. 2. tr. 15. Resol. 43. & par. 5. tr. 3. Resol. 12. Gabriel, Valentia, Ledesma, Victoria, Præpositus, quos sequitur Auersa qu. 68 sect. 1.* Probatur: Quoniam adsunt omnia necessaria valori talis Baptismi; nimirum ablutio sufficiens cum debita prolatione verborũ, & intentione Ministri. Nec spiritualis regeneratio prærequirit natiuitatem ex vtero, cum infans per scissuram ventris extractus possit secundum omnes baptizari; sed solam prærequirit infusionem animæ rationalis in corpus, quæ natiuitas etiam vocari solet à Patribus requirentibus natiuitatem ante Baptismum. Quapropter in praxi baptizandus est infans, cuius natiuitas expectari non possit circa periculum; in quacunque corporis parte, vel quomodolibet ablui possit. Si tamen superuiuat, & non fuit baptizatus in capite, debet iterum sub conditione baptizari, iuxta *dicta numero præcedenti.*

CAPVT III.

De forma Baptismi.

1 FOrma Baptismi quam vsurpat Ecclesia latina; scilicet. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sufficiens è valori Baptismi: nec solũ est necessaria latinis necessitate præcepti, sed quoad substãtialẽ sensum est necessaria simpliciter omnib. ad validum Baptismũ conferendum. Ita colligitur ex verbis Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, iuxta communẽ Ecclesiæ sensum. Vnde forma græcorũ, *s. Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, validũ facit Baptismũ; quia retinet sensum substantialem nostræ formę. Sic definit Florentinum. Et *nos diximus lib. 1. ca. 1. q. 7.* Peccaret verò grauiter latinus adhibẽs formam Gręcorum, & gręcus adhibens formam latinorum; Quia non seruaret Ecclesiæ suæ ritum in re graui. Videantur *Suar. 3. p. to. 3. disp. 21. sec. 1. Vazq 3. p. disp. 142. n. 30. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 4.*

CAP. III. QVÆST. I.

An in forma Baptismi debeat exprimi persona Ministri?

2 TRipliciter exprimi potest persona baptizans. Primò directè, ac explicitè, dicendo. *Ego te baptizo.* Secundò directè, sed implicitè, dicendo: *Baptizo te.* Tertiò solum indirectè, quatenus exprimitur actio Ministri, prout dic, & nũc ab ipso facta; sicut exponitur in forma Græcorum. Primus modus non est de substantia formæ, vt colligitur ex ca. *Retulerunt de consec. dist. 4.* & contra quosdam *Canonistas docent S. Th. 3. p. qu. 66. art. 5. ad 1. Lessius ibi, n. 16. Coninch. num. 45. Auersa sect. 5. Vazq. 3. p. disp. 142. nu. 30. Suar to. 3. disp. 21. sect. 2. Palaus tom. 4. trac. 19. punc. 5.* Est tamen necessarius ex Ecclesię latinæ præcepto, vel consuetudine; quã violare peccatum quidẽ esset, sed veniale, dum absit scandalũ, vel contemptus. Quia materia secundũ se leuis est, quando ponitur implicitè persona baptizantis in verbo *Baptizo.* Sic censẽt *Vazqu. Coninch, Lessius, Auersa, Palaus sup.* Quare secundus modus sufficiẽs est valori Sacramenti, non tamen necessarius: siquidem sufficit etiã tertius modus quem solũ continet forma Græcorum; quatenus licet explicet clarè solã actionem Dei causæ principalis: tamen dum Minister talem formã pronunciat exercet ritum externũ Sacramenti substantialẽ, indirectè quidẽ, & implicitè significat effectum Sacramenti a S. Trinitate con-

conferri per eã, quã ipsemet simul exercet actionem ministerialem abluendi.

3 Hinc insurgit dubium. An valeant istæ formæ? *Baptizat, aut baptizet te Deus, aut Christus in nomine Patris, &c.* vel *Talis baptizetur à Deo, vel à Christo, &c.* Negat *Vazqu. sup. num. 15. & 17.* dicens, in nullo Sacramento sufficere vel actum baptizandi, vel vngendi, vel alium exprimere, nisi denotetur in forma, quatenus actio procedens à Ministro: Quippè necessarium est, actionem ministrantis, & potestatem ad effectum Sacramenti conferẽdum per ipsam formam significari. Probatur 1. Quia si sola significetur actio Dei, nec denotetur actio Ministri, non significatur efficacitas Sacramenti per Ministrum applicati; quòd videtur esse contra institutionẽ Christi, qui dixit Matth. 28. *Baptizantes eos, &c.* vbi posuit pro forma Baptismi significationem ablutionis, vt per Ministrum exercitæ. Sed illis formis baptizãs solum exprimit, Deum, vel Christum baptizare, nõ verò se ipsum Baptismum efficere. Non ergo constituunt validum Baptismum. Probatur 2. quia forma Baptismi non deprecatiuè, sed imperatiuè proferenda est. Sed ad Deum dirigi non potest imperium. Ergo nequit Minister imperando dicere, *Baptizet te Deus.* Confirmatur; nam ineptè Deus baptizaret in nomine Patris, idest, authoritate Patris, &c. Sed id Ministro conuenit. Ergo debet actio Ministri significari, quatenus ab ipso procedens; & consequenter per illas, aut similes formas non fiet validus Baptismus, nisi addatur in eis *per meam ablutionem*, vt indirectè saltem denotetur Minister prout operans.

4 Affirmant *Sotus in 4. dist. 3. q. 1. art. 5. Henriqu. lib. 2. cap. 8. num. 3. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. Palaus, & Auersa supra Coninch num. 38.* Probatur; quia cum Christus delegauerit Ministro potestatẽ docendi gentes, & baptizandi eas in nomine Patris, &c. dum exprimit Ministrer, Deum baptizare, satis denotat, Deum per Ministrum abluentem, tanquàm per suum instrumentum baptizare. Sicut si famulus ex voluntate Domini sui dispenset pecunias egenis, & illas tradendo singulis dicat. Hæc pecunia tibi datur authoritate Domini mei: talibus verbis iunctis cum externa traditione, saltem indirectè significat, donationem ab ipso quoq; famulo fieri per hoc suum ministerium; Sic ergo significatur Minister in illis formis: Sicut etiam in forma Græcorum, quàm sic intelligit Sotus, vt dicat, Baptizetur seruus Christi, scilicet à Christo.

5 Dico 1. personam Ministri debere semper significari saltem indirectè, quatenus forma saltem implicitè significet hanc actionem externam à Ministro prouenire. Sunt enim formæ Sacramentorum orationes practicæ; subindèque debent significare, quod faciunt. Quamuis autem solus Deus Physicè producat gratiam, vt causa principalis; non tamẽ sine talis baptizantis ablutione, quę moraliter, vel etiam physicè concurrit ad productionem gratię. Quare Concilium Florentinum requirit, vt exprimatur actus, qui per Ministrum exercetur, innuens exprimi debere, quatenus ab eodem exercetur. Ita *Layman, & Auersa supr. Coninch num. 46.* Nec amplius probant argumenta *Patris Vazqu.*

6 Hinc infero 1. nullum esse Baptismum, si quis excludat prorsùs actionem Ministri, nimirum si dicat. Baptizet, vel absoluat te Deus, vel Christus, quem ego nullatenus baptizo, vel absoluo, Vel baptizetur Christi seruus à Christo, non à me. Sic censent *Sotus, Henriquez, & Auersa sup* cœteriq; fatentur. Quia talis forma repugnat intentioni Christi; qui non vult sua Sacramenta nisi per suos Ministros confici, & conferri.

7 Infero 2. non valere Baptismum, si forma per modum imperatiuum alteri totam actionem iniungat. V. gr. si quis alteri dicat; Baptiza puerum illum in nomine Patris, &c. non confert Sacramentum: quia non significat ablutionẽ, vt actu exercitam per tale forma, sed vt exercendam ab alio. Sic *Suarez supra*

Coninch.n.47.Fillincius tract.2.num.52. Nec item valeret forma mere optatiue prolata;qualis esset hæc. *Vtinam baptizet te Christus*. Si baptizans non intendat significare ablutionem vt sacramentaliter à se procedentem, sed solum à Deo petere ablutionem internam sine respectu ad suam instrumētalem actionem. Nec sufficeret,quòd Minister vellet ibi significare suam ablutionem externam, vt instrumentum internæ, nisi verba per se, vel ratione circumstantiarum habeant hic & nunc vim ita significandi. Non enim est in potestate Ministri quiduis per quęuis verba significare:vt ostendit Coninch.sup.

8 Dico 2.formæ supra positæ n.3.verum efficient Baptismum: Quoniam ex circumstantijs tam ablutionis cōcomitantis,quàm personæ loquentis,quæ cognoscitur habere potestatem conferendi verum Baptismum, apud fideles satis significant, per hunc Ministrum, & per ablutionem ab ipso factam conferri verum Baptismum à Deo, vel à Christo, quamvis expressè non addantur illa verba,*per meam ablutionem*, vt contra primam sententiam docent Authores secundæ. Qua ratione valet forma Græcorum, quamvis non exprimat operationem Ministri; quoniam ex circumstantijs significat illam implicitè, ac indirectè. Grauius tamen peccaret, qui prædictas formas vsurparet, quàm qui baptizaret sub forma Græcorum, cuius valor est omninò certus,vt vidimus n.1. illæ verò sunt inusitatæ, minusque certæ; siquidem ipsarum valor est sub opinione. Quare Baptismum sub illis collatum censerem fore sub conditione repetendum.

9 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur,illis formis explicite significari actionem Dei causę principalis; actionem verò Ministri causæ quidem instrumentalis implicitè, ac indirectè denotari, sicut in forma græcorum,vt exposuimus. Nec negari debet, in forma Sacramenti tàm actionem principalem Dei, quàm instrumētalem Ministri saltem aliquomodo fore significandam. *Vnde Sotus, Henriquez, & Suar. supra*,qui videntur maiorem illius argumenti negare, solum intendunt, in forma non requiri significationem directam etiam implicitam Ministri, non tamen excludunt indirectam, quam ostendimus necessariam esse. Quare concessa maiori, negatur minor argumenti, vel distinguitur: Non exprimit se directè,concedo; non significat se indirectè,ac implicitè,nego minorem. Etenim sicut expressio solius Ministri conferentis Sacramentum sufficit ad eius valorem, quamvis nō exprimatur Deus causa principalis, qui semper operatur in omnibus Sacramētis, vt patet in forma latinorum: Sic expressio Dei, aut Christi causę principalis sufficiet,quamvis non exprimatur,nec significetur directè Minister inferior instrumentalis causa Sacramentorum. *Vnde colligit Lessius 3.p.q.66.num.17.*etiam in Sacramento Cōfirmationis ad eius valorem sufficere, *Consignet te Christus*, in Penitentia, *Absoluat te Christus*, sicut in Extrema Vnctione, *Indulgeat tibi Deus*.

10 Ad secundum respondetur, imperium illis formis significatum non esse propriè dictum, cuius capaces solum sunt creaturæ rationales imperanti subditæ; sed esse quemdam vsum potestatis Ministro concessæ circà creaturas irrationales ad efficiendum per illas verùm Sacramentum. Quapropter hoc imperium improprium nō dirigitur ad Deū; sed ad ablutionem, & ad effectum per ipsam significatum,& præstat hunc sensum. Abluaris à Deo, vel à Christo tanquam à principali causa; & à me tanquam ab eius Ministro. Quo sensu non ineptè forsan dicetur Deus in nomine suo baptizare, quatenus scilicet baptizat medio Ministro per potestatem ipsi collatam: Vel si mauis,illud *in nomine Patris.&c.* non referatur ad actionem Dei,sed ad actionem Ministri, quæ saltem indirectè significatur ibi, vt notat *Layman supra*. Per hæc soluitur Confirmatio.

CAP.

CAP. VII. QVÆST. II.

An exprimenda sit persona, quæ baptizatur?

11 Communiter, affirmant Doctores ex *Matth. 28. Baptizantes eos.* cum Ecclesiæ sensu, praxique communi. Ratio redditur, quia sicut ablutio versari debet circa certam personam, ex qua sumit suam determinationem: sic etiam forma significare debet ablutionem determinate, nimirum exprimendo personam, ad quam terminatur, & ex qua determinatur. Et aliter denotari non pôt distinctio, quæ dari debet inter baptizantē, & baptizatū, sicut inter generantem, & genitū, vt habetur *c. Debitum*, de Baptismo. Sic *censent S. Thom. 3. p. q. 66. a. 5. ad 4. & ibi Thomistæ, Lessius n. 18. Auersa sect. 5. Henriq. lib. 2. cap. 8. n. 4. Vaz. q. 3. p. disp. 141. n. 30. Filiucius tract. 2. n. 53. Reginaldus lib. 37. num. 35. Toletus, Manuel, Graffis, & alij, quos sequitur Bonacina disp. 2. qu. 2. punct. 4.* Qui consequenter asserunt, si quis dicat, *Ego baptizo in nomine Patris &c.* non effici Sacramentum; quia non exprimitur persona baptizanda. Idem est, si dicas. *Ego me baptizo*. Quia non significatur distinctio baptizantis, & baptizati.

12 Et quidem licèt sufficiat, indirectè significari Ministrū, vt diximus *q. 1.* persona baptizati directè debet significari per formam. Nam hæc significare debet ablutionem determinate; sed ablutio magis determinatur à subiecto, in quo recipitur, quàm ab agente, a quo procedit. Ergò maior determinatio baptizati debet significari per formam, quàm baptizātis: ac subindè directè saltem significandus est baptizatus. Sic notat *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4.*

13 Triplex autem distinguitur modus significandi baptizatum etiam directè. Primus est explicitus, & directus, vt cum dicimus, *Ego te baptizo*, & dici posset voce passiua, *Tu baptizaris à me.* Secundus est directus, & implicitus, sed in particulari, vt si dicas, *Baptizaris à me.* Tertius est directus, & implicitus in generali, vt si dicas, *Baptizo seruum Christi. Vel Seruus Christi baptizatur à me.* Quis horum necessarius sit valido Baptismo; nō nihil dissentiunt Doctores. *Alensis 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. §. 2.* censuit, requiri primum modū, & sine pro nomine *Te* non fieri verum Baptismum: Quia non aliter exprimitur sufficiēter persona baptizata, nec satis determinatur ablutio practica circa talē personam exercita. Petrus de Ledesma *to. 1. Summæ, tract.* de Baptismo, *cap. 4 dub. 3.* dicit, saltem requiri secundum modum significationis: Quia saltem significari debet ablutio particularis: ergò circa personā in particulari. Et ideò *Florentinū in forma* Græcorum posuit. *Baptizetur talis seruus Christi &c.* & alij ponunt, *Baptizetur seruus Christi Petrus, aut Paulus &c.*

14 Dicendum nobis est, primum modum esse tēdum in praxi; quia magis est nobis certus, Secundum verò sufficere valido Baptismo. Quia satis determinat personam baptizati, vt docet Coninch. *q. 66. n. 49.* Tertium etiam modum probabiliter sufficere: Quia licèt persona baptizati significetur in generali, seu vage, satis determinatur ablutio practicè, prout hic & nunc exercetur circa talem personam. Nec ampliùs significat in rigore forma Græcorū, quàm refert Florentinum, Nam vox *talis* significat solū indiuiduum vagum: & alij doctores ponunt illam formam per hæc verba duntaxat. *Baptizetur seruus Christi &c.* Vbi solum in generali significatur persona baptizata. Sic docent *Layman supra, & Palaus to. 4. tract. 19. punct. 5. n. 5.*

15 Hinc colligo, valere Baptismum, si dicas, *Baptizo tuam Dominationem, Maiestatem &c. vel Baptizo Petrum, vel Hunc*, vel similia proferantur voce passiua. Quoniam ex verbis *Matth. 28.* non colligitur maior determinatio personæ baptizatæ. Sic Auersa, Bonacina, & alij communiter. Nec hunc Baptismum crederem repetendum, nec hanc formæ variationem secluso contemptu, vel scan-

scandalo, culpam venialē excedere. Idē est, si propter honorē, vel alia de causa dicas *Baptizo vos*, singularē personā designando. Similiter valet baptismū si dicas *Baptizo seruum Christi*, vel virū, vel *fœmina*, vel *hominem*, vel similia; quāuis dicātur ēt in voce passiua. Verū ita baptizās peccaret grauiter, & forsā redderet baptismū incertū, vt cēsuit Ledesm. sup.

16 Denique valet Baptismus, quādo forma significat ablutionem fieri circa personā præsentē; & si baptizans esset in nomine, vel in persona, putans esse Petrū, cū sit Paulus, vel esse puerum, cum sit puella; nisi restringeret suā intentionē ad talē personā existimatā, quod esset communiter graue peccatū, vt vidimus, *lib. 1. c. 2. q. 12.* Quare siquis in infantia baptizatus fuit pro fœmina, impositio nomine muliebri, procedenteq; tempore promineant eius virilia, quæ prius latuerāt, & appareat vir, nō erit rebaptizādus sed solū nomē in virile cōmutādū; quia prior Baptismus valuit, vt docent. *Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. Sayr. de Sacr. li. 2. c 4. q. 6. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. nu. 18.*

CAP. III. QVÆST. III.

An in forma Baptismi debeat exprimi actus baptizandi?

17 Conueniunt Catholici, necessario exprimendum esse, de fideq; definitum fuisse per *Alexand. 3. in c. 1.* de Baptismo, & per *Eugen. 4. in Florent.* Colligitur ex verbis *Matth. 28. Baptizantes eos*, iuxta communem sensum, & traditionem Ecclesiæ. Probatio sumitur ex institutione Christi, quam Ecclesiæ praxis ostendit. *Ita S. Thom. 3. p. q. 66. art. 5. ad 2.* communit. ibi *Doct. Coninch. n. 43. Auersa sect. 5. Suar. disp. 21. sect. 2. Vazq. disp. 142. c. 2. Laym. lib. 5. tr. 2. c. 4. num. 2. Bonacin. cum alijs, disput. 2. q. 2. punct. 4. num. 4.*

18 Certum est quoq; valere Baptismum, siue significetur ablutio passiuè, vel actiuè; siue per modum indicatiuum, vel deprecatiuum, vel imperatiuum, vt vidimus, *q. 1.* sed notat Auersa, per modum deprecatiuum, vel imperatiuum actiuū in prima persona valdè dubiam reddi formam; videlicet si dicas, *Ego baptizem te.* Quare censerem, talem baptismum repetendum esse sub conditione, sicut de similib. dixi *n. 8.* Valet etiam Baptismus siue per verbum *baptizo*, siue per aliud æquiualens, aut synonimum. At quę verba sint æquiualentia; nonnihil dissident Authores. *Innocent. in c. 1.* de Baptismo censet, non valere; siquis dicat, *balneo*, vel *abluo*, *Gloss. in c. Multi, de consec. dist. 4. & Alensis 4. p. q. 13. memb. 3. art. 3.* dicunt, non fieri Sacramentum, siquis dicat. *Ego te mergo.* Quia putant variari sensum substantialem; quippe verbum *Baptizo* significat ablutionem non quālibet, sed hanc sacram; cœtera verba significant ablutionem communem. *Sot. in 4. dist. 3. q. 1. a. 5.* censet, valere Baptismum, siquis dicat, *abluo*, vel *lauo*, vel *tingo*, vel *aspergo*, vel *infundo*, vel *mergo*: Nā hæc omnia significant eūdē effectum ex vsus accōmodatione. Quare solum erit accidētalis mutatio, quæ valorē Baptismi nō impedit; & *ar. 7.* notat, siquis dum mergit, dicat *aspergo*, vel ē cōtra, mēdacē esse, sed quia tale mēdacium non attingit Baptismi substantiā, siquidem ex accommodatione iā vtrumque verbum æquiualet verbo *Baptizo*, forsan fore Baptismum validum, etsi propter scrupulum iterandus sit sub conditione.

19 Dico 1. si forma Baptismi proferatur idiomate vulgari, valere Baptismum, imò nonnunquam licere, vel etiā expedire talem prolationem, diximus, *lib. 1. cap. 1. q. 2. n. 20.* retinendum tamen esse verbum *Baptizo*, quantum fieri possit, quamuis forma proferatur lingua vulgari: iam enim ex accommodatione cuilibet idiomati deseruire potest, & reddit certum Sacramenti valorem. Vnde sine causa variare verbum istud Auersa putat esse culpam grauem, certè saltem erit venialis, si non adsit contemptus, vel scandalum, vel periculum irritandi Baptismum. Videatur, *Sotus supr.*

20 Dico

20 Dico 2. voces *abluo, lauo, tingo,* vel *intingo,* æquiualentes esse verbo, *Baptizo.* Cum enim hoc pendeat ex acceptione cuiuslibet idiomatis, & viri docti sic accipiant hæc verba, sufficientes ostenditur valor Baptismi collati per hæc verba. Sic tradunt *Suar. Vasq. & Bonac. sup. Coninch. n.44. Sotus artic.5.* idem est, si quis, *dicat aqua te aspergo, vel infundo,* vt asserunt, *Sotus, & Auers. sup. Filliuc. tract. 2. n.51.* Addunt etiam verba, *mergo,* vel *immergo,* de quibus nonnulli dubitant, ideò Baptismum per hæc verba collatum crederem iterandum: & consequenter temere subiret periculum irritandi Sacramentum, qui sic baptizaret, vt notat Coninch supra.

21 Dico 3. Siquis dicat. *Ego te mitto, conycio,* vel *proycio,* in aquam. *Ego te balneo,* vel *linio,* non fit Baptismus; quia mutatur substantialiter sensus verborum, cum significetur actus ab ablutione diuersus. *Ita Sor. & Filliuc. sup. Bonac. n.17.* Sic etiam inualidè baptizaret, qui diceret. *Ego te mundo à peccatis.* Nam ibi non significat ablutionem externam, quæ significari debet. Similiter non valet Baptismus, si dicas. *Ego intendo te baptizare.* Nam intentio differt ab ablutione. Sic docent *S. Thom. in 4. dist.3. Sayrus de Sacr. lib.1. c.4. art.4. Auersa sup. Bonac. nu.14. cum alijs.*

CAP. III. QVAEST. IV.

An in forma Baptismi sit exprimendus Deus trinus, & vnus?

22 Omissis varijs hæreticorum erroribus, qui formæ Baptismi vel addebant, vel detrahebant aliquid, quo vera Trinitatis confessio destrueretur, & refelluntur à *Suar. to.3. disp.21. sect.3.* Prima sententia docuit, valere Baptismum in nomine Trinitatis, aut Christi collatum. Sic indicant. *Scotus in 4. dist. 3. q.2. Maior dist 3. q.2. Tenet Ambr. lib. 1 de Spiritu sanct. c.3.* & reddit rationem nam qui Christum nominat, & dicit Filium, qui vnctus est, & patrem, a quo vnctus est, & Spiritum Sanctum, quo vnctus est. Consonant. *Bernard. epist. 340. Beda in c.10. Actor. Hugo Victor lib.2. de Sacr. p.6. c.2.* Probatur 1. quoniam, *Actor. 2. & 8. & 10.* dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Christi, sed validum Baptismum conferebant; ergo valet sub tali forma. Probatur 2. Quia Nicolaus 1. in *c. A quodam iudæo, de consec. dist.4.* dicit, baptizatos in nomine Trinitatis, vel Christi, rebaptizari non debere. Probatur 3. Nam impliciti, ac expliciti eadem est virtus, & ratio: sed in nomine Trinitatis, aut Christi tota Trinitas, & eius personę cōtinētur implicitè, sufficit ergo talis forma valido Baptismo cōferendo.

23 Secunda sententia docet, hunc Baptismū collatū in nomine Christi, vel Dei, vel vnius personæ Trinitatis nō valere: tamē Apostolorū tēpore baptismū in Christi nomine valuisse; quia Deus specialiter dispensauit, vt Christi nomē, quod iudæis, ac gentilib. erat odiosum, eo tēpore redderetur honorabilius. *Ita* videtur sentire. *Magister in 4. dist.3. c.4.* & plures scholastici, quos refert *Vasq. 3. p. disp.143. n.3.* consonat, *S. Thom. 3. p. q.66. art. 6. ad 1.* & probabilem reputant aliqui recentiores. Probatur ex locis Actor. supr. relatis, quæ sic intelligunt isti Doctores, vt Apostoli baptizarent in solo Christi nomine; cumque non valeat talis baptismus sine diuina dispensatione, hanc admittere debemus, vt ille baptismus fuerit validus.

24 Dico 1. ad valorem baptismi requiritur explicita trium personarum inuocatio, nec sufficit Christi nomen. Ita docent. *Clem. Roman. Iustin. Athanas. Cyprian. Nissen. Damascen. August. Gregor. & alij Patres, ac Doctores,* quos sequitur, *Vasq. sup. c.3.* qui hoc probant ex institutione diuina, & huius congruētiam ostendunt; quia cum baptismus sit Fidei Sacramentum, & introitus in Ecclesiam, debet eius externa professio internæ Fidei respondere. Sed ingressurus in Ecclesiam habere debet explicitam fidem diuinæ Trinitatis:

Ergo

Ergo pariter eiusdem externa professio fieri debet in Baptismo. Quare *S. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 12. ait, Sicut credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Consonant Angelus, Syluester, Tabienna, Bellarminus quos sequitur Bonacina de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 4. nu. 6. Suarez supra, Fillsucius tract. 2. num. 54. & 56. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. q. 1. Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 5. num. 11. Coninch, q. 66. num. 52. Lessius ibi num. 23. Auersa sect.* 5. Probatur ex *Matth.* 28. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Quia nomẽ ibi non solum denotat vnitatem, potestatem, fidem, sed etiam explicitam inuocationem trium personarum diuinarum, vt cum multis Patribus exponunt *Suarius, Fillliucius, & Bonacina supra*, & Ecclesiæ traditio, consensusq; confirmat, vt habetur *in can. Apostol.* 50. in cap. *Si reuera, in cap. In synodo*. De consec. *dist.* 4. *in cap. 1. de Bapt.* in Conc. *Florentino de Sacram*. Quare primam sententiam reputat *Suarez* prorsus improbabilem, *Vazquez* vocat illam absurdam.

25 Hinc fit, non valere Baptismum collatum in nomine Christi, vel Dei, vel Trinitatis, vel alicuius personæ diuinæ, vel etiam duarum personarum, si quæ diuina persona taceatur. Quia non continetur in illa forma expressa professio totius Trinitatis. Nec item valet, siquis cum quibusdam Arianis dicat. In nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; nã aperto denotatur diuersitas essentiæ. Sic notat *Coninch. num.* 60. Sicut eadem diuersitas denotatur, si dicas in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c. Sic notat *Bonacina num. 5. cum alijs*.

26 Dico 2. Nec tempore Apostolorum, nec vnquam dispẽsatum fuit in hac forma Baptismi. Sic docuit *Armachanus de quæstionibus* Armenorum *li.* 8. *a c.* 3 vbi reputat probabilius. Apostolos baptizasse semper inuocatis tribus personis Trinitatis; ita tamen vt adderent personæ Filij nomen aliquod proprium humanitatis dicentes. In nor[illegible] e Patris, & Filij eius Iesu Christi, siue nostri Redemptoris, & Spiritus sancti. Consentiunt *Suarez, Palaus, Coninch, Lessius, & Auersa sup. Bonacina nu.* 8. *Henriquez lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 2. *Bellarminus de Bapt. lib.* 1. *cap.* 3. *Vazquez disp.* 143. *cap.* 2. Probatur; quia cum Sacramenta sint ritus permanentes, & firmi, non recipiunt varietatem in materia, vel forma: Nec item ex scriptura, nec ex traditione dispensationem admittere cogimur; nec constat, quando cessauerit.

27 Dico 3. ad substãtiam huius formæ pertinet, vt simul cum tribus diuinis personis exprimatur vnitas naturæ diuinæ; quod fit per vocem *in nomine*. Sic docẽt *Magister in 4. dist. 3. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 6.* quos communiter sequuntur Doctores. Videantur *Suarez, & Auersa sup. Vazquez cap. 5. Coninch. num.* 58. *Bonacinanum.* 5. Probatur ex *Matth.* 28. *Baptizantes eos in nomine*. Iuncta tam Ecclesiæ, quam Sanctorum intelligentia. Nam per illud *nomen* in singulari communiter intelligunt Patres vnicam trium personarum essentiam, substantiam, diuinitatem, maiestatem auctoritatem, virtutem, inuocationem. Itaut non videatur aliud vocabulum huic synonimum inueniri.

28 Vnde colligunt Doctores relati, nõ valere Baptismum in nominibus Patris &c. Quia non exprimitur vnitas naturæ diuinæ. Colligunt etiam, si loco nominis ponatur alia vox; scilicet in fide, vel in confessione, vel in virtute, vel in auctoritate, vel in maiestate, vel in deitate, vel in inuocatione, vel similis, valde dubium reddi Baptismum; quia vox *in nomine* plus videtur complecti, quam singulæ voces relatæ. Quare sub conditione repetendus esset Baptismus cum tali variatione datus. Si verò prorsus omittatur illa particula; nimirum siquis dicat. Ego te baptizo in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vel in Patrem &c vel cum Patre &c. *Paulus Comitolus lib.* 1. Respõsionum, *q.* 10. *putat*, valere Baptismum; nam qui nominat tres personas diuinas, satis videtur vnum etiam Deum confi-

confiteri. Multo tamen probabilius est, non valere baptismum sub tali forma collatum; quia licet inuocatione trium diuinarum personarum contineatur implicitè ratione circumstantiarum vnitas Dei, non tamen explicitè declaratur; cum inuocatio diuinæ vnitatis non minus expressa, quam Trinitatis requiratur. Ita *Suarez, Layman, Auersa, Bonacina sup. Coninch. num.* 60. *Filliucius, nu.* 61. *Henriquez, & alij*.

29 Sed adhuc petes. 1. An si dicas. Ego te baptizo in vno Deo Patre &c. vel in vnum Deum Patrem &c. valeat baptismus? *Affirmant Vazquez sup. n.* 37. *Palaus. n.* 17. Quia forma Baptismi debet exprimere tres personas, & vnam essentiam, vt auctorem, & causam principalem Sacramenti; sed prædictæ formæ tres personas exprimunt, & vnam essentiam, vt causam, & authorem Baptismi. Validum ergo Sacramentum efficiunt. Minorem probant; quia præpositio *in* sæpe denotat idem, quod *per*. Si quis verò diceret. Ego te baptizo per vnum Deum Patrem &c. satis exprimeret Dei Trinitatem, & vnitatẽ, vt causam principalem Baptismi. Similiter ergo qui dicit in vno Deo, vel in vnum Deum Patrem &c. *Verum Coninch supra num.* 59. negat huius Baptismi valorem. Primo quia præpositio *in* non significat clarè idem, quod *per*. Secundo quia licet ponatur expresse *per*, adhuc non videtur valere Baptismus; quoniam vox *in nomine* iuxta superius dicta *num.* 27. plura significat, quam in his formis significari possint; vnde verba non sunt æquiualentia. Quare censeo, Baptismum sub istis formis fore dubium, & ideo sub conditione repetendum.

30 Petes 2. An valeat Baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus? *Affirmat Vazquez* 3. *p. q.* 144. *n.* 16. Quia per *Spiritum* etsi non addatur *Sanctũ*, putat exprimi tertiã personam sufficienter, & omissionem epitheti non officere valori Sacramenti. Cæterum *Nauarrus conf.* 4. *de Bapt. & Filliucius sup. n.* 55. censent, formam istam, qua baptizant aliqui Græci schismatici, dicentes, *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus*, non expresso nomine *Sancti*, non valere, vel saltem esse valdè dubiam. Quia non satis exprimitur tertia persona, quæ vocatur vno nomine *Spiritus sanctus*, Quare grauis erit omissio talis vocis, & baptismus erit sub conditione repetendus.

31 Petes 3. An valeat baptismus collatus in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti. Negat *Bonacina sup.* Nam illa repetitio nominis denotat illius multiplicationem, vel saltem non exprimit vnitatem essentiæ. Nihilominus affirmant *Henriquez, Suarez, Palaus, Auersa sup. Coninch num.* 58. *Vazquez disp.* 143. *num.* 36. *Diana part.* 2. *tract.* 17. *Resol.* 15. Nam illa repetitio nec sensum mutat, nec tollit vnitatem: sicut repetitio nominis *Deus*, cum dicimus Deus Pater, & Deus Filius, non significat plures Deos. Mihi videtur saltem forma dubia. Nam illa repetitio per se reddit voces indifferentes ad significandam vnicam, vel plures naturas; ac subindè determinatè non exprimit vnitatem naturæ. Quod agnouisse videtur *Coninch supra*, siquidem addit, non valere talem Baptismum, si quis perversè velit hac repetitione significare pluralitatem naturæ, quasi possit ibi pluralitas etiam significari; grauiter ergo peccabit sic baptizans, & baptismus debebit repeti sub conditione.

32 Petes 4. An valeat baptismus dicentis, Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filij, Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti? Negat *Comitolus lib.* 1. *c.* 7. quia non satis exprimitur vnitas Diuinitatis. Affirmant *Bonacina sup. n.* 15. *Filliuc. n.* 50 *Layman lib.* 5 *tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 5. Nam illa repetitio, quamuis in forma consueta non explicatur, tacitè tamen ex vi copulæ, constructioneq; verborum intelligitur; Quare sensus formæ communis non mutatur, sed magis exprimitur vis coniũctionis. Mihi certè videtur forma dubia; quia nisi tres personæ sub vnico nomine copula-

pulatiuè proferantur, vnitas essentiæ diuinæ non satis exprimitur. Ideo Layman. sup. fatetur, talem baptismum iterum fore sub conditione conferendū.

33 Petes 5. An valeat baptismus collatus in nomine Filij, & Patris, & Spiritus sancti; vel in nomine spiritus sancti, Patris, & Filij? Affirmant *Tolet. lib. 2. c. 19. n. 8. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 15.* Quia putant, eundem sensum substantialem retineri. Consonant, *Scotus in 4. dist. 1. q. 2. Sotus ibi q. 1. art. 8 fin.* sed excipiunt, quando Minister induceret velit errorem, quasi Filius sit principium Patris, tunc enim corrumpit substantialem formæ sensum, & consequenter veritatem baptismi. Negant *Alensis 4. p. q. 13. memb. 3. art. 3. §. 5. & Palaus to. 4 tract. 19. punct. 5. n. 17.* Quia quoties in diuinis mutatur emanationis ordo per Baptismi formam expressus, censent, esse substantialem formæ mutationem. Vndè rectè colligit *Laym. sup. n. 6.* baptismum in hoc casu forè sub conditione repetendum; quia non est omninò certus. Et quidem si potest intentio Ministri per hæc verba corrumpere substantialem formæ sensum, vt asserunt Scotus, & Sotus, signum est, per illa non exprimi palam, & explicitè verum mysterium Trinitatis.

34 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, verba scripturæ, *Actor. 2. 8. & 10.* varijs modis exponi; nam quidam *in nomine Christi*, capiunt idest auctoritate Christi, vel baptismo per Christum instituto, qui diuersus erat à baptismate Ioannis; alij fidem in Christum intelligunt; sed melius plures cum Armachano sup. cēsent, additum fuisse secundæ personæ nomen Iesu Christi; quod sufficiebat ad eius nominis exaltationem, vt vidimus *sup. nu. 06.* Ad secundum, quidam volunt piè Nicolaum Papam interpretari, sicut Ambrosium, & Bernardum, quasi voluerint, valere baptismum collatum in nomine Trinitatis, idest sub inuocatione Trinitatis explicita nominando singulas personas: Et in nomine Christi, nimirum loco Filij, vel simul cum nomine Filii dicendo Christi. *Vazq. Coninch.* & alij fatentur, illos errasse, nec mirum esse, cum homines fuerint. Certè Nicolaus I. in eo cap. solum definijt, id, quod erat interrogatus, scilicèt posse Iudæum validè baptizare, per accidens autem, & obiter, vt Doctor priuatus addidit, valuisse baptismum in nomine Trinitatis, aut tantum in nomine Christi collatum, siue per priuatum errorem, siue per verum sensum nuper adductum. Ad tertium respondetur, implicitì, ac expliciti non esse rationem eandem in Sacramentis, quoties ex institutione diuina requirunt explicitam significationem, vt contingit in præsenti.

CAP. III. QVÆST. V.

An forma Baptismi necessario proferenda sit per voces Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?

35 Difficultas est, an valeat per voces æquiualentes? & præcipuè quæri solet, an valeat hæc forma. Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque. Prima sententia docet, valere. Sic *Gloss. in cap. Multi sunt, de consecrat. dist. 4. Caietanus, 3. part. q. 66. art. 5. Lessius ibi num. 21. Victoria §. 14. de Baptismo, Martinus de Ledesma 1. 4. q. 7. art. 5. dub. vlt.* Probatur 1. quia *Florentinum*, requirit inuocationem explicitam Trinitatis in Baptismo, non autem quod fiat his, aut illis verbis, quasi sufficiens reputet, quod exprimatur Trinitas, vt tauctor baptismi, quibuscunque vocabulis inuocetur. Probatur 2. Nam in alijs Sacramentorum formis valdè substituuntur verba synonima, vel æquiualentia: Sed voces genitoris, geniti, Procedentis sunt synonimæ, vel saltem æquiualentes vocib. Patris, & Filij, & Spiritus sancti; cū significēt eādē cōstitutionē, & distinctionē personarū. Ergo validè substituūtur in baptismo. Probatur 3. Quia si quis baptizet in nomine Patris, & ver-

& verbi, vel Iesu Christi, & spiritus Paracliti, valet baptismus, vt fatentur Doctores. Ergo similiter valebit in nomine genitoris, &c.

36 Secunda sententia communior, & probabilior asserit, non valere. *Sic S. Thomas 3. part. quæst. 66. artic. 5. Coninch. ibi num. 56. Auersa sect. 5. S. Bonauentura, Scotus, Durandus, Alensis, Antisiod. Paludan. Gabriel, quos sequitur Vasquez 3. part. disputat. 144. cap. 2. Henriquez lib. 2. cap. 9. num. 4. Suarez tom. 3. disputat. 21. sect. 4. Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 5. num. 15. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. quæst. 2. Philiarchus, Toletus, Manuel, Angles, & alij, quos sequitur Bonacina, disputat. 2. quæst. 2. punct. 4.* Rationes afferuntur variæ, quas examinat, *Vazquez sup. cap. 3.* efficacior reducitur ad institutionem Christi Domini, qui voluit, sub communibus nominibus Patris, Filij, & spiritus sancti conferri baptismum, non sub alijs, vt ex traditione, perpetuoque ritu Ecclesiæ deducitur. Congruentia talis institutionis sumitur ex fine Baptismi, qui cum sit introitus in Ecclesiam, & Trinitatis mysterium omnibus, & singulis etiam rudibus, & vulgaribus distinctissimè credendum proponat, illis vocibus erat administrandus, quæ magis expressè, magis distinctè cunctis explicent hoc mysterium. Sed voces relationum, & notiores, & communiores, & faciliores sunt ad exponendam etiam rudi vulgo constitutionem, & distinctionem diuinarum personarum, quam voces originum, vel notionum, vel similes doctis notæ duntaxat. Ergo non his, sed illis vocib. oportuit ministrari baptismũ.

37 Hinc fit, multo minus valere Baptismum, si quis dicat; Ego te baptizo in nomine trium personarum; vel primæ, secundæ, ac tertiæ personæ; vel omnipotentis, sapientis, & boni; vel genitoris, & splendoris gloriæ eius, & Flaminis; aut Doni: vel in nomine ingeniti, & geniti, vel imaginis, & spiriti. Quoniam hæc omnia, & similia, quæ personis attribuuntur, aut appropriantur, minus clarè proponunt Trinitatis mysterium, quam rude vulgus requirat. Conueniunt tamen Doctores, valere Baptismum, si quis nominibus consuetis alia super addat, quæ nec obscurent, nec destruant veritatem, V. gr. si quis dicat. Ego indignus Minister te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & spiritus sancti Paracliti, vel quid simile. *Sic Henriquez lib. 1. cap. 9. num. 12. Bonacina, disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 18.* Nec vero licitum est hæc addere formæ, nec semper erit lethalis additio secluso scandalo; sed indiscreta deuotio.

38 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, *Concilium Florentinum*, solam exegisse Trinitatis inuocationem; quia verè quæstionem istam non tetigit, nec definire voluit; adhuc adhibuit voces Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non alias, nec dixit alias sufficere; quasi relinquens Theologis hanc controuersiam discutiendam. Ad secundum respondetur, in alijs Sacramentis non proponi mysterium aliquod explicitè credendum ab omnibus, ideoque sufficere voces æquiualentes; secus in Baptismo propter rationem supra dictam, *num. 36.* Et quidem voces Genitoris, geniti, procedentis non sunt synonimæ cum vocibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed ad summum æquipollentes, minus tamen explicitæ, minusq; notę consequenter minus aptæ formæ Baptismi.

39 In tertio argumento tanguntur variæ formæ, circa quas nonnihil dissentiunt Doctores etiam secundæ sententiæ. Si quis dicat *verbi*, loco *Filij*, *Caietanus supr. & Bonacina disput. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 13.* censent, valere Baptismum: quia putant, ita sufficienter exprimi secundam personam per *Verbum*, quam per *Filium*, Et quidem, *Caietanus*, loquitur consequenter ad suam sententiam. At doctores secundæ sententiæ sicut respuunt vocem *geniti*, sic etiam vocem *verbi*, vt minus notam, & vulgarem, quam vocem *Filij*.

Sic Auersa supra, Palaus num. 16. Fillincius tractat. 2. num. 58. & 61.

40 Siquis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, vel Iesu Christi, & Spiritus sancti, valere Baptismum, volunt *Palaus supra, Bonacina num. 8. Toletus lib. 2. cap. 19. Manuel in summa tom. 1. cap. 25. Vega verb. Baptismus. casu. 5.* Quia vox *Iesu Christi*, complectitur vtramq; naturam diuinam, & humanam, & satis exprimit personam Filij. Melius negant *Auersa supra, Vazquez num. 15.* nisi nomen *Filij* simul exprimatur; nam aliter non explicatur distinctio personarum cum vnitate naturæ. Sicut enim Cathecumenus debet credere, non solum Christum esse Deum & hominem, sed etiam esse Filium Dei; sic exprimi debet in forma Baptismi secunda persona Trinitatis, vt Filius Dei. Vnde soluitur fundamentum contrarium; quia non sufficit, implicitè contineri filiationem, nisi significetur explicitè.

41 Demum Baptismum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus paracliti valere censet *Vazquez supra num. 16.* Quia licet pro voce *Sancti* ponatur *Paracliti*, remanet nomen *Spiritus*, quod ipse putat sufficere tanquam tertiæ personæ proprium, ac subindè variationem epitheti solum accidentalem esse. Non valere, docent *Palaus, & Auersa supra*, & merito; quia nomen *Spiritus* per se solum non satis exprimit tertiam personam, vt vidimus *num. 30.* Nec nomen *Paracliti*, tam est commune, notumve vulgo, sicut epitheton *Sancti*. Quare non esset tutus talis Baptismus. Multo certius est, non valere, si baptizes in nomine Patris, & Filij, & gratiæ Spiritus sancti; quoniam hæc non est Deus, sed creatura; quapropter ad Trinitatem diuinarum personarum non spectat.

42 Nota pro coronyde quæstionis, & si prima sententia sit speculatiuè probabilis, vt Authores etiam secundæ sententiæ fatentur; at in praxi graue peccatum fore, consuetas voces mutare, baptismumq; sic collatum debere repeti sub conditione propter auctoritatem saltem Doctorum, qui probabili saltem fundamento nixi, negant prædictas mutationes efficere validum Baptismum. Et quidem in re pendenti ab instituentis voluntate, & amodo significandi vocum explicitè, vel implicitè, magnum pondus habet auctoritas Doctorum affirmantium, vel negantium, vt formam cum hac vel illa variatione reddant saltem dubiam.

CAP. III. QVÆST. VI.

Quæ voces sint de substantia forma Baptismi?

43 Conueniunt Doctores ad essentiam formæ pertinere saltem hæc verba. *Baptizo te nomine Patris, Filij, Spiritus sancti.* Nam hæc saltem requiruntur, vt Dei Trinitas, & Vnitas exprimatur tanquam causa principalis, & Minister tanquam instrumentum; quod exigit Eugenius 4. in Florentino. Non requiri vocem *Ego*, nec tamen omitti sine culpa saltem veniali, dixi *supra num. 2.* Quod si dicatur, *Nos te baptizamus*, quando *Nos* idem significat, quod *Ego*, non mutatur sensus substantialis; sicut nec variatur, si loco pronominis *te* propter honorem, vel alia de causa dicatur, *Baptizo vos*, designando singularem personam, vt dixi *supra, num. 15.* Aliqui addunt vocem *Amen*; Alij non ponunt illam, nec Rituale Romanum; Quare iam non debet addi.

44 Circa præpositionem *in* Prima sententia docet, illam esse de substantia formæ Baptismi, ac per consequens illa dempta, non valere Baptismum; Quoniam hæc præpositio quandam vim habet, & energiam inuocandi Deum auctoritatiuè, sine qua varietur substantialis formæ sensus. Ita *Toletus lib. 2. cap. 19. Reginaldus lib. 27. num. 30. Comitolus lib. 1. quæst. 9. nu. 3. Bartholomæus*

ab Angelis, *Dialog.* 2. §. 115. *Auersa* 3. *part. quæst.* 66. *sect.* 5. qui colligit indè, non valere Baptismum, si dicas, Baptizo te nomine Patris &c. vel cum nomine, vel per nomen; valere vero, si dicas, sub nomine, nam hæc forma videtur æquiualens communi. Dicendum tamen est, præpositionem *in* non esse formæ Baptismi substantialem; quia per eius ablationem non variatur sensus; imò Latini communiter, & magis propriè loquuntur sine tali præpositione, quamuis ecclesiastico more facilior, & clarior reddatur sensus formæ posita prædicta præpositione, quam dempta, vel in aliam mutata. Sic docent *Henriquez lib.* 2. *cap.* 8. *numer.* 6. *Diana part.* 2. *tract.* 15. *Resol.* 47. *Bonacina disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 16. *Filliucius tract.* 2. *nu.* 63. *Coninch.* 3. *part. quæst.* 66. *numer.* 61. *Lessius ibi num.* 21. Quin *Henriquez*, *Bonacina*, *Diana* putant, eius omissionem, aut mutationem non excedere culpam venialem ob leuitatem materiæ. Cæterum *Coninch*, *& Filliucius* existimant, esse mortale peccatum ex suo genere; quoniam est contra communissimum Ecclesiæ morem, & reddit dubium Sacramentum. Quod mihi magis arridet; quippè si prima sententia probabilis est, (qualis esse videtur saltem ob auctoritatem illorum Doctorum) dubius erit Baptismus sine tali præpositione, vel alia substituta collatus, & per consequens sub conditione repetendus; graueque peccatum erit, ministrare Sacramentum dubium sine causa, vide *Syluestrum*, *Baptismus*, 1. *q.* 11.

45 Coniunctionem *&* ad formæ substantiam pertinere, docent *Innocentius in cap.* 1. *de Baptismo*. *Viualdus tract. de Baptismi forma, numer.* 11. *Conradus in Responsi. tom.* 2. *quæst.* 84. *Syluester*, *Reginaldus*, *Bartholomæus ab Angelis*, *& Auersa supra*. Quia per illam indicatur distinctio personarum, quæ sine tali copula confunderentur; variatur ergo sensus formæ substantialiter, si talis coniunctio prætermittatur. Probabilius est, illam coniunctionem non esse necessariam valori formæ Baptismi; Quia satis vsitato modo loquendi subintelligitur, & manet integer sensus formæ; distinctioq; personarum satis explicatur per nomina relatiua. Sic censent *Pitigianus in* 4 *dist.* 3. *quæst.* 2. *artic.* 12. *Toletus*, *Comitolus*, *Filliucius*, *Diana*, *Coninch*, *& Lessius supra*, cum alijs. Et quidem omissionem huius coniunctionis esse venialem ratione paruitatis materiæ, putant *Henriquez*, *Bonacina*, *& Diana*; mortalem reputant *Coninch*, *& Filliucius supra* propter periculum, quod spontè suscipitur irritandi Sacramentum. Ego noto 1. si coniunctio tollatur ad negandam distinctionem personarum; itavt ex circumstantijs constare possit hic sensus, non valere Baptismum, quia tollitur formæ veritas. Sic aduertit *Lessius*. Noto 2. si semel apponatur coniunctio, scilicet ante tertiam personam, dicendo; in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, Baptismum videri certum, nec debere repeti, nec talem omissionem excedere culpam venialem; quia more latino idem est sensus, ac si coniunctio per singula nomina repeteretur. Sic aduertit *Auersa*; si prorsus omittatur coniunctio, Baptismus erit dubius, & per consequens sub conditione repetendus, ac omissio coniunctionis grauis; quod solùm intendit Reginaldus; videlicet ob contrariam probabilitatem.

46 Si contingat, vt nondum ablutione facta, vel nondum tota forma prolata, baptizandus moriatur, aut baptizans morte, vel morbo, vel alio quouis impedimento præpediatur; *S. Thomas in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 4 *Syluester*, *Baptismus* 1. *num.* 5. *Graffis.* 2. *part. libr.* 1. *cap.* 3. *numero* 29. ac alij sola pietate ducti dicunt, supplere Deum effectum Baptismi, subind q; sepeliendum esse talem puerum in loco sacro. Quin *Paludanus in* 4. *dist.* 3. *quæstione* 2. *artic.* 3. *dixit*, Ministrum mutum, si signis exprimat in necessitate formam Baptismi, vel absolutionis,

his, conferre verum Sacramentum. At certißimè tenendum est, non censeri baptizatum illum, nec subindè fore sepeliendum in loco sacro, qui vel ante ablutionem, vel ante totius formæ prolationem obit, vel morte baptizantis, aut alio impedimento non recepit ablutionem cum totius formæ prolatione. Quia certum est, deficiente materia, vel forma quoad aliquid essentiale Sacramento, non perfici Sacramentum: cum aliundè nec certum, nec verisimile sit ex scriptura, vel traditione. Deum supplere Sacramenti valorem in his casibus, vt ostendimus, *lib.*1. *c.*2.*q.*9.*n.*76. Nec in Baptismo, vel alijs Sacramentis præter matrimonium sufficere signa, vel nutus, diximus ex communi Doctorum consensu, *lib.*1. *c.*1. *num.*23. *& contra Paludanum docent Palacios in* 4. *dist.*3. *q.*5. *Henriq. lib.*2.*c.*8. *nu.*1. *lit.D. Videantur Bellarmin. de Baptismo lib.*1.*c.*4. *Auersa q.*66. *sect.*2. *&* 4. *Bonac. de Sacram.disp.*2.*q.*2. *punct.*3.*n.*26. *& punct.*4.*nu.*18.

CAPVT IV.

De vnitate Baptismi.

1 BAptismi Sacramentum est vnum secundum speciem atomam, vt colligitur ex Pauli verbis ad Ephes.4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, quæ de vnitate specifica Baptismi, *Chrysostom.* ibi *serm.*11. *& Hyeronim.* interpretantur. Quoad distinctionem numericam in diuersis personis baptizatis multiplicantur baptismi secundum numerum, sicut multiplicantur ablutiones, & formæ. Quod si plures baptizes vnica forma dicens. *Ego vos baptizo, &c.* baptismi sunt plures; quia materiæ sunt plures, & forma quamuis in materiali sono videatur vna, quoad sensum est multiplex; nam *P.Lugo de Sacramentis.* æquiualet his, *Ego baptizo te, & baptizo te &c.* Sic notant, *Suar.to.*3.*disp.*22.*sect.*2.*Vazq.*3.*p.disp.*148.*n.*52.*Coninch.q.*67. *n.*53.

2 Baptismus semel ritè collatus repeti non potest circa legitimè baptizatum, vt definiunt, *Concil. Carthagin.*1. *can.*1. *Florentinum in decreto de Sacr. Trident.sess.*7.*can.*9. *de Sacr. & can.*11. *de Bapt.* quare qui Baptismum validum iteraret, non efficeret Sacramentum, sed graue sacrilegium committeret, quod iura sępè damnant, & graui pœna puniunt, *videantur c.*28. *c.*30. *c.*32. *& alia plura*, de consec. *dist.*4. *c.final. de Bapt.lex.*1.*&*2. cod. Ne sanctum baptisma iteretur. Et quidem tam rebaptizans, quam voluntariè rebaptizatus iure ciuili plectuntur pœna mortis; iure tamen Ecclesiastico plectuntur irregularitate, de qua dicemus suo loco. Videatur *Antonius de Quintanaduen. tract.*1. *de Baptismo, singulari* 1. *nu.*2. *& singul.*8. *n.*6. *vbi cum Præposito Palacios, Henriquez, & alijs probat*, illum non incurrere pœnas istas, qui rebaptizat sub conditione: Nam hic absolutè non rebaptizat, & pœnæ restringendæ sunt. Siquis autem à pluribus simul baptizetur, qui simul formæ prolationem finiant, vnicum recipit Baptismum quoad rationem formalem efficiendi, ac significandi gratiam, & vnicum characterem, videantur, *S. Thomas* 3. *part. quæst.*67.*art.*6.*Vasq.supr.c.*2.*Suar. sect.*3. Quomodo non possit vnus abluere, ac alius dicere formam, ostendimus, *lib.*1.*c.*2.*n.*107.

3 Si subsit dubium positiuum, aut negatiuum iuris, vel facti circa valorem baptismi, quod adhibita debita diligentia vinci non possit, repetendus erit sub conditione baptismus, vt de Sacramentis omnibus diximus *lib.* 1. *cap.*1. *quæst.*6. Prudenter verò discernendum erit in particulari, quando censendus sit Baptismus ita dubius, vt debeat iterari. Quod si dubites, an subsit sufficiens causa dubitãdi de Baptismo suscepto, vel de ipsius valore, sem-

per inclinandum eſt in fauorem hominis baptizandi; cuius æterna ſalus præponderat religioni Sacramenti. *Sic Suar. tom.3.diſput.22.ſect.1. Poſſeu.cap.6.nu.21.* Sed examinemus in particulari quædam dubia.

CAP. IV. QVÆST. I.

Qualis certitudo requiratur, vt Baptiſmus repeti nequeat?

4 Diximus *lib.1.c.1.q.6* graue peccatum eſſe ſine ſufficiente dubio Sacramentum iterare, vel abſolutè, vel ſub conditione: nec licere Sacramentum abſolutè repetere, niſi certo conſtiterit, aliquid eſſentiale priori Sacramento defuiſſe. Tunc autem non tam dicitur repeti Sacramentum, quam denuo conferri: Quare non debet apponi conditio. Si tamen apponatur, committi peccatum mortale, docet. *Quintanad. tract.1. ſing.8. n.7.* Quoniam in re tam graui concernente Sacramentorum adminiſtrationem grauis irreuerentia videtur contra morem Eccleſiæ ponere conditionem, vbi nullatenus neceſſaria ſit. At *Petrus de Ledeſm. in ſumm. tract. de Bapt. c.5. concl.1. dub.1. Villalob. to.1. tract.5. diffic.7. n.2. Ludou. de S. Iuan in ſum. q.1. de Bapt. art.8. dub.2. Diana in addit. ad p.3. Reſ.6.* cenſent eſſe ſolum veniale peccatum contra ritum Eccleſiæ non magni ponderis. Quibus aſſentior facilè, quia deſignare materiam grauem, & leuem in ſingulis præceptis multum pendet a iudicio prudenti Doctorum; nec debeo tot Doctores, qui benigniorem partem ſequuntur imprudentes reputare.

5 Quod dubium ſit poſitiuum: quod negatiuum: diximus *lib.1.c.1.q.4.* Nunc addimus, in Baptiſmo dubium poſitiuum eſſe, quando conſtat, aliquem eſſe baptizatum ſub tali materia, vel forma, circa cuius valorem diuerſæ ſunt opiniones probabiles; & in hoc dubio, quoties baptiſmus receptus habet ſolum valorem probabilem, reiterandum eſſe ſub conditione, docuimus eo *cap.1.q.6.n.62.* Quod præter ibi relatos tenent. *Sot, Angles, Manud. Coninch. Valentia, Ledeſma, Granado, Laym. apud Quintanad. ſupra ſingul.2.nu.3.*

6 Confirmari poteſt, nam in iure dubium non ſemper diſtinguitur ab opinione, ſed illam comprehendit, quando datur contraria probabilis, quod ex ſubiecta materia colligi poterit, vt in *cap. Dominus de ſecund. Nupt. in c. Inquiſitioni, de ſent. excomm.* Quapropter omnes ferè regulæ loquentes de dubio, locum habent in opinionibus, vt notat *Zambranus cap.1. dub.1. nu.2.* Videlicèt in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis, c. *Ex litteris §. Quod ſi,* de Probat. Regula *in pari, de Reg. iur. in 6.* Fauendum eſſe reo potius, quam actori. Reg. *cum ſunt,* eod tit. Fauendum eſse libertati, leg. *Quotie: de Reg. iur.* Benigniora eſse præferenda, leg. *ſemper in dubijs,* ff. eod. in pœnis benigniorem interpretationem ſequendam eſse, leg. *in pœnis,* ff. eod Ergo ſimiliter quando dixit. *Alexander 3. c.2. de Bapt de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis, ſi baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Pat. &c.* dubiũ comprehẽdit opiniõẽ probabilẽ cuius oppoſita ſit etiã probabilis. Cõſequẽtiã videtur approbare Gratian. in c. *Presbyt. quos, §. quod ergo, diſt.68.* dicens, ordinẽ, & Baptiſmum eſſe repetendos, quoties certũ non fuerit, eſse collatos. Sed opinio non facit certũ. Ergo nõ obſtante opinione probabili de valore baptiſmi, repetẽdus erit ſub condit. quãdo datur ẽt opinio probabilis de nullitate.

7 Dubiũ facti poſitiuũ datur in baptiſmo, quoties vtrimq; ſuppetũt probabiles coniecturæ, quibus probari poſſit, aliquem validè baptizatum eſse, vel non eſse; ſed neutra pars caret formidine, nec moralẽ certitudinem attingit. Dubium facti negatiuũ erit, quoties ita dubitamus, an hic homo, ſit baptizatus; vel an legitima materia, vel forma ipſius baptiſmo defuerit, vt nullæ prorſus rationes,

tiones, aut cōiecturæ reddāt alterutram partē probabilē. Nimirū si reperiatur infans in sylua sine testimonio, vel indicio sufficiente ad discernēdum, an sit baptizatus, nec ne; Vtrumque dubium istud comprehendit equidem *Alenxand. 3. in illo cap. 2. de Bapt.* propter proximè dicta; siquidem alterutrum sufficit, vt baptismus, vel eius valor nō sit certus moraliter; & de dubio facti negatiuo loquitur Leo Papa in *cap. Cùm itaque, & cap. Si nulla de Consec. dist. 4.* & vtrobique decernit, esse baptismum sub tali dubio conferendum. Quoniam *quòd non ostenditur gestum, ratio non sinit, vt videatur iteratum.* Consonant *cap. Veniens, de Presbyter.* non baptizato, & *cap. Solemnitates. Et 1. de Consec. dist. 1.* & Doctores communiter. Igitur in quolibet dubio prudenti Baptismi conditionalem eius administrationem non solùm licitam, sed necessariam omninò faciunt & necessitas maxima veri Baptismi, & dubium, positiuum, aut negatiuum præcedentis.

8 Quare dicendum est, requiri certitudinem saltem moralem baptismi validi, vt hic repeti nequeat. Certitudo verò moralis est, vt quidam asserunt *ex leg. 1. §. Idem ff.* de aqua pluuiali, quę prudenti non sinit prudenter formidare; vel qua perpensis circumstantijs, prudentis animus quiescit; aut iuxta *Thomam Sanchez lib. 2. de Mat. disp. 45. num. 4.* quæ virum prudentem attentis circumstantijs occurrentibus certum reddit. In particulari Baptismi certitudinē sic describit *Concilium Carthag. 5. in cap. Placuit de infantibus, De Consec. dist. 4. Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse, sine dubitatione testentur; nec ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere: absque vllo scrupulo baptizandos esse.* Consonant alia iura, quæ refert *Quintanad. tract. 1. Sign. 1. num. 4.*

9 Cæterum noto 1. quamuis in iure requirantur testes firmi, seu certissimi de Baptismo recepto, vt non iteretur: non esse generaliter accipiendum, vt sonat; sed vel plurale ponitur pro singulari, vt volunt *Suarez to. 3. disp. 22. sect. 1. Vazq. 3. p. disp. 146. n. 19.* vel est sermo de pueris, qui per Barbaros à parentibus abrepti sunt, ita vt sciri nequeat, an antè baptismum, vel post illum abducti fuerint, vt colligitur ex eo *cap. Placuit*, & aduertit *Coninch. q. 66. n. 97.* Vel certè requiruntur plures testes, quando nō sunt aliæ coniecturæ, quæ vel per se solæ, vel cùm vnius testimonio coniunctæ sufficiunt ad moralem certitudinem inducendam.

10 Vnde noto 2. si testis vnus oculatus, & fide dignus affirmet, se vidisse hominem baptizari, nec aliundè subsit verisimilis suspicio falsitatis, esse sufficiens testimonium, vt baptismus non sit iterādus. Quia circa subiectam materiam facit moralem fidem, & certitudinem. *Ita Palud. & Sotus*, quos sequitur *Hériq. lib. 2. cap. 31. n. 1. Bonac. cùm alijs disp. 2. q. 2. punct. 1. n. 40. Laym. lib. 5. tract. 2. c. 5. n. 3. Auersa 3. p. q. 66 sect. 6 Suarez, Vazq. & Coninch. sup.* Satis indicant textus in *cap. Cùm itaque, & in cap. Paruulos, de Consec. dist. 4.* quatenus ad aliquem baptizandum requirunt, vt non sit aliquis, qui testetur, talē fuisse baptizatū. Vnius ergò fide digni testimonium sufficit, vt non repetatur baptismus, qui factus asseritur sine dubitatione.

11 Quin etiam quamuis non adsit testis oculatus, pro morali certitudine baptismi recepti sufficit in libro Parochi descriptum esse. Rursus si quis natus est ex parētibus fidelibus, & inter Christianos educatus vsque ad eam ætatem, in qua solent omnes baptizari: nec aliundè suppetit probabilis ratio dubitandi de baptismo, non est in dubium reuocandus: Quia prædictæ coniecturæ simul cùm Ecclesiæ more recepto faciunt sufficientem fidem, & reddunt baptismum moraliter certum: vt expressit *Innocentius 3. in cap. Veniens de Presb. non bapt. & notant Suarez, & Auersa sup. Vazquez num. 25. Bonacina num. 38.* cùm alijs.

12 Posset de baptismo prudenter dubitari.

bitari 1. si parentes alicuius scirentur inter infideles habitasse, nec habuisse Sacerdotem nisi rarissimè, solitique fuisse differrè filiorum baptismum in aduentum alicuius Sacerdotis, aut quid simile 2. siquis etiam inter fideles à veneficis parentibus natus est, & à Dæmone nimis infestatur; nec vllis indicijs sciri potest, vbi, vel à quò baptizatus fuerit 3. si testis quidem suppetat recepti baptismi, sed non satis fide dignus: vel ex conditione personæ, vel quia non certo, vel constanter affirmat, vel quia magni sua interest, credi talem esse baptizatum, vt notant *Coninch sup. Layman n.4. Zambranus cap.1. dub.1. n.9.* Demum in singulis circumstantijs, quæ multipliciter variari possunt, arbitrio prudentis relinquitur discernendum; an subsit sufficiens causa dubitandi de baptismo suscepto, vel de ipsius valore. Cœterum in dubio de sufficientia causæ semper inclinandum est in fauorem hominis baptizandi: nimirùm vt baptizetur, & ita securior reddatur eius salus. Sic indicant iuxta relata, & nos docuimus *sup. n.3.*

CAP. IV. QVÆST. II.

An dubius de suo baptismo teneatur sub conditione baptizari.

13 SVppono, illum, qui non leui fundamento dubitare cœpit de valore sui baptismi, sub mortali teneri ad adhibendam moralem diligentiam, vt certus reddatur in alterutram partem. Quilibet enim debet adhibere diligentiam sibi moraliter possibilem ad indagandam veritatē adeò sibi necessariam, ne semper in re tanti momenti perplexus hæreat cùm graui periculo damnationis, vt expendunt *S. Bonauent. Gerson, Adrianus, Corduba, Zambranus*, quos sequitur *Quintanad. tract. 1. Sing. 13. nu. 1.* Confirmatur; nam qui dubitat, an debitor sit pecuniæ, vel famæ, vel alterius obligationis grauis, inquirere debet veritatem, ne per ignorantiam culpabilem inferat proximo damnum. Ergo dubius de suo baptismo debet inquirere veritatem, ne per eius ignorantiam careat medio necessariò salutis; Si tamen adhibita diligentia sufficiente moraliter, adhuc persistat dubium prudens, vel probabilis solùm opinio de valore baptismi, debet illum sub conditione recipere, vt diximus *lib. 1. cap. 1. quæst. 6.* & docet *Granado 3. part. Controuersia 3. tract. 1. disput. 4. numer. 7.* ne si verùm baptismum anteà non suscepit, æternæ damnationis periculum subeat.

14 Addo, simul ac adultus concepit hoc dubium morale, seu probabile, quòd deponere prudenter non potest, debere sub conditione baptizari. Sic sentire videntur *Suarez 3. part. tom. 3. disput. 31. sect. 2. Vazquez 3. part. disput. 146. numer. 29. Reginaldus lib. 27. num. 55. & alij.* Nam adultus tenetur diuino præcepto recipere baptismum, quàm primum commodè possit, vt videbimus cap. 10. Sicut tenetur credere, cùm primum ei proponuntur mysteria Fidei sufficienter. Ergo similiter in casu dubij debet recipere baptismum sub conditione, quàm primum possit. Imò catechumenus sæpè potest differrè baptismum absolutum, vt meliùs instruatur, & disponatur; adultus autem inter fideles enutritus hanc causam differendi baptismum conditionatum non habet. Vndè simul ac constat, subesse dubium prudens baptismi, vel valoris ipsius, tenetur sub mortali non differrè baptismum conditionatum. Nam hæc dilatio grauis obligationis, & medij necessarij salutis sine causa legitima grauis culpa iure censetur. *Vazquez sup. disp. 149. & 150.*

15 Ex paruitate materiæ posset reddi culpa venialis, siquis V. gr. sine causa differret baptismum conditionatum per tres, aut quatuor dies, quando non instat periculum mortis, nec actio quæpiam necessariò prærequirens baptismū validum. Nam hæc paruitas Dilationis reddit etiam illam venialem in absoluto baptismo, vel impletione voti; quàvis in his

in his etiam vrgeat diuinum præceptum. Verum est tamen, dilationem Baptismi vel absoluti, vel conditionati sine causa longè breuiorem esse futuram, vt non excedat culpam venialem, quam dilationem adimplendi votum ob ingentem baptismi necessitatem ad euitandum periculum damnationis, & ineundam vitam spiritualem. Quæuis verò dilatio sine causa veniale peccatum erit; quia verè dissonat rationi priuare se frustra tanto bono, etiam per breue tempus.

16 Hinc fit, eos, qui tenentur extra necessitatem baptizare suos subditos, quales sunt Parochi; vel illis procurare baptismum, quales sunt parentes, tutores, curatores, cognati, Domini, seu Patres familias; teneri pariter in casu dubij suis subditis ministrare, vel procurare baptismum cõditionatum, quam primum possint, vt diximus *lib. 1. cap. 1. num. 64.* Quia tenentur certum baptismum ipsis conferre, seu procurare; Non potest autem baptismus dubius reddi certus, nisi per eius reiterationem conditionatam. Consonant *Hurtado de Bapt. disp. 1. diffic. 12. Quintanad. sup sing. 14. ac alij.*

17 Similiter non solum Clerici, sed etiam laici, quoties ipsis licet ob instantem necessitatẽ baptizare priuatim, grauiter ex charitate tenẽtur cuilibet de baptismo sibi collato, vel de ipsius valore dubitanti conferre baptismum conditionatum. Quippe charitas exigit, vt proximis in tali necessitate constitutis securius suæ salutis remedium procuretur. Quin etiamsi Parochi, parentes, aut similes iudicarent, non subesse sufficiens dubium ad iterandum baptismum; quando vir aliquis doctus, & pius reputat illud sufficiens, debent illud iterare. Cum in his sequenda sit tutior pars, ex quibus aut pendet, aut pendere creditur salus æterna subditorum. Ita *Quintanad. & Hurtado sup.*

(∴)

CAP. IV. QVAEST. III.

Quid faciet Sacerdos ita dubius de suo baptismo, vt egeat iteratione?

18 Cum baptismus sit ianua vitæ spiritualis, ac subindè nullum Sacramentum valeat sine præuio baptismo, vt habetur *in cap. Veniens. De Presb. non baptiz.* & in Concilio Florentino Sacerdos, qui prudenter dubitat de suo baptismo, pariter dubitare debet de valore suorum ordinum, & consequenter post receptum sub conditione baptismum, debet omnes ordines susceptos, vel saltem Sacerdotalem iterum sub conditione recipere. Sic docet *Quintanad. tract. 1. sing. 10. n. 2.* & probatur; quia Sacerdos certò sciens, se non fuisse validè baptizatum, esset absolutè baptizandus, & ordinandus, vt constat ex *cap. siquis. De Presbyt. non bapt.* Ergo qui dubitat de suo baptismo, sub conditione baptizandus, & ordinandus erit, vt colligitur ex prædicto *cap. Veniens.* Confirmatur; nam quoties occurrit probabile dubium, an ordo sit verè collatus ex defectu debitæ materiæ, vel simili, debet iterari sub conditione iuxta communem Doctorum sententiam. Sed qui prudenter dubitat de suo baptismo, pariter dubitat de valore suæ ordinationis; ergo debet illam sub conditione repetere.

19 Quod si talis Sacerdos, postquam sub conditione reiterauit Baptismum, nolit ordinem reiterare, sed abstinere prorsus à celebranda Missa, & à Sacramentis ministrãdis, certè viam eligit difficilem, & lubricam. Nam imprimis cum in dubio Sacerdos sit, tenetur equidem ad Horas recitandas; nam harum obligatio possidet. Deindè si verè baptizatus, & ordinatus sit, reddit vacuam, & otiosam ordinationis gratiam, quod non carebit culpa; Communiter etiam orietur scandalum illorum, qui videant ipsum nunquam celebrare, vel munera Sacerdotum exercere. Quare sine dubio consultius erit, & ferè semper neces-

necessarium reiterare Sacerdotium, ex cuius defectu grauia nocumenta sequūtur. Ita censet *Granado de Sacram. tract. 1. disp. 4. a num. 7.*

20 Sed addit ordines minores, & subdiaconatum etiam, ac Diaconatum iterari quidem in eo casu posse, sed necessarium non esse; cum horum munera suppleri possint per Sacerdotalem potestatem, ac nullum actum habeant annexū absolutè necessarium ad salutem fidelium. Confirmatur. Nam vt docent *Sotus in 4. dist. 24. q. 1. a. 4. Sanchez in consilijs lib. 7. cap. 1. dub. 14. n. 3.* & Doctores communiter cum *S. Thoma in Addit. q. 33. art. 5.* Sacerdos ritè ordinatus, licet alios ordines non susceperit, potest omnium ordinnm inferiorum functiones exercere validè; quoniam in Sacerdotio virtualiter continentur.

21 Equidem si nullum timeatur detrimentum, nec scandalum graue fidelium; censeo sub peccato graui debere omnes ordines, etiam inferiores reiterari sub conditione. Quia tam Ecclesiasticum, quam diuinum præceptum obligant ad non recipiendum Sacerdotium, nisi receptis prius omnibus ordinibus inferioribus; ergo pariter obligant ad non reiterandum dubium Sacerdotium, nisi prius reiteratis ordinibus inferioribus dubijs. Nec datur causa grauis excusant ab obseruatione talis pręcepti; siquidem sicut Sacerdotium secreto reiterandum est, sic etiam ordines inferiores secretò conferri possunt. Ita censet *Quintanad. sup. n. 7.* & fauet prædictum *cap. Veniens*, dum asserit, Sacerdotem de suo baptismo dubium, aut de ipsius nullitate certum debere per singulos ordines ad Sacerdotium peruenire. Videtur tamen ab hoc præcepto excusare graue detrimentum, aut scandalum ex ordinum inferiorum reiteratione prouenturum ob fundamentum primæ sententiæ; quod nihil amplius conuincit.

22 Hinc fit 1. Sacerdotem dubium de suo baptismo, donec dubium prudenter deponat, & reddatur moraliter certus de valore sui Sacerdotij, non posse licitè quempiam actum Ordinis Sacerdotalis exercere. Quoniam operabitur cum dubio practico, ac proindè cum periculo faciendi actus irritos. Sic in simili docet *Vazquez, Sāchez, & Corduba*, quos sequitur *Quintanad. sup. n. 8.* Postquam verò talis Confessarius, aut Parochus iterum sub conditione Baptismum, & Sacerdotiū recepit, noua facultate non eget ad audiendas confessiones, aliaq; Sacerdotis, & Confessarij, seu Parochi munera præstanda, Cum iam ab Episcopo concessa fuerit, & dubium de Baptismi, ac Ordinis valore cessatit.

23 Fit 2. Illos, qui Sacramentalem absolutionem mortalium receperunt a Confessario, de cuius baptismo dubitatur, repetere debere tales confessiones; quia dubij valoris sunt. Sicut iterum cōfitenda sunt peccata mortalia, de quibus dubitatur; an absolutè, vel ritè fuerint aperta Confessario legitimo (dum dubium sit negatiuum) ne sine causa violetur integritas materialis Confessionis, vt diximus in *tract. de Conscientia, cap. 2. q. 29. num. 172.* Nec hic iuuat communis error cum titulo colorato; nam Ecclesia nequit supplere defectum Ordinis, vt diximus *lib. 1 cap. 1. q. 4.* Secus esset quoad ea, quæ pendent a sola iurisdictione, qualis est valor matrimonij, cui adesset Parochus, vel de ipsius licentia Sacerdos de suo baptismo dubius. Ita *Quintanad. sup. singul. 11.*

24 Fit 3. Confessarium de suo baptismo dubium per se loquēdo debere manifestare talem defectum illis, qui eorum confessiones audiuit, vt vel confessionē generalē faciant, vel saltem particularē alteri, vel sibi post baptismū, & presbyteratū sub conditione repetitos, iterum cōfiteantur, se generaliter accusantes de peccatis omnibus, quę prius eidem confessi fuerint; ex quo nullum graue detrimentum regulariter imminere videtur. Quapropter ad hoc exequendum non leuem diligentiam adhibere debet; ne forsan aliquis post confessionem ipsi prius factam sine noua confessione decedat cum periculo damnationis, si cou-

si cōtritionis actum non elicuit, & confessarius verè Sacerdos non erat ex defectu Baptismi. Sic notat *Quintanad. supra.*

25 Si verò graue damnum, aut scandalum timeatur ex manifestatione talis defectus, non tenetur confessarius illum manifestare. Quia pœnitentes possunt per contritionem, vel per aliam confessionem iustificari; nec integritas materialis confessionis obligat cum periculo detrimenti grauis; nec ob euitandum incertum, & rarum periculum proximi tenemur subire certum periculum præsens grauissimi damni. Sic docent *Ochagauia trac.2. de Pœnit.qu.41.n.6. Diana par.5.trac.13.Resol.55.*

26 Fit 4. Siquis Religiosus professus dubius sit prudenter de suo Baptismo, post hunc iteratum, debere ratificare professionem; quia propter illud dubiū, etsi valor professionis reddatur dubius, adhuc iste non potest deserere Religionem, cum hæc possideat; & in dubio melior sit conditio possidentis. Igitur vt licitè fruatur deinceps commodis temporalibus, & spiritualibus Religionis, quàm retinere debet, oportet, vt ratificet suam professionem, & illam reddat certam. Sicut enim possessor rei, qua fruitur, si dubius sit, an sua sit, vel aliena, debet certam adquirere notitiā, & proprietatem, quoad possit; alioquin peccat contra iustitiam tali re fruens cum onere restitutionis, vt docet *Sanch. cum alijs de Matrim. lib.2. disp.41. num.20. & sequentibus:* sic iste Religiosus, cum possit reddere certam professionem suam, peccat grauiter, si velit dubius de valore suę professionis frui commodis, & priuilegijs Religionis.

27 Quæ verò pertinent ad iurisdictionem, vt si suffragia tulit in electionibus, si fuit Prælatus, & inijt contractus, vel concessit Religiosis facultatem ad accipiendum, & expendendum, vel etiam ad absoluendum à reseruatis, & similia, non egent reualidatione. Nam hæc omnia, quamuis verè non fuisset baptizatus, ac subindè non esset Religiosus, valent ob errorem communem cum titulo colorato iuxta communem doctrinam, quàm tradunt *Sanch. de Matrim. lib.2. disp.22. Salas de leg. disp.10. sect.3. Bonacin. de Matrim. qu.2. punct.8. nu.25.* Idem est, siquis Vicarius Episcopi, vel similem habens iurisdictionem dubitet de suo baptismo; quidquid enim egerit per potestatem iurisdictionis, validum fuit, dum non misceatur potestas Ordinis, quàm Ecclesia supplere non potest.

28 Quoad praxim reiterationis Ordinum, quamuis siquid substantiale constet omissum fuisse, reiterandum sit temporibus Ordinationum statutis, vt habetur *in cap. Presbyt. de Sacrament. non iterandis,* & notant *Glossa ibi, S. Antoninus, Abbas, Henriq. & alij,* quos sequitur *Sanch. in Consil. lib.7. cap.1. dub.13 num.7.* Secus videtur esse, cum iterantur Ordines ex dubio præcedētis baptismi. Nam iura videntur loqui de vera, & absoluta Ordinum collatione; non de conditionata, quæ supponit, nihil externum esse, quod non fuerit debito tempore, locoq; collatum. Quare posse reiterari tales Ordines in loco secretiori, quouis tempore, vel omnes etiam eodem die, censet *Quintanad. tract.6. singul.1. num.2. & 3.* nec omnes solemnitates repetendas, sed solum esse sub conditione repetēda, quæ præcisè requiruntur ad valorem Sacramenti. Fauet *Granado controu.9. de Ordine tractat.2. disputat.3.* Verum nisi graue timeatur scandalum, vel incommodum, consultiùs esset, vno die reiterare minores Ordines, vel simul etiam Subdiaconatum, & duobus sequentibus Diaconatum, & Sacerdotium; quod præstare potest vel idem Episcopus, qui prius contulerat, vel alius diuersus, prout magis opportunum visum fuerit.

CAP.

CAP. IV. QVÆST. IV.

Quid faciet Episcopus dubius de suo baptismo?

29 Episcopus prudenter dubitans, an validum baptismum receperit, grauiter obligatur ad reiterandum non solum baptismum, & ordines minores, ac maiores, sicut de Sacerdote dictum est *q.3.* sed etiam Episcopalem. Quia si verè non sit Episcopus, nec validè conferet Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, nec validè consecrabit chrisma necessarium confirmationi, nec oleum necessarium Extremæ Vnctioni; nec exercebit licitè, quæcumque pertinent ad Episcopalem iurisdictionem. Cumq; non possit ob dubium de suo baptismo Episcopatui renuntiare sine licentia Papę, dum illum retinet, debet se reddere moraliter idoneum Episcopalibus functionibus, itaut certitudine morali possit illas præstare validè, ac licitè. Sic *Quintanad. cum alijs tract.1. sing.10. n.8. & 9. & tract.6 singul.2. num.1.* Postquàm verò iam Episcopus sub conditione recepit baptismum, & ordinem Sacerdotalem, ac Episcopalem; habeat intentionem reualidandi, seu denuò concedendi (si fuerit opus) facultates omnes ad Sacramenta ministranda, vel alia peragenda per ipsum concessas; Sic enim redduntur certa, quæ pertinent ad iurisdictionem.

30 Si talis Episcopus aliquos initiauit, dum erat dubius de suo baptismo, contulit Sacramentum dubium; & ideo sic initiati debent sub conditione repetere suam Ordinationem, vt in simili diximus *qu.3.* Vnde fit, Episcopum debere quoscumq; sic dubius initiauit, monere de hoc defectu. Quin etiam *Ochagauia tract.2. de Confess. quęst.41. num.6.* censet Episcopum obligari ad manifestandum talem defectum; quamuis immineat sibi periculum vitæ, vel honoris. Quippè magnum sequetur Ecclesię detrimentū, si sic ordinati non sint verè Sacerdotes, & subindè nec validè consecrent, vel absoluant, aliave Sacramenta ministrēt. Quàm doctrinam approbant *Granado controu.9. de Ordine, disp.6. & Diana part.5. tract.13. Resolut.55.* quoties talis Episcopus sacerdotium ita dubium contulerit; secus verò, si solum contulerit Diaconatum, aut inferiores Ordines. Nam hi non habent actum aliquem annexum absolutè necessarium ad fideliū salutem, aut defectu cuius proueniat Ecclesiæ notabile damnum. Præsertim si sic ordinati post ordines inferiores dubios receperint certum Sacerdotium, in quo inferiores ordines eminentes, seu virtualiter continentur, iuxta superius dicta *num.* 20. Quare dum imminet ex manifestatione defectus graue damnū, non tenetur Episcopus manifestare tale dubium circà Diaconatum, aut inferiores ordines à se collatos. Si verò non timeatur incommodum graue, debebit manifestare dubium illud iuxta dicta superius *num.* 21. Videatur *Quintanad. tract.6. singul.3.* qui obligationem istam magis in particulari disquirit, decidit, & confirmat.

31 Quoad praxim quoties dubitatur de valida Episcopatus collatione, reiterari potest sub cōditione simul cū Sacerdotio, consultiùs tamen esset, si nullum subsit incommodum, iterari Sabbatho Sacerdotium, & Dominica sequenti ordinem Episcopalem; quod etiam fieri posse, quando tales Ordines absolutè conferuntur, docent *S. Antoninus, Syluester, Angelus, & alij,* quos sequitur *Sanch. in consil. lib.7. cap.1. dub.15. nu. 5.* Item quamuis Episcopi consecratio facienda sit in Ecclesia cum Missa solemni, & trium Episcoporum assistentia, vt ostendit *Sanchez eo dub.15.* tamen hæc conditionalis consecratio, ne pariat scādalum, aut notam aliquam, secreto potest, imò debet fieri coram paucissimis in priuato sacello per vnicum Episcopū extra Missam, omissis etiam alijs solemnitatibus, quæ non pertinent ad consecrationis essentiam; solum itaque reiteretur impositio manuū Episcopi consecrantis

crantis super caput consecrandi cùm illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, vbi materia, & forma consecrationis continetur, & imprimitur character. *Ita Quintanad. cùm alijs tract. 6. Singul. 2.*

CAP. IV. QVÆST. V.

An omnes baptizati priuatim à laicis sint rebaptizandi?

32 Partem affirmantem tenent *Sylvius 3. p. q. 66. art. 9. dub. 2. Molanus tract. 4. sue practica cap. 3. Bartholus in leg. Siquis Cod. Ne bapt. iter. quos refert*, & sequitur *Quintanad. tract. 1. singul. 5.* Probant 1. authoritate Pastoralis Melchinensis, quòd sic habet. *Conditionalis baptizatio facienda est circa infantes, qui ab Obstetricibus baptizati esse referuntur.* Idē statuit *Synodus Iprensis sub Martino Rythonio tit. 12. cap. 5. Quare Coninch. 3. p. q. 66. n. 95.* notat, in Ritualibus quarumdam Diæcesum præscribi Pastoribus, vt baptizatos in necessitate ab Obstetricibus vulgò rebaptizent. Et interrogati Prælati, cur hoc statuant, respondent; quia sępè deprehendunt, obstetrices non satis firmiter callere rationem baptizandi, vel etiam si dum examinantur, benè respondeant; at, dum vrget tale periculum fętus, turbari facilè; ita vt posteà vix sciant, an legitimè baptizarint. Atque ita semper aliquòd subesse dubium in re tanti momenti non insufficiens, vt proles sub conditione rebaptizari possit. Consonat *Leander de Sanctiss. Sacram. tom. 1. tract. 2. disp. 3. q. 54.* Item in quibusdam locis, vbi experientia docuit, obstetrices à Diabolo nō rarò deceptas, in ipsius nomine baptizare solitas, obtinuit consuetudo, vt omnes infantes, quos mulier affirmat, se domi baptizasse, baptizētur iterum sub cōditione. Quem morem approbat Pastorale Romanum editum *Antuerpiæ anno 1607. pag. 20. & 31. nec audet improbare Layman lib. 5. tract. 2. cap. 5. n. 3.*

33 Probant 2. Quia prudenter de omnibus ferè baptismis à laicis in necessitate collatis dubitare possumus, an validi fuerint. Etenim parentes, cognati, familiares, & alij partubus astantes, dum attendunt lethale periculum, aut infantis, aut parturientis, aut huius dolores, & clamores maximos, aut aliorum rumorem, & strepitum, facilè turbantur, & à baptismo ministrando cùm omnibus essentialibus requisitis vel impediūtur, vel distrahūtur. Quare ferè semper erit morale dubium de valore baptismi sic collati, quamvis examinatus, qui baptizauit, rectè respondeat postea; quia cessante turbatione, potest vti certa notitia, quàm iam habet expeditā, nec satis aduertit defectum ex turbatione prius ortum: Et quamvis illum aduertant, non audet manifestare, timens aliquòd dedecus, aut supplicium. Ac proindè ferè semper oportebit, rebaptizare sub conditione puerū, qui baptizatus fuit à laicis ob periculum mortis.

34 Probant 3. Quia communiter laici tàm viri, quàm fęminę, quamvis sint obstetrices, ignorant essentialia requisita baptismi, vel baptizandi modum; quòd varijs exemplis confirmant *Victoria de Baptismo, q. 36. Comitolus lib. 1. Respons. cap. 1. n. 7. Quintanad. sup. num. 5. & 6.* Ac forsan ob hanc causam *S. Clemens Rom. lib. 3. Const. cap. 9.* dixit *De mulieribus verò baptizantibus scitote; quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere. Quàm ob rem non hoc consilium demus; periculosum enim est: imò verò præter legem, & imperium.* Vbi S. Pontifex non damnat, vt inualidum baptismum ministratū à fęminis cùm requisitis essentialibus; nec vt illicitum in casu necessitatis; sed periculosum esse, dicit, nimirum ob dubiū, quòd de valore ipsius oriri potest ex ignorantia baptizantis. Ideò decreta Mediolanensia tit de Bapt. cap. 30. præscribunt, vt Obstetrix, quæ probata debet esse, quando baptizat, curet, quòad fieri possit, vt duæ saltem personæ, præsertim aliquis parens baptizandi, si potest, adsint veluti baptismi testes, & verba baptizantis audiant.

35 Par-

35 Partem negantem tenent *Sotus in 4.dist.3.q.1.artic.9. Nauarrus cap.22. num.246.Castro de lege penali lib.1. cap. 7.Suar.to.3.disput.31.sect. 6. Barthol.ab Angelo de Baptisf.Dial.2.§.128.Reginal. lib.27.num.54. Bonac.de Sacram.disp.1. quest.2.punct.1.num.37.Zerola in Praxi verb.Irregularitas.§ 12.Diana par.quinta tractat.13.Resolut.86.Marchantius in Candelab.tract.2.de Baptismo cap.2.q.4. Coninch supra num.94. Layman to nu.3.* Probatur; Quia baptismus ab obstetrice,vel à quouis alio collatus per sese validus est; ergo secundum se non præbet sufficiẽtem causam dubitandi de valore talis baptismi. Quoad coniecturas vero, vel circumstantias extrinsecas sufficienter abscinditur quęlibet pręsumptio,vel suspicio de nullitate baptismi sic collati; si vel obstetrices, vel aliæ personæ, quæ baptizarunt infantem in necessitate, diligenter examinentur;quàm materiam, & formam adhibuerint;quàm intentionem habuerint; quę verba protulerint, & an simul cum ablutione; quàm partẽ corporis abluerint. Quod si horum omnium reddunt sufficientem rationem, baptizari rursus infantes sub conditione non licebit; cum ex hoc examine iam habeatur certitudo moralis de valore talis baptismi. Secus si restet adhuc prudens,& morale dubium. Vt grauiter decernunt Catechismus Romanus *part.2. cap.2.Paragr.43.& Synodus Granat.anni* 1572.*tit.de Baptismo,n.*4. Ideo *Sotus supra*. Reprehendit acriter consuetudinem quorundam Parochorum,qui pueros omnes ab obstetricibus in necessitate baptizatos iterum sub conditione baptizant; & in eosdem acriùs inuehitur Catechismus *supra*.

36 Pro decisione suppono 1.nonnunquam posse Baptismum in necessitate collatum, ità reddi certum ex circumstantijs, vt nec de suo valore prudenter dubitare possimus, nec item inquirere debeamus.V.g.si Parochus,aut alius Sacerdos expertus,vel sapiens in necessitate baptizauit infantem. Idem est de laicis,qui sint viri docti,vel in ministrandis baptismis experti. Pariter obstetrices, quæ debent esse satis instructæ de modo baptizandi, vt docent *Sotus, Suarez,& Coninch supra,Nauarrus cap.22. num.6. S.Antoninus, & Paludanus*, quos sequitur *Henriq.lib.2.cap.29.num.5.* si muneri suo satisfaciunt,certum baptismum cõferent. Cum igitur horum scientia, vel experientia nota nullum prudenti suspicioni, vel dubitationi locum relinquat; nulla videtur superesse obligatio vel examinandi ministrum, vel inquirendi valorem talis baptismi. Nisi forsan aliqua circumstantia particularis occurrisset in illo,quę distractionem,& errorem ingessisse præsumeretur.Sic censent Doctores secundæ sententiæ; consentitque *Quintanad.supra num.9.& 12. & singul. 7.num.4.*

37 Suppono 2.quoties subest prudenti dubitationi locus circa baptismum in necessitate collatum, teneri Parochum sub mortali de Baptismi valore diligenter inquirere, priusquàm illum repetat. Conueniunt in hoc vtriusque partis Doctores,& insuper *Zambranus c.1. dub.1. num.10.Graffis de Irregular.lib.4. ca.26. num 60.& 61.Manuel tom.1. Sum. cap. 25.num.5.Barbosa de offic.Parochi ca.18. num.37* Consonant *Catechism.Rom. & Synodus Granat.sup. loquentes in nostro casu*. Textus etiam in cap.*Placuit*.cap. *Si nulla*,cap.*Paruulos*, cap.*Cum itaque, de Consecrat. distinct.* 4. Vbi præcipitur diligens inquisitio de Baptismi valore, quoties ille dubius est. Accedit ratio; nam si mox iteretur baptismus ante sufficiens examen præmissum, temerè fit iniuria non leuis reuerentiæ debitæ Sacramentis. Excipit bene *Possevinus cap. 6.num.21.& 32.* nisi sit infans morti proximus, ac subindè non vacet Parocho vel factum,vel ius sufficienter examinare:tunc enim suborto quouis dubio sine longiori discussione baptismus erit sub conditione conferendus, ne periclitetur æterna salus morientis.

38 Cœterum dum vacat, tenetur Parochus inquirere factum iuxta superius *dicta num.35.* Et quidem exactiorem diligen-

ligentiam in hoc examine, quàm in alijs conscientiæ dubijs discutiendis adhibendam esse propter maius rei momentum contendit *Quintanad. sup. singul. 6. & 7. cum alijs.* Quod si post exactam inquisitionem constiterit, rectè fuisse puerum baptizatum, non est rebaptizandus, sed solùm ceremoniæ supplendæ; quòd probat fundamentum partis negantis, & omnes concedere debent. Si tamen obstetrix, vel similis persona, quę baptizauit, examinata deprehendatur vel titubare, vel non satis callere formam baptismi, vel ob perturbationem non omninò discernere, an adhibuerit essentialia requisita; vel inconstans in responsis esse, vel saga, vel malefica; baptismus erit iterandus sub conditione. Quia prudens causa dubitandi subest: Quin in dubio de sufficientia causæ pręponderat salus recepturi baptismum, vt dicebamus *sup. num. 3. & 12. & notat Palaus to. 4. tract. 19. punct. 13. num. 7.*

39 Iam tota controuersia reducitur ad prudentiam practicam in expendendis circumstantijs, quæ prudens dubium de valore priuati baptismi vel inducunt, vel excludunt. Et quidem tale dubium oriri potest vel ex ignorantia baptizantis; vel ex inaduertentia, seu turbatione, quando baptizauit; vel ex eius malitia, qua noluit conferre validum baptismū. Ignorantia dignoscitur per examen talis ministri, qui si fuerit inuentus ignarus vel formæ, vel alterius essentialis requisiti, prudenter præsumitur inualidè baptizasse, vel saltem non contulisse certum omninò baptismum. Inaduertentia vel turbatio baptizantis in ipsomet actu pertinet ad factum, & huc spectat exactissima disquisitio, de qua diximus numero præcedenti. Malitia maiorem prærequirit discussionem. Certè quoties baptizans erat maleficus, vel habebat pactum cum Dæmone, sufficientem præbet causam dubitandi; quoniam addictus Dæmoni, sicut aduersatur Christo, sic ab eius Sacramentis abhorrere præsumitur.

40 Quin omnes infantes, & adultos à Paganis, Iudæis, Sarracenis, aut Hæreticis baptizatos, iterum baptizandos esse sub conditione, contendunt *Laurentius Beierlinch in Theat. verb. Baptismus, & Quintanad. tract. 1. singul. 3.* Quia prudēter præsumi potest, hos infideles in aliquo saltem essentiali requisito baptismi deficere. Iudæi siquidem, & Sarraceni negant, vel odio prosequuntur baptismum, & Ecclesiam, illiusq; Sacramenta, vel illorum institutorem Christum verè non agnoscunt. Prudenter igitur præsumere, vel suspicari possumus, illos debitam materiam, aut formam non adhibuisse; vel veram intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, & Christus instituit, non habuisse; vel ex alio quopiam defectu baptismum sibi vel ignotum, vel exosum non ritè contulisse.

41 Hæreticorum verò vix vllus reperietur, qui non erret in aliquo saltem ex essentialibus Baptismi requisitis; Vel. n. illius necessitatem, effectum, & finem negant, vel sanguinem, lac, ceruisiam, & vinum, aut aliam ineptam materiam eidem assignant: vel innumeras, & omnes inualidas formas confingunt: vel intentionem ministri tollunt: vel alios similes errores inducunt, vt videre licet apud *Beierlinch sup. Zanardum de Baptismo cap. 7. Bellarminum de Bapt. lib. 1.* Quidam aqua rosacea proles nobilium abluunt; aut aspergunt solas vestes, ne molesta sit illis aqua frigida corpus attingens. Alij formam baptismi proferunt, & iubent pueros ab alijs ablui. Dēterium Episcopum Arrianum baptizasse in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, testatur *Nicephorus lib. 16. cap. 35.* Plures filios Longobardorum ab hæreticis baptizatos, iterum baptizari fecit *S. Gregorius*, vt constat *ex lib. 1. Regist. epist. 17.* Videantur *Berden. lib. 7. ca. 50. & 57. Bozius de signis lib. 5. cap. 2. Coninch. qu. 66. num. 69. & 96* Quapropter *Greg. 2. in cap. Quos à Paganis de Consecrat. dist. 4.* iubet, vt à Paganis baptizati, denuò baptizentur.

Vtique, quia non præsumitur fuisse seruatus Ecclesię ritus, vt notat *Coninc. q. 67.*

qu.67.num.1. & Synodus Mechlinensis in Belgio decreuit, ab hæreticis baptizatos sub conditione saltem esse baptizandos, vt testatur *Beierlinch supra.*

42 Extendit hanc doctrinam *Quintanad.singul.*4. ad Baptismos collatos à Parocho, vel obstetrice, vel quibuslibet alijs viris, aut fœminis natis ex Hebræorum, aut Sarracenorum sanguine. Nam omnes isti paternum odium Baptismi cum sanguine recepisse, non temerè præsumuntur; & per consequens inualidum Baptismum ministrasse. Quod varijs euentibus confirmat, in quibus tàm Parochi, quàm Obstetrices huius generis fassi sunt, se nunquàm intentionem habuisse faciendi Sacramentum, quando baptizabant. Rectè verò limitat suam decisionem ad eas personas, quæ simul cum infecto sanguine coniungunt deprauatam adeo vitam, & mores corruptos, vt de fidei puritate reddantur aliquo modo suspecti: Quippè si Parochus, vel Obstetrix, vel quiuis alius sanguinis infecti præclarum semper fidei, vitæque testimonium præbuisset, hæc omnis suspicio satis euanesceret.

43 Quoad baptismos collatos ab infidelibus limitatio quoque videtur addenda. Nam absolutè valere Baptismum collatum ab infidelibus, dũ adhibuerint essentialia requisita Baptismi, definiunt *Innocent.3.in Conc. Lateran. Eugenius* 4. *in Florentin. & Tridentinum sess.7. can.* 4. *de Baptismo*: latèque probant *Bellarmin.de Baptism.lib.1.cap.7.Vazq.3.par. disput.*147.*cap.*1. *& communiter Doctores*; ac oppositum hæresim esse, dicit *Zanardus de Bapt.cap.*4. Quod autem infideles, dum baptizant, adhibeant regulariter essentialia requisita, supponit Ecclesia, dum absolutè decernit, baptizatos ab infidelibus non esse rebaptizandos, vt constat ex cap. *Romanus*, cap. *A quodam Iudæo*, cap. *Si qui*, cap. *Quamuis, cum alijs, de Consecr.dist.*4. Quare communis sententia docet, baptizatos ab infidelibus iterum baptizari non posse, nec sub conditione, dum ex alio capite non constat, aut probabiliter dubitatur, aliquid essentiale talibus baptismis defuisse. Videantur *Coninch 3.par.q.66.nu. 96.& Auersa ibi, sect.6.fine.*

44 Certè dum Cœcilius Episcopus in *Conc.Carthag.*1. dixit, *Vna fides, vnum Baptisma, non apud hæreticos, vbi spes nulla est, & fides falsa, vbi omnia per mendacium aguntur, &c.* ex hæreticorum prauitate colligere voluit, non valere baptismum ab ipsis collatum; cum non habeant veram intentionem, nec adhibeant veros Ecclesiæ ritus, sed agãt omnia per mendacium: Et tamen certum est, errasse Cœcilium, & totum illud Concilium, quod propterea reuocarũt, & damnarunt *Cornelius Papa, & Stephanus Papa*, & aliud *Concilium Carthag.sub Syluestro Papa.* Videatur *Bellarminus tom.2.controu.1.de Concilijs, li. 1.cap.10.fine, & tom.3.controu.1.de Sacram.lib.1.ca.26.* vbi dicit, S.Cyprianum eius Concilij præsidem, & alios Episcopos retractasse suum errorem. Igitur infidelitas sola baptizantis non sufficit, vt baptismus repeti possit, etiam *sub conditione.*

Sufficere verò reor, vt inquiri possit, & debeat de tali baptismo, quibus verbis, aut ritibus collatus sit, vel conferri soleat à tali personâ. Quod si constet, exterius ritè fuisse ministratum baptismũ, & nulla suppetat specialis coniectura, quæ personam istam reddat probabiliter suspectam de defectu intentionis, nõ poterit baptismus etiam sub conditione reiterari iuxta communem Ecclesiæ sensum. Secus verò, si qua coniectura particularis, & suspicio probabilis reddat moraliter incertum istum baptismum. Tunc enim iam subest prudens timor, qui sufficit ad baptismum sub conditione repetendum, vt docent *Suar.tom.3.disputat.22.sect.2.Reginald. lib.17.num.53. Hurtado de Bapt. disp.1. diffic.12.* Quoniam ad non rebaptizandum sub conditione nulla subesse debet prudẽs suspicio nullitatis baptismi prioris; ne maneat vllo modo periculum aliquod damnationis. Nec amplius conuincunt fundamenta contraria.

CAP.

CAP. IV. QVÆST. VI.

Quando Parochus, aut Obstetrix fatetur, se multos baptizasse sine debita materia, vel forma, vel intentione; Quid faciendum?

46 SÆpè cōtigit, vt testatur *Quintan. t.1.sing.1.&* 4. Parochos aliquos, & obstetrices præsertim ex Hebræis, aut Satracenis ortos, vel consciētiæ stimulis agitatos, vel morti proximos, vel tortura pressos fateri, se per longum tempus multos baptizasse, quib. vel omnib., vel plurib., vel nonnullis, quos in particulari discernere nequeunt, debitā intentionē, aut formam, aut materiā non adhibuerunt. In quo casu certū esse videtur, omnes illos per totū id tempus ab his Parochis, & obstetricib. baptizatos, rebaptizandos esse sub conditione, vel infantes, vel adultos; his solū exceptis, quos post exactā memoriæ discussionē, quæ debet adhiberi, cōstiterit ritè fuisse baptizatos. Et.n. si Parochus, & obstetrix fateantur, se baptismos omnes inualidè ministrasse; non est dubiū, quin omnes repeti debeant etiam absolutè; si nulla sit probabilis ratio suspicandi, vel ministrū mentiri, vel istos ab alio fuisse baptizatos.

47 Si verò Parochus, & obstetrix dicāt, se quosdā ritè baptizasse, quosdam inualidè; nec discernere posse, qui sint hi, vel illi; cū in particulari singuli sint prudēter dubij de valore sui baptismi, debēt omnes, & singuli rebaptizari sub cōditione iuxtà textum *in c 2. de Bapt.* Nam in singulis vtiq; concurrunt & necessitas maxima veri baptismi, & morale dubium de valore prioris, quę reddunt conditionalem baptismi reiterationem non solùm licitam, sed omninò necessariam, vt satis ostendit *Quintanad. supra*.

48 Dices 1. difficillimum, imò moraliter impossibile videri, omnes, & singulos ab illis baptizatos, iterum baptizari. Quippè iam plures erunt per varia loca dispersi; plures forsan sacris ordinibus initiati, vel Matrimonio iuncti, quibus si Baptismus iteretur, etiam ordo, vel Matrimonium iteranda sunt, quòd graues habet difficultates annexas. Respōdetur his omnibus incommodis, & difficultatibus præferendam esse salutem spiritualem eorum, qui verè non sunt baptizati, subindèque periculum subeunt æternæ damnationis, si vel infantes decedant, vel adulti non eliciant veram contritionem. Qui post baptismum dubium, aut nullum ordinati sunt, quo modo debeant iterum ordinari, diximus *sup. quæst.3.* Qui matrimonio iuncti sunt, possunt secretò ratificare consensum, & contractum, vt in simili tradit *Sanch. de Matrim. lib.2. disp.40. Bonac. de Matrim. qu.8. punct.9. Quintanad. in Appendice, tr.7. dub.10.*

49 Et quidem si Parochus, vel Obstetrix recordetur eorum, quos inualidè baptizauit, eos secretò monere poterit. Si non omnium, vel nullius in particulari recordetur, nec ex libro baptismi sufficiens noritia capi possit, Episcopo per confessarium, aut per alium virum doctum renūciandus est hic defectus: Nec opus erit exprimi, num ex malitia, vel ignorantia, vel incuria cōtigerit hic defectus; quin vtens æquiuocatione, seù restrictione dicatur, non fuisse certos baptismos, ideoq; reiterari debere, non expressa causa reiterationis; si sufficiat hoc ad remediū, quod circumstantiæ suadebunt. Episcopus verò publicari faciat, vbicunq; fuerit opus, inter Missarum solēnia, vel alio modo, si magis expedierit, omnes à tali persona baptizatos, iterū baptizari debere sub conditione; quia non habent baptismum certum. Nec refert, si forsan indè sequatur scandalū, aut aliqua perturbatio; cū necesse sit, vt veniant scandala, meliusq. fit cum illis ad vitam ingredi, quām ob euitandū scandalum illud exponi periculo damnationis. Ita *Quintanad. tr.1. sing.2. num.5.*

50 Hinc fit, esse sub conditione rebaptizandos Æthiopes ex Guineæ portubus aduectos, qui vel in ipsa naui, vel in alio loco simul baptizati fuerunt, aqua vel non omnes abluente: nam omnibus simul, non cuilibet sigillatim aspersa

aspersa fuit, vnde contigere potest, quòd aliquorum capita non tangat; vel saltem non sufficienter. Pueros etiam, qui sæpè cum matribus Æthyopibus, aut in earum vlnis accubantes baptizari solent. Et ignoratur, an aqua matrem solam abluerit, an simul puerum; & in vniuersum quoties de pueris, vel adultis Æthyopibus baptizatis est aliquod dubium prudens, omnes sub conditione rebaptizandi sunt, quāuis aliquos ignotos constet in confuso baptizatos fuisse; cum hi designari nequeant in particulari. Sic *Ildefonsus de Sandoual de Aethyopum salute lib.3.cap.2.3.& 7.*

51 Dices secundò, si Parocho, vel Obstetrici periculum vitæ, vel graue detrimentum bonorum, aut famæ prudenter immineat ex hac manifestatione, durissimum videtur ad se prodendum obligare talem ministrum. Respondetur, quomodo teneatur Episcopus, qui dubios Ordines contulit, prodere suum defectum etiam cum periculo vitæ, vel detrimento famę, dictum esse *sup. num.* 30. Parochum, & Obstetricem, qui baptismum inualidum contulerint, dicimus teneri, se prodere cum periculo cuiuslibet temporalis iacturæ. Sic docent *Layman lib.2.tract.3.cap 3.num.2. Trullench lib.1.Decal.c.5. dub.6. n.10. Diana p.3. tr.5.Resol.50. Quintanad.trac.1.sing.19.*

52 Probatur 1. Nam vnius animæ salus pręferri debet vitæ corporali cuiusvis, & omnibus bonis temporalibus. Igitur à fortiori præferri debet vitæ talis ministri, siue quibuslibet eius temporalibus bonis salus spiritualis non vnius tantùm, sed tot innocentium; ex quibus moraliter est certum, multos esse morituros ante discretionis annos, & per consequens æterna beatitudine priuandos, nisi rebaptizentur; quidam etiam Sacerdotes erunt, & Confessarij, qui nec verè consecrent, nec absoluant cum maximo fidelium spirituali detrimento, quod talis minister euitare tenetur cū quantolibet discrimine cuiusuis dāni temporalis; præsertim cum ex officio deberet, validum baptismū ministrasse.

Probatur 2. Nam in extrema necessitate proximorum spirituali quicunque fidelis subire debet periculum cuiuslibet detrimenti temporalis, vt succurrat indigenti: Quod si necessitas sit grauis, tenetur saltem Parochus; vt docuimus cum communi sententia *lib. 1. cap. 2. quæst.3.* & tradit cum alijs *Quintanad. supra*. Sed qui morituri sunt in infantia, necessitatem habent extremam reiterationis Baptismi, quem inualidum receperunt; adulti verò saltem habent grauissimam: nam elicere veram contritionem, præsertim cum ignoratur eius necessitas, difficile semper est, & valdè dubium. Ergo multò magis Parochus, & Obstetrix, qui causæ fuerunt talis necessitatis spiritualis proximorum, tenentur illi succurrere cum quouis discrimine mortis, vel infamiæ, vel similis iacturæ.

Si verò Parochus, vel Obstetrix nolit se prodere cum tanto discrimine, confessarius eius imprimis tentet vias omnes, quibus hæc baptismorum reiteratio fiat minori vitæ, vel famæ periculo iuxtà superius dicta *n.49.* dicendo generaliter, iterandos esse baptismos illos ob iustas causas, aut ad tollendos scrupulos, periculumque nullitatis euitandum. Deindè si nequeat hæc iteratio fieri sine magni damni periculo, quòd minister sibi nolit, etiam suam obligationem edoctus, *Laym. sup.* quem refert, & non refellit *Diana*; dicit absoluè posse, si promittat, in posterum abstinere talibus sacrilegijs: Cum homines illi per contritionem saluari possint, & durissimum sit cogere ministrum, vt se prodat, & mortem volent sustineat; vel eundem in desperationem æternæ salutis adigere.

54 Certè si talis minister certo nouerit, esse iā adultos omnes, quos inualidè baptizauit, & nullū ex illis esse, vel fore Sacerdotē, posset ad praxim reduci talis doctrina. Nā adulti possūt cōtritione saluari, quāuis baptizati non sint, & ob euitandā incertam damnationem aliorum non videtur cogēdus ille minister ad oppetendam certā mortē. Si tamen aliqui

sint

fint infantes, vel Sacerdotes, non est admittenda talis praxis, nec ille minister absoluendus propter rationes adductas nu.51. & 52. quæ satis conuincunt, in his circumstantijs obligari ministrum ad exponendam vitam temporalem, nequis, vel etiam plures amittant æternam ipsius vtiq; culpa, qui ministrauit baptismum inualidum. Ita *Quintanad. supra*.

CAP. IV. QVÆST. VII.

An infantes expositi sint baptizandi?

55 QVoties infans expositus fuit sine testimonio sui baptismi, baptizandum esse, saltem sub conditione, docent *Paludanus in 4. dist. 6. quæst. 4. Sotus dist. 3. q. 1. art. 9. Auersa. 3. p. q. 66. sect. 6. Præpositus ibi, art. 9. dub. 2. nu.* 102. *Bonacin. de Sacram. disp. 1. q. 2. punct. 1. num.* 40. *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 5. n. 3. Villalobos tom. 1. tract. 5. diffic. 7. n. 4. Tannerus. 3. p. disp. 4. q. 2. dub. 4. n. 113. Diana in Addit. ad 3. part. Resol. 6. & part. 5. tract. 13. Resol. 85. Hurtado de Bapt. disp. 1. diffic. 12. Ochagauia de Bapt. q. 11. numer.* 8. Quia prudenter dubitari potest, an sit baptizatus. Et quidem si deferat secum scriptum, quo dicatur, non esse baptizatum, absolutè baptizandus erit. Quia tunc est moraliter certum non esse baptizatum, vt notat *Hurtado sup.* si nullum scriptum afferat, baptizetur sub cōditione. Quia forsan eius parētes, quamvis baptizatus esset, obliti sunt apponere schedulam præ turbatione, vel angustia temporis; vel ad occultandum delictum illam apponere noluerunt, vt aduertit *Ochagauia*.

56 Alij volunt, si puer expositus sit perspicuè talis ætatis, in qua filij Christianorum solent iam esse baptizati, nimirum si natus appareat inter Catholicos ante mensem, non esse baptizandum etiam sub conditione; quia valdè credibile fit, fuisse iam baptizatum, & ipsomet ætas, & vsus habetur pro sufficiente testimonio baptismi; nisi forsan speciales circumstantiæ, seu coniecturæ vehementem suspicionem contrariam inducant. *Ita Sotus, Auersa, & Ochagauia sup. Henriquez lib. 2. cap. 31. num. 1. Vazquez 3. p. disp. 146. cap. 4. Filliucius tract. 2. num. 149. Toletus lib. 2. cap. 21. num. 3. Possevinus cap. 6. n.* 40. Mihi non ita certus videtur iste baptismus, vt non possit, ac subindè debeat sub conditione reiterari. Nam adhuc suppetit sufficiens causa dubitandi, cum matres fornicariæ magis solicitæ sint de celando partu, quam de prole baptizanda: Nec in tam tenera ætate certo discerni possit, an infans natus sit ante mensem, nec ne; nam aliqui recens nati copulentiores sunt, quam alij post mensem. Ita *Villab. & Diana sup.* Quod si puer reperiatur in nemore, de quo dubitetur, ex quibus parentibus ortus sit, debere sub conditione baptizari, docent *Ochagauia, & Diana sup.* Imò licet constet, esse filium fidelium, nisi satis aliundè notus sit eius baptismus, censeo, baptizandum esse sub conditione.

57 Si tamen infans expositus testimonium habeat baptismi; Prima sententia docet, baptizandum adhuc esse sub conditione; quamvis testimonium subscriptum sit, & infans fuerit expositus inter Catholicos. Ita *Marchantius in Cand. Sacram. tract. 2. de Bapt. cap. 2. quæst. 4. Leander de Sanctis Sacram. tom. 1 tract. 2. de Bapt. quæst. 4. Torreblanca libr. 2. pract. cap. 4 Quintanad. tract. 1. singul. 9.* Probatur 1. *Nam in cap. Placuit de consec. dist. 4. & in alijs iuribus dicitur*, infantes, de quorum baptismo non constat per certissimos testes, baptizari debere. Similiter *Rituale Rom. §. de Bapt. paruul.* præscribit, vt infantes expositi, vel inuenti si re diligenter inuestigata, de ipsorum baptismo non constet, sub cōditione baptizētur. Et quidē verbū *constet*, significat claram probationem, vt ostendit *Mascard. de prob. concl. 75. n. 21.* At schedula sine noto sigillo, vel authentica subscriptione nec firmum testimonium, nec certissimus testis esse potest, vt docet *Tuscus cum alijs to. 7. concl. 74. num. 25.* Concilium *Mediolan. 3. sub S. Carolo*

Borromeo tit. de Baptismo infantium sic ait. Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter prærequisita, dubium sit adhuc, eum baptizatum esse, sub conditione baptizetur. Idem habet *Synodus Camaracensis*, & in multis diœcesibus idem fuisse præscriptum, & à multis viris doctissimis approbatum, testatur *Quintanad. supra*.

58 Probatur 2. Nam horum baptismum reddunt incertū coniecturæ prudentes; baptizant enim hos pueros expositos communiter non obstetrices, quæ magis instructæ sunt in hoc ministerio, non tamen vocātur, ne partus isti prodantur, sed aliæ fœminæ vel ignaræ conferendi baptismum, vel de quarum sciētia merito dubitari possit, aut etiam debeat: Imò frequenter sunt vilissimæ conditionis fœminæ vel Aethyopissę, vel sagę, vel similes, quę sicut in parturientiū peccatis (ex his enim sæpius oriuntur) sic in ipsarum partubus interueniunt; & interdum punitæ sunt, quoniam veneficijs, & superstitionibus in his baptismis vsæ fuerunt. Item scriptor illius schedulæ vel non est fide dignus, cum sit ignotus, aut forsan cognoscatur esse minus verax; vel etiamsi fide dignus existeret, solū ea, quæ prædictæ fæmine dictauerunt, scripserit; nam ipsæ frequenter scribere nesciunt. Vnde talis schedula non scriptoris, sed vilium fœminarum authoritatem habet, quæ quidem insufficiēs est ad tantanti momēti comprobandam.

59 Secunda sententia docet, non esse baptizandum etiam sub conditione, si fuit infans expositus inter Catholicos, quamuis testimonium non sit alicuius nomine subscriptum; Nam adhuc sufficienter persuadet, parentes Catholicos voluisse media schedula reiterationem baptismi vitare. Sic censent *Paludanus*, *Sotus*, *Auersa*, *Vazquez*, *Ochoagia*, *Diana*, *Layman*, *Hurtado*, *Villalobos supra* cum omnibus antiquis, & communi Iuniorum; quibus libenter subscribo. Probatur 1. Nam schedula testificans infantem esse baptizatum, testimonium est vtiq; sufficiens ad reddendum moraliter certum eius baptismum; nec verisimile sit, aliquem Catholicum in re tam graui fallere voluisse; cum infans expositus sit à fidelibus, qui Baptismum venerantur, ac eius necessitatem firmiter credunt, & veraciter confitentur. Probatur 2. Nam vt vidimus *sup. n. 10. & 11.* testimonium vnius testis fide digni, vel etiam scriptum in libro Baptismi reperiri sufficit ad moralem Baptismi certitudinem: sed talis schedula cum his circumstantijs æquiualet vni testi fide digno, vel etiam scripto per sacristam in libro; cum præseferat assertionem, aut alicuius parentis, aut propinqui, vel saltem personæ, quę debet infantis huius saluti prospicere. Nec alias quidquam schedula baptismi prodesset, si nihilominus infans esse baptizandus.

60 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, quidquid sit in foro iudiciali de fide cuiuspiam scripti, certè circa materiam istam baptismi talem schedulam iudicio tot virorum sapientium, quot docuerunt, & docent nostram sententiam, facere certitudinem moralem, & sufficientem, vt baptismus huius infantis constare dicatur, & iterandus non sit. Textus adducti probant ad summum, disquisitionem aliquam adhibendam esse si possit. Vnde si resultet prudens baptismi dubium, iste repetatur sub conditione. Quippè si puer credatur expositus ab infidelibus, qui baptismum execrantur, quāvis afferat secū testimoniū, erit sub conditione baptizādus; quia præsumitur testimonium esse falsum, vt notant *Diana, Fillиuc. & aly.* Si sit expositus inter fideles, at ex colore, vultu, vel alijs signis indicetur natus ex infidelibus, vel sagis, vel ex parentibus suspectæ fidei baptismū abhorrētibus, iam oriri potest suspicio prudens, ob quā reiterādus sit baptismus. Si chirographum sit subscriptū, & subscribēs cognoscatur; interrogetur, quem ritum, quam materiam, & formam, & intentionem baptizans adhibuerit; ac si sufficientem sui ministerij rationem reddit, non erit in-

tans,

fans, nec sub conditione baptizandus, vt ipse *Quintanad. fatetur*. Secus verò, si veleius responsione, vel ex alijs schedulæ circumstantiis maneat dubius baptismus; in quo casu loqui videntur illa Diæcesanorum decreta.

61 Ad secundùm respondetur, illas esse coniecturas singulares, quæ particulares circumstantias requirunt, vt hic, & nunc reddant prudenter dubium baptismum huius infantis expositi cum testimonio recepti baptismatis. Generaliter enim, vt vidimus *num. 59.* illud baptismi testimonium inter fideles reddit baptismum moraliter certum, nisi quid obstet particulare, de quo debita disquisitione præmissa, si non resultet particularis coniectura prudentis suspicionis, non erit infans baptizandus; secus si talis coniectura subsistat. Prudens vtique iudicium requiritur ad discernendum, quę circumstantię reddant hic, & nunc baptismum expositi certum; quæ verò reddant illum dubium. Videantur *Tannerus supra, Trullench de Sacram. lib. 2. cap. 1. dub. 6. num. 17. Bonac. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 11.*

CAP. IV. QVÆST. VIII.

An vehementes scrupuli sufficiant ad reiterandum Baptismum?

62 SVpposui *lib. 1. c. 1. q. 6.* cum communi sententia, quoties nō subest probabilis causa dubitandi de valore Sacramenti collati, non solùm esse mortale peccatum iterare Sacramentū absolutè, sed etiam sub conditione, quamuis suppetat leue dubium, aut scrupulus debilis. Nam iteratio Sacramenti facta sine causa sufficiente censetur esse quædam irrisio Sacramētorum. At euenit aliquādo, fœminam, aut virum pios, & timoratos crebris, & acribus scrupulis agitari diù circa sui baptismi valorē leuissimo, seù potiùs nullo prudentis dubitationis fundamento. Quid post diligentem inquisitionem de baptismi tempore, loco, ministro, reperitur baptismus in libro Parochię descriptus, & cœteræ circumstantiæ suadent, illum fuisse validum. Adhuc talis persona, licèt timoratæ conscientiæ, non tamen in alijs rebus scrupulosè, circà baptismum suum per quinque, vel sex annos ità pungebatur, & torquebatur, vt penè mœrore conficeretur, nec oratione, nec frequenti Sacramentorum perceptione, nec consilijs, & iudicijs prudentium, & sapientium quiescere posset, semper existimās, & audacter affirmans, se non esse baptizatam.

63 Consulti viri docti ferè cuncti censebant, non esse baptizandam etiam sub conditione, ne fieret grauis iniuria Sacramento. Sed quoniam aliundè durissimum apparebat, personam alioquin piam, & prudentem sine remedio prorsùs, cum iam omnia tentata fuissent, in tàm acerbis, & crebris cruciatibus, & angustijs spiritualibus per totam vitam relinqui desolatam, vt re vera maneret, nisi baptismus ipsi conditionalis conferretur; non defuerunt aliqui viri sapientes, & prudentes, qui concederent, cum aliqua probabilitate pòsse talem baptismum iterari; quod certè factum est, & statim animo prorsùs pacato facta est tranquillitas magna. Sic accidisse cuidam fœminæ nobili, sic etiam cuidam Religioso nostræ Societatis, testatur *Quintanad. trac. 1. sing. 8.*

64 Fundamenta, quæ pietas inuenire potuit, huius iterationis sub aliqua probabilitatis specie, forsan hæc fuerūt. Quod si vehementes, & frequentes scrupuli, mœrores, cruciatus post consilia sapiētum, & alia remedia non sedati generare censeretur aliqualem suspicionē de primi baptismi valore sufficientem ad conditionalem ipsius iterationem; quatenus existimari poterant inspirationes Dei compellentis interiùs ad intrandum per Baptismi ianuam; nec enim instigaret Dœmon ad recipiendum baptismum, quem ipse nimis abhorret, vtpotè medium necessarium nostræ salutis; nec Deus frustrà tales stimulos

mulos immitteret tãdiu timoratis conscientijs piorum. Item non videtur reputandus esse leuis scrupulus, cuius formido vehemens de Baptismi valore, nõ obstante certitudine morali contraria, mentem illius personæ cogebat ad firmiter affirmandum, se non esse baptizatam.

65 Demum quando Doctores communiter asserũt esse mortale peccatum, etiam sub conditione rebaptizare sciẽter illum, qui ritè baptizatus est; id quidem intelligunt, & explicant, quando talis baptismus scienter confertur sine causa sufficiente. Sed in præsenti casu causa videtur esse sufficiens ille talis, & tam constans interior sensus, & assensus nullitatis baptismi, pauor ille formidolosus excludẽs omnem assensum oppositum, iugis ille cruciatus, & ingens mæror miserè consumens animam, & vires omnes corporis, & spiritus, nisi reiteretur baptismus, vnde solatium omne mentis, & vnicum remedium patientis dependebat. Adde, quod *Villalobos to.1. tract.4. diffic.4. num.2.* Probabiliter opinatur, ob scrupulum etiam leuem iterare Sacramentum, non esse mortale peccatum, sed imprudentiam, & irreuerentiam venialem; quia verè non intenditur iteratio Sacramenti, si validum fuerit; ad euitãdam verò culpam venialem sufficit leuis causa, qualis in præsenti videtur saltem adesse.

Nihilominus ego non consulerem in praxi talem iterationem baptismi faciendam ob fundamentum communis sententiæ, quæ semper iterationem Sacramenti sine sufficiente causa reputat irreuerentiam continere: factam verò non damnarem peccati mortalis, quia bona fides in tantis angustijs taliter opinantium videtur excusare culpam saltem grauem. Sic ferè censet *Quintanad. sup.*

CAP. IV. QVÆST. IX.

Quando Baptismus solemnis fuit inualidus; an debeant repeti ceremoniæ?

66 Contingere potest, vt baptismus cum debita solemnitate collatus inualidus sit, quoad substantiam defectu materiæ, vel formæ, vel intentionis necessariæ, ideoque debeat repeti. Tunc autem quæritur, an debeant etiam repeti ceremoniæ? Affirmãt *Sanctus Antoninus part.3. tit.13. c.14. Paragr 22. Paludanus in 4. dist.6. quæst.4. Sotus, dist.3. q.1 art.9. Henriqu. lib.2. cap.15 nu. 4. lit. L Reginaldus li.27. num.34. Bartholomæus ab Angelo Dialog. 2. Paragr.69.* Probatur, quia Baptismus extra necessitatem sine talibus ceremonijs conferri non potest, vt patet ex *Trident. sess.7. can.13. de Sacram.* Sed nulla tunc adest necessitas omittendi ceremonias. Ergo non possunt omitti sine peccato.

67 Probabilius tamen est, ceremonias semel adhibitas non esse repetendas, quamuis repetatur baptismus. Ita censent *Suar. tom.3. disp.31. sect.6. Henriqu. sibi contrariùs lib.3. cap. 2. num.1. litt. N. Bonac. de Sacram. disp.2. q.2. pun. 7. num.22. Trullench de Sacram. lib 1. cap.1. dub.9. num.4. Coninc. q.66. nu.100.* Probatur, quia licèt hæ ceremoniæ sint propter baptismum institutæ: debeantque simul cum illo, quoad fieri possit, adhiberi; tamen hoc non est absolutè siquidem quando baptismus priuatim fuit collatus, diù post adhibentur, cum respectu scilicèt ad baptismum præcedentem; ideòque censentur simul cum illo conferri. Similiter ergò cum anteà sunt adhibitæ semper respiciunt verum baptismum, quamuis hic post multum temporis conferatur.

68 Confirmatur. Nam benedictiones adhibitæ semel in Matrimonio inualido, quando posteà validatur, non repetuntur: Sic ritus confirmationis inualidæ dicit *Henriqu. sup.* non iterandos,

& *Innocentius 3. in cap. 1. de Sacram non iter.* decernit in Sacramentis imprimentibus characterem, siquid omissum est, nihil esse iterandum, sed cautè supplendū, quòd incautè fuerat prætermissum: & loquitur etiam in casu, quo aliquid essentiale confirmationis omissum fuerat, vt patet ex textu, & notat *Coninch q. 72. num. 54. & 55.*

CAPVT V.

De Ministro Baptismi.

1 Minister baptismi duplex distinguitur. Primus necessitatis, qui non ex officio, sed ob necessitatem potest baptizare: Secundus solemnitatis, cui scilicet ex officio competit etiam extra necessitatem cum debita solemnitate baptizare. Competit autem munus ministrandi baptismum ex officio Sacerdotibus, qui sunt Ecclesiæ Pastores Nam dignitas huius Sacramenti postulat, vt extra necessitatem Sacerdotibus dumtaxat committatur ex officio. Potestas autem admittendi quempiam ad Ecclesiam, qualis baptizādo exercetur, requirit iurisdictionem aliquam, quæ solum in Pastoribus reperitur. Videantur *Suarez tom. 3. disp. 23. sect. 2. Vazqu. 3. par. disp. 147. cap. 3. Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 5.*

2 Vnde fit 1. quemlibet non Parochū baptizantem solemniter peccare mortaliter (nisi sit Sacerdos, aut Diaconus, & habeat Pastoris facultatem) quoniam vsurpat sibi iurisdictionem alienam. Ita *Vazquez supra num. 29. Coninch qu. 67. num. 11. Bonacina supra.* Clericus autem inferior Diacono præter culpam, & propter illam incurrit irregularitatem *cap. 1. de Clerico non ordin. minist.* Similiter peccant parentes, qui suas proles alieno Sacerdoti sine licentia proprij baptizandas offerunt; quia violant Ecclesiæ præceptum, & ius alienum. Videantur *Coninch. quæst. 67. num. 10. & Layman lib. 5. tract. 2. cap. 7.*

3 Fit 2. quamuis dari possit Parochus, qui non sit Sacerdos, & subindè possit exercere, quæcumque non dependent ab ordinis potestate; tamen hunc non posse baptizare solemniter; quoniam hoc munus ex Ecclesiæ decreto requirit Sacerdotij dignitatem; vt significant *Concilium Tridentinum in decreto de Sacram. & Clemens Romanus lib. 3. constit. cap. 11.*

4 Diaconus ordinario iure non potest baptizare solemniter, vt habetur *in cap. Diaconos dist. 93. & cap. constat de consecr. dist. 4.* potest tamen ex commissione Parochi, vel Episcopi. Nam in ordinatione Diaconorum dicit Pontifex. *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Vnde colligunt *Sotus in 4. dist. 4. qu. 1. art. 1. Caietanus 3. par. q. 67. art. 1. Reginaldus li. 27. num. 40. Suar. & Bonac. supr.* in casu necessitatis etiam nō extremæ posse committi Diacono munus baptizandi, quamuis adsit Sacerdos, qui iusta de causa, vel ob grauem occupationem nequeat omnibus baptizari volentibus satisfacere. Monēt vero *Bonacina, Sotus, & Reginaldus* iam exoleuisse morem committendi Diacono solemnem Baptismum, cum suppetat copia Sacerdotum. Iam sit.

CAP. V. QVÆST. I.

An Religiosis delegata sit potestas baptizandi?

5 POst affirmatiua suaderi potest 1. quia Mendicantes in partib. Indiarum possunt baptizare nouiter conuersos, & eorum filios, & descendentes paruulos, etiam quos Meztizos vocant, tām in suis Ecclesijs, quām in alijs locis ad id deputatis, non tamen in Parochijs alienis, per priuilegia *Leonis X. Adriani VI. Pauli III. Pij IV. & Pij V.* quæ refert *Manuel to. 1. Regul. quæst. 31. art. 2. & sequentibus, & in Bullario.* Idem priuilegium habent Frat Minores in terris Sarace-

racenorum, & Paganorum concessum à *Gregorio IX. Innocentio IV. & Nicolao IV.* Sic docent *Manuel supra Miranda tom.1.quæst.43.art.3.& 4.Portellus verb. Baptizare,num.3. Deinde Paulus, 3. in in Bulla* 3. generaliter concedit Religiosis societatis Iesu facultatem ministrandi Pœnitentiam, & Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta Rectorum Parochialium, aut quorumvis aliorum licentia minimè requisita. Superfluerent autem illa verba; *& alia Sacramenta.* Si præter Pœnitentiam, & Eucharistiam, non possent baptismum, & extremam vnctionem ministrare.

6 Suppono 1. posse Religiosos in necessitate baptizare priuatim, non ex priuilegio, sed iure communi, quod notatur in Compendio Societatis verb. *Sacramenta.* Nec hoc interdicitur Minoritis in sua Regula, nec alijs Religiosis in cap. *Monachi, de consec. dist.* 4. Sed tantum leuare pueros de sacro fonte. Sic notat *Manuel sup. art.1.& 2.* Suppono 2. Religiosos, si fiant Parochi, posse baptizare solemniter iuxta cap. *Doctos.16 q.1.* Quo videtur spectare priuilegium Pij V. concedentis, vt in monasterijs Ordinum possint Religiosi baptizare, nimirum (vt intelligit *Manuel sup.*) etiam indos alijs Parochis subditos; quia sic fuit factum ab initio; sicq; tenet vsus in Indorũ prouincijs, vt testantur viri graues. Ego vero diu versatus inter indos talem vsum non vidi, nec audiui; forsan iam exoleuit, vbi fides satis stabilita fuit.

7 Suppono 3. Religiosos non Parochos in terris fidelium non posse baptizare solemniter; nam id cederet in præiudicium Pastorum, ad quos ex officio pertinet administratio talis Baptismi iuxta cap. *Placuit*, el segundo. 16. q.1. Hoc autem ius commune nullo priuilegio Regularibus concesso derogatur. Nec illa generalia verba Pauli III. talem derogationem continent; Quia nec ad finem Religionum est necessaria, nec ad pacem cum Pastoribus retinendam expediens. Vnde fit, Religiosum non Parochum inter Fideles extra necessitatem baptizare non posse; nam extra casum necessitatis baptismus debet esse solemnis. Quapropter in hac parte priuilegium illud nihil operari, notat *Suarez de Religios. tom.4.tract.10. lib.9. cap.4.num.4.*

8 In terris infidelium si nullæ sint Ecclesiæ fundatæ, poterunt Religiosi baptizare citrà necessitatem per prædicta priuilegia; quia nulli præiudicant: Ideoq; mittuntur ad illa loca, vt fundent Ecclesiam. Igitur vt quoscunq; volentis ingredi recipiant; *Ita Suarez sup. num. 5. & 6.* vbi putat, sic intelligenda fore priuilegia Leonis.10. *Pauli 3.& 4. quæ Manuel refert tom.1.q.31 art.2* Si verò sint ibi iam Ecclesiæ fundatæ probabile reputat adhuc *Suarez ibi num.7.* posse Religiosos per Bullam Pauli III. baptizare solemniter infideles, aut ipsorum filios. Quippè cum baptizandus, & eius parentes adhuc infideles proprie non sint subiecti Pastoribus illius loci, non irrogatur ipsis præiudicium propriè dictum, quamvis ab alio baptizentur: Priuilegium autem solum proprium præiudicium videtur excludere.

9 Cœterum probabilius est, ibi non posse Religiosum non Parochum baptizare citrà necessitatem. Nam esto baptizandus, & eius parentes, cum sint infideles, non subdantur Pastori quoad vim coerciuam, subduntur tamen quoad ingressum in Ecclesiam, vt scilicet non possint in illam recipi nisi a Pastore: Summus enim Pontifex eo ipso quod illius regionis Pastorem aliquem designauit, vices suas illi commisit admittendi ad Ecclesiam infideles. Ergo Religiosi non Parochi admittentes aliquem præiudicarent Pastori regionis. Ita *Suarez sup. num.8 Castro Palans to. 4. tract. 19. punct.9. num. 3.* Quare priuilegium Pij V. relatum in Compendio Societatis indico verb. *Baptismus*, quo possunt Sacerdotes Societatis in India degentes extra Ecclesiam baptizare, atque sine consuetis ceremonijs, vel loquitur de Parochis, vel de locis infidelium, vbi nondum sint diuisæ Parochiæ.

chiæ, vel iuxtà probabilem sensum *n.8.* positum.

CAP. V. QVÆST. II.

Quis sit Baptismi minister necessitatis?

10 QVamuis olim fuerit dubium, aut minus certum;& constans iam hodiè certum est de fide,quemlibet hominem rationis cōpotem, qui loqui possit, & lauare, siue sit baptizatus, siue non baptizatus; fidelis,aut infidelis; vir, aut fœmina; sufficientem esse Baptismi ministrum, qui validè baptizet etiam extrà necessitatem, licitè verò solùm in casu necessitatis: Ideò vocatur Minister necessitatis.Sic definit *Conc. Florent. in decreto de Sacram. Consonant textus in cap.Ad Limina 30.q.1.cap.Super quibus 30.qu.3.cap. in necessitate cap. Romanus Pontifex ca.A quodam Iudæo de Consec. dist.4.* Ratio sumitur ex institutione Christi,quàm Ecclesiæ praxis,atque traditio probat.Sit tamen.

11 Dubium 1.Qualis necessitas requiratur,vt laicus licitè baptizet?Extremā, requirit ius in *cap.Diaconos dist.93.* Vltimam languoris necessitatem *in c. Constat. de Consec.dist.4. Sic Sotus in 4.dist. 4.q.1 art.3.Vazquez 3.p.disp.147.cap.5.* & alij communiter exigunt necessitatem extremam,quàm *Filliucius tract.2. nu. 66.& Reginaldus lib.27.n.41.* per duplicem cōditionem exponunt, vt videlicèt mortis periculum instet, & haberi nequeat commodè dignior.Consonat *Coninch.q.67.n.15.*requirens probabile periculum, nequis moriatur sine baptismo,nisi mox baptizetur. Quod etiam tradit *cap. in necessitate. De Consec. dist.4.*

12 At *Suarez 3.part. tom.3.disput.23. sect.1.* censet, ad hoc vt laicus licitè baptizet, non semper expectandam esse necessitatem extremam: Nam etiam extrà illam ob magnam vtilitatem, aut nequis cogatur diu differrè baptismum, potest illum à laico recipere. Probat, quia Baptismus est Sacramentum maximæ necessitatis non solùm ad vltimam salutem, sed etiam ad fructus diuinæ gratiæ percipiendos in hac vita, cùm sit Ecclesiæ ianua, & veluti fundamentum totius iustificationis. *Quintanad.tract.1.Singul.20.* putat, sufficere quòdlibet probabile dubium, aut prudentem timorem, præsumptionem, seu cōiecturam periculi, nequis sine baptismo decedat. Et monet prudenter Zambranus *cap.1.dub.15.num.5.*maximè cauendum esse, ne laicus propter scrupulum relinquat morientem sine baptismo, dum expectat ministrum magis idoneum.Quin si dubitet,an opportunè veniet dignior minister,baptizet; nam ea pars est tutior. Idem est, si dubitet, an subsit periculum mortis,nec ne:Nam in quolibet dubio semper animæ salus præferri debet. Atque grauissimum peccatum committit Sacerdos, & laicus, ob cuius negligentiam, aut culpabilem imprudētiam aliquis sine baptismo moritur; quòd in Clericis depositione punitur,vt habetur in *cap.Quicunque de Consec.dist.4.*

13 Itaque prudenter perpēdenda sunt indicia mortis imminentis, consultis Obstetricibus, aut Medicis;qui si consuli commodè nequeant, hæc notari possunt. Infans, qui sine lacrymis, aut singultibus nascitur, satis indicat, se viuidos sensus non habere; siquidem aeris frigiditatem, & intemperiem egressus ex vteri materni calore non sentit, ac subindè periclitari de vita præsumendus est. Idem erit, si longum tempus in egressu consumpsit, aut nimiam molestiam egrediens ex vterò passus est, aut inchoatæ suffocationis indicia profert. Magis item periclitatur, qui nascitur intempestiuè, nimirum antè septimum mensem, aut in octauo, vt experientia probat, & Medici confirmant. In his, & alijs signis, seu coniecturis, ex quibus aliqua, licèt aliquantulum leuis, oriatur periculis suspicio,non est scrupulosè procedendum; quamvis baptizans alia fuerit expertus,

non

nō fuisse verùm mortis periculum, quòd ex charitatis zelo tale censebatur; forsan enim nunc verùm periculum erit, quòd minùs verùm apparet. *Videantur Reginaldus lib.27.nu.40. & Quintanad. sup.n.5. & 6.*

14 Quando confertur baptismus conditionalis iuxtà superiùs dicta *c.4. censet Quintanad. tract.1.Singul.17.n.3.* licitè posse baptizare quemlibet clericum, aut etiam laicum, quamvis commodè possit haberi Sacerdos, & Parochus, & sine illius licentia. Probat; quia tàm Parochus, quàm Sacerdos ex munere suo, vel ex Ecclesiæ cōstitutione Ministri Baptismi sunt ad illum solemniter, aut absolutè conferendum; At Baptismus conditionalis nec est solemnis, nec absolutus baptismus, sed solùm conditionaliter suppl{ē}s defectum, qui dubitatur subesse. Qua propter Canones prohibentes, ne laicus baptizet extrà casum necessitatis, nec etiam in illo, si Parochus adsit, aut Clericus, loquūtur sanè de Baptismo absoluto, non de conditionali; qui subindè poterit à quolibet etiam laico quandocunque ministrari vel infantibus, vel adultis, cùm nulla lex ciuilis, aut Canonica prohibeat laicum tali ministerio.

15 Mihi talis doctrina non arridet. Quia verè baptismus conditionalis ministratur, vt verùm sacramentum Baptismi conferatur, si non fuerit antea collatum: Sed ad cōferendum verùm Baptismi Sacramētum ita sunt per Ecclesiam designati Parochus, & Sacerdos, vt adhiberi debeant, quoties haberi possunt, siue Baptismus ministretur solemniter, siue priuatim; & peccet mortaliter laicus, qui priuatim baptizat, quando Parochus, aut Sacerdos adest, vt cùm multis Doctoribus fatetur ipse *Quintanad. ibi n.5.* Igitur idem erit, quando baptismus confertur cōditionaliter: siquidem posita conditione conferendum est verùm Sacramentum, quòd ministrum sibi designatum requirit ad sui validam, & licitam collationem. Et ita denuum concedit *Quintanad.* in postremis appendicibus, hoc esse consultius, & tutius, & in praxi seruandum.

16 Sit 3. dubium. Quale peccatum committat laicus, siue Clericus inferior Diacono, baptizans extrà necessitatem? Equidem si baptizet solemniter, peccare mortaliter diximus supra *n.2.* cum communi sententia. Si verò priuatim baptizet extrà necessitatem, *Caietanus 3.p.67. art.4.* censet, peccare venialiter dummodò non ex contemptu, nec ex præsumptione baptizet. Probat ex *cap. Debitum.* de Baptismo. Vbi cùm Iudæus semetipsum baptizasset, nihilominus dicitur, si mox obijsset, ad patriam euolaturus quasi culpæ mortalis expers: ergò longiùs subest à mortali, qui baptizat alium extrà necessitatem, cùm hoc sit minùs peccatum, quàm baptizare semetipsum. *Fauet Henriq. lib.2.cap.29. n.1.* Vbi cùm dixisset in textu. *Peccat verò grauiter non Sacerdos, qui extrà necessitatem etiam absque solemnitate baptizat. Addit in Glossa lit.B, sed non est peccatum mortale, nisi Sacerdos baptizare volens prohibeat non Sacerdotem.* citat *Sotum in 4.dist.4.quæst.1.art.3.* qui planè fatetur esse mortale, nisi forsan excuset inuincibilis ignorantia.

17 Dicendum est cùm communi sententia, peccare mortaliter siue laicum, siue Clericum non Sacerdotem, qui citrà necessitatem baptizat etiam priuatim; & subindè parentes, qui prolem suā offerunt tali baptismo, & adultum, qui scienter recipit illum. *Ita S.Thom.3.p.q.67.art.3.4. & 5. Nunus ibi dub.3. Ledesma num.6. Suarez disp.31.sect.4. Vazquez, disp.147.cap.5. Valentia to.4.disp.4.q.3. punct.1. Reginald.lib.27.n.46. Layman to. 5.tract.2.cap.7. Villalob.to.1.tract.5. diff.8.num.6. Coninch.q.67.n.16. Bonacin. disp.2.q.2.punct.5.n.9. qui referunt alios.* Probatur; quia sic baptizans, aut per se cooperans tali baptismo; violat ecclesiasticum præceptum in re graui. Nam Canones ob reuerentiam huius Sacramentis seuere præcipiunt, vt extrà necessitatis casum propriùs Sacerdos solemniter baptizet, & non alter, nec au-

aliter, vt habetur in Clementin. 1. de Baptism. Peccat igitur mortaliter Sacerdos, si citra necessitatem priuatim baptizet: Peccat item mortaliter alienus Sacerdos, qui sine licentia proprij vel expressa, vel rationabiliter præsumpta solemniter baptizat. Similiter Diaconus, si baptizat extra necessitatem, & sine commissione Pastoris, peccat mortaliter. Atque subindè multò magis Laicus, qui tum sine licentia proprij Sacerdotis, tum sine solemnitate citra necessitatem baptizat.

18 Vndè *Quintanadnen. tract. 1. singul. 20. n. 2.* quatuor peccata mortalia, (seu potius vnum æquiualens multis) in hac administratione baptismi distinguit. Primum, quatenus minister baptizat extra templum. Secundum quatenus Laicus sine necessitate baptizat. Tertium, quatenus sic baptizans vsurpat iurisdictionem Parochi. Quartum quatenus sine necessitate ministrat baptismum priuatum. Quamobrem si Parochus sic baptizaret, committeret duplex peccatum, scilicet primum, & quartum. Sacerdos non Parochus committeret triplex, scilicet primum, tertium, & quartum, laicus verò quadruplex; & sic etiam proportionaliter peccabunt directè cooperantes ad hos baptismos nimirum recipientes, aut ipsorum parentes, tutores, & similes, qui committent mortale peccatum affectum duplici, vel triplici, vel quadruplici malitia graui. Iudæus, cuius fit mentio in illo cap. *debitum*, excusatur bona fide, poteratque per votum Baptismi saluari. Quò pacto sæpè poterunt excusari Laici baptizantes extra necessitatem, quàm inuincibiliter putant subesse, cum re vera non adsit, item posse Papam committere Laico, vt in casu necessitatis solemniter baptizet, sentiunt. *Amicus tom. 7. disp. 11. sect. 3. num. 52. Hurtado de Bapt. disp. 2. diffic. 4. Diana p. 8. tract. 1. Resol. 57.* Nam solemnitas Baptismi constituta fuit Ecclesiastico iure, in quo potest Pontifex dispensare. Cœterum vix vnquam occurret iusta causa talis dispensationis.

CAP. V. QVÆST. III.

Quis ordo ministrorum seruandus sit in necessitate Baptismi.

19 SVppono 1. quamuis valeat baptismus a quocumque collatus, esse tamen seruandum ordinem in casu necessitatis; vt scilicet digniores præferantur minus dignis; Parochus simplici Sacerdoti, Sacerdos alijs Clericis, & inter istos superior inferiori, Clericus Laico. Vir fœminæ, baptizatus non baptizato, non præcisus præciso per censuram, fidelis infideli. *Sic docet S. Thom. 3. p. q. 67. art. 1. & sequent.* & Doctores communiter cum illo.

20 Suppono 2. nonnullas esse causas iustas inuertendi talem ordinem. Prima est, si dignior omninò nolit baptizare; tunc enim etiam præsente Sacerdote potest licitè baptizare Laicus, ac præsente digniore minus dignus: Reputatur enim non adesse, qui non vult necessitati proximi subuenire. *Sic Suar. 3. p. to. 3. disp. 31. sect. 4. Coninch. q. 67. nu. 6. Vasq. 3. part. disput. 147. num. 34. Toletus lib. 2. c. 20. Fillius. tract. 2. n. 68.* qui docent, idem esse, si dignior nolit sine pecunia baptizare; tunc enim præferendum esse minus dignum etiam infidelem.

21 Secunda causa est, si dignior ob infirmitatem nequeat commodè baptizare: *Ita Coninch. supr. Henriq. lib. 2. cap. 28. nu. 3.* Tertia causa est, si mulier, aut non baptizatus, aut alius minus dignus maiorem habeat peritiam formæ, ac modi baptizandi, quàm dignior. Sic obstetrix interdum viro præfertur, quia peritior est baptizandi iuxta sui muneris praxim. *Ita Vasq. supr. nu. 35. Coninch. nu. 16. Reginald. lib. 27. num. 44. Catechismus Rom. tit. de Baptism. §. de Ministro.* Quarta causa est, ob euitandam indecentiam, videlicet quando

puer esset baptizandus ante totalem sui natiuitatem; in quo casu mulier præsertim obstetrix præferenda foret etiam Parocho (inquit *Zambran. c.1. dub.15. nu.3.*) vt vsus, & decentia declarant. Quinta causa est, ob maius bonum commune. V. g. tempore pestis, vel in alio periculo mortis, vt conseruetur vita Sacerdotum, qui ministrent alia Sacramenta, potest Laicus etiam præsente Sacerdote baptizare. Sic notant, *Manuel to.1. summ. cap.26. de Baptism. n.3. vega verb. Baptism. casu* 70. *Villalob. to.1. tract.5. diffic.8. num.12.*

22 Restat dubium; An Sacerdos censura ligatus præferendus sit Clericis inferioribus, vel Laicis non ligatis censura? Prima sententia simpliciter affirmat, ministrum digniorem, quamuis sit censura ligatus, esse præferendum in necessitate minus dignis. *Ita Sayrus lib.2. c.2. n.16. Hugolinus de censur. Tab. 1. c.13. §.17. n.10. Victoria de Bapt. num.30. Filliuc. tract.2. nu.68. Henriq. lib.2. c.28. nu.3.* Probatur; quia ratione necessitatis cessat prohibitio iuris positiui, censuræque ligamen, & omnes redduntur habiles ad baptizandum. Sed habilitate supposita, dignior est præferendus minus digno; Ergo censura non obstat ordini supra posito. Secunda sententia distinguit, asserens, Ministrum digniorem toleratum præferendum esse minus digno propter rationem primæ sententiæ. Secus si sit non toleratus. Quia tunc vrget maior obligatio vitandi sic ligatum, & scandalum sequetur, si ministret Sacramentum, quod posset alius non ligatus ministrare. Sic indicant. *Coninch. q.67. n.18. Castr. Palaus to.4. tract.19. punct.9. n.9.*

23 Dicendum tamen est, Sacerdotem etiam Parochum, & alios Clericos proportione seruata, dum sunt censura ligati, quamuis tolerati sint, postponendos esse ministris inferioribus non ligatis. Quia censura verùm inducit impedimentum prohibens omnem actiuam administrationem Sacramentorum; nec talis prohibitio cessat, nisi detur adæquata necessitas hic, & nunc baptizandi, quæ certè non datur, dum adest minister non ligatus, qui possit in necessitate baptizare. Sic docent, *Sylvest. Baptismus 3. nu.10. Nauarr. c.22. nu.7. Suar. 3. p. tom.5. disput.11. sect.1. nu.12. Bonac. de censur. disp.2. quæst.2. punct.2. paragraph.4. n.8. Fundamentum oppositum soluitur ex dictis.*

CAP. V. QVÆST. IV.

Quale peccatum sit hunc ordinem inuertere sine causa?

24 Vppono 1. si sine iusta causa simplex Sacerdos, vel alius inferior baptizet in necessitate, dum adest proprius Parochus, qui velit baptizare, vel commodè potest haberi, peccare mortaliter, nam inuadit iurisdictionem alienam, & iuri Pastorali grauiter derogat. Ita *Suar. to.3. disp.31. sect.4. Reginald. lib.27. nu.44. Filliuc. tract.2. nu. 82. Zambran. c.1. dub.15. nu.3. Layman lib.5. tract. 2. c.7. nu.4. Villalob. to.1. tract.5. diffic.8. n.10.* Si vero Parochus cedat iuri suo, licitè poterit simplex Sacerdos baptizare; quia nulli facit iniuriam, & habet consecrationem ordinis congruentem tali ministerio, vt notant, *Suar. & alij.*

25 In cœteris dissident Auctores. Prima sententia generaliter docet, non esse mortale peccatum inuertere supra dictum ordinem etiam sine causa; præsertim si Sacerdos positiuè non contradicat inferioris baptismo. Sic existimant. *Sotus in 4. dist.4. q.1. art.2. Valentia tom.4. disp.4. q.2. punct.1. & alij.* Probatur: Nam in casu necessitatis omnibus dedit Christus Dominus potestatem baptizandi. Quod vero dignior minus digno sit præferendus, nullibi constat fuisse præceptum. Ergo solum id seruandum est ex quadam decentia, quæ solum obliget sub veniali.

26 Secunda sententia generaliter affirmat, esse mortale peccatum, quoties præsente digniori baptizat sine causa mi-

sa minus dignus. *Ita Vazq. 3. p. disp. 147. cap. 5. Mœratius, Torres, Ochagauia,* quos refert, *Diana part. 5. tract. 3. Resol. 18.* Probatur; quia dum ius diuinum ob necessitatem concedit, vt quilibet rationis compos baptizet, credendum est, id concedere sub conditione talis ordinis, vt dignior semper minus digno præferatur. Ergo qui non seruat hunc ordinem, violat præceptum diuinum in re graui, qualis est administratio Sacramenti.

27 Tertia sententia media iuxtà variam dignitatem ministrorum, qui postponuntur minus dignis, huius peccati grauitatem metitur. Sic Sacerdote præsente, volenteque baptizare, si baptizet non Sacerdos, peccare mortaliter, censent. *Suarez, & Fillucius supr. Villalobos num. 10. & 11. Coninch. quæst. 67. nu. 18. Lessius ibi nu. 5. Bonac. de Sacram. disp. 2. quæst. 2. punct. 5. Trullench. de Sacram. lib. 2. c. 1. dub. 5. Castro Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 9.* Quibus libentèr subscribo. Quia committitur grauis irreuerentia non solum contra Sacerdotalem ordinem, cui conuenit ex officio baptizare, sed etiam contra Sacramentum baptismi, quod ob sui reuerentiam postulat à solo Sacerdote conferri, quando fieri potest. Nec potest consentire Sacerdos, vt non Sacerdos baptizet, nisi sit impeditus legitimè; quippè iura solum permittunt non Sacerdotibus baptismum in necessitate, quæ requirit vtique tam absentiam Sacerdotis, quam periculum recepturi baptismum: Nec potest Sacerdos cedere reuerentiæ Sacramenti: nec subindè potest Laicus, aut Clericus non Sacerdos vsurpare tale ministerium in præsentia Sacerdotis.

26 Si præsente Fideli, qui possit, & velit baptizare, baptizet infidelis non baptizatus, non esse per se mortale peccatum, sed interdum per accidens ratione scandali, vel periculi, ne male baptizet, volunt, *Suar. Reginald. & Palaus sup. Zecchus de Bapt. c. 5.* Quia non agnoscunt speciale præceptum prohibens infidelem in eo casu ministrare baptismum. At ego reor, esse mortale peccatum per se propter grauem irreuerentiam irrogatam Sacramento. Sic censent, *Laym. & Zambran. sup. Coninch. n. 22.* Hæreticus etiam, & omnis excommunicatus peccat mortaliter baptizando, quoties alius potest commodè baptizare. Nam hoc grauiter per censuram prohibetur, vt asserunt, *Vazquez, Coninch. & Trullench. supr.*

27 Quoad reliquos si præsente Clerico superiori baptizet inferior, vel præsente Clerico Laicus, vel præsente viro fœmina, veniale peccatum agnoscunt. *Suar. Fillruc. Reginald. Zecchus Bonac. sup. Coninch. n. 20.* quibus assentior. Nam hæc ordinis inuersio nullo præcepto humano prohibetur, diuinum vero positiuum non censetur augere naturalem obligationem dignè, reuerenterq; baptizandi; contra quam indecentia quædam committitur omittendo digniorem, quæ tamen per se se non apparet grauis. Vnde soluitur fundamentum secundæ sententiæ. *Castro Palaus,* volnit, in hac inuersione nullum esse peccatum; quia nullo præcepto prohibetur. Ego vero puto peccatum esse veniale; quia licèt nullum præceptum positiuum præscribat talem ordinem, ius naturale videtur illum exigere, cunctique veteres peccatum agnoscunt in talis ordinis inuersione, quamuis non distinguant de mortali, vel veniali. Videantur *Vazquez 5. & Diana part. 3. tract. 4. Resol. 4.*

28 Hinc fit, Sacerdotem, qui non vult infantem, vel Cathecumenum periclitantem baptizare, sed id inferiori relinquit, peccare grauiter contra Sacramenti reuerentiam, & contra debitum sui muneris, vt notant, *Suarez, & Bonac. sup.* in reliquis sicut peccat minus dignus in præsentia dignioris baptizans; sic peccat dignior nolens bapti-

baptizare, quando concurrit cum minus digno. Sic etiam peccat adultus, qui sibi, vel alij baptismum in necessitate petit a minus digno; dum illum impetrare potest à digniore. Pariter enim hi omnes contra decentiam agunt.

CAP. V. QVÆST. V.

An possint multi simul ab vno baptizari?

29 Quomodo possit vnus à multis baptizari, diximus, *cap.4.n.2.* nec in casu, qui vix vnquam continget, oportet immorari. Videantur, *S.Thom. 3.p.q.67. art.6. Caietan. & Nuñus. ibi, Coninch.n.36.& 42. Suar. to.3. disp.23. sect.3. Vazq. 3. part. disp.148. cap.1. Reginald.lib.27. num.43. Bonacin. disp.2. q.2. punct.4. Fillinc.tract.2. nu.76. Castro Pal. tom.4. tract.19. punct.9.* Quando multi simul baptizantur ab eodem ministro dicente, *Ego vos baptizo, &c.* valet Baptismus; quia datur vera materia, & forma cum intentione ministri. Sic etiam Confessarius vnica tantum absolutione potest plures absoluere. Sic Sacerdos vnica consecrationis forma consecrat plures hostias, vt tradunt. *S.Thom.3.p.q.66.ar.5.ad 4.S. Bonauent. Paludan. Alens. Scotus, Gabriel, & Sotus, quos sequitur, Vazq. sup. c.7. Coninch. nu.49. Fillinc. num.53.* Tunc autem esse plures baptismos numero distinctos, diximus, *sup. c.4.n.1.*

30 Et quidem *S. Thom. S. Bonauentura, Paludanus, Alensis, insinuant; Scotus, Gabriel, & Sotus.* Expressè tradunt, hunc modum baptizandi simul multos licere, si tempore belli, naufragij, vel pestis, vel in simili necessitate contingat, multos esse baptizandos. Quia cum baptismus ita possit conferri validè, nulla fit irreuerentia, si contra receptum Ecclesiæ ritum in tanta necessitate conferatur. Citrà necessitatem fatentur Authores, esse peccatum sic baptizare, quoniam omittitur sine causa receptus Ecclesiæ ritus; dissentiunt vero, quale peccatum sit?

31 *Scotus, Gabriel, Vazq. Palaus sup. Coninch.n.52.* putant esse mortale peccatum. Nam administrare Sacramenta contra communem Ecclesiæ ritum, & morem, materia grauis censetur; siquidem violatur Ecclesiæ præceptum in re graui. Cœterum *Viualdus de Baptism. c.12.n.12. Henriq.lib.2. c.30.n.1. Valent. to.4.disp.4.q.3. punct.2. Reginald. lib.27. n.49.* Sentiunt, citrà contemptum, & scandalum esse solum veniale peccatum. Quia violatur duntaxat accidentalis ritus, qui per sese non constituit grauem materiam. *Bonac. sup.* reputat, vtramque sententiam esse probabilem. Mihi videtur in praxi probabilior prima sententia. Quia vix fieri poterit talis Baptismus sine periculo frustrandi aliquem vero Sacramento; quoniam aqua non tanget illum sufficienter in capite.

32 An vero possit aliquis baptizare se ipsum? merito negant omnes, & *Henriq.lib.1.c.26.n.7.* dicit, esse de fide. Habetur expressè, *c.debitum,* de Baptismo, *vbi* Pontifex iubet, Iudæum, qui semetipsum in extrema necessitate baptizauerat, iterum baptizari; rationemque reddit, quoniam inter baptizantem, & baptizatum debet esse distinctio iuxtà diuinam institutionem: sicut datur inter generantem, & genitum. Colligitur ex verbis, *Matth 28. Baptizantes eos.* Non enim dixit, *Baptizantes vos.* Quapropter mutaretur sensus formæ, si quis diceret, *Baptizo me.* Possent autem duo se inuicem baptizare tempore necessitatis, vt notant. *S.Thom. Henriq. & Bonacina sup.*

CA-

CAPVT VI.

De Præceptis Ministri.

1 SVppono 1. dedisse Christum Dominum præceptum baptizandi, quòd Ecclesiæ Pastoribus imposuit *Matthei 28. dicens, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Tenentur autem, qui baptizant, quòad materiam, & formam, & intentionem seruare, quæ diximus *lib. 1. cap. 1. & 2.*

2 Suppono 2. requiri debitam dispositionem baptizantis, & baptizati; nam vtraque cadit sub obligationem Ministri, vt notat *Suarez tom. 3. disput. 31. sect. 5.* Sic peccat mortaliter, qui solemniter baptizat cùm conscientia peccati mortalis, & qui censura ligatus baptizat extra necessitatem. Quòd si sit Clericus (*vt inquit Suarez supra*) vel potiùs Sacerdos (*vt ait Fillincius tract. 2. num. 87.*) & solemniter baptizet, incurrit irregularitatem *cap. 1. cum alijs de sent. excom. in 6.* Si non solemniter baptizet, non fit irregularis. Quia non exercet actum Ordinis. Item peccat mortaliter, qui baptizat indispositum, vel inuitum, vel non sufficienter instructum. Videantur *Suarez, & Fillincius supra.*

CAP. VI QVÆST. I.

An omnes Ministri Baptismi debeant scire formam illius?

3 CVm in necessitate sint omnes Ministri Baptismi, laudabile quidem est, vt sciant omnes formam, & modum baptizandi. Quapropter Catechismus Romanus tit. de Baptismo §. de Forma, monet Pastores, vt omnibus promiscuè fidelibus, quæ pertinent ad Baptismi substantiam perspicuè declarent. Addunt *S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 13. §. 4. & Paludanus in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 1. num. 7.* formam Baptismi sciri debere solùm ab his, quibus incumbit munus baptizandi, videlicet Curatis, & Obstetricibus. Et quidem de Curatis ambigit nemo; de obstetricibus dissentiunt Doctores.

4 Prima sententia docet, obstetrices sub mortali teneri scire formam, & modum baptizandi. Probatur; quia sæpiùs occurrit periculum ptolis in partu, cui vix potest subueniri nisi per obstetricem, maximè dum infans integrè non est natus; cuius probatio, cùm res pertineat ad factum, in solam experientiam reducitur. Cùm ergò tali muneri frequenter sit annexa necessitas extrema nascentis, similiter annecti debet obligatio sciendi formam, & ritum baptismi, quò possit obstetrix tali necessitati subuenire. *Ita S. Antoninus, & Paludanus sup. Sotus, & Nauarrus, quos sequitur Henriquez lib. 2. cap. 29. num. 5. Toletus, Viualdus, Suar. Reginaldus, & alij, quos sequitur Bonacina de Sacram. disp. 2. quæst. 2. punct. 5. nu. 5. Villalobos tom. 1. tract. 5. Diffic. 10. num. 2. Possevinus cap. 6. num. 76. Zambranus de mortis art. cap. 1. dub. 16. num. 2. dicens, hoc esse certissimè tenendum.*

5 Verùm quamvis hæc sententia pia sit, & consulenda; probabilis etiam est secunda negans istam Obstetricum obligationem. Non enim obligantur præcepto positiuo, cùm nullibi reperiatur; nec præcepto naturali, quoniam Obstetrix ex justitia non obligatur ratione sui muneris ad procurandam spiritualem salutem nascentis, sed solùm ad cooperandum eius natiuitati corporali. Nec ex charitate tenetur ad talem scientiam; quia licèt supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, si potest; non tamen tenetur quilibet esse paratus, aut instructus ad conferendum baptismum, si forsan inueniat proximum in necessitate constitutum. Ergò nec charitas obligat obstetricem ad hanc instructionem, seu præparationem. Sic censent *Suarez tom. 3. disput. 31. sect. 5. Diana par. 2. tract. 15. Resol. 46.*

baptizare, quando concurrit cum minus digno. Sic etiam peccat adultus, qui sibi, vel alij baptismum in necessitate petit a minus digno; dum illum impetrare potest à digniore. Pariter enim hi omnes contra decentiam agunt.

CAP. V. QVÆST. V.

An possint multi simul ab vno baptizari?

29 QVomodo possit vnus à multis baptizari, diximus, *cap.4.n.2.* nec in casu, qui vix vnquam continget, oportet immorari. Videantur, *S.Thom. 3.p.q.67.art.6. Caietan. & Nuñus. ibi, Coninch.n.36.& 42. Suar. to.3. disp.23. sect.3. Vazq. 3. part. disp.148. cap.1. Reginald.lib.27. num.43. Bonacin. disp.2. q.2. punct.4. Filliuc.tract.2.nu.76. Castro Pal. tom.4. tract.19. punct.9.* Quando multi simul baptizantur ab eodem ministro dicente, *Ego vos baptizo, &c.* valet Baptismus; quia datur vera materia, & forma cum intentione ministri. Sic etiam Confessarius vnica tantum absolutione potest plures absoluere. Sic Sacerdos vnica consecrationis forma consecrat plures hostias, vt tradunt. *S.Thom.3.p.q.66.ar.5. ad 4.S. Bonauent. Paludan. Alens. Scotus, Gabriel, & Sotus, quos sequitur, Vazq. supr. c.7. Coninch. nu.49. Filliuc. num.53.* Tunc autem esse plures baptismos numero distinctos, diximus, *sup. c.4.n.1.*

30 Et quidem *S. Thom. S. Bonauentura, Paludanus, Alensis, insinuant; Scotus, Gabriel, & Sotus.* Expresse tradunt, hunc modum baptizandi simul multos licere, si tempore belli, naufragij, vel pestis, vel in simili necessitate contingat, multos esse baptizandos. Quia cum baptismus ita possit conferri validè, nulla fit irreuerentia, si contra receptum Ecclesiæ ritum in tanta necessitate conferatur. Citrà necessitatem fatentur Authores, esse peccatum sic baptizare; quoniam omittitur sine causa receptus Ecclesiæ ritus; dissentiunt vero, quale peccatum sit?

31 *Scotus, Gabriel, Vazq. Palaus sup. Coninch.n.52.* putant esse mortale peccatum. Nam administrare Sacramenta contra communem Ecclesiæ ritum, & morem, materia grauis censetur; siquidem violatur Ecclesiæ præceptum in re graui. Cœterum *Viualdus de Baptism. c.12.n.12. Henriq.lib.2. c.30.n.1. Valent. to.4.disp.4.q.3. punct.2. Reginald. lib.27. n.49.* Sentiunt, citra contemptum, & scandalum esse solum veniale peccatum. Quia violatur duntaxat accidentalis ritus, qui per sese non constituit grauem materiam. *Bonac. sup.* reputat, vtramque sententiam esse probabilem. Mihi videtur in praxi probabilior prima sententia. Quia vix fieri poterit talis Baptismus sine periculo frustrandi aliquem vero Sacramento; quoniam aqua non tanget illum sufficienter in capite.

32 An vero possit aliquis baptizare seipsum? merito negant omnes, & *Henriq.lib.1.c.26.n.7.* dicit, esse de fide. Habetur expresse, *c.debitum,* de Baptismo, *vbi* Pontifex iubet, Iudæum, qui semetipsum in extrema necessitate baptizauerat, iterum baptizari; rationemque reddit, quoniam inter baptizantem, & baptizatum debet esse distinctio iuxta diuinam institutionem: sicut datur inter generantem, & genitum. Colligitur ex verbis, *Matth 28. Baptizantes eos.* Non enim dixit, *Baptizantes vos.* Quapropter mutaretur sensus formæ, si quis diceret, *Baptizo me.* Possent autem duo se inuicem baptizare tempore necessitatis, vt notant. *S.Thom. Henriq. & Bonacina sup.*

CA-

CAPVT VI.

De Præceptis Ministri.

1 Vppono 1. dedisse Christum Dominum præceptum baptizandi, quòd Ecclesiæ Pastoribus imposuit *Matthæi* 28. *dicens, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Tenentur autem, qui baptizant, quoad materiam, & formam, & intentionem seruare, quæ diximus *lib.* 1. *cap.* 1. & 2.

2 Suppono 2. requiri debitam dispositionem baptizantis, & baptizati; nam vtraque cadit sub obligationem Ministri, vt notat *Suarez tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 5. Sic peccat mortaliter, qui solemniter baptizat cùm conscientia peccati mortalis, & qui censura ligatus baptizat extrà necessitatem. Quòd si sit Clericus (vt inquit *Suarez supra*) vel potiùs Sacerdos (vt ait *Fillincius tract.* 2. *num.* 87.) & solemniter baptizet, incurrit irregularitatem *cap.* 1. *cum alijs de sent. excom. in* 6. Si non solemniter baptizet, non fit irregularis. Quia non exercet actum Ordinis. Item peccat mortaliter, qui baptizat indispositum, vel inuitum, vel non sufficienter instructum. Videantur *Suarez, & Fillincius supra.*

CAP. VI QVÆST. I.

An omnes Ministri Baptismi debeant scire formam illius?

3 Cum in necessitate sint omnes Ministri Baptismi, laudabile quidem est, vt sciant or . es formam, & modum baptizandi. Quapropter Catechismus Romanus tit. de Baptismo §. de Forma, monet Pastores, vt omnibus promiscuè fidelibus, quæ pertinent ad Baptismi substantiam perspicuè declarent. Addunt *S. Antoninus* 3. *part. tit.* 14. *cap.* 13 §. 4. & *Paludanus in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 2. *art.* 1. *num.* 7. formam Baptismi sciri debere solùm ab his, quibus incumbit munus baptizandi, videlicet Curatis, & Obstetricibus. Et quidem de Curatis ambigit nemo; de obstetricibus dissentiunt Doctores.

4 Prima sententia docet, obstetrices sub mortali teneri scire formam, & modum baptizandi. Probatur; quia sępiùs occurrit periculum prolis in partu, cui vix potest subueniri nisi per obstetricem, maximè dum infans integrè non est natus; cuius probatio, cùm res pertineat ad factum, in solam experientiam reducitur. Cùm ergò tali muneri frequenter sit annexa necessitas extrema nascentis, similiter annecti debet obligatio sciendi formam, & ritum baptismi, quò possit obstetrix tali necessitati subuenire. *Ita S. Antoninus, & Paludanus sup. Sotus, & Nauarrus, quos sequitur Henriquez lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 5. *Toletus, Viualdus, Suar. Reginaldus, & alij, quos sequitur Bonacina de Sacram. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *nu.* 5. *Villalobos tom.* 1. *tract.* 5. *Diffic.* 10. *num.* 2. *Possevinus cap.* 6. *num.* 76. *Zambranus de mortis art. cap.* 1. *dub.* 16. *num.* 2. *dicens, hoc esse certissimè tenendum.*

5 Verùm quamvis hæc sententia pia sit, & consulenda; probabilis etiam est secunda negans istam Obstetricum obligationem. Non enim obligantur præcepto positiuo, cùm nullibi reperiatur; nec præcepto naturali, quoniam Obstetrix ex iustitia non obligatur ratione sui muneris ad procurandam spiritualem salutem nascentis, sed solùm ad cooperandum eius natiuitati corporali. Nec ex charitate tenetur ad talem scientiam; quia licèt supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, si potest; non tamen tenetur quilibet esse paratus, aut instructus ad conferendum baptismum, si forsan inueniat proximum in necessitate constitutum. Ergò nec charitas obligat obstetricem ad hanc instructionem, seu præparationem. Sic censent *Suarez tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 5. *Diana par.* 2. *tract.* 15. *Resol.* 46.

Fauet

Fauet Rituale Roman. tit. de Bapt. & S. à verbo Baptismus, dicit num. 12. Obstetrices tenentur scire formam Baptismi; & quidem præstat vulgari lingua scire, quàm Latina. Sed addit ibi prudenter Victorellus. Pia sententia, & amplectenda, verùm fortasse præceptum non est.

6 Ad fundamentum oppositum respondetur, quamvis obstetricibus ratione sui muneris sępè forsan occurrat talis necessitas, tamen rarissimum forè casum, in quò vel non adsit alius, qui possit infantem baptizare, vel saltem nequeat aliùs citò vocari, ac expectari. Propter rarissimum autem casum non debet obligare Charitas Obstetricem sub mortali peccato ad sciendam formam Baptismi.

CAP. VI. QVÆST. II.

An debeat Minister seruare ritus omnes Baptismi solemnis?

7 Conueniunt ferè Doctores, omittere Baptismi solemnis ritus, quamvis accidentarios, esse graue peccatum ex genere suo, siue sint specialiter ab Ecclesia præcepti, siue consuetudine recepti. Quoniam hi ritus grauissimi sunt, & ad reuerentiam Sacramento conciliandam maximè necessarij. Colligitur *ex Trident. sess. 7. can. 3. & ex supra dictis lib. 1. cap. 2. q.* 14. Potest esse veniale peccatum ex leuitate materiæ: Nam obligatio grauis non est ad singulas etiam leues cęremonias extendenda. Quin etiam in necessitate nullum erit peccatū cęremonias omnes omittere; debet enim sine illis indigenti proximo subueniri. Sic docent *Suarez to. 3. disp. 31. sect. 5. Filliuc. tract. 2. n. 88. Bonac. de Sac. disp. 2. q. 2. punct. 7. n. 18. Zambran. c. 1. dub. 17. Layman li. 5. tract. 2. c. 7. &* 8.

8 Hinc fit, Parochum baptizantem extrà necessitatē sine solemnitate peccare mortaliter, vt diximus *sup. cap. 5. n. 17. & 18. docentq́; Granado, Lessius, Azor, Bonac. quos sequitur Quintanad. tract. 1. Sing. 10. n. 2. Nauarrus c. 22. n. 7. Coninch. q. 67. n. 3. Reginaldus lib. 27. n. 32. Mours p. 3. c. 2. §. 8. n. 1. Layman supra.* Quia graue quidem est, Baptismi solemnitatem omittere sine causa. Quare siquis fuit baptizatus sine solemnitate, suppleri debent post modum illi ritus, vt asserunt *S. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. Suar. ibi in Comment. Reginaldus sup. n.* 34. & alij communiter. Ac exprimit Zambranus *cap. 1. dub.* 17. citans Sotum, Victoriam, & alios, hanc obligationem esse sub peccato mortali; nam omitteretur cęremonia grauis.

9 Tūc verò sit dubium 1. An post baptismum priuatim collatū adhiberi debeant exorcismi? Negat Paulus Comitolus *li. 1. Respons. moral. q.* 12. dicens, fore sacrilegium, & grauem iniuriam Sacramenti, si Parochus puero priuatim baptizato (licitè, vel illicitè) post modum in Ecclesia exorcismos adhibeat ad Dęmonem profligandum. Probatur, quia sublato iam per baptismum peccato, ratione cuius Dęmon homini Dominabatur, iam censetur inimicus expulsus, ac subindè iam exorcismi necessarij nō sunt ad illum ęxpellendum.

10 Communis, & vera sententia docet, etiam tunc exorcismos adhibendos esse, cùm hi pertineāt ad solemnitatem baptismi, cuius consuetas cęremonias, & ritus, omissa forma solùm, & ablutione, supplendos esse post baptismum priuatim collatum, præscribit *Rituale Romanum tit. de baptiz. paruul. Ita censent Richardus in 4. dist. 6. art. 6. q. 1. Victoria de Bapt. n. 38. Villalob. to. 1. tract. 5. Diffic. 23. n. 2.* Fundamentum oppositum probat, Ministrum in hoc casu, dum homini baptizato Dæmonis eiectionem, atque Cęlestis gratiæ donum precatur, referre debere suam intentionem vel ad tempus prǽteritum, vel ad perfectiorem expulsionem Dæmonis, qui nunquam ab infestando desistit omninò maioremque cęlestis gratiæ communicationem.

11 Addit *Layman eo cap. 8. numer.* 10. siquis ab hæreticis in infantia sine solemni-

lemnitatibus baptizatus adolescat, & conuertatur ad fidem Catholicam, non esse consuetudinem apud Germanos supplendi Baptismi solemnitates in illo; fortasse ne rudis populus existimet, Catholicos hereticorum baptismum debita forma collatum tanquam minùs validum improbare. Alioquin verò, si sine scãdalo fieri possit, non erit alienum ab Ecclesiæ consuetudine, in adultis etiã præsertim adolescentibus omissas solemnitates supplere. Quin id erit expediens; nam experientia docuit, eos fideles, qui priuatim baptismum sine solitis exorcismis, alijsque solemnitatibus acceperunt, infestati magis à Diabolo. Rituale Romanum circa Baptismum Hæreticorum præscribit; in quibus debita forma, & materia seruata fuit, omissa tantum esse supplenda, nisi propter specialem causam aliter Episcopo videatur.

12 Sit dubium 2. An in Baptismo solemni liceat adhibere chrisma vetus, id est anni superioris? Negant *Henriquez libro 2. capitul. 29. numer. 3. Coninchus quæstion. 71. numero 17. Miranda tom. 1. quæstion. 43. articul. 4. Nauarrus capit. 25. num. 75. Layman sup. num. 8. Nuñus & Sà, quos sequitur Bonacina sup. num. 20.* Quia grauiter prohibetur in cap. *Si quis de alios de Consec. dist. 4.* Vbi chrisma recens requiritur, id est eodem anno die Cenæ Domini consecratum. Vndè fit vsum chrismatis veteris fore mortale peccatum. Excipiunt communiter isti Doctores casum necessitatis, in quo, licèt possit ministrari baptismus solemnis, nequeat certè differri, donec afferatur nouum chrisma. Tunc enim minùs indecens est, chrisma vetus adhibere baptismo solemni, quàm omittere chrismatis vnctionem. Vndè colligit *Miranda*, non esse comburendum chrisma vetus, donec afferatur nouum; quòd mihi non displicet, colligit etiam, dum non habetur chrisma nouum, omnes paruulos posse baptizari solemniter adhibito chrismate veteri. Quia propter ipsorum tenellam ætatem omnes existere censentur in morali, periculo, mortis; quòd sufficiat ad honestandum vsum veteris chrismatis, ne dilato diu Baptismo periclitetur æterna salus infantis. Quòd ego reputo probabile, si non credatur intrà breue tempus, scilicet intrà mensem, aut circiter afferendum esse Chrisma recens.

13 Nec solùm erit mortale peccatum totam Baptismi solemnitatem omittere, sed etiam omittere grauem aliquam ipsius cęremoniam, nimirum chrismatis vnctionem, de qua locuti sumus; nam illam omittere prorsus, meritò dicit esse mortale peccatum. *Petrus de Ledesma in tract. de Bapt. cap. 6. dub. 2.* quia cęremonia grauis est. Similiter esse mortale peccatum baptizare solẽniter aqua non benedicta, innunt *Suar. tom. 3. disp. 30. sect. 2. & Reginald. lib. 27. num. 3. & 35.* palamque docent *Nuñus 3. p. q. 71. art. 4. concl. 2. & Bonac. sup. nu. 19.* Nos etiam idem diximus hoc *lib. 2. cap. 1. n. 28. referentes, Syluestrum, Toletum, Villalobos, & Palaum*. Probatur; nam Ecclesiæ præceptum, quòd habetur in Ritualibus, grauiter obligat in materia graui. Sed hæc apparet materia satis grauis. Ergo grauis est obligatio talem cęremoniam adhibendi. Minor constat; nam aquam specialiter benedictam adhibuit Ecclesia baptismis solemnibus ab Apostolorum tempore, vt testantur *Sancti Patres Dionysius, Cyrillus, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Augustinus*, quos referunt *Suarez sup. Vazquez 3. part. disp. 166. cap. 2. Henriquez lib. 2. cap. 6. numer. 4. litter. C. docentes*, significari Sacratissima mysteria per huius aquæ benedictionem, quæ subindè valdè conducat ad huius Sacramenti reuerentiã. Ergò materia grauis est, & per consequens eius omissio, censetur culpa grauis.

14 Nihilominus *Quintanad. tractatus 1. Singul. 22.* Se vidisse narrat, hyemis tempore Parochos aliquos aqua tepida non benedicta baptizare, ne frigida baptismalis fontis teneri-

rimis infantibus noceret; Et censet hoc non esse mortale peccatum; quia nullum extat præceptum naturale, vel positiuum, diuinum, vel humanum de hac baptismalis aquę benedictione præmittenda. Nec vsus antiquus per se solum inducit obligationem grauem; nec cęremoniam vnam aut alteram ex minoribus omittere tam in Missa, quam in administratione Sacramentorum censetur culpa grauis. Et quidem aqua non benedicta baptizare quid leue reputari debet; cùm ista benedictio nec ad essentiam, nec ad integritatem Sacramenti, nec ad eius effectum requiratur, nec ad præcipuam Baptismi solemnitatem, nec ad grauis mysterij significationem pertineat. Nec graue suborietur scandalum, si quis baptizetur aqua non benedicta, sicut orirettur, si prætermittantur alij ritus exteriores, insuflationes, vnctiones, & similes; aut si Baptismus solemnis ministretur sine stola, vel superpelliceo. Quapropter hęc meritò reputatur culpa grauis; & illa censeri debet culpa leuis.

15 Hæc non me cogunt à communi sententia discedere. Nam aquæ baptismalis benedictio cùm infusione sacri chrismatis, & olei, quamvis non sit necessaria simpliciter ad substantiam, & valorem Sacramenti, significat tamen virtutem abluendi non solùm corpus, sed etiam animam baptizati, quàm aqua sanctificās totum hominem in hoc Sacramento mirabiliter, & infallibiliter exserit: Et ista quidem significatio grauissima censeri debet; vt satis innunt Patres supra relati, dum illam grauiter exponunt, & expendunt. Confirmatur: nam aquæ mistio cùm vino in calice consecrando non pertinet ad substantiam, & valorem consecrationis, & Eucharistiæ, nihilominus ob eius significationem censetur cęremonia grauis, cuius omissio iuxta communem Doctorum sententiam sit mortale peccatum. Sed nō minus grauis apparet huius benedictionis significatio iuxta communem Patrum, & Doctorum sensum. Ergò non leuius peccatum erit eius omissio.

16 Sit dubium 3. Quo tempore ministrandus sit Baptismus? Respondetur, quòdlibet tempus etiam Interdicti, vel cessationis a diuinis aptum esse Baptismo ministrando, præsertim si necessitas vrgeat. Fuerit olim ex Ecclesiæ ritu duo potissimum sacri dies, in quibus solemni cęremonia Baptismus ministraretur, nempè Sabbathum antè Pascha, & Sabbathum antè Pentecostem. Quibus diebus Baptismalis fontis aqua præcipua solemnitate consecratur cap. *Duo tempora cap. de Cathecumenis c. 4. Baptizandi de Consec. dist.* 4. Quem ritum (inquit Rituale Romanum) quantum fieri commodè potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, vel longa sit mora dilationis, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præsertim in Cathedralibus Ecclesijs. Idque Romæ seruatur, vt nobis notum est, & notauit *Filliucius tract. 2. num.* 155. Verùm iam obligatio talis temporis expectandi, generaliter inducto more contrario, cessauit, & quolibet tempore ministrare posse Baptismum, nec differendum esse sine iustà causa, docent *Suarez tom. 3. disp. 30 sect. 2. Reginald. lib.* 17. *num.* 35. cùm alijs. Notant ijdem, obtinuisse communem vsum, vt Minister baptizaturus solemniter amictus sit superpelliceo saltem, & stola: quòd etiam præscribit Rituale Romanum, & eius omissionem esse culpam grauem diximus *supra numer.* 14.

17 Sit dubium 4. In quo loco ministrandus sit Baptismus solemnis? Respondetur, non licere iam citra necessitatem baptizare quemquam extrà Baptisterium Ecclesiæ Parochialis, vbi fons baptismalis habetur. Sic expressè decernitur in *Can. Trullano* 59. *in Conclus. Maldensi* 1. *can.* 48. *Coloniensi* 5. *cap.* 15. demum in *Clement. vnica de* Baptismo, vbi solùm excipiuntur filij Regū, & Principiū. Per filios intelligit etiam ibi Gloss. nepōtes, quod videtur admittēdū:

At

At *Quintanad. tract.1. singul.21.* descendentes omnes intelligit, quæ videtur extensio nimia, nisi praxis suffragetur. Per Principes intelligunt supremos ferè Regibus æquales, nec alterius vasallos. *Glossa Suarez supra, Coninch. quæst.71.num.15. Henriquez lib.2. cap. 29. num.2. At Quintanad.* intelligit quemlibet secularem Dominum titulo *Comitis, Marchionis*, aut ducis decoratum; & illos etiam, qui rationes muneris principatum supremum aliquem obtinent, nimirum supremos Præsides, Proreges, Oratores Regios, & Similes. Quia fauores conuenit ampliari. Dubito tamen, an talis ampliatio sit in praxi recepta.

18 Præter exceptos in iure baptizare quoslibet alios citra necessitatem alibi, quam in Ecclesijs, vbi sunt fontes specialiter Baptismo deputati, mortale peccatum esse, docent. *Nauarrus cap. 22. num.7. Reginald. lib.17. num.35. Coninch.quæst.67.num.3. Bonacina disp.2. quæst.2. punct.7. num.19. Sotus, Ochagauia, Granado, Ledesma, Villalobos, & alij, quos sequitur. Quintanad. tract.1. singul.20. nu.1.* & nos notauimus, *supr. cap.5. nu.17. & 18.* Probatur, nam illa Clementina vnica de Baptis. grauiter id prohibet, siquidem iubet, grauiter puniri transgressores, & materia secundum se grauis existimatur. Rituale Roman. sic habet. Proprius administrandi Baptismi locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certè Baptisterium propè Ecclesiam. Itaque necessitate excepta, in priuatis locis nemo baptizari debet, nisi fortè sint Regum, aut Magnorum Principum filij, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, & in aqua baptismali de more benedicta. *Layman lib.5. tract.2. cap.8. num.8.* dicit, propter asperum hiemis frigus posse baptismum solemnem extra Baptisterium ministrari. Forsan sic mos obtinuit in frigidissimis Regionibus. Pariter quando prudenter timeretur mors, aut morbus infantis, si per longam, aut incommodam viam deferatur ad Ecclesiam, & nequeat commodè baptismus differri, posse domi solemniter baptizari, censet. *Quintanad. sup. nu.6. & 7.* Vbi causas alias ab alijs prætextas refellit.

19 Sit dubium quintum, quæ sunt cęremoniæ Baptismi solemnis? *S. Th. 3. part. quæst.66. art.10. & Expositores* ibi, dicunt, cęremonias Baptismi fuisse conuenienter institutas ab Ecclesia. Primo ad excitandam deuotionem Fidelium, & reuerentiam erga Sacramentum, ne simplex ablutio vilesceret apud rudiores. Secundo ad Fidelium instructionem, simplices enim erudiuntur per signa sensibilia. Tertio ad efficaciam, quatenus operantur aliquem spiritualem effectum. Et quidem cęremoniæ Baptismi toti Ecclesiæ communes, quibus particules Ecclesiæ conformari deberent, vt serio monet Paulus V. in Rituali Rom. triplicis generis sunt. Quædam enim præcedunt Baptismum, quædam comitantur, quædam sequuntur, plures item fuerunt olim, quæ iam in desuetudinem abierunt. Videantur, *S. Thom. 3. part. q.71. Coninch. ibi, Suarez disp.30. Vazq. disp. 166. Reginald. sup. nu.52. Layman n.8. Henriq.c.13. & 15. Bellarm. de Baptis. lib.1. c.25. 26. 27.* qui significationes singularum exponunt. Plures ritus adhibentur in baptismis adultorum, quam paruulorum, vt in ipsomet Rituali videri potest.

CAP. VI. QVÆST. III.

Quam vim habeant cæremoniæ Baptismi, aliaque Sacramentalia circa suos effectus?

20 SVppono 1. Sacramentalia vocari cęremonias quasdam ab Ecclesia institutas, vt Sacramenta solemniter ministrentur, vel vt res aliquæ consecrētur, idque vel in vsum Sacramentorum, aut Sacrificij, qualia sunt altaria, sacræ vestes, sacrum oleum, &c. vel etiam in alium vsum pium, qualis est aqua benedicta, imagines cereæ, ac similia.

Suppono 2. non quæri, quid hæc possint per modum operis operantis; certum enim est, nos piè talibus vtendo mereri posse, sicut alijs operibus pijs; sed quærimus, quid possint per modum operis operati, quatenus illorum vsus, aliquid conferat super omne meritum operantis.

21 Suppono 3. per Sacramentalia non conferri gratiam ex opere operato; Nam hoc est proprium Sacramentis nouæ legis, vt omnes fatentur, & notant. *Suar. 3. p. to.3. disp.15. sect.4. Coninch. q.71. n.21.* Quare quæstio manet de nonnullis alijs effectibus. Primus est remissio peccati venialis. Secundus excitatio gratiæ præuenientis. Tertius remissio pœnæ temporalis. Quartus compressio Dæmonis. Quintus operatio sanitatis; quos aliqua ratione Sacramentalibus competere, docent Catholici communiter contra Hæreticos ex antiquissimo Ecclesiæ more, communique sensu.

22 Suppono 4. Sacras res, vel actiones, quibus tales effectus tribuuntur, præsertim remissio venialium extra Sacramenta, hoc versu comprehendi. *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.* Sic autem exponuntur. *Orans*, id est oratio Dominica, c. *de quotidianis, de Pœnit. dist.3.* Quo reducitur tunsio pectoris, c. *Tres sunt*, de Pœnit. *dist. 1. & Oratio* in Ecclesia consecrata. 3. *Reg.4. Tinctus*, id est aqua benedicta. Cap. *Aquam de consecr. dist.3.* Quo reducitur vnctio cæremonialis in Regem, vel similes. *Edens*, idest esus panis benedicti, *Confessus*, id est confessio generalis, dicto c. *De Quotidianis. Dans*, idest eleemosyna, vel alia opera misericordiæ, c. *Medicina*, c. *Quamobrem* de Pœnit. dist.1. *Benedicens*, id est benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, c. *Dictum est 1. q.1.* Conueniunt in hoc Doctores. Videantur, *Suar. to.4. disp.12. sect.2. Coninch. q.71. nu.26. Filliuc. tract. 6. nu.127. Bonacin. de Sacram. disp.5. q.6. sect. 2. punct.2.* At vero quomodo Sacramentalia producant hos effectus, dissident Authores nonnihil.

23 Prima sententia docet per hæc Sacramentalia remitti peccata venialia ex opere operato, velut immediatè ad modum Sacramentorum, supposita dispositione; quod scilicet non sit complacentia venialium, & iustus vtarur piè talibus rebus. Ita *Sotus in 4. dist.15. q.2. art.3. Valent. to.4. disp.7. q.4. punct.1. Maior, Henriq. Bellarm. Tolet. Nuñus, & alij, quos sequitur Fagund. precep.2. li.2. c.1. n.11. & Dian. p.3. tract.4. Res.61.* Satisque probabilem vocat illam, *Filliuc. tract.6. n.129.* Probatur, quia potuit dare Christus Ecclesiæ potestatem instituendi Sacramentalia, quæ valeant ad remissionem venialium sine infusione gratiæ. Quod autem de facto dederit, licèt non conuincant textus adducti, vt ostendit, *Suar. sup.* tamen colligi potest ex communi sensu fidelium, qui traditionem arguit Apostolorum. Iuuat Pontifex in eo c. *Aquam*, dicens aquam benedici, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & iustificentur. Accedit, quod Ecclesia in eius benedictione precatur, vt sit salus mentis, & corporis. Eadem ratio videtur esse de pane benedicto, siue de benedictione Episcopali. *Pet. de Ledesm. tract. de Bapt. c.12.* dicit, exorcismos Baptismi ex opere operato conferre donū actuale gratię pręmouentis, adultis quidem simul ac fiunt; infantibus vero suo tempore, cum scilicèt cęperint vti ratione, capacesq; reddi talis præmotionis.

24 Secunda sententia requirit attritionem saltem imperfectam, vt per hæc Sacramentalia remittantur venialia peccata. Sic indicant. *S. Antonin. p.1. tit.10. c.1. §.5. Palud. in 4. dist.16. q.1. art.2 concl.4. Bonau. dist.1. art.1. quæst.2.* quamuis hic non requirat formalem attritionem, sed submissionem, deuotionem, vel reuerentiam erga Deum. Probari potest, quia remissio venialium, quamuis requirat motum internum, nō tamen semper perfectum, & intrinsecè supernaturalem: Etenim detestatio virtualis peccatorum venialium intrinsecè naturalis, & extrinsecè supernaturalis simul cùm aliquo Sacramento sufficit ad remissionē venialium, vt dicemus, *lib.6. cap.3.*

c.3. q.1. num.16. Ergo pariter ex Ecclesiæ institutione naturalis affectus per hæc Sacramentalia iuuari censendus est, vt præstet cùm illis remissionem venialium, quam per se solam non præstaret.

25 Tertia sententia docet, hæc Sacramentalia non remittere peccata venialia ex opere operato, sed solum ex opere operantis; quatenus excitāt aliquem dolorem de peccatis, vel similem motum voluntatis, quo venialia remittantur. *Ita S. Thom. in 4. dist. 16. q. 2. art 2. quæstiunc. 4. & dist. 21. q. 2. art. 1. Durandus, Alensis Richard. Abulensis, quos sequuntur Suar. & Bonacin. sup. Coninch. num. 24. Fillincius n. 130. Villalobos tom. 1. tract. 4. Diffic. 11. n. 4.* Probatur: quia nec constat, Ecclesiam habere potestatem ad instituenda signa sensibilia, quibus ex opere operato peccata venialia remittantur (quin hoc negant *Suar. & Coninch. sup.*) Nec etiam si daretur talis potestas, constat sufficienter, aliquòd Sacramentale fuisse per Ecclesiam institutum ad tollendas, culpas veniales ex opere operato: Potius est communis sensus Doctorum, venialia communiter non remitti sine infusione gratiæ.

26 Tribuitur autem remissio venialium his præcipuè Sacramentalibus 1. quoniam ex suo genere, vel ex modo, quò fiunt, habet adiunctum aliquem dolorem peccatorum, vel eius significationem, vt confessio generalis, tunsio pectoris &c. 2. propter specialem vim impetrandi remissionem peccatorum fundata in scriptura, quòd apparet in eleemosyna, vel in deprecatione propria, qualem habet oratio Dominica 3. propter vim impetrandi diuinum auxilium fundatam in orationibus Ecclesiæ, quæ per aliquam consecrationem, aut benedictionem ad hunc effectum applicantur. Vnde consecratio templorum, aut Prælatorum, aqua benedicta, vel panis, aut quid similiter benedictum habent vim moralem applicandi preces Ecclesiæ. Sic etiam in rudimentis Doctrinæ Christianæ numerari solent inter remedia Venialium Communio; Auditio Missæ, vel concionis, quæ licèt Sacramentalia non sint, habent vim excitandi motum doloris, vel amoris, per quem venialia deleantur.

27 Dico 1. cuncta Sacramentalia, sicut etiam imagines, & aliæ res piæ naturaliter habent ex se vim obiectiuam excitandi fideles ad pietatem, & reuerentiam, vt notat *Catechismus Rom. par. 2. de Bapt. §. 45.* Verùm nisi Dei gratia concurrat, hic motus est solùm naturalis, & in his, qui minùs reuerenter sępè similia tractant, facilè minuitur, & sępiùs extinguitur. Moraliter verò conferunt nobis gratias præuenientes, & pios motus voluntatis ea Sacramentalia, quæ sua benedictione specialiter ordinantur ad tales effectus per orationes Ecclesiæ. Tunc enim per modum impetrationis specialis obtineri solent effectus isti; quamvis non infallibiliter omninò. Quia non habemus absolutam Dei promissionem; & interdum experimur, non semper per exorcismos, & lustrationes expelli Dęmones, vel eius pręstrigias impediri; nec per Baptismi cęremonias, aliorumve Sacramentorum eos pios affectus semper haberi. *Sic censent Suarez tom. 3. disp. 15. sect. 4. Coninch. q. 71. n. 23. & 28.*

28 Dico 2. quòad remissionem venialium probabilis est prima sententia, probabilior tertia, & mihi satis probabilis videtur secunda. Prosunt ergò Sacramentalia remissioni venialium, quatenus excitant animum, & impetrant diuina subsidia; quæ tamen interdum vel ex indispositione subiecti denegantur, vel ex diuina prouidentia non dantur efficacia, sed sufficientia, quibus positis nolit homo cooperari, vt notat *Bonacina supra*. Prosunt etiam (quoniam ea diuina subsidia non dantur semper, vt experientia docet) ad coadiuuandam, & complendam eam dispositionem naturalem, & detestationem saltem virtualem, quæ per se solam non sufficeret, & cum Sacramentali sufficit ad obtinendam remissionem venialium, vt dicebat se-

cunda sententia, & nos dicemus, *lib.6. c.3.q.1.* Remissionem pœnæ dicit, *Henriq.lib.4.c.15.n.8.* ex opere operato per Sacramentalia conferri; quod non probo. Potest quidem Ecclesia per indulgentias relaxare pœnas debitas peccatis iam remissis; & quoties Pontifex alicui benedictioni, vel ceremoniæ sacræ concesserit aliquam indulgentiam, sortietur hæc suum effectum (positis requisitis) vltra satisfactionem operantis. Cæterum Sacramentalia per se non videntur ad hunc effectum instituta; nec ceremoniæ Baptismi egent hoc effectu, cum ipse Baptismus per se tollat omnem pœnam. Ita notant, *Suar.sup.* & *Coninch. n.30.*

29 Dico 3. Exorcismi fugant Dœmonem 1. quatenus continent signum crucis, inuocationem nominis Iesu, comminationem diuinæ vindictæ, ac similia, quæ Dœmon perhorescit 2. ratione precum Ecclesiæ, 3. per modum imperij, potestate Data per Christum, *Luc.10.nu.17.* & *Marc.16.nu.17.* Quod autem non semper habeatur hic effectus, arguit non inesse his Sacramentalib. annexam absolutam promissionem Dei, qui suo iudicio sua bona dispensat, & Dæmoni concedit interdum maiorem vim resistendi propter causas nobis occultas.

30 Dico 4. Sacramentalia nonnunquam operantur directè beneficia corporalia, V. g. Sanitatem, & similia, per modum impetrationis ratione precum Ecclesiæ, quas tamen Deus non semper exaudit; sed prout iudicauerit expedire. Sæpè quoque proficiunt indirectè coercendo Dæmoni iuxta nuper dicta. Sic vtitur Ecclesia exorcismis ad tempestates repellendas, vel ad animalia nociua fuganda. Videatur, *Suar. sup.*

CAP. VI. QVÆST. IV.

An Cathecumenus capite damnato conferendus sit baptismus iuxta patibulum?

31 Contingit interdum, vt infidelis aliquis ob sua delicta morte plectendus conuertatur ad fidem, ac subinde baptizandus sit ante mortem. Tunc autem prima sententia docet, baptismum isti conferendum esse vel pridie necem, vel in ipso die supplicij primo mane, vt postea recipiat Eucharistiam, & sic adimpleat præceptum diuinum communionis, quod obligat omnem adultum baptizatum saltem in articulo mortis; & simul huius Sacramenti gratia roboretur ad mortis dolorem patientes tolerandum, & ad tentationes Dæmonis tunc vehementius vrgentis superandas. Etenim baptismi præceptum obligat ad illud recipiendum, quam primum commodè possit; & communionis præceptum obligat proximè moriturum ad recipiendum viaticum. Vtrumque vero preceptum adimpletur satis commodè, si Cathecumenus pridie supplicium baptizetur, & statim communicet, vel die sequenti primo mane. Sic ergo fieri debet, & sic esse faciendum, *docet Ioann. Sanch. disp.40.*

32 Secunda sententia docet, differendum esse baptismum ad vltimum vitæ terminum, & iuxta patibulum ipsum fore conferendum; vt Cathecumenus illico post baptismum occisus, ab omni culpa, pœnaq; liber ascendat securus in Cœlum. Probatur: nam omnia Sacramenta potissimum instituta sunt ad salutem æternam securius cōsequendam. Sed hāc Neophytus securius cōsequetur si mox post Baptismum occidatur. Ergo tutius consilium erit differre baptismum ad vltimam vitæ periodum Maior constat: Minor probatur: quia si nulla, vel exigua mora temporis intercedat inter baptismum, & mortem, omnis aditus præcluditur peccatis, ac per cōsequens

quens omnis pœna tam æterna, quam temporalis certius euitatur. At si dies aliquis intercedat, vel aliquot horæ, prudenter timeri potest, ne Neophytus assuetus frequentibus lapsibus, & in fide non satis instructus, seu practicè radicatus, facilè labatur in aliquam cogitationem lethalem, cuius veniam difficillimè possit obtinere; cum nec contritionis, nec confessionis habeat notitiam practicam, nec spiritualium medicaminum exercicium. Igitur cum dispositio Baptismi facilior sit, facilior vtiq; redditur, & certior salus æterna morientis post immediatam baptismi receptionem, quam viuentis post illam. Ita *Quintanad. tract. 1. singul. 23.*

33 Mihi videtur secundæ sententiæ fundamentum ad summum probare, quod in hoc casu cesset obligatio recipiendi viaticum in articulo mortis. Etenim sicut Cathecumenus obligatur ad recipiendum baptismum, quamprimum possit; & tamen ex rationabili causa licitè differtur aliquandiu, nimirum ob meliorem dispositionem, aut maiorem instructionem ipsius, aut aliquod aliud bonum spirituale: Sic etiam adultus baptizatus obligatur ad recipiendum viaticum in articulo mortis, dum id accipi potest decenter, & non aliter. Illa verò maior securitas adulti morientis post immediatam baptismi receptionem sufficere videtur, vt licitè differatur eius baptismus ad vltimum vitæ terminum: Tunc autem indecens esset accipere viaticum, cum illico sit occidendus speciebus Sacramentalibus nondum in stomacho consumptis; ac subinde pro tunc non obligat præceptum etiam diuinum recipiendi viaticum ante mortem.

34 Vnde quæstio reducitur ad maiorem, & prudentiorem consilij perfectionem, quæ magna ex parte pendebit ex circumstantijs loci, temporis, & potissimum personæ. Nam si Cathecumenus ita sit effectus, vt timeri non debeat eius post baptismum relapsus, sed potius sperari queat maior ipsius feruor, atque meritorum accessus ex Eucharistiæ receptione cum gratiarum actione post communionem; sic esset consulendus baptismus, vt posset baptizatus post illum communicare decenter, & per aliquod temporis spatium, quo diggerantur species, gratias agere pro tam insigni beneficio, donec inter feruidos actus charitatis, & aliarum virtutum capite plexus animam emittat maiori beatitudine cumulandam, quam si post immediatum baptismum decessisset. Quod censeo, regulariter esse consulendum; quia recens ad fidem conuersio regulariter patiet talem dispositionem; & nuper ex fide digna relatione cognoui, sic in Bethica fuisse factum, vt ad Saracenum quendam in ipso loco patibuli baptizatum, illuc etiam Eucharistia delata fuerit ex Parochia, post cuius receptionem ab astantibus Religiosis iuuari permissus est, donec Christus desineret esse sub consumptis speciebus. Si quando vero (quod rarissimum erit) perpensis omnibus circumstantijs nequeat Eucharistia ministrari plectendo, quin grauis eius relapsus, & periculum damnationis immineat; consultius erit illum immediatè baptizare ante necem. Itaq; requiritur prudentis arbitrium in particularibus casibus decernentis; quid hic, vel illic magis expediat.

CAP. VI. QVAEST. V.

Quam pœnam incurrat male baptizans?

35 Qvamuis Sacerdos extra necessitatem baptizans sine solemnitate peccet mortaliter, vt diximus *quæst. 2.* tamen non incurrit irregularitatem, vel aliam iuris pœnam; quia non inuenitur in iure posita. Sic notat *Petrus de Ledesma tract. de baptism. cap. 6. dub. 3.* Similiter simplex Sacerdos, siue Parochus baptizans alienum vel priuatim, vel solemniter extra casum

necessitatis peccat mortaliter, sed nullam incurrit censuram, aut irregularitatem; quia nullibi reperitur imposita. Nam in cap. *Placuit 16. q. 1.* Prohibentur Monachi baptizare, sed non imponitur pœna. Clement. 1. de Priuil. excommunicantur Religiosi, qui ministrauerint Eucharistiam, vel Extremam vnctionem, vel solemnizauerint matrimonium: Quæ censura, cum sit odiosa, non est ad alias personas, vel actiones extendenda, *cap. 1. de Cler. non ord. minist.* dicitur. *Siquis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abyciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Vbi fertur irregularitas contra exercentes actum ordinis, quem non habent. At Parochus, aut simplex Sacerdos male baptizans non exercet actum, ad quem non sit ordinatus; quare talem irregularitatem non incurrit. Ita docent cum communi Doctorum. *Suarez tom. 3, disput. 31. sect. 4. Nauarr. cap. 27. n. 102. Filliuc. tract. 2. nu. 81. Bonacina disput. 2. q. 2. punct. 5. nu. 10. Reginald. lib. 27. num. 39.*

36 Ideo dico 1. Clericus, qui non est Sacerdos, & ministrat solemniter baptismum, incurrit irregularitatem positam in eo cap. 1. Nam hæc imponitur ibi ministrantibus in ordine, quem non habent; sed baptizare solemniter est ministerium per se Sacerdotum. Ergo Clericus non Sacerdos, qui baptizat solemniter, exercet ministerium Ordinis, quem non habet. Ita communiter Doctores, quos sequuntur. *Toletus lib. 1. cap. 72. Suar. to. 5. disput. 11. sect. 3. num. 22. & disput. 42. sect. 4. num. 2. Bonacin. de censur. disput. 7. quæst. 6. punct. 6.* Excipitur Diaconus, qui solemniter baptizar de licentia proprij Pastoris iuxta superius dicta c. 5. Tunc enim licitè ministrat baptismum solemnem, & ideò non sit irregularis. Secus si solemniter baptizet sine tali licentia. Videantur: *Bonacina, & Ledesma sup. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 3. concl. 2.*

37 Circa prædictam irregularitatem dubitatur 1. An sit totalis, vel partialis? Quidam dicunt, esse partialem, impedientem quidem ascensum ad superiorem Ordinem, & suspendentem ab vsu solius ordinis supremi ante suscepti. Quia sic videtur hæc pęna temperari, *cap. 2. de Cleric. non ordin. minist.* atque sic censent. *Suar. ea sect. 4. nu. 4. Coninch. disp. 18. dub. 6. Filliuc. tract. 20. num. 207.* Alij volunt esse totalem. *Quia c. 1. de Cleric. non ord. minist.* absolutè loquitur, *& c. 2.* admittit etiam hunc sensum. Ita *Layman. sup. Nauarr. c. 27. nu. 243. Auila p. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13. & hoc videtur probabilius.*

38 Dubitatur, 2. An ob baptismum priuatum illicitè collatum incurratur hæc irregularitas? Affirmant. *Sotus in 4. dist. 4. artic. 3. & dist. 25. q. 1. artic. 3. Richardus dist. 5. art. 4. q. 1. Maiolus de irregular. lib. 4. c. 13. nu. 3.* Probatur ex prædicto c. 1. vbi simpliciter qui baptizauerit non ordinatus, afficitur irregularitate; nec nos distinguere debemus, quando lex non distinguit. At probabilius est, ob baptismum priuatum non incurri; quia baptizare priuatim non est actus proprius Ordinis; illa vero pęna ponitur aduersum exercentem actum Ordinis, quem non habet. Ita *Ledesma, & Bonacina supra Nauarrus, num. 242. Filliucius num. 213. Reginaldus libr. 30. numer. 183. Henriquez lib. 2. c. 29. n. 1.* iuxta quorum sensum qui sine solemnitate baptizat, etiam extra necessitatem, & prohibente Parocho, non sit irregularis.

39 Dubitatur 3. An Laicus baptizans solemniter incurrat hanc irregularitatem? Negant, *Angelus, Armilla, Paludanus, Maior, Sotus*, quos sequitur, *Henriq. supr. Layman num. 3. Reginald. n. 192. Sayr. de cens. lib. 7. c. 10. nu. 6. ac alij.* Probatur; quia textus istam irregularitatem inducens ponitur sub rubrica de Clerico non ordin. minist. solentque textus exponi iuxta rubricam, & sic intelligit Abbas ibi. Confirmatur; quia textus dicit, sic baptizantem esse deponendum; depositio autem

autem propria Clericorum eſt. Et congruè talis pœna non laicis, ſed Clericis imponitur; quia talis vſurpatio baptiſmi ſolemnis frequentior eſſe ſolet in Clericis, quam in laicis.

40 Affirmant *S. Antoninus part. 3. tit. 28. cap. 1. Syluest. verb. irregularitas q. 12. Nauarrus, & Ledeſma ſup. Suarez nu. 3. Fillincius, num.* 108. *Auila dub.* 14. & 15. *Coninch. diſp.* 18. *n.* 45. *cum alijs.* Probatur 1. quia textus abſolutè loquitur de non ordinato baptizante, dicens, *Si quis baptizauerit* &c. Et eſt antiquior, quam rubrica; quin etiam hæc in alijs exemplaribus abſolutè ponitur, de non ordinato miniſtrante. Probatur 2. à paritate, ſeu maioritate rationis; cum tanto ſit indecentius, aliquem exercere ſolemniter actum Ordinis, quanto remotior eſt ab illo: laicus vero remotior eſt à Sacerdotio, quam Clericus. Vtraque ſententia probabilis eſt, & conueniunt vtriuſq; Doctores, in hac irregularitate ſolum Papam poſſe diſpenſare quoad nouos Ordines ſuſcipiendos. Epiſcopum verò poſſe diſpenſare quoad vſum ſuſceptorum. Sumitur *ex cap. 2. de Cleric. non ordin. miniſt.* Videantur *Abbas ibi c.* 1. & 2 *Nauar. Maiolus, & Suar. ſup.*

41 Dico 2. Qui baptizatum rebaptizat incurrit irregularitatem. Colligitur *ex cap. 2. de Apoſtatis, vbi Acolytus*, qui miniſtrauit rebaptizanti, prohibetur aſcendere ad Superiores Ordines. Hinc vſus Eccleſiæ, communiſq; Doctorum ſenſus declarauit, etiam rebaptizantem irregularem eſſe. Nam ob nefandum miniſterium condemnatur Acolytus, quod multo magis conuenit baptizanti. Nec dicitur argumentum iſtud a ſimili, quod non valet in pœnis; ſed in eadem actione comparatur acceſſorium ad principale. Sic *Scholaſtici Doctores, in 4. diſt. 5. & 6. Nauar. ſup. n.* 246. *Syluest. q. 4. Coninch. n.* 34. *Fillucius, n.* 173. *Regin. n.* 174. *Laym. cap. 2. Suarez* 3. *p. to.* 3. *diſp.* 31. *ſ. ..* 6. & *to.* 5. *diſp.* 42. *ſect.* 1. Hæc irregularitas prærequirit rebaptizationem culpabilem abſolutam, & ex verò animo rebaptizandi profectam. Incurritur ipſo facto, ſed nõ eſt totalis; ſolum enim impedit aſcenſum ad ſuperiores Ordines; & probabiliter requirit delictum publicum, vt contra communem tenent *Palud. & Tolet.* quos ſequitur *Laym. ſup.*

42 Dico 3. Qui culpabiliter, & abſolutè ſe rebaptizari permittit, incurrit irregularitatem *cap. Afros, diſt.* 98. *cap. confirmandum, diſt.* 50. *cap. Quin in aliquo diſt.* 51. *cap. Qui in qualibet,* 1. *q.* 7. *cap. Qui bis, cap. Eos, quos. De conſec. diſt.* 4. docent communiter Doctores, notantes, eſſe totalem; quia non ſolum impedit receptionem vlterioris ordinis, ſed etiam vſum receptorum. Sine culpa non incurritur, vt contra nonnullos docent *Suarez, & Laym. ſup. Auila p.* 7. *diſput.* 7. *dub.* 2. Metus verò, quantumuis grauis non excuſat. Quippe nullus metus cogit ad habendam intentionem rebaptizandi vel actiuè, vel paſſiuè; per fictam autem rebaptizationem non incurritur irregularitas. Videantur *Auila p.* 7. *diſput.* 14. *Coninch. diſp.* 18. *n.* 40. *Filliuc. tr.* 20. *n.* 169. *Bonac. de cenſ. diſp.* 7. *q.* 3. *punc.* 3. *Leſſius,* 3. *p. q.* 66. *n.* 37. 38. & 40. *Trullench de Sacr. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 5. *n.* 14. & *ſequentibus.*

CAPVT VII.

De Patrinis.

1 PRæter baptizantem, & baptizatum poſtulat Eccleſiæ præceptũ, & ritus antiquiſſimus, vt ſit alius, qui baptizatũ de ſacro fonte ſuſcipiat, & fungatur vice nutricis, & pedagogi. Quare vocatur Patrinus, Patronus, Suſceptor, Sponſor, Fideiuſſor. Videantur textus in *cap. Vos autem, cap. Non plures, cap. In Catechiſmo, de conſecrat. diſt.* 4. & *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform.* dicens, Parochum inquirere diligenter debere, qui ſint a parentibus, vel tutoribus baptizandi deſignati, vt baptizatum leuent de ſacro fonte; nec baptiſmum

mum ministrandum esse, donec aliquis designatus sit: Quare graue peccatum erit, sine Patrino baptizare solemniter. Contrahit Patrinus cognationem spiritualem cum baptizato, & cum eius parentibus dumtaxat ex Tridentino *sup.*

CAP. VII. QVÆST. I.

An error personæ irritet munus Patrini?

1 SVppono, debere Patrinum, vt validè præstet tale munus, intentionem habere præsentandi munus susceptoris ab Ecclesia præscriptum. Nam si propter solam commoditatem baptizati, ne iaceat humi, vel vt parentibus morem gerat, fingens se tenere quasi Patrinum, vel vt Patrinum imbecillem iubet, vel ob similem causam aliquis baptizatum subleuet, aut sustineat, Patrinus non est; nec contrahit cognationem. Sic alijs relatis probant *Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 58. num. 4. & 5. Basil. Legion. de Matrim. lib. 7. cap. 39. num. 9. Castro Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 11. §. 2.* Nam obligatio nascitur ex consensu suscipientis illam, quam posset non suscipere. Colligitur ex *leg. 2. & leg. In omnibus negotijs 56. ff. de action. & oblig.* Ideò qui vouet exteriùs sine intentione vouendi non obligatur voto: qui baptizat sine intentione faciendi, quòd intendit Ecclesia, nec verè baptizat, nec cognationem spiritualem contrahit. Ergò similiter qui tenet infantem, materialiter tamen, & sine intentione præstandi munus susceptoris ab Ecclesia præscriptum, non fit verus susceptor, nec subindè contrahit cognationem.

3 Dubium tamen est. An si leues de sacro fonte filium Ioannis, putans per errorem esse filium Petri, sis verus eius Patrinus, & cum ipso, ac eius parentibus contrahas cognationem? Affirmat prima sententia, quam tenent *Ioan. Andr. Cardinalis, & Francus apud Sanch. sup. num. 6. Basilius Legion. & Castro Palaus sup. Coninch. disp. 32. num. 34. Ledesm. Lopez par. 2. tract. de Bapt. cap. 62.* limitans, nisi leuans vel exterius, vel interius pro diuersis foris expressè dicat, se nolle Patrinum esse nisi filij Petri.

Probatur primò ex *cap. 1. 30. qu. 1. & c. 2. de cognat. spirit.* vbi supponitur vxorem per ignorantiam leuantem filium mariti contrahere cum marito cognationem.

Probatur secundò, quia baptizans per errorem filium Ioannis, quem putat esse filium Petri, contrahit cognationem cum filio Ioannis, & cum eius parentibus. Ergò idem erit de suscipiente, qui pariter tenetur intentionem habere leuandi præsentem, quicumque sit; ne desit illa Sacra cæremonia Baptismo solemni.

4 Secunda sententia negat. Tenent illam *Syluester, Matrimonium 8. quæst. 7. Sanch. supr. num. 7. Reginald. lib. 30. num. 155. Bonacina de Matrim. qu. 3. punct. 5. §. 2. Villalob. tom. 1. tract. 14. diffic. 9.* Probatur 1. ex *cap. 2. de cognat. spir.* Vbi deciditur, coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti, non prohiberi debiti petitione. Vnde *Panormitan. ibi, num. 4. & Alexander de Neuo nu. 6.* colligunt, requiri scientiam, & animum ad contrahendam cognationem, quæ tamen desunt in hoc euentu. Probatur 2. Nam in tali casu verè non intendebat exercere Patrini munus erga hunc, quem leuasti. Ergò deficit intentio, quam omnes necessariam esse fatentur.

5 Dico 1. certum est, in hoc casu te non contrahere cognationem cum filio Petri, nec cum eius parentibus; quia re vera non leuasti filium Petri, subindèque non est, vnde talis oriatur cognatio. Sic notat *Sanch. sup. num. 6.* Dico 2. si palam intentionem habuisti non leuandi nisi filium Petri; non es verus Patrinus filij Ioannis, nec cum illo contrahis cognationem, vt dicebat *Lopez sup.* Et probat secundum fundamentum secundæ sententiæ. Si verò palam habeas intentionem leuandi præsentem, quicumque sit, verum geris munus Patrini, quamuis erres circa personam, & veram subindè

co-

cognationem contrahis, quia datur sufficiens intentio. Sic fatentur *Lopez, & Bonacina supr.* Quod si velis suscipere puerum, quicumque sit, non tamen contrahere cum illo cognationem; adhuc illam contrahis: Quoniam annexa est Ecclesiastico iure muneri Patrini, nec hanc connexionem impedire potes, dum velis Patrini munus exercere. Sic contra quosdam Iuristas docent cum multis *Lopez, & Palaus sup. Sanch. num. 4.*

6 Dico 3. Si solam habeas intentionem leuandi filium Petri nihil cogitans de alio, probabilior est secunda sententia propter eius fundamenta. Et ad primum oppositum respondetur in illis textibus nō suppon. talem cognationem; quin potius inde colligitur, errorem personæ tām cognationem, quām verum Patrini munus impedire, vt vidimus, *n. 4.* Ad secundum respondetur; non tenere paritatem; quia baptizans habere debet intentionem baptizandi præsentem, quicumq; sit, ne fiat irritum Sacramentum adeo necessarium. At Patrinus non tenetur talem intentionem habere; cum eligatur ad personam determinatam, quam instruendam suscipit; vt contingit etiam in Matrimonio, quod subinde per errorem personæ vitiatur.

CAP. VII. QVÆST. II.

An munus Patrini requirat contactum baptizati?

7 Negat *Sà, verb. Matrimonij impedimenta, num. 5.* dicens. Potest quis tenere non tangendo, vt infantem in disco, vel assistendo tanquam susceptor, dum baptizatur, vel leuatur. Consonat quoad baptismum adulti *Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. Ludou. Lop. par. 1. tract. de Matrimon. cap. 51.* Probatur: nam ille contactus, vel tentio ceremonia quædam est, quę per assistentiam cum intentione suscipiendi videtur moraliter suppleri, præsertim cum baptizatur adultus, qui per se potest stare, quin teneatur.

8 Affirmant *Henriqu. lib. 12. cap. 11. num. 3. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 56. Basil. Legion. de Matrim. lib. 7. cap. 39. Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 11. Parag. 2. Bonac. de Matrim. q. 3. punc. 5. Paragr. 2. Reginald. lib. 30. num. 151. Filliuc. tract. 10. punct. 2. num. 191. Diana part. 3. tract. 4. Resolut. 2. Villalobos tom. 1. trac. 5. difficult. 11. & tract. 14. diffic. 9. Ledesma in Summ. tract. de Bapt. cap. 13. concl. 4. & lib. de Matrim. q. 56. art. 3.* Probatur 1. Nam iura declarantia Patrini munus his verbis vtuntur: *Tenet, suscipit, leuat, Tangit,* vt constat ex pluribus textibus. *30. q. 1. 3. & 4. cap. 1. & cap. Veniens, de cogna. spirit. cap. fin. eodem titulo in 6. & ex Tridentino sess. 24. cap. 2. de Reform.* Hæc autem verba sonant contactum aliquē, non assistentiam solam.

Probatur 2. Quia *Petrus de Ledesma supra* refert decisionem Cardinalium asserentium, iuxta morem Abulensis Ecclesiæ, ac Diœcesis, vbi Commater non tangebat infantem, donec compater leuasset illum de sacro fonte, & commatri traderet, commatrem non contrahere cognationem spiritualem, eò quòd non leuasset infantem immediatè. Requiritur ergò, vt Patrinus teneat Baptizatum, dum abluitur, vel illum de manu baptizantis immediatè suscipiat. Nec refert, an baptizatus, vel confirmatus infans sit, vel adultus; nam vtrique competit imbecillitas spiritualis, quæ per ceremoniam tentionis significatur.

9 Dico 1. Non requiritur, vt Patrinus baptizati corpus immediatè tangat; sed satis erit, si vestitum tangat, vel in linteo, seu disco teneat. Nam illud est verè tangere, seu tenere. Sic tradunt *Sà, Sotus, Sanch. supra cum alijs.* Dico 2. Requiritur, vt Patrinus baptizatum saltem indutum tangat, & teneat, aut de manu baptizantis immediatè suscipiat iuxta secundam sententiam, quam etiam *Coninch disput. 32. num. 28.* confirmat declaratione Cardinalium. Nec sufficit quivis tactus momentaneus digito, vel extremitate parua; sed requiritur, vt Patrinus verè tangat, & teneat, vel leuet

de sacro fonte, recipiens illum de manu baptizantis. Sic notant *Sanch. & Bonacina supra cum alijs.* Sic iura significant.

10 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, ceremoniam tentionis, seu susceptionis de manu baptizantis ex dispositione iuris esse prorsus necessariam ad verum Patrini munus, & ad cognationem indè prouenientem, vt iura significant, & Doctores interpretantur.

CAP. VII. QVÆST. III.

An Patrini debeant pro baptizandis infantibus respondere?

11 QVamuis aliqui requirant, vt Patrinus respondeat pro puero, dum catechismus fit; omninò tamen tenendum est, ad verum Patrini munus, & ad cognationem indè resultantem non requiri, quòd Patrinus in catechismo respondeat. Ita *Nauarrus, Syluester, Henriqu. & alij,* quos sequitur *de Matrimon. lib. 7. disput. 56. Villalob. tom. 1. trac. 14. diffic. 9.* Probatur; nam in *cap. 1. de cognat. spirit. in 6.* Sola susceptio ponderatur, vt indè cognatio spiritualis contrahatur. Confirmatur, nam illa Patrinorũ responsio pertinet ad Catechismum, nõ ad Baptismum, qui sine talibus interrogationibus essentialiter conficitur. Vnde quoties idem Patrinus adhibetur (vt communiter fit) pro Catechismo, & pro Baptismo, cognatio dirimens matrimonium oritur ex solo baptismo.

12 Et quidem caput. *Prima igitur,* cap. *Paruuli,* cap. *Vos ante de consecrat. dist. 4.* Vbi Patrini dicuntur fidejubere, siue respondere pro paruulis, loquuntur de Patrinis Catechismi, qui contrahunt cognationem quandam imperfectam, quæ non dirimit matrimonium; olim autem impediebat, cap. *contracto de cognat. spirit. ca. 2. eodem tit. in 6. Per Tridentinum sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* conueniunt Doctores, hoc impedimentum dumtaxat impediens saltem fuisse restrictum ad primum gradum; quia sic fuit restrictum impedimentum cognationis spiritualis.

13 An autem fuerit omninò sublatũ? Negant *Lopez, Palacios, Toletus, Bonacina de Matrim. qu. 3. punct. 14. Villalob. tom. 1. tract. 5. diffic. 11. & alij.* Quia *Tridentinum nullam fecit mentionem huius impedimenti.* Affirmant *Reginaldus, Sà, Filliucius, Henriquez, Sanch. sup. disput. 10. num. 12. Diana part. 3 trac. 4. Resolut. 260. cum alijs.* Quia *Trident. supr.* sic ait. *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.* Quibus verbis omnem aliam cognationem spiritualem impedientem tollere videtur. Id ipsum confirmat *Basil. Legion. de Matrim. lib. 6. cap. 11. nu. 3. quadam declaratione Cardinalium, & Sanch. addit Bullam Py V. dat. 28. Nouemb. an. 1566.*

14 Vtraque pars est probabilis, vt fatentur *Bonacina, Diana, Sanchez.* Vnde fit, si quis domi baptizatus priuatim ob necessitatem, adducatur post modum in Ecclesiam, vt adhibeatur solemnitas baptismi, patrinum illius in eo catechismo probabiliter contrahere cognationem impedientem matrimonium, & probabiliter nullam contrahere. Ideò Parochus debet in libro Baptismi, dum nomina patrinorum scribit, notare illos in solo Catechismo fuisse patrinos (quoties id accidit) quoniam hi non contrahunt impedimentum dirimens, & probabiliter nec impediens. Quàm obligationem Parochi *Sanchez* indicat esse grauem. At *Guttierez (teste Diana supra)* significat, esse leuem.

CAP. VII. QVÆST. IV.

An Patrinus debeat esse designatus?

15 DEbent parentes, aut qui curam baptizati gerunt, designare patrinum; Si verò non designauerint, designet Minister: Nam ipse curare debet, ne Baptismo desit solemnitas ab Ecclesia præscripta, qualis est patrinus bapti-

baptizandi. Videantur *Bonacina de Matrimon. quæst. 3. punct. 5. §. 2. num. 28. Coninch disput. 32. num. 30. Reginald. libro 31. num. 153.* An autem hæc designatio simpliciter necessaria sit ad verum munus patrini gerendum? dissentiunt Doctores.

16 Affirmant *Manuel, Gutierrez, Vega, San. bez de Matrimon. li. 7. disputat. 57. Suarez 3. par. tom. 3. quæst. 67. artic. 8. Auersa ibi sect. 3. Filliucius tractat. 10. num. 191.* Probatur, quia *Tridentinum supra* sustulit cognationem istam, & consequenter patrini munus ab illis, qui designati non fuerint; vt colligitur ex illis verbis. *Quod si alij præter designatos teneant, non contrahant cognationem.* Ergò non contrahitur inter non designatos; & per consequens non designati non sunt veri patrini.

17 Negant multi putantes, designationem esse præceptam, non tamen esse simpliciter necessariam ad verum patrini munus, & ad cognationem contrahendam. Ita *Nauarrus cap. 22. numero 39. Henriquez lib. 12. cap. 11. num. 3. Coninch. disput. 32. num. 37. Rebellus de iustit. part. 2. lib. 3. quæst. 6. Basil. Legion. de Matrimn. olib. 7. cap. 39. num. 11. Layman lib. 5. trac. 2. cap. 9. num. 4. Barbosa par. 2. de potest. Episc. Allegat. 30. nu. 11. Bonac. de Matrim. q. 3. punct. 5. § 2. n. 24. cum alijs.* Probatur 1. quia sic decisum fuit à *Congreg. Cardin.* vt testantur *Barbosa, Rebellus, & Basilius supra.* Probatur 2. quoniam ab antiquo iure recedẽdum non est, nisi quoad exceptum expressè iure nouo, *leg. Præcipimus, Cod. de Appel.* Sed *Tridentin. sup.* solùm excipit casum, in quo præter designatos alij tangunt. Ergò quando nulli patrini designati sunt, seruandum est ius antiquum *capitis finalis de cognat. spiritu. in 6* Vbi deciditur, omnes tangentes baptizatum contrahere cognationem. Talis enim casus videtur omissus in Tridentino; casus autem omissus remanet in iuris antiqui dispositione. *leg. Commodissimè, ff. de liberis, & Posthumis.*

18 Vtraque sententia probabilis est, sed secunda videtur probabilior. Maioris autem claritatis gratia. Dico 1. Vbi Tridentinum receptum non est, omnes tangentes baptizatum, aut confirmatum, dum hæc Sacramenta ministrantur, animo suscipiendi, fiunt veri patrini, quamuis non designentur. Sic enim expressè deciditur eo *cap. Finali, notatque Sanch. sup. num. 2.*

Dico 2. Si parentes designarunt Petrum in patrinum, & Parochus hoc sine causa repulso, designet Paulum, qui leuat baptizatum de sacro fonte; hic est verus Patrinus, & contrahit cognationem. Sic censent *Henriq. sup. Beia par. 2. casu 4. Pala. to. 4 tr. 19 punc. 11. §. 1.* Quia nullus textus irritat istam susceptionem; nec præsumendum est, Ecclesiam velle, Baptismum in tali casu, sine patrino celebrari. Quare *Sanch sup. num. 17. & 20.* dicit, hoc esse valdè probabile; quamuis oppositum reputet probabilius propter fundamentum primæ sententiæ. Si verò Parochus legitimè repulisset designatũ a parentibus; quamuis hic tangeret, non esset verus patrinus, vt fatetur *Sanc. n. 18.*

19 Dico 3. Si nullus à parentibus, vel à Parocho designatus est, & tu teneas baptizatum animo gerendi munus patrini, verus patrinus eris. Nam Ecclesia vult baptismo solemni patrinum adhiberi; nec præsumendum est, voluisse Tridentinum, in eo casu baptismum sine patrino celebrari. Sic Doctores secundę sententiæ; iuxtà quàm ad fundamentum primæ respondetur, Tridentinum voluisse dumtaxat, vt quando designati leuarunt baptizatum, & baptismus iam habuit patrinum, alij non designati non contrahant cognationem: At quando nullus designatus leuauit, non vult baptismo deesse patrinum, si quis obeat tale munus. Quod si nullus designatus sit, & plures simul baptizatum suscipiant; omnes patrini fient, & contrahent cognationem. Quippè minus dedecet multiplicari patrinos, & cognationes, quàm solemnem baptismum sine patrino celebrari. Si verò tangant successiuè (non omnes simul) *Nauarrus dicit*, omnes fieri

fieri patrinos; quia *textus in eo ca. fin.* non distinguit tentionem simultaneam, & successiuam. Melius *Bonacina censet*, solum primum virum, & primam fœminam tangentem esse veros patrinos, & contrahere cognationem; quia cæteros excludit Tridentinum: Atque nostræ cõclusiones istæ secunda, & tertia procedunt, vbi Tridentinum receptum est.

CAP. VII. QVÆST. V.

An in Baptismo priuato sint adhibendi Patrini?

20 PRima sententia docet, adhibẽdos esse. Quia iura constituentia cognationem spiritualem, æquè de baptismo priuato, ac de solẽni loquuntur, vt constat *ex cap. 1. & fin. de cognat. spirit. in 6. Rursus textus in cap. de eo, & ca. Ad limina, 30. q. 1.* pariter loquuntur de baptizante, ac de suscipiente, quamuis in necessitate baptismus ministretur priuatim; ergò supponunt, necessarium esse susceptorem in tali baptismo. Confirmatur: quia patrinus adhibetur non solum ob solemnitatem baptismi, sed etiam vt baptizatum instruat cooperãs ad eius spiritualem generationem. Nec commodè fieri potest baptismus priuatus saltem infantium, nisi quis teneat infantem, dum abluitur. Ergò credendum est, Ecclesiam vniuersaliter in omni baptismo quãtumuis priuato requirere susceptorem. Ita *Zambr. de mort. artic. 1. dub. 18. n. 7. Coninc. 3. p. disp. 32. n. 39. Basil. Legio. de Mat. li. 7. c. 40. n. 5. Laym. lib. 5. tr. 2. c. 9. n. 5. Vuald. Angel. Philiarcus, & alij,* quos refert *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 62. num. 13.* dicens, esse sententiam probabilem.

21 Secunda sententia per oppositum asserit, in Baptismo priuato nec debere, nec posse licitè, nec validè patrinum adhiberi. Quare licet aliquis in Baptismo priuato teneat infantem animo gerendi munus patrini, nec fit patrinus, nec contrahit cognationem. Ita *Suarez 3. part. qu. 67. art. 8. Nuñus ibi, Sanch. supra num. 15. Rebellus part. 2. lib. 3. qu. 6. num. 16. Filliuc. tract. 10. num. 197. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 5. Paragr. 2. nu. 11. Hurtado de Matrim. disput. 18. diffic. 6. Villalob. tom. 1. tract. 14. difficul. 9. num. 7. Palaus tom. 4. tract. 19 punct. 11. Parag. 2. num. 12. & probabilem Diana cum aliis part. 3. tract. 4. Resol. 18.* Probatur; quoniam hanc patrinorum cęremoniam instituit Ecclesia pro solo baptismo solẽni, quasi partem eius solemnitatis, vt colligitur ex Ecclesiæ praxi nullum patrinum in priuatis baptismis adhibentis, aut postulantis. Ergo cessante solemnitate baptismi, cessat patrini munus; nec vlla nascetur cognatio, quamuis in baptismo priuato velis obire munus patrini. Non est enim in tua voluntate situm, hanc cognationem contrahere, nisi conditiones ab Ecclesia requisitæ seruentur. Ideòque communiter tenentes infantem in priuato baptismo non solent appellari patrini.

22 Dico 1. Nullum est præceptum adhibendi patrinum in baptismo priuato. Sic censent Doctores secundę sententię; Consonant *Layman sup. Diana supra, & par. 5. tract. 3. Resol. 7 Henriqu. lib. 2. cap. 18. fin.* Probatur; quia nullibi reperitur tale præceptum; pertinet enim patrinus ad cęremonias baptismi solemnis, cui soli præcipit Ecclesia patrinum adhiberi: nec adhiberi solet in baptismo priuato. Quare licèt aliquis teneat in illo materialiter infantem baptizandum, non ideò fit eius patrinus: quia non habet intentionem gerendi tale munus regulariter loquendo; nec in dubio debet præsumi.

23 Dico 2. Si quis in baptismo priuato de facto teneat infantem intentione formali gerẽdi munus patrini, verus patrinus fit, & contrahit cognationem. Ita *S. Thomas, & Doctores communiter in 4. dist. 42. Coninch disput. 32 num. 39. Basil. Legion. de Matrimon. lib. 7. cap. 40. num. 5. Zambranus, Diana, Layman, & Suarez supr.* Sic limitans secundam sententiam, vt regulariter in baptismo priuato, qui tenet baptizatum, non intendat

exer

exercere munus susceptoris; & ideo non sit verus Patrinus; si quando tamen id intendat, verus Patrinus sit. Probatur fundamento primæ sententiæ; quatenus iura non distinguunt inter baptismum priuatum, & solemnem. Quin potius caput *Ad limina, & cap. De eo. 30. quæst. 1.* loquuntur de baptismo priuato; & tamen expendunt munus susceptoris ibi præstitum. Ergo munus susceptoris etiā in Baptismo priuato causat cognationem. *Tridentinum quoq; sess. 24 cap. 2. de reform. matrim.* licèt quoad præceptum adhibendi patrinum loquatur de Baptismo solemni; quatenus Parocho præcipit, vt ante baptismum inquirat, qui sint designati Patrini, quorum nomina scribat in libro; cum in baptismo priuato sæpè nec adsit Parochus, nec scribatur liber; nec vacet de Patrinis inquirere; Tamen quoad cognationem Patrini cum baptizato, & eius parentibus non distinguit de Baptismo solemni, vel priuato.

24 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, eo probari nostram secundam conclusionem. Quamuis enim Ecclesia non præcipiat adhiberi patrinum in baptismo priuato; quoniam imminente periculo plerunq; non potest adhiberi; non tamen prohibet adhiberi, nec irritat eius munus. Quare patrinus, & baptizans pares sunt etiam in baptismo priuato quoad cognationem inde prouenientem; differunt vero, quatenus baptizans est omninò necessarius baptismo etiam priuato, secus autem patrinus; nec amplius intendunt illi textus. Ad confirmationem dicimus; quamvis baptizatus priuatim indigeat etiam instructore, si superuiuat; at imminente periculo mortis, attendi potius salutem animæ, quam instructionem baptizati, qui citò creditur moriturus; ne dum patrinus quæritur, desit baptismo tempus. Fundamentum secundæ sententiæ probat nostram primam conclusionem; nō autem conuincit, illicitè, vel inualidè adhiberi patrinum in baptismo priuato. Non enim adhibetur ob solam solemnitatem, sed etiam vt baptizatus habeat parentem, & nutritium spiritualem. Quare licet non sit præceptum, est optimum consilium, si commodè fieri possit, adhibere patrinum in baptismo priuato; quem Parochus tenebitur in libro describere, quando solemnitatem baptismi superaddit. Consonat nobiscum *Auersa 3. p. q. 67. sect. 3. cum multis.*

CAP. VII. QVÆST. VI.

Quam ætatem habere debeat Patrinus?

25 Supponimus; debere Patrinum tam Baptismi, quam Confirmationis esse rationis compotem. Nam ad quodlibet munus eligi debet, qui talis muneris obligationes cognoscere possit, & adimplere. Sed qui carent vsu rationis, obligationem patrinorum nec cognoscere, nec adimplere possunt. Ergo nequeunt esse patrini. Maior constat; Minor probatur; quia Patrini munus est pro baptizato confiteri fidem, fide iubere vitam Christianam, cuius præcepta doceat suum alumnum, vt habetur in *cap. Paruuli. De consecr. dist. 3. & in cap. Vos ante. De consec. dist. 4.* Nam vt asserit *S. Dionysius de Ecclesiast. Hier. cap. vlt.* Patrino traditur baptizatus, vt cuidam docto in diuinis pædagogo. Vnde colligit *Conc. Parisiens. 1. lib. 1. cap. 54.* Patrinos debere vim tanti Sacramenti, & quid pro baptizatis spoponderint, intelligere. *Tridentinum item sess. 24. cap. 2. de reform. mat.* monet, debere Patrinos cognoscere, quam cognationem contraxerint, ne per ignorantiam excusentur. Has autem obligationes puer (vel etiam adultus) rationis expers nec cognoscere, nec adimplere valet. Ita *Sanch. de Mat. lib. 7. disp. 61. Reginal. lib. 31. n. 157. Henriq. lib. 12. cap. 11. num. 2. Filliucius tract. 2. n. 160. & tract. 10. part. 2. n. 196. Bonac. de Matr. quæst. 3. punct. 5. §. 2. n. 17. Basil. legion. de Matrim. lib. 7. cap. 37. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 9. Quintanad. tract. 1. singul. 24.*

26 Hinc

26 Hinc fit 1. puerum, vel adultum rationis expertem, quamvis teneat baptizatum, vel confirmatum, non fieri Patrinum, nec contrahere cognationem. Quoniam incapax est talis muneris, nec habere potest intentionem præstandi munus susceptoris ab Ecclesia præscriptum, quam omninò requiri diximus *q. 1.* Sic notant Doctores relati. Fit 2. peccare mortaliter tam eligentes patrinum rationis impotem, quam omnes huic electioni directè cooperantes, & præcipuè Parochos illum admittentes; quorum est ratione sui muneris ineptos huic ministerio reijcere. Patet, quia violatur Ecclesiæ præceptum in re graui, solemnisq; ritus a primis Ecclesiæ temporibus obseruatus, & multis iuribus confirmatus redditur irritus, & illusorius quod satis apparet mortale peccatum, vt meritò censet *Quintanad. sup.* & idem est proportionaliter in Patrino Confirmationis.

27 An autem ætas aliqua requiratur? nonnihil diffident Auctores. *Abbas in cap. Debitum. de Bapt. nu. 3. Ludou. Lop. part. 2. tract. de Bapt. cap. 62. petunt*, vt Patrinus excedat baptizatum octodecim annis. Quia sic decernitur in adoptione legali §. *Minorum. Inst. de Adopt.* vt possit adoptans esse pater naturalis adoptati. Sed similiter Patrini sunt spirituales parentes baptizati; debent ergo seruare proportionem eãdem. Ancharanus eo *cap. Debitum num. 7.* putat excessum quatuordecim annorum sufficere; nam in ea ætate potest quis esse pater. *Possevinus cap. 6. nu. 55.* requirit duodecim annos.

28 Dicendum tamen est, quamlibet ætatem sufficere cum vsu rationis; quoniam in nullo textu præscribitur ætas patrinis; nec paternitas spiritualis requirit excessum ætatis, siquidem baptizans, vel confirmans fit etiam pater spiritualis baptizati, vel confirmati; nec ideò requirit excessum ætatis. *Ita S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. a. 1. ad 5. Nauar. Manuel, Vega, quos sequitur Sanchez sup. Regin. Henriquez, Fillucius, Bonacina, Basilius, Laymann sup.* Quare si minor septemnio habeat vsum rationis, validè suscipiet, & contrahit cognationem.

29 Ad fundamentum oppositum respondetur, illam similitudinem ad summum arguere congruitatem, non verò præceptum, cum nullibi reperiatur impositum. Datur etiam discrimen inter paternitatem legalem, & spiritualem; quod hæc sit regeneratio quædam in Christo, in quo non differt masculus a fœmina, seruus a libero, iuuenis a sene; quare quilibet potest esse spiritualis pater alterius At illa respicit successionem hæreditatis, & subiectionem adoptati ad adoptantem; nec decet, seniorem subijci iuniori quoad curam rei familiaris. Ideò leges petunt adoptantem esse natu maiorem adoptato; vt notant *S. Th. & Sanchez sup.*

CAP. VII. QVAEST. VII.

An Patrinus Baptismi debeat esse baptizatus?

30 Caput *in Baptismate de consecr. dist. 4.* sic ait. *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Vnde satis constat, non posse licitè patrinum esse baptismi non baptizatum, aut patrinum esse Confirmationis non confirmatum: quia prohibentur apertè. Sic censent *Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 60. Bonac. sup. n. 19. Filliuc. n. 193. Coninch. q. 67. n. 56. & disp. 32. n. 25. Rebellus par. 2. lib. 3. q. 6. n. 7. Suarez, Nuñus, & Sylvius 3. p. q. 72. art. 10. Auersa ibi sect. 5.* qui ferè conueniunt esse mortale peccatum vel in Baptismo, vel in confirmatione patrinum non baptizatum adhibere Quoniam materia grauis censetur spectans ad cultum, & ritum grauem Sacramentorum. Si verò non confirmatus teneat in confirmatione, mortale fore peccatum, putant *Suarez, Nuñus, Sylvius, & Auersa. Veniale reputat Diana part. 3. tract. 4. Resol. 21.* ex leuitate materiæ.

31 An verò validè suscipiat non baptizatus in baptismo, vel teneat validè non confirmatus in confirmatione? variant Doctores. Affirmant *Archidiaconus, Angelus, Rosella, Paludanus, Gaeta., Toletus, & alij*, quos sequitur *Aversa q.67. sect.4. concl.* 5. & quoad confirmationem addit alios *q.72. sect.5*. Probatur. Nam in illo *cap. In baptismate*, quamvis prohibeatur tale munus, non tamen irritatur Cõfirmatur: Quia nõdum baptizatus per catechismũ contrahit cognationem, vt habetur *c.2. de cogn. Spir. in 6.* Ergo capax est talis cognationis, & consequenter dum tenet in baptismo, verus Patrinus erit. Similiter Episcopus, etsi non receperit Sacramentum Confirmationis, dum alium confirmat, veram cum illo contrahit cognationem. Ergo pariter baptizatus non confirmatus, si teneat alium in Confirmatione, verus Patrinus erit.

32 Dico 1. Non baptizatus, etiamsi sit Cathecumenus, tenens aliquem in Baptismo, vel confirmatione, non fit Patrinus, nec contrahit cognationem. Ita *S. Thomas in 4. dist. 42 q.1. a.3. quæstiunc. 1. ad 3. Durandus, Richardus, Manuel, Lopez, & alij*, quos sequitur *Sanchez sup. Layman, & Bonacina sup. Valentia to. 4. disp. 4. q.2. punct. 3. Moure part. 3. cap. 2. §. 9. & 10. Suarez, & Coninch 3. p. q. 72. art. 10. Basil. legion. de Matr. lib. 7. cap. 37. n. 5. Reginald. lib. 31. n. 157. Rebellus sup. n. 6.* Et quidem si non baptizatus est infidelis, iure naturali censetur incapax talis muneris; cum non possit veram fidem docere, vel roborare, qui non habet veram fidem. At licet sit fidelis, non fieri verum Patrinum, probatur 1. ex eo *cap. In baptismate*. Vbi negatio ante verbum *potest*, tollit potentiam, & reddit actum nullum, vt expendunt *Valentia, Sanchez, & Bonacina supra*. Probatur 2. ex congruentia; quia sicut cognatio carnalis prærequirit processionem ab eodem stipite secundum carnalem propagationem; ita cognatio spiritualis requirit processionem a Christo secundum spiritualem regenerationem in Baptismo factam visibili Sacramento. Quare nec Catechumenus est capax illius.

33 Dico 2. Non confirmatus, etsi baptizatus sit, & teneat aliquem in confirmatione, non fit eius patrinus, nec contrahit cognationem. Nam vt expendimus numero præcedenti, caput illud *In baptismate*, non solum prohibet, sed etiam irritat talem actum. Ratio congruentiæ fuit; quoniam ad roborandam fidem alterius debet quis esse roboratus in sua, per Sacramentum vtiq; Confirmationis. Ita *Palacios in 4. dist. 7 disp. 3. Henriquez lib. 12. cap. 11. n. 2. & lib. 3. c. 3. n. 3. Toletus, lib. 2. cap. 24. nu.* 11. *Suarez, Sanchez*, & omnes ferè numero præcedenti relati. Vnde satis colligitur, quod tetigimus *n.30.* scilicet esse mortale peccatum adhibere baptismo patrinum non baptizatum, aut confirmationi Patrinum non confirmatum. Quia grauis Ecclesiæ ritus irritatur, & sicut est mortale peccatum sine Patrino ministrare baptismum solemnem, & confirmationem; ita sine patrino valido, qui verò non est patrinus.

34 Ad fundamentum oppositum respondetur, per illum textum irritari tale munus, vt vidimus. Ad confirmationem dicimus, cognationem, quę prouenniebat olim ex catechismo, fuisse quidem imperfectam, & hanc Ecclesia voluit à catechumenis contrahi; cognationem verò perfectam nunquam ad catechumenos extendit, siquidem ex iure non constat. Episcopus ille, qui non recepit confirmationis Sacramentum, & confert illud, contrahit cognationem; quia verum Sacramentum confert, & ex tali collatione decreuit Ecclesia prouenire cognationem: Si tamen Episcopus ille teneret aliquem in Confirmatione, non contraheret cognationem; quia non esset verus Patrinus, cum irritauerit Ecclesia talem actum.

CAP. VII. QVAEST. VIII.

An hæreticus possit esse Patrinus?

35 Fatentur omnes, hæreticum baptizatum validè fieri patrinum baptismi; & hæreticum confirmatum validè fieri patrinum Confirmationis. Quia characterem habet requisitum; nec irritauit Ecclesia talem actum; Etenim quamvis iure naturali sit ineptus ad docendam, vel roborandam veram fidem, qui non est fidelis, vt dicebamus *num.32.* tamen ius naturale per se solum non irritat Patrini munus, quod instituit Ecclesia non solum ad instructionem, sed etiam ad solemnitatem tam sacræ functionis; sed generaliter vetat, ineptos alicui ministerio vel eligi, vel admitti ad illud peragendum. Vnde peccant mortaliter hæreticus, & Iudæus, & quiuis alius infidelis; Item excommunicati, vel interdicti, criminosi, vel infames assumentes munus Patrini, & qui vel illos eligunt, vel admittunt. Nam omnes istos prohibet Ecclesia tali munere; materiaque videtur ex genere suo satis grauis. Infideles verò iure quoq; naturali prohibentur tanquam incapaces, aut inepti tali muneri ritè præstando. Sic tradunt *Suarez 3.p.q.67.art.7. Coninch. ibi. Sanchez lib.7.disp.60. Regnald. lib. 31. num. 157. Bonac. de Matr. q.3. punct.5. §.2. nn. 22. Rebellus part.2. lib.3. q.6 Layman, lib.5. tract.2. cap.9. Quintanad. tract. 1. singul. 24. n.5.*

36 Dubium 1. est. An liceat patrinum hæreticum admittere, quando Catholicus inueniri non potest, vt contingit in Prouincijs infectis? Et vrgetur casus, si Parocho Catholico parentes hæretici filium offerant baptizandum, hæretico patrino designato, quem si Parochus nō admittat, offendentur parentes, & filium deferent ad ministrum hæreticum, vel domi priuatim baptizabunt; vel saltem baptismus solemnis sine Patrino fiet; quia non suppetet Catholicus idoneus tali muneri. *Layman supra* dicit, in hoc casu Patrinum hæreticum admittendum esse ad incommoda prædicta vitanda; Dum Sacerdos palam edicat, infantem in fide Catholica baptizari, ac in illa instruendum fore; patrinumq; admitti tanquam sponsorem huius, & non alterius fidei.

37 Probat 1. Quia sic est praxi receptum apud viros pios, & Doctos in Germania. 2. Quia minus hoc dedecet, quam baptismum solemnem sine patrino ministrare contra totius Ecclesiæ consuetudinem cum scandalo non exiguo, multorumque querelis. 3. Quia, cum infans a Ministro baptizatur in fide Catholica, satis apparet, sponsionem Patrini non aliter admitti, quam secundum hanc fidem; præsertim si Minister id palam edicat. Nec iam patrinus instruit alumnum; quin sæpè contingit, vt ipsimet hæretici non permittant aliquem à fide Catholica dimoueri; quia meminerunt, se pro illo in hac fide, dum baptizaretur, spopondisse.

38 Equidem dum timetur grauis offensio parentum, & puerum fore deferendum ad ministrum hæreticum; approbari potest hæc praxis, & opinio. Verum si sine parentum offensione potest minister repellere patrinum hæreticum, quamvis nullum adhibeat Catholicum; quia non suppetit, videtur pótius ministrandus baptismus sine patrino, quam hæreticus adhibendus. Quippe præceptum Ecclesiæ de adhibendo patrino procedit, quando reperitur idoneus; qualis non est hæreticus ad docendam, vel roborandam veram fidem. Quare tunc cessat Ecclesiæ præceptum adhibendi patrinum; & ex alia parte vrget naturale præceptum vitandi familiaritatem cum hæreticis, dum commodè potest vitari. Sic docet *Palaus tom. 4. tractat. 19. punct. 11. §.1. num.9. Indicat Azor tom.1. lib.8. cap.11. quæst.9.*

39 Dubium secundum est, An licitè possit Catholicus esse patrinus baptismi ab hæretico iuxta suum ritum collati?

Negant

Negant *Azor, & Palaus sup.* Probatur. Quia videretur Catholicus eo facto ritum hæreticum approbare, sponsionemque facere profitendi, docendique fidem iuxta voluntatem baptizantis. Nihilominus affirmat *Laym. sup.* Quia Patrinus Catholicus suscipiendo Baptizatum ab hæretico, nec actiuè, nec passiuè concurrit, aut alio modo cooperatur indebitæ ministrationi Baptismi. Quin potius præstat, vt baptismus minus incongruè ministretur, seruata scilicet hac Ecclesiæ cæremonia, & non adhibito patrino hæretico, qui secundũ hæresim sponderet, & profiteretur.

40 Mihi videtur id communiter non licere; quia tale Patrini munus inuoluit cooperationem aliquam hæretici ritus, & ministerij. Cœterum si graue tibi, vel tuæ familiæ nocumentum immineat, eo munere non suscepto; simulq; declares, te nolle tali facto ritum hæreticum approbare, nec sponsionem facere iuxtà baptizantis intentionem; sed iuxtà morem, & fidem Ecclesiæ Romanæ, ac vt eius præceptum serues adhibendi patrinum in Baptismo solemni, licebit tibi tale munus accipere. Hac enim protestatione secludis approbationem hæretici ministerij, & sponsionis hæreticæ suspicionem: Atque propter euitandum graue damnum non tam cooperaris, quàm permittis hæreticum ritum, quod intendit, *Layman, & fatetur Palaus supr.*

CAP. VII. QVÆST. IX.

An Religiosi possint esse Patrini?

41 IN cap. *Placuit 16. q. 1.* cap. *Peruenit 18. q. 2.* cap. *Non licet*, cap. *Monachi de consecr. dist. 4.* prohibentur Monachi fieri Patrini, facereque sibi compatres, aut commatres Ideo *Rituale Romanum tit. de Patrinis sic ait, Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sancti Moniales, nec alij cuiusuis Ordinis Regulares à sæculo segregati.* Consonant *Constitutiones Synodales aliquarum Diœcesum*; & Doctores communiter asserentes, non posse Monachos esse Patrinos, rationemque reddunt. Quia Monachus iuxtà sui nominis etymologiam adeo debet esse reclusus, vt huiusmodi commercijs non se immisceat, nec habeat cum secularib. eam familiaritatem, quàm munus susceptoris, & cognatio indè proueniens inducunt. Ita *Sylu. Angelus, Tabien. Gaeta, Gallego, Viuald. Martin. & Petr de Ledesm. quos sequitur Sanch. de Matr. l. 7. disp. 60. n. 21. Sot. in 4. dist. 4. q. 1. art. 5. Villalobos to. 1. tract. 5. diffic. 11. nu. 5. Reginald. lib. 31. num. 157. Rebell. p. 2. lib. 3. qu. 6. Bonac. de Matr. q. 3. punct. 5. §. 2. Manuel. to. 1. Regul. q. 31. art. 1. & 2. Laym. lib. 5. tract. 2. c. 9. Filliuc. Moure, Candidus, quos sequitur Leander à Sacram. tom. 1. tractat. 2. disput. 7. quæst. 16. & 17. & alij plures.*

42 Addunt consequenter Doctores isti, peccare Monachos aduersus hoc præceptum, si teneant aliquem in Baptismo, vel Confirmatione; non tamen omnes discernunt peccati grauitatem. Exprimunt peccare mortaliter, *Sotus. Candid. Petr. de Ledesm. supr.* Quia violatur Ecclesiæ præceptum in re graui. Cœterum alij putant, solùm esse veniale peccatum, quia nec verba iuris sonant grauem obligationem, *nec Rituale Romanum, nec Constitutiones Synodales*, inducunt obligationem peccati mortalis, nisi grauissimis verbis illam exponant. Sic censet, *Granad. de Bapt. disp. 1. nu. 3. ac alij Iuniores.* Item notant. *Rebell. & Bonac.* si Monachus Monachum teneat in Confirmatione, non peccare, quia cessant motiua prohibitionis.

43 *Quintanad. tract. 1. singul. vlt.* docet, licere Religiosis omnibus, Patrinos fieri tam in Baptismo, quàm in Confirmatione, nisi Constitutiones alicuius Religionis id prohibeant sub peccato. Probat, nam antiqua iura prohibuerunt hoc munere Religiosos; quia consuetudo fuit aliquorum locorum, vt compatres oscularentur commatres, & indecens esset osculum istud respectu Re-

gularium. Sic notant Gloss. in eo cap. *Monachi atque Manuel. sup.* imò cum dicat ibi textus. *Monachi sibi compatres, commatresve non faciant; nec osculentur fœminas*, legendum esse, *ne osculentur fœminas*. Ita vt ratio reddatur prohibitionis, existimat. *Quintanad. & indicat Manuel.* qui subdit ideo Regulam Sancti Francisci præscribere. *Ne fratres fiant compatres, ne hac occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.* Assonat *Miranda tom.1.q.43. art.1.* Cum igitur iam cessauerit hæc consuetudo, qua legis prohibitio nitebatur, lex quoque cessare censetur. Nam legis ratione cessante, cessat etiam eius dispositio, vt ex leg. *in omni ff. de Adopt. leg. Quod dictum, ff. de pactis*, cap. *Cum cessante, de Appellat. ac alijs probant Euerandus in topicis, loc.85. Surdus cons.475. num.24. Pichardus* ad principium, *Instit. de leg. Falcid. nu.28. ac alij plures. Rituale vero Romanum, & Constitutiones Synodales*, nisi palam exprimant præceptum graue, vel censuram imponant, non censentur obligare saltem grauiter, vt aduertit, *Scortia de Missa lib.2. c.17. tit.1.*

44 Ego reor, circa Monachos admittendam esse saltem leuem obligationem. Quia non satis constat, omnes illos Canones nisi sola consuetudine supra dicta; & Rituale Romanum nuper editum, postquam illa consuetudo cessauit; nihilominus asserit, ad hoc munus admitti non debere Monachos. Verum non esse grauem obligationem, colligi potest ex præsenti rerum statu; quando nec Patrini regulariter suos alumnos instruunt, sed id munus parentibus, aut magistris incumbit; nec instructio rudium in fidei mysterijs censetur aliena prorsus à Religiosis etiam Monachis, siquidem sæpè committitur Religiosis baptizandi munus, & conferuntur ipsis beneficia curata, quibus & cura docendi rudes, & cognatio spiritualis cum compatribus, & commatribus annectitur. Et quidem ad euitandam etiam culpam leuem leuis causa sufficiet, nimirum petitio Parentum baptizandi, vel confirmandi, qui talem Patrinum expetunt, vel ob egregiam Religiosi virtutem, vel ad excusandos sumptus, vel ad vitandam cognationem cum alijs, vel quia non ita commodè reperiunt alium Patrinum prole dignum. Facultas Ordinarij quamuis simpliciter necessaria non sit, petenda, tamen erit, ne quod detrimentum incurrat Parochus ex violatione Ritualis. Prælatus etiam regularis exorandus erit, vt annuat; & tam Ordinarius, quam Prælatus facilè facultatem concedere possunt etiam ex leui causa.

45 Petes 1. An hæc prohibitio comprehendat omnes Regulares? Affirmare videntur, *Sanch. Reginald. Rebell. Bonacina, sup.* cum alijs, quatenus de Religiosis in communi loquuntur. Palam verò dicunt, sub nomine Monachorum Canonicos Regulares, & omnes mendicantes comprehendi. *Nauarr. in Consil. lib.3. tit. de statu Monach. consil.10. Layms. Villalob. & Manuel. sup. Vega verb. Baptismus casu 46.* dicit in partibus Indiarum ex speciali Pontificis concessione posse Religiosos esse Patrinos. Probatur hæc sententia. Quia iuxta Panormitanum *cap.2. de Postul.* leges disponentes de Monachis, quæ fundantur in religione, cõprehendunt oẽs religiosos, etiã canonicos. Sed leges prohibẽtes Monachũ à munere susceptoris, fundari videtur in religione; ne qui sæculo renũtiarunt, habeant commatres, & subindè nimiam cum fœminis familiaritatem. Ergo comprehendunt omnes vtcumque Religiosos. *Ideo Synodus Panormitana teste Dian. p.3. tract.4. Res.21. susceptoris munere Religiosis omnib. interdixit.*

46 Negant *Conninck. 3. p.q.67. n.56. Less. ibi n.12. Chamer. de Sacr. tr.2. c.4. dub.4. Palaus to.4. tr.19. punct.11. §.1. Hurtad. de Bapt. disp.2. difficult.9.* Fauent. *Henriq. Sotus, Suarez, & alij* quatenus vocem Monachi retinent, nec de Religiosis in communi loquuntur. Probatur, quia non militat eadem ratio in Religiosis Mendicantibus, seu,

Cano-

Canonicis, ac in Monachis; nam hi sibi vacant, & Deo soli; subindè debent frequēti communicatione secularium abstinere. Regulares verò, qui proximorum etiam saluti vacant, & doctrinæ secularium insistunt, horum familiarem conuersationem non debent abhorrere. Nec in odiosis nomine Monachorum intelliguntur Mendicantes, aut Canonici Regulares; cum odia conueniat restringi. Et ideò forsan in Rituali Romano solum arcentur ab hoc munere *Religiosi a sæculo segregati*.

47 Quæstionem hanc dicit *Nauarrus sup.* subtilem esse, multaq; posse contra Panormitanum adduci, quæ tamen ex eius doctrina non difficilè dissoluantur. Mihi videtur vtraq; pars probabilis. Vidi quidem apud Indos fieri nonnunquam Religiosos Mendicātes nobilium infantium Patrinos, priuilegium illud, cuius meminit Vega, non vidi. Fundamentum affirmantium soluitur ex dictis *n. 46.* Quin etsi militaret eadem ratio; fieret inde posse prohibitionem ad omnes Regulares extendi; non tamen extensam fuisse de facto ...

48 Petes 2. An Monachus vel ex ignorantia, vel ex malitia tenens aliquem in Baptismo, vel Confirmatione, sit verus Patrinus, & contrahat cognationem? Negant *Nuñus, 3. p. q. 67. art. 8. Basil. Legion. de Matr. lib. 7. c. 37. n. 5.* quia putant, prohibitionem iuris etiam irritare valorem actus. Melius tamen affirmant *Angelus Syluester, Tabienna, Gallego, Vrualdus, & alij, quos sequitur Sanchez supra Possevinus, c. 6. n 27. Sà, verb. Baptismus, n. 9. Bonacina, Reginaldus, Palaus, Rebellus supra*. Quia licet iura factum prohibeant, nullum tamen verbum habent irritans valorem actus. Religiosus autem (Monachus etiam) factus Episcopus nō solum validè, sed etiam licitè potest esse patrinus. Quia iam debet aliorum saluti vacare; subindèq; communicationem cum secularibus habere. Sic notant *Layman, Palaus, & Diana supra Glossa, Greg. Lopez, & Turrecremata*, quos sequitur *Sanchez sup. & lib. 6. Decal. cap. 6.* *P. Lugo de Sacramentis, num. 24.* Idem mihi videtur eadem ratione dicendum de Religiosis, qui Parochi sunt.

CAP. VII. QVÆST. X.

An Parentes possint suos filios in Baptismo tenere?

49 Svppono 1. Parentem, qui sine voluntate, vel intentione gerendi munus Patrini materialiter tantum tenet suum filium, vel alterius coniugis, vel ipsum coniugem, nec contrahere cognationem, nec peccare; quia non est verus Patrinus; vt notat *Sanchez de Matrimon. libr. 9 disputat. 26. numero 4.* Consonat *Henriquez libr. 3. cap. 3. fine*, dicens, viro tenenti vxorem in Confirmatione interdici petitionem debiti, quando tenet, vt verus Patrinus.

50 Suppono 2. prohiberi parentes tenere filios suos tam in Baptismo, quam in Confirmatione. Constat *ex 30. q. 1. c. 1. 2. & 4. Quamuis enim illud cap. 1. & 2.* quoad separationis pęnam corrigantur per *cap. Si vir, De cognat. Spirit.* quoad prohibitionem, cuius in eo *cap. Si vir* nulla fit mentio, manent in suo robore. Sic docent *S. T hom. 3 p. q. 67. art. 8. ad 2. Suarez ibidem in comment. Coninch. nu. 57. Sanchez cum multis sup. num. 5. Petrus de Ledesma tom. 1. summ. tract. de Bapt. cap. 13. Villalob. to. 1. tract. 5. diffic. 11. Layman lib. 5. tract. 2 cap. 9. Ratio redditur*; Quia sicut alia est generatio spiritualis a carnali, sic etiam debet esse diuersa disciplina. Quapropter alius esse debet pater spiritualis a carnali, nisi necessitas contrarium exigat. Vndę fit, peccare coniugem, qui citrà necessitatem suscipit proprium filium, aut alterius coniugis; quia violat prædictam prohibitionem; Quod esse graue seu mortale peccatum docent *Henriquez, Suarez, Sanchez sup. Coninch. disput. 34. dub. 8. Filliucius tract. 2. n. 163. Hurtado de Mat. disp. 10. n. 22.*

51 Iam fit dubium 1. An in necessitate,

quando nullus adest, qui puerum teneat, parens possit vel communem filium, vel alterius coniugis in Baptismo tenere. *Negant Henriq. lib.11. cap.15. num.11. Petrus de Ledesma de Matr. quaest. 56. art.1. dub.1. Bonacin. de Matr. q.4. punct. 2. n.3.* Quia nulla necessitas cogit tenere puerum, cum possit dari Baptismus priuatus sine Patrino. Non est ergo cur parens tenens filium excusetur, sicut excusatur baptizans in necessitate, ne pereat infans sine baptismo decedens.

52 Nihilominus dicendum est cum communi sententia, posse parentem in eo casu tenere filium licitè. Quia licet ad valorem Baptismi non sit necessarius Patrinus; est tamen in praecepto quoad Baptismum solemnem, & quoad Confirmationem, quod rectè parens adimplet. In baptismo priuato quamuis necessarius non sit, at melius est, adhiberi Patrinum, vt Sacramenti significatio seruetur. Quare textum in cap. *Ad limina. 30. q.1.* loquentem de parente, qui filium in necessitate baptizans non peccant, intelligunt communiter Doctores etiam de gerente Patrini munus, vt rectè Baptismus ministretur. Ita *S. Thomas, & Suarez sup. Sotus in 4. dist. 4. q.1. art.5. Palacios, ibi dist.7. disp.3. Sanchez cum multis sup. nu.3. Layman lib.5. tract. 10. part.4. cap.8. nu.7. Graffis part.1. lib.2. cap.35. Diana part.8. tract.1. Resol.57. & alij.* Subdunt verò *Palacios, & Sanchez*, idem esse de parente tenente filium communem in confirmatione, quando non adest, qui teneat.

53 Sit dubium 2. An parens extra necessitatem tenens communem filium, vel alterius coniugis, sit verus patrinus, & contrahat cognationem? Negat *Nuñus 3. p. q.67. art.8.* Quia cum prohibitus sit tenere filium, vel filiastrum, quamvis illum teneat, non se conformat intentioni Ecclesiae, subindèq; non gerit Patrini munus ab Ecclesia praescriptum. Oppositum tamen asserendum est. Quoniam actus prohibetur, sed non irritatur: Cum nullum sit in iure verbum irritans valorem illius; & alioqui Iura generaliter statuunt. Patrinum contrahere cognationem cum parentibus baptizati, vel confirmati, quem tenuerit animo gerendi Patrini munus. Ita *Syluester, Baptismus.5. quaest.6. Petrus de Ledesma to.1. sum. tract. de Baptismo cap.13. concl.3. Layman sup. n.8. & tract. 2. cap.9. Martinus Perez de Matr. disp. 29. sect.6. n.1.* Et omnes ferè dubio sequenti ferendi.

54 Sit dubium 3. An coniux extra necessitatem tenens filium communem, aut alterius coniugis priuetur iure petendi debitum? Et suppono 1. coniugem in necessitate baptizantem, aut tenentem siue filium communem, siue filium alterius coniugis, siue coniugem ipsum, non priuari iure tam reddendi, quam petendi debitum. Sic enim decidit *Pontifex in cap. Ad limina. 30. q.1.* reddens rationem: Quia non est aequum; vt ex honesta coniugis actione ius impediatur coniugij, nec decet, vt coniux sine culpa tam graui poena mulctetur. Ita sentiunt Doctores relati *n.52.* qui conueniunt, baptizantem etiam priuatim, & in necessitate, & contrahere cognationem, quae dirimat subsequens matrimonium, quamvis non praeiudicet contracto quoad debiti petitionem. Videatur *Sanchez n.10. & 11.*

55 Suppono 2. si parens ex ignorantia inuincibili iuris, aut facti, vel ex errore personae sine necessitate baptizet, aut teneat filium suum non arceri ab vsu coniugali. Nam id satis innuit praedictum *cap. Ad limina*: Ratioq; suffragatur; nam ignorantia tunc excusans à culpa pariter excusare censetur ab omni poena. Si verò coniux sciens, & prudens id ex malitia faciat, peccat grauiter, vt vidimuus *num.50.* Nihilominus tenetur ad reddendum debitum alteri coniugi petenti. Nam alter non debet priuari iure suo propter peccatum alterius; & hoc saltem deciditur in *cap. si vir, de cognat. Spiru.* Restat itaque difficultas; an coniux, qui scienter, & ex malitia baptizat, aut tenet in Baptismo, vel confirmatione filium com-

communem, aut alterius coniugis, priuetur debiti petitione ratione cognationis cum altero coniuge contractæ.

56 Prima sententia communior affirmat. *Ita S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 1. in corp. S. Bonau. ibi, S. Antoninus, Alensis, Richardus Palud. Bassolis, Ouandus, Almain, vterq; Sotus, triplex Ledesma, Palacios, Angles, Veracruz, Henriq. Philiarchus, Graffis, Viualdus, Sà, Canedo, Lopez, & alij Theologi. Gofredus, Hostiensis, Abbas, Syluest. Nauarrus, & alij Iuristæ, ac Summistæ, quos sequitur Sanch. de Matr. lib. 9. disput. 26. nu. 7. Laym. lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 8. num. 8. Bonac. de Matr. q. 4. punct. 2. Villalob. tom. 1. tract. 13. diffic. 51.* Probatur 1. Quia c. *Nosse* 30. q. 1. dicitur, coniuges ob eiusmodi factum non esse separandos, si non acciderit vtriusque consensu. Ergo si contigerit vtriusque consensu separandi sunt, & consequenter is priuatur iure petendi debitum, cuius solius culpa contigit. 2. Nam ibid. c. *Ad limina*, dicitur, eum, qui filium suum in necessitate baptizat, non esse separandum à coniuge, quoniam hoc laudabilitèr fecit, ergo separandus esset, si culpabilitèr id fecisset. 3. Nam in c. *Si vir* de cognat. spirit. decernit Pontifex, si coniux filium suum renuerit, non esse coniuges separandos, nec debitum alterutri subtrahendum; & reddit rationem. Nam ignorantia excusat, malitia vero parrocinari non debet: At patrocinaretur quidem, si debiti redditionem impediret; cœterum interdicta peccanti debiti petitione, potius obesset sibi sua fraus.

57 Probatur 4. Quia tunc coniux citra necessitatem tenens filium, spontè gerit & illicitè Patrini munus. Ergo contrahit impedimentum cognationis, quantum iure contrahere potest; ac per consequens merito priuatur petitione debiti; hanc enim priuationem iura videntur annectere tali cognationi, quoties superuenit culpabilitèr matrimonio contracto. Confirmatur. Nam impedimentum, quod dirimit matrimonium subsequens, si superueniat matrimonio contracto, saltē priuat iure petendi debitū, vt contingit in affinitate. Pariter ergo cognatio spiritualis superueniens matrimonio contracto peccantem prohibebit petitione debiti.

58 Secunda sententia negat. Amplectuntur illam *Gloss. in dict. c. Si vir verb. Debitum, Ancharr. Prapos. & Card. ibi, Durand. & Rayner. quos sequit. Martin. Perez de Matr. disp. 29. sect. 6. n. 7. & seq. Coninch. disp. 34. dub. 8. Hurtad. de Matr. disp. 10. n. 24 Basil. legion. de Matr. li. 10. c. 6. Amicus to. 7. disp. 11. sect. 3 n. 43. Diana p. 8. tract. 1. Resol. 57. Zambr. de mort. art. c. dub. 18. nu. 9. Fernand. de Heredia disp. de Bapt. p. 6. dub. 2. n. 6.* Probatur 1. *Nam in c. De eo 30 q. 1. sic habetur, si autem coniuges legitimi, vnus, aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susciperent, si innupti* (continentiam scilicet seruando) *permanere voluerint, bonum est, sin autem* (scilicet ita permanere noluerint,) *grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.* Vbi satis apertè deciditur, eos, si voluerint, posse simul in coniugio permanere, nec habitatione, nec toro separari, quamuis ambo spōte, vel etiā ex industria talem cognationē cōtraxerint. Quod vtiq; falsū esset, si propter culpā priuarentur debiti petitione; Quippè manerent simul cum maximo periculo pelliciendi sese vicissim ad peccatum. Multos. n. reperies, qui separati à fœminis castè viuant, qui vero possit cum muliere cohabitare cōtinuo, quin etiam dormire simul, & eam non concupiscere, millib. è multis vix vnum inuenies. Igitur si neuter coniux in eo casu posset petere debitum, & subindè nec reddere posset, vt etiam contrariæ partis Doctores fatentur, non permitterentur manere simul.

59 Probatur 2. ex illo cap. *Si vir.* Vbi Pontifex interrogatus, an coniuges, qui communem filium susceperint de sacro fonte scienter, vel ignoranter separandi sint? respondet, varias fuisse circa hoc decisiones Pontificum (Nam olim ob cognationem indè contractam etiam sine culpa separabantur, vt ha-

P 4 betur.

betur, 30. *q.*1.*c.*1. & 2. sed id posteriores Pontifices moderati sunt, vt habetur ibidem, cap. *Nosse*, & cap. *Ad limina*) *ideoque nobis videtur, quod siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint; non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam possint induci. Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Quod addit, non vt innuat (sicut Aduersarij putant) eum, qui culpabiliter hoc fecit, non posse petere debitum (hoc enim ex nullo verbo textus illius, si rectè perpendatur, colligi potest) sed quia cum olim, vt nuper vidimus, statutum esset vt qui cognationem istam etiam inculpabiliter contraxissent separarentur, quidam, vt possent à coniuge separari, malitiosè proprias proles in Baptismo, vel confirmatione tenebant; vt tam ex hoc cap. quam ex c. *Dictum est* 30. *q.*1. colligitur. Nos igitur dicit Pontifex, non esse separandos ne sua fraus ipsis patrocinetur.

60 Iam ex hoc textu sic probatur ista sententia. Pontifex hic generaliter asserit, coniuges, qui tenuerunt in Baptismo suos filios tam ex malitia, quam ex ignorantia, non esse separandos. Ergo palam insinuat, esse parem vtrorumque rationem. At certum est, coniugem ignorantem non priuari petitione debiti; pariter igitur non priuatur, qui tenuit scienter, & ex malitia. Quod amplius expressit Pontifex, dum æqualiter decernit, tales non debere (siue non posse) alterum alteri debitum subtrahere, manifestè docens, post tale factum vtrumque coniugem, & consequentèr etiam scientem posse petere debitum, & alterum debere reddere. Nam hæc verba satis apertè significant, æquales esse coniugem innocentem, & nocentem, quoad vsum matrimonij, neutrumque posse debitum alteri subtrahere; quia nempè sicut ignoranter tenens potest petere debitum, ita pariter tenens scienter Et quidem si Pontifex vellet, vt coniux nocens non deneget innocenti debitum, petere tamen nequeat, id exprimeret clarè, sicut expressit in *c. fin. de eo, qui cognouit consang.* agens de cõiuge qui commisit incestum cum consanguinea sui coniugis.

61 Probatur 3. Nam priuare coniugem iure petendi debitum est pęna tam grauis, & exorbitans, vt admittenda non sit, nisi vel exprimatur in iure, vel per necessariam omninò consequentiam inde deducatur; ac proindè non sufficiant incertæ coniecturæ, seu consequentiæ, quales inducit prima sententia. Etenim in his impedimentis, & prohibitionibus, quæ pendent ex iure positiuo difficilem obligationem imponente non sufficiunt congruentiæ, nec argumenta valent à contrario sensu, vel à simili. Quin imò cum odia restringi debeant; & in pœnis benigna sit interpretatio facienda: debet vtique pœna tam grauis restringi, quantum possit, & iura benignè capi; ne coniuges, qui cohabitare permittuntur, & forsan ob paupertatem, vel ob aliam causam vti coguntur eodem toro, frequentibus incontinentiæ lapsibus exponantur.

62 Dico 1. Quamuis prima sententia non habeatur in iure palam, vt fatentur, *Sanch. supr. & Suar. 3. p. q.67. art.8. in comment.* Nam antiquiora iura correcta sunt per illud cap. *Si vir*, & hic textus verè potius fauet secundæ sententiæ, quam primæ iuxta superius dicta. Quare valdè miratur, *Coninch. & Basilius*, tot viros sapientissimos potuisse sibi persuadere, tam grauem pœnam, & tam difficilem decisionem per consequentias tam incertas ex iure sufficienter deduci. Quia tamen versamur in re morali, quæ pendet ex intelligentia iuris, & potissimum illius, cap. *Si vir*, & omnes ferè Iuristæ, relicta Glossa, cuius sententiam magni ducere solent, atque plurimi Theologorum intelligunt illum textum iuxta sensum primæ sententiæ; quoad forum exterius hæc erit præferenda, quippe quæ magis recepta sit

in

in tribunalibus. Dispensat autem ad petendum debitum cum isto coniuge non solum Episcopus, vt inquit *Sá verb. Matrimonij impedim. dirim. num. quinto*. Sed etiam Commissarius Cruciatæ, vel Regularis ex priuilegio sibi concesso ad dispensandum in affinitate post matrimonium contracta, quod extenditur ad hunc casum, vt docent *Diana par. 3. tractat. quarto Resolut. 3. & Villalob. supra*.

63 Dico secundò. Quoad forum merè internum præferendam esse secundam sententiam: Quoniam est valdè probabilis, & in praxi secura; quod præter eius Authores, fatentur *Suar., Sanchez, Bonacina, Layman supra Fillincius tractat. 2. numero* 163. Atque periculis animarum euitandis, ac subindè saluti coniugum multo conuenientior, quàm prima, benignior etiam, & fauorabilior. Ne sine manifesto iure grauissimum onus conscientijs imponamus.

64 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, imprimis argumentum, à contrario sensu non semper in iure valere: Quia sæpè Pontifices sua responsa restringunt, & certam aliquam ipsorum rationem afferunt, non vt innuant, deficiente tali restrictione, vel ratione contrarium esse præstādum: sed vt præcisè respondeant ad quæstionem id, quòd aliqua ratione planè certum apparet. Deindè decretum illius *cap. Nosse fuit Nicolai Primi*, qui floruit anno 858. quare si quid durius ad rem nostram statuit, id fuit correctum in *ca. Si vir. per Alexandrum III.* qui vixit anno 1156. vt inquit *Genebrardus, vel* 1160. vt inquit *Bellarminus in Chronologia*. Vnde soluitur etiam secundum fundamentum; nam Ioannes VIII. auctor illius cap. *Ad limina*. vixit anno 874. quando vigebat decretum *capite primo* 30. *quæst. prima*, vt qui proprios filios tenerent vel ignoranter, vel scienter, separarentur: & hoc correxit saltem quoad primam partem. Si mansit in suo vigore secunda pars, reuocata fit postea per *cap. Si vir.* Ad tertium responsio constat ex dictis *numero* 50. & 60.

65 Ad quartum fundamentum fatemur, illum coniugem spontè citrà necessitatem non posse suscipere Patrini munus, ac subindè peccare grauiter, vt ostendimus *nu.* 50. fatemur etiam contrahere cognationem spiritualem, quātum iure contrahere potest: negamus verò propterea priuari petitione debiti. Nam eo ipso, quòd Alexander III. permittit in eo *cap. Si vir*, coniuges sic peccantes non separari cohabitatione, vel toro, relinquit illos cum pleno iure tàm petendi, quàm reddendi debitum; ne maneant alioquin in medijs flammis cum obligatione non ardendi. Quare prudenter notant *Coninch, Perez, & alij*, perperam coniuges vouere castitatem, qui torum separare nequeunt; ac si de facto vouerint, debere communiter petere dispensationem, vt euadant proximum incontinentiæ sacrilegæ periculum. Ad confirmationem negamus antecedens; nisi regula restringatur: Videlicèt impedimentum dirimens inter nō coniugatos, priuare iure petendi debitum coniugatos, quoties ipso iure non est restrictum impedimentum ad non coniugatos. Sic qui baptizat in necessitate filium Mariæ, non potest ducere Mariam iuxtà communem sententiam, vt vidimus *num.* 54. Et tamen si baptizet in necessitate filium vxoris suæ, non priuatur petitione debiti: Nam hoc impedimentum in iure limitatur ad non coniugatos. Sic ergò qui tenet in baptismo filium vxoris etiam extrà necessitatem, & illicitè, non priuatur petitione debiti: quia sic limitatur hoc impedimentum in eo *cap. Si vir*. Secus est de affinitate per incestum contracta; quàm expresè iura puniunt priuatione iuris coniugalis.

CAP.

CAP. VII. QVÆST. II.

An alij prohibeantur eſſe Patrini?

66 PRohibentur etiam munere patrini moribus infames, & publici pœnitentes, qui propter ſuas culpas publica pœnitentia multati ſunt; donec per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem mereantur reconciliari: Quoniam ante reconciliationem non reputantur idonei tali muneri. Sic decernit *Concil. Pariſ.* 1. *lib.* 1. *cap.* 54. Si tamen de facto deſignentur, validè gerunt munus patrinorum, & contrahunt cognationem. Quia Concilium prohibet actum, non irritat: vt ex verbis ipſius docent *Barboſa de poteſt. Epiſc. part.* 2. *Allegat.* 30. *nu.* 36. *Layman lib.* 5. *tractat.* 2. *cap.* 9. *Palaus tom.* 4. *tract.* 19. *punct.* 11. *num.* 6. *contra Baſilium Legion. lib.* 7. *de Matrim. c.* 37. *nu.* 5. Qui minus probabiliter exiſtimat, non ſolum prohiberi, ſed etiam irritari. Rituale Romanum præter criminoſos, & infames repellit ab hoc munere illos, qui publicè ſunt excommunicati, vel interdicti: Quos admittere ſubindè regulariter erit graue peccatum, niſi cauſa ſufficiens excuſet eam communicationem in diuinis cum ligatis vitandis. Ita *Quintanad tract.* 1. *ſing.* 24. *num.* 5.

67 Item dicuntur prohiberi vir mutus, & muta mulier, vt colligit *Moure par.* 3. *cap.* 2. *§.* 9. *num.* 4. *ex cap. Paruuli de conſecr. diſt.* 4. Cœterum ille textus loqui videtur de patrinis Catechiſmi; nam in baptiſmo præcisè non requiritur reſpōſio patrini. Cum autem regulariter idē ſit patrinus Catechiſmi, & Baptiſmi ſolemnis; communiter patrinus reſpondere debet pro puero, qui baptizatur. De fœminis dubitarunt nonnulli, an poſſint præſtare munus iſtud? Sed certum eſt poſſe, vt conſtat ex praxi recepta, & colligitur ex *cap. Vos ante de conſ. diſt.* 4. Rurſus in *Conc. Nicæno* 2. *cap.* 22. apud Turrianum præſcribitur, vt viri non teneant in Baptiſmo fœminas, nec fœminæ teneant mares; & quidem id prudenter cauebatur in baptiſmo adultorum; nunc in infantibus non ſeruatur.

68 Vrbanus 2. in cap. *Quod autem* 30. *q.* 4. dixit, maritum, & vxorem non debere ſimul eundem puerum in baptiſmo tenere propter maiorem decentiam, & puritatem. Quod in Diœceſi Mediolanenſi ſeruari, teſtatur *Bonacina de Matrimon. quæſt.* 3. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 5. ex ſpeciali prohibitione. *Gallego de cognat. ſpirit. cap.* 9. *num.* 7. dicit, *iure communi ſupra relato prohiberi*; ſubindè *Suar.* 3. *par. quæſt.* 67. *artic.* 8. docet, peccare coniuges ſimul ad hoc munus accedentes, non tamen grauiter: quia materia leuis eſt.

69 Dico tamen primò. Coniuges tenentes ſimul eundem baptizatum, qui ſit aliorum filius, non contrahunt inter ſe cognationem ſpiritualem; alioquin talis actio grauiter ipſis eſſet prohibita. Conſtat ex *Triden. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform. Matrimon.* & id notant *Layman ſup. & Coninch diſp.* 32. *dub.* 2.

Dico ſecundò, quamuis minus deceat, vt duo coniuges ſimul alienam prolem in Baptiſmo teneant, id tamen licitum eſt etiam ſecundum ius antiquum. Nam *Vrbanus* 2. *in eo cap. Quod autem*, non tam ſtatuit præceptum, quam indicat, quid deceat. Ita *S. Thom. in* 4. *diſtinct.* 42. *quæſt. prima artic.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 4. *Angelus, Matrimonium* 3. *imped.* 7. *numero nono. Syluester Matrimonium* 8. *quæſt.* 7. *Nauarrus cap.* 22. *numero* 39. *& alij.* Quin illa minor decentia iam conſuetudine cohoneſtatur; & ita nullam eſſe culpam, docent *Sanchez de Matrimon. lib.* 7. *diſput.* 57. *numero quinto, Coninch quæſtione* 67. *numero* 57. *Layman, & Bonacina ſuprà.*

CAP. VII. QVÆST. XII.

Quot debeant esse Patrini?

70 IVs antiquum præscribebat, vt vnicus adhiberetur patrinus in Baptismo, vel in confirmatione siue vir, siue fœmina. Constat ex *cap. Non plures de consecr. dist. 4. & ex cap. Finali de cognat. spirit. in 6.* Cuius præcepti violationem esse peccatum, etsi leue, quia materia censebatur leuis, docuerunt *Syluester, Rosella, Sotus, Ioannes Andreas, Francus, Dominicus, & alij*, quos refert *Sanch de Matrimon. lib. 7. disputat. 57.* Quinimò multis in locis excusari culpā contraria consuetudine, plures existimabant. Quotquot autem baptizatum tangebant, aut confirmatum quamuis illicitè, contrahebant cognationem, vt habetur in eo *cap. Finali*.

71 At *Tridentinum sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.* permittit, vt vnus, & vna baptizatum suscipiāt. Monet etiam Parochum, vt ab ijs, ad quos spectat, inquirat, quem, vel quos elegerint in patrinos, & eos dumtaxat admittat. Quod si alij vltrà designatos (inquit) baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant. Congruentia fuit, vt generatio spiritualis carnalem imitetur, in qua vnicus pater, & vna mater reperitur. Quare nec duo viri, nec duæ fœminæ possunt esse simul susceptores, vt notat *Sanchez supra.* Videatur *Villalobos to. 1. tract. 5. diffic. 11.*

72 Iam sit dubium 1. An post Tridentinum sit mortale peccatum plures patrinos adhibere, vel admittere? Negant *Ludou. Lopez par. 2. tract. de Matrimon. cap. 41 Sanch. supr.* Quoniam ante Tridentinum erat eadem omninò prohibitio, quàm Tridentinum innouat illis verbis, *iuxta Sacrorum Canonum instituta.* Sed tunc erat solum veniale peccatum iuxta communem sensum Doctorum; ergò nunc etiam est veniale dumtaxat.

Confirmatur: quia ratio prohibitionis fuit, ne multiplicentur cognationes: Sed est valdè probabile præter duos priores diuersi sexus cœteros non contrahere cognationem, vt vidimus *supra num. 19.* & videbimus infrà *num. 77.* Ergò violatio non est tanti momenti, vt constituat culpam mortalem.

73 Probabilius affirmant *Manuel in Sum. tom. 1. cap. 226. num. 1. Vega cap. 33. de Baptis. casu 39. Bonac. de Matrimon. qu. 3. punct. 5. Paragr. 2. num. 32. Coninch. qu. 67. num. 59. Basil. Legion. de Matrim. lib. 7. cap. 39. num. 12. Barbosa cum multis de potest. Episcop. part. 2. Allegat. 30. num. 44.* Probatur: quia Tridentinum nō solum innouat, sed etiam aggrauat antiquam prohibitionem: siquidem Parochum admittentem plures, quàm duos diuersi sexus Ordinario subijcit puniendum, quòd ob culpam leuem non præciperet.

Confirmatur: quia saltem sub opinione multiplicantur cognationes, & impedimenta matrimonij, quæ Concilium summoperè vitare contendit. Ergò non est transgressio leuis. Hinc soluitur oppositum fundamentum.

74 Sit dubium 2. An si de facto plures assignentur, quàm duo diuersi sexus, sint omnes veri Patrini? Negat *Suar. 3. par. qu. 67. artic. 8.* Quia veri Patrini munus requirit designationem, non qualemcumque sed legitimam, & conformem Tridentino; scilicet vnius tantum viri, vel fœminæ, vel ad summum duorum diuersi sexus. Exclusit. n. Tridentinum à munere Patrinorum omnes illos, qui baptizatum tetigerint vltrà designatos nimirum legitimè. Quare si plures viri, vel plures fœminæ designentur in Patrinos; nullus ipsorum erit verus Patrinus, nullus contrahet cognationem; quia nullus est designatus legitimè.

75 Affirmant *Vega, Manuel, Basilius, Sanchez sup. Bonacina num. 25. Coninch. disput. 32. num. 37. Nauarrus cap. 22. nu. 39. Henriqu. lib. 11. cap. 11. num. 12. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 4. Rebellus part. 2. lib. 3. qu. 6. num. 6. & in Appendice post librum 4. sect. 4. numero 96.* referens

Car-

Cardinalium [declaratione. Probatur; quia communis sententia iuristarum in leg. *Non dubium Cod.* de legibus cùm Bartolo in leg. *Prætor ait. ff. de noui oper. nuntiat.* tradit, actum contrà legem valere, vbi lex non addit decretum irritans. Sed *Tridentinum eo cap.2.* prohibet plurimorum Patrinorum designationem, aut duorum eiusdem sexus; non tamen irritat factum contrà talem prohibitionem. Cùm enim addidit clausulam irritantem, solùm comprehendit non designatos, qui tenent; quòad designatos vero, quamvis illegitimè, renouat Sacrorum Canonum statuta, quæ similiter prohibebant plurium designationem, non tamen irritabant, vt constat *ex cap. Fin. de cognat. spirit. in 6.*

76 Dico 1. Si plures Patrini designati non admissi fuerint à Parocho, sed vnus, vel vna, vel duo tâtum diuersi sexus iuxtà Tridentini præceptum; illi tantum erunt Patrini, quos Parochus admiserit. Ita *Sanchez, & Layman sup.* & Doctores nuper relati *n.* præced. planè requirunt ad verùm patrini munus, vt designatos à Parentibus admittat Parochus. Nam iniungens Tridentinum Parochis, vt ad summum admittant duos diuersi sexus, cęteros, & si designatos à Parentibus, legitimè tamen repulsos à Parocho, palam excludit à munere Patrini.

77 Dico 2. si plures quàm duo diuersi sexus designati sint, & omnes admittantur à Parocho, tangantque baptizatum successiuè; primus, & prima tantum erunt veri Patrini; quoniam ipsorum contactu iam munus susceptoris completum est iuxtà formam à Tridentino præscriptam. Ergo reliqui iam sunt incapaces talis muneris gerendi. Sic docent *Suarez, Sanchez, & Bonacina sup.* Quòd à fortiori verùm erit, si duo priores diuersi sexus tangant, cęteri solùm assistant, vt habet *Declaratio Cardinalium apud Layman supra.*

78 Dico 3. si plures quàm duo diuersi sexus designentur, & omnes admittantur à Parocho, simulq; tangant omnes baptizatum (quòd in praxi rarissimum erit) omnes sunt veri Patrini, veramque cognationem contrahunt. Ita tenet communis sententia posita *n.75.* cuius fundamento probatur. Etquidem sic designati, ac admissi cunctas habent côditiones in Tridentino requisitas ad verum Patrini munus; cùm designati fuerint à parentibus, admissi à Parocho, tenuerintq; baptizatum simul cùm cęteris. Ergò quamvis illicitè designentur, & admittantur, verùm gerent munus Patrini, veram contrahent cognationem. Ad fundamentum primæ sententiæ constat ex dictis, non exclusisse Tridentinum à verò munere susceptoris omnes illegitimè designatos. Consonat *Villalobos tom.1. tractat. 14. Diffic. 9. num.13.*

79 Sit dubium 3. An Episcopus dispẽsare possit, vt adhibeantur plures Patrini, quàm duo diuersi sexus? Affirmatunt antè *Tridentinum S. Antoninus, Angelus, Tabienna, Syluester, & alii, quos refert Sanchez sup.* Quia non inuenitur specialiter prohibita dispensatio. Negauit Alexander de Nevo cap. *Contracto n.16. de cognat. Spirit.* Quia iure prohibetur, nec inuenitur Episcopis côcessa potestas dispensandi. Post Tridentinum negant communiter Doctores. *Reginaldus lib.31. num.154. Gallego de cognat. spirit. cap.7. num.9. Sanchez sup. Rebellus in Append. num.8). Bonac. sup. num.33. Barbosa num.41.* Probatur 1. Quia sic declararunt Cardinales teste Rebello sup. Probatur 2. Nam inferior non potest in lege Superioris dispensare, nisi facultas ipsi concedatur expressè. Quare verissima sententia docet, in præcepto Pontificis, aut Concilij Generalis Episcopum dispensare non posse, nisi facultas ipsi concedatur expressè, vel ex more seu praxi censeatur concessa; vel semel, aut iterum, quando necessitas vrget, nec patet aditus ad Pontificem. Sed in hoc casu nulla potest vrgere necessitas, nec dum vtilitas, & nullibi conceditur Episcopo potestas dispen-

dispensandi: Non ergò potest dispensare. Doctores affirmantes antè Tridentinum forsan nitebantur consuetudine tunc recepta, quam planè Tridentinum aboleuit.

80 Demum nota, quæ Tridentinum eo cap. 2. decreuit circa Patrinum Baptismi, pariter intelligi decreta circa Patrinum Confirmationis; in qua subindè debeat tenere vnus, vel vna, vel ad summũ duo diuersi sexus, nec alius præter designatos contrahent cognationem. Quia mens Tridentini fuit vtramque cognationem pariter restringere, ne multiplicentur impedimenta Matrimonij, vt constat ex prohæmio capitis illius. Ita docent *Nauarrus cap. 22. nu. 40. Suarez 3. p. q. 72. art. 10. Sanchez sup. Villalobos num. 19.*

CAP. VII. QVÆST. XIII.

An qui tenet pro procuratorem, sit Patrinus?

81 Consuetudine receptum est, vt magnatos destinent procuratorem, qui puerum teneat in Baptismo nomine destinantis. In quo casu dubitatur 1. An constituens procuratorem gerat per illum verùm Patrini munus? Prima sententia negat: Tenent illam *S. Antoninus, Sotus, Toledo, Lopez, Vitalis, Azor, triplex Ledesma, Manuel, Nauarrus, & Alij plures, quos sequitur Sanch. de Matr. lib.... disp. 59. Henriq. lib. 11. cap. 11. fin. Reginal. lib. 31. num. 156. Villalob. to. 1. tract. 14 Diffic. 9. n. 18. Diana part. 3. tract. 4. Resol. 2.* cùm alijs, qui putant, hanc actionem tenendi baptizatum, aut confirmatum ita personalem esse, vt nequeat validè per alium exerceri. Probatur 1. Quia Canones explicantes actum Patrini, per quem contrahitur cognatio, vtuntur his verbis, *tenet, suscipit, leuat, tangit*, vt vidimus sup. *n. 8.* Ideoque diximus *n. 9.* requiri contactum baptizati, vel confirmati. Et *in cap. de his*, & cap. *Ad limina 30. q. 1.* dicuntur Patrini super se sustinere confirmatum, & proprijs manibus retinendo suscipere. Quæ verba potunt actum purè personalem, vt verus Patrinus sit, & subindè contrahat cognationem.

82 Probatur 2. Quia cùm inducere impedimenta dirimẽtia sit nimis odiosum, inducenda non sunt, vbi non est ius expressum. At iura non exprimunt, posse verùm Patrini munus, & impedimentum cognationis spiritualis induci per Procuratorem, vel nuncium; imò significant contrarium. Ergò non est in hoc dubio talis cognatio diriniens inducenda. Probatur 3. Nam spiritualis cognatio naturalem imitatur cap. *Debitum*. de Baptismo. Sed ad cognationem naturalem requiritur actio personalis; ergò similiter ad spiritualem. Confirmatur 1. Quia cognatio legalis contrahi non potest adoptando per procuratorem leg. *Post mortem 25. §. Nec adoptare. ff. de Adopt.* Sed cognatio spiritualis legalem imitatur; ergò non potest contrahi per procuratorem. Confirmatur 2. Quia si constituas procuratorem, vt nomine tuo baptizet puerum, non contrahis cognationem; ergò nec constituens procuratorem, vt nomine tuo teneat; cùm eadem sit vtrobique ratio. Fatentur aliqui ex Auctoribus huius sententiæ, consuetudine quidem induci posse, vt cognatio contrahatur tenendo per procuratorem: addunt verò, talem consuetudinem non dari, sed admitti Principes ad tenendum infantem per procuratorem, vt amicitia concilietur, non vt cognatio contrahatur.

83 Secunda sententia probabilior affirmat, tenentem in Baptismo, vel Confirmatione medio procuratore, verùm esse Patrinum, & contrahere cognationem. Ita tenent Iuristæ quidam *apud Sanchez* supra, qui dicit, illam esse valdè probabilem. Tenent etiam *Philiarchus de Officio Sacerd. to. 1. part. 2. ca. 11. Sà verb. Matrim. imped. dirim. n. 5. Basilegion. de Matr. lib. 7. c. 39. n. 10. Coninch. disp. 32. n. 40. Rebellus p. 2. li. 3. q. 6. n. 12. & in Append. ad lib. 4. nu. 95. & 96. Barbosa part. 2.*

*part.2. de potest.Episc. Allegat.30.num. 50.Layman.lib.5.part.4.cap.4.numero 5. Bonac.de Matrim.q 3.punct.5. Parag.2. num.34.Hurtado de Matrim.disput.18. diffic.5. Martinus Perez de Matrimon. disp.29 sect.7.*Consonat declaratio Cardinalium apud *Coninch.& Rebellum supra*, & apud *Franciscum Leonem in suo Thesauro part.2.cap.9.num 63.Consonat decisio Rota*, quam refert *Riccius in sua praxi, Resolut.630*. Nec credendum est, Cardinales, & Rotam in re tam graui decipi, & impedimentum astruere, vbi nullum est.

84 Probatur 1. Quia potest quis per alium facere, quod potest per se ipsum, dum id specialiter non prohibetur, *leg.1.§, Rursus ff.de Procurat.& Reg.Potest quis de Regul.iuris in 6.* Sed nullibi prohibemur constituere procuratorem ad patrini munus, vt constabit ex solutione argumentorum; ergò possumus gerere tale munus per procuratorem. Probatur 2. Quia matrimonium, quod est maximè personale, potest iniri per procuratorem, vt habetur in *cap.fin.de Procurat.in 6*. Ergò multò magis munus Patrini. Probatur 3. Nam Ecclesia permittit, & admittit susceptionem baptizati medio procuratore factam: & tamen non permittere baptismum solemnem administrari sine verò patrino. Censet igitur ibi dari verum Patrinum. Atqui procurator non est verus patrinus, vt videbimus *infrà num.88*. Ergò constituens procuratorem est verus patrinus.

85 Ad primum in oppositum respondetur, illos Canones requirere contactum, scilicet proprium, vel alienum proprio nomine factum. Textus in cap. *De his*, & in cap. *Ad limina* referunt, quòd ibi factum erat;non tamen decernunt, aliter fieri non posse. Sicut enim sufficit per alium suscipere;sic per alium tangere. Nec ista susceptio est ita personalis, vt per alium præstari non possit. Ad secundum concessa maiori, negatur minor; dum enim iura non prohibent expressè susceptionem factam per procuratorem,statuunt eius valorem,& cognationem indè resultantem ex communi Reg. *Potest quis 68.& Qui facit per alium 72.de Regul. iuris in 6.*

86 Ad tertium respondetur, cognationem spiritualem imitari naturalem in distinctione generātis,& geniti, quod intendit Pontifex in ca. *Debitum de Bapt.*differt autem ab illa: quia naturalis fundatur in actione physica, quæ non potest alteri committi, spiritualis verò fundatur in actione morali, quæ potest per alium præstari,cum maximè pēdeat ab intentione. Ad primam confirmationem, concessa maiori, negatur minor: Quippè cognatio spiritualis non imitatur in omnibus legalem; hæc enim requirit multò maiorem ætatem in adoptante,quàm habeat adoptatus; secus illa: legalis item ex speciali iuris dispositione nō potest fieri per procuratorem; nō verò sic iura disponunt circa cognationem spiritualem. Ad secundā confirmationem,concesso antecedente,negatur consequētia. Quia Baptismus solius Christi nomine confertur, cuius Minister per se contrahit cognationem. At Patrini munus præstari potest alterius nomine, qui contrahat cognationem. Fateor verò, si procurator reuocatus sit ante susceptionem, constituentem non contrahere cognationem;quia nō exercetur illud munus ipsius nomine, vt notat *Sanch.sup.*

87 Dubitatur 2. An procurator tenens alterius nomine,contrahat cognationem? Prima sententia docet,procuratorem esse verum Patrinum, ac subindè contrahere cognationem. Probatur primò. Nam his procurator actione personali tenet, & tangit baptizatum; quòd equidem constituit verum Patrinum. Probatur secundò. Nam interdum præter intentionem agētis nascitur obligatio: vt habetur *leg. Si is qui §. Si libero.ff.commodati.*Ergò quamuis procurator non intendat nomine proprio tenere, contrahet cognationem, dum tenet de facto. Probatur tertiò. Quia si tibi committat Episcopus, vt ipsius nomine bapti-

baptizes puerum, tu contrahis cognationem; quamuis alieno nomine baptizes. Ergo similiter tenens alieno nomine contrahet cognationem. Ita sentiunt *Ioannes, Andreas, Aretin., Imola, Sotus, Gallego, Toletus, Ledesma, Lopez, Vinaldus, Manuel*, quos refert *Sanchez supra*. Dicens esse satis probabilem opinionē. Limitant *Toletus, & Lopez*, si procurator animum habeat contrahendæ cognationis; secus si non habeat. Nam munus Patrini requirit intentionem illius verè gerendi, vt diximus *num.* 2.

88 Secunda sententia probabilior asserit, procuratorem, quamuis habeat animum gerendi munus Patrini, non esse verum patrinum, nec contrahere cognationem. Ita declararunt *Cardinales teste Nauarro lib.* 5. *consil in fine*; tenent *Abbas, Syluester, Armilla, Rosella, Tabiena, Couarrubias, Henriquez, Sà, Cuccus, & alij*, quos sequitur *Sanch., Coninch, Basilius, Hurtado, Barbosa, Bonacina, Martinus Perez sup. Layman nu.* 4. *Villalobos, & Diana supra cum alijs*. Probatur, quia Procurator non est designatus in patrinum, sed constituens illum, designatio verò requiritur ad valorem susceptionis, vt vidimus q. 4. Quapropter procurator non intendit agere verum patrinum, nec talis muneris obligationem suscipere, sed illam in designantem refundere, cuius nomine gerit actionē: Et quamuis vellet in se suscipere tale munus & onus, nihil ageret defectu designationis.

89 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, non sufficere contactum illum materialem, nisi designatus sit, vt suo nomine teneat infantem. Cum autem in hoc casu designatus sit ille, qui procuratorem mittit, & sufficienter præstet munus suum medio procuratore. Iam hic tangit vltra designatum, & ideò quamuis intendat esse patrinus, nō erit. Ad secundum dicimus, in casu illius legis eum, qui commodauit, voluisse commodatarium obligare sibi, licet falso putarit, illum esse seruum: Vnde nec defecit voluntas ex parte commodantis, nec potestas obligandi commodatarium. At in nostro casu vel deest procuratori voluntas suscipiendi nomine proprio, vel saltem deest potestas, cum designatus ipse non sit, sed alius, qui verè præstat tale munus. Ad tertium negatur consequentia; quia licet accipias iurisdictionem ab Episcopo, semper baptizas, vt Christi Minister, & confers verum Sacramentum, ex cuius collatione cognatio resultat. At alterius nomine tenens exerces nudam Ecclesiæ cæremoniam, quæ ad inducendam cognationem requirit, vt nomine proprio fiat à designato nimirum in patrinum.

CAP. VII. QVÆST. XIV.

Quæ sit obligatio Patrini?


90 RESpondet *S. Thom.* 3. *p. qu.* 67. *art.* 8. teneri patrinum ad instruendum baptizatum in rebus fidei, ac morum, quæ sint eius saluti necessaria. Consentiunt *Suarez, Nuñus, Coninch, eo artic.* 8. *Graffis, part.* 1. *Deces. cà.* 2. *num.* 5. *Reginald. lib.* 27. *num.* 36. *Henriqu. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. *Filliucius tract.* 2. *nu.* 159. *Bonac. de Sacram disput.* 2. *qu.* 2. *punct.* 5. *num.* 18. *Layman lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *Villalob. tom.* 1. *tract.* 5. *difficul.* 11. Sic etiam tradunt *Augustinus in cap. Vos ante de consf. dist.* 4. *Leo.* 3. *in Conc. Mogunt. c.* 47. Probatur; nam id munus, & onus assumit patrinus, cum intendit fieri susceptor; datur enim quasi pedagagus baptizati.

91 Circa quod nota 1. huic obligationi plenè satisfacere patrinum, si semel doceat baptizatum fidem, & doctrinam Christianam 2. Quia non amplius ille paruulus est indigens pedagogo. Sic aduertunt *Suarez, Coninck, Layman supra*. Nec est credendum, hanc obligationem toto vitæ decursu durare, sed solum dum baptizatus rudis existit: Quippè semel instructus egredi censetur statum infantis. Nota 2. teneri patrinum ad hanc instructionem, quando necessitas illam exigit, nempè quando baptizatus habet paren-

parentes infideles, vel suspectos in moribus (vt notat *Syluester verb. Catechismus qu.3.*) vel ita negligentes, vt filium non instruant de necessarijs ad salutem, vt aduertit *Reginald. supra.* Quapropter inter Catholicos rarò, vel ferè nūquam vrgebit talis obligatio; quoniam inter fideles nati, vel educati satis vt plurimum instruuntur à parentibus, aut præceptoribus, aut à publicis catechistis. Ita censent *Doctores citati, & Sá verb. Baptismus nu.*17. dixit, obligationem istam non esse vsu receptam. Hoc tamen ablatum est in editione correcta.

CAPVT VIII.

De recipientibus Baptismum adultis.

1 Vilibet viator, qui non fuerit anteà baptizatus, est subiectum capax baptismi, per quē regeneretur in Christo. Monstrum, quòd ex fœmina, & bruto generatur, non est capax baptismi; quia non est homo, cū ex semine bruti generetur. Si genitum sit ex viro, ac fœmina, capax est baptismi, cum habeat animam rationalem. Si vero duplicem animam habere videatur ex operationum diuersitate; quia constat duobus capitibus, quorum altero dormiente, alterum vigilat; duplex baptismus conferatur. Si dubium sit, an vnicam, vel duplicem animam habeat; quia licet habeat duo capita, vel duo pectora, non apparent operationes diuersæ, baptizetur vnum caput, vel vnum pectus absolutè, alterum sub conditione. Si dubitetur, an monstrum sit rationale, baptizetur sub conditione. Videantur *Suar. tom.3. disp.25. sect.1. Laym. lib. 5. tract.2. cap.6. Bonacina de Sacram. disput.2. q.2. punct.6.*

2 Requiritur in adultis ad valorem Baptismi voluntarius consensus, & intentio recipiendi tale Sacramentū; Sufficit autem voluntas virtualis, aut habitualis, implicita, vel etiam coacta, vt ostendimus *lib.1. cap.4. qu.1.* & habetur *in cap. Maiores de Baptismo.* Vnde fit 1. Valere baptismum collatum dormiēti, qui petiuerat illum ante somnum. Idem est de furioso, vel amente, qui dum haberet lucida rationis interualla, petiuit baptismum ante dementiam. Si verò dubitetur, an amēs petierit baptismum, an compos sui; nec aliàs constet, illum in peccato mortali perstitisse, baptizandus erit sub conditione. Quia melior est baptismus dubius, quàm nullus. At si cōstet, in statu peccati permansisse, non est baptizandus cum hoc obice; ne Sacramentum ministretur indigno. Ita *S. Th. 3. par. quæst.68. artic.12. Henriquez lib.2. cap.24. num.4. Diana part.3. tract.4. Resolut.12.*

3 Si quis prorsùs ignoret Baptismū, illumque recipiat vt balneum aquæ, vel quid simile, non recipit Sacramentum; nam ignorātia facit inuoluntariam receptionem Sacramenti: Secus si talis habuerit aliquam notitiam confusam baptismi; quatenus videlicet sciret, illum ad cultum veri Dei, vel ad eius religionem pertinere, velitq; recipere, quod Christiani recipiunt. Ita *Sotus in 4. dist.5. art.7. Suar. tom.3. disput.24. sect.2. Zambranus de mortis articulo cap.1. dub.7. num.2.* Sic examinandi sunt Æthyopes, aut similes, qui baptizati fuerint in suis Regionibus: Quid videlicet intellexerint, quid intenderint, quando receperunt baptismum. Si re tamen examinata probabile dubium relinquatur de cognitione, vel intentione baptizati, repetendus erit Baptismus sub conditione, iuxtà superius dicta, *cap.4. q.1.* Videantur *Sandoual de Aethyopum salute libro tertio, & Quintanad. tract.1. singul.15.*

CAP.

CAP. VIII. QVÆST. I.

An surdus, & mutus iam adultus baptizari possit?

4 Difficultas procedit in eo, qui natus est surdus,& mutus inter infideles,& iam adultus petit baptismum;quia videt alios baptizari;censendus ne sit habere sufficientem intentionem ad valorem Baptismi,& dispositionem sufficientem ad eius fructum percipiendum? *Ludou. Lopez part. 1. cap. 12. post medium asserit*, quosdam Thomistas inter Indos non ausos fuisse quemdam huiusmodi baptizare; quia nec debitam fidem, & attritionem, nec sufficientem mysteriorum cognitionem habere posse videbatur: ipseque *Lopez monet*, vt ad huiusmodi baptismum consulatur Episcopus, qui cum viris doctis inuestiget, an talis surdus, & mutus ex viuacitate mentis, vel ex inspiratione diuina, vel ex externis Christianæ Religionis exercitijs à se visis hauserit notitiam fidei sufficientem, & dispositionem necessariam ad Baptismum signis exterioribus prodat; alioquin censet, non esse baptizandum.

5 *Moscosus in Summ. tract. 2. capite quinto numero septimo, & Diana part. 5. tractat. 6. Resolut. 1.* docent, si talis de facto baptizetur sine præmisso sufficienti examine; verè tamen habens sufficientem notitiam, & intentionem, valere baptismum, etsi baptizans grauiter peccet ob periculum, quòd subit, baptizandi vel incapacem, vel indignũ. Rursus asserunt, si longè distet Episcopus, vel aditus ad ipsum sit difficilis, posse Parochum cum aliis viris doctis examinare surdum istum, & mutum, illumque repertum cum sufficiente dispositione baptizare. Siquidem Episcopi iurisdictio necessaria non est in isto casu, sed solum examen recepturi baptismum, quòd Parochus doctus, & prudens, seu consulens viros doctos satis præstare potest.

P. Lugo de Sacramentis,

6 *Vega cap. 33. de Baptism. casu 61.* simpliciter asserit, hunc surdum, & mutum fore baptizandum; quia reputat illum capacem instructionis, & dispositionis necessariæ. Idem ego sentio, dum iste possit, (quòd communiter accidet) nutibus explicare, quid sentiat de mysterijs nostræ fidei, quid de Baptismo, quàm doleat de peccatis, & velit in posterum ab illis abstinere, fierique verus Christianus. Sicut muti simul, & surdi, qui nascuntur inter Christianos, nutibus instruuntur, & confitentur, & alia Sacramenta non solum validè, sed dignè recipiunt. Apud infideles equidem requiretur in praxi cautio prudens, & examen diligens. In quo videntur conuenire Doctores relati.

CAP. VIII. QVÆST. II.

An filius sine consensu parentum possit baptizari?

7 Idem est de seruo, qui sine consensu Domini, vel ipso quoque repugnante, baptizari velit. Et respondeo sub distinctione; si constat volẽtem baptizari non habere plenum rationis vsum, non sufficere consensum ipsius, vt licitè baptizetur contra voluntatem parentum, vel Domini, vel habentis patriã potestatem in illum. Quia ius naturale præscribit, vt filius ante rationis vsum, cum non habeat propriam voluntatem, subiaceat curæ, voluntatique parentum; vt de paruulis dicemus *capite nono*.

8 Si verò constat, volentem baptizari, plenum habere rationis vsum, sufficit consensus ipsius, vt valeat, & liceat baptismus contra voluntatem parentum, aut Domini, vel cuiuslibet Superioris collatus. Nam adultus in his, quæ pertinent ad animæ salutem; est sui iuris, & independens ab alieno consensu. Potest igitur baptizari, & ab illorum potestate subtrahi, quorum regimen pariat subuersionis periculum. Ita *S. Thomas 3. par. quæst. 68. articulo 10. Suarez*

Q *ibi*

ibi disput.24.sect.1. Henriquez lib.2.cap. 25.num.3.Reginald.lib.27.nu.68.Tolet. lib.2.cap.21 nu.2.Filliuc.tract.2.nu.154. Vazqu.3.par.disput.155.cap.3. Bonac.de Sacram.disp.2.q.2.punct.6. n.12.Auersa 3.par.q.68.sect.1.fine.

9 Si dubitetur, an vsu rationis polleat, qui petit baptismũ *Sotus in 4.dist. 5.q.1.art.*10.dicit, dum dubium perseuerat, in fauorem Fidei, seu Religionis esse propendendum: itaut si puer velit, & parentes renuant, censeatur habere rationis vsum; è contra verò, si parentes velint, & ipse renuant, censeatur non habere. *Henriquez sup Fauentius verb. Baptismus num.6. & alij putant,* non esse baptizandum, quoniam in eo dubio melior est conditio parentum possidentium. *Bonacina sup. distinguit,* & quando puer iam compleuit septemnium, in dubio de rationis vsu censet esse baptizandum; quod etiam sentiunt *Sà verb. Baptismus num* 11. *& Bartholomæus ab Angelis de Baptis.* §.33. Si nondum impleuit septemnium, non esse baptizandum. Quoniam in septemni, nisi manifestè constet oppositum, præsumitur vsus rationis; non autem ante septemnium, nisi palam appareat, vt cum multis docet *Sanch. de Matrim. lib.1.disputat.16. num.*10.

10 Ego censeo, dum est dubius vsus rationis, expectandum esse, donec ille sit certus: siquidem ex dilatione nullum periculum imminet: ex collatione verò baptismi potest præiudicari patriæ potestati, vel etiam peruersionis timeri iactura, si puer apud parentes infideles remaneat non satis gnarus religionis, & obligationis susceptæ. Si tamen instet necessitas, aut mortis periculum, in dubio baptizandus est inuitis parentibus, dum ipse videtur liberè consentire: quoniam hæc pars tutior est, & salus animæ præponderat in eo casu cuilibet alij iuri, vel periculo. Similiter è contra, si parentes velint baptizari filium, de cuius pleno rationis vsu dubitatur, & ipse renuat: dum non vrget necessitas, non est baptizandus, ne subeatur sine causa discrimen irritandi Sacramentum, si puer verè sit rationis compos, & renuat: vel citò recedendi ab Ecclesia, si non benè sapiens, & repugnans baptizatur: cum in dilatione baptismi nullum graue periculum appareat. At si necessitas vrgeat, baptizetur sub conditione; nam periculum irritandi Sacramentum, aut deserendi fidem, cedunt charitati, qua necessaria media salutis indigenti tàm grauiter impendimus. Ita *Suarez tom. 3. disputatio.25.sect.3. fine Vazqu.3.part. disput. 155.num.36.Coninch.qu.68. num.61. Castro Palaus tom.4.tract.19. disp.1.punct. 6.num.7.*

CAP. VIII. QVÆST. III.

Quàm dispositionem prærequirat Baptismus?

11 SVppono primò. Ad valorem Baptismi nec fidem, nec bonam aliquam dispositionem in adulto requiri: Sic enim instituit Christus hoc Sacramentum independens quoad substantiam ab omni tali dispositione, vt testatur Ecclesiæ praxis, quę quemlibet adultum spontè baptizatum cogit ad seruandam fidem, nec patitur, iterum baptizari: quamuis cum infidelitate, vel hæresi, vel quovis alio peccato receperit baptismum. Vnde non requiritur voluntas supernaturalis recipiendi Baptismum: cum eius valor non nitatur necessario fide supernaturali, sed sufficit naturalis cognitio proponens aliquod humanum motiuum etiam peccaminosum, ex quo velit homo recipere, quòd Catholici recipiunt, etsi priuata fide credat; totum id nullius esse momenti. Et per hunc baptismum fic validum imprimitur character, qui nullam aliam dispositionem exigit in adulto, nisi voluntatem recipiendi baptismum modo dicto, vel alio quolibet. Ita docui *libro primo capite quarto numero* 15. Docentque *S.Thom.3.part.quæst.68. artic.octauo Nuñus, & Pesantius ibi, Auersa sect.5.*

sect.5 initio, Coninch, numero 51. dicens, esse de fide, Suarez tom. 3. disputat, 24. sect. 2. Bonacina cum alijs disp. 2. quæst. 2. puncto 6. num. 24.

12 Suppono 2. vt dignè cuipiam adulto conferatur baptismus, & cum illo gratia tam habitualis, quam Sacramentalis, & dona concomitantia gratiam, quæ sunt effectus baptismi ritè suscepti, præter intentionem recipiendi Sacramentum, saltem habitualem, & implicitam, de qua diximus *numero 2. & 3.* requiri notitiam mysteriorum fidei, præsertim principalium; itaut Catechumenus cognoscat, & credat iuxta suam capacitatem (fide scilicet supernaturali, sine qua impossibile est placere Deo) vnum esse Deum Creatorem rerum omnium; Trinitatem etiam, & Incarnationem cum præcipuis Christi mysterijs. Demum æternam vitam cum meritorum præmijs, & peccatorum pœnis, vt tradunt cum multis *Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 2. & 3. Quintanad. tractat. 1. singul. 15. Auersa supra.* Ideò præmittitur ante Baptismum idonea Catechumenorum instructio. Cæterum vrgente periculo mortis, aut simili necessitate, licitè posset, ac deberet conferri Baptismus cum instructione tunc possibili. Quare licet ministro non constet, illum, qui petijt Baptismum, habuisse fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, nec possit illum instruere; quia reperit eum moribundum, aut amentem, adhuc debet eum baptizare. Quia vel talis explicita fides non est simpliciter necessaria, vel fortasse non defuit. Ita *Zambranus cap. 1. dub. 14. Diana p. 5. tract. 3. Resol. 10. Auersa sup. qui citant alios.*

13 Suppono 3. in adultis requiri dispositionem voluntatis conuenientem sanctitati Baptismi. *Sec Suarez supra & Illsuetus tract. 2. numer. 135.* dixit, esse de fide, qua constat, omnia Sacramenta sanctè tractanda fore. Quam tam recipiens, quam conferens iure diuino tenentur dignè tractare Sacramentum istud; quatenus accipiens non accedat, nisi ritè dispositus; & Minister attendat, ne detur sanctum canibus, nec Baptismus conferatur indisposito, quamvis vrgeat necessitas: Hæc enim non cogit ad medicinam apponendam, vbi nihil pro futura sit ex indispositione subiecti. Quapropter eadem omninò dispositio requiritur ad dignè recipiendum baptismum, & ad omnem eius fructum percipiendum, de qua mouetur quæstio præsens.

14 Et quidem quomodo debeat adultus disponi, quando venit ad Baptismum cum originali duntaxat, diximus *lib. 1. cap. 4. num. 21.* Siquis verò baptizari velit habens simul cum originali peccata venialia solum, non est illi necessaria pœnitentia talium peccatorum, vel ad licitè recipiendum baptismum, vel ad consequendam eius gratiam. Imò quamvis accedat cum actuali complacentia venialium, dum habeat sufficientem detestationem mortalium peccatorum, non propterea grauiter peccat, nec ponit obicem gratiæ; sed verè consequetur iustificationem, & remissionem omnium mortalium peccatorum. Ita docet *S. Thom. 3. p. quæst. 69. art. 9. ad 3,* & notant *Caietanus 3. part. q. 68. art. 4. & Auersa ibi sect. 5.* Quia scilicet sola venialia non impediunt receptionem gratiæ iustificantis, & remissionem mortalium. Ad plenam tamen remissionem ipsorum venialium requiritur illorum etiam detestatio, seu pœnitentia, qualem pro mortalibus assignabimus.

15 In adulto, qui cum originali simul habet actuale peccatum mortale, quidam prærequirunt solam voluntariam receptionem baptismi sine fictione, idest sine affectu peccati mortalis. Alij requirunt veram contritionem; Alij saltem existimatam. Alij veram attritionem; Alij sufficere putant existimatam, vt latè referunt *Suarez tom. 3. disp. 28. sect. 1. & 2. Vazquez 3. part. disp. 158. cap. 1. & 2. Diana part. 3. tract. 4. Resolut. 13. & Nos tetigimus lib. 1. cap. 4. quæst. 2. Cabrera 3. part. quæst. 69. artic. 8. disp. 2.*

naturalis est, & proximum medium ad finem supernaturalem.

19 Tertia sententia docet, dari posse dolorem de peccatis ex naturali motiuo turpitudinis ipsorum, quatenus opponuntur legi naturali, qui sit subindè naturalis, quoad substantiam, & simul sit Donum Dei procedens ex speciali gratia per Christum, ac subindè supernaturalis extrinsecè, sufficiensque dispositio Baptismi. Quia talis dolor, cùm habeat motiuum simpliciter honestum, est actus honestus simpliciter prærequirens specialem gratiam per Christum, sine quo nihil possumus operari simpliciter bonum, sic enim facilior redditur ex vna parte consecutio gratiæ baptismalis. Quippè catechumeni non ita facilè motiuum intrinsecè supernaturale concipient, ac concipere possunt naturale motiuum; & ex alia parte seruatur sensus Conciliorum, & Patrum, qui solùm videntur excludere motum voluntatis omninò naturalem, qui nō procedat ex speciali gratia per Christum, sed ex solis naturę viribus; ac subindè nō sit saltem extrinsecè supernaturalis ex parte principij, finisque remoti. Non autem excludunt à ratione dispositionis sufficientis cùm Sacramēto motum voluntatis pium, & honestū simpliciter; qui licèt sit quoad substantiam intrinsecè naturalis, & supponat cognitionem naturalem quoad substantiam, procedat nihilominus ex speciali gratia per Christum, & ex diuina prouidentia supernaturali, remotèque conducat ad fructum, & finem supernaturalem. Ita docet *Vazquez 3.p.disp.158.n.41.4. cùm alijs Satis indicat Lessius 3.p.q.69.n.13.* dicens, ad dignam Baptismi receptionem in adultis habentibus mortale peccatum, sufficere attritionem, seu detestationē peccatorum propter metum gehennæ, vel turpitudinem ipsorum, vel similem motiuum honestum, quę non sit merè naturalis, sed aliquo modò supernaturalis, quatenus denominetur Dei donum, & impulsus Spiritus Sancti, nec possit solis naturæ viribus haberi.

20 Dico 1. dolorem de peccatis, qui non sit donum Dei procedens ex diuina gratia per Christum, non sufficere ad fructum Baptismi percipiendum, vt ex Concilijs ostendimus *lib.1. cap.4. q.2.n.24.* Videatur præsertim *Trid. sess.6.cap.5.* vbi declarat, cuiuslibet iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendū esse. Quęlibet igitur iustificatio siue cùm Sacramento, siue sine Sacramento contingat, præsupponit dispositionem peccatoris ex diuina gratia per Iesum Christum profectam. Et hoc præcipuè contendunt Authores secundæ sententiæ contrà primam.

21 Vndè fit, dolorem de peccatis ob ipsorum infamiam, vel ob aliud motiuū temporale, nō esse veram attritionem, quæ sufficiat cùm Baptismo gratiā iustificantem inducere. Sic *Vazquez sup. nu. 39. Lessius n.12. & 13.* & Doctores secundæ sententiæ. Probatur; quia talis dolor oritur ex timore mundano, qui tàm malum, quàm bonum affectum causare potest; quare non censetur donum Dei, nec eius specialem gratiam præuenientem exigere; Cùm tamen Tridentinum *sess. 14.c.4.* designans attritionem, quæ cùm Sacramento sufficiat iustificationi, definiat illam esse donum Dei, & impulsum spiritus sancti, nec vllum aliud motiuum assignet dolendi, nisi propter pœnas inferni, vel propter turpitudinem peccati. Non ergò sufficit dolor de peccatis ob ipsorum infamiam, vel ob simile temporale motiuum. Ideò meritò *Coninch. 3.part.quæst.62.num.26.* censet, non posse contrarium vlla ratione defendi.

22 Dico 2. Secunda sententia simpliciter est præferenda; quia communior est, & conformior Concilijs, & Patribus; & eius fundamentum est solidum: Debet enim talis Dolor procedere regulariter à cognitione Fidei supernaturalis, quæ dicitur initium, & fundamentum totius iustitiæ nostræ: Nec Fidem intrinsicè supernaturalem prærequirit nisi voluntatis affectus;

intrinsecè supernaturalis. At tertia sententia non est improbabilis omninò. Nam, vt ostendi latè 1. *p. lib.* 1. *disp.* 40. *cap.* 6. actus etiam naturales quoad substantiam, si sint simpliciter honesti, procedunt ex speciali gratia per Christum, & habent connexionem remotam cùm iustificatione peccatoris, vt satis indicant scripturæ, Patres, & Concilia. Quare poterit hæc extrinseca supernaturalitas simul cùm Baptismo sufficere ad baptizati iustificationem. Et in hoc sensu forte loquuntur *Valentia, Durandus, Paludanus, Richardus*, & alij qui pro prima sententia citantur; atque velle videntur excludere duntaxat necessitatem doloris intrinsicè supernaturalis, vt facilior, ac suauior sit baptizati iustificatio (sic enim loquuntur) non verò necessitatem specialis gratiæ præuenientis, & impulsum spiritus sancti deducentis sic hominem ad salutem æternam. Bonacina similiter, & alij Doctores secundæ sententiæ videntur hoc ipsum sentire; quatenus solùm requirunt attritionem, quæ procedat ex auxilio supernaturali propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, ac istam vocant absolutè supernaturalem, non distinguentes supernaturalitatem intrinsecam, & extrinsecam.

23 Vnde respondetur ad fundamentum primum primæ sententiæ, quamvis Augustinus dixerit, sine Dei auxilio rarissimè venire quempiam ad Baptismum, non tamen dixisse, sine Dei auxilio recipere fructum baptismi. Ad secundum respondetur, illum dolorem secundum se vel indifferentem, esse vel ad summum esse bonum secundum quid, nec auertere voluntatem à peccatis, pro vt oportet ad salutem, ac subinde non esse donum Dei, nec ex speciali gratia per Christum, nec ex supernaturali prouidentia prouenire: Cùm tamen Concilia prærequirant specialem gratiam per Christum, vt pœnitere possimus, sicut oportet ad salutem. Ad fundamentum secundæ sententiæ potest tertia respondere, dispositionem proximam per se sufficientem ad iustificationem, debere talem proportionem habere cùm gratia, sineque supernaturali: Cæterum dispositionem remotam, quæ per se non sufficit ad iustificationem, nisi coniungatur Sacramento, solùm habere debere honestatem simpliciter, & supernaturalitatem extrinsecam ex parte finis, & principij; ac proindè non prærequirere necessariò cognitionem Fidei supernaturalis, sicut nec motiuum intrinsicè supernaturale, sed ex notitia, motiuoque naturali quoad substantiam posse prodire, cùm respectu tamen ad principium, & finem supernaturalem modò superiùs explicato.

24 An in adulto peccatore sufficiat attritio virtualis, diximus *lib.* 1. *c.* 4. *q.* 3. An effectus baptismi minuatur, vel augeatur iuxta dispositionem recipientis, diximus *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 10. & 43. Quomodo per fictionem baptismi fructus impediatur, & recedente fictione recuperetur, diximus *ibi quæst.* 4. & 5. Iam effectus Baptismi breuiter percurramus.

CAP. VIII. QVÆST. V.

Qui sint effectus Baptismi?

25 Varios errores citrà Baptismi fructum refert, & refellit *Auersa* 3. *p. q.* 69. *sect.* 1. Nos breuiter attingemus illos effectus, qui certissimi sunt apud Catholicos. Itaq; primus est character, de quo diximus *lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 6. nec aliquid occurrit addendum. Secundus est gratia iustificans, & virtutes illam comitantes, quæ tàm infantibus, quàm adultis per Baptismum infunduntur supposita sufficiente dispositione, vt constat ex cap. *Maiores* de Baptismum, & *ex Tridentinum sess.* 5. *de peccato Orig. canon.* 5. & *sess.* 6. *cap.* 7. Gratia quoque Sacramentalis, de qua diximus *lib.* 1. *cap.* 3. *numer.* 2. 3. & sequentibus. Videatur *Lessius* 3. *parte quæst.* 69.

26 Ter-

26 Tertius est remissio totius poenae debitae peccatis, vt apertè definit Florentinum in decreto de Sacramentis. Quapropter adultis baptizatis nullam imponendam esse satisfactionem, docent *S. Thomas.3.p.q 68. art.4. Suarez, Coninch, Nuñus ibi*, & sic obseruat antiquissima praxis Ecclesiae, quae baptizatis nullam poenitentiam imponit; nec ad hunc effectum requirit aliam dispositionem, nisi quam praerequirit remissio culpae. Cum secus contingat in alijs Sacramentis, vbi maior dispositio requiritur ad remissionem totius poenae, quam totius culpae. Tollit etiam baptismus omnem irregularitatem praeter eam, quae nascitur ex bigamia. Tollit item omnem infamiam. Ita *Couarr. in Clem. Si furiosus.1.p.§ 2.n.2. Sotus in 4. dist. 6. q.1. art.5.6. & 7. Mourè part. 3. cap. 2. §. 11. num. 1.*

27 Solet in Baptismo nomen imponi baptizato; Quoniam, vt diximus *lib. 1. c. 1. quaest. 6.* Character baptismi signum est domesticorum, siue seruorum Dei. Cum autem serui quondam dominorum nomina frontibus inusta praeferrent, vt indicant Seneca *epist. 35. & Plinius lib. 18. cap. 3.* congruè quidem in Ecclesia fuit antiquo more receptum, vt nomen in Baptismo Christianis imponeretur; sicut in circumcisione Iudaei nomen imponebant circumcisis. *Genes. 21. n.4. Luc.1. n.59.* Sic enim qua die fidelis nascitur per gratiam, eadem mancipatur obsequio diuino per nominis impositionem. Et in lege noua, dum per characteris impressionem designatur stigmate diuino; simul vtiq; renatus ex Spiritu filius Dei adoptiuus, & spirituali signaculo Dei seruus inscriptus, nomen recipit humanum, quo se Dei domesticum, & seruum profitetur.

28 Itaq; debent Parochi, dum baptizant, attendere nominis impositionem, tanquam ceremoniam baptismo connexam; ac subindè curare tenentur iuxta *Catechismum Romanum part. 1. cap. 2. numer. 75.* & Rituale Pauli V. tit. De requisitis in Baptismo, ne baptizatis imponantur nomina fabulosa, vel ridicula, vel obscena, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum, sed quoad fieri possit, sanctorum hominum, quorum exemplis fideles ad piè viuendum excitentur, & patrocinijs protegantur.

29 Addit *Quintanaduenas tract. 1. singul. 22. num. 6.* nec imponenda Christianis esse nomina Sanctorum Hebraeorum, videlicet Dauidis, Moysis, Abrahami, Sansonis, & similium; ne detur occasio suspicandi, prolem, aut eius parentes infectos esse tali sanguine. Nam, vt asserunt *Cassaneus in constitut. Burg. Gerardus singul. 75. Mendosius consf. 76. numero 1.* & alij Doctores, ex nomine nascitur praesumptio, sine suspicio bona, vel mala. Ideò *Vazquez 3. part. disputat. 166. cap. 5.* dicit, cum plura iam nobis suppetant Sanctorum Christianorum nomina, laudabile foré, aliquod illorum assumere, relictis nominibus Ethnicis, aut Iudaicis.

30 Excipiuntur verò nomina Sanctorum Hebraeorum, qui pertinent ad vtrumque testamentum vetus, & nouum, vt sunt Ioannes, Ioachimus, Ioseph, Iacobus, Elisabeth, & similia; sicut etiam nomina, quae licet anteà fuerint Gentilium, modo sunt iam Sanctorum, vt sunt Antonius, Marcus, Adrianus, Maximus, Marcellus. Quaedam item nomina, quamuis non sint Sanctorum, communi praxi nationum aliquarum recipiantur; vt apud Hispanos *Garcia, Mendo, Gomez, Eluira, Violante, Leonor, & similia reperias apud Italos, Gallos, & Germanos.*

31 Si petas; an possit aliquis authoritate propria mutare sibi nomen impositum in Baptismo? Affirmat per se loquendo *Bonacina disputat. 2. quaest. 2. punct. 4. numer. 29.* Quia nullibi prohibetur; imò sic habetur *leg. 1. Cod. de* mutatione nominis. Secus per accidens, si periculum sit fraudis, aut alterius damni, *leg. falsi. ff. ad leg. Corn. de*

falsarijs. Melius tamen est, mutare nomen (quando libeat, aut expediat mutatio nominis) authoritate Principis, vel Episcopi; sic enim cauetur suspicio fraudis, & damni, vt docet Bartholomæus ab Angelo *Dialog.* 2. §. 50. *cum Bartholo, & Gloss.* Sic aliqui solent mutare nomen in Confirmatione, vel etiam in ingressu Religionis; & qui baptizantur adulti, communiter assumunt nomen nouum, relicto priore Mahumetano, vel Iudaico, vel Ethnico, vt significetur nouus viuendi ritus deinceps instituendus.

CAPVT IX.

De Baptismo paruulorum.

1 Nomine paruulorum intelligimus eos omnes, qui rationis vsum nunquam habuerunt, siue propter defectum ætatis, siue propter perpetuam amentiam. Et suppono 1. post natiuitatem ex vtero matris quemlibet esse capacem baptismi, quamvis non habeat vsum rationis, quod docent *S. Thom. 3. part. quæst. 68. ar. 9. Conincb, Pesantius, Nuñus ibi*, & communiter Doctores; esseq; de fide, dicunt *Suarez 3. p. to. 3. disp. 25. sect. 1. Vazquez 3. p. disputat. 154. cap. 1. Auersa, 3. p. q. 68. sect. 1.* Colligitur ex scriptura, *Act. 16. & 1. Corinth. 1.* vbi familiæ quædam referuntur integræ baptizatæ; solent autem in familijs paruuli reperiri. Rursus *Ioan. 3.* Generaliter dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vt ergo paruuli possint introire in regnum Dei, debent recipere baptismum, & eius esse capaces. Consonant textus in *cap. Maiores. De Baptism. in cap. Placuit 1. quæst. 1. in cap. Ecclesijs dist. 68. in Clem. 1. de Sum. Trinit. definitur in Trident. sess. 5. decreto de peccato origin. can. 4. & sess. 7. can. 12. 13. 14.* Ratio sumitur ex institutione Christi per traditionem, & praxim Ecclesiæ patefacta. Congruentiam assignat *S. Thomas:* Quia sicut pueri sine proprio consensu contrahunt originale peccatum ex Adamo; sic congruit, vt sine proprio consensu regenerentur in Christo per Baptismum. Vide *Bellarminum lib. 1. de Bapt. cap. 8. & 9.*

2 Suppono 2. vt infantes recipiant verum baptismum, non requiri propriam ipsorum intentionem, aut voluntatem; nec parentum, aut alterius; sed ipsis sufficere voluntatem Christi. Sic contra quosdam hæreticos, & nonnullos Scholasticos docet *Suarez supra*, dicens, esse doctrinam communem, & certam; quia sine fundamento ponitur vel vsus rationis miraculosus in paruulis, vel necessitas intentionis alienæ: Cum Ecclesiæ praxis ostendat, nunquam Baptismum iterari propter hunc solum defectum. Consonant *Vazquez supra cap. 3. & disputat. 165. cap. 6. Henriquez lib. 2. cap. 24. numero 1. Auersa supra* & plures; qui contra Nouatores alios ostendunt, vt infantes recipiant Baptismi fructum, non egere vel actuali fide, vel simili dispositione. Nam in his, dum ritè baptizantur, Christus supplet intentionem, & dispositionem, & infundit illis fidem habitualem, qua dicuntur habitualiter credere; sicut per spem, & Charitatem infusas dici possunt habitualiter sperare, seu diligere.

3 Suppono 3. non solum licere, sed etiam expedire magis, vt infantes filij Christianorum baptizentur. Sic tradunt *Suarez sup. sect. 2. Vazquez cap. 1. Auersa, sect. 2. Filliucius tract. 2. n. 138. definit Tridentin. sess. 7. can. 13. de Bapt.* Confirmat vsus Ecclesiæ seculis etiam anterioribus communis, vt patet ex Clemente *Rom. lib. 6. const. c. 15. & alijs.* Suffragatur ratio. Quia Baptismus est vtilissimus infantibus, quos ab originali liberat, in Dei gratia constituit, aduersus Dæmonem, & inopinatos incursus tuetur.

Quan-

Quando verò præceptũ baptizandi paruulos vrgeat, dicemus c.10.q.2.

4 Suppono 4. quatuor esse genera infidelium quoad præsens institutum. Primum est eorum, in quos habet Ecclesia iurisdictionem spiritualem; quia receperunt baptismum, aut etiam fidem, à qua postea per hæresim, aut apostasiam recesserunt. Secundum est eorum, qui numquam fuerunt baptizati, nec vllo modo subduntur Ecclesiæ, vel Principibus Christianis spiritualiter, aut ciuiliter. Tertium est eorum, qui subduntur Ecclesiæ, siue Principibus Christianis politicè dumtaxat tanquam vassalli, seu tributarij. Quartum est eorum, qui subduntur Christianis despoticè, tanquam serui, seu mancipia. Circa singula genera proponemus, quæ controuerti possunt. Et nunc circa primum genus sit.

CAP. IX. QVÆST. I.

An licitè Baptizentur Hæreticorum filij?

5 Filios paruulos hæreticorum, vel Apostatarum, conueniunt Doctores, posse, parentibus etiam inuitis, ab Ecclesia ritu Catholico baptizari. Nam Ecclesia ius habet cogendi tales parentes ad seruandam fidem, etiam inflictis pœnis, si pertinaces sint. cap. *de Iudæis distinct.* 45. cap. *Quando*, cap. *Sicut.* 23. *quæst.* 4. Ergo multò magis poterit priuare ipsos potestate, quàm habent in filios, & hos baptizare, subtrahereque parentibus, si periculum adsit peruersionis. Quin ratione natiuitatis ex parentibus baptizatis habet Ecclesia potestatem directam in filios, vt eos in fide possit instruere citra periculum peruersionis. Sic docent *Suarez 3. parte tom. 3. disputat. 25. sect. 3. Coninch quæst. 68. num. 63. Prapositus ibi, art. 10. Auersa. sect. 3. Vazquez disputat. 155. ca. 1. Reginald. lib. 27. num. 68. Filliuc. tractat. 2. n. 141. Villalob. tom 1. tract. 5. difficul. 15. Hurtado de Bapt. disp. 3. diffic. 4. Diana p. 8. tract. 1. Resolut. 1. Bonacina cum alijs disput. 2. quæst. 2. punct. 6. num. 12.*

6 Hæc doctrina procedit, quoties filij separari possunt à parentibus hæreticis, aut Apostatis. At quando separari non possunt, quia liberè permittuntur in illis locis hæretici, vel Apostatæ, non esse citrà mortis periculum filios ipsorum baptizandos, nisi præcaueri possit, ne peruertantur à parentibus, sed potiùs imbuantur fide Catholica; docent *Suar. supra sect. 5. Coninch num. 81. Castro Palaus tom. 4. tract. 19. punct. 6. n. 10. Granado de Sac. controu. 4. tract. 4. disp. 5. sect. 3. num. 17.* Quoniam ex tali baptismo moraliter sequetur, quòd parentes irrideât Sacramentum, & filij posteà deserant fidem susceptam. Vnde Sacramento fit iniuria; & baptizatis magis oberit baptismus, quam proderit.

7 Adhuc *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 6. nu. 12.* (quem sequuntur *Auersa, & Diana supra*) censet, hos hæreticorum filios esse baptizandos, & sic esse praxi receptum in Germania. Probatur, quia periculum peruersionis non est adeò propinquum, aut certum, cum hi baptizati possint ante rationis vsum decedere; siquidem obseruatum est, mori ferè tertiam hominum partem ante septenniũ. Confirmatur 1. Quia plerumque datur spes, vt Hæreticorum filij nonnunquam instruantur fide Catholica, quàm etiam libentius recipiunt, si sciant se à Sacerdote Catholico baptizatos fuisse. Confirmatur secundò. Quia licet ab Hæreticis peruertantur; interdum ignorantia vel inuincibili, vel difficulter vincibili laborant; & ideò pertinaces hæretici nõn sunt, nec fidem baptismalem amittunt; ac subindè saluari possunt, si de peccatis post Baptismum commissis vera contritione doleant. Videatur *Diana par. 3. tract. 4 Resol. 7.*

8 Ego censeo, quæstionem istam ex facto potius pendere, quàm ex iure. Nam si detur probabilis spes, fore vt hi pueri baptizati suo tempore possint instrui fide Catholica, vel illa retenta saluari, baptizari quidem possunt, & sic approbo sententiam *Laymani*. Cæterum si Ca-

si Catholicus nullo modò concipiat hanc spem, debet potiùs abstinere baptismo propter fundamentum Suarij, & aliorum. Nec videtur ad hanc spem sufficere commune periculum moriendi antè rationis vsum, vel communis ignorantia rudium circa veram religionem. Nisi vel puer speciali laboret infirmitate, vel experientiâ particularis loci, personæ, temporis probabile fundamentum sperandi superaddat. Itaque particulares circumstantiæ considerandæ sunt, vt prudenter admonet *Cardin. de Lugo tract. de fide. disp.* 21. *n.* 20. *& sequentibus.*

9 Idem dicendum est, si vnus tantum ex parentibus infidelibus baptizatus fuerit; nam eo ipso subditur Ecclesiæ præceptis, ac subindè deberet, filium suum offerrè baptismo, nec impedire Catholicum baptizare volentem. At attendat Minister, expediat ne baptizare talem puerum iuxtà circumstantias personæ; loci, temporis, ex quibus prudenter colligat, an magis proderit, quàm oberit ille Baptismus? *Ita Diana part.* 8. *tract.* 1. *Resol.* 1. *Præpositus supra dub.* 1. *num.* 44. *Granado, num.* 16. Quòd si parentes deserta fide Catholica, transeant ad Hæreticos; Prælatorum erit, paruulos, qui baptismum receperint, retinere, ne peruertantur ab hæreticis, qui propter hæresim priuantur patria potestate. *Sic Bonacina supra. Sed Layman num.* 11. subdit, hoc in Germania non seruari, propter pacta cùm hæreticis inita maioris mali vitandi causa. Circà secundum genus infidelium sit.

CAP. IX. QVÆST. II.

An liceat filios Infidelium inuitis parentibus baptizare?

10 NOn defuerunt Catholici docentes paruulos filios infidelium, qui nullo modò subduntur christianis, inualidè baptizari, si renuant parentes. Quoniam ad valorem Baptismi requiritur intentio recipientis, quàm cùm infans habere non possit, debet hoc intendere per voluntatem patris, quæ censetur esse voluntas infantis. Quare si pater renuat, deficit equidem intentio necessaria valori Baptismi. *Sic docent Durandus in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 7. *num.* 13. *Marsilius ibi quæst.* 4. *art.* 4. *dub.* 3. *Paludanus, quæst.* 4. *num.* 29. *Capreol. dist.* 5. *quæst.* 1. *articol.* 3. *ad* 1. *& alij.*

11 Hoc reiecimus sup. *num.* 2. cùm communi sententia, quæ docet, hunc Baptismum (quàmvis iniustè collatum, ac subindè cùm graui peccato baptizantis) valere; siquidem adest vera materia, & forma cùm debita intentione Ministri. Nec in infantibus requiritur voluntas propria, cuius capaces non sunt; nec voluntas parentum; sed vtriusque loco succedit voluntas Christi. Sicut enim sine propria, vel parentum voluntate contrahimus ex Adam Originale peccatum, sic sine propria, vel parentum voluntate possunt infantes ab originali mundari per voluntatem Christi, quæ nobis per traditionem innotuit. Et per hæc satis soluitur fundamentum oppositum. *Ita S. Antoninus, & Caietanus* quos sequitur *Vazquez* 3. *part. disp.* 155. *cap.* 6. *Suarez tom.* 3. *disp.* 25. *sect.* 1. *Coninch. quæst.* 68. *nu.* 66. *Auersa ibi sect.* 1. *Bonacina, disp.* 2. *q* 2. *punct.* 6. *num.* 11. *Reginald. lib.* 27. *num.* 68. *Diana part.* 7. *tractat.* 7. *Resolut.* 67. *& alij plures.*

12 Restat difficultas; an isti paruuli licitè baptizentur? Prima sententia generaliter affirmat pro qua referũtur *Scot. in* 4. *dist.* 4. *q.* 9. *Gabriel ibi q.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. *Estius dist.* 6. §. 2. *Lorca* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 12. *disp.* 37 Probatur: quia parentibus nec iure naturali, nec diuino competit potestas remouendi filios à via salutis æternæ: cum potius diuino præcepto teneantur illos ad salutem dirigere, mediaque necessaria beatitudini præbere: subindèque procurare baptismum ipsorum. Igitur qui baptizat eosdem, nullam iniuriam irrogat parentibus, sed potiùs ipsorum obligationi satisfacit, dum filios

lios possit à parentibus separare propter euitandum periculum peruersionis.

13 Secunda sententia docet, licere filios paruulos ab infidelibus furari baptizandos, cum animo tamen restituendi parentibus, quantum patria potestas in illos valere possit arbitrio prudentis. Probatur; quia cum aliter non potest salus proximi procurari, nisi tollendo rem alienam, possumus illam auferre cum animo compensandi. Tunc enim non contrectatur res aliena domino rationabiliter inuito. Sic fugienti mortem, quam aliter euitare non potest, possum equum alienum præbere cum animo soluendi Domino pretium illius. Ergo similiter ad saluandos pueros, qui nequeunt sine baptismo saluari, possumus illos à parentibus auferre baptizandos cum intentione soluendi valorem patriæ potestatis in illos, qua parentes priuantur. *Ita Villalob. to. 1. tract. 5. diffic. 15.*

14 Tertia sententia docet, licere filios infidelium inuitis parentibus baptizare, dummodo non eripiantur parentibus, sed in ipsorum potestate relinquantur; possit ibi præcaueri periculum peruersionis. Probatur, quia licet pater habeat potestatem retinendi secum filium paruulum, & ipsum educandi domi suæ, quo iure non potest iustè priuari, tamen nullum ius habet impediendi baptismum filij. Nec enim ratio naturalis aut præscribit, aut concedit, vt parentes impediat filij baptismum, quem potius ipse, si nosset, deberet filio procurare. Sic docent, *Richardus in 4. dist. 6. art. 3. quæst. 3. Vazq. 3. p. disput. 155. nn. 19. & 22.*

15 Dico 1. non licere filios infidelium secundi generis inuitis parentibus baptizare. Quia ius naturale præscribit, vt infantes ante rationis vsum, cum non habeant propriam voluntatem, commissi sint curæ, voluntatique parentum. Sed hi parentes cogi iustè non possunt ad recipiendam fidem, aut baptismum vt habetur, c. *Qui syncera*, cap. *de iudæis dist. 45.* Ergo nec ipsorum filij possunt contra parentum voluntatem baptizari. Vel enim peccaretur contra iustitiam, si post baptismum subtrahantur parentibus, vel contra religionem, si relinquantur sub parentibus cum periculo peruersionis. Ita contrà primam sententiam tenent communiter Doctores. *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. part. q. 68. art. 10. Vbi Præpositus dub. 2. n. 49. Auersa, sect. 3. Coninch. num. 64. & 69. Suar. sup. sect. 3. Vazq. c. 1. & 2. Reginald. nu. 68. Bonacina punct. 6. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 6. Henriq. lib. 2. c. 25. num. 1. Granado de Sacram. controu. 4. tract. 4. disp. 5. sect. 3. Hurtad. de Bapt. disp. 3. difficult. 4. Amicus to. 7. disp. 11. sect. 7. Dian. p. 8. tract. 1. Resol. 1.*

16 Ad fundamentum primæ sententiæ concesso antecedente negatur consequentia. Nam ipsi quoque parentes debent recipere baptismum, & tamen illos cogere non possumus; quia non committunt iniustitiam, & nemo, qui non sit subditus, cogi potest ad obligationem, quæ non sit iustitiæ, sed alterius virtutis, implendam. At obligatio, quam parentes habent vel recipiendi baptismum, vel illum procurandi filijs suis, oritur ex præcepto diuino, cuius violatio non est contrà iustitiam, sed contrà religionem, vel contra pietatem filijs debitam, ac subindè solum Deum habet vltorem. Addit *Coninch. sup. n. 73.* iuxtà probabilem opinionem parentes infideles non teneri baptizare suos filios ante rationis vsum, vel extremam necessitatem; Nam obligatio talis baptismi solum oritur ex Ecclesiastica lege, consuetudineque recepta, quibus non adstringuntur infideles. Seclusa vero parentum obligatione, palam sequitur, nullatenus posse filium inuitis parentibus baptizari.

17 Nomine parentum intelliguntur in præsenti, qui loco parentum gerunt curam infantium, vt sunt cognati, tutores, & similes. Sic notant Doctores communiter. Item idem est de filijs Catechumenorum fidelium, qui sibi dun-

duntaxat baptismum petunt, nec antea volunt, filios suos, quam se baptizare. Sic notat, *Vazq. sup.* Demum si de facto tales infantes baptizentur etiam per iniuriam, & adueniente rationis vsu separari possint à parentibus, separandi sunt ob periculum peruersionis, quod regulariter subest. Nam hi pueri suscepto baptismo iam sunt Ecclesiæ membra, ipsique subduntur. Ergo debet Ecclesia vitare peruersionem illorum: & per consequens filios à parentibus separate, si non possint aliter euadere periculum peruersionis. *Ita Layman sup. Coninch. n.* 83. *Palaus tom.* 4 *tract.* 19. *punct. Fauct Concil. Tolet.* 4. *can.* 55. *& sequent.*

18 Dico 2. contra secundam sententiam, non licere filium eripere parentib. vt baptizetur, & apud Catholicos educetur, etiam cum animo compensandi valorem patriæ potestatis. Quoniam vbi non adest extrema, vel grauissima necessitas proximi, quæ facit bona temporalia communia, non licet eripere diuiti vestem, aut rem aliam cum animo compensandi valorem ad subueniendum pauperi. Similitèr ergo non licebit auferre parentibus patriam potestatem cum animo compensandi valorem ad baptizandos filios, quorum necessitas extrà mortis articulum non est extrema. Nec Christus voluit, infantes baptizari lędendo ius paternum aliquo modo; quia gratia non destruit naturam, nec eius læsionis valor poterit in praxi prudenter æstimari, vt compensetur. Vnde soluitur secundæ sententiæ fundamentum.

19 Dico 3. Per hoc præcisè, quod filius baptizetur inuitis parentibus, dum modò non extrahatur ex patria potestate, probabile fit, iniuriam non irrogari parentibus contrà iustitiam, vt asserit tertia sententia. Probabile simul est irrogari, vt docent. *S. Thom. & Suar. supr. & Coninch. num.* 75. Quia per talem baptismum filius sub patris potestate constitutus quasi res quædam ipsius, Ecclesiæ subijcitur contra patris voluntatem, ac in ijs circumstantijs constituitur, in quibus debeat parentib. eripi, si possit eripi sine magnis incommodis, quod apertè repugnat iuri paterno.

20 Excipe 1. filium iam rationis compotem, de quo diximus, *cap.* 8. *quæst.* 2. Excipe 2. paruulum existentem in articulo mortis, hic enim baptizari potest etiam contra parentum voluntatem, dum his non inferatur manifesta violentia. Quia tunc parentes sunt irrationabilitèr inuiti, nec præiudicatur patrię potestati, cui mox per mortem infans est eripiendus, & cessat periculum peruersionis. Ita *Reginald. Bonac. Laym. Auersa sup. Coninch. n.* 76. *&* 77. *&.* 78. *Vazq. num.* 22. *& sequent. Henriq. nu.* 2. *Hurtad. diffic.* 3. *Granado sect.* 4. *Trull. de Sacram. lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 6. *Filliuc. tract.* 2. *n.* 144. *Diana part.* 5. *tract.* 3. *Resol.* 10. Debet autem esse desperata vita paruuli, ne postea conualescens aut peruertatur, aut parentibus eripiatur. Si vero de facto baptizetur, & conualescat, eripiendum esse parentibus, (dum commodè possit) censet Coninch. Idem est eadem ratione de filijs infidelium perpetuò amentibus, ex quorum baptismo nec minuitur patria potestas, nec imminet periculum peruersionis. Et quidem si talis baptismus secretò conferri potest, secretus esse debet, si vero nequeat occultè ministrari, adhuc Minister pacificè domum ingressus, nec inferens violentiam, qua parentes lædantur, poterit baptizare morientem, vel amentem, etiam videntibus, & renuentibus parentibus, qui solis verbis resistant, & proscindant Ministrum, aut etiam Religionem Christianam. Nam illud scandalum passiuum non debet impedire medium adeò necessarium æternæ saluti talium infantium, & amentium. Ita *Vazq. Auersa, & alij.*

21 Excipe 3. filios infidelium, qui iure, vel iniuria venerint in potestatem Christianorum, nec restitui possint parentib. Nam hi possunt etiam contra parentum voluntatem baptizari, quia per hunc baptismum nec læditur patria potestas,

cessas, cùm iam sit impedita per separationem filiorum; nec incurritur periculum peruersionis, cùm pueri maneãt sub cura Catholicorum. Ita *Suar. Pazquez Laym. Henriq. Anersa sup. Coninch. nu. 79. cum aliis.*

CAP. IX. QVÆST. III.

Cum alteruter parens est fidelis, aut consentit Baptismo filiorum; an possint infantes altero repugnante baptizari?

22 DIco 1. si alteruter parens sit fidelis, & velit suum filium baptizari, quamvis alter repugnet, licitè baptizatur. *Ita S. Thom. in Addit q. 59. art. 4. ad 4. Vazq. 3. p. disp. 155. ca. 3. Suar. tom. 3. disp. 25. sect. 3. Henriq. lib. 2. ca. 25. n. 4. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 6. Coninch. q. 68. n. 82. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 6. Habetur in cap. Iudæi* 28. q. 1. Probatur; quia quòad educationem prolis, & bonum ipsius procurandum, æquale ius habet mater cùm patre, piaque voluntas in prolis fauorem impiæ præferri debet. Si verò filius natus sit ex vtroque parente infideli, paterque conuertatur ad fidem, filius baptizari debet, & patri tradi, vt habetur cap. *Ex litteris el. 2. de Conuers. infid.* Idem erit proportionaliter, si mater conuertatur: Nam ob fauorem religionis proles apud illum parentem educari debet, cui de subuersione baptizati non subsit periculũ, vt colligitur ex prædicto textu. Si sit vterque parens infidelis, & alter velit baptizari filium ob spirituale bonum ipsius, altero repugnante, baptizari potest, quamvis sola mater consensum præstet, qui cum sit in fauorem religionis, & prolis, præferri debet, vt docent *Suar. Coninch. Bonac. sup.* Cauendum tamen est in omnibus his casibus, ne filij baptizentur cũ periculo vel apostasiæ, vel alicuius sacrilegij; quòd si forsan immineat, vel prius subtrahantur à parente denegante baptismum, vt habetur cap. *Iudæorum* 28. q. 1. vel baptismus omittatur, vt monent *Suarez sup. & Filliucius tract. 2. numer. 144.*

23 Difficultas est, quando parentes infideles petunt, baptizari filios, non quia credant, Baptismum conferre salutem spiritualem, sed ob aliquod temporale commodum: An baptizandi sint? *Syluester Baptismus 4. q. 7. & Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Bapt. cons. 5.* referunt, Sarracenos, & Turcas solere suos filios offerre baptizandos, cum illos vident esse vel energumenos, vel ægrotos; Quoniam experientia nouerunt, à Dæmonis vexatione, vel ab infirmitate per Baptismum liberari; Fratresque Minores periculum mortis incurrere, si denegent talem baptismum; Et addit *Nauarrus* baptizandos esse; nam ex parte paruulorum nulla dispositio requiritur; parentum vero datur consensus, licèt ob finem temporalem.

24 Nihilominus Dico 2. non esse conferendum talem baptismum, si non adsit spes, fore vt infans sic baptizatus educetur in Christiana Religione; nam alioqui magnum subest periculum apostasiæ. Quare propter illud sanitatis corporalis motiuum non est dandus baptismus, nisi vel adulto ritè disposito, vel infanti, quem velint parentes esse Catholicum. Ita *Filliucius; & Bonacina sup. Sic in illo cap. Iudæorum*, decernitur, filios Iudæorum, qui baptizantur, esse separandos à consortio parentum ob periculum peruersionis. Quæ ratio, (*inquit Layman supr.*) consequentèr probat, paruulos filios infidelium, etiam volentibus parentibus, ordinarie baptizandos non esse, si parentibus reddendi sint.

Iam circa tertium genus infidelium sit.

CA-

CAP. IX. QVÆST. IV.

Vtrum filios infidelium, qui subduntur Christianis politicè, possit Ecclesia baptizare parentibus inuitis.

25 AFfirmant, *Scotus in 4. dist. 4. q. 9. Gabriel ibi q. 2. art. 3. dub. 5. Angles de Bapt. qu. 2. art. 2. Villalob. to. 1. tract. 5. diffic. 15. num. 7.* dum id fiat authoritate publica, non priuata. Probatur; nam ad Principem Christianum spectat cogere suos subditos, vt obediant Deo supremo cunctorum Domino. Sed infideles tenentur iure diuino velle filiorum baptismum. Ergo possunt ad illum volendum cogi per legitimum Superiorem; Atque si nolint, poterunt ipsis inuitis filij baptizari, & à parentib. separari, ne peruertantur. Quia Principes habent maius ius in illos infantes sibi subditos, quam ipsorum parentes, & hos priuare possunt pàtria potestate, quoties ista parentes abutuntur in perniciem filiorum, & contra diuinum præceptum.

26 Communis, & vera sententia negat, tam Principem, quam priuatum posse tales infantes inuitis parentibus baptizare. Quia nec ciuilis subiectio tollit à parentibus ius gubernandi suos filios, & secum retinendi; nec ciuilis iurisdictio potest priuare subditos dominio suarum rerum, ac subindè nec patria potestate. Quare non poterit vtique Princeps Christianus filios infidelium sibi subditorum inuitis parentibus baptizare, ne parentibus faciat iniuriam, si filios ipsis eripiat, vt Christianis ritib. imbuantur, vel apostasiæ periculum inducat, si filios baptizatos sub parentum cura relinquat. Ratio præcipua videtur esse voluntas Christi, qui nulli dedit potestatem cogendi quempiam ad baptismum sui, vel suorum, vel eripiendi parentibus filios, vt baptizentur. Hæc vero Christi voluntas colligitur ex Ecclesiæ praxi, quæ nunquam filios infidelium sibi ciuiliter subditorum solet inuitis parentibus baptizare, vel tale factum approbare. Sic docent *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. p. q. 68. art. 10. Caietan. ibi Coninch. n. 69. Auersa sect. 3. S. Antonin. Richard. Capreol, Syluest. Sotus, quos sequitur Vaz. q. 3. p. disp. 155. c. 2. Suar. to. 3. disp. 25. sect. 4. Henriq. lib. 2. c. 15. n. 7. Filliuc. tract. 2. n. 142. Bonac. disput. 2. q. 2. punct. 6. & alij communiter.*

27 Ad fundamentum oppositum respondetur, quando Princeps politicus nequit cogere subditos ad obseruandam aliquam legem, non posse consequenter illos punire propter violationem illius legis. Sicut ergo Princeps Christianus cogere non potest infideles sibi subditos ad recipiendum baptismum, vt habetur c. *Sicut Iudæi. De Iudæis, & Sarrac.* ita non potest illos cogere; vt permittant filios suos baptizari, nec subindè re luctantem punire, subtrahendo filium à parentum potestate. Præsertim si nullo præcepto teneantur infideles baptizandi suos filios paruulos, vt innuimus, *supr. num. 16.*

CAP. IX. QVÆST. V.

Vtrum infantes serui, vel filij seruorum infidelium possint inuitis parentibus baptizari?

28 CIrca quartum genus infidelium prima sententia negat, baptizari posse paruulos seruos, vel seruorum filios inuitis parentib. Probatur; quia iure naturali, & diuino pertinet ad parentes etiam seruos educatio filiorum, & ipsorum institutio circa religionis professionem, cum voluntas filiorum ante rationis vsum contineatur in voluntate parentum. Ergo Domini non possunt sua mancipia hoc iure priuare, sicut nec patria potestate; cum ipsorum dominium extendatur ad officia domestica, similiave decreta iuris ciuilis; non tamen ad ea, quæ ius diuinum naturale concernunt. *Ita Caiet. 2. 2. q. 10. ar. 12. & 3. p. q. 68. ar. 10. Cather. in opusc. de pueris Iudæor. baptizand. eséq; sententiam omniũ Thomist. asser. Dian. p. 2. tract. 15. Res. 45.*

29 Se

29 Secunda sententia communis, & vera docet, posse Dominum infantes suorum mancipiorum infidelium filios inuitis parentibus baptizare, vel offerre ministro baptizandos. *Ita Durandus in 4.dist.4.q.6.& 7.Sotus dist.5.qu.1.art.10.Suarez,& Fillliucius sup. Vazquez c.4. Henriquez num.1. Coninch. num.85. Bonacin.num.12. Turrianus, Valentia, Cabrera, Nuñus, quos sequitur Auersa supra, Granado, Praepositus, Hurtado, quos sequitur Diana supra, & p.7. tract.7.Resol.67.& part.8.tract.1. Resol.1.Reginaldus lib.27.numer.68. Layman lib.5. tract.2.cap.6.q.5.* Probatur; nam omnia iura serui Domino subiacent ob dominium in personam. Ergo ius patriae potestatis, quòd habet seruus in suos filios subijcitur Domino, qui subindè potest filium sui mancipij gubernare, baptizare, Catholicisque ritibus informare. Seruis item infantibus succedit Dominus loco parentum; vndè poterit iure patriae potestatis illos offerre Ministro baptizandos. Hinc soluitur fundamētum oppositum: Quia sicut seruitus priuat mancipia pleno iure propriae libertatis, quòd maius est, sic etiam priuat pleno iure patriae potestatis, quòd minus est, & transfertur in Dominum.

30 Petes 1. An Dominus debeat filiū serui priùs à parente separare, quàm illum baptizet? *Affirmant Durandus, Sotus, Suarez supra, Cabrera 3.p.q.68.art.10.disp.1.concl.4* Quoniam non praecauetur periculum peruersionis, nisi filius à parentibus infidelibus, & ab ipsorum cura separetur. Ideò non peccat Dominus, qui parentes diuendit, aut distrahit in longinquum, vt filios eius, quos habet seruos, tuto baptizare possit; nam ob bonum finem vtitur iure suo. Alij volunt, etiam antè separationem baptizari posse, modo Dominus commodè queat aliter impedire, ne puer baptizatus alienis ritibus, vel erroribus imbuatur. Probatur; quia per hoc nulla fit iniuria parentibus, qui non habent ius absolutū in prolē captiuā, sed depēdens à volūtate domini, subindeque potest dominus illos hoc iure priuare, quamuis prolem ab ipsis non separet, dum aliundè praecaueat periculū peruersionis. Ita *Vazq. Coninch. Diana sup. cum alijs.* Equidem vtraque pars probabilis apparet, & in praxi ferè consonat; Siquidem omnes asserunt, separandos esse tales filios, si quod damnum ipsis immineat spirituale, vel corporale à consortio parentum, aut aliqua Christianae Religionis iniuria timeatur. Regulariter vero vix poterit omne detrimentum huiusmodi praecaueri, praesertim si consortium istud diuturnum futurum sit. *Quare Diana p.7.tract.7.Resol.68.& Auersa sup.* monent, regulariter non esse baptizandam prolem, quam Dominus nequit ab inuito parente separare. Hoc tamen in particulari pendet à circumstantijs, quae prudenter expendi debebunt.

31 Petes 2. An si pater sit seruus, & mater libera, cuius ventrem sequitur partus, possit Dominus patris prolem liberam inuitis ambobus parentib. baptizare? Apud neminem vidi casum; & videtur pars affirmatiua probari fundamento supra posito, n.29. Quippè si patria potestas serui transfertur ad Dominum, hic vtique poterit prolem serui, quamuis liberam gubernare loco patris. At probabilius reputo, non posse, quod saltem conuincit ratio supra facta n.28. Quia dominium extenditur ad ea iura, quae per seruitutem transferuntur in Dominum, cui seruus adquirit, quidquid in bonis adquirit, sed iste filius serui non adquiritur Domino, quia sequitur matrem liberam. Ergo non potest Dominus circà prolem liberam exercere patriam potestatem, sed infantibus seruis duntaxat succedit loco parentum. Adde, prolem istam, cum separari nequeat à parentibus inuitis, remanere communiter expositam periculis, & scandalis.

CA-

CAP. IX. QVÆST. VI.

An quoties possumus filios infidelium inuitis parentibus baptizare, teneamur id facere?

32 PRima sententia generaliter affirmat. Ita *Vazquez 3. par. disp. 155. cap. 7. Torres. 2.2. tom. 1. disput. 53. dub. 2. Diana part. 2. tract. 15. Resolut. 45. & par. 3. tract. 4. Resol. 1.* Probatur, quia charitas ergà proximum obligat nos ad ipsi subueniẽdum, si facilè possumus. Nullum autem est bonum magis proximo necessarium ante rationis vsum, quàm baptismus, quo mundatur ab originali, viamque salutis ingreditur. Ergo tenemur illi conferre baptismum, quoties licitè possumus. Nec nos eximent ab ista obligatione, nisi difficultates, aut incommoda tanti ponderis, vt reddant baptismum hic, & nunc illicitum.

33 Secunda sententia negat. Ita *Caietanus, Sotus, & alij*, quos sequitur *Henriquez lib. 2. cap. 25. num. 1. & 8. Suar. tom. 3. disput. 25. sect. 6. Fillsucius tract. 2. nu. 147. Lorca 2.2. q. 10. art. 12. disputat. 37. Coninch qu. 68. num. 88. Layman libro 5. tract. 2. cap. 6. Bonac. disput. 2. q. 2. punc. 6.* Probatur: quia nisi filij separentur à parentibus infidelibus, baptizandi nõ sunt regulariter, *vt visum est quæstione præcedenti.* Non tenetur autem Dominus separare filium seruum à parentibus infidelibus, aut retinere separatum, vt baptizetur, & Catholicis ritibus informetur; dominium enim non obligat ad retinendam rem propriam, imò dat facultatem alienandi rem pro libito. Nec charitas obligat ad procurandum bonũ alterius etiam spirituale citrà necessitatem extremam cum graui detrimento proprio; quale censetur in præsenti casu puerorum educatio laboriosa, violatio iuris gentium, quòd redemptionem cõcedit captiuis, etiam infantibus, pretijq; redemptionis amissio.

34 Ego censeo generaliter, quoties licitum est, infantes filios infidelium inuitis parentibus baptizare, teneri nos ex charitate baptismum ipsis conferre cum leui nostro, vel alieno detrimento; secus si graue nostrum, vel alienum detrimentum sequatur. Sic est vera prima sententia, & eius fundamentum robustum. Prior pars conclusionis probatur; quia cuilibet grauem necessitatem spiritualem patienti tenemur subuenire, si possumus fine graui iactura, vt docent *Coninch de charitate disput. 25. num. 99. & 100. Suar. de charit. disp. 9. sect. 2. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 9.* Ratio redditur, quia grauis necessitas spiritualis exigit remedium superioris ordinis, quod præferri debet temporali iacturæ leui. Sed infans filius infidelium est in graui necessitate Baptismi, sine quo manet extra viam salutis, & graui periculo damnationis expositus. Ergo dum licitè possumus, & sine magno dispendio baptismum eidem conferre, debemus illum conferre, vel procurare. Posterior pars constat ex *dictis lib. primo cap. 2. num. 25.* Non enim tenemur graui necessitati etiam spirituali proximorum cum graui detrimento nostro, vel alieno subuenire; quia ius conseruandi propriam vitam, & quæ vitæ necessaria sunt, est certè maximè naturale, subindèque non debet postponi necessitatibus etiam grauibus proximorum, quæ quidem frequenter occurrunt.

35 Descendamus ad particulares casus ex hac doctrina decidendos. Primus sit, cum filius infidelium est in articulo mortis, in quo casu *Lorca supra* negat obligationem baptizandi, probat; quia nullus præter parentes tenetur de pueri salute solicitus esse; nec extremè puer indiget, quamdiù per parentes ipsi subueniri potest. Hanc sententiam non audet approbare *Diana*, quoniam ab aliquibus falsa reputatur; & merito: Quia satis indiget extremè, qui non est accepturus remedium à parentibus, & de facto damnabitur, nisi baptizetur ab alijs; & quamuis extraordinarium medium sit, filium infideiis occultè, vel renuente patre baptizare: manifestum dam-

damnationis periculum, cui possumus sine magno discrimine subuenire, videtur ad illud medium obligare. Sic docet, *Fillsuc.tr.2.n.146.& indicat Bonac.sup.*

36 Secundus casus sit, cum alteruter parens est fidelis, & vult, suum filium baptizari, tunc etiam altero repugnante non solum potest, sed etiam debet filius infans baptizari. Sic docent *Authores relati supra num.22.* & probant fundamenta ibi posita. Tertius casus sit, quando Dominus habet captiuum infantem infidelem, quem si baptizare velit, & retinere secum, amittit redemptionis pretium, & subit labores, & sumptus educationis, quos difficilè sustinebit. Tunc licitè potest Dominus hunc puerum baptizare; non vero tenetur, sed potest illum reddere parentibus, vt seruet ius gentium accepto redemptionis pretio, vel ad faciendam compensationem Christianorum captiuorum, vel ad euitandam molestiam, & sumptus educationis, vt asserit, & probat secunda sententia.

37 Quin potest contingere casus, in quo nec debeat, nec licitè possit Dominus infanti mancipio procurare baptismum, vt asserunt vtriusque partis Doctores. *Vazq.sup. Suarez sect.4.* Videlicet quando perpensis circumstantijs timetur prudenter, occidendum esse puerum à suis parentib. priusquam ab ipsis separetur ad baptismum; vel nostros etiam infantes ab infidelibus retinendos, & suis erroribus imbuendos, vel quando milites pauperes, & vagi capiunt infantes infidelium, quos nec alere possunt, nec secum ducere, nec alijs Christianis diuendere, sed moraliter coguntur illos reddere parentib. ne si crudeles sint innocentes occidendo, crudeliores faciant hostes in Christianos. Itaque tale sub esse potest incommodum in baptismo puerorum infidelium, vt debeat omitti; tale vero nonnunquam, vt debeat adhuc conferri, tale demum, vt possit omitti, possit etiam conferri, quod in tali casu magis erit charitati conforme. Quare consideranda sunt omnes circumstantiæ non solum ad discernendum de obligatione iuxta superius dicta, sed etiã ad iudicandũ, quid magis expediat prudẽtiæ, quid magis deceat charitatẽ.

CAPVT X.

De necessitate Baptismi?

1 SVppono 1. aliquid esse necessarium dupliciter, scilicet necessitate medij, vel præcepti. Necessarium necessitate medij dicitur illud, quod necessarium est ad iustificationem, & salutem æternam positiuè; hoc est tanquam positiuum remedium positiuè concurrens ad nostram salutem operandam; qualis est Baptismus respectu peccatorum præcedentium, Sacramentum Pœnitentiæ respectu criminum post baptismum commissorum; auxilia gratiæ præuenientis respectu bonorum operum supernaturalium, sine quorum influxu positiuo non habetur talis effectus. Quædam sic necessaria sunt in re, nimirum gratia præueniens ad primam iustificationem; & gratia iustificans ad glorificationem. Quædam vero sic necessaria sunt in re, vel in voto: scilicet Baptismus, & Pœnitentia. Videantur *sup.dict.lib.1.c.1.n.4.Vazq.3.p.disp.149.c.3.n.32.& disp.152.num.12. Coninch.q.68.nu.12.*

2 Suppono 2. Baptismũ esse simpliciter necessariũ omnib. hominibus ad remissionẽ peccatorũ, vel originalium, vel etiã actualiũ ante baptismũ cõmissorũ, & ad primam peccatoris iustificationem. Colligitur ex *Io.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Definiunt contra hæreticos *Innoc.1. Leo 1. Conc. Florentinum, & Tridentinum sess.7. canon.5. de Baptism.* Confirmatur ratione. Nam omnes nascimur in Originali peccato, quod nõ tollitur nisi per Baptismũ

vt docet, *Tridentin. sess.5. can.4. & 5.* Requiritur ergo Baptismus, quo mundemur, renouemur, regeneremur. Ita *Bellarmin. lib. de Bapt. cap.4. Suar. to.3. disp.27. sect.1. Auersa 3. p. q.68. sect.4.*

3 Cœpit autem necessitas, & obligatio Baptismi, sicut totius Euangelicæ legis post sufficientem Euangelij promulgationem in die Pentecostes factam; Tunc enim Apostoli prædicauerunt Euangelium varijs linguis omni nationi, quæ sub cœlo est; & rogantibus Iudæis *Act.2.* qua ratione possent saluari, iusserunt, eos baptizari, quasi iam hoc esset necessarium. Ita *Bellarmin. sup. c.5. Coninchbrinum n.24. & 27.* Nihilominus Apostoli, dum viuerent, legalia cum Iudæis seruabant pro loci, temporisque ratione, vt Synagoga sepeliretur cum honore, quod ipsorum successores fecisse non legimus. Quare certissimum esse debet, veteres cæremonias esse iam inutiles, & mortiferas, nullibique prodesse circumcisionem ad iustificationem infantium; quamuis ministri, vel parentes ignorent inuincibiliter legem Christi. Videatur *Bonac. de Sacram. disp.2. q.2. punct.2.*

4 Quomodo qui baptismum ignorant inuincibiliter, habeant sufficientia media salutis, pertinet ad materiam de prædestinatione. Adulti si seruarint legem naturalem, recipient speciale lumen, & auxilium, quo se possint ad Deum conuertere, vt cum *S. Thom. & communi sententia docet Bonacin. sup.*

Paruuli vero, quod moriantur ante quam conuerti possint, aut baptizari, non prouenit ex defectu supernaturalis prouidentiæ, sed ex aliquo defectu naturæ, vel parentum, quem Deus, quatenus Author supernaturalis non intendit, sed permittit, vt tradit, *Coninch. sup. n.27.*

CAP. X. QVÆST. I.

Quomodo Baptismus sit paruulis necessarius?

5 Loquimur secluso martyrio. Primaque sententia docet, infantes quibus Baptismus applicari non potest, alio remedio posse saluari, nimirum per fidem parentum ijs applicatam aliquo signo religioso scilicet Crucis, aut simili cum inuocatione Dei, vel Christi vel Trinitatis. Sic enim in lege naturali per fidem parentum infantes saluabantur, sic etiam post legem scriptam fœmellæ, vel paruuli decedentes ante diem octauum hoc medio salutem obtinebant. Ergo similiter in lege gratiæ quando baptismus applicari non potest. *Ita docuit Caietan. 3. p. q.68. art.2.* cuius sententiam, vt parum tutam extrinxit Pius V. in editione Romana.

6 Secunda sententia docet, non secundum legem communem, sed ex peculiari priuilegio Dei nonnullos infantes, quibus non potest applicari baptismus, interdum saluari, vel orationibus parentum, vt docent. *Gerson tomo 3. serm. de Natiuit. Virg. consider. 2. Gabriel in 4. dist.4. quæst.2. art.3. dub.2. vel supplente Deo defectum formæ, vel materiæ, vel intentionis vt docent S. Bonauentur. in 4. dist.3. part.1. artic.2. quæst.2. ad primum Richardus ibi dist.3. artic.2. quæst.3. ad quintum, Alensis part.4. quæst.3. membr.3. art.3. §.2. Antisid. lib.3. tract.3. cap.4. quæst.2.* Fundamentum est; quia Christus potest hoc priuilegium concedere. Possumus ergo piè credere, sic aliquando dispensare, vel ob parentum iustorum deprecationem, vel ad ostensionem gratiæ suæ.

7 Dicendum est, secluso priuilegio martyrij, baptismum re ipsa susceptum esse medium omninò necessarium infantibus, & omnibus illis, qui rationis vsu semper caruerunt. *Ita definiunt Conc. Mileuitanum c.2. Innocent. III. in cap. Maiores, de Baptis. Tridentinum sess.5.*

Decreto

Decreto de Origin.& sess.7.can.5.de Bapt.S.Thom.3.p.q.68.art.2.& q.73.art.3. Scotus, Durandus, Paludanus, Capreolus, quos sequitur Suar. tom.3.disp.27.sect.3. Vazq.3.p.disp.151.c.2.& 3. Laym.lib.5. tract.2.c.6.q.3. Petrus de Ledesma de Bapt.c.7.concl.4. Ratio fuit institutio Christi, quàm ex verbis *Ioan.3.sup.relatis n.3.* & ex Ecclesiæ traditione cognouimus. Cùm enim Baptismum dicat Christus esse simpliciter necessarium, nec infantes habere possint votum illius, sequitur, ipsis necessarium esse baptismum re ipsa susceptum, & omne aliud remedium Originalis culpæ cessasse. Quapropter Ecclesia nunquàm admittit ad ecclesiasticam sepulturam paruulos sine baptismo decedentes. *Et S. Augustinus lib.3. de anima. cap.9.ait.* Noli dicere, noli credere, infantes morte preuentos, antequã baptizentur, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.

8 Vndè fit 1. sententia Caietani, quã aliqui vocant hæreticam, esse saltem erroneam, vt latè discutit *Vazq.supra.* Nec valet Caietani fundamentum; quia Christus Dominus sic instituit Baptismũ in remedium Originalis, vt omne aliud remedium pro lege naturali, vel scripta designatum euacuarit. Fit 2. secundam sententiam temeritatis damnari posse; quia certè nullum infantem sine baptismo decedentem affirmare possumus, vel sperare saluandum citrà particularem reuelationem, vt tradunt *Suar. & Vazq.sup.* Videantur etiam *sup.dicta li.1.c.2 q.9.n.76.* Fit 3. non minus esse necessarium baptismum filijs fidelium, quàm infidelium, vt expresè contrà quosdam Nouatores definit *Tridentin. sess.5.can.4.* Nam vtrique nascuntur in Originali, cuius egent remedio; quamvis enim in parentibus fidelibus sit iam originale remissum, adhuc per carnalem generationem transfunditur in filios, & debet lauacro regenerationis mundari.

CAP. X. QVÆST. II.

Quando vrgeat præceptum baptizandi paruulos?

9 Suppono, licèt nullum sit præceptum expressum diuinum, vel humanum baptizandi paruulos, tamen receptam Ecclesiæ praxim, & consuetudinem instar esse præcepti, quo parentes, & Pastores grauiter obligantur ad baptismum infantium, nec omitteretur sine graui fidelium scandalo. Quòd si parentes, aut tutores Christiani negligentes sint in baptismo suorum infantium procurando, prout debent lege pietatis: Pastores animarum in ea re suam auctoritatem interponere debent lege iustitiæ cogendo parentes, vt suo muneri satisfaciant, vel ipsis inuitis paruulos baptizando. Sic notant *Suarez 3.part. tom.3. disput.25. sect.2. Layman lib.5.tract.2.cap.6.n.9.*

10 Quando verò tale præceptum vrgeat, non est facile definire; Certè si mortis periculum instet, statim debet infans baptizari, quin & antè perfectam natiuitatem, cùm primum exijt pars sufficiens ad baptismum, vt diximus ca. 2. *quæst. 6.* Si non adsit periculum, expectari potest aliquòd tempus, in quo commodè baptizetur iuxtà consuetudinem loci, seu prudentis arbitrium. Ita *Fillincius tract. 2. num.139.* Et quidem *S. Thomas 3.part.quæst.68.art.3.* docet, baptismum paruulorum non esse differendum ob periculum mortis, cui regulariter subsunt infantes. At ex hoc capite non videtur hæc obligatio grauiter vrgere, cùm hoc periculum sit satis remotum, & ei facilè possit ob Baptismi facilitatem occurri, tamen ex Ecclesiæ consuetudine nasci grauem obligationem non differendi diu sine iusta causa baptismum infantium, conueniunt communiter Doctores, *Suarez, Fillincius, Layman supra, Vazquez 3. part. disput.154. numer. 15. Coninch. quæst.68.num.35. Bonacina de Sacram. disp.2.q.2.punct.2.n.6.*

11 Quanta possit esse dilatio, quandoue sit nimia censenda, mortaleque peccatum inducere; prudentis arbitrio relinquunt *Suarez*, *& Vazq. sup.* videntur alij consentire, qui nihil in particulari designant. *Sotus in 4. dist. 5. q. 1. art. 3. & Henriq. lib. 2. cap. 4. n. 1. & 3.* dicunt, vsque ad octauum diem post natiuitatem vel decimum, vel duodecimum posse sine culpa differri baptismum infantis, si diutius differatur sine causa, peccare mortaliter patentem, vel habentem eius vices. *Petrus de Ledesma in tract. de Bapt. cap. 7. concl. vltima* id extendit vsque ad vigesimum diem. Bonacina *sup. & Diana p. 3. tract. 4. Resol. 8.* dicunt, Concilium prouinciale Mediol. & synodum Panormitanam ferrè sententiam excommunicationis in eos, qui non curant infantem ante nonum diem baptizari: Constitutiones aliarum Diœcesum decernunt, intra decem dies a natiuitate paruulos baptizandos esse.

12 Si causa rationabilis subsit differendi baptismum; quidam Doctores apud *Bonacinam* supra docent absolutè, Baptismum differri posse, nullo præfixo termino: *Layman* supra censet posse per mensem, aut sesqui mensem differri, si patrini sint expectandi, vel aliundè baptismi solemnitas talem dilationem exigat. Illud certum est, ob talem dilationem baptismi solemnis non licere puerum baptizare priuatim, vt omissa solemnitas post modum adhibeatur; non enim est licitus baptismus priuatus extra necessitatem extremam, vt docent Armilla *verb. Bapt. n. 45. & Laym. sup.*

13 Censeo pariter, vbi datur præceptum non differendi baptismum infantium vltra nouem, vel decem dies, seruandum esse per se loquendo: Vbi non datur præceptum, attendendam esse consuetudinem receptam, quæ quidem in aliquibus locis extenditur ad duas, vel tres hebdomadas. Qui differret per mensem sine causa, videtur mihi peccaturus mortaliter. Si causa subsit prudenter sufficiens ad maiorem dilationem, aduigilare oportebit infanti, ne morbo, vel incuria sine baptismo decedat: Nec regulariter suberit causa sufficiens ad differendum baptismum infantis vltra duos menses. Quia decens solemnitas communiter poterit intra bimestre patari; Nec accersendi sunt Patrini, qui per se, vel per alios non possint intra tale tempus adesse. *Sic asserit Castro Palans to. 4. tract. 19. disp. 1. punct. 8. n. 4. ferè consonat Auersa 3. p. q. 68. sect. 2. Nec alij, credo, dissentient.*

CAP. X. QVÆST. III.

An adultis sufficiat votum Baptismi?

14 FVerunt tempore S. Bernardi, vt constat ex eius *epist. 77.* qui dicerent, nullum adultum absque baptismo re ipsa suscepto, vel eius vice Martyrio saluari. Sic presse capiebant illa verba Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Hunc errorem reijciunt *S. Bernardus sup. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. p. 6. c. 7.* Quia sicut Martyrium in adultis supplet vicem Baptismi, sic etiam perfecta cordis contritio. Paucis retroannis *Michael Baius Doctor* Louaniensis quibusdam Augustini testimonijs perperam intellectis sibi persuasit, licèt charitas haberi possit per votum Baptismi, non tamen remissionem peccatorum. Sic inter alias huius Doctoris propositiones, *quas Pius 5. & Gregorius 13.* damnarunt, habetur *propositione 31. 32. 33. & 34.* Videtur consentire *Pamelius super Epistolam 54. Cypriani circa finem.*

15 Dico 1. tam ad obtinendam remissionem peccatorum, quam infusionem gratiæ iustificantis sufficit in adultis vera contritio continens in se votum baptismi? Probatur 1. testimoniis scripturæ, quæ pœnitentibus promittunt remissionem peccatorum *Ezech. 18. n. 21. Zachar. 1. num. 3. Malach. 3. num. 7.* Probatur 2. ex Patribus, quorum verba referuntur *de Consec. dist. 4. cap. Baptismi vice cap.* Non dubito, ac alijs,

Proba-

Probatur 3. *Quia Tridentinum sess.6.c.4.* docet, post Euangelij promulgationem neminem à peccatis ad gratiam transferri sine lauacro regenerationis, aut eius voto; & c.7. docet, iustificationem non solum esse remissionem peccatorum, sed sanctificationem, & renouationem interioris hominis. Ergo qui per veram contritionem disponitur ad iustificationem ante baptismum, obtinet etiam remissionem peccatorum. Ideò sententiam istam vocat communem, & certam, *Suarez to.3.disput.27. sect.2.* Veram, & Catholicam, *Vazq.3.part. disp.152. cap.1.nu.3.* sequuntur *Filliuc. tract.2.nu.122. Coninch.qu.68. num.29. Laym.lib.5.tract 2.c.6.q.3.nu.7. Petr.de Ledesm.de Bapt.c.7.concl.2. & communiter Theologi.*

16 Dico 2. regularitèr neminem consequi beatitudinem absque baptismo re ipsa suscepto. Sic *Suar. & Filliuc.sup.* Probantque 1. exemplis, nam *Paulus Cornel. & alij Act.9.& 10.* qui per fidem & contritionem iustificati fuerant, baptizati postea sunt, vt possent consequi vitam æternam. Secundo probant ratione, quia per se loquendo Baptismus re ipsa susceptus, est medium necessarium ad salutem, & obligat etiam adultos sub præcepto, de quo dicemus, *q.sequenti.* Sed adulti regulariter vti possunt hoc medio, & seruare hoc præceptum ante mortem. Ergo regularitèr erit illis necessarium. Quod forsan intendunt Patres, dum indicant, baptismum re ipsa susceptum esse necessarium ad salutem; partim enim exponendi sunt piè de illo, qui baptismum omittit sponte partim capiendi sunt; sicut Dominus, *Ioan.3.& Trid.sess.6.c.4.* de necessitate baptismi, *vel in re, vel in voto.*

17 Si petas; quale votum baptismi requiratur ad iustificationem? Prima sententia docet, ignorantibus baptismum, aut eius necessitatem, sufficere votum implicitum baptismi, quale continetur in actu contritionis, aut amoris Dei super omnia. Sic enim cum auxilio Dei digne peccator dolet, & præstat totum, quod potest. At in cognoscente baptismum, & eius necessitatem, requiri per se votum baptismi explicitum, sine quo vera contritio, vel dilectio Dei non possit haberi. Cum enim adultus baptismum semel cognitum debeat recipere quamprimum, dum illum non recipit, explicitè debet illum expetere, si verè pæniteat, & conuertatur ad Deum ex toto corde suo. *Sic censent Sotus in 4. dist.14.q.1.art.5.Henriq. lib.2.c.3.nu.4. Petr.de Ledesm supr.concl.3.*

Secunda sententia docet, ad comparandam iustitiam in hac vita sufficere votum implicitum baptismi; cæterum ad obtinendam gloriam in alia vita requiri votum explicitum. *Ita Canus in Relect.de Sacram. p.2. & in Relect. de Pœnit.p.1.* sed nullum affert sufficiens fundamentum huius distinctionis.

18 Communis, & vera sententia docet, sufficere semper, & in omnibus votum implicitum Baptismi. *Sumitur ex S.Thom. 3.p. q.68. art.2. & q.69. art.4. ad 2. Tradunt Lessius 3.p.q.68. nu.2. Suar. to.3. disp.27. sect.2. Filliuc. tract.2.n.124. Vazq. 3.p. disp.149.n.32.* Quia dispositio sufficiens ad gratiam haberi potest cum implicito voto Baptismi, quod contritio, vel dilectio Dei continet, vt indicat *Trident. sess.6.c.6. & 7. & Clarius sess.14. c.4.* Siquis enim, etiamsi cognoscat, baptismum esse sibi necessarium, dum instruitur mysterijs fidei, diuinam potius bonitatem attendens, moueatur acri detestatione peccatorum, & vehementi dilectione Dei, quem nunquam se offensurum decernit, quamuis actu non cogitet, aut non exoptet baptismum explicitè, sufficientèr disponitur, vt iustificetur voto Baptismi. Sic omninò tenendum est; & ad fundamentum oppositum respondetur, præceptum baptismi non obligare ad semper explicitè cogitandum, & expetendum baptismum, dum eius susceptio licitè differtur.

CAP. X. QVÆST. IV.

Quando tenentur adulti baptizari?

19 Obligatio procurandi, suscipiendive baptismum duntaxat cadere potest in adultos, qui sunt capaces legis, & præcepti. Fuerunt Hæretici nonnulli, qui negarunt obligationem recipiendi baptismum, *Caiani apud Tertullianum lib. de Bapt. Manichæi apud Augustinum lib. de Heresibus, heresi 46. Massiliani apud eundem heresi* 59. Fundamentum erat; quia *Marc. vltimo* cum Christus dixisset. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Solum adiunxit. *Qui non crediderit, condemnabitur,* & non dixit. *Qui non fuerit baptizatus.* Igitur non imponit præceptum baptismi, sed tantum fidei.

20 De fide tamen est, Baptismum non solum esse necessarium necessitate medij, sed etiam necessitate præcepti, quod iure diuino positiuo latum est, & per consequens omnes adultos teneri sub mortali procurare, ac suscipere baptismum. *Ita S. Thom. 3. p. q. 68. art. 1. S. Bonauentura, Gabriel, Richard. Palud. quos sequitur Suar. 3. p. to. 3. disp. 31. sect. 1. Filliuc. tract. 2. nu. 128. Coninch. q. 68. n. 37. Auersa ibi, sect. 4. Reginald. lib. 27. n. 55. Laym. lib. 5. trac. 2. c. 6. nu. 7. Bonac. de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 2. n. 4. Henriq. lib. 2. c. 3. nu. 6* Probatur 1. ex verbis, *Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Quamuis enim directè præceptum imponatur Ministris, scilicèt conferendi baptismum, ex consequenti tamen obligantur alij recipere, quatenus proponitur vt medium necessarium salutis, & de omni medio necessario, quod est nobis liberum datur præceptum diuinum. Probatur 2. Nam Baptismus institutus est non solum ad remissionem Originalis peccati, sed etiam ad fidem solemniter profitendam, ad ingrediendam Ecclesiam, extra quam non est salus ad participanda Sacramenta, bonaque fidelium communia. Sed sub præcepto tenemur profiteri fidem, fierique membra Ecclesiæ, recipere Sacramenta, procurare salutem æternam. Ergo tenemur etiam præcepto recipiendi Baptismum per quem Ecclesiæ membra facti fidem profitemur, & debitam curam salutis adhibemus.

21 Hinc fit 1. diuinum Baptismi præceptum omnes vbique nondum baptizatos ligare, qui sint præcepti capaces. *Ita Suarez, Filliucius, Reginaldus supra Henriquez libr. 2. capit. 4. numero 5.* Probatur, nam vt Christiana fides, sic illius professio, quæ fit per Baptismi susceptionem, est necessaria cunctis ad ingressum in Ecclesiam, in Christi militiam, & regnum. *Fit 2. iustos, &c.* hoc præcepto teneri; sic Apostoli, sic B. Virgo, sic in vtero matris sanctificati post baptismi promulgationem tenentur illum recipere, quia licèt non sit illis necessarius ad peccati remissionem; requiritur tamen, vt fiant Ecclesiæ membra de corpore Christi, possintque recipere cætera Sacramenta. Sic Doctores citati. Fit 3. teneri pariter infideles, quia Christus habet potestatem excellentiæ super omnes, & verba legis ad omnes diriguntur. Ideò nemo rationis compos iustè potest ab humana potestate impediri, quo minus baptizetur, si velit. Ad fundamentum oppositum respondetur, Christum Dominum in alijs locis satis explicasse Baptismi necessitatem, & obligationem; at in eo loco dixit solum. *Qui non crediderit condemnabitur,* quia contingere potest, vt baptismus in re suscipi nequeat, & tunc sufficiet votum baptismi, cum tamen sine vera fide nullus saluetur.

22 Restat difficultas quãdo nã obliget hoc diuinũ præceptũ baptismi? *Martin. de Ledesm. 1. 4. q. 9. art. 3. dub. 1* putat, iure diuino nullũ esse definitũ tempus, pro quo Baptismi præceptũ obliget; Vnde si nullũ Ecclesia determinauerit, nemo tenebitur ad recipiendũ baptismũ; cũ eius preceptũ pro nullo tẽpore determinatè liget.

liget. Probat exemplo Pœnitentiæ, cuius præceptum, nisi determinatum esset ab Ecclesia pro nullo tempore determinato ligaret. Confirmatur exemplo multorum, qui quondam Baptismi susceptionem vsque ad ætatem maturiorem, vel ad mortis articulum differebant.

23 Dicendum tamen est, præceptum baptismi recipiendi non solùm in articulo mortis obligare, quòd nemo negat, nec negare potest, alioqui liceret discedere sine baptismo; sed etiam obligare non baptizatos adultos, vt post agnitum baptismum, quamprimum commodè possint, instruantur fidei mysterijs, & baptizentur. Ita tenent communiter Doctores, Caietanus *3. part. quæst. 68. ar. 3. Coninch. ibi nu. 37. Auersa sect. 4. Suarez tom. 3. disp. 31. sect. 2. Vazquez disp. 142. num. 35. Henriquez lib. 2. cap. 4. num 2. & 5. Bonac. disp. 2. quæst. 2. punct. 2. n. 5.* Consonant Patres, qui grauiter reprehendunt baptismi dilationem vsque ad vitæ finem, *Clemens Rom. Basilius, & Chrysostomus* apud citatos.

24 Probatur; quia sicut quisque, mox ac vera fides ei sufficienter proponitur, tenetur interius credere, ne fit iniurius diuinæ veritati, sic etiam tenetur statim fidem exterius profiteri iuxtà id Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem*, ne sit iniurius Fidei, quasi confessionem ipsius erubescens. Sed Deus vult, hanc Fidei, confessionem præcipuè fieri per Baptismi receptionem, quò pariter ingredimur Ecclesiam, inserimur corporis Christi mystico, capaces efficimur aliorum Sacramentorum, quæ pertinent ad totum vitæ tempus. Ergo baptismus quàm primum possit dignè, ac commodè, recipiendus est. Confirmatur; quia nisi teneatur adultus, quàm primum commodè potest, baptizari, nullum certum tempus assignari potest talis obligationis vsque ad finem vitæ; nam inter medio tempore non est maior ratio de vno die, quàm de alio. Sed vitæ finis non est expectandus ex cap. *Quando quis de Consecration. dist. 4.* Ergo debet assignari tempus sufficientis notitiæ tàm Fidei, quàm Baptismi, quo secundum moralem æstimationem accepto, tàm Fides, quàm Baptismus suscipi debeant ex diuino præcepto. Alioqui possemus sine culpa per totam vitam extrà Christi corpus, & Ecclesiam sine Sacramentorum vsu permanere: quòd est absurdum.

25 Ad fundamentum oppositum respondetur, diuersam esse rationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac Baptismi: quia Sacramentum Pœnitentiæ solùm in remedium peccatorum institutum fuit. Baptismus autem non solùm in remedium peccatorum, sed etiam ad professionem Fidei, quàm omnes tenentur recipere quàm primum possint, ac profiteri; subindèque debent, quàm primum commodè possint, baptizari. Ad Confirmationem dicimus. Baptismi dilationem in nonnullis ex rationabili causa forsan excusari, vel ex ignorantia probabili; communiter verò fuisse profectam ex indiscreto zelo, nimiaque reuerentia Sacramenti, nimiove timore, ne post baptismi gratiam susceptam, relapsus in peccatum cùm ingratitudinis nota contingeret; subindè non laude, sed reprehensione dignã esse.

26 An verò possit Ecclesia determinare tempus, pro quo Baptismi præceptum obliget? Affirmant *Caietanus supra Sotus in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 3. Petrus de Ledesma tract. de Baptismo cap. 7. conclus 5.* Quia Christus Ecclesiæ commisit Sacramentorum dispensationem, ad quàm pertinet determinatio temporis, quò recipienda sunt. Ergò sicut Ecclesia determinauit tempus, pro quo Pœnitentiæ Sacramentum obligaret, potuit pariter determinare tẽpus, pro quo præceptum recipiendi Baptismum obligaret. Confirmatur: Nam Ecclesia de facto determinauit vigilias resurrectionis, & Pentecostes, c. *Non ratione, c. Duo tempora, c. Proprie de Consecrat. dist. 4.* in quibus Baptismus adultis conferretur. Ergò potest determinare tempus, pro quo Baptismus obliget.

27 Dicendum tamen est, Ecclesiam non posse determinare tempus Baptismi directè præcipiendo Catechumenis, vt certo tempore Baptismum recipiant. Tum quia nondum baptizati non subduntur Ecclesiasticæ iurisdictioni, vt docuit *Paulus 1. Corinth. 5. & Tridentinum sess. 14. c. 2.* Tum etiam quia præceptum Baptismi satis est iure diuino determinatum, vt vidimus *n. 23.* nec Ecclesia potest determinationem diuini iuris immutare: Potest autem præcipere Ministris, vt Catechumenos ritè dispositos tali, vel tali tempore baptizent, & ob maiorem Baptismi solemnitatem, & vt Catechumeni diutius probentur, & magis instruantur. Ita docent *Suarez, & Auersa sup. Vazq. disp. 150. ca. 2. Ochogauia de Bapt. quæst. 15. concl. 1. Hurtado de Bapt. disp. 1. Diffic. 17. Diana p. 8 tract. 1. Resolut. 2.*

28 Ad fundamentum oppositum respondetur, Ecclesiam potuisse determinare tempus, pro quo Pœnitentiæ Sacramentum obliget; quoniam hæc obligatio directè cadit super Ecclesiæ subditos, & ipsa praxis ostendit, reliquisse Christum Ecclesiæ facultatem determinandi tale tempus. At infideles, & Catechumeni directè nō subduntur Ecclesiæ, nec Baptismi præceptum indiget maiori determinatione quoad tempus obligationis, quàm sit determinatum iure diuino. Quare nunquàm Ecclesia determinauit tempus Baptismi directè præcipiendo Catechumenis, sed solùm Ministris, vt diximus; Nec fuit illa determinatio pro paruulis, quibus poterat esse periculosa tanta dilatio, sed solùm pro adultis; & horum etiam baptismus præueniri poterat ob morbum, aut vitæ discrimen, aut ob sufficientem ipsorum instructionem iam notam. Et quidem à multis iam annis Ecclesia quolibet anni tempore baptizat adultos, quos nouit esse sufficiēter instructos. Romæ quidem retinetur mos antiquus baptizandi nonnullos adultos in illis vigilijs; at etiam extrà dies illos baptizantur adulti, quoties expedire videtur, vt notat Auersa. Per quæ soluitur confirmatio, & fit manifestum, Canones illos contraria consuetudine iam abolitos esse: Nihilominus *addunt S. Thomas 3. p. q. 68 art. 3. & Petrus de Ledesma tract. de Bapt. cap. 7. concl 9* nunc etiam peccaturum mortaliter Catechumenum, qui diebus illis oblatam ab Ecclesia Baptismi opportunitatem ommitteret, nisi propter causam iudicio prælatorum sufficientem.

CAP. X. QVÆST. V.

An filios Christianorum adultus cogendus sit ad Baptismum?

29 Contingere potest, vt filius Christianorum ex malitia, vel incuria parentum, vel alia de causa non fuerit baptizatus, & habens rationis vsum nolit baptizari; quæritur; An Ecclesia cogere possit illum, vt baptizetur? *Affirmant Sotus in 4. dist. 5. q. 1. artic. 9 fin. Abulensis Matt. 25. q. 675. Rojas de Hæreticis n. 484. Possevinus cap. 6. q. 15. n. 50.* Probant; nam ille iuuenis antè rationis vsum ratione parentum sic erat Ecclesiæ subditus, vt baptizari posset etiam inuitis parentibus Per hoc autem quò adoleuit, & factus est rationis compos, non magis amittit Ecclesia ius suum in illum, quàm Dominus in seruum, & Pater in filium adultum. Ergo manet Ecclesiæ subditus ex origine, compellique debet ad Baptismum recipiendum; ac si renuat, tanquam Apostata puniendus etiam ignis supplicio.

30 Negant *Henriquez lib. 2. cap. 25. n. 5. & 6. Petrus de Ledesma tract. de Bapt. cap. 8. conclus. 10.* Probatur; quia Fides, & Baptismus semper ab adultis voluntariè suscipi debent, nec Patres permittunt, aliquem ex adultis non baptizatis metu cogi vel ad fidem, vel ad baptismum, cap. *Qui syncera cap. De. Iudæis Dist. 45.* Nec videtur Ecclesiæ praxi conforme, nec expediens, vt reluctantem iuuenem, quamvis

vis filium Christianorum, pœnis adigat ad Baptismum. Quia licet ratione parentum pertineat ad eandem Rempub. ciuilem: at in spiritualibus foris est extra caulam Ecclesiæ sine charactere ouium: & per consequens in illo militant omnes rationes, quibus Doctores probant, nullum infidelem adultum esse cogendum ad fidem, aut Baptismum.

31 Hæc secunda sententia videtur mihi probabilior: non verò tollit, quin parens Christianus compellendus sit, vt adulto filio non baptizato suadeat, & præcipiat fidem, & Baptismum: Princeps etiam, & Episcopus deberent consilijs, precibus, & præceptis compellere iuuenem, vt baptizetur; at sine minis, aut metu. Deus enim non nisi voluntarios milites vult adscribi Christianæ militiæ. Si quis tamen diù putatus est Christianus, & inter Christianos nutritus recipiebat Sacramenta, compellendus erit etiam sub pœna mortis, vt baptizetur: in quo casu veram esse sententiam affirmatiuam, fatetur *Henriquez supra*. Secus si probet, se vi coactum professum esse religionem Christianam, nec interius consensisse, vt docent Doctores *in 4. dist. 4. & 6. & in cap. Maiores §. fin. de Bapt.* Fundamentum primæ partis soluit secunda.

CAP. X. QVÆST. VI.

Quibus de causis possit quis excusari à præcepto Baptismi?

32 Dico 1. Potest ex rationabili causa differri baptismus etiã ab adultis, dum non instat periculum mortis. Ita *Suar. tom. 3. disput. 31. sect. 3. Vazq. 3. par. disp. 149. n. 40. Reginald. lib. 27. n. 57. Coninch q. 68. n. 40.* & Doctores communiter. Probatur, quia præceptum affirmatiuum non obligat cum tanto rigore, quare licet positis omnib. requisitis oriatur statim obligatio, tamen secluso periculo mortis, cum necessitas non sit extrema, propter rationabilem causam differri poterit. *S. Thoma. 3. par. qu. 68. art. 3.* triplicem causam assignat; Primam propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur fictione recipientis baptismum. Secundam, ob vtilitatem ipsorum, qui baptizantur, vt plenius scilicet instruantur. cap. *Placuit.* 10. q. 1. cap. *Ante*, cap. *Non liceat*, cap. *Iudæi de consecr. distin.* 4. Tertiam ad maiorem Baptismi solemnitatem.

33 Illud videtur certum, quo maior fuerit dilatio, grauiorem causam requiri; nec requiri semper grauissimam, sed sufficere grauem, breuis enim dilatio facilius excusatur. Regulariter ex parte baptizandi sufficiet graue periculum vitæ vel honoris, vel fortunarum imminens ipsi ex Baptismo tunc temporis suscepto; vel maior fructus ab illo percipiendus ex baptismo dilato. Ex parte aliorum sufficiet spiritualis vtilitas ipsis prouentura, si Baptismus differatur. Videantur Authores relati.

34 Dico secundò. Baptismus simpliciter omitti non potest, quando non deest suscipiendi facultas. Quare si quis morti proximus nollet baptizari, sed recedere sine baptismo, quem recipere posset, peccaret mortaliter, quia tunc nulla subest excusatio sufficiens, & violatur grauissimum præceptum. Dubitari tamen potest; an si Baptismus ipse mortis periculum inducat, teneatur adhuc homo baptizari? Negant *Suar. supra Granado 3. part. controuers. 4. tract. 4. dispur. 2. numero octauo Sotus, Sayrus, Aragon.* quos sequitur *Diana part. 3. tract. 6. Resolut.* 48. Quia potest homo suæ saluti consulere per contritionem. Cæterum distinguendum est: Vel hic homo sperat viuere diutius, ac subindè postea suscipere Baptismum, & in hoc casu non teneretur tunc temporis baptizari. Nam id non esset omittere simpliciter Baptismum, sed illum aliquandiu differre, quod ex causa licet, vt diximus *num.* 32. Vel hic homo non sperat diu viuere, sed ex baptismo timet aliquam mortis accelerationem, & in hoc casu tenetur vtique baptizari.

Quamuis enim adulti non indigeant extremè baptismo, sicut paruuli, cum possint sibi per contritionem subuenire; tamen tantùm est Baptismi bonum, & tanti refert illa maior securitas salutis; ac aliundè tam modicum est detrimentum alicuius accelerationis mortis, vt debeat præferri bonum animæ, suscipique Baptismus in hoc euentu. Sic *Azor tomo primo libro primo cap. 11. quæst. 2. Henriquez lib. 2. cap. 4. num. 3. littera Q. Auersa quæst. 68. sect. 4.* Et id fatentur etiam *Suarez, ac alii*, qui communiter asserunt, ob maiorem mortis certitudinem, aut accelerationem baptismum adulti, vel infantis omittendum non esse.

35 Si vitæ discrimen sit violentum, vt si tyrannus mortem minetur danti, vel recipienti Baptismum, quoties id cedit in odium Christianæ Religionis, tenemur potius mori, quam omittere baptismum. Quando verò non fit in odium Religionis, potest sine peccato differri baptismus in aliud tempus commodius. Ita *Granado, & Auersa sup. Diana par. 5. tractat. 3. Resol. 9.* & nos in simili diximus *li. 1. cap. 1. quæst. 5.* notantes, communiter istam comminationem censeri factam in odium fidei.



LIBER TERTIVS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPVT I.

De natura Confirmationis.

1 Onfirmatio sic dicta, quia baptizatos confirmat, & roborat in fide per Baptismum accepta. Sacramentum est nouæ legis à cæteris distinctum. Sic definit *Melchiades Papa in cap. Spiritus Sanctus de consecr. dist. 5. & Tridentinum sess. 7. can. 1. de confirmatione.* Sic docet *S. Thom. 3. p. q. 72. art. 1. Coninch ibi num. 3. Lessius num. 2. Auersa sect. 1. Martinon disp. 27. sect. 1. & 2. Bellarminus de confirm. cap. 4. qui satis refellunt Nouatores.*

2 Qui negant Confirmationem esse Sacramentum, volunt, esse ceremoniam institutam a Melchiade Papa. Sed hæretico falluntur spiritu: nam ante Melchiadem Apostoli conferebant baptizatis Sacramentum Confirmationis impositione manu tanquam signo diuinitus instituto ad communicandum Spiritum sanctum, vt habetur *Act. 8. & 19.* Tunc autem ad maiorem consolationem fidelium, & propagationem Fidei dabatur Spiritus sanctus aliquo signo visibili exterius apparente; deinceps verò datur inuisibiliter gratia diuina: Et hæc est essentia Sacramenti nouæ legis, vt sit signum sensibile significans, & conferens gratiam. Vnde refelluntur etiam *S. Bonauentura in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. & 2. & Alensis parte 4. q. 24. memb. 1.* qui putarunt, in Concilio Meldensi fuisse institutum Sacramentum Confirmationis ex instinctu Spiritus sancti. Nam hoc esse falsum, ostendimus *lib. 1. cap. 1. numer. 5.* probantes, omnia Sacramenta immediatè fuisse a Christo Domino instituta, quod definit *Tridentinum sess. 7. can. 1.* de Sacramentis. Quamuis enim in scriptura non habeamus institutionem huius Sacramenti manifestam, ex illa tamen satis colligitur, & per apertam traditionem probatur. Consonant *Auersa supra Coninch num. 17. Layman lib. 5. tit. 3. cap. 1.*

3 Circa tempus institutionis varij sunt Doctores. Verisimilius est, hoc Sacramentum in vltima cœna fuisse quoad materiam, & formam institutum: Cum enim ibi Christus sæpè promiserit Apostolis Spiritum sanctum, credibile fit, simul eos docuisse, quo modo singulis fidelibus hic Spiritus conferendus esset. Ita Fabianus Papa testatur *epist. 2. cap. 1. docent Sotus in 4. dist. 7. quest. 1. ar. 1. Victoria in summ. num. 40.* Post resurrectionem verò collatam Apostolis fuisse potestatem ministrandæ Confirmationis, quando fuerunt Episcopi creati verbis illis *Ioa. 20. Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos*, ac subindè completa fuisse Confirmationis institutionem designatis eius ministris. Vt docent *Auersa supra, Martinon num. 2. Lessius num. 7. Coninch num. 23. Suarez tom. 3. disp. 32. sect. 2. Bonac. de Sacram. disp. 3. q. 1. punct. 1.*

4 Definitiones Confirmationis plures circumferuntur; omnes ferè reddunt hunc sensum. *Confirmatio est Sacramentum ad perfectam velut ætatem vitæ*

Spiri-

spiritualis, & animæ corroborationem institutum, constans vnctione chrismatis, quo Episcopus inungit frontem baptizati sub certa forma verborum. In hac definitione continentur materia proxima, & remota, forma, Minister, & effectus Confirmationis. Singula singillatim discutiemus.

CAP. I. QVÆST. I.

Quæ sit materia remota Confirmationis?

5 MAioris claritatis gratia sit dubium primum. An materia sufficiens Confirmationis sit impositio sola manuum Episcopi. Affirmarunt olim nonnulli Canonistæ, quos refert *Marsilius in 4.quæst.5. art.* 1. Probatur, nam in sacris litteris leguntur Apostoli confirmasse per solam manuum impositionem. *Actor.8.& 19.* ac interdum ita fecisse, concedit *S.Thomas 3.p.quæst.72. art.2. ad* 1. & significat *Innocentius.3. in cap.cum venisset,de sacra vnct.dicens*, per frontis chrismationem designari manus impositionem, quam faciebant Apostoli. Et idem in vsu fuisse tempore Arausicani sub Leone I. docet Sirmondus in Antirrhetico, *num.*10. motus verbis Canonis 1. à se correcti, & explicati, vbi præcipitur, vt siquis in Baptismo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, sed manus tantum ab Episcopo ipsi imponatur. Quod item confirmat quibusdam verbis *Hieronymi, Gennadij, Hilarij, Augustini*, qui Cõfirmationem vocant manus impositionem.

6 De fide tamen tenendum est, materiam remotam Confirmationis esse chrisma, sic enim apertè definit Florentinum; antiquiora quoq; Concilia, Pontifices, & Patres, quoties de Confirmatione loquuntur, satis exprimunt, illam vnctione perfici Fauet scriptura. 2. *Corinth.* 1. *Qui confirmat nos Deus, & vnxit nos*. 1. *Ioan.2. vnctionem, quam accepistis, maneat in vobis*. Accedit praxis ab initio nascentis Ecclesiæ. Vnde Sacramentum istud appellari solet chrisma, seu chrismatio, quæ voces latinè sonant vnguentum, vel vnctionem.

7 Ad fundamentum oppositum respondetur, quando *S.Thomas* ibi relatus concedit, Apostolos aliquando per solam manuum impositionem hoc Sacramentum ministrasse, vel potius sine Sacramento communicasse ipsius effectũ, asserere simul, id factum esse per specialem Christi concessionem. Sic etiam *Scotus, Durandus, Richardus, Sotus cum alijs in 4.dist.7.* dicunt, quando dabatur Spiritus sanctus visibiliter, datum fuisse per solam manuum impositionem (vtiq; sine Sacramento) sed quando dabatur inuisibiliter diuina gratia, datam fuisse per ordinariam administrationem huius Sacramenti; quod non tollit, quin materia remota Confirmationis sit chrisma. Quin adhuc *Vualdensis, Bellarminus, Suarez, Valentia, Coninch*, quos sequitur *Auersa.3.par.quæst.72.sect.1.fin*, putant, nunquam Apostolos communicasse Sacramentum Confirmationis, aut eius effectum sine vera materia, & forma talis Sacramenti. Licet enim scriptura solum exprimat manus impositionem, non tamen negat, fuisse factam vngendo baptizati caput in fronte; aliundè verò constat ex Antiquorum testimonijs, sic ab Apostolis fuisse factum.

8 Certè Patres Apostolorum coætanei, vel proximè successores, nempè *Dionysius de Eccles.hierarch.cap.4. Clemens Rom.lib.7.const.cap.44.& 45. Fabianus Papa, epist.2.* testantur Apostolos vsos fuisse chrismate in hoc Sacramento, quamuis S. Lucas scribens compendiosius vnctionem non expresserit, sed impositione manus inuoluerit; Nam ipsamet inunctio frontis, vt ab Episcopo fit, manus impositio quædam est. Vnde sancti Patres indifferenter hoc Sacramentum nunc vnctionem, nunc manus impositionem appellant, quasi hæc duo nomina circa rem istam significent idẽ. Canon primus Arausicani satis obscurus

rus est tum ob lectionum varietatem, tum etiam ob verborum perplexitatẽ, ita vt nihil certum indè colligi possit, quantamcumque lucem ei conetur afferre Sirmondus, cui non fauent Patres ab ipso citati: Confirmationem enim vocant manus impositionem, quæ scilicet fit vnctione frontis, vt diximus, & satis indicat Innocentius 3. in eo cap. *Cum venisset*. Interpretationem Sirmondi refellit *Martinon 3. p. disp. 27. nu. 27.* tanquam contrariam *Innocentio 1.* & *Leoni 1.*

9 Cum nomen chrisma, quòd vsurpant Patres, & Concilia, significare possit quodlibet vnguentum, sit dubium 2. Quale sit essentiale Sacramento confirmationis? Prima sententia docet oleum esse materiam essentialem, & sufficientem huius Sacramenti, mistione m autem balsami solum requiri necessitate præcepti. Sic censent *Caietanus 3. parte q. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. 7. qu. 1. artic. 2. Nauarrus cap. 22. num. 8. Couarrub. lib. 1. variarum, cap. 10. num. 4. Valentia tom. 4. disput. 5. q. 1. punct. 2. Philiarcus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 1. cap. 11. Victoria in Sum. num. 40. Monte par. 3. cap. 3. § 2. num. 3. Viualdus, & alij*, quos sequitur *Barbosa, de potestate Episcopi, Allegat. 31. num. 3.* Probabilem esse, dicunt *Sà, verbo confirmatio num. 7. Ioan. de la Cruz in Direct. part. 12. de confirm. quæst. 72. dub. 2. Filliuc. tract. 3. num. 11. Lessius 3. par. q. 72. num. 12. Trullenc. de Sacram. lib. 2. cap. fin. num. 6. Diana part. 3. trac. 4. Resol. 23. & part. 8. tract. 1. Resolut. 49. & Nos lib. 1. cap. 1. num. 52.*

10 Probatur 1. ex ca. *Pastoralis de Sacram. non iterand.* Vbi rogatus Innocentius 3. An Sacramentum confirmationis iterari debeat in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo simplici fuit vnctus? respondit, non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissum. Ergo supponit missionem balsami nõ esse necessariam ad Sacramenti valorem, aliàs iterandum esset. Probatur secundò. Nam chrisma, quod est materia necessaria confirmationis, interdum apud Patres significat solùm oleum benedictum. Videantur *Cyprianus epist. 70. Augustin. lib. 5. de Bapt. cap. 20. Innocentius 1. epist. 1. cap. 3.* Probatur tertiò. Quia credibile non est, pauperrimos Episcopos in Ecclesia primitiua balsamum habere potuisse, quo forsan etiam hodie multi carent, inquit *Caietanus*. Et quidem cum oleum sine balsamo significet sufficienter effectum confirmationis, non fit verisimile, Deum eius essentiam astrinxisse rei, quæ necessaria non est, & alioquin est cognitu, paratuque valdè difficilis. Materia enim Sacramenti communissimi debet esse communissima, & facilè parabilis; Verum autem balsamum est cognitu difficillimum, & rarissimum.

Probatur quartò. Quia de facto tam modica fit admissio balsami, vt plurimas olei partes non tangat, ac tandem in oleum conuertatur. Vnde sequitur, sępè materiam confirmationis esse solum oleum sine substantia balsami.

11 Secunda sententia docet, vnguentum essentiale confirmationi fieri posse vel oleo solo, vel solo balsamo. Ita *Canus apud Valentiam supra*. Quod solum oleum sufficiat, probatur fundamentis primæ sententiæ. Quod verò sufficiat solum balsamum. Probatur, quia Concilium Florentinum de vtroque loquitur eodem modo; Similiter Patres non magis requirunt oleum, quàm balsamum, & par ratio videtur vtriusque ad significandum effectum huius Sacramenti. Sicut ergo sufficit oleum sine balsamo, sic etiam sufficiet balsamum sine oleo.

12 Tertia sententia communior, & probabilior asserit, materiam necessariam confirmationis esse simul oleum, & balsamum admistum, ita vt alterutro deficiente, non fiat Sacramentum. Ita *S. Thom. 3. par. q. 72. art. 2. vbi Thomistæ communiter, Suar. cum multis to. 3. disp. 33. sect. 1. Coninch. qu. 72. n. 30. Lessius ibi num. 8. Auersa sect. 2. Basil. Legio. de confirmat. part. 2. cap. 2. num. 4. Bonacina,* de

de Sacr. disp. 3. qu. 1. punct. 3. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 2. Villalobos tom. 1. tractat. 6. diffic. 2. Zambranus cap. 2. num. 2. Palaus tom. 4. tract. 20 punct. 2. Diana supr. cum aliis. Et Petrus Arcudius lib. 2. de confirmat. cap. 5 dicit, materiam confirmationis etiam apud Græcos esse balsamum, & oleum, quibus alia multa miscet aromata, vt habetur in ipsorum Euchologio. Sed fatentur, oleum, & balsamum dumtaxat essentialiter requiri.

13 Probatur 1. Quia Concilium Florentinum definit, confirmationis materiam esse chrisma confectum ex oleo (scilicet oliuarum) quod nitorem significat conscientię, & balsamo, quòd odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Pariter ergò requirit Concilium oleum, & balsamum, cũ sine distinctione loquatur. Sed oleum in omnium ferè sententia censetur esse materia necessaria confirmationis; ergò balsamum similiter. Et quidem materiam Calicis idem Concilium non dixit, esse quid mistum ex vino, & aqua; sed esse vinum, cui ante consecrationem aqua modicissima misceri debet; satis indicãs diuerso modo loquendi, diuersimodè requiri balsamum ad confirmationem, ac aquam ad consecrationem Calicis.

14 Probatur secundò. Ex vsu communi Ecclesiæ à temporibus etiam Apostolorum: Semper enim teste *Fabiano Papa epist. 2.* Sacramentum confirmationis ministratum est cum chrismate, quòd ex oleo, & balsamo mistis constaret. Ergò signum est, illam esse materiam necessariam huius Sacramenti. Non enim id seruatum fuisset apud Latinos, & Græcos tàm constãter, & generaliter, etiam quando propter necessitatem permittebatur Presbyteris confirmare, nisi simpliciter necessarium, & essentiale iudicaretur. Oleum quidem esse debet oliuarum, quòd appellatur oleum simpliciter. Balsamum sufficit vel Syriacum, vel Indicum; quia Paulus III. & Pius Quartus declararunt, Indicum esse verum balsamum sufficiens ad chrisma confirmationis conficiendum, vt notant *Suarez supra Coninch num. 41. Palaus num. 4.*

15 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, Innocentium Tertium de pluribus Sacramentis (scilicet ordinis, & confirmationis) interrogatum, an deberent iterari propter aliquem defectum; quia Subdiaconatus datus fuerat sine manuum impositione, confirmatio verò fuerat oleo simplici facta, breuiter, & confusè de omnibus simul respondisse. In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Quæ verba quoad confirmationem significare nequeunt, vnctionem adhibendam esse solius balsami; quia talis vnctio Sacra numquam in Ecclesia fuit vsitata; deberetque fieri balsamo benedicto, cum tamen numquam in Ecclesia benedicatur balsamum nisi cum oleo mistum. Igitur voluit Pontifex, vt vnctio chrismatis, quæ prętermissa fuerat, adhiberetur: Et quia forma fuerat verbo tenus prolata, quoad sensum autem essentialem omissa, vel falsò prolata, voluit quoque Pontifex, illam adhiberi. Quippe verè decreuit, nihil quòd validè factum fuisset, iterandum, siue sit essentiale, vel accidentale. Secus verò quòd vel omninò prętermissum est, vel inualidè factum. Nam hoc rectè dicitur prætermissum; nec non factum censeri debet, quòd inualidè factum est.

16 Ad secundum respondetur, etsi nonnumquam oleum benedictum vocatum fuerit chrisma, forsan quia maior chrismatis pars est oleum, regulariter tamen chrisma dicitur mistum ex oleo, & balsamo; Sic enim loquuntur *Dionysius, Cyprianus, Fabianus supra. Innocentius in capite primo de Sac. Vnct. Concil. Romanum 2. Carthag. 2. Can. 3. Carthag. 3. Can. 36. Toletanum Primum Can. 20.*

Ad tertium negamus, tantam fuisse paupertatem in Ecclesijs, vt modicum balsami comparare nequirent, quan-

quantum opus erat Confirmationi ministrandæ; siquidem hucusq; nunquam in Ecclesia defuit; imò tempore persecutionum fuit latum præceptum renouandi chrisma quotannis. Cur autem hæc materia designata sit, & non alia communior, & facilior, nouit vtique Christus Dominus, qui materiam istam instituit, quamuis alijs vti potuerit non minus aptis ad significandum effectum Confirmationis. Et quamuis verum balsamum rarum sit, nec facilè dignoscatur à quolibet; at non difficilè cognoscitur a peritis, & in varijs locis reperitur, vt vidimus *num*.4.

17 Ad quartum concedimus, non esse necessarium, vt omnes, & singulæ partes olei balsamo mistæ sint, sufficit, si receperint balsami qualitates alteratas, præsertim ipsius odorem; nam eo ipso totum chrisma censetur ex oleo, balsamoq; confectum. Hinc corruit fundamentum secundæ sententiæ; quæ planè claudicat vtroq; pede. Cum enim solum oleum non sufficiat, vtique non sufficiet solum balsamum. Illud in omni sententia certum esse debet, saltem peccaturum mortaliter, qui sine balsamo confirmaret; tum quia violat graue præceptum; tum quia periculum subit irritandi Sacramentum, vt latius ostendi *lib*.1.*cap*.1.*quæst*.4. *Consonant Mourre supra numero* 4. *Toletus lib*.2.*cap*.24.

CAP. I. QVAEST. II.

Vtrum chrisma Confirmationis debeat esse benedictum?

18 SVppono, necessarium esse saltem necessitate præcepti, vt chrisma Confirmationi deseruiens sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum. Nam hoc saltem definit Concilium Florentinum, testatur Ecclesiæ praxis, & Doctorum consensus. Videantur *Coninch* 3.*p.quæst*.72.*num*.42. *Bonacina de Sacram. disp*.3.*quæst*.1.*punct*.1. *Fillincius tract*.3.*num*.12. *Bellarminus lib.de Confirm.cap*.8. Iam verò sit dubium primum. An sit etiam de necessitate Sacramenti, quod chrisma sit benedictum?

Nonnulli negant, & probant; quia benedictio chrismatis solum est Sacramentale quoddam institutum ab Ecclesia, cuius authoritate variari potest. Ergo non est essentialis; nam Ecclesia nihil instituere, vel mutare potest in his, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum. Et quidem licet aqua baptismi benedicatur, & panis, ac vinum ante consecrationem, id tamen illis accidentarium est. Ideò *Martinon* 3.*p.disp*.27.*nu*.26.*censet*, propter hæc fundamenta non esse certum omninò, quod requiratur essentialiter benedictio Chrismatis, cum etiam post Florentinum variæ sint in hoc sententiæ Theologorum. *Paludanus in* 4.*dist*.7.*quæst*.1.*num*.19.*& quæst*.4.*nu*.34. *Capreolus ibi quæst*.2.*ad* 1. sentiunt, nunc esse de necessitate Confirmationis, vt fiat ex chrismate consecrato, posse tamen Ecclesiam in hoc dispensare, seu decernere, vt Confirmatio fiat ex chrismate non benedicto; quasi Christus disiunctim statuerit, vt Confirmatio fieret ex chrismate consecrato, vel non consecrato, prout Ecclesia decerneret.

19 Dicendum est, ad valorem Confirmationis requiri simpliciter chrisma benedictum, ita vt deficiente benedictione non fiat Sacramentum. Ita docent Patres, definiunt concilia, præcipuè Florentinum, tradunt *Doctores, S. Thom*. 3.*p.q*.72.*art*.3. *Coninch ibi num*. 42. *Lessius num*. 17. *Auersa sect*. 2. *Thomistæ; communiter, Suarez disp*. 33.*sect*.2. *Filliuc. tract*. 3.*num*. 12. Summistæ verbo *Confirmatio*, Canonistæ cum Glossa, *cap. Peruenit* 95.*dist. Nauar.cap*.22.*numer*. 8. *Palaus tom*.4.*tract*.20.*punct*.2.*n*.5. *Henriquez lib*.3 *cap*.2.*num*.2. Ratio præcipua fuit institutio Christi nobis per traditionem, & perpetuam Ecclesiæ praxim ostensa. Congruentiam assignat *S. Thomas*; quia res sensibilis habens ex se vulgarem vsum, priusquam ad sanctificandos homines assumatur, decuit, vt ab vsu profano discernatur per aliquam consecrationem, qua reddatur apta tam

tam sacro ministerio, quod in alijs materijs, quas Christus per se sanctificauit, nimirum aquam, qua baptizatus est, panem, & vinum, quæ suis manibus tenens, consecrauit, non ita videtur necessarium.

20 Ad fundamentum oppositum negamus, benedictionem chrismatis esse Sacramentale solum institutum ab Ecclesia; quippè quoad substantiam instituta fuit à Christo Domino, sicuti per traditionem accepimus. Verisimile tamen sit, non fuisse præscriptam à Christo certam verborum formam ad chrisma conficiendum, sed in genere solum, vt per inuocationem sancti Spiritus cōsecraretur verbis ab Ecclesia dispositis. Quare tales preces in particulari sunt iuris ecclesiastici, non de necessitate Sacramenti. Sic asserunt *Suarez, & Bonacina sup. punct. 3. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 2. Martinon 3. p. disp. 27. num. 31.* & amplius ostendetur q. sequenti.

21 Sit dubium secundum. An sit etiam de necessitate Confirmationis, vt Chrisma sit ab Episcopo benedictum? Prima sententia negat. Ita *Caietanus 3. p. quæst. 72. art. 3.* dicens, Confirmationem factam cum chrismate per simplicem Sacerdotem benedicto valere. Probat; quia Sacerdos consecrare potest Eucharistiam; ergo chrisma, quod est multò minus, quamuis peccet istud consecrando contra prohibitionem. *Paludanus supra* consequenter asserit, Ecclesiam posse decernere, vt sufficiat chrisma benedictum à Sacerdote; quia totum hoc eius dispositioni Christus commisit. Victoria *in summ. num. 43.* docet, iure diuino solum Episcopum posse regulariter benedicere chrisma; posse tamen Papam hanc potestatem delegare simplici Sacerdoti. Consonāt *Scotus, Sotus, Bannius, Escobar*, quos sequitur *Diana p. 8. tract. 1. Resol. 12. Chamerota de confirm. cap. 2. dub. 5. Valentia tom. 4. disp. 5. quæst. 1. punct. 2. Amicus tom. 7. disp. 13. sect. 2. num. 46.* Et quamuis *Basilius legion. de confirm. part. 2. cap. 4.* dicat, hanc sententiam nihil habere probabilitatis, quia caret solido fundamento probabilem illam reputant *Suarez tom. 3. disput. 33. sect. 2. Barbosa part. 2. de potest. Episc. Alleg. 31. num. 14. Filliuc. tract. 3. num. 13. Bonac. disp. 3. q. 1. punct. 2. Lessius 3. part. quæst. 72. num. 15.*

22 Probatur 1. Nam aliæ consecrationes calicis, altaris, vel similium possunt per Papam simplici Sacerdoti committi; quin etiam administratio Confirmationis potest eidem delegari. Pariter ergo poterit consecratio chrismatis, quæ supponitur ad Confirmationis administrationem; Nam vno concessō conceduntur ea, quæ prærequiruntur ad illud *leg. Ad rem mobilem ff. de Procurat. cap. Præterea. De officio delegati.* Sicut enim Concilia, & Patres affirmant, consecrationem chrismatis ad solum Episcopum pertinere, prohibentq; ne simplex Sacerdos illud consecret; sic etiam asserunt, administrationem Confirmationis ad solum Episcopum pertinere, prohibētq; ne simplex Sacerdos illam administret. Igitur sicut hic interpretamur, loqui cōcilia, & Patres de ordinario Ministro Confirmationis; sic etiam illic interpretari possumus, loqui pariter de ordinario ministro consecrationis chrismatis.

23 Probatur 2. quia Concilium *Toletan. 1. dum can. 20.* prohibet, ne Presbyteri, sed solus Episcopus chrisma conficiat, satis indicat, Episcopi benedictionem non esse de necessitate Sacramenti. Sic enim ait. *Quamuis pene vbiq; custodiatur, vt absque Episcopo nemo chrisma conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel Prouincijs Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma conficere.* Vbi cum Concilium fateatur, alicubi chrisma per Presbyteros benedici, non declarat irritum factum, sed solum prohibet, ne deinceps fiat. Quod si putasset. Confirmationes tali chrismate ministratas irritas fuisse, prouidisset equidem, vt sic confirmati rursus confirmarentur, ne scilicet omninò frustrarentur confirmationis fructu.

24 Secunda sententia communior, & pro-

probabilior affirmat. *Ita S. Thomas 3. part. quaest. 72. artic. 3. Coninch ibi numer. 42. Lessius num. 15. Kellisonius artic. 3. Auersa sect. 2. Praepositus dub. 2. num. 23. Suar. Filliucius & Basil. legion. supra Palaus num. 7. Barbosa Alleg. 30. num. 6. Bonacina punct. 3. num. 3. Martinon. 3. part. disput. 27. num. 26. Hurtado de Confirm. difficult. 5. Layman libr. 5. tract. 3. cap. 2. & communiter Theologi.* Probatur 1. Quia constans Ecclesiae traditio sine limitatione semper ministrum benedictionis chrismatis assignat Episcopum. Ergo censendum est, illum esse ministrum necessarium eius consecrationis, nec suppetere fundamentum sufficiens asserendi contrarium. Antecedens ostenditur ex multis Concilijs, & Patribus, quos referunt, *Suar. & Basil. sup.* praesertim ex Florentino, quod absolute dicit, materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, & ab Episcopo benedictum. Quare sicut ex verbis absolute prolatis colligimus in alijs Sacramentis necessarium esse ministrum, quem exprimit, sic in benedictione chrismatis asserendum erit. Et quidem si putaret Concilium, benedictionem Episcopi solum ordinarie requiri, non vero simpliciter, id explicuisset; sicut Ministrum Confirmationis ordinarium esse dixit Episcopum, & subdit. *Legitur tamen aliquando per Apost. Sedis dispensationem ex rationabili causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto ministrasse Confirmationis Sacramentum,* vbi plane distinguit necessitatem Episcopi ministrantis Confirmationem, quam dicit aliquando suppleri per dispensationem; & necessitatem Episcopi consecrantis chrisma, quã indicat, nunquam suppleri ministerio Presbyterorum.

25 Probatur 2. Quia perpetua fuit Ecclesiae praxis, vt chrismatis confectio, seu consecratio semper Episcopo reseruetur; nec constat vnquam Presbyteris fuisse commissam. Imo quoties Summi Pontifices antiquiores, & recentiores dispensarunt, vt ob Episcoporum paucitatem, & locorum distantiam possent Presbyteri ministrare Confirmationem addiderunt, vt vterentur chrismate per Episcopum benedicto. Confirmatur; quia nulla subest talis dispensationis necessitas. Quamuis enim Episcopus non possit interdum adire loca nimis distantia suae dioecesis, ad omnia tamen deferri poterit chrisma benedictum ab Episcopo.

26 Ad argumentum Caietani positum *nu. 21.* respondetur; etsi maior sit Eucharistiae, quam chrismatis consecratio, non semper, qui potest maius, posse facere minus, nisi sint actiones subordinatae, in quibus maius contineat in se minus, sicut totum partem, aut perfectum imperfectum. V.g. qui potest facere testamentum, potest etiam codicillum; qui potest contrahere matrimonium, potest etiam sponsalia. Verum non ita continet Eucharistiae consecratio benedictionem chrismatis.

27 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, argumentum à simili non valere in his, quae pendent à iure positiuo, nec illud principium, vno concesso, conceduntur praerequisita, tenet, nisi sint actiones eidem potestati subiectae. At consecratio chrismatis non subijcitur Papae quoad potestatem delegandi talem consecrationem simplici Sacerdoti; licet Papa possit eidem Confirmationis administrationem delegare: Christus enim hoc Papae commisit, non illud, vt traditione constat; & satis insinuat Florentinum diuersimode loquens de ministro Confirmationis, & de consecratione chrismatis. Dices Florentinum referre, quod factum est, videlicet aliquando dispensatum esse in Ministro; non autem in consecratione materiae: ceterum nõ negasse, quod dispẽsari possit in cõsecratione quoque materiae. Respondemus ad summum inde probari, primam sententiam esse probabilem, nobis tamen probabiliorem videri secundam;

quia licet Florentinum expressè non neget, posse Presbytero committi consecrationem Chrismatis, id satis indicat vt ostensum est.

28 Ad secundum respondetur; ibi *concil. Toletanum*, non tulisse nouam prohibitionem, sed diuinam innouasse vel intimasse, quare supposuit, iure diuino non valere talem consecrationem (nec enim valere poterat, quæ sine dispensatione Papæ facta fuerat) nec putauit, id egere declaratione. Nisi forsan loquatur (quod est valdè verosimile) de consecratione chrismatis, quod soli deseruiret Baptismo, vt *Suarez*, & *Coninch* suspicantur. Hoc enim cum Sacramentale quoddam sit, potuit contra ritum Ecclesiæ per abusum alicubi consecrari, quod prohibuit, *Concil. ibi*.

29 Nota 1. Chrisma benedici debere ab Episcopo consecrato, non tantum electo, quoniam est actus Ordinis. Valet autem consecratum ab Episcopo, vel excommunicato, vel schismatico, vel hæretico. *Sic Suarez tom. 3. disput. 33. sect. 2. Toletus lib. 2. cap. 24.* Nota 2. non solum esse graue peccatum confirmare chrismate nullatenus benedicto, vel consecrato per simplicem Sacerdotem; sed etiam talem Confirmationem esse sub conditione reiterandam, ne forsan ita confirmati careant vera Confirmatione. Nota 3. de necessitate præcepti requiri chrisma benedictum eo anno feria 5. maioris hebdomadæ. c. *Si quis de alio, de consecrat. distinct. 4.* Quare grauiter peccaret Episcopus sine necessitate confirmans chrismate præcedentis anni? conficeret tamen validum Sacramentum; dum chrisma non sit corruptum. Ita *Suar. Tolet. & Auersa supra Coninch q. 22. nu. 49. Bonac. disput. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 3. cum alijs.*

CAP. I. QVÆST. III.

Qualis consecratio chrismatis necessaria sit ex institutione diuina.

30 SVppono quamuis Christus Dominus instituerit, materiam Confirmationis fore Chrisma benedictum ab Episcopo, non tamen instituisse certam formulam huius benedictionis, seu consecrationis; sed solum in communi decreuisse, vt chrisma consecraretur per inuocationem Spiritus sancti, vel diuinitatis ad sanctificationem vnguenti, quod ita consecratum fiat aptum instrumentum sanctificationis fidelium; modum autem, & ritum particularem huius consecrationis Ecclesiæ dispositioni comisisse. Quippè non est verisimile, semper in Ecclesia seruatum esse modum istum, quem nunc Ecclesia tenet; nec nunc etiam eundem modum vniuersa seruat Ecclesia tam Latina, quam Græca cum tamen ea, quæ sunt ex institutione Christi, sint eadem apud omnes. Ergo sola consecratio chrismatis in communi prouenit ab institutione diuina; modus autem, & ritus Consecrationis ab Ecclesiæ determinatione. *Sic docent Paludanus, & Sotus, quos sequitur Suar. 3. part. tom. 3. disput. 33. sect. 2. Basilius legion. de Confirm. p. 2. cap. 4. num. 11. & 12. Ioannes Petit. de Sacram. tractat. 3. lect. 31. Villalobos tomo 1. tract. 6. difficult. 2. num. 3. Martinon 3. p. disput. 27. numer. 31. Ioannes Præpositus 3. part. quæst. 72. artic. 3. dub. 1. numer. 20. Coninch. ibi numer. 47. Lessius numer. 14. Diana part. 6. tractat. 8. Resol. 21. Quintanad. tract. 2. sing. 3. n. 4. Filliuc. tract. 3. nu. 12.*

31 Restat difficultas; An facta per Ecclesiam determinatione consecrationis, iam non solum consecratio in genere, sed etiam talis modus benedictionis sit essentialis, & simpliciter

citer necessarius valori Confirmationis? Affirmant *Paludanus in 4. dist. 7. q. 1. &* *Præpositus* supra docentes, ita Christum Ecclesiæ reliquisse determinationem huius benedictionis, vt ille solus modus, quem Ecclesia designat, habeat rationem ceremoniæ sacræ, constituatq; partialiter materiam aptam Sacramento Confirmationis. Sicut institutio humana vocis significantis ad placitum, vel relatio rationis ad ipsam constituit formam Sacramenti, cuius verba si non haberent talem significationem ex hominum impositione, non constituerent Sacramentum.

32 Probatur; quia licet Ecclesia nihil possit directè circà substantiam Sacramentorum mutando materiam, vel formam; potest aliquid indirectè, quatenus potest ponere, vel demere conditionem aliquam ex parte materiæ, vel formæ, vel ministri requisitam, sine qua non fiat validum Sacramentum. V.g. quoniam ad validam absolutionem requiritur iurisdictio, quam Pontifex dare potest, vel denegare Sacerdoti, potest consequenter absolutionem validam, vel inualidam reddere. Similiter quia Sacramentum Matrimonij requirit cōtractum validum, & eius valor pendet à conditionibus per Ecclesiam statutis, potest Ecclesia sua determinatione validum, aut inualidum reddere matrimonium. Pariter ergo Christus ad valorem Cōfirmationis requirit benedictionem chrismatis, & huius benedictionis modum ita reliquit Ecclesiæ determinandum, vt ritus ab Ecclesia præscriptus (& si diuersus esse possit pro diuersis temporibus, seu regionibus) veram constituat materiam Confirmationis; & alius quilibet potius habeat rationem execrationis, quam benedictionis.

33 Hinc infert Præpositus posse Pontificem indirectè Sacramentum Confirmationis, & Extremæ Vnctionis omninò tollere, si videlicet modum benedicendi chrisma Confirmationis, & oleum Vnctionis in Ecclesia receptum, omninò reijciat, & nullum alium designet. Sicut posset Sacramentum Pœnitentiæ tollere, si iurisdictionem omnem Sacerdotibus denegaret; & Sacramentum Matrimonij, si nullum contractum statueret esse legitimum ad indissolubile vinculum inducendum.

34 Alij censent, instituisse Christum, vt chrisma consecraretur per sancti Spiritus, aut diuinitatis inuocationem, vt Sancti Patres loquuntur; ideoq; quomodolibet hæc consecratio fiat ab Episcopo debitam intentionem habente, sufficere valori Sacramenti, quamuis non seruetur modus ab Ecclesia præscriptus, qui magis cæremonialis videtur, quam substantialis; ac subindè necessarius erit necessitate præcepti, non verò necessitate Sacramenti. Sic opinantur *Sotus in 4. dist. 7. quæst. 1. artic. 3. Suarez, Filliucius, Lessius, & Diana supra*: qui consequenter asserunt, variare benedictionem chrismatis non esse mutare materiam Confirmationis, ac subindè nec substantiam Sacramenti. Probant; quia verisimile non est, omnes preces, & cęremonias, quæ iuxta ritum Romanum fiunt in consecratione chrismatis, esse de substantia talis materiæ, vel essentialis benedictionis ipsius. Nec in illo ritu discerni potest, quæ verba, vel facta sint essentialia; quæ non; cum non sit maior ratio de his, quam de illis. Igitur iste modus benedictionis necessarius est ex Ecclesiæ præcepto duntaxat, ac subindè validè, quamuis illicitè chrisma benedicetur alio ritu, dum fiat sufficiens olei, balsamiq; commistio, ac Spiritus sancti, seu Diuinitatis inuocatio.

35 Ego certè non dubito, quin potuerit Christus Dominus Ecclesiæ conferrè potestatem designandi modum benedicendi Chrisma, qui solus constitueret illud materiam aptam Cōfirmationis; sicut ipsi commisit potestatem designandi particularem materiam, & formam ordinationum, vt vidimus *lib. 1. cap. 1. quæst. 7.* nec amplius conuincit fundamentum adductum *nu. 32.* Quod autem de facto dederit Ecclesiæ pote-

statem designandi benedictionem essentialem materiæ Sacramenti, verè non constat ex Ecclesiæ praxi, nec ex Concilijs, Patribus, aut Doctoribus.

Et quidem cum omnis potestas Ecclesiæ data sit in ædificationem, durũ videtur, quod possit Pōtifex auferre Sacramentum Confirmationis, Extremę Vnctionis, Pœnitentiæ, Matrimonij, tollendo benedictionem omnem essentialem Chrismaris, & olei, iurisdictionem omnem interni fori, valorem contractus indissolubilis: Hæc enim potestas palam esset in destructionem Ecclesiæ. Sicut esset in destructionem humani conuictus omnem vocum significationem auferre.

36 Verum quidquid sit de potestate Pontificis circa benedictionem istam, cen seo, de facto Ecclesiam, seu Pontificem non præscribere talem modum benedictionis, vt essentialem materiæ Sacramenti, sed solum vt accidentalem, & cæremonialem. Ita sentiunt *Sotus, Suarez, Lessius, Filliucius, Diana, Coninch*, & fatetur ipse *Præpositus supra numer.* 21. satisq; conuincitur fundamento posito *num.* 34. Vnde fit 1. Si quid Episcopus pro benedictione chrismatis in Rituali positum omiserit per incuriam, aut distractionem, adhuc manere chrisma sufficienter benedictum, vt sit apta materia Confirmationis. Quippe non est credibile, Pontificem de facto velle, ritus omnes benedictionis chrismaris esse sic essentiales, vt siquis per inaduertentiam (quod in tam multis ritibus facilè continget) aliquem omittat, inualidè chrisma conficiat, & consequenter inualidum postea ministret Sacramentum. Ita colligunt Doctores citati.

37 Fit 2. Siquis Episcopus, deficiente chrismate, confirmandos vngeret oleo infirmorum, inualidam esse Confirmationem.

Nam, vt vidimus *quæst.* 1. chrisma confectum ex oleo, & balsamo requiritur essentialiter ad Sacramentum Confirmationis. Igitur cum oleum infirmorum non habeat balsamum admistum, non est apta materia Sacramenti Confirmationis; & per consequens defectu materiæ non valeret tale Sacramentum.

At si moribundus vngeretur chrismate, vel per errorem, vel quia defecerat oleum infirmorum, validum fieret Sacramētũ Extremę Vnctionis. Nam in chrismate datur verum oleum ab Episcopo benedictum; nec admistio balsami tollit essentiam olei; nec vtile per inutile vitiatur ex *cap. Vtile cap. Non debet. de Regul. iur. in* 6. *ac ex leg.* 1. §. *item quæritur. ff. de Aqua quotid.* Nec item obstat diuersitas benedictionis; cum ad substantiam Sacramenti Vnctionis sufficiat oleum quomodolibet ab Episcopo benedictum. Ita docent *Tannerus de Extrem. Vnct. disput.* 1. *quæst.* 2. *Granado disput.* 1. *num.* 3. *Quintanad. tract.* 2. *singul.* 3.

38 Quæ diximus in hac quęstione circa benedictionem chrismatis, communia sunt benedictioni olei, quo fit Sacramentum vnctionis, & interdum Doctores de vtraque benedictione loquuntur. Nec in Episcopo benedicente tam chrisma, quam oleum infirmorum requiritur intentio formalis, cum ibi non fiat Sacramentum; sed sufficit intentio materialis proferendi signa benedictionis externa; quoniam per illa signa datur ius legitimis ministris vtendi tali materia pro talibus Sacramentis. Sicut in Pontifice definiente articulum fidei sufficit intentio proferendi verba definitionis externa, vt articulus verè sit definitus, & Fideles teneantur illum credere.

(∴)

CAP.

CAP. I. QVAEST. IV.

An chrisma, vel oleum non benedictum additum benedicto sit materia sufficiens Confirmationis? vel Extremæ vnctionis?

39 HÆc quæstio communis est chrismati Confirmationis, & Oleo Extremæ Vnctionis. Nam in vtroque Sacramento Christus voluit materiam esse benedictam, modum autem benedictionis Ecclesiæ dispositioni commisit; iuxtà cuius præscriptum Feria 5. maioris hebdomadæ benedicuntur oleum infirmorum, & chrisma Confirmationis in quantitate moderata, quam Diaconus commodè portare possit in ampulla circumdata brachio sinistro (sic enim portare iubetur in Pontificiali) Quapropter vt toto anno sufficiat omnibus Ecclesijs, & vicinis interdum Diæcesibus, additione crescit. Quippè iuxta *caput. Quod in dubijs. De consecrat. Eccles.* & iuxtà Pastorale *Leonis.* 10. *cap.*7. *& Rituale Roman. Pauli.*5. §. *Habeat. De Sacramento Extrem. Vnct.* Oleo benedicto potest addi non benedictum, dum addatur in minori quantitate, quam sit benedictum; in quo Doctores omnes conueniunt. Dissident vero, quando per plures additiones maior quantitas addita fuerit, quam primo benedicta fuit, licet singulæ fuerint minoris quantitatis; an totum maneat benedictum?

40 Prima sententia docet, tunc illud oleum non manere benedictum, nec esse sufficientem materiam Sacramenti. Sic censent *Zambranus cap.* 5. *dub.* 5. *& Quintanaduеñas tractat.* 5. *singul.* 1. qui putant sibi fauere *Posseuinum*, *Armillam*, *Bonacinam*, *Zanardum*, & alios; quatenus absolutè dicunt, oleum non consecratum, quod addi-

tur, futurum esse minoris quantitatis, quam consecratum, quasi velint, si primo consecretur vna duntaxat amphora olei, non posse superaddi siue simul siue successiuè diuersis vicibus alteram amphoram, & vtramq; manere consecratam, sed minorem esse debere totam quantitatem additam etiam pluribus vicibus, vt totum illud oleum consecratum reputetur.

41 Probatur 1. Nam Pontifices supra relati absolutè postulant, vt oleum addatur in minori quantitate, quam sit benedictum. Ergo volunt, vt totum, quod additur etiam pluribus vicibus sit minus, quam id, quod primo fuit benedictum. Præcipuè Paulus V. in eo §. *Habeat*, sic ait. *Sacrum oleum infirmorum singulis annis Feria* 5. *In Cœna Domini ab Episcopo benedictum veteri combusto renouandum est. Id tamen si fortè intra annum aliquo modo ita deficiat, vt sufficere non posse videatur, nec aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate, quæ sufficiens esset pro totius anni decursu, superfuso reparari potest.* Vbi supponi videtur, oleum initio consecrandum esse sufficiens pro totius anni decursu, huic addendum esse non consecratum, nisi quando consecratum non reperitur, & tunc in minori quantitate, videlicet quam initio consecrata sit.

42 Probatur 2. Quia subiectum huius benedictionis est illudmet oleum, quod ab initio fuit ab Episcopo benedictum. Igitur vt benedictio conseruetur, manere debet idem indiuiduum olei, siquidem nec benedictio potest esse sine subiecto, nec ad aliud absolutè diuersum transire. Sed quoties olei quantitas etiam diuersis vicibus addita superat quantitatem ab initio benedictam, iam absolutè non manet idem indiuiduum olei, quod ab initio consecratum fuit, cum vix maneat exigua pars illius, ob quam ad summum dici possit idem secundum quid, non verò simpliciter. Ergo

non potest in illo manere benedictio, quæ conseruari nequit, nisi permaneat idem subiectum physicum.

43 Confirmatur 1. Nam quoties oleo benedicto simul additur vna vice maior quantitas olei non benedicti, nullum manet benedictum, non alia ratione, nisi quia non manet idem indiuiduum physicum: Sed idem est, quando diuersis vicibus additur maior quantitas olei non benedicti. Ergo nec tunc benedictio manet. Quod enim maior pars olei non benedicti super addatur vnica, vel pluribus vicibus benedicto, non tollit, quin simpliciter dicatur addita maior quantitas. Confirmatur 2. Nam hæc benedictio non communicatur per solum contactum; alioqui minima pars olei benedicti sufficeret ingens dolium olei reddere benedictum in illud infusa; sed quatenus quod additur, est tam parum, vt non tollat identitatem indiuidui, cui superuenit; ac subinde reputetur idem cum præexistente, quod retinens adhuc suam benedictionem, consequenter communicat illam parti superadditæ, quia non variat indiuiduum. Ergo cum pars etiam diuersis vicibus superaddita superat ab initio præexistentem, & facit diuersum indiuiduum, subinde tollit omnem benedictionem.

44 Probatur 3. Quia si casulæ benedictæ pars aliqua consumitur, & eius loco substituitur alia minor, quam sit pars superstes, certè benedicta manet pars addita: Si tamen additiones ita multiplicentur, vt partes additæ simul sumptæ superent partem primo benedictam, iam illa casula non maneret benedicta simpliciter. Igitur idem erit in nostro casu. Confirmatur; Nam aliàs Ecclesia non curaret, vt quotannis nouum chrisma, nouum oleum benedicatur; posset enim per plures successiuas additiones pluribus annis durare. Quin etiam extendi posset in infinitum benedictio, cum additiones possint in infinitum multiplicari.

45 Hinc colligit *Quintanad. singul. 2.* teneri sub graui culpa locorum ordinarios materiam certam prouidere Confirmationis, ac Extr. Vnctionis, tantum olei consecrantes, aut consecrari facientes, vt nullam, vel exiguam olei non benedicti quantitatem addere cogantur. Cum enim Ministri Sacramentorum sub graui culpa teneantur adhibere, si possunt, materiam certam, omissa dubia, vel probabili, debebunt ordinarij prouidere consecrationem olei sufficientis, vt cum materia certa ministrentur Sacramenta Confirmationis, & Vnctionis. Non est autem materia certa, quando quantitas olei non benedicti superadditi diuersis etiam vicibus superat quantitatem ab initio benedictam; siquidem est probabilius, vel saltem probabile, non manere tunc benedictionem necessariam valori Sacramenti. Debent igitur operari secundum opinionem tutiorem, vt materiam certam adhibeant, omissa maioris quantitatis etiam diuersis vicibus additione, quæ constituit ad summum materiam probabilem, non certam. Et ita fit in diœcesibus breuioris ditionis, quibus modica quantitas sufficit.

46 Secunda sententia tenenda docet, manere semper oleum benedictum, etsi diuersis additionibus maior addatur quantitas, quam fuit ab initio benedicta; dum singulis vicibus addatur quantitas minor præexistente, comparatione facta non cum oleo solo per Episcopum benedicto, sed etiam cum oleo superaddito, quod per admistionem cum priori iam participauit benedictionem. Sic censent *Angelus, & Rosella cum alijs*, quos sequitur *Antonius Marsilius lib. 3. de Aqua benedicta Syluest. verb. Aqua benedicta. quæstione 3. Fuscus de visitat. lib. 1. num. 10. Henriquez lib. 3. cap. 8. num. 2. Baunius tom. 1. tract. vlt. cap. 2. Vvigers in Addit. q. 29. art. 4. Hino Iosa in Direct. fol. 49. Sà, verb. Benedictio, num. 1. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 13. Naldus. verb. Extrema vnctio. num. 4.*

num.4. Lessius de Extrem. Vnct. cap.1. num.11. Candidus de Extrem. Vnct. disputat.3. artic.2. dub.16. Isambertus 3. part. tomo 3. de Extrem. Vnct. disp.2. artic.3. Et ita de aqua benedicta sensisse, *Sanctum Thomam, Tabiennam, Abbatem, & alios, notat Henriquez supr. lit. L. Quin Angelus, Rosella, Palacios apud Zambranum,* volunt, quamuis simul addatur maior quantitas aquæ, vel olei non benedicta, quam præexistit benedicta, totam quantitatem manere benedictam. Quod tamen cœteri Doctores non admittunt, & merito, quia Paulus V. & cœteri Pontifices semper requirunt, vt oleum addatur in minori quantitate. Constitutiones etiam Synodales plurium diœcesum monent Parochos, vt renouare curent oleum infirmorum, & chrisma frequenter, addentes semper minorem quantitatem, quam præexistit.

47 Fauent huic sententiæ secundæ, qui docent, templum manere consecratum, licet totum per partes destruatur, & reficiatur successiuè, vel saltem maior pars sit addita successiuè, quam restet ex primo consecratis. *Ita communiter Doctores in capit. ligneis de consecrat. Eccles. & in capit. Ecclesiæ de consecrat. dist.1. Suarez tomo 3. disputat.81. section.4. Layman libr.5. tractat.5. capit.5. num.16. cum alijs. Conin. h quæst.83. num.335. Tannerus 3. part. disputat.5. quæst.10. dub. 2. numer.33. Fauent etiam Doctores,* qui docent absolutè, oleum non benedictum additum benedicto (scilicet in minore quantitate) manere benedictum, & planè loquuntur iuxta sensum Pontificum, & Ritualium, & iuxta praxim Ecclesiæ de comparatione olei simul superadditi cum præexistente, non vero de comparatione totius olei diuersis vicibus additi cum oleo solo per Episcopum ab initio benedicto.

48 Probatur 1. Quia dignius trahit ad se minus dignum iuxta commune proloquium, & per consequens oleo benedicto dignificatur non benedictum, quod ipsi super additur. Sic etiã accessorium sequitur naturam principalis iuxta regulam iuris. Nam oleum benedictum principale censetur, non benedictum est accessorium ipsi super additum. Probatur 2. quia Pontifices in Ritualibus dicunt, manere benedictum oleum additum, nec restringuunt ad primam, vel secundam, vel tertiam vicem, solum exigunt, vt minor sit quantitas olei non benedicti superadditi, quam benedicti præexistentis; nec distinguunt primario benedictum ab Episcopo, vel secundario per additionem, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

49 Probatur 3. magis efficaciter ex Ecclesiæ praxi, quæ cum sit optima legum interpres, in Sacramentis præcipuè satis ostendit, & diuinam institutionem, & humanam determinationem in his, quæ Summo Pontifici determinanda commissa sunt. Itaque iuxta præsentem praxim (quæ forsan eadem fuit omnibus retro seculis) Ecclesia benedicit semel in anno vix quartam partem olei, vel chrismatis, in multis diœcesibus, latioribus, quod pro totius anni decursu necessarium erit. Ideò singuli Præpositi Prouinciarum capiunt indè partem sibi necessariam, sed tantum olei reponunt, quantum accipiunt; postea impartiuntur alijs, singuli tamen reponunt tantumdem; & ita per replicatas additiones ex vna libra, vel amphora fiunt quatuor, vel quotquot necessariæ sunt; & post modum in anni decursu, prout necessitas exigit, singuli Parochi, vel Ecclesiarum præfecti nouum oleum addunt præexistenti, ne deficiat. Sic fieri fatetur in Hispalensi diœcesi, *Quintanad. supr.* Sic etiam in alijs diœcesibus Hispaniarum, & Indiarum, quæ latissimas habent ditiones, fieri solet.

50 Ex hac praxi satis apertè colligitur, Ecclesiam velle, quod benedicto

præsentis olei pariter extendatur ad omnes partes olei superaddendas, dum singulis vicibus addatur quantitas minor præexistente. Nec dubium est, quin Ecclesia possit extendere benedictionem istam ad materias absentes, quæ fuerint permistæ præsenti, ratione contactus, vel cum partibus primo benedictis, vel cum alijs, quæ per contactum cum prioribus participarunt benedictionem. Igitur cum Ecclesia possit sic oleum illud benedicere, praxisque plurium diœcesum demonstret, sic velle benedicere de facto; siquidem talem assignauit modum benedictionis, vt si hæc non sic extenderetur, in diœcesibus habentibus latiorem ambitum, non suppeteret apta materia Sacramentis, vtique censendum est, sufficientèr manere benedictum quodlibet oleum, quod singulis vicibus in minore quantitate misceatur.

51 Dices cum Aduersarijs, Ecclesiam non posse sic extendere benedictionem istam, quæ non oritur ex Ecclesiæ præscripto duntaxat, sed ex institutione Christi, qui commisit Ecclesiæ, vt modum benedictionis assignaret ad constituendam materiam aptam horum Sacramentorum. At postquam semel benedictionem assignauit Ecclesia, iam non potest illam extendere, nec mutare, sicut nec mutare potest reliquas materias, & formas Sacramentorum. Sed contra: Nam vt vidimus quæstione præcedenti, Christus Ecclesiæ commisit, vt modum benedictionis designaret, quem optiorem iudicaret venerationi, ac administrationi Sacramentorum, ac subindè pro diuersis circumstantijs temporum, & locorum illum mutare posset, vt vidimus, *num.* 30 Pariter ergo concessit, vt extendere posset benedictionem ad omnes partes addendas, quæ necessariæ sint administrationi Confirmationis, & Vnctionis: Ne defectu materiæ priuentur fideles horum Sacramentorum fructu. Et quidem extensionem benedictionis ad quantitatem minorem semel additam omnes concedunt, vt vidimus, *num.* 39. Vnde nostra sententia.

52 Probatur 4. Nam aduersarij fatentur, si vni libræ olei benedicti superaddatur dimidia, manere benedictam, si post addatur quarta pars, manere quoque benedictam. Ergo iam totum illud oleum est benedictum; & consequenter si super addatur olei libra, cum sit minor quantitas præexistente, manebit benedicta. Negant hanc vltimam consequentiam. Sed probatur, nam illæ priores partes additæ manserunt benedictæ, quia sunt additæ maiori quantitati iam benedictæ. Sed hæc etiam pars additur maiori quantitati iam benedictæ. Debet ergo pariter manere benedicta. Dicunt, solam primam olei quantitatem ab Episcopo benedictam habere benedictionem illam extensiuam ad partem minorem secum permistam: Sicut Pontifex solet aliquas imagines benedicere cum indulgentijs adiunctis, & concedere simul, vt omnes aliæ, quæ tangant illas primas, benedictæ maneant, & cum eisdem indulgentijs, non vero, quæ tetigerint has consecutas benedictionē à priorū cōtactu.

53 Sed contra quia Pontifex sine dubio concedere potest, vt imagines, quæ tangent illas a se benedictas, & etiam, quæ tangant illas, quæ primas tetigerunt, habeant eandem benedictionem, & indulgentias. Non est enim, vnde potestas Pontificis limitetur ad primarum contactum. Ergo similiter extendere potest benedictionem olei, vel chrismatis ad omnem contactum tam mediatum, quam immediatum, etsi quantitas diuersis vicibus addita superet quantitatem ab Episcopo benedictam immediatè. Sic autem extensam fuisse, satis ostendit praxis, & moralis quædam necessitas multarum diœcesum; in quibus alioquin ingentia vasa benedicenda forent, quę portari nequirent à Diacono circumdata brachio sinistro, vt præscribit

Ponti-

Pontificale Romanum.

54 Dicunt Aduersarij, simul cum ampulla, quam defert Diaconus, aut Subdiaconus, deferri posse ab alijs plures amphoras olei, quæ simul cum ampulla benedicantur. Sed contrà nam imprimis indecens esset in tam sacro ministerio adesse tot amphoras olei, quæ nec Religiose portari possent, nec reuerenter consecrari. Deindè volunt isti Doctores teneri sub graui culpa talium locorum Ordinarios tot amphoras olei consecrare. Quod tamen nec videmus fieri, nec nouimus, fuisse factum, nec in aliquo Pontificali notatum. Igitur Ordinarij talium locorum à multis retrò sæculis vel hoc præceptum ignorarunt, & ignorant in tanta luce doctrinæ; vel mortaliter peccauerunt, & peccant in benedictione chrismatis, & olei sine tot amphoris facta. Quòd non videtur admittendum.

55 Ad primum fundamentum oppositum concesso antecedente, negatur consequentia: Quippè debet addi minor quantitas facta comparatione non cum oleo solo, quòd fuit ab initio benedictum, sed cum præexistente, quamuis magna eius pars super addita fuerit. Nec aliud Pontifices intendunt, nec Paulus V. nec vllus alius ignorare potuit, in multis Diœcesibus præsertim Hispaniarum, & Indiarum vix consecrari (vel consecrari posse iuxta Pontificale) quartam, aut quintam partem olei necessarij pro Sacramento confirmationis, & Vnctionis, ac per consequens addendam esse diuersis vicibus multò maiorem partem, quàm ab initio consecrata sit.

56 Ad secundum respondetur, subiectum huius benedictionis esse tam oleũ, quod ab initio consecratum fuit, quàm oleum posteà diuersis etiam vicibus superadditum, licet superet quantitatem primæuam, adhuc enim manet idem indiuiduum per continuationem; sicut corpus pueri, iuuenis, & viri semper est idem indiuiduum, & si multo plures partes acquisierit per augmentationem, quàm habuerit in primæua generatione: Nec benedictio, quæ solum informat per extrinsecam denominationem, requirit maiorem vnitatem subiecti.

Vnde dicimus ad primam confirmationem, quod maior quantitas simul addita non maneat benedicta, prouenire quidem non ex variatione subiecti, sed ex intentione Pontificis, qui noluit extendi benedictionem ad maiorem quantitatem simul additam; quia magis est conforme naturis rerum, vt maior quantitas trahat ad se minorem; quam è contra. Ad secundam confirmationem dicimus, hanc benedictionem non solum communicari per contactum, sed per extensionem iuxtà Pontificum intentionem superiùs expositã.

57 Ad tertium respondetur Doctores *supra relatos numero* 47. pariter loqui de renouatione vestium sacrarum, & templi consecrati. Quare non censent, amitti benedictionem casulæ, nisi quando simul rumpitur, aut consumitur maior pars ipsius; tunc enim simul cum forma casulæ deficit benedictio. Si tamen sensim minores partes consumuntur, & renouantur, conseruari putant benedictionem; vnde potius exemplum fauet nobis. Ad confirmationem respondetur, Ecclesiam benedicere quotannis oleum & chrisma; quia vult illam sacram cæremoniam exercere quotannis: Et ne sine limite multiplicentur additiones eidem oleo faciendæ, iubet comburi vetus oleum, quòd forsan erit nimis alteratum, & aliud oleum consecratio, cui fieri possint additiones nouæ, quatenus moraliter necessariæ reputentur ad annuum vsum Sacramentorum.

58 Vnde colligo pro praxi, quamuis in materia Sacramentorum tutior sententia sequenda sit, siue magis, siue minus probabilis reputetur, adhuc omnes locorum Ordinarios non debere tantùm olei facere consecrari, quantum sufficiat pro totius anni decursu sine maioris quantitatis additione successiuè facta quoniam in multis locis vixe-

vix erit possibilis talis praxis, vt vidimus *num.* 54. Nec prima sententia videtur habere probabilitatem, quę cogat ad eius vsum; sicut sententia requirens contritionem pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, quamuis sit tutior, non cogit pœnitentem ad habendam contritionem, & confessarius licitè potest illum absoluere cum attritione cognita. Dicunt, diuersam esse rationem; nam attritio se tenet ex parte pœnitentis, qui potest, si vult, priuare se fructu Sacramenti; at Minister non potest illum priuare, quoties ex parte sua potest ministrare Sacramenta certa. Sed contra nam imprimis qui vult recipere Sacramentum, non potest licitè se priuare fructu Sacramenti. Deindè non solùm fructum tolleret, sed ipsum Sacramentum irritaret, quòd intrinsecè malum est. Quare si defectus contritionis probabiliter irritaret Sacramentum Pœnitentiæ relinquens sententiam oppositam cum formidine falsitatis, sine dubio peccaret grauiter pœnitens accedens cum attritione cognita. Igitur ideò solum non peccat, quia sententia requirens contritionem tam exiguæ probabilitatis est, vt non tollat moralem certitudinem oppositæ; quæ certitudo reddit licitum talem vsum Sacramenti. Ac idem proportionaliter censemus in nostro casu.

CAP. I. QVÆST. V.

Quæ sit materia proxima Confirmationis?

59 CONueniunt Doctores, vnctionem esse materiam proximam Sacramenti confirmationis. Quoniam in Sacramentis, quæ consistunt in vsu, materia proxima est vsus ipse materiæ remotæ, qui per formam immediatè significatur, sicut vnctio significatur per formam confirmationis. Sic tradunt Summi Pontifices in cap. *Presbyteris*, & sequentibus *de Consecrat. dist.* 4. *&* in cap. *Vnico de Sacra Vnct. Concilium Florentinum in decreto de Sacram. Dionysius, Cyprianus, Cornelius, Ambrosius, Cyrillus, Augustinus, & alij Patres apud Suarium tom. 3. disp. 33. sect. 3.*

60 Hæc vnctio fieri debet in fronte recipientis Sacramentum in formam crucis, & manu Episcopi. Sic habet communis sensus Doctorum; sic Ecclesiæ praxis, & traditio; Sic Ritualia præscribunt: Vnde saltem colligitur necessitas præcepti. Necessitas etiam Sacramenti quoad signum crucis ipsamet vnctione formandum colligitur ex verbis formę, iuncto Florentino, textibusque relatis, praxi quoque Ritualium; Itavt non fiat Sacramentum, si prius Episcopus formet crucem in fronte confirmandi non vngens, & post modum vngat non formando Crucem. Sic *Suar. sup. Coninch. 3. par. qu. 72. num. 51. Lessius ibi, num. 34. Palaus tom. 4. tract. 26. punct. 3. num. 2. & aly*. Sic etiam à Græcis ministrari confirmationem signando fronte per modum Crucis, dicit *Arcudius lib. 2. cap. 6.*

61 Quod vnctio fiat in fronte, non esse necessarium valori Sacramenti, putarunt *Ledesma 1. 4. dist. 7. art. 9. & Victoria in Summ. num. 51.* quasi sufficiat in quavis parte corporis, etsi cum peccato fieret extra frontem. Certissimè tamen tenendum est, ad valorem Sacramenti requiri, frontem confirmandi perungi. Sic enim indicant Patres, asserit Florentinum, sentiunt Doctores, qui subindè contrariam sententiam reputant improbabilem. Videantur *Bellarm. de confirmat. cap. 8 Layman lib. 5 trac. 3. cap. 2. Bonacina disp. 3. q. 1. punc. 3. nu. 5. Auersa 3. p. qu. 72. sect. 3. Diana par. 3. tract 4. Resol. 22. & 28. Suar. supra sect. 3. Coninch. num. 53. Palaus num. 3. Lessius num. 33.* Probatur; quia finis, & effectus confirmationis est, vt accipiamus robur ad confitendum Christum, nec illum vmquam, aut eius crucem erubescamus, ideo dixit Florentinum, nos in fronte, vbi verecundiæ sedes est, cruce signari; quasi pariter requirat vnctionem frontis, & signum crucis. Sed hoc signum est de necessitate Sacramenti. Ergo & vnctio frontis. Græci ministrantes hoc Sacra-

cra-

cramentum, vngunt aliás etiam corporis partes; at fatentur, solam vnctionem frontis essentialem esse. Sic notat Arcudius *lib.2. cap.7.* Sicut etiam in chrismate præter oleum, & balsamum alia multa miscent aromata; sed fatentur solùm oleum & balsamum essentialiter requiri. Sic idem *Arcudius lib.2. cap.5.*

62 An autem sit necessarium valori Confirmationis, vt Episcopus vngat immediatè manu sua: Negat *Fernandez de Heredia de Confirmat. dist.5. part.5. dub.1. num.2.* dicens. Non æstimamus, pertinere ad necessitatem Sacramenti, quòd vnctio fiat pollice dextero, vel sinistro, vel alio digito, vel alio quovis instrumento, siue coniuncto, siue separato; quippè nihil videtur deesse, nec ex parte materiæ, nec ex parte significationis formæ, quocunque ex his modis fiat chrismatio. Nec ideò minùs hoc Sacramentum dicetur manuum impositio, si fiat vnctio penna, vel alio instrumento, quo quidem mediante manus propriæ dicuntur imponi, sicut & manus violentæ dicuntur in Clericum iniici, si baculo, lapide, aut similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quòd sine graui peccato nequit omitti.

63 Dicendum tamen est, necessarium esse valori Confirmationis, vt vnctio fiat immediatè manu Episcopi, & non per aliquòd instrumentum. Nam essentialis est huic Sacramento manus impositio, quæ propriè significat immediatum contactum, præcipuè quando manus imponitur ad sanitatem corporis, vel animæ conferendam; & per hanc immediatam manus impositionem intelligitur Sacramentum Confirmationis a primis Ecclesiæ temporibus etiam per Apostolos fuisse ministratum; Ideoque potissimum consecrari pollicem Episcopi *dicit Durandus lib.6. Ration. cap.84. Sic censent Suarez, Layman, & Auersa supra, Coninch. num.54. Bonac. num.1. Lessius, num.34. Palaus num.4. Dian. Resol.28. Reginaldus, lib.28. n.10.*

64 Quod vnctio fiat dextro pollice, præceptum est, nō essentiale Sacramento: quia non est, vndè colligatur tanta necessitas; quippè licèt vnctio fieret manu sinistra, vel alio digito, verè fieret per impositionem manus Episcopalis, quamvis contrà totius Ecclesiæ morem, & contrà rubricam Pontificalis. Ita *Suarez, & Layman supra, Coninch. num.55. Zambranus cap.2. dub.1.* qui significant, fore graue peccatum vngere vel alia manu, vel alio digito. Cęterum *Nuñus 3. part. quæst.62. art.4. Diffic. 3. concl.4. & Trullench. de Sacram. lib.2. cap. fin. num.7.* veniale peccatum id reputant, nam illa variatio videtur parui referrè. Quare *Diana sup. Resol.22.* dicit, difficulter forè damnandum peccati mortalis Episcopum, qui confirmans vngeret aliquem indice, vel alio digito; quia laborat pollice dexttæ manus. *Auersa supra* censet, hanc cęremoniam non esse tam grauem, vt obliget sub mortali, præsertim si iustà causa subsit vtendi alio digito. Mihi videtur, si iusta causa subest, quia non est alius, qui confirmet, & Episcopus laborat pollice, nec forè veniale peccatum vngere confirmandos alio digito, ne multi priuentur hoc Sacramento forsan per longum tempus.

CAP. I. QVÆST. VI.

Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis?

65 Antiqui Patres de forma Confirmationis obscurè locuti sunt, ne mysteria nostra proderent infidelibus, vt notant *S. Thomas 3. part. quæst.72. art.4. Præpositus, & Coninchus ibi. Auersa sect.3.* Verùm Ecclesia iam dilatata latius, & Fide magis stabilita Concilium Florentinum in decreto de Sacram. hanc formam Confirmationis assignat, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. S. Thomas*, & alij addunt *Amen*, sed non videtur

videtur essentialis additio, quia plures particulam illam omittunt. Hæc omnia verba proferenda sunt saltem necessitate præcepti iuxta ritum Latinum. Nam exprimi debet. Primò confirmantis actus vt ab ipso procedens per illa verba *Signo, & confirmo*. Secundò persona confirmanda per illud *pronomen te*. Tertiò causa principalis Sacramenti per explicitam inuocationem Trinitatis. Quartò demum effectus, qui sunt character, & animæ robur illis verbis significati, *Signo Crucis, & chrismate salutis*. Ita *Coninch supra Suar. tom.3. disp.33. sect.5. Layman lib.5. trac.3. capite tertio Diana part.3. tractat.4. Resolut.27. cum alijs.*

66 An autem hæc omnia verba sint de necessitate Sacramenti? Prima sententia communis affirmat, hæc verba continere formam necessariam necessitate Sacramenti confirmationis saltem quoad sensum, & significationem substantialem, ita vt quælibet alia forma non æquiualent huic, non constituat validam confirmationem. Ita *S. Thomas, Praepositus, Coninch, Auersa, Diana, Suarez, & Layman supra, Granado 3. part. controuers. 5. disputat. 3. sect. 3. Hurtado de confirmat. difficult. 8. Petrus de S. Ioseph in Idea Theolog. cap. 13. Resolut. 4. Palaus tom. 4. tract. 20. disput. 1. punct. 5.* qui citant alios, & ferè conueniunt, hoc esse de fide certum. Quia *Concil. Florentinum assignans materias, & formas Sacramentorum*, præsertim quoties illas in particulari describit, solum illas determinat, quæ valori Sacramenti necessariæ sunt. Sed in particulari præscribit hanc formam Sacramenti confirmationis. Igitur hæc requiritur essentialiter ad validum confirmationis Sacramentum. Confirmatur; quia Sacramentum confirmationis vnum, & idem est in vniuersa Ecclesia, sicut, & cætera Sacramenta vbique sunt eadem. Ergo debet semper, & vbique retinere formam eamdem quoad sensum substantialem. Et quidem cum hæc forma perpetua praxi seruata fuerit, nec ab aliquo Pontifice, vel Concilio (quod sciamus) sumpserit initium, consequens est, vt ab institutione diuina per Apostolicam traditionem manarit.

67 Circa verba particularia discutiunt isti Doctores: Quæ contineant sensum substantialem, vel accidentalem? Et ferè conueniunt, explicitè Trinitatem inuocandam esse, sicut in Baptismo. Nam in vtroque Sacramento debet initiandus profiteri præcipuum mysterium fidei, quam in Baptismo suscipit credendam, in confirmatione palam confitendam, & propugnandam. Ideo confirmatio dicitur perfectio Baptismi, quia corroborat fidem, quam Baptismus infundit; vtique per præcipui mysterij professionem explicitam.

68 At dubitant primò. Vtrum essentialia sint illa verba, *Signo Crucis*, quæ nonnulli Patres, & antiqua Ritualia videntur omittere, quasi sub alijs sufficienter intelligantur. Probabilior verò reputant, exprimenda fore, vt confirmatus explicitè discat, nec militiam Christi, nec vexillum crucis erubescere. Sic *Suarez, Layman, & Auersa supra. Henriquez libro tertio capite secundo cum alijs.*

69 Dubitant secundò de verbis *Chrismate salutis*, quæ *Bellarminus libro primo de Confirmat. capite decimo putat*, exprimenda non esse necessario, cum satis contineantur sub verbo *Confirmo*. Nec videtur magis necessarium hic exprimere materiam remotam, quàm in Baptismo. Confirmatur ex antiquo Rituali, qui vocatur Ordo Romanus, & continet hanc formam. *Signa eos Domine signo crucis. Ego te confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Similiter in edicto Constantini, quod habetur ante Concilium Nicænum, dicit Imperator, se à Syluestro Papa post baptismum in fronte fuisse signatum, & chrismate vnctum his verbis. *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in consignatione Fidei.* Et quamuis dubia sit aucto-

auctoritas huius edicti; nam aliqui putant, non esse Constantini, certè cuiuscunque sit indicat morem illius temporis; vndè redditur hæc pars probabilis.

70 Probabiliorem verò reputant oppositam *Suarez*, *Layman*, *Henriquez*, *Coninch. supra*. Quia per verbum *Confirmo*, non satis exprimitur vnctio, sicut per verbum baptizo, exprimitur ablutio. Ad fundamentum contrarium respondent. *Ordinem Romanum* ibi non referrè formam integram; nec retulisse Constantinum in eo Edicto, quæcunque Syluester dixit, aut fecit, sed concisis verbis illa pręstrixisse. Certissimum tamen existimant, grauiter peccaturum illum, qui talia verba omitteret, & Sacramentum forè sub conditione repetendum; quia non fuit certus eius valor, vt notat *Auersa supra*.

71 Dubitant 3. Vtrùm ad essentiam formæ requiratur vtrumque verbum *signo*, *& confirmo*, vel sufficiat alterutrum, quòd ex actione coniuncta satis determinari videtur ad integrum formæ sensum significandum. Confirmatur ex Ordine Romano nuper relato, vbi ponitur solùm verbum *Confirmo*. Nam illa verba præcedentia, *Signantes Domine signo crucis*, non pertinent ad formam, sed ad orationem pręcedentem, quę simul, & semel dicitur super omnes confirmandos antè Sacramenti ministrationem, nec repetitur pro singulis, sicut repetitur forma, quoties applicatur materia singulis, vt satis apparet ex ipso contextu. Quare nonnulli probabilem reputãt istam partem: Alij verò probabiliorem censent oppositam, quoniam hęc duo verba non sunt ęquipollentia, sed diuersam habent significationem; nec vtraq; potest per alterutrum sufficienter explicari: Quare dempto quolibet deficiet integer formę sensus. *Ita Suarez*, *Auersa*, *Bellarminus*, *Henriquez supra*.

72 Hinc colligunt 1. cauendam esse verborum mutationem, vel additionẽ, vel diminutionem, quę sensum mutet. Vndè si quis omittat verbum *signo vel confirmo*, vel vocem *te*, vel explicitam inuocationem Trinitatis, putant, irritari Sacramẽtum; secus si sensum substantialem non mutet. Si formam istam proferas deprecatiuè, mutari sensum substantialem; quia non significas, effectum à te produci, dicunt *Suarez*, *& Palaus*, & ideò vel indicatiuo, vel imperatiuo modò proferendam esse. Verùm *Basilius legion. de Confirm. part. 2. cap. 7. & 8.* latè probat, valere formã istam prolatam per modum etiam optatiui, seu deprecatis, *Vngat te Deus, &c.* Nam hęc verba simul cùm vnctione satis indicant, effectum fieri per actionem Ministri. Siquis dicat absolutè, *Confirmet te Deus, &c.* validam esse formam, asserunt *Suarez*, *Henriq. Auersa*, *Regnald. lib. 28. num. 13. Lessius 3. part. quæst. 66. n. 17.* At non esse tutam, censet *Bonacina de Sacram. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 9.* quia dubium est, an contineat mutationem substantialẽ. Si quis dicat, *confirmetur seruus Christi*, valere Sacramentum, inquit Suarez, mortale tamen peccatum committi contrà communem Ecclesię morem, *asserit Diana*.

73 Colligunt 2. formam Grecorum, quę nunc habetur in eorum Euchologio per hęc verba, *Signaculum Spiritus Sancti*, non esse sufficientem ad validum Sacramentum ministrandum; quia multa non exprimit, quę continentur in forma latinorum, & exprimenda necessario sunt ad validam Confirmationem conferendam. Hanc illationem expressè deduxit *Petrus de S. Ioseph*; sed illam implicitè docere videntur Doctores huius sententię; pręsertim dum ad valorem huius Sacramenti requirunt explicitam Trinitatis inuocationem, quam hęc forma non habet.

74 Probatur 1. hęc illatio: Nam hęc forma nullum reddit sensum idoneum ex defectu verbi. Non est ergò conueniens forma Sacramenti, nec sufficiens eius valori. Probatur 2. Quia forma Sacramenti debet exprimere actionem Ministri, quatenus ab ipso prodeun-

prodeuntem, vt habetur in cap. 1. de Baptismo, & in Concilio Florentino; sed hæc forma non exprimit actionem Ministri, quatenus ab ipso prodeuntem. Ergò non est sufficiens. Probatur 3. Quoniam forma Confirmationis continere debet explicitam Trinitatis inuocationem ob congruentiam suprà positam *num. 67.* & præcipuè quia Florentinum pro forma Confirmationis talem inuocationem requirit, & apud Doctores id receptissimum est. Sed hæc forma Græcorum non continet explicitam Trinitatis inuocationem. Ergò non est sufficiens valori Confirmationis.

75 Probatur 4. Nam olim Græci Catholici conferebant Sacramentum Confirmationis cùm explicita Trinitatis inuocatione, donec post Græcorum schisma tàm in hoc Sacramento, quàm in alijs multæ factæ sunt mutationes in Codicibus manuscriptis, & quotidie fiunt Venetijs, vbi Græcorum Euchologia communiter imprimuntur ad placitum vniuscuiusque. Igitur illa duntaxat verba, *Signaculum doni spiritus sancti.* non continent formam Ecclesiæ Græcæ Catholicæ, sed schismaticæ, quæ facilè decipitur circa materias, & formas Sacramentorum. Antecedens probatur; quia *Seuerus Patriarcha Alexand. tom. 7. Biblioth. Patrum* in collatione Confirmationis ponit explicitam Trinitatis inuocationem. Eandem habet ritus *Aethyopum in editione Coloniensi Biblioth. tom. 15. pag. 761.* & ritus *Iacobitarum apud Bibliothecam Vaticanam inter libros Syriacos num. 26.*

76 Error verò post schisma natus esse videtur ex eo, quòd apud Grecos duplex fuerit vsus sacri chrismatis: Primus Sacramentalis, quò Sacramentum Confirmationis conferebatur. Secundus çęremonialis, reconciliatiuus hæreticorum redeuntium ad Ecclesiam, qui fiebat illis verbis, *Signaculum doni Spiritus sancti.* Quæ verba Græci post schisma putarunt esse Sacramenti formam, vt indicat *Bessarion in suo tractatu de Eucharistia.* Et quidem Euchologium Græcorum præsens habet primo pro forma Sacramenti Confirmationis illa verba. *Signaculum doni Spiritus Sancti*, & postmodum in fine pro reconciliandis, & vngendis hæreticis adhibet eadem verba. Quare vel continet hæresim, dum primo ponit formam huius Sacramenti sine Trinitatis inuocatione, si necessaria censetur. Vel si non censetur necessaria, continet etiam hæresim, dum in hæreticorum reconciliatione reiterat Sacramentum Cõfirmationis cùm eius materia, & forma sufficientibus.

77 Secunda sentẽtia tenenda prorsus affirmat, formam istam Græcorum esse validam; & per consequens explicitam Trinitatis inuocationem, & alia quædam verba formę latinę non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis. Ita tenẽt *Petrus Arcudius in Concordia Ecclesiæ Græcæ cùm Latina lib. 2. cap. 6. & 7. Estius in 4. dist. 7. §. 10. & 11. Basilius legion. de Confirm. part. 2. cap. 7. & 8. Amicus tom. 7. disp. 13. sect. 3. Martinon 3. p. disp. 17. sect. 3.* Probatur 1. Nam hanc formam habet Conc. Constantinopolitanum 1. can. 7. decernens, quosdam hęreticos ibi numeratos, quando conuertebantur ad Catholicam fidem, non esse baptizandos, quia verè baptizati fuerant, sed sacro chrismate vngendos cùm his verbis. *Signaculum doni Spiritus sancti.* quia non receperant Sacramentum Confirmationis, quòd negabant. Ita De Nouatianis testantur *S. Cornelius, & Theodoretus apud Arcudium*, qui congerit ad idem intentum plura testimonia Conciliorum, & Patrum. Et quidem hanc fuisse semper & esse formam Confirmationis apud Grecos Catholicos receptam, testantur *S. Asterius, & Stanislaus Socolouius apud Arcudium*: & pręsertim Euchologia communia tàm impressa, quàm manuscripta, tunc antiquiore schismate, tum posteriora; nulla siquidem aliam formam Sacramenti Confirmationis assignant, præter istam.

78 Probatur 2. quia *S. Thomas cunctos* Græcorum errores diligenter scrutatus nihil

nihil circa formam istam notauit. *Innocentius 3. & Innocentius 4. & Gregor. 10.* qui Graecos cum Latinis conciliare voluerunt, hanc formam numquam attigerunt. *Concilium Florentinum* congregatum ad vniendam Ecclesiam Graecam cum Latina, circa Baptismum quidem, & Eucharistiam mouit, & decidit nonnullas quaestiones, at de Sacramento confirmationis nullam mouit. Item Latini cum alia minoris momenti saepè Graecis obiecerint, & de Sacramento confirmationis interdum requisierint, cur Graeci Presbyteri passim Sacramentum confirmationis conferrent? numquam tamen requisierunt, cur sub tali forma verborum illud administrarent? Semper ergò supposuerunt, formam istam validam, & certam esse.

79 Probatur tertiò. Quia *Clemens 8. in Bulla Sanctissimus Dominus, anni 1592. super reformatione Graecorum iubet haberi Romae Graecum Episcopum Catholicum*, qui ritu Graeco celebret, & Graecis Sacramenta ministret; & quamuis in particulari non loquatur de hac forma confirmationis, satis indicat, eam esse validam. Primò quia volens Pontifex in Italia vetare, ne Presbyteri Graeci Sacramentum confirmationis administrent, prohibet illos, ne quando baptizant, & vngunt chrismate baptizatum, proferant verba quędam in quibus habetur (inquit) *forma huius consignationis*. Sed Graeci nullam aliam formam confirmationis habent nisi supra relatam. Ergo dum Pontifex illam appellat huius Sacramenti formam, approbat vt validam. Secundò nam ibi praescribit Pontifex, vt Episcopi Latini baptizatos à Presbyteris Gręcis de facto confirment sub conditione, praesertim cum verisimiliter dubitari potest, quòd ab Episcopis Graecis fuerint baptizati; vbi certè significat, si certò constet, Episcopum Graecum simul cũ Baptismo ministrasse confirmationem, non esse reiterandam; Cum tamen omnes Episcopi Graeci nũc vtantur hac forma confirmationis Tertiò nam si formam istam Pontifex saltem putasset, esse dubiam, iussisset equidem, vt per illam confirmati rursus sub conditione confirmarētur, Sicut ibidem praescribit, esse sub conditione reconfirmandos infantes Gręcos à Graecis Presbyteris baptizatos; quoniam hi solēt simul cũ Baptismo conferre confirmationem; at non est certus valor talis Sacramenti. Cum igitur in hac Bulla Pontifex dogmaticè Graecos instruat de substantiali ritu ministrandi Sacramenta, quem tenere debeant; si formam istam dubiam iudicasset, debuisset hoc dubium tollere, sicut fecit circa confirmationem à simplici Presbytero collatam. Reputat ergò certam, dum Sacramentum hac forma collatum non iubet iterari.

80 Probatur quartò. Ex praxi, quàm praesentem videmus, & multis retrò saeculis extitisse comperimus. Etenim tàm Romae, quàm in alijs Ecclesijs Gręcorum Catholicis, quae Summo Pontifici subduntur. Episcopi Graeci sicut caetera Sacramenta ritu Graeco ministrant, sic etiam Sacramentum confirmationis vtentes hac forma, *Signaculum dni Spiritus Sancti*, non solum sciente, atque tolerante Summo Pontifice, qui facilè posset impedire, sed etiam tacitè saltem approbante. Non ergo potest in dubium reuocari valor Sacramenti cum hac forma ministrati, nisi velimus, omnes Episcopos Graecos Catholicos sic confirmantes, & ipsum Summum Pontificem id tolerantem; & approbantem facere reos peccati mortalis. Nam vt vidimus *lib. 1. cap. 1. qu. 4.* non est licitum in Sacramentis ministrandis vti materia, vel forma dubia, siue probabili; dum potest adhiberi certa (multò minus licebit adhibere formam inualidam, qualem istam reputat prima sententia.) Quare talis forma Graecorum non solum probabilis, sed omninò certa reputanda est.

81 Probatur quintò. Nam ista forma Graeca quoad sensum substantialem cõuenir cum Latina. Et quidem vis formę sacramentalis consit in sensu substan-

ſtantiali, non in ſono, vel numero litterarum.) Idem enim eſt dicere, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*, ac adhibendo chriſma fronti per ſignum crucis dicere, *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Quia ſubintelligitur aut verbum *eſt*, aut *confero tibi*, quaſi dicat, *Hoc chriſma*, quo te per modum crucis inungo, eſt obſignatio largitionis Spiritus ſancti; ſiue per iſtam vnctionem cum ſigno crucis obſigno te dono Spiritus ſancti, ſeu confero tibi ſignaculum Doni Spiritus ſancti.

Sanctus Thomas 3. part. qu. 72. art. 4. tria requirit in forma confirmationis. Primum, vt ſignificet cauſam efficientem, quòd præſtat inuocatio Trinitatis. Secundum, vt ſignificent gratiam collatam; quòd præſtant illa verba, *Confirmo te chriſmate ſalutis*. Tertium, vt ſignificet characterem, quòd præſtant verba, *ſigno te ſigno crucis*. Hæc tria ſignificantur etiam per formam Græcorum; Quia vox *ſignaculum*, ſignificat characterem; Vox *doni*, ſignificat gratiam ſanctificantem; Vox *Spiritus ſancti*, ſignificat cauſam principalem. Nam Spiritui ſancto ſingulariter tribuitur hæc ſanctificatio, & in illo cęteræ perſonæ propter vnitatem eſſentiæ comprehenduntur: Actio quoque miniſtri tanquam ab illo prodiens ſignificatur per ipſam vnctionem ſimul cum verbo ſubintellecto *confero*, vel *eſt*. Nam formæ Sacramentorum, cum ſint orationes practicæ, ſignificant id, quòd agitur, & agunt id, quòd ſignificant, vt rectè tradit *Coninc. 3. par. q. 66. num. 36.*

82 Vnde Doctores ſecundæ ſententiæ colligunt primò in forma Latina verba *ſigno crucis*, eſſentialia non eſſe, ſed ſufficienter per externam crucis eformationem cum aliquo verbo vel expreſſo, vel ſubintellecto ſignificari. Sic enim ſignificatur in forma Græca, quæ tamen iuxta ſuperius dicta continet ſubſtantialem formę ſenſum. Ita *Baſilius Legio. ſupra citans Eſtium, & Gamachęum*; rectèque notat, cum ea verba ponuntur explicitè, pertinere ad eſſentiam Sacramenti. Nam in formis Sacramentorum regulariter eſſentialia verba, quæ vel explicitè, vel implicitè ſufficiunt ad conſtituendum eſſentialem formæ ſenſum; vtrovis modo ponantur, continent ſignificationem eſſentialem, ſcilicet vel explicitam, vel implicitam. Sic in abſolutione ſacramentali, quando dicimus, *Ego te abſoluo*. Vox *Ego* conſtituit eſſentialiter formam explicitè, quando verò dicimus, *Abſoluo te*, verbum *abſoluo*, quamuis implicitè cōtinet primam perſonam, implicitè complet eſſentialem formę ſignificationem.

83 Colligunt ſecundò. Non eſſe pariter eſſentialia formæ Latinæ illa verba *chriſmate ſalutis*, Nam in verbo *ſigno*, vel *confirmo*, ſub his circumſtantijs continetur vnctio cum chriſmate; ſicut in forma Gręca ſufficienter continetur ſub verbis *ſignaculum doni*, poſita ſimul vnctione chriſmatis. Colligunt tertiò. Non eſſe Latinis eſſentialem expreſſionem vtriuſque verbi *ſigno*, & *confirmo*, ſed alterutrum ſufficere; ſiquidē forma Græca per vocem *ſignaculum* ſine verbo *cōfirmo*, profert eſſentialem formæ ſenſum. Colligunt quartò. Explicitam inuocationem Trinitatis eſſentialem non eſſe. Siquidem forma Græca continet integrum ſenſum ſubſtantialem formæ confirmationis ſine tali Trinitatis inuocatione. Sic ſentiunt *Baſilius Legion. & Eſtius, & Amicus.*

84 Ad fundamentum communis ſententię poſitum *nu. 66.* fatemur, formam confirmationis, quam Florentinum tradit, eſſe quoad ſenſum, & ſignificationem ſubſtantialem de neceſſitate Sacramenti; ſufficere tamen quod ille ſenſus vel explicitè, vel implicitè ſignificetur. Chriſtus enim non determinauit verba iſtius formæ, ſed Eccleſiæ determinanda reliquit, quibus tamen ſignificarentur ſaltem implicitè cauſa principalis, actio Miniſtri, confirmationis effectus; quę forma Latina magis exprimit, forma Græca magis implicitè continet, vt vidimus *num. 81* Nam Eccleſia Latinis aſſignauit verba formæ magis

expli-

explicita, Græcis magis implicita; sed cùm differentia solùm accidentali; Sicut in simili diximus de forma Sacramenti Ordinis Latina, & Græca *lib. 1. cap. 1. quæst. 7.*

85 Vndè respondemus ad Confirmationem, Sacramētum istud esse quidem vnum, & idem in vniuersa Ecclesia, sicut & cętera Sacramenta, semper & vbique retinēs eandem formam quòad sensum substantialem, non verò quòad modum significandi his, vel illis verbis explicitè: vel implicitè: sicut in ordinis Sacramento distinximus ea *quæst. 7.* Nec forma Confirmationis, quàm Florentinum adduxit, seruata fuit semper in tota Ecclesia quòad eius verba; siquidem diuersas verborum formulas pro Sacramento Confirmationis referunt *Alcuinus, Arcu dius, Bibliotheca Patrū to. 7. Martinon, & alij*; & quòd magis est ad rem nostram, forma Græca diuersis verbis vtitur ab initio ferè nascentis Ecclesiæ, vt visum est; quare manare quoque potuit ab Apostolis, qui Latinis vnam, & Græcis aliam huius Sacramēti formam assignarint, diuersis conceptam verbis, sed vnam & eandem essentialiter quoad substātialem significationem à Christo Domino præscriptam.

86 Ad primum argumentum contrà formam Græcorum positum *n. 74.* respondetur defectum verbi nihil obstare; nam ex actione coniuncta satis subintelligitur; sicut siquis porrigens nummum pauperi dicat, *en nummum*, satis significat, se nummum dare pauperi. Similis modus loquendi reperitur apud Lucam in cōsecratione calicis. *Hic calix nouum testamentum in meo sanguine*, iuxtà textum Græcum, vbi Latinus interpres addidit verbum *est*, quòad subintelligebatur, Hac phrasi vtitur etiam Ecclesia Latina dicens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Gloria in Excelsis Deo, lumen Christi, Archangelus Michael Dei nuntius pro animabus iustis*, & similia. Itaque subintelligitur verbum in forma Græcorum, vt diximus *n. 81.*

87 Ad 2. negatur minor, siquis enim habens potestatem dandi libros, dicat tibi, *Hic liber est tuus*. Idem significat ac si diceret, *do tibi hunc librum*, & consequenter actionem, prout hic & nunc ab ipso procedentem. Sic ergò cùm Episcopus, qui potestatem habet à Christo conferendi gratiam roborantem per hoc Sacramentum, faciens cùm chrismate signum Crucis in fronte, dicit, *Signaculum doni Spiritus sancti*, idem significat, ac si diceret, Confero tibi signaculum doni Spiritus Sancti.

88 Ad 3. respondetur, Concilium Florentinum, & Pontificale Romanum requirere pro forma Cōfirmationis explicitam Trinitatis inuocationem sub præcepto duntaxat, & pro Ecclesia Latina solùm: alioqui nō permitteret Summus Pontifex, vt Græci ministrent Confirmationem sine Trinitatis expressione, sicut non permittit, vt sine illa ministrent baptismum. Nec vrget congruentia, quando constat nobis institutio Christi, qui voluit in baptismo talem inuocationem essentialem esse, secus in Confirmatione; Constat, inquam, nobis per Ecclesiam, quæ semper in Baptismo requisiuit illam explicitam Trinitatis inuocationem tanquam essentialem apud Latinos, & Græcos; secus in Confirmatione, cuius formam Græcam admittit, & approbat sine tali Trinitatis inuocatione. Florentinū, & Pontificale ponunt in Confirmatione Trinitatis inuocationem, sicut ponunt etiam in forma Ordinationis, nimirum Florentinum in forma Sacerdotij, Pontificale in collatione Subdiaconatus per traditionem libri epistolarū iuxtà probabiliorem mihi sententiam; Rituale quoque Romanum in forma Sacramenti Pœnitentiæ ponit expressam Trinitatis inuocationem; Vbi conueniunt Doctores, esse solùm necessariam necessitate præcepti, non Sacramenti. *Sic sentiunt Amicus, Basilius legion. & Estius.*

89 Ad 4. dicimus, Difficillimum esse creditu, quòd Summus Pōtifex permit-

tat, & approbet vsum formæ schismaticæ pro Sacramento Confirmationis. Sed ad argumentum in forma negatur maior, ad cuius probationem imprimis ille Seuerus Alex. Patriarca loquitur ibi de ministratione Baptismi, non Confirmationis. Deinde creditur fuisse hæreticus, vt notatur *in editione Coloniensi Bibliothecæ anni 1612. tom. 7.* Vnde corruit eius authoritas. Verba Bessarionis, quem pro se pariter inducit Arcudius, obscura sunt, & detorqueri possunt in vtramuis partem. Ritus Æthyopum, & Iacobitarum indigent maiori discussione; nec nobis obest, quòd aliqua particularia Ritualia superaddant (ad summum ex præcepto, sicut Latini) Trinitatis inuocationem, semper enim excluditur necessitas Sacramenti per praxim Ecclesiæ Græcæ approbatam à Summis Pontificibus.


90 Fatemur equidem, fuisse duplicem vnctionem chrismatis apud Græcos, vnam sacramentalem, alteram cerimonialem, qua reconciliabantur hæretici, qui iam confirmati validè fuerant, vt agnoscit etiam *Suarez tom. 3. disput. 36. sect. 1. & 3.* Negamus verò, tunc proferri formam illam Sacramentalem, nisi forsan hæretici non recepissent verum Sacramentum Confirmationis, vt ex Concilijs ostendimus *n. 77.* Cæterum hæretici schismatici, quoties reconciliant hęreticos, sine delectu confirmant illos; indè Rituale nunc in Græcia communiter receptum habet in fine precationes quasdam Methodij Patriarchæ schismatici pro reconciliandis hæreticis, quibus additur forma sacramentalis à schismaticis (inquit Arcudius) qui vel ignorant Sacramentum Confirmationis, vel non verentur illud iterare, vel putant omnes hæreticos illius indigere. Typographi forsan per incuriam in Euchologijs etiā Catholicorum addunt istam formulam non discernentes omninò Catholicum ritum à fermento schismatico. Quare nullam hęresim continet Euchologium Catholicum quoad Sacramenti Confirmationis administrationem. Sed per inaduertentiam Typographi circa reconciliationem hæreticorum additur forsan aliquis error schismaticorum, vt aduertit Arcudius.

91 Pater Amicus inquit, se postquam incidit in formam Græcorum, & eam diligenter examinauit, non potuisse deinceps assentiri communi sententiæ. Quod ego pariter profiteor; & oppositam sententiam, quatenus negat formam Græcorum esse validam, non reputo probabilem. Quoniam si probabilis esset, Sacramentum Confirmationis ministratum à Græcis non esset vtique certum, sed probabile dumtaxat; & per consequēs illicitè ministraretur ab Episcopis Græcis, illicitè permitteretur, vel etiam approbaretur à Summis Pontificibus in Ecclesijs sibi subditis. Posset item, imò deberet sub conditione reiterari. Quas omnes illationes quis audeat deuorare?

92 Maneat igitur de substantia formæ confirmationis iuxta diuinam institutionem esse solum, vt significet causam principalem, actionem Ministri, confirmationis effectus vel explicitè, vel implicitè verbis ab Ecclesia determinatis: Ecclesia verò diuersa verbo determinauit pro Græcis, diuersa pro Latinis, necessaria singulis necessitate præcepti, conuenientia tamen in sensu substantiali. Quapropter vtralibet sufficiunt ad essentialiter constituendum Sacramētum Confirmationis, vt innuimus *sup. nu. 34.* Et in simili diximus *lib. 1. cap. 1. q. 7.* Subindè si quis Episcopus Latinus confirmet forma Græca, verum efficiet Sacramentum, sed grauiter peccabit: Sicut è contra si Græcus confirmet forma Latina. Quæ verò verba tanquam essentialia præscribat Ecclesiæ formæ Latinę; sub opinionibus est, vt vidimus in decursu quæstionis.

CAPVT II.

De Ministro Confirmationis.



1 Viclef, Caluinus, & alij Nouatores volunt, non solum Episcopum, sed etiam omnem Sacerdotem esse Ministrum idoneum cõfirmationis: consonat *Armacanus de quaestionibus Armenorum lib. 3.* & probatur primò. Nam Ananias, qui non erat Episcopus, *Act. 9.* Paulo manus imposuit dicens. *Vt videas, & implearis Spiritu sancto.* Probatur secundò. Nam apud Armenos, & Graecos ex veteri more Presbyteri passim confirmant.

Caietanus 3. par. quaest. 72. articul. 8. & Victor. 8. ac alij dicunt, esse quidem de necessitate praecepti, non verò Sacramenti, quòd Episcopus ordinariè conferat; ac subinde simplicem Sacerdotem sine speciali commissione confirmãtem peccare grauiter, at conficere validum Sacramentum. Fauet *S. Hieronymus in Dialog. contra Lucifer.* dicens. *Non ad legis necessitatem, sed ad Sacerdotij honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, vt illis manus imponant.* Fauet *Concil. Toletan. 1. cap. 20.* dicens; *Statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; praesente verò non nisi ab ipso fuerit praeceptum.* Consonat *Concil. Hispalense, 2. cap. 7.* dicens. *Non liceat Presbyteris per impositiones manuum fidelibus baptizandis Spiritum sanctum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.*

2 De fide tamen est, Ordinarium confirmationis Ministrum esse solum Episcopum consecratum. Colligitur ex *Actor. 8. & 19. Definit Concil. Florentinum in decreto de Sacram. Tridentinum sess. 7. can. 3. de confirmat. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Consonant Patres, & Pontifices,* quos referunt *Bellarmin. de confirmat. cap. 12. Suarez 3. par. tom. 3. disp. 36. sec. 1. Martinon. 3. par. disputat. 27. numero 46. Lessius qu. 72. num. 36. Coninch. ibi num. 97. Rationem reddit S. Thomas 3. parte quaest. 72. art. 11.* Quia per hoc Sacramẽtum perficitur baptizatus; sicut autem pertinet ad summos artifices vltimam formam inducere, sic ad Episcopos, qui supremi Sacerdotes sunt, pertinet baptizatos vltimo perficere. Quapropter Sacerdos, vel etiam Abbas, qui non est Episcopus: vel Episcopus electus nondum consecratus non possunt ordinaria potestate validè confirmare: quia non habẽt characterem Episcopalem, quem potestas ordinaria confirmandi requirit, cum sit potestas ordinis.

Ratio tamen efficax est institutio Christi, quae nobis innotuit per Ecclesiae traditionem, & Conciliorum definitionem. Vnde quilibet Episcopus consecratus etiam haereticus, degradatus, excommunicatus, vel aliter prohibitus validè confert confirmationem: nam adhuc retinet characterem, in quo potestas Ordinis nititur. Peccabit verò grauiter in tali collatione Sacramenti contra prohibitionem humanam. Ita *Suarez supra disput. 33. sect. 3. Coninch. num. 103. Bonacin disput. 3. qu. 1. punct. 2. & alij.*

3 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, ibi non esse sermonẽ de Sacramento confirmationis, cuius nondum erat capax S. Paulus ante baptismum, sed de manuum impositione curatiua, cuius proximus, & proprius effectus fuit visus Paulo restitutus: communicatio verò Sancti Spiritus referri debet ad baptismum, de quo proximè sermo fit. Ad 2. respondetur, Armenos reijcere Sacramentum confirmationis; vt affirmat Guido Carmelitanus; vel si Presbyteri Armeni confirmant, erunt schismatici, quorum praxis nihil probat contra Catholicos. Graecis verò Catholicis id fuisse commissum à Summis Põtificibus etiam ante schisma tacitè, vel expressè, testatur *Arcudius lib. 2. cap. 10. & se-*

& sequentibus, & alij tam Græci, quàm Latini consentiunt.

S. Hieronymum errasse, concedit Castro aduersus hæreses, *verb. Confirmatio. Meliùs respondet Bellarminus, S. Hieronimum* asserere, non ex necessitate legis, id est, ex ipsa natura Sacramenti, sed ad Sacerdotij honorem, id est, ad honorandam Episcopi dignitatem fuisse ministerium istud ex institutione diuina reseruatum Episcopis, verè tamen reseruatum esse. *Concilium Toletanum, & Hispalense* non loquuntur de vnctione Sacramentali, sed de cęremoniali, qua baptizatus vngitur in vertice, sacro chrismate; tunc enim hæc etiam fiebat ab Episcopis regulariter: Ideò prohibentur Presbyteri hoc ministerio, nisi vel Episcopo iubente, vel absente.

CAP. II. QVÆST. I.

Quis possit ex commissione Minister esse Confirmationis?

4 PRima sententia negat simplici Sacerdoti posse per vllam delegationem committi potestatem confirmandi. Sic *censent Adrianus in 4 tract. de Confirm. art. 3. Durandus dist. 7. q. 3. & 4. Estius ibi §. 22. Castro aduersus hæreses, verb. Confirmatio. Fauent S. Bonauen. Caietanus, Scotus, & alij.* Probatur 1. quia singulorum Sacramentorum Ministrum designauit Christus, nec potest Ecclesia diuinam institutionem mutare. Cùm ergo Christus designauerit Episcopum in Ministrum Confirmationis, vt vidimus *n.* 1. non potest Ecclesia per vllam delegationem, aut commissionem alium Ministrum huius Sacramenti designare, qui non sit Episcopus.

5 Probatur 2. Quia potestas confirmandi vel competit Episcopo ratione iurisdictionis; & hoc non; alioqui posset Episcopus non consecratus confirmare sibi subditum, & non valeret Confirmatio ministrata per Episcopum consecratum non subdito; quæ sunt absurda. Vel competit ratione Ordinis Sacerdotalis; & hoc etiam non: Alioqui competeret omnibus Presbyteris, atq; valdè confirmarent etiam sine concessione Pontificis, quòd ostendimus esse falsum *n.* 2. Vel competit ratione consecrationis Episcopalis, & tunc rectè sequitur, nō posse competere Presbyteris, qui tali consecratione carent, per vllam cōmissionem etiam Sūmi Pontificis. Nā vt habetur *in c. penult. de Consec. Eccles.* quæ consecrationis sunt, non consecrato committi non possunt. Ergò si ratione consecrationis Episcopalis competit Episcopo potestas confirmandi, cùm talis consecratio desit Presbyteris, non poterit ipsis cōmitti talis potestas. Probatur 3. *Nam Eusebius Papa de Consec. dist. 5. c. 4. & Melchiades in Epistola decret. ad Episcopos Hispaniæ* dicunt, Confirmationem solum ab Episcopis posse conferri, & siquid aliter præsumptum fuerit, irritum habendum. *Et Innocent. 3. c. 4. de Consuet.* concedere noluit, vt Presbyteri Confirmarent, dicens, satius esse Confirmatione carere, quàm a talibus petere.

6 Secunda sententia per oppositum esse potest, non solum Sacerdotibus, sed etiam inferioribus Clericis posse committi Cōfirmationis administrationem. Sic innuit Angelus, *verb. Confirmationis Sacramentum, referens Innocentium.* Quòd videtur ad laicos etiam, dummodo confirmati sint, extendere glossa in cap. *Manus de Consec. dist. 5.* Nec adducitur congruum fundamentum.

7 Dicendum est, simplicem Sacerdotem ex commissione saltem summi Pontificis esse posse Ministrum Confirmationis. *Ita S. Thomas 3. part. quæst. 72 art. 11. Nuñus ibi, Præpositus dub. 2. Coninch. numer. 104. Lessius, numer. 37. Auersa, sect. 5. S. Antoninus, Alensis, Paludanus, Capreolus, Marsilius, Syluester, Nauarrus, Couarrubias, & alij, quos sequitur Suarez 3. p. tom. 3. disp. 36. sect. 2. Henriquez, Hurtado, Marchantius, Palaus, Sanchez, quos sequitur*

Diana

Diana part. 3 tract. 4. Resolut. 23. & part. 8. tract. 1. Resolut. 3. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 6. Bonacina disp. 3. quæst. 1. punct. 2. Basil. legion. de Confirm. part. 4. cap. 3. Martinon 3. part. disp. 27. num. 45. qui citant plurimos. Probatur ex cap. *Peruenit. dist. 95. vbi S. Gregorius id* concedit Presbyteris Sardiniæ. Nec tantus Pontifex errare credendus est in re tam graui: Quin eius factum approbat *Concil. Florentinum* in decreto *de Sacram.* & secuti sunt *Adrianus 6. Leo 10. Greg. 13.* qui Presbyteris Regularibus pro remotissimis Indiarum Regionibus, vbi non sunt Episcopi, vel distant per duas diætas, eandem facultatem concesserunt, vt testantur *Suarez supra, Henriquez li. 3. cap. 6. num. 4. Quintanad. tract. 2. Singul. 5. & 6.*

8 Abbatibus etiam istam facultatem concedi solitam, indicat *Concilium Senonense in decretis morum cap. 38.* Vbi cùm dixisset. Abbates non habere potestatem confirmandi, subdit. *Quòd si qui sunt, qui contendunt, sibi competere hanc facultatem ex priuilegio, volumus, vt cùm primum requisiti fuerint, de priuilegio fidem facere teneantur. Declaratio Cardinalium super Tridentinum sess. 7. Canon. 1. de Confirmation.* sic inquit. *Etiam Abbates ex priuilegio sedis Apostolicæ, de consensu tamen Ordinariorum hoc Sacramentum Confirmationis conferre possunt.*

9 Ratio sumi debet ex institutione diuina, quæ satis nobis constat per supra dictam praxim Pontificum: Potuit enim, & voluit Christus, vt Episcopus esset Ordinarius Minister Confirmationis; extraordinarius verò simplex Sacerdos, qui licèt vi Sacerdotij nullam habeat confirmandi potestatem, vt docet *Tridentinum sess. 23. cap. 4.* per illud tamen constituatur capax, vt ex commissione Papæ talem potestatem accipere possit. Nec ista capacitas ad Diaconos, aut inferiores Ordines temere debet extendi, cùm talis extensionis nullum extet indicium; siquidem soli Sacerdoti constat ex traditione. Concilijs, & praxi, commissam esse confirmandi potestatem ex dispensatione Pontificis, vt expendunt *S. Thomas Suarez, Coninchus Martinon supra cum alijs.* Vndè refellitur etiam secunda sententia, nostraque manet stabilita, quam *Sotus, & Basilius legion.* dicunt, esse de fide; *Suarez, Nuñus,* Pitigianus, ita certam reputant, vt opposita sit temeraria.

10 Ad 1. fundamentum primæ sententiæ respondetur, ex praxi Pontificium satis colligi, diuinam institutionem fuisse, qualem *num. 9.* descripsimus; cuius congruentia fuerit, ne remotissimi fideles, qui carent Episcopis, tanti Sacramenti fructu simul carerent. Vnde ad 2. dicimus, Episcopi consecrationem tāquam proximum fundamentum inducere potestatem Ordinariam ministrandæ Confirmationis; characterem verò Sacerdotalem conferre remotam aptitudinem, vt Sacerdoti possit committi delegata potestas confirmandi, sicut etiam conferendi nonnullos Ordines. Ita vt Minister essentialis Confirmationis non sit solus Episcopus, nec Diaconus, aut Clericus inferior; Sed vel Episcopus, vel simplex Sacerdos habens Pontificis commissionem, qua fit aptus Minister Confirmationis; quæ subinde sit actus ordinis Episcopalis, si fiat ordinaria potestate; vel Sacerdotalis, si fiat ex commissione Pontificis, sine qua nulla consuetudine Sacerdos præscribet, vt validè cōfirmet. Quippè potestas Ordinis consuetudine non præscribitur c. *Quanto de Consuetud.* Similiter respondemus ad 3. alios Pontifices loqui de potestate ordinaria; Innocentium verò tertium damnare solùm Presbyteros, qui temerè confirmabant sine commissione Pontificis prætendentes consuetudinem, & ab his negat, petendam esse confirmationem etiam in necessitate.

CAP. II. QVÆST. II.

An solus Papa possit hanc facultatem Sacerdoti concedere?

11 PRima sententia negat, docens, ex institutione diuina posse cunctos Episcopos committere Sacerdotibus, vt suis ouibus ministrent confirmationem. Ita *Ledesma* 1.4.*quæst*.13. *art*.11. *Salmeron tom*.12. *in Acta. tract*. 26. *versic. An verò Basilius Legion. de confirmat.part*.4.*cap*.4. Probatur; Nam Episcopus potest in sua Diœcesi, quidquid potest Summus Pontifex in toto mundo. Sicut ergo Pontifex potest vbique Sacerdotibus committere potestatem confirmandi, sic Episcopus poterit in sua Diœcesi. Confirmatur *ex Concilio Toletano*.1.*cap*.20. dicente, posse Presbyterum chrismare, quoties id iubet Episcopus.

12 Secunda sententia communis, & vera docet, solum Papam ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia, posse facultatem istam concedere Sacerdotibus. Ita *S.Thom*.3.*par.q*.72.*art*. 11.*ad*.1. *Præpositus ibi.dub*.1.*numero* 49. *Coninch num*.112. *Auersa sect*.5. *Sotus in* 4.*distinc*.7.*q* 1.*art*.11.*ad*.5. *Paludan.ibi, qu*.4.*num*.10. *Suarez* 3.*par.tom*.3. *disput*. 36.*sec*.2. *Martinon disp*.27.*n*.45. *Ioannes Petit. Ochagauia, Petrus à S.Ioseph, Hurtado*, quos sequitur *Diana par*.8.*tract*. 1. *Resolut*.5. *Valentia tom*.4.*disp*.5. *quæst*.2. *punc*.1. Qui dicit, oppositam sententiam esse singularem, & temerariam.

Probatur primò. Quia nullum est fundamentum, exemplum, aut indicium ad tribuendam Episcopis potestatem committendi Presbyteris administrationem confirmationis. Numquam enim legitur, Episcopos commisisse Presbyteris, vt confirmarent. Ergo signum est, Episcopos non habere talem potestatem. Quippe sicut ex facto Pontificum colligimus, eos dispensare posse; si verò numquam in aliquo dispensarunt, colligimus, eos non habere talem dispensandi potestatem; ita philosophandum est in Episcopis.

Probatur secundò. Quia Florentinum in decreto de Sacram. signanter dicit, *Legitur, aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili causa simplicem sacerdotem administrasse confirmationis Sacramentum*. Igitur in Apostolica Sede dumtaxat agnoscit potestatem huius dispensationis.

13 Conueniunt vtriusque partis Doctores, nunc Episcopos de facto non posse committere Presbyteris administrationem confirmationis. Hoc autem dicunt Doctores secundæ sententiæ iure diuino statutum fuisse: quatenus Christus instituit, vt Ordinarius Minister confirmationis esset Episcopus; per extraordinariam verò delegationem sui Vicarij solius possit etiam esse Sacerdos. Prima verò sententia censet, ius diuinum extendi pariter ad delegationem per Episcopos factam: at Ecclesiastica reseruatione prohibitos Episcopos iam non posse delegare facultatem istam, sicut non possunt dispensare vota, quæ Papæ reseruantur. Quapropter etiam in prima sententia non valeret Episcopi delegatio, nec Sacramentum per talem commissionem administratum. Quamuis enim collatio confirmationis sit actus Ordinis, at concessio facultatis ad confirmandum est actus iurisdictionis, quam subindè Pontifex potest efficaciter impedire. Tenendum tamen est cum secunda sententia, iure diuino Summum Pontificem dumtaxat posse committere Presbyteris administrationem confirmationis.

14 Ad fundamentum oppositum respondetur, illud antecedens non esse generaliter verum, sed intelligendum esse de communi, & ordinaria gubernatione, seclusis causis maioribus, & ad primum gradum Imperij meri pertinentibus. Ideo se posita omni prohibitione Pontificum, non potest Episcopus ea infallibilitate definire res fidei quâ Summus Pontifex. Christus enim quædam primaria nostræ Religionis capita

soli Summo Pontifici commisit, cui regimen totius Ecclesiæ designauit. Ad Confirmationem cõstat *ex supra dictis num.3.* Concilium illud loqui de vnctione cęremoniali; alioqui posset simplex Sacerdos, quoties abest Episcopus, sine speciali commissione confirmare; quòd non admittet prima sententia.

15 Petes 1. vtrùm Summus Pontifex electus legitimè, nondum in Episcopum consecratus possit hanc facultatem simplici Sacerdoti concedere? Negat *Paludanus in 4. dist.7.q.4. art.3. fine.* Quia putat istam commissionem esse simul actum iurisdictionis, & ordinis: itavt qui confirmat, vel sit Episcopus, vel confirmet nomine delegantis Episcopi. Meliùs affirmant *Suarez, & Præpositus sup. Coninch. num.108. Diana Resol.3. Sotus supra, Layman lib.5. tract.3. cap.6.* Quoniam etsi confirmatio sit actus ordinis; at ista cõmissio facultatis ad confirmandum est actus solius iurisdictionis, quàm Pontifex electus habet plenissimam. Nec confirmatio confertur nomine delegãtis, sed nomine Christi talem Ministrum instituentis posita commissione Summi Põtificis; Qui subindè si sit Sacerdos, poterit sibimet concedere facultatem ad confirmandum: Si verò non sit Sacerdos, non poterit ipse confirmare, sed alteri Sacerdoti committere potestatem confirmandi.

16 Petes 2. An si Pontifex sine iusta causa concedat Sacerdoti facultatem istam, concessio valeat, ac subindè Sacramentum? Dubitare videtur *Præpositus, & Suarez* probabilem reputat partem negantem. Quia dispensatio in lege Superioris sine causa non valet, & in isto casu Pontifex dispensare videtur in lege Christi, qui Ministrum Ordinarium Confirmationis instituit Episcopum. Dicendum tamen est, etsi causa requiratur, & grauissima quidem, vt hęc concessio licita sit, at nõ requiri causam vt valida sit. Quia nõ est propriè dispensatio in lege Christi, sed potius commissio potestatis secundum legem, & institutionem Christi. *Sic docent Henriqu. lib.3. cap.6. num.4. Suarez, & Layman sup. Coninchus num.110. Diana Resol.6. cum alijs.*

17 Addunt isti Doctores, istam concessionem non expirare mortuo Pontifice concedente, quoniam est fauor, & gratia, quæ simpliciter, & absolutè concessa non expirat morte concedentis ex communi sensu Doctorum. Item quando conceditur ex causa, per causæ cessationem non cessare; quia non pendet ab existentia causæ. Videantur *Coninch supra n.111. Præpositus n.49. Nuñus 3.p.q.72. art.11.*

CAP. II. QVÆST. III.

Quæ sint præcepta confirmantis?

18 PRimò debet esse in gratia, vel ad illam disponi per contritionem, si conscientiam habeat peccati mortalis. Item habere debet intentionem saltem virtualem, atque debitam adhibere materiam, & formam, & solemnitatem requisitam, *vt lib.1. cap.2.* dictum est. Secundò debet, semel tantum singulos confirmare; non enim potest hoc Sacramentum iterari sine graui sacrilegio bis cõfirmantis, & confirmati. Nõ tamen incurritur irregularitas ex iteratione Confirmationis. Quia ca. *Dictum est de consec. dist.5.* nec imponit irregularitatem, nec est vsu receptum; nec argumentum à paritate iterationis Baptismi valet in pęnis. Ita contra nonnullos docent *Suarez to.3. disp.38. sect.1. & to.5. disp.42 sect.4. n.6. Bonacina de Censur. disp.7. q.3. punct.3. n.8. Coninch. q.72. n.71. Auersa ibi sect.3.* De quo tamen prudenter dubitatur, an sit cõfirmatus, confirmandus erit sub conditione. *Sic Suarez disp.35. sect.1. Bonac. de Sacram. disp.3. q.1. punct.4. n.10. Auersa supra.*

19 Tertiũ pręceptũ Episcopi circa sibi subditos est, vt opportunis temporibus hoc Sacramentũ administret per se, vel per alium, si per se commodè nõ possit. Quare negligentiã Episcopi notabilẽ in confirmando peccatum esse mortale,

dicunt *Auersa supra sect. quinta Suarez tom.3. disp.58. sect.2. Sà verb. Confirmatio num.12. Syluest. & Angelus ibi, num.3. Laym.lib.5. tract. 3. cap.6. num.* 3. Quia magno fructu priuat subditos. Quod si Minister non receperit Sacramentum confirmationis, adhuc validum illud conferet; quia non est, cur irritetur, vt docet *Bonac. disp.3.q.1.punct.2. nu.9.* peccare tamen mortaliter, asserit *Nuñus 3 p.qu.72.art.8. & 10.* quia continet magnam indecentiam. *Zambran. cap. 2.dub.2.num.4.* dicit, esse veniale peccatum; nam indecentia leuis apparet. *Victoria vero, Sotus, & Nauarrus*, quos sequitur *Suar.sup.sect.* 1. fine, nullum ibi peccatum videntur agnoscere. Quia character Episcopalis, aut Sacerdotalis nullo modo pendet à charactere confirmationis.

20 Quartum præceptum est, vt Episcopus intra suam Diœcesim confirmet, & personas sibi subditas. Non enim licet Episcopis, exercere Pontificales actus, qualis est administratio confirmationis, extrà suam diœcesim, nisi licentiam habeat expressam ab Ordinario loci, & in personas eidem Ordinario subiectas dumtaxat. Sic post alia iura decernit *Tridentinum sess.6.ca.5.* imponens ipso iure suspensionem ab exercitio Pontificalium Episcopo secus facienti. Sic docent *Henriq.li.3.c.6.n.6. Sà ver. Confirm.n.3. Trullenc. de Sacram.lib.2. c.fin.nu.15.* Et quidem *Suar.sup.sect.2. & Filliuc.tr.3.nu.31.* agnoscunt ibi graue peccatum, sed addunt, nullam esse censuram impositam ipso iure tali culpæ; quòd etsi *Paludan. & Syluest.* asseruerint ante *Trid.* post illud non erit asserendũ, cum expresse loco citato suspensionem imponat. Videantur *Bonac.tom.3.disp. 3.q.2.punct.12. & Barbosa de potest. Episc. par.2. Allegat.30.num.* 15.

21 An autẽ Episcopus in sua Diæcesi possit subditos alterius confirmare? Negant *Viuald. de confirm.c.5.n.8. Petrus de Ledes. ibi c.9.concl.7. Barthol. ab Angelo Dialog.3.§.61. Bonac. de Sacr. disp.3.q.1. punc.2.n.11. Trullen. sup.* Probatur, quia verè mitteret falcem in messem alienã, & parceret alienas oues, quod grauiter prohibetur ipso iure naturali. Quapropter ad cuiuslibet Sacramẽti licitam administrationẽ iurisdictio requiritur ministrantis in recipiẽtem; ac subindè nec Fidelib. licebit ab alienis Episcopis accipere Sacramentum confirmationis sine licentia proprij simpliciter loquendo.

22 Dicendum nihilominus est, ex præsũpta voluntate proprij pastoris Episcopũ posse subditos alienos in sua Diæcesi confirmare; iam.n. per illam volũtatem subduntur sibi. Prudenter autẽ præsumitur hęc voluntas Episcopi proprij, dum Episcopus in sua Diæcesi vult alienũ ordinare dimissorias habentem ordinarij sui, repetitque non fuisse confirmatum. Cum.n. cõfirmatio præmitti debeat ordinibus, qui concessit facultatẽ ordines recipiẽdi, censetur etiam concedere facultatem recipiendę confirmationis. Nã vno concesso, censentur etiam concessa reliqua, sine quibus illud conuenienter haberi non potest. Ita censent *Henriqu. sup. Layman n.2. Zambran. n.3. Fagund. Precept.5.lib.3.cap.3.num.8. Diana par. 3.tract.4.Resol. 24 part.2. tract.17.Resol. 17.par.4.trac.4. Resol.50.*

23 Deinde dum non constat cõtraria voluntas Episcopi alieni, potest Episcopus in sua Diæcesi confirmans, alienis etiã subditis hoc Sacramẽtum ministrare, prudenter pręsumens, gratum id fore proprio ipsorum Antistiti. Quoniã hoc Sacramentum etsi non sit absolutæ necessitatis, est tamen vtilitatis maximæ, qua non est credendum velle proprium Episcopum suas oues priuari. Præcipuè cum indè nullum ei proueniat incõmodũ, sicuti prouenire posset ex ordine per alienum Episcopum collato. Subindéq; possunt Fideles ab alienis Episcopis recipere confirmationem ex præsumpta licentia proprij. Sic tenent *Henriquez, Auersa, Diana, Laym. sup. Barb. n.14. Genuensis in Man.cap.54.n.7. Quintan. cum alijs tr.2.singul.13.* indè forsan vsu receptũ est, vt Episcopus in sua diæcesi confirmans omnib. ad se confluentibus confir-

matio-

mationem ministret, nihil disquirens, an sint propriæ, vel alienæ diæcesis. Secus vero procedit, cum ordinem ministrat. Fundamentum oppositum probat, per se loquendo non licere, non tamen excludit voluntarē Episcopi proprij prudēter præsumptā, dū opposita nō cōstat.

CAPVT III.

De recipientib. Confirmationem.

1 SVppono, solum excludi non baptizatos, vt docent. *Magist. in* 4. *dist.*7. *S. Thom.*3.*p.q.* 72.*art.*6. *Coninch.ibi n.*72. *Suar. disp.*35. *sect.*1.*Concil.Florent.& Trid.sess.*14.*c.*2. Sicut enim baptismus est Ecclesiæ ianua, sic etiam Sacramentorum. At omnes baptizatos cuiusuis ætatis, sexus, & status esse capaces confirmationis, colligitur ex *Actor* 2. vbi dicitur spiritus sanctus repleuisse totam domum, & omnes ibi commorantes: Docet item, *Vrban.Papa c.*1.*de consecr.dist.*5. Probat Eccles. traditio, praxis, & cōsensus Doct.

CAP. III. QVÆST. I.

An teneamur sub præcepto recipere confirmationem.

2 PRima sententia docet, dari præceptum diuinum data commoditate recipiendi confirmationem in eiusdem institutione contentum. *Ita Martinon* 3. *p. disp.*27. *n.*39. *citantur etiam Scot.in* 4.*dist.*7.*q.*2.*Richard.art.*5. *q.*1.*Vualdens.to.*2.*de Sacr.c.*111. *& alij.* Probatur; nam hoc Sacramentum institutum est ad perficiendum hominem Christianum, illumque protegendum à periculis, & tentationibus huius vitæ, vt dicunt. *Vrbanus, & Melchiad.Pontifices in c.*1. *&* 2. *de consec.dist.*5. Sed quilibet tenetur fidem, & charitatem ab impugnationibus illæsam conseruare. Teneatur ergo talis conseruationis media suscipere, ne censeatur prodigus suæ salutis contemptor. Ideò dicitur in c. *Vt ieiuni*, nunquam fore Christianum, qui confirmationem non receperit, & in c. *De his eadem dist.*5. non posse segregari confirmationem a Baptismo, quod de obligatione diuini præcepti videtur intelligendum.

3 Secunda sentētia docet, quando fides publicè corā tyrāno profitenda est, teneri fidelē pręcepto diuino, prius confirmari, si commodè possit. *Ita Durand. in* 4. *dist.*7.*q.*1.*art.*2. *Marsil.q.* 5. *art.*4. *Turrecr.c.*1.*de consecr. dist.*5. Probatur, quia singulare periculum exigit auxilia singularia, quæ per Sacramentum confirmationis conferuntur ad roborandū fidelem, vt sine timore, seu pudore fidē profiteatur. Sic dictum est Apostolis, Luc 24. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, quasi nō debeāt fideles ad agonem fidei prodire, nisi prius per confirmationem roborētur spiritus sancti gratia peculiari. Sic etiam dixit, *Melchiad. sup. Victuris necessaria sunt Confirmationis auxilia. Ideò Filliuc. tr.* 3.*n.*40. putauit, saltē olim ob frequentes persecutiones fuisse præceptū diuinum, vt semel in vita, nō determinādo tēpus, vel in necessitate fidei confitendæ confirmatio reciperetur, si posset, ne quis exponeret se temerè periculo labendi.

4 Tertia sentētia fatetur, dari præceptū recipiēdę confirmationis, non tamē diuinum, sed Ecclesiasticum impositum *c.*1.2.3.*&* 6.*de consec.dist.*5. quorum verba iam partim retulimus. Fauet *Concil. laodicense c.*8. dicens oportere hoc Sacramentum recipere. Probatur à paritate; nam Episcopus negligens in conferendo confirmationis Sacramento grauiter peccat. Ergo grauiter etiam peccat, qui Sacramentum istud non recipit, imò negligit. Adhuc *Caietanus in summa verb. Confirmatio, & Nauarr. c.*22.*n.*9. dicunt secluso contemptu, solum esse veniale peccatum omittere confirmationem ex negligentia, quasi non violetur grauis obligatio, sed leuis.

5 Quar-

5 Quarta sententia docet, nullum dari præceptum diuinum, vel humanum recipiendæ Confirmationis, quia nullibi reperitur. *Indicat S. Thom. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.* quatenus seclufo contemptu dicit, non esse peccatum omittere confirmationem, sed indè solum prouenire detrimentum perfectionis. Tenent *Sotus, Adrian. Angel. Victoria, Couarr. quos refert, & sequitur, Suar. to. 3. disp. 38. sect. 1. Viuald. Sayr. Valent. Nunnus, Toler. Reginald. Ledesm. quos sequitur Bonac. disput. 3. q. 1. punct. 2. Palaus to. 4. tract. 20. punct. 8. nu. 5. Trullench. de Sacram. lib. 2. c. fin. nu. 5. Henriq. lib. 3. c. 1. num. 6. Zambran. c. 2. dub. 4. Laym. lib. 5. tract. 3. c. 5. Coninch q. 72. nu. 88. Lessius ibi nu. 29. & 31. Auersa sect. 6. Diana cum alijs p. 3. tract. 4. Resol. 20. & 25. & p. 5. tract. 3. Resol. 30.* Probatur quia si daretur vllum præceptum recipiendæ Confirmationis Ecclesia cogeret omnes ad illum implendum, sicut nos cogit ad Pœnitentiam, & Eucharistiam recipiendam, præscribendo tempus receptioni, quo sine receptione transacto, censuris etiam vrgeret. Sed nec tempus præscripsit confirmationi recipiendæ, nec cogit ad eius receptionem; nec vrget censuris. Ergo non datur tale præceptum.

6 Dico 1. qui per contemptum omitteret confirmationem, peccaret mortaliter: Quia grauis est iniuria Dei tantum eius donum despicere. Sic fatentur omnes, qui communiter censent contemptum etiam consiliorum esse graue peccatum. Contemptus autem confirmationis erit, si quis nihili pendeat hoc Sacramentum, aut effectum ipsius, seu vilem reputet, & puerilem eius receptionem, vt notant *Laym. & Suar. sup. Coninch. num. 87.* Addunt *Richardus in 4. disp. 7. art. 5. q. 1. Gabriel ibi q. 1. art. 3. dub. 3. Syluest. verb. Confirmatio nu. 3. Toletus lib. 2. cap. 24.* notabilem etiam negligentiam censeri contemptum; vt si quis oblata occasione, qualem postea facilè non habebit, omittat confirmationem: Quo forsan sensu locuti sunt Authores primæ sententiæ. Verum id facilè refellitur, multa siquidem animæ salubria solemus omittere, vel ex torpore quodam, vel quoniam aduertimus, ad animæ salutem absolutè nobis non esse necessaria; quæ tamen non ideò contemnimus, sed valdè proficua profitemur. *Ita Suar. & Laym. sup.*

7 Dico 2. propter scandalum erit lethalis omissio confirmationis, quando ratione circumstantiarum putandus esset aliquis omittere confirmationem, vel ob contemptum, vel ob hæresim. si fit suspectus de fide. *Sic Suar. Laym. & Zambrano supra Coninch. nu. 89. Addit Nunnus 3. part. q. 72. art. 8.* Si quis sit in articulo mortis, & Episcopus velit illum confirmare, ipseq; nolit recipere Sacramentum, peccare mortaliter ob scādalum. Mihi videtur casus fore rarus, & scandalum vitari posse, si dicat se magni facere Sacramentum confirmationis, nolle tamen illud recipere, quia non tenetur. *Ochagau. de Confirmat. q. 12. nu. 4.* dicit, fore mortale peccatum omittere confirmationem in articulo mortis, si quis habens conscientiam peccati mortalis, non possit aliud Sacramentum recipere. Verum rarissimè continget, vt possit quis petere confirmationem, & nequeat saltem exhibere signa doloris & petere confessionem, vt Sacramentaliter absoluatur. *Auersa, Suar. & Coninch*, addunt ratione conscientiæ posse peccari mortaliter omittendo confirmationem, si quis nimirum sibi persuadeat, sine tali Sacramento periculum imminere sibi succumbendi persecutioni, seu tentationi. Ego consentirem, si conscientia sit erronea nam conscientia vera nunquam proponet illud medium, vt simpliciter necessariū ad cōseruādā fidē, aut charitatem.

8 Dico 3. seclufo contemptu, vel scandalo, per se non est mortale peccatum omittere confirmationem ex torpore, vel negligentia; quia re vera nullum est præceptum diuinum, vel humanum, nec consuetudo communis obligans sub mortali ad recipiendam con-

confirmationem, cum hæc per se non conferat primam gratiam, quæ simpliciter requiritur ad animæ salutem, sed eius augmentum, quod vtiq; per se non cadit sub præceptum. Nec ius Canonicum addit obligationem, sed explicat vim, & effectum huius Sacramenti. Sic tradit quarta sententia, & eius Doctores latè confirmant. Ideò cum Episcopi Sacramentum Confirmationis administrare volunt, admonetur populus, non tamen strictè iubetur, vt qui confirmati non sunt, ad Confirmationem recipiendam accedant, aut adducantur. Videatur *Catechism. Roman. p. 2. de confir. n. 13.*

9 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, Confirmationis Sacramento reddi Christianum perfectum non simpliciter quoad substantiam, sed quoad maiorem plenitudinem spiritus, & perfectionis, cuius non datur præceptum; nec ex Confirmationis omissione proximum incurri labendi periculum, quod sub mortali teneamur euitare; cum sint alia media communionis, orationis, & similium ad impetrandum auxilium etiam speciale. In cap. *De his* loquitur Pontifex iuxta morem sui temporis, quo tenebantur Prælati mox post baptismum ministrare Confirmationem. At hodie iam ille mos cessauit, vt constat, & notant *Layman supra, Coninch num. 85.*

10 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, illud periculum alijs medijs præcaueri posse. Nec vrget exemplum Apostolorum, qui iussi sunt expectare plenitudinem Spiritus sancti; quoniam vt primi fundatores Ecclesiæ sensibili miraculo confirmandi erant, pluribus etiam donis locupletandi, sapientiæ, scientiæ, prophetiæ, linguarum. At reliquis Fidelibus necessaria sunt Confirmationis auxilia secundum quid, non simpliciter. Vnde soluitur fundamentum tertiæ sententiæ; nam illi textus expendunt efficaciam Confirmationis ad roborandam, & augendam gratiam, non tamen supponunt, aut imponunt necessitatem præcepti.

11 Vnde fit, per se loquendo nec veniale peccatum esse Confirmationem omittere; quia cum nullum sit præceptum, nulla committitur omissionis culpa per se. Sic asserit *Petrus de Ledesma tom. 1. tract. de Confirm. cap. 8. conclus. 3.* Vix autem continget, omitti Confirmationem sine veniali culpa, quando commodè recipi potest. Quippè talis omissio sine causa priuat nos magnis bonis spiritualibus, ac subindè continet prodigalitatem quandam spiritualem, quæ culpabilis sit. Ita *Suarez, Nuñus, Auersa, Lessius, Ochagauia, Zambrano supra, Coninch num. 91. Reginaldus lib. 28. numer. 27.*

CAP. III. QVAEST. II.

An Ordinandi debeant prius confirmari?

12 INnuit *Sotus in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 7. concl. 3.* teneri fideles sub veniali præmittere Confirmationem ante susceptionem Eucharistiæ. Nam hic est ordo Sacramentorum istorum, & Ecclesiæ praxis, vt adulti, qui baptizantur, subindè confirmentur, & tunc ad Eucharistiam admittantur. Aliqui volunt, eos, qui matrimonium ineunt, debere prius confirmari. Certissimum tamen est, non subesse talem obligationem: Quia nec habetur ex vi talium Sacramentorum, nec ex vlla lege Canonica, nec ex consuetudine. Quin sæpè sine scrupulo recipiunt Eucharistiam, & Matrimonium, qui nondum confirmati sunt. Et ordo numerandi Sacramenta, vel vsus in baptizatis adultis indicat solum maiorem conuenientiam, quando seruari potest videlicet quoties Episcopus baptizat aliquos adultos, conueniens erit, vt si commodè possit, mox illos cōfirmet, antequam communicent. Quare supponendum est, nullam esse culpam cætera Sacramenta præter ordinem ante Confirmationem ministrari, vel recipi: Quippè nullum violatur præceptum, quod in iure, vel in vsu fundetur.

Ita

Ita contra *Sotum docent Suarez tom. 3. disp.* 38. *sect.* 1. *Prepositus* 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *num.* 38. *Coninch ibi nu.* 90. *Auersa, sect.* 6. *Granado de confirm. disp.* 2. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *Resol.* 50 *Quintanad. tractat.* 2. *singul.* 4. *Zambrano, cap.* 2. *dub.* 3.

13 Restat difficultas circa Sacramentum ordinis; & prima sententia docet, obligari grauiter ordinandum ad præmittendam Confirmationem, itaut mortaliter peccet, qui suscipit ordines ante Confirmationem. Ita *Toletus, Forvarius, Maiolus, quos sequitur Auersa supra, Bonacina de Sacram. disp.* 8. *quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 10. *Consonat Nuñus* 3. *p. q.* 72. *art.* 8. quoties aliquis suscipit ordines maiores ante Confirmationem, vbi putat subesse magnam indecentiam. Addunt nonnulli, quos refert *Henriquez lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 6. *lit. Q.* si quis non confirmatus ordinetur, irregularem fieri, sicut si per saltum promoueretur.

14 Probatur hæc sententia; quia *Tridentinum sess.* 23. *cap.* 4. *de Reformat.* præscribit, vt prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei rudimenta, legere, ac scribere nesciant. Quæ verba licet ad conferentes primam tonsuram dirigantur, tacitè suscipientem ligant, ne sine Confirmatione tonsuram recipiat. Quod autem imponant grauem obligationem, colligitur; nam eodem modo prohibent ordinari non confirmatum, & nescientem Fidei rudimenta, vel primas litteras; sed illum ordinari, qui nec Fidei rudimenta, nec scribere, nec legere nouit, est graue peccatum, vt censet *Petrus de Ledesma tract. de ordine, cap.* 6. *concl.* 4. *& alij.* Ergo similiter erit graue peccatum ordinari non Confirmatum.

15 Secunda sententia communior, & probabilior asserit, non esse mortale peccatum vel ordinare, vel ordinari non confirmatum. Ita *Sotus, Victoria, Nauarrus, Vsualdus, quos sequunt Henriquez lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. *Suarez, Coninch, & Zambrano supra, Valentia tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 3. *Reginaldus lib.* 28. *num.* 24. *Molfesius tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 21. *Palaus tom.* 4. *disp.* 1. *tract.* 20 *punct.* 8. *num.* 6. *Bonacin. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. *num.* 8. *Couarrubias, Abbas, Adrianus*, quos sequitur *Layman lib.* 5. *cap.* 5. *tract.* 3. Quorum aliqui probant; quia nullum datur præceptum suscipiendi Confirmationem ante ordinem; Tridentinum enim solam habet admonitionem. Alij putant, præceptum ibi contineri, sed non obligare grauiter; quia verba Tridentini iuxta communem acceptionem non inducunt grauem obligationem. Ita *Bonacina, Layman, & Palaus supra.*

16 Itaq; dicendum est, peccare tam Episcopum ordinando non confirmatos, quam hos ordinem, siue primam tonsuram recipiendo; quia probabilius est, in Tridentino præceptum contineri propter fundamentum primæ sententiæ. Cœterum nec hoc peccatum inducit irregularitatem; cum nullibi reperiatur expressa, vt notat *Henriquez supra cum alijs*; nec forsan est mortale, sed veniale graue; vel quia leuis est materia; vel quia consuetudine, communiq; sensu Doctorum sic præceptum temperatum est. Vnde soluitur fundamentum contrarium; potest enim Tridentini præceptum quoad secundam partem sortiri materiam grauem, & receptum fuisse cum obligatione graui, quod non contingit in prima.

17 Præcepta recipientis Confirmationem numerantur duo. Primum ne recipiatur indignè, nec sine debita intentione. Secundum, vt semel tantum recipiatur, nec vnquam iteretur. Alioquin committitur mortale peccatum, & secunda confirmatio non valet; non tamen propterea incurritur irregularitas, vt cum sententia probabiliori diximus supra *cap.* 2. *quæst.* 3. *Videatur Auersa* 3. *part. q.* 72. *sect.* 6. & quod dicemus *infra quæst.* 6.

(∴)

CAP.

CAP. III. QVAEST. III.

An confirmandi sint infantes?

18 Prima sententia veterum affirmat. Indicant *S. Th. in 4. dist. 7. q. 3. art. 2. S. Bonauentura, Richardus, Gabriel ibi, Moure cum alijs part. 3. cap. 3. §. 7. n. 2.* Probatur ex vsu Ecclesiæ primitiuæ, quæ pueris etiam statim post baptismum conferebat Sacramentum Confirmationis, vt testatur *Suarez 3. p. to. 3. disp. 35. sect. 1.*

19 Secunda sententia docet, expectandum esse duodecimum annum, qui pubertatem constituit, siue perfectam ætatem. Ita *Marsil. in 4. q. 5. dub. 3. Glossa in cap. Vt ieiuni. De consec. dist. 5.* Probatur ex illo textu decernente, vt qui confirmandi sunt, ieiuni sint, & ætatis perfectæ, moneanturq; confiteri prius, vt mundi recipiant Spiritus sancti donum. Sed hæc pubertatem requirunt. Ergo non decet, impuberes confirmari.

20 Dico 1 si suppetat copia recipiendi Confirmationem, non expedit post vsum rationis diutius eius receptionem differri. Quippè dignius recipitur ab Innocente, qui gratiam baptismalem adhuc retinet; & ipsum Sacramentum a grauioribus lapsibus præseruat. Ita *Paludanus, Sotus, Syluester*, quos sequitur *Suarez sup. sect. 2. Henriquez lib. 3. cap. 5. n. 2. Coninch. q. 72. n. 79. Auersa ibi sect. 6. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 5. Palaus tom. 4. tract. 20. punct. 7. Bonacina de Sacram. disp. 3. q. 1. punct. 4. cum alijs.*

21 Dico 2. Quamuis in Ecclesia primitiua persecutio frequens, mors imminens, paucitas Episcoporum fuerit causa sufficiens, vt statim post Baptismum (si posset) Confirmationis Sacramentum etiam infantibus conferretur. At nunc in Ecclesiæ pace rationabilis est consuetudo plurium Diæcesum, vt ad Confirmationem recipiendam exspectetur vsus rationis, qui ferè contingit in septennio; partim vt Sacramentum maiore cum reuerentia, & fructu recipiatur, vbi concurrit actualis fides, & reliqua dispositio recipientis; partim vt absit periculum repetendi, cum possit ipse, qui recipit, recordari, se confirmatum esse. Sic docent Auctores proximè relati. Consonat *Catechismus Romanus part. 2. c. 3. Filliucius, tract. 3. n. 36. Zambranus cap. 2. dub. 5. Lessius, q. 72, num. 26. Martinon 3. p. disp. 27. n. 42. Ochagauia, Reginaldus, Hurtado, Granado*, quos sequitur *Quintanad. tract. 2. singul. 1.*

22 Dico 3. si subsit rationabilis causa, congruè recipitur Confirmationis Sacramentum ante rationis vsum. Videlicet primo siquis modo non confirmationis; Secundo si puer morti proximus opportunè possit confirmari. Tertiò si filius Principis sit. Quartò si diæcesis consuetudo vrgeat, vt pueri confirmentur ante rationis vsum, quam in Hispania dari, testatur *Moure supra.* Sic censent *Suarez, Filliucius, Auersa, Palaus supra, Coninch, n. 81. Martinon, num. 43, Diana cum alijs part. 3. tract 4 Resol. 19. & tract. 6. Resol. 93.* Quin etiam addit *part. 5. tract. 3. Resol. 31.* citans *Hurtadum, & Granadum*, non esse prohibitum etiam sine causa cõfirmare pueros ante rationis vsũ. Quia non apparet talis prohibitio. Certè *Suarez*, & alij dicunt, Episcopum, qui sola beneuolentia, vel simili causa ductus confirmaret infantem ante rationis vsum, non admodum peccaturum. Nam Doctores communiter asserunt, expedire Confirmationem infantibus non conferri, non autem insinuãt obligationem grauem. Et quidem cum dispositio non valdè requiratur ad hoc Sacramentum, non videtur res grauis, quod conferatur infantibus; quando nec habent dispositionem, nec impedimentum. Addo, frequenter ad futuram esse causam aliquam ex supradictis, quæ culpam omnem excuset, & omnem scrupulum adimat.

CAP.

CAP. III. QVÆST. IV.

An amentes confirmandi sint?

23 PRima sententia negat. Quia Confirmationis Sacramentum datur ad propugnandam Fidem,& gratiam conseruandam aduersus persecutiones, & tentationes. Sed amentes incapaces sunt tentationis, ac pugnæ, nec possunt amittere gratiam. Ergo non debet illis conferri confirmatio, cuius finis,& effectus non est ipsis necessarius. Confirmatur ex Ecclesiæ praxi, quę non solet amentes confirmare. Sic asserunt *Sotus in 4.dist.7.quæst.1.artic.8. Valentia tom.4. disp.5.quæst.2. punct.2. Marsilius in 4.quæst.5.art.4.dub.2. Sà verb. Confirmatio.num.5. Petrus de Ledesma de confirm.cap.7. Chamerota de Sacram. tract. 3.cap.6.dub.3.*

24 Secunda sententia per oppositum affirmat. *Ita Suarez tom.3. disp.35. sect. 2. Henriquez lib.3. cap.5. num.3. Nuñus 3.p.q.72. art.8. concl. 7. Syluius ibi, Conninch, n.83. Lessius nu.28. Auersa sect. 6. Zambranus cap.2.dub.5. num. 3. Palaus tom.4. tract. 10. punct.7. Layman lib.5. tract.3. cap.5. Diana part.3.tract.4. Resol.20.& tract.6.Resol.93.& alij.* Probatur; Nam Sacramentum Confirmationis non solum dat robur ad militiam spiritualem, sed etiam potissimè confert augmentum gratiæ, cui correspondeat maior gloria; nec debent amentes hoc fructu priuari, quamuis per accidens nunquam sint pugnaturi.

25 Dico 1. amentes perpetuos, qui nunquam habuerunt rationis vsum, non solum posse, sed debere confirmari; quia capaces sunt præcipui fructus Confirmationis, scilicet gratiæ habitualis, quamuis Sacramentalem non recipiant. Nec fas est, hoc illos fructu priuare. Nec datur consuetudo contraria communis, neç rationabilis esset, cum sine causa priuaret hos fideles augmento gratiæ, cuius digni sunt, & capaces. Ita Doctores secūdę sententiæ; indeq; soluitur fundamentum primæ, Si tamen Episcopi secundum particularem morem suæ diœcesis sequantur opinionem contrariam, quam etiam *Zambranus* reputat probabilem, excusari possunt, vt notant *Auersa, Layman, & Diana supra.*

26 Dico 2. Qui fuerunt rationis compotes,& postea lapsi sunt in amentiam, confirmandi sunt, ne fraudentur fructu Confirmationis, dum in vltimo sanitatis actu non constet, habuisse mortale peccatum. Conueniunt in hoc Doctores citati, quoties amentia vel est perpetua, vel diu creditur duratura. *Bonacina disp. 3.quæst.1.punct.4.num. 6.* requirit, vt petierint Confirmationem. Sed certè quamuis non petierint, sufficit interpretatiua voluntas, quæ censetur adesse cuilibet fideli suscipiendi media salutis æternæ, qualia sunt Sacramenta omnibus communia. *Sic Suarez, Lessius, Layman, Diana sup.*

CAP. III. QVÆST. V.

An moribundi confirmandi sint?

27 MElchiades Papa *cap. Spiritus sanctus. De consecr. dist. 5.* significat, non esse Confirmationem ministrandam morituris; quia iam præliaturi non sunt aduersus impugnatores Fidei. Confirmari potest, quoniam Confirmatio solet in Ecclesia ministrari, non in domibus particularibus ęgrotantium. Nihilominus per se loquendo ministranda quidem est, si commodè possit; ne moribundi tanti Sacramenti fructu fraudentur; quando modicum tempus habent augendi thesaurum cœlestem; Quamuis enim pugnaturi non sint aduersus hostes Catholicæ Religionis, subindeq; non egeant gratia Sacramentali Confirmationis, capaces sunt augendi gratiam iustificantem, cui correspondeat augmentum gloriæ; Sic censent *S. Thomas 3. parte quæstione 72. articulo 8. Conninck ibi numero 82. Auersa sectione 6. Suarez to.3. disp.*

disput.35.sect.2. Layman. lib.5. tract.3. c.5.q.3. Felliuc. Hurtad. Grattiol. & alij, quos sequitur Quintanad. tract.2. sing.2.

28 Hinc soluitur fundamentum contrarium. Quoniam *Melchiades sup.* solum asserit, non ita necessariam esse confirmationem morituris, ac victuris, non vero negat esse valdè proficuam cunctis. Quoad locum ostendemus infra *c.4.q.2.* posse Confirmationem in quouis honesto loco ministrari, præsertim quando suppetit iusta causa. *S. Carol. Borromæus in decreti Mediolan. c.27. sic ait. Si quis cum periculosè ægrotat, se confirmatum non esse meminerit, ac proptereà ministrari sibi Confirmationem petat. Tunc Episcopus, si eo loci est, vbi ille ægrotat, ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna inuisat; & confirmet.*

29 Hoc idem asserunt de capite plectendis. *Ioann. Sanch. disp.43. & Quintanad. sup.* quia non minus egent, quam sani, robore Confirmationis ad vincendas tentationes Dæmonis, qui cum modicum tempus habeat, vehementius vrget homines præsertim vitijs assuetos, & integris adhuc sensibus; qui subindè quo viuacioribus passionibus agitantur magis periclitantur de victoria. Sic aliquos Episcopos, vel in Ecclesia, vel in ipso carcere confirmationem ministrasse plectendi, testantur. *Quintanad. & Viuald. apud illum, quod laudat Sanch. sup. consonat Ragutius de confirm. q.37.* dicens, extra locum sacrum, & in carcere posse ministrari Confirmationem, siquis plectendus capite nondum sit confirmatus.

30 Hinc infert *Quintanad.* si capite plectendus, vel quilibet moribundus confirmationem petat ab Episcopo suo hunc sub mortali debere ministrare petenti confirmationem; sicut illam sub mortali debere temporibus opportunis ministrare suis subditis, diximus cum communi sententia *c.2. q.3.* Ne priuet oues suas præsertim in articulo mortis tanto fructu, quem iure sibi postulant à proprio pastore suppeditari.

31 Verum ego censeo, non esse tam strictam obligationem Episcopis imponendam, vt sub mortali teneantur, omnes plectendos, & moribundos petentes confirmationem adire, ac confirmare. Quin communiter isti non confirmantur propter incommoditatem ministrandi tale Sacramentum cum debita solemnitate, vt asserunt, *Suar. Coninch. & Laym. supr.* Sic etiam innuit Innoc. I. *Epist.1. circa fin.* dicens. *Episcopi occupationibus alijs impediti ad omnes languidos ire non possunt; Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate sine cunctatione potest.* Itaque potius ad opus supererogationis quam obligationis pertinet, quod Episcopus interdum vni, vel alteri plectendo, vel moribundo ministret confirmationem, vt indicant. *S. Carolus, & Ioan. Sanch. supr.*

CAP. III. QVÆST. VI.

An confirmandus prænosse debeat rudimenta Fidei?

32 Pontificale Romanum, sic ait. *Nullus Christianæ fidei documentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum confirmationis, vel ad tenendum confirmandum.* Idem magis exprimunt decreta, *Mediolan. lib.3. de vnct. tit.27. cap.31.* vbi videtur contineri præceptum prænoscendi doctrinam Christianam antè receptionem confirmationis. Fauet *S. Clemens Papa lib.3. const. cap.1. dicens, chrisma confirmatio confessionis, seu professionis est.* Ergo qui confirmatur, debet scire fidem, quam in hoc Sacramento confessurus, & professurus est.

33 Nihilominus dicendum est, per se loquendo neminem teneri doctrinam Christianam, siue rudimenta fidei scire præcise propter Confirmationem recipiendam. Nec enim institutio diuina, nec aliquod præceptum humanum talem obligationem imponit. Imò confirma-

firmatio ministrabatur olim, & nunc etiam(vt vidimus, *q.3.*) sæpè licitè ministratur infantibus, qui Fidei rudimenta scire nequeunt. *Ita Quintanad. tract. 2. singul.1.*

34 Ad auctoritatem Pontificalis Romani rectè respondet. *Granado tract.4. de confirmat. disp.2.nu.3.* ibi sermonem esse de adultis, qui confirmari volunt, quod satis indicat illud verbum *ingerat*, infantes enim non ingerunt, se, sed ab alijs deferuntur. Et quidem in adulto recepturo confirmationem per accidens requiretur aliqua notitia doctrinæ Christianæ; debet enim scire Sacramentum, quod recipit, vt habeat intentionem formalem illius recipiendi. Debet item examinare conscientiam suam, ne cum labe peccati mortalis accedat, sed prius per confessionem, aut contritionē emundet animam suam. Hæc autem vix præstare poterit, qui rudimenta nostræ Fidei non didicerit, saltem aliqua.

Si verò contingat, quod adultus omninò doctrinam Christianam ignoret, non ideò (data confirmationis opportunitate) differat eius receptionem, sed per contritionem, aut confessionem deleat peccatum illius culpabilis ignorantiæ, sicut alia mortalia delere solet, & instruatur de Sacramento, quod recepturus est. Sic enim validè, ac licitè poterit confirmari.

CAPVT IV.

De Confirmationis effectibus, & ritibus.

1 Effectus confirmationis communes ferè sunt alijs Sacramentis, ideò quæ diximus *lib.1. c.3.* de Sacramentis in communi, debent applicari Confirmationi: sed adhuc ad maius doctrinæ complementum effectus istos in particulari breuiter præstringemus.

CAP. IV. QVÆST. I.

Qui sint effectus confirmationis.

2 Imprimis confirmatio characterem imprimit indelebilem, quasi tesseram Christianæ militiæ, de quo diximus, *lib.1.c.3.q.6.* Et quidem quamuis non sit contra fidem, ponere characterem confirmationis quasi modum, & extensionem characteris Baptismi; dicendum tamen est, illum ab hoc distingui non solum numero, sed specie, quia diuersum habet munus. Videantur *Henriq. lib.3.c.4. Suar.to.3.disp.4.sect.1. Bonac. disp.3. q.1. punct.4 Auersa 3. part. q.72. sect.4.*

3 Deinde confirmatio communicat gratiam habitualem, quę per se roboret, & augeat gratiam per Baptismum acceptam, vt definitur *in Trid.sess.7.can.2. de confirm.& in multis Decretis de consecr.dist.2.* Ideo confirmatio dicitur Sacramentum viuorum. Per accidens vero conferre potest primam gratiam, si peccator cum bona fide confirmetur attritus, vt diximus, eo *c.3.q.2.& 3.* confert etiam confirmatio gratiam Sacramentalem, idest actualis, & specialis gratiæ robur, & auxilium opportuno tempore præbendum ad Christi fidem constanter profitendam, vt diximus, *lib.1.c.3.n.3.& docent S.Thom.3.p.q.72. art.7. Coninch ibi Suar. Henriq. Auersa, Bonacina sup.*

5 Ad characterem recipiendum sufficit in adultis voluntas suscipiendi confirmationem: in infantibus nec ista requiritur, sed sola capacitas confirmationis ex præuio Baptismo; voluntatem enim ipsorum supplet Christus, & Ecclesia. Ad gratiam in confirmatione recipiendam per se requiritur status gratiæ, ac per consequens in peccatore contritio: Per accidens sufficiet attritio cum bona fide. Siquis vero peccator non attritus confirmetur, obice postea sublato,

sublato, recipiet gratiam, vt diximus *lib.1. cap.3. quæst.4. & 5.* Quamuis nullum sit præceptum præmittendæ confessionis ante Confirmationem, longè consultius erit peccatori præmittere confessionem. Quamobrem Episcopi confirmandos ad id exhortari debent, iuxta cap. *Vt ieiuni. De consecrat. dist.5.* vel etiam præcipere, si particularis Ecclesiæ consuetudo id exigat. Ita *Layman lib.5. tract.3. cap.4.*

5 Sacramentum Confirmationis habere virtutem supernaturalem ad expellendos morbos, & abigendos Dæmones, indicat *Pontificale Romanum*, dum in benedictione balsami sic Episcopus orat. *Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum, vt quicunque baptismate sacro renati, isto fuerint oleo perunctis, corporum, ac animarum benedictionem plenissimam consequantur.* Et in benedictione chrismatis sic ait. *Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, vt omnis virtus aduersarij, omnis exercitus Diaboli, omnisque incursio, & omne phantasma Sathanæ eradicetur, & effugetur a te.* Cum enim tales effectus aquæ benedictæ tribuantur ex eius benedictione, chrismati, quod sacratius est, potiori iure tribuentur.

6 Hoc in Suecia cœcus inunctus à S. Remberto Bremensis Ecclesiæ præsule, visum recuperauit, vt refert *Surius tom. 1. die 4. Februarij.* Puer etiam cœcus confirmatus à B. Faro Episcopo Meldensi, visum recepit, vt idem testatur *tom.5 die 28. Octobris.* Dæmones expelli, vel obmutescere virtute Confirmationis, referunt Lactantius, Prudentius, & Cantipratensis apud *Quintanaduen. tract.2 singul.9.* Verum non licere reor, vti sacro chrismate vel ad Dæmones, vel ad morbos pellendos; quia prohibetur in Concilio Maguntino sub *Leone III. cap.37.* & est contra receptum Ecclesię morem; siquidem viri sapientes, & pij nunquam extra Sacramentum vtuntur sacro chrismate. Siquis tamen bona fide nunquam vngendis infirmis applicaret sacrum chrisma, non peccaturum mortaliter, asserit *Quintanaduen. vs supra.*

CAP. IV. QVÆST. II.

Qui sint ritus Confirmationis?

7 Varij ritus adhibentur ad consecrandum chrisma. Primo siquidem oleum separatim Episcopus benedicit, similiter & balsamum: Deindè super os ampullæ continentis vtrumq; simul cum duodecim Sacerdotibus halat. Demum postquam admiscuit balsamum, reuerenter salutat. Vide Pontificale Romanum. Tempus consecrationis est feria 5. maioris hebdomadæ; locus est Ecclesia, dum Missa Pontificalis celebratur. Videatur *Suarez 3. p. tom. 3. disp.37. sect.1.*

8 Ritus ministrandi Confirmationem nonnullos numerant *S. Thomas, 3. p. q 72. art.12. Coninch ibi. Suarez supra sect.2. Henriquez lib.3. cap.6. n.7. Bellar. de Confirm. cap. vlt. Reginaldus lib.28. n. 15. Fillucius tract.3. cap.3. quæst.8.* Primus est circumstantia temporis. Olim in vigilia Resurrectionis, & Pentecostes post Baptismum conferebatur. cap. *Vt Episcopi. De consecr. dist.5.* Iam quouis tempore conferri potest, etiam interdicti, quo potest quoq; chrisma consecrari. cap. *Responso. De sent. excomm. cap. Quoniam. eodem tit. in 6.* Videantur *Suarez, & Henriquez sup. Coninch n.114.*

9 Secundus ritus est locus, circa quem Pontificale præscribit, vt Confirmatio ministretur ante medium altaris, vel in alio loco decenti. *Nuñus 3. p. q 72. ar.12. Granado de confirm. tr.2. disp.2. Sà in correcta verb. Confirmatio n.1* putant, debere sub graui culpa Confirmationem in Ecclesia ministrari, sicut Baptismum solemnem. Quoniam excellentior est Cōfirmatio, quam Baptismus; sed mortale peccatum est baptizare quempiam extra Ecclesiam sine necessitate. Igitur etiam confirmare. Accedit communis

Ecclesiæ consuetudo, quæ videtur in re graui grauiter obligare.

10 Dicendum tamen est, posse ministrari Confirmationem in quouis honesto loco. Sic enim Pontificale præscribit; sic praxis obseruat, siquidem non solum in Ecclesia, sed in Oratorio particulari, vel in Episcopali palatio, vel in simili loco ministrari solet. Ita *Suarez, & Henriquez sup. Layman, lib. 5. tract. 3. cap. 7. Præpositus 3. part. quæst. 72. art. 12. num. 54. Bonacina cum multis de Sacram. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. Diana part. 2. tr. 17. Resolut. 17. & part. 4. tract. 4. Resolut. 50. Leander, Hurtado, Fillius, quos* sequitur *Quintanad. tractat. 2. singul. 2. num. 4.*

11 Nec exemplum Baptismi solemnis vrget, cum circa Baptismum detur præceptum, & non circa Confirmationem. Consuetudo verò nec est communis, si quidem plures Episcopi timorati Confirmationem in suis Palatijs ministrant; nec alicubi recepta fuit cum obligatione tam graui: decens tamen erit, vbiq; seruari consuetudinem receptam. Potest etiam in loco interdicto Confirmatio ministrari ianuis apertis, vt colligitur ex cap. *Quoniam. De sent. excomm. in 6.* & notant *Henriquez supra Barbosa cum multis de potest. Episc. part. 2. Allegat. 31 num. 23.* qui subdit *num. 25.* probabiliter idem esse de consecratione chrismatis.

12 Tertius ritus est, vt Episcopus induatur vestibus sacris, scilicet Rocheto, Stolla, Pluuiali, Mitra, & Baculo Pastorali iuxta rubricam Pontificalis. Quam ceremoniam omittere fore graue peccatum, & forsan mortale, dicunt *Nuñus 3. part. quæst. 72. artic. 12. Candidus tom. 2. disquisit. 1. artic. 10. dub. 27.* quasi non audeant mortale peccatum in omissione vestium pro ministranda Confirmatione simpliciter asserere. Fauet *Villalobos tom. 1. tractat. 6. diffic. 8. numero 3.* dicens, ceremonias accidentales in administranda Confirmatione non esse seruandas sub mortali; Sed ceremonia sacrarum vestium est accidentalis, cum non habeat specialem significationem, sed pertineat ad solum ornatum, vnde leuis etiam apparet. Igitur eius omissio non erit culpa lethalis.

13 Nos diximus *lib. 1. cap. 2. quæst. 14.* cum communi sententia, ceremonias accidentales pro Sacramentorum administratione præscriptas ex genere suo grauiter obligare; quia cadunt sub præceptum religionis, & cultus diuini; posse tamen ex leuitate materiæ reddi nonnunquam omissionem venialem. Consonant *Henriquez, Suarez, Valentia, Lessius, Azor, Reginaldus,* quos sequitur *Bonacina supra disput. 1. quæst. vlt. Præpositus, quæst. 82. art. 5. n. 187.* Quare cum ministrare Sacramentum sine vestibus sacris eius administrationi præscriptis sit vtiq; materia grauis contra præceptum illud Ecclesiæ; subindè mortale peccatum erit sine talibus vestibus ministrare Sacramentum. Ita docet in Baptismo solemni *Ioannes Petit Theol. Sacram. tract. 2. sect. 29. in Extrem. Vnction. Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 1. num. 7. In Confirmatione Diana part. 7. tract. 10. Resol. 31.* qui rectè fatetur, si solum omittatur vnum vel alterum indumentum, videlicet Mitra, vel baculus, non fore mortale peccatum; quia non est materia grauis; at si simul omittat pluuiale, mitram, & baculum, esse materiam grauem, ac subindè culpam lethalem. Nec aliud forsan intendunt *Nuñus, Candidus, & Villalobos.*

14 Quartus ritus est, vt tam ministrans, quam recipiens sint ieiuni. *cap. Vt ieiuni, cap. Vt Episcopi, de consec. dist. 5.* Sed isti textus nec sunt vsu recepti, nec verè præceptum indicant, sed consilium; Et consuetudo iam obtinuit, vt Confirmatio conferatur post prandium. *Coninch quæst. 72. num. 75. & Sà in correcta verb. Confirmatio, num. 1.* causam requirunt; *Layman sup.* dicit, causam esse sufficientem, multos accurrere confirmandos. Certè *S. Thomas, 3. part. q. 72. art. 12. Auersa ibi sect. 3. Suarez tom. 3. disput. 37. sect. 2. Bonacina cum alijs disputat. 3. quæstione 1. punct. 2. num. 14. Ipse Sà in* Ori-

Originali, ac ipse *Coninch num.* 114. simpliciter asserunt, hoc ieiunium magis ad decentiam pertinere, quam ad præceptum, & communiter non seruari.

15 Quintus ritus est, vt certæ preces recitentur, quæ piæ sunt, & iuxta morem Ecclesiæ dicendæ. Sextus est, vt post factam vnctionem frons confirmati vitta linea ligetur, ne chrisma defluat, sed exsiccetur. Alicubi mos est gestare vittam per tres, aut septem dies: Alibi confirmati mox lauantur a Ministris in fonte baptismatis. Pontificale monet, vbique seruandam esse loci consuetudinem: Doctores notant, vittam esse comburendam, vel sacris vsibus reseruandam. *Videant Suarez & Laym. sup.*

16 Septimus ritus est, vt Episcopus det alapam confirmato, dicens, *Pax tecum* tum in memoriam acceptæ Confirmationis; tum vt miles Christianus instruatur ad iniurias perferendas. Hunc ritum omittere, dicunt, *Sotus in 4. dist. 7. qu. 1. art. 12. & Henriquez lib. 3. cap. 3. num. 2.* secluso contemptu, nullum esse peccatum. Non tamen video, cur excusetur ab oĩ culpa, cum violetur regula Pontificalis. Ideò melius asserunt, *Suarez, Nuñus, Villalobos, Diana supr. Bonacina punct. 4. num. 9. cum alijs*, esse veniale peccatum ob leuitatem materiæ. Cereus offertur ex consuetudine, cuius omissionem, *Sotus, Henriq. & Suarez*, dicunt, non esse peccatum quoniam in Pontificali non præscribitur. Demum in Pontificali confirmati monentur, vt ante benedictionem Episcopalem non discedant. Quæ tamen monitio (inquit *Layman*) debet omitti, si tantus populus confluat, vt alij debeant alijs succedere.

17 Nota 1. quamuis nomen impositum in Baptismo possit pro libito quilibet in confirmatione mutare; quem morem antiquissimum esse, satis indicat. *Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 28.* fore tamen consultius, aliquam subesse causam huius mutationis. Nam, vt ait *Hieronymus Ierem. 23. Vocabula mutata significant rerum mutationes.* Causæ congruentes erunt deuotio singularis in aliquem Sanctum, aut insigne beneficium ab illo receptum; nomen alicuius ex insignibus Progenitoribus, aut benefactoribus conseruare; commutare nomen turpe, vel ridiculum cum alio, quod veram pietatem redoleat. Videantur *supra dicta lib. 2. cap. 8. q. 5.*

18 Nota 2. Sicut Parochi grauiter obligantur, in libro Baptismi scribere baptizatos, & eorum patrinos, quod illis iniungunt, *Tridentinum sess. 24. cap. 2. de Matrim. & Rituale Romanum can. 6. & 19. docentque Fuscus de Visit. lib. 2. cap. 3. num. 24. Possevinus de officio Curati, cap. 6. num. 46. Barbosa de Parochis cap. 7. num. 3.* Nam hic liber valdè conducit ad cognoscendam ætatem, parentes fidem, spiritualem cognationem, & alia magni momenti; sic etiam teneri Parochos in libro confirmationis scribere confirmatos, & ipsorum patrinos, & parentes, & confirmantem, diem, mensem, & annum Confirmationis. Item Confirmatorum parochiam, nomina, & cognomina. Quod si mutatum fuerit in Confirmatione nomen, scribatur vtrumque, vt dignosci possit confirmatus, si fiat huius libri cum libro de Baptismo collatio. Deseruiet liber confirmationis tum ad cognoscendam cognationem spiritualem tum ad ordines suscipiendos, tum ad lites aliquando decidendas. Quare grauem esse talem obligationem, docent. *Barbosa supra num. 16. Possevinus cap. 12. n. 43. Vinaldus de Confirm. n. 39. Zanardus c. 5. Quintanad. tract. 2. singul. 11. qui sing. 12.* probat. Vtrumq; librum facere plenam fidem in vtroque foro iuxta communem sensum iuristarum.

(·:)

CAPVT V

De Patrino Confirmationis.

1 Vppono 1. Patrinum adesse debere Confirmationi tanquam ritum necessarium necessitate præcepti grauis, quod habetur, cap. *Si quis filiastrum*, cap. *de his* 30. q.1. cap. *Siquis ex vno* 30. q.4. Quare patrinum omittere fore peccatum ex genere suo mortale tam confirmantis, quam confirmati, censent, *S. Antonin. & Sotus, quos sequitur, Zambrano cap. 2. dub.6. Suar.3. part, q 72. art. 10. in comment. Nuñus ibi, Auersa sect.5. Nauarrus c.22.n.7. Laym. lib.5. tract.3. c.7. Manuel tom.1. summe c.69.*

2 Suppono 2. Patrinum confirmationis futurum esse diuersum à Patrino Baptismi, nisi necessitas aliter cogat. Habetur cap. *In catechismo de consecr. dist.*4. *Coninck. q.72. num.*94. *refert ex Syluestro, verb. confirmatio*, consuetudinem iam obtinere contrarium. At nec *Syluester* id dicit in nostro casu, nec illam consuetudinem contrariam agnoscunt communiter Doctores. *Quintanad. tract.2. singul.*14. censet, illum textum non continere præceptum, sed solam directionem, quia solum asserit, contrarium non esse consuetudinem Romanam. Vnde colligit, nec venialiter illum peccare, qui sine necessitate patrinus esset eiusdem in baptismo, & confirmatione, atque duplici titulo cum eodem contraheret cognationem spiritualem.

3 At communis sententia docet, illum canonem ex obligatione seruandum esse; quia sic receptus est. Ita *Suar. Syluester, Layman, & Zambrano supra Richardus in 4. dist.7. art.7. q.2. Henriq. lib.3. cap.3. num. 3. Sà verb. confirmatio num.2. Victoria num* 51. *Filliucius tract.3. nu. 36. Vega casu* 11. *Bonacina disp. 3. q.2. punct.4. num.12. Leander à Sacram. disput.5. q.3. Bartholomeus ab Angelis Dialogo 3. § 45. Diana part.3. tract.4. Resol.21. Toletus lib.2. cap.24.* quorum plures non explicant an violare canonem istum, sed grauis aut leuis culpa. *Bartholomeus ab Angelis, Leander, & Diana* dicunt esse leuem; quia materia videtur esse leuis, vel obligatio leuiter accepta. Quare leuis causa sufficiet ad excusandam omnem culpam; & in praxi frequenter occurret causa, quam textus nomine necessitatis comprehendit.

CAP. V. QVÆST. I.

An patrinus Confirmationis debeat esse confirmatus?

4 Affirmatiuè respondi, *lib.2. c.7. q.7. num.35.* sed paulò magis id discutiendum erit in præsenti. Certum equidem est, debere saltem necessitate præcepti, quod habetur cap. *in baptismate, de consecr. dist.4* per hæc verba. *In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Et in Pontificali Romano sic dicitur. *Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus S. Thomas 3. part. quæst. 72. art. 10. dixit. Non debet alium ad Confirmationem tenere, qui non est confirmatus.*

5 Restat vero difficultas. An non confirmatus validè possit esse Patrinus confirmationis? Affirmat prima sententia, quam tenent. *Paludanus, Rosella, Tabiena, Nauarr, Sotus, Sà, Lopez, Manuel apud Sanch. de Matrim. lib.7. disp.60. n.20. Syluest. Sylvius, Molfesius, Nald. quos sequitur Quintanad. tract.2. singul.7. Auersa 3.p.q 72. sect.5.* Probatur nam esse confirmatũ non requiritur ex institutione diuina (quod omnes fatentur,) vt aliquis validè sit Patrinus Confirmationis, nec ex natura, seu neces-

necessitate talis muneris, siquidem Patrinus adhibetur in Confirmatione, vel solum ad ornatum, & significationem, vt asserunt plures Doctores, vel ad summum, vt ducis, ac monitoris vicem gerat erga confirmatum; quod sanè præstare potest, quamuis ipse confirmatus non sit.

6 Nec item requiritur ex iure Canonico. Nam illi textus etsi prohibeant actum, non tamen illud irritant. Etenim verbum *non potest*, non semper significat nullitatem actus; sed interdum sonat idem, ac *non decet*, *non expedit*. Sic *ex leg. Nepos Proculo, ff. de verb. signif. docent Surdus Consilio* 203. *nu.*44. *Gratianus Marchia decis.*13. *nu.*14. *Barbosa de Principijs lit. P. n.*29. *dicens. Posset non dicitur quis ea, quæ honestè, aut decenter non potest.*

7 Hinc infert *Quintanad.* non fore mortale peccatum, si non confirmatus etiàm extra necessitatem sit Patrinus Confirmationis; sicut Episcopus non confirmatus sine graui culpa ministrat Confirmationem. Quia nec ius naturale, nec positiuum diuinum, vel humanum inducere videntur grauem obligationem; sed solam leuem propter connexionem administrantis, & susceptoris cum Sacramento collato, quod probabile reputat, *Diana p.*3. *tract.*4. *Resol.*21. Si verò subsit causa, nec venialiter illum peccare, qui non confirmatus tenet alium in confirmatione censet. *Quintanad. & causas fore sufficientes*, quas pro Religiosis assignauimus, *lib.*2. *c.*7. *n.*44.

8 Secunda sententia probabilior negat, non confirmatum validè fore Patrinum Confirmationis; ac subindè censet, non contracturum cognationem spiritualem. *Ita Victoria, Palacios, Angeius, Henriq. Toletus, Vega, Viualdus, & alij, quos sequitur Sanch. supra, Suar.* 3. *p. qu.*72. *art.*10. *in comment. Nuñus ibi, Coninch. num.*94. *&* 95. *Reginaldus, Hurtado, Rebellus, Hugolinus, Basilius legion. quos sequitur P. Lugo de Sacramentis. Diana supr. & Resol.*26. *Fillucius tract.*3. *num.*63. *& tractat.*30. *num.*195. *Bonacina de Matrim. q.*3. *punct.*5. §.2. *numer.*21. *Zambranus supra, & alij.* Probatur, quoniam in præceptis negatiuis humanis vox *non potest*, iuxtà communem sensum iuristarum non solum prohibet actum, sed etiam irritat illum, vt multis ostendit. *Sanchez de Matrimon. lib.*6. *disput.*38. *num.*20. Præsertim cum in aliquo textu particulari, sic capiunt illam vocem communiter Doctores: Et quidem ille textus *in Baptismate*, cum pariter asserat, non baptizatum esse non posse Baptismi patrinum, & non confirmatum esse non posse patrinum confirmationis; sicut in Baptismo intelligunt omnes irritari munus Patrini, sic intelligere debemus in Confirmatione pariter irritari, siquidem eadem voce significatur.

9 Hinc planè fit, peccare mortaliter non confirmatum, qui velit esse patrinus in confirmatione. Tum quia violat Ecclesiæ præceptum in re graui; tum quia ceremoniam grauem reddit irritam in opinione probabiliori. *Sic Suarez, Nunus, Syluius, Coninch, Zambranus, & Auersa supra.* Fundamenta contraria ferè diruuntur ex dictis. Nam hic actus irritatur iure Canonico, videlicèt illis verbis, *non potest*, quæ secundum communiorem intelligentiam ibi non solam prohibitionem, sed etiam irritationem sonant, & in interpretatione iuris stare debemus acceptioni communi Doctorum.

CAP. V. QVÆST. II.

An Patrinus Confirmationis debeat esse vnicus?

10 PRima sententia docet, in confirmatione, vel vnum patrinum adhiberi posse virum, aut fœminam, vel

vel duos diuersi sexus; nec alium præter designatos, quamuis teneat confirmatum, contrahere cognationem. Probatur, *quia Tridentinum sess.24. cap.2. de Matrimon.* postquam statuerat, vt in Baptismo teneat Baptizatum vnus tantum siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna, duo scilicet diuersi sexus; Quod si alij præter designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant; subdit; *ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur.* Ergo vult Tridentinum, idem prorsus in Patrino Confirmationis, ac Baptismi decernere, consequentia probatur; quia mens Tridentini fuit, eodem modo cognationem vtramque coarctare, vt colligitur ex proœmio capitis, quod non fieret, si omnes confirmatum tangentes contraherent cognationem. Ita *Nauarrus in Manuali cap.22. num.40. Suar.3.p.to 3.q.72. art.10. in commentario, Toletus in summa lib 2. capit.24. num.6. Thomas Sanchez de Matrim. lib.7.disp.57.num.9. Reginaldus lib.31. nu.152.*

11 Secunda sententia docet, Patrinum confirmationis vnicum futurum esse, virum, aut fœminam, vt habetur cap. *Non plures, de consecrat. dist.5. & indicat Tridentinum supra,* dum in Confirmatione posuit tenentem in singulari duntaxat, cum de Patrinis Baptismi locutum fuerit in plurali. Quare decretum Tridentini, quatenus concedit duos Patrinos in Baptismo, non videtur extendi ad Confirmationem, cuius quo ad hoc mentionem non facit; nec iuris correctio sine graui fundamento debet admitti. Non ergo derogat Tridentinum illi capiti. *Non plures.* Addit hæc sententia, si plures de facto teneant Confirmatum omnes contrahere cognationem. Cum enim ex hoc Patrini munere nascatur spiritualis cognatio. Cap. *Si quis filiastrum, cap. de His 30. q.1. cap.1. de cognatione spirituali in 6.* subdit textus *in cap. fin. eodem titulo.* Quamuis non plures, quam vnus vir, aut vna mulier accedere debent ad suscipiendum de Baptismo, vel Confirmatione; si tamen plures accesserint, spiritualem cognationem omnes indè contrahere. Nec huic textui quoad confirmationem palàm derogauit Tridentinum, sicut expreßè derogauit quoad Baptismum. Qua propter ne correctionem iuris admittamus sine sufficiente fundamento, fateri debemus, omnes illos, qui tenent confirmatum (quamuis illicitè) contrahere cognationem. Nam, vt ibi notat Glossa, multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *Ita Rebellus part.2. lib.3. qu.6. num.6. Barbosa de potestate Episcopi part.2. Allegat.30. num.43. Bonacina de Matrimon. quæst.3. punct.5.§.2. n.31. Castro Palaus to.4. tract.20. disput.1. punct.10. num.2.*

12 Vtraque sententia videtur probabilis. Quippe *verba Concilij Tridentini supra relata,* quibus hæc tota controuersia nititur, satis ambigua sunt, nec satis produnt mentem Concilij quoad Patrinum Confirmationis vel omninò parificandum cum Patrino Baptismi, vel partim relinquendum diuersum iuxtà decisionem illius capitis *Non plures, & illius capitis finalis de cognat. spirituali in 6.* præsertim cum in interpretatione verborum illorum diuisi sint Doctores. Ideò nos vtramque sententiam sub disiunctione sumus amplexi *lib.2. c.7. q.12. nu.80.*

CAP. V. QVÆST. III.

Quæ sit obligatio Patrini confirmationis?

13 PRima sententia docet, Patrinum cōfirmationis debere cōfirmatū instruere bonis moribus, & operibus. Sic enim præscribitur in Pontificali, ratio-

tionemque reddit Catechismus Romanus *part. 2.* titulo de confirmatione, *nu.* 14 Quia sicut qui gladiatoriam artem addiscunt, alicuius subeunt disciplinam, a quo doctrina, consilioque iuuentur; Sic qui per Confirmationem adscribuntur in spiritualem militiam, indigent ducis, ac monitoris ope, quam Patrinus ferre debebit. *Ita docet Syluius 3.p. q. 72. art. 10. probabileq; dicit Suarez ibi.*

14 Secunda sententia docet, regulariter ad nihil teneri, sed adhiberi solum ad ornatum; cum talis obligatio nullo iure Patrino Confirmationis imponatur. Nec firmitas confirmati vel in fide, vel in charitate suscepta tam Magistri consilijs, vel arte, quam ipso Sacramento Confirmationis, & auxilijs inde prouenientibus est adquirenda, vel retinenda. *Sic docent Henriq. lib. 3. cap. 3. nu. 3. Bonacina de Sacram. disp. 3. q. 1. punct. 4. n. 11. Amersa 3. p. q. 72. sect. 5. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 7. Castro Palaus to. 4. tract. 20. punc. 10.* Quod videtur in praxi communiter esse receptum. At in aliquo casu necessitatis, quando scilicet confirmatus non haberet alium, à quo commodè doceretur necessaria media salutis, obligaretur grauiter Patrinus ad illum instruendum, vt notant *Suarez 3. p. q. 72. art. 10. in Commentario, Filliucius tract. 3. n. 93. Conin ch. q. 72. num. 93.* Nec amplius forsan intendit prima sententia.

15 An parens possit in Confirmatione tenere suum filium, diximus *lib. 2. cap. 7. q. 10.* in necessitate posse, secus extra necessitatem; Tunc enim peccabit, & contrahet cognationem cum vxore, (si simul sit eius filius) ratione cuius priuatur iure petendi debitum. Quamuis probabile quoq; sit, hoc iure non priuari. Videantur ibi dicta. Quomodo Patrinus siue Baptismi, siue Confirmationis debeat esse rationis compos, diximus *lib. 2. cap. 7. q. 6.* Quomodo Religiosi prohibeantur hoc munere; diximus *ibi q. 9.* & alia quædam habentur in illo *cap. 7.* quæ sunt communia Patrino Confirmationis.



LIBER QVARTVS DE VENERABILI EVCHARISTIÆ SACRANENTO.



Vchariſtiæ Græcè ſignificat idem, quod Latinè gratiarum actio, vel bona gratia: tamen vſu locutionis Eccleſiaſticę iā accommodatum eſt id vocabulum ad ſignificandum vnum illud Sacramentum ex ſeptem nouę legis, quod *lib. 1. ca. 1. num. 3.* diximus ad ſpiritualem vitam nutriendam inſtitutum fuiſſe. Cum autem hoc Sacramentum multa contineat, varijs alijs nominibus appellatur. Quatenus ſacrificium eſt, dicitur hoſtia, Liturgia, Miſſa, oblatio: Quatenus Sacramentum. Primò dicitur à ſignificatione myſterium, viaticum, conſumatio ſacramentorum, Secundò dicitur à re contenta corpus, & ſanguis Domini, Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini, caro Domini Ieſu. Tertiò dicitur à materia Panis vitæ, Panis viuus, Panis Dei, Panis de cœlo deſcendens, cibus verus, Eſca ſpiritualis, conuiuium Dominicum, cœna Domini. Quartò dicitur ab effectu, Mortis antidotum, pharmacum immortalitatis, fons bonorum omnium. Quintò dicitur ab vſu communio, Pax Chriſti, ſynaxis.

Sub multiplici voce multiplex importatur doctrina, circa quam multipliciter aberrarunt hæretici, multiplexq; Theologia verſatur, ſcholaſtica, Poſitiua, Moralis, & controuerſa. Cum ergo in his libris moralem dumtaxat ſuſceperit, reliquas diſcuſſiones, ſeu deciſiones vel ſuppo-nam, vel præſtringam, vel omittam.

CAPVT I.

De natura Venerabilis Euchariſtiæ.

1 

Vppono 1. Chriſtum Dominum noſtrū inſtituiſſe Sacramētum Euchariſtiæ *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 6.* Sic definit *Trid. ſeſ. 13. ca. 1.* dicens, hoc tàm admirabile Sacramentum in vltima Cęna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis prębere, ac ſuum ſanguinem diſertis, & perſpicuis verbis teſtatus eſt. Vbi duo continentur certa de fide. Primum eſt Euchariſtiam eſſe verū, & proprium Sacramentum nouæ legis, quod Florent. in literis vnionis, & *Trid. ſeſ. 13.* definiunt, & Hæretici noſtri temporis fatentur. Nam Lutherani, & Caluiniſtæ, qui vel vnum, vel ad ſummum duo Sacramenta concedunt; primū ac precipuum locum tribuūt Euchariſtiæ. Ratione probatur. Quia Sacramentum nouæ legis (vt diximus *l. 1. c. 1. n. 2.*) eſt ſenſibile ſignum ex inſtitutione diuina vim habēs gratiæ ſanctificantis tum ſignificandæ, tum efficiendæ, ſed talis eſt Euchariſtia, cuius ſpecies ſacramentales ſunt ſenſibile ſignum nō ſolum Chriſti Domini ſub ipſis contenti, ſed etiam gratiæ ſanctificantis, quæ per ipſum recipientib. datur. Ergò Euchariſtia eſt verum Sacramentum nouæ legis.

2 Secundum eſt, Euchariſtiā immediatè fuiſſe per Chriſtum Dominum inſtitutam, quod docent *Ambr. lib. 4. de Sacr. ca. 4. & 5. Damaſcenus libro 4. cap. 14. fi-*

ne.S.Thom.in 4.dist.8.quæst.1.artic.3. & 3.parte quæst.73.art.tertio. Nos vniuersaliter *lib.primo capite primo num.5*.& præter rationem ibi positam communem omnibus Sacramentis est alia particularis huius,scilicet quia nullus potuit habere potestatem circa corpus, & sanguinem Christi, nisi deriuatam ab ipso Christo, vt expendit *Suar.3.par.tom.3. disputat.31.sect.1*. Sed præcipua probatio sumitur ex Euangelijs, & Concilijs: & quamuis circa tempus tam vltimæ Cœnæ, quàm huius institutionis variæ sint sententiæ Doctorum, verior, & certior affirmat,fuisse factã Luna 14. Martij desinente post cœnam legalem, ac lotionem pedum, & ante cœnam communem, siue vsualem. Ita *Suar. supra sectione 4. Filliuc.tract.4. num. 34. Henriqu.lib.8.cap.58.num.3*.

3 Suppono 2. circa constitutionem essentialem huius Sacramenti ferè tot esse sententias,quot capita: verum ego censeo,Sacramentum istud, sicut, & cętera constare solum essentialiter, & intrinsicè materia, & forma, nam reliqua requisita concurrunt extrinsicè, sic *S. Thom.Florentinum, & Theologi communiter affirmant*,sacramenta nouæ legis constare rebus tãquam materia, & verbis tanquam forma; nec excipiunt ab hac regula Sacramentum Eucharistiæ, materiam verò remotam Eucharistiæ dicimus esse panem, & vinum, proximam species sacramentales, (hoc est accidentia, quæ remanent destructa substantia panis, & vini post consecrationem,prout continent corpus Christi, quod simul cum speciebus per se ac perfectè constituit materiale quoddam signum sensibile productiuum gratiæ.

4 Forma sunt verba consecrationis, quæ dicuntur intrinsicè constituere Sacramentum Eucharistię, quatenus non solum efficiũt realem præsentiam Christi sub speciebus, qui non est effectus sensibilis, & ideò non satis determinat materiam ad sensibilem, & sacramentalem significationem, sed etiam sacramentaliter informant illas species, cum quib. moraliter,& artificialiter coniunguntur, cum enim Sacramentum sit compositum artificiale dumtaxat, & morale, non requirit vnionem, vel informationem physicam, sed solum moralem, & per externam denominationem, qua sicut obiectum denominatur cognitum à cognitione prçterita, sic materia determinetur, & informetur per prolationem verborum transactam; & sicut in alijs Sacramentis distantia loci non impedit vnionem sacramentalem materiæ cum forma, sic in isto non impedit eamdem distantia temporis, quæ suo modo pariter, reperitur inter confessionem, & absolutionem sacramentalem,& tamen intrinsecè ac essentialiter constituunt Sacramentum Pœnitentiæ.Satis ergo percipitur, quo modo materia Eucharistiæ determinetur, & informetur per verba non solum quãdo proferuntur,sed quamdiu retinet habitudinem ad illa, siquidem species non significant sensibiliter, nisi prout consecratæ sunt, ac subindè quatenus moraliter substant verbis, quæ præcesserunt. Nec in his compositis moralibus maior vnio, vel propinquitas requirenda. Sic *Marsilius in 4.qu.6.art.2.Suarez tom.3. disp.42.sec.2.Bonac. de Sacr.disp.4. q.1. punct.2.nu.6.Valentia tom.4.disp.6.qu.6. punct.1.Cardinalis de Lugo disp.1.sect.2. & 4.Ioan.Martinon tom.4. disp. 19.sect. 2.num.10 & disp.28.sect.3.n.20*.

5 Hinc facilè colligitur, cur hoc Sacramentum adorandum sit cultu latrię, vt docet *Trid sess.13.ca.5*.nimirum quia Christus Dominus constituit essentialiter,ac intrinsicè materiam illius,colligitur etiam, cur dicatur manere simpliciter Eucharistiæ Sacramentum, *vt Trid. & Ecclesia* docent, nimirum quia sicut res successiua dicitur esse, dum aliquid illius existit, quamuis aliquid transierit, ita compositum artificiale morale constans ex permanenre,ac successiuo,quale reputamus hoc Sacramentum, dicetur existere simpliciter,dum aliqiid eius permanet,& quod est præcipuum in hoc Sacramento,durat.

Col-

Colligitur demum in hoc Sacramento dari, sicut in reliquis, Sacramentum tantum, scilicet species, & formam, quæ significant, & non significantur; rem tantum, scilicet gratiam, quæ significatur, & non significat; rem, & Sacramentum simul, scilicet Christum, qui quatenus continetur sub speciebus, significatur ab illis, & significat etiam gratiam, prout reficientem animas.

6 Suppono tertiò. Iuxta nostram sententiam *sic esse definiendam Eucharistiam est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini consecratis ad spiritualem animæ refectionem diuinitus institutum.* Hæc enim definitio complectitur tàm causas intrinsicè constituentes, quàm ordinem ad causam efficientem, & finalem: Et quidem per suam materiam, & formam satis differt ab alijs Sacramentis: Quomodo verò differat etiam ex parte finis, bene premit, & exprimit *Cardin. de Lugo supra sect.* 1.

7 Suppono quartò. Eucharistiam esse Sacramentum vnum specie atomā, integra, & perfecta; quatenus specie panis, & vini simul significant animæ refectionem per modum conuiuij perfecti complectentis cibum, & potum. Ita *S. Thom.* 3. *par. qu.* 73. *art.* 2. *& communiter Doctores.* At quomodo multiplicetur numericè, varij sunt modi loquendi, vel etiam sentiendi. Quidam enim recurrunt ad solam diuisionem, seu distinctionem specierum. Alij ad diuersum vsum, seu sumptionem. Alij demum existimant, quaslibet hostias consecratas, vbicumque consecrentur, & à quibuscumque sumantur, vnum esse numero Sacramentum, sicut continent vnum, & eumdem Christum.

8 Dicendum videtur, Sacramentum Eucharistiæ quoad præcipuum principium constitutiuum, & effectiuum, quod est res, & Sacramentum simul, vt diximus *num.* 5. esse vnam, & idem vbique, cum vbique sit vnus, & idem Christus, vt asserit tertia sententia. Quoad Sacramentum tantum, rationemq; signi multiplicari numero iuxtà numerum physicum specierum, & physicè dici posse plura Sacramenta, vt tenet prima sententia. Quoad rem Sacramenti scilicet gratiam productam, & subindè quoad actum primum proximum operandi, qui pertinet ad intrinsecam rationem Sacramenti moralem, & artificialem, multiplicari numero moraliter, quoties ad diuersas sumptiones ordinatur. Videantur *Suar. disput.* 39. *sect.* 4. *Fagundez de Precept. Ecclesiæ Precept.* 3. *li.* 1. *ca.* 2. *num.* 9. *Bonac. de Sacrament. disp.* 4. *qu.* 1. *punct.* 4. *num.* 3.

CAP. I. QVÆST. I.

An vtraque species sit simul necessario consecranda?

9 Suppono primò. Panem, & vinum esse materiam Eucharistię remotam, quod tradunt Euangelia, docent Concilia, Patres, & Doctores amplectuntur; Ratio præcipua fuit instituentis voluntas, congruentia verò, quoniam hęc maximè congruit tum huius Sacramenti dignitati, tum ad eius effectum significandum. Vt expēdunt *Suarez disputat.* 43. *sect.* 1. *Filliuc. tractat.* 4. *num.* 62.

Suppono secundò. Vtramque materiam simul esse necessariam ad integrā perfectionem, & significationem huius Sacramenti, quod in vnica specie nec refert perfectionem conuiuij, nec repręsentat Christi mortem per separationem sanguinis à corpore. Sic *Suarez supra sectione* 2. *Conınch.* 3. *part. quæst.* 74. *num.* 3.

Suppono tertiò. Duplicem esse necessitatem, vnam Sacramenti, vel sacrificij, qua sic aliquid exigitur, vt eo prætermisso validè non fiat Sacramentum, vel sacrificium; alteram præcepti, qua sic aliquid petitur, vt eo nihilominus omisso, Sacramentum, aut sacrificium validè, sed non licitè conficiatur. De vtraque necessitate quærimus tàm respectu

Sacra-

Sacramenti, quàm respectu Sacrificij. His positis.

10 Dico 1. nõ esse de necessitate Sacramenti Consecrari simul vtranque materiam panis, & vini, sed vnam sine alia validè Consecrari. Sic docent communiter Doctores, *S. Thom. 3. p. q. 78. a. 6. Durand. Paludan.* Sotus, quos refert, & sequitur *Suarez, supra, Enriquez li. 8. cap. 13. Bonacin. disput. 4. q. 2. punct. 3. nu. 2. Cardinal. de Lugo disput. 19. sect. 8.* Probatur, nam verba Consecrationis panis statim habent suum effectum antè Consecrationem vini, vt constat ex Ecclesiæ ritu, quæ post panis Consecrationem statim hostiam proponit adorandam, & habetur cap. sanè de celebrat. Missarum. Est quidem Christus Dominus, antequàm calicem Consecraret, dixit *hoc est Corpus meum*, & verùm dixit: Vndè formæ Sacramenti, quæ significãdo facit, dum significat, ibi Dominicum corpus adesse, nondum Calice consecrato facit iam tunc præsens ibi Corpus Christi, quòd esse de fide certum, affirmat *Suarez 5. concl. 1.*

11 An verò de necessitate sacrificij sit panis, & vini Consecratio? Negant *Cassalius lib. de Sacrific. cap. 25. Ruardus ar. 26. Henriquez l. 9. cap. 9. num. 10. Nuñes 3. p. q. 83. art. 1. conclusion. 4. Bonacin. de Sacramentis disput. 4. quæst. vlt. punct. 2. numer. 7.* qui putant vtriusque materiæ Consecrationem non ad essentiam sacrificij, sed ad integritatem pertinere; Cùm sacrificium Christi cruentum repræsentari possit per alteram tantùm speciem; Nam hoc ipso quòd solus panis, aut solùm vinum consecretur, ex vi verborum fit corpus ex sangue vel sanguis vt separatus à corpore, ac subindè per singulas Consecrationes indicatur mos Christi; quamuis per vtramque simul expressius repræsentetur. Confirmatur, quia Christus in Emaus sub sola panis specie consecrauit, & sacrificauit, Ergo non instituit, vt semper consecraretur, & sacrificaretur sub vtraque specie.

12 Affirmant *Bellarm. l. 4. de Euchar. cap. 22. Vazquez 3. part. disput. 223. c. 4. & 5. Suarez tom. 3. disp. 75. sect. 6. Coninch. quæst. 74. num. 3. & q. 83. num. 102. Cardinal de Lugo à supra, Maratius de Eucharistia disput. 36. sect. 7. Fagundez Precept. 1. l. 3. cap. 5. numer. 4. Fauent S. Thomas 3. part. quæst. 80. artic. 12. ad 3. August. & Ambros. relati cap. semel, & cap. in Christo dist. 2.* Probatur, quia consecratio habet rationem incruenti sacrificij sub ratione mysticæ mactationis, quatenus ex vi verborum corpus, & sanguis sacramentaliter separatur. At id non fit, nisi per consecrationem vtriusque speciei, quæ separationem exprimit corporis, & sanguinis, & ita repræsentat expresse sacrificium cruentum, ergò consecratio vtriusque materiæ simul constituit essentialiter rationem incruenti sacrificij, quòd expresse repræsentet sacrificium cruentum. Et hoc videtur probabilius quòad significationem mysticam, nam quòad significationem moralem, quàm explicamus *infrà lib. 5. cap. 1. num. 17. & cap. 2. n. 34.* quælibet species habet essentialem rõnem sacrificij, quamuis partialẽ; Verùm iuxta præsentem institutionem non potest offerri Missæ sacrificium, quin habeat vtranque significationem, nempè mysticam, & moralem simul. Sic censet *Auersa, de Eucharistia, quæst. 11. sect. 5.*

Ad fundamentum oppositum concedimus per singulas cõsecrationes significari mortem Christi: Valdè tamen implicitè; quia non significatur determinate corpus aut sanguis mortuus, nec effusio sanguinis vsque ad animæ separationem, ideoque sufficit, vt fiat Sacramentum, & vt per illud signum implicitum Dominicæ passionis inchoetur sacrificium, non tamen vt perficiatur essentialiter, donec sanguis post corpus separatim consecretur, & ad viuum repræsentet effusionem sanguinis, & animæ separationem indè secutam.

13 Dico 2. necessarium esse necessitate præcepti, simul vtramque materiam consecrare successione moraliter continuæ

naæ. Sic *S. Thomas 3. part. quæst. 74. ar. 1. ad 2.* Dicens propter defectum alterius materiæ non esse panem sine vino consecrandum, vel è contrà, quia non esse perfectum Sacramentum. *Suarez supra disp. 43. sect. 2. Vazquez 3. p. disput. 223. cap. 3. Reginaldus lib. 29. numer. 13. Henriquez cum alijs lib. 8. cap. 13. num. 3.* sumitur ex cap. *Comperimus dist. 2.* Vbi dicitur, non posse sine grandi sacrilegio diuidi misterium. Satis id firmat vniuersalis Ecclesiæ consuetudo; iuuatque ratio; licèt enim vna materia non sit de necessitate alterius quoàd rationem Sacramenti, tamen vtraque requiritur ad integritatem sacramenti sub ratione completi signi, & ad completam perfectionem sacrificij iuxta proximè dicta, sed non licèt Sacramentum, aut sacrificium mutilare, vel imperfectum relinquere, non ergò licebit alteram materiam sine altera consecrare.

14 Hoc esse præceptum humanum, & canonicum censent *S. Antoninus 3. p. titol. 13. cap. 6. §. 2. Maior in 4. dist. 9. q. 3. ad 5. Adrianus ibi q. 6. de Eucharistia. Palacios dist. 11. disp. 3. Ang. & Tabien. Eucharistia 1. numer. 20. Ruard. art. 13.* Probatur, quia licèt integritas sacramenti; Vel sacrificij requirat vtramque materiam, essentia tamen Sacramenti saluatur in qualibet; & etiam essentia sacrificij iuxta sententiam probabilem; Imò quamuis sacrificium essentialiter requirat vtramque, non tamen constat præceptum diuinum sacrificandi, quoties hoc Sacramentum conficitur. Sic enim distinguūt quidam, vt iure diuino prohibitum sit, offerrè sacrificium illud in vnica specie, non verò conficere Sacramentum præcisè propter vsum illius in vna tantùm specie.

15 Communior, & probabilior sententia tenet, esse præceptum diuinum. *Ita Marsilius, Palud. Caiet. Sotus, Siluester, Armilla, quos sequitur Suar. tom. 3. disput. 43. sect. 3. Filliuc. tract. tit. 4. nu. 64. Vazquez 3. part. disp. 223. ca. 3. Regin. lib. 29. nu. 13. Auersa, de Eucharist. q. 11. sect. 5. Bonacin. disput. 4. quæst. 2. punct. 3. num. 5. Card. de Lugo, disput. 19. sect. 8.* Probatur, quia ius diuinum præscripsit, vt quoties fit consecratio, simul etiam fiat sacrificium, dicente Christo Domino. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis intellexit *Tridentinum sess. 22. cap. 1.* præcepisse Christum Dominum sacerdotibus, vt consecrarent sacrificando simul in sui memoriam, sed sacrificium esse non potest essentialiter perfectum sine consecratione vtriusque materiæ simul iuxtà proximè dicta *numero 12.* Voluit quippè Christus talem instituere sacrificandi ritum; quò clarè repræsentaretur eius mors, vt ex eius verbis colligunt concilia, & Patres, & Ecclesiæ traditio confirmat apud *Suarium* suprà *Conclusion. 2.* Datur igitur præceptum diuinum consecrandi simul vtramque materiam, imò valdè miratur *Vazquez supra n. 17.* Viros catholicos, & pios asseruisse, præceptum illud ex verbis Christi non colligi, cùm oppositum palam asserat *Trident. supra*, per quò soluitur fundamentum contrarium. Ad confirmationem Respondeo, nec omninò constare, Christum ibi consecrasse; nec consecrasse panem sine vino, & quamuis admittatur vtrumque, non ideò sustulisset institutionem à se factam in cęna, quam ipse non tenebatur seruare.

Quin etsi pręcisam Sacramenti rationem attendamus, hoc institutum est ad spiritualem refectionem instar Conuiuiis, quòd cibo, potuque constat ergò postulat ex suamet institutione vtriusq; materiæ cõsecrationem, quamuis enim laicis ad salutem altera tantùm species sufficiat, tamen ipse consecrationis Ordo postulat, vt integrum conuiuium in hoc Sacramento pręparetur, & ab ipsis saltem Sacerdotibus consecrantibus integrè sumatur. Igitur cùm hæc institutio sit diuini iuris, & hac posita connaturaliter sequatur, integrum & perfectum Sacramentum esse conficiendum, sequitur eodem iure pręceptam esse Simultaneam vtriusq; materiæ cõsecrationem. Cuius signum est, quòd semper hæc obligatio

ligatio præfertur omnibus alijs iuris humani, scilicet obligationi non communicandi post cibum, aut potum: Vel non celebrandi seu non communicandi bis eodem die, &c.

16 Hinc fit primò, licet valeat consecratio Calicis ante consecrationem panis, & è contra extra casum infra positum *numero* 20. & 24 qui quidem in praxi rarissimus erit; graui tamen sacrilegium fore vel alteram tantum speciem consecrare contra diuinum præceptum, vel prius vinum consecrare, quàm panem. Nam exemplum nostri Saluatoris, & vsus Ecclesiæ satis ostendunt, ordinem consecrandi prius panem, quàm vinum, qui rebus ipsis congruit, cum cibus connaturaliter antecedat potum, esse præceptum iure diuino. Sic notant *Sotus in 4. dist.* 1 *[illegible] q.* 1 *art.* 6. *Suarez tom.* 3. *disput.* 43 *sect.* 2. *Bonac. de Sacram. disput.* 4. *q.* 2. *punc.* 3. *n.* 3. *& 7*. Fit secundò, si sacerdos post consecrationem panis decedat, perficiendum esse sacrificium ab alio sacerdote, qui consecret Calicem, & reliqua prosequatur etiam non ieiunus, vt docent *communiter Doctores, & Nos latius lib.* 5. *cap.* 2.

CAP. I. QVÆST. II.

An aliquando ex causa liceat in altera tantum specie consecrare.

17 PRima sententia docet, licere nonnunquam etiam sine dispésatione vel authoritate superioris, interpretando s. supradictum præceptum in tali casu non obligare. Sic *Maior in* 4. *distinc.* 9. *qu.* 3. *ad* 5 *Paludan. dist.* 11. *qu.* 1. *num.* 3. ferè consentiunt *Reginaldus lib.* 29. *n.* 14. *Bonacina disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. dicentes, hoc esse præceptum affirmatiuum, quòd obligat semper, sed non pro semper, & ita dari casus, in quibus interpremur non obligare, sed posse sub vna specie consecrari.

Probatur, nam interpretamur præceptum diuinum, quando seruari nequit sine periculo mortis, vel alio graui; pro tunc non obligare. Sic diuinum præceptum integritatis confessionis interdum prudenter interpretamur non obligare propter grauem causam. Similiter satisfactio requiritur ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, nihilominus interdũ omittitur licitè propter grauem causam. Ergo idem erit de præcepto consecrandi simul vtramque speciem.

18 Secunda sententia docet, authoritate priuata numquam hoc licere, cum sit res grauissima, tantum ex dispensatione Pontificis ob causam publicam fieri posse. Sic aiunt Doctores opinantes illud præceptum esse solum humanum, qui consequenter dicent, licet dispensatio concedetur sine causa valere. Præterea id tenent *Henriqu. lib.* 8. *ca.* 13. *num.* 1. *&* 2. *Chamerota de Eucharist. cap.* 6. *concl.* 3. *Fagund. 2. Precept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. *Azor. tom.* 1. *lib.* 10 *cap.* 19 *qu.* 2. Licet enim agnoscant præceptum esse diuinum, dum subest iusta causa dispensandi, putant, valere dispensationem Pontificis. Probatur, quia licet ea, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum, non possint per Ecclesiam immutari, tamen quæ pertinent ad vsum potest Ecclesia per potestatem à Christo sibi concessam iustis de causis mutare pro temporum, seu locorum varietate, vt docent *Concilium Constantiense sess.* 13. *& Trident. sess.* 21. *cap.* 2. Ergo potest etiam mutare, quæ pertinent ad vsum sacrificiorum, cum par sit vtrobique ratio. Sed hæc dispensatio Pontificis non esset circa substantiam Sacramenti, vel sacrificij, sed circa solum vsum. Ergo valebit existente iusta causa.

19 Confirmatur primò. Nam in iure diuino dispensare potest Summus Pontifex ex iusta causa nomine Christi, qui dedit talem potestatem hominibus ad Summum Pontificatum assumptis, vt in iuramento, voto, matrimonio rato censent graues Doctores, ergo licet præceptum consecrandi duplicem materiam simul, sit diuinum, potest Pontifex ex rationabili causa dispensare.

Con-

Confirmatur secundò. Nam *Volaterranus lib.7. Geographiæ.cap.4. & alii referunt Innocentium Octauum* dispensasse cum Nortoergis, vt in specie sola panis consecrarent, quod alij quoque tradiderunt.

20 Tertia sententia negat, vnquam licere consecrationem vnius speciei sine altera, vel Pontificem in hoc præcepto posse dispensare, vel interpretari tale ius diuinum in aliquo casu non obligare. Sic innuunt *S.Thom. & antiquiores*, quatenus simpliciter negant, licere consecrationem vnius tantum speciei, nulla facta exceptione. Tenent *Siluestr. Eucharist.1 qu.* *Sotus in 4. dist.9.qu.1.art.1.ad 3. Nuñ. 3.par.qu.74.art.1.concl.3. Coninch.q.83.num.102. Suar. disput.43. sess.4. Vazqu.disput.223. ca.3. Cardin.de Lugo disput.19.sect.8.* Probatur, quia Pontifex dispensare non potest in his, quæ pertinent ad essentiam sacrificij: sed vtriusque materiæ consecratio pertinet ad essentiam sacrificij iuxta superius dicta *num.*12. Non ergo dispensare potest, vt altera dumtaxat consecretur. Et per consequens nullus alius id vnquam licitè faciet; imò neque validè, si sacerdos ab initio præuidēs non posse consecrare vtramque speciem, & ita non posse validè sacrificium offerri, vellet vnicam cõsecrare, tunc enim intenderet consecrare, ac non sacrificare, quod est impossibile. Quia Christus ita Sacramentum istud instituit, vt simul esset sacrificium; nec voluit vnum fieri sine altero, nec sacerdotibus dedit duas potestates disparatas, sed vnica ad consecrandum, & sacrificandum simul, itaut neque possent extra sacrificium consecrare, nec sine consecratione sacrificare. Vt notant *Lugo supra, & Suar.sect.3.*

21 Suppono primò aliud esse formaliter ex intentione directa per se conficere Sacramentum istud in vnica specie cum intentione non complendi sacrificium: aliud verò quasi materialiter, & per accidens sacrificium bona fide cæptum interdum imperfectum relinquere, siue de facto consecrare panem sine vino, vel è contra, quia per accidens euenit, vt post consecratam vnam speciem, vel non possit sacerdos, vel de facto non consecret alteram, ita *Suar.sup. sect.4. Bonac.num.10.*

Suppono secundò, posse sine peccato nonnũquam secundo modo consecrari vnicam speciem non propter dispensationem, vel interpretationem præcepti, sed propter impotentiam physicam, aut moralem illius implendi, nimirum si sacerdos post consecratam hostiam comperiat vinum esse veneno infectum, nec habeat aliud, aut comperiat non esse vinum in Calice, nec possit aliud inuenire saltem sine magno periculo, vel scandalo; vel si sacerdoti post hostiæ cõsecrationem immineat mors, si prosequatur; desistere potest à consecratione Calicis, & mox hostia consumpta fugere. Nam in his, & similibus casib. solam violat præceptum affirmatiuum perficiendi Sacramentum, & sacrificium, quod non obligat cum tanto detrimento, ac per consequens eius omissio tunc non est illicita, cum sit permissio potius quod sacrificium relinquatur inchoatũ, quæ non est intrinsicè mala, & in his circumstantijs honestatur; quo sensu loquuntur *Reginaldus, & Bonac. relati pro prima sententia.* Consentiunt *Suarez, & Henriqu.supra. Azor.tom 1.lib.10.ca.19. q.2. & alij.*

22 Iam dico primò. Numquam licet sacerdoti primo modo scilicet formaliter, & directè consecrare vnicam speciē cum intentione non conficiendi sacrificium, & sine dispensatione Pontificis. Quia violaret præceptum negatiuum non offerendi sacrificium mutilum, vel etiam non exercendi nomine Christi actionem sacrificandi vanam, & irritam, quòd obligat pro semper. Quippè magni refert ad Dei cultum, & ad reuerentiam huius Sacramenti non dari facultatem priuatis hominibus immutandi modum istum consecrãdi simul vtramque materiam auctoritate propria, nec ob priuatam, nec ob communem causam, quia daretur moralis occasio sæpius

pius hoc sacrificium mutilandi cum iniuria grauissima tanti mysterij. Conueniunt in hoc Doctores primę, ac secundæ sententiæ.

Hinc fit primò si populus ex præcepto Missam in festo velit audire, vel Eucharistiam in Paschate recipere, vel etiã in articulo mortis, nec vinum haberi possit, non esse celebrandum, quia maiorem vim habet præceptum non consecrandi directè solum panem, quàm præceptum audiendi sacrum, aut communicandi, quòd non vrget, quando Sacramentum decenter confici non possit.

Fit secundò si quis minetur mortem sacerdoti, nisi consecret solum panem, in his aut similibus casibus, quamuis non intercedat contemptus fidei, mortem esse potius oppetendam, quàm solum panem consecrandum. Sic tenent *Doctores supra relati cum alijs* ob rationem superius à nobis assignatam.

22 Dico secundò, multo probabilius est, non posse Pontificem in hoc præcepto dispensare. Sic *Doctores tertiæ sententiæ*, cuius fundamento probatur, & præterea confirmatur primò, quia licet admitteremus necessitatem alicuius regionis, tamen hoc Sacramentum & hoc sacrificium ita Christus instituit, qui prępiderat illud inconueniens, verum nunquam subesse talem necessitatem satis conuincit perpetuus vsus Ecclesię, siquidem tot sæculis numquam talis dispensatio necessaria, vel conueniens existimata fuit. Nam illam narrationem Volaterrani, à quo cœteri sumpserunt, suspectam, imò fabulosam reddunt plures coniecturæ, quas expendunt *Suar. supra sect. 4. concl. 3. Vazqu. num.* 25. & 26. *Cardin. de Lugo num.* 119.

Confirmatur secundò, quia Pontifex dispensare non potest in his, quæ propriè sunt de iure diuino, nisi traditione, seu praxi constet, concessisse Christum Pontifici facultatem ad sic dispensandum, sed hoc non constat in nostro casu, quin potius praxis, & traditio suadent oppositum. Ergo non potest dispensare Summus Pontifex.

24 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, interpretationem illam in præceptis affirmatiuis interdum esse necessariam, & sic illam admissimus *numero* 21. circa præceptum complendi Sacramentum, & sacrificium illud: at in præceptis negatiuis non ita, quando non solum prohibent, sed etiam irritant actum.

Sicut enim nulla necessitas reddet validam consecrationem hordei, sic nulla reddet illam licitam. Sed vt vidimus *numero* 20. qui deliberatè vellet consecrare solum panem, sciens sine vino non valere sacrificium, non solum non sacrificat validè, sed nec validè consecrat, quia non habet potestatem ad consecrandum nisi simul sacrificando. Ergo nulla necessitas reddet validam, aut licitam talem consecrationem.

An autem ad euitandam mortem sibi comminatam possit sacerdos proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi; diximus *in tractatu de voluntario capite sexto quæstio. septima*.

25 Ad fundamentum secundæ sententię respondeo, circa Sacramentorum vsum, & sacrificij posse Pontificem mutare, quæ pendent ex Ecclesiæ dispositione, non verò quæ iure diuino sunt instituta; nam hæc censentur ad Sacramenti, vel sacrificij substantiam ritè perficiendam expectare; quin etiam ad eius valorem.

Vt dictum est, & sic intelligunt Doctores Conciliorum decisionem. Videatur *Vazquez supra numero* 21. Ad primam, & secundam confirmationem constat ex *dictis numero* 23.

)..(

CAP.

CAP. I. QVÆST. III.

Vtrùm materia consecrabilis debeat esse præsens?

26 SVppono primò materiam consecrandam debere esse præsentem consecranti moraliter, & sensibiliter. Dicitur autem præsentia sensibilis per ordinem ad cognitionem sensuum externorum, quibus res sic præsens percipi possit. *Ita S.Thomas in 4. dist. 11. q. 2 art. 1. Dur. & Palud. ibi Suarez to. 3. disp. 43. sect. 5 Vazq. 3 p. disp. 171 in c. 4. & communiter Doctores contrà Maiore, & Marsilium.* Ratio potissima desumitur ab institutione Christi, qui consecrauit materiam præsentem, & non dedit potestatem Apostolis faciendi, nisi quòd ipse fecerat, quòd planè confirmant Ecclesiæ traditio, Verba quę formæ demonstratiua scilicèt, *hoc, & hic,* quæ designant rem sensibus præsentem.

Suppono secundò, nō sufficere quamlibet præsentiam sensibilem, nam visus longè percipit panem, quem tamen videns consecrare non potest; sed talis esse debet, vt secundùm communem modum loquendi verè possit, & propriè materia designari per pronomen demōstratiuum *Hoc*, vel *Hic* iuxtà prudentis viri iudicium. In hoc etiam conueniunt Doctores. Probatur, quia formæ Sacramentorum verificari debent secundum Communem, & propriam verborum significationem. Sed formæ huius Sacramenti continet illa pronomina demonstratiua *Hoc, & Hic*, ergò requirit materiam ita Sacerdoti pręsentem, vt per illa verba secundùm communem & proprium loquendi modum possit designari.

27 Pro quò nota, talia pronomina, licèt interdum ex antecedentibus, vel adiunctis determinentur ad rem absentem, aut distātem designandā, vt si dicas hic homo est sapiens, dum loqueris de homine, qui proximè præsens erat, & iam abijt, vel dicas, hæc est ample ciuitas, hoc regnum est potens, dum videntur à longè, tamen simpliciter, & absolutè prolata (vt informis Sacramentorum contingit) omnimodam requirere rei designatę pręsentiam, quæ se ipsam sensibus ingerendo per se determinet intellectum, vt mox concipiat eam dictis pronominibus disignari. Sic aduertunt *Suarez, & Vazquez suprà, Coninch. quæst. 74 num. 25. & 26.* Vt ergò proprietas formæ seruari possit in omni vigore, tàm visus Ecclesiæ, quàm stricta verborum proprietas attendi debet. *Certè Cardinales de Lugo disput. 4. sect. 7.* non inuenit, ad illam præsentiam designandam, vlla regulam firmā, nisi quàm Communis modus loquendi præscribit, Vt pronomen, *hoc* vel *Hic*, strictè loquendo demonstret aliquid præsens independenter ab antecedentibus, vel adiunctis, vel alijs circūstantijs, sic etiā censent *Suar. sup. Fillius trac. 4. num. 68. Bonacin. disput. 4 quæst. 2. punct. 6.* & asserunt mensuras illas decem, aut viginti, vel plurium passuum, quas *Sotus, Henriquez, & Fagundez*, assignant, incertas esse, cùm planè non constet, ad quam distantiam stricta significatio pronominis istius extendatur.

28 Suppono tertiò, non esse necessarium, Vt materia percipiatur actualiter aliquo sensu, nec vt manibus teneatur. Quia pronomen *Hoc* non denotat actualem, sed potentialem sensuum cognitionem circa materiam ita præsentem, vt facilè percipi possit; quòd visus confirmat, nam sępè licitè Sacerdos consecrat hostias ante se positas in pyxide, quas nullo sensu percipit, vt notat *Coninck. num. 10.* & Sacerdos cęcus validè consecraret materiam proximè præsentem, licèt illam non videat, nec tangat, vt notat *Bonacina num. 5.*

29 Suppono quartò, materiam in aliquo continēte clausam posse consecrari, nimirum vinum in calice, vel in dolio cooperto, vel hostias in pyxide contentas, aut latentes sub alijs, quia iuxtà cōmunem loquendi modùm sufficienter demonstratur cōtentum per proximum continens. At si panis existeret in alio

cubiculo.

cubiculo, non sufficienter demonstraretur per vocem *Hoc*. Ita *Suar. supra. Vazqu. 3. par. disput. 171. nu. 24.* quia panis, aut simile quid interpositum non habēs propriam rationem continentis tollit præsentiam requisitam. Hostias existentes intra tabernaculum clausum non posse consecrari, dicunt *Coninch qu. 74. num. 22. Bonac. supra num. 9. Diana cum alijs par. 7. tr. 10. Resolut. 7.* nam humano modo videntur abesse.

Hostias latentes sub mappa, vel corporali, vel etiam in Missali, validè consecrari dicit *Bonacin. supra num. 4.* quia putat sufficienter demonstrari, negat verò *Coninch supra*, quia putat demonstrari non posse per vocem *Hoc*, sed per vocem *illud*. Vnde fit, hanc consecrationem, & similes fore valdè dubias, & consequenter illicitas.

30 Iam fit dubium primum. An materia consecranda debeat esse coram consecrante? Affirmant *S. Thom. Palud. Sot. & alij*, quos sequitur *Suar. disput. 43. sect. 5. Filliuc. tr. 4. nu. 68. Coninch qu. 74. num. 20.* Probatur, nam hoc exigit proprietas formæ, siquidem res, quæ nullo modo sunt coram homine, non possunt propriè designari per pronomen *Hoc*, simpliciter prolatum, vt constat ex communi modo concipiendi, subdit tamen *Suar.* licet res sint à tergo, si tamen digito, vel simili signo denotentur, videri satis designari pronomine demonstratiuo: iam enim aliquo modo sunt coram homine, qui saltem ex parte se conuertit ad illas.

At consecrationem fore valdè dubiam, quia designatio non fit ex vi solius vocis, sed ratione signi coniuncti, cum tamen forma consecrationis necessariò constet solis verbis, *Coninch* asserit, talem consecrationem non valere, quia variatur forma per additionem illius signi, vel nutus tanquam artificialis locutionis.

31 *Vazqu. supra num. 22.* sic ait. Materiam, quam haberet Sacerdos à tergo, consecrare posset, si tangeret illam, nam ipso tactu rectè potest indicare rem illam, quam ostendit, pronomine demōstratiuo; similiter si sentiunt ipsam audiri, videlicet vinum ex vno vase in aliud transmitti, sonum audiens infusionis, rectè dicere posset *Hic est sanguis meus*. consonant *Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 6. nu. 6. & Henriq. li. 8. ca. 14 n. 1.* Addit *Fagund. Præcep. 3. li. 2. c. 5. n. 7.* Præsentem dici panem existentem à tergo, si manu tangi possit. Equidem in re, quæ pendet à modò concipiendi significationem Verborum, multum valet authoritas prudentium, cum tamen hi varient, rectè colligitur cum Suario, talem consecrationem fore dubiam, ac subindè grauiter peccaminosam.

32 Sit dubium secundum. An sufficiat materiam esse præsentem secundum aliquam partem, vt tota possit consecrari? Affirmat *Vazqu. 3. par. disputat. 171. num. 25.* cum enim illæ partes continuæ sint, & pronomen *Hoc* designet totam illam quantitatem, satis erit videri secundum aliquam sui partem, vt tota materia sit moraliter præsens consecranti. Negat *Suar. disputat. 43. sect. 5.* Quia propriè non est mihi præsens tota maris aqua, quamuis aliquam eius partem videam; licet enim in se corpus illud continuum sit, nihil tamen hoc refert ad humanam præsentiam.

Vnde partes omnes aquæ longè distantes sic absunt, ac si per se separatæ consisterent. Debet ergò tota materia secundum omnes partes consecrabiles aliquo modo practicè, seu moraliter esse præsens.

Ego censeo præsentiam vnius partis non reddere simpliciter præsentes omnes alias partes in quacumque distantia positas, vt possint designari per pronomen *Hoc* simpliciter dictum, quod probat fundamentum Patris *Suarez*. Si tamen tota quantitas panis, aut vini contineatur intra debitam distantiam, & si singulæ partes non videantur, nec aliquo sensu per se, vel immediatè percipi possint; omnes simul consecrari posse, quod probat fundamentum Patris Vazquij, valetque

pariter in cumulo panum, vel hostiarum; sufficit enim vt pars cumuli sit sensibilis a consecrante hic, & nunc, & ita totus cumulus designetur per pronomen *Hoc*, & in praxi deseruiet hæc doctrina, si quando quædam pars hostiarum tempore consecrationis tegatur aliquo corpore interposito, nempè candelabro, vel Calice, vt validè consecrentur omnes, vt notat *Cardinalis de Lugo disput.4.num.*128.

CAP. I. QVÆST. IV.

Vtrum materia consecranda habeat terminum maximum, vel minimum?

33 QVantitas materiæ consecrandę considerari potest secundum paruitatem, & secundum magnitudinem. Rursus quantitas minima vel est separata retinens rationem totius per se, vel est in toto composito constituens illud actualiter tanquam pars integralis: & tunc vel consecratur ipsa sola, vel simul cum toto. Quoad hunc posteriorem modum, sicut ex philosophia constat, in continuo non dari partem minimam, ita certum est in Theologia, consecrata tota hostia, omnes omninò panis particulas consecrari quamuis minimas, vt definit Trident *sess.13.ca.4. & can.3.4.*

Suppono primò panem per se separatum (idem est pariter de vini guttulis) in quacumque minima quantitate sensibili consecrari posse. Sic *S.Thom.3.p. q.74.ar.4.& communiter Doctores*, quos sequitur *Suar.tom.3. disputat.43.sect.7. Vazqu.disp.171.c.2.* Probatur; nam quælibet pars panis est panis, sicut in alijs homogeneis contingit, & dum sit sensibilis, potest designari per formam, & esse signum sensibile; habet ergo quidquid requiritur ad validam ipsius consecrationem. Quod si detur tam exigua quantitas panis, vt non sit sensibilis separata, nec etiam ab acutissimo sensu naturaliter percipi possit, quamuis per reuelationem, vel alio modo sciatur, dari præsentem ibi, consecrari non potest. Vt cōtrà *Sotum tenet communis sententia.* Quia demonstrari non potest pronomine demonstratiuo, quod ad sensum demonstrat, ac subindè requirit rem naturaliter sensibilem. Ita *Suar. & Vazq.sup. & Marten.to.4.disp.29.sec.3.* qui subdit, si pars illa cum toto consecrata fuit, probabile quidem esse non manere consecratam, post separationem; quia non est species sensibilis; probabilius verò manere, propter diffinitionem *Trid.supra relatam*, sed non esse Sacramentum, quia non est signum sensibile.

34 Suppono 3. non licere partem in toto consecrare, non consecrata tota hostia, quia difficilè poterit discerni, & difficilius separari pars consecrata à nō consecrata: Si tamen fiat, valere consecrationem partis, quamuis minimę, quę sensibiliter designari possit. Ita communiter Doctores. Et probatur, nā illa pars est verè panis, & sensibiliter designari potest per verba formę; non est ergo cur non valeat illius consecratio. An verò detur minimum in homogeneis, vel in minori minimo conseruari possit forma panis, ac subindè consecrari vel in toto, vel extra: magis spectat ad speculationem quàm ad praxim. Videantur *Suar. & Vazqu. & Marten.sup. & Cardinal.de Lugo disput.4.sect.6.*

35 Restat difficultas. Vtrum materia panis, & vini sit consecrabilis in qualibet maxima quantitate sine termino? S.Bonau. *in 4.dist.10.part.2.artic.1.qu.4. Alens.4.par.q.10.memb.4.ar.2.§.6.Ang. Euchar.1.n.25.* docent, non posse Sacerdotem validè quamlibet quantitatem consecrare, sed illam dumtaxat, quæ sit ad vsum fidelium accōmodata. Probant quia cum Christus Dominus in Sacramentis, & in hoc pręcipuè sapienter omnia disposuerit, non est verisimile, potestatem reliquisse Sacerdotibus, vt quamlibet quantitatē consecrare possent, nisi prout exigeret vsus fidelium, in quorum vtilitatem hoc Sacramētum institutum

est,

est, alioquin non esset potestas in ædificationem.

Hæc sententia facilè refellitur, Quia licèt ad hunc finem collata fuerit hæc potestas, non tamen sic limitata fuit, ne redderetur incertus valor consecrationis, dùm vsus fidelium non potest facilè definiri. Quare licèt sacerdos consecrare velit in malum vsum, valet consecratio iuxtà communem Ecclesiæ sensum; & hoc prudentissimè fuit institutum. Cùm enim ex consecratione sine debito fine facta nihil damni Christo proueniat, & magni referat, potestatem ministri certam esse, rationi valdè consonum fuit, vt semper effectum haberet, quoties ritè verba consecrationis proferrentur.

36 Itaque communis & vera sententia docet, sacerdotem ex parte suæ potestatis, dummodò materia maneat intrà debitam præsentiam ipsius iuxtà superius dicta quæstione præcedenti, posse quantamlibet quantitatem sine termino consecrare. *Sic S.Thom. Dur. Gabr. & alij*, quos sequitur *Suarez supra sect.8. Vazquez num 16. Cardinalis, de Lugo num.120. Bonacina disp.4.quæst. 2.punct.5.numer.2. Fagundez Præcept.3. Ecclesiæ lib.2.cap.5.nu.3.* Probatur, nam in quauis maxima quantitate reperitur vera substantia panis, & vini, quam fides docet, esse materiam consecrabilem per potestatem sacerdotibus cõcessam; nec aliundè constat vlla traditione, vel authoritate, vel ratione, limitasse Christum potestatem istam ad certum terminum, ergò nullus assignari potest.

37 Notant verò *Vazquez, Bonacina, Fagundez, & alij*, peccare mortaliter sacerdotem, qui consecraret tantam quantitatem, quanta non posset opportuno tempore consumi. Quia licèt potestas sacerdotum primario tendat ad conficiendum sacramentum independenter ab eius vsu, secundario tamen ordinatur ad ipsius administrationem. Quare qui consecrat maiorem quantitatem, quàm conueniens vsus requirat, facit contra finem secundarium huius sacramenti, & per consequens iniuriam irrogat sacramento, quòd exponit periculo corruptionis, vel indecentis sumptionis.

CAP. I. QVÆST. V.

Quomodo materia debeat determinari per intentionem Consecrantis.

38 Conueniunt Doctores, materiam consecrandam aliquo modo futuram esse certam, & determinatam in particulari per intentionem consecrantis, nec aliter valere cõsecrationem; quia non poterit demonstrari per pronomen *Hoc*, vel *Hic*, quam demonstrationem essentialiter exigit forma consecrationis. Vndè fit primò, quando sacerdos habet præsentes decem hostias, & intendit consecrare sex tantum, si certas designet, has solùm consecrare; si verò nullas in particulari determinet, nullas consecrare, quoniam illa materia nõ est definita, nec demonstrabilis, nec est maior ratio, cur has potius, quam illas consecret. Ita *Suar. multis disp.43.sect.6. Vazq.disp.171.c.1. Bonacina de Sacram. disp.4.q.2. punct.5.n. 5. Coninch.3.part.q.74.num.33. & subdit num.34.* grauiter peccare sacerdotem in hoc casu, quamuis sex illas in particulari determinet. Nam ex parte quasi falsificat formam, quæ quãtum est ex parte suæ significationis, & extenditur ad omnes præsentes, cùm tamen intentio desit circa quasdam.

Fit secundò quando sacerdos intendit solam quartam, aut dimidiam hostiæ partem consecrare non determinando dexteram, vel sinistram, nihil efficere, quia non determinat materiam, secus si determinet hanc, aut illam partem, vt diximus *supra n.34.* An autem possit Sacerdos consecrare primam, vel vltimam partem proportionalem, pares, aut impares, aut remittere suam intentionem circa materiam consecrãdam ad voluntatem Dei, casus sunt potius conficti, quam practici, videantur Doctores scholastici.

39 Fit tertiò si Sacerdos putans se habere vnicam hostiam in manu, habeat duas, & proferat verba consecrationis, vtramque consecrare, idem est, si putat in pyxide, vel patena decem hostias existere, cum sint sex, aut viginti. Sic Doctores communiter. Quia Sacerdos iuxta legitimum Ecclesiæ ritum regulariter habet intentionem consecrandi totam illam materiam consecrabilem, quam habet præ manibus, vel super altare positam, & parui refert, quod per errorem putet se consecrare vel vnam hostiam tantum, vel decem. Nam effectus consecrationis sequitur intentionem, non existimationem consecrantis, & priuata deceptio non tollit intentionem debitam, quæ moraliter versatur circa totam materiam præsentem, prout in re proponitur. Excipe nisi Sacerdos expresse restringat intentionem suam ad vnam hostiam, quam videt; tunc enim illa sola consecrabitur, si restringat ad decem cum sint in pyxide, vel patena viginti, defectu designationis nulla consecrabitur ex illis. Monent vero *Suar. supra*, *Coninch. num. 35.* talem restrictionem non esse faciendam sine necessitate, quę communiter non occurrit.

40 Restat difficultas, vtrum Sacerdos verè consecret hostias coram se positas in pyxide, vel in altari, quas initio Missæ consecrandas suscepit, postea verò tempore consecrationis prorsus oblitus fuit? Quidam negant apud *Coninch quæst. 74. nu. 40.* Quia talis Sacerdos non habet actu voluntatem explicitam consecrandi formas illas ob inaduertentiam, nec virtualem, nam hæc procedere deberet ex actuali voluntate præterita consecrandi tales hostias iuxta dicta, *libro primo capit. secundo quæst. decima*, quod tamen in præsenti non contingit, quia prolatio consecrationis solum procedit ex voluntate celebrandi Sacrum, cui sufficit consecratio vnius hostiæ præ manibus habitæ.

41 Sententia communis affirmat. Nam illa voluntas præcedens consecrandi tales hostias virtualiter perseuerat, quatenus Sacerdos cœpit suam Missam, vel aliquam partem illius ex intentione consecrandi omnes illas hostias, & Missam deinceps prosecutus est sine interruptione vsque ad consecrationem. Qua propter omnes actiones sequentes illam intentionem, ipsa quæ pariter consecratio virtualiter ex illa voluntate procedunt. Vnde negatur secunda pars fundamenti contrarij; licet enim actiones externæ celebrandi Missam eodem modo procedere possent ex voluntate consecrandi tantum vnam hostiam quoad esse materiale; non vero quoad esse morale, siue quatenus sunt actus humani liberi.

Quia cum moralitas ab intentione pendeat, & hic, & nunc actiones illæ procedant à diuersa intentione, habent vtique diuersum esse morale. Sic *Nauarrus cap. 25. numer. 92. Henrsquez libro 8. capit. 14. numer. 5. Reginaldus libro 29. numer. 25. Coninch quæst. 74. numer. 41. Bonacina supra num. 6.* Consentit *Suar.* supra, quando tales hostiæ super aram existunt, quia tunc habent illam præsentiam, quam iuxta morem Ecclesiæ, ad debitam intentionem ministri debent habere.

42 Cęterum si non essent in corporali super aram, *Suarez supra Diana part. tertia tractat. sesto Resolution. 103. Gauant. in Rubric. Missal. tomo 1. parte 3. tractat. septimo num. 4.* putant, non consecrari. Nam illa volitio præcedens, cuius virtute consecrandæ forent, dum oppositum manifeste non constat, præsumitur fuisse faciendi consecrationem legitimam, sed hæc petit, vt hostiæ consecrandę sint in corporali super aram, ergo non extenditur ad hostias existentes extra haram, quæ non possunt ritè, nec legitimè consecrari. Nichilominus *Tannerus 3. part. disput. 5. q. 2. dub. 2. nu. 76.* probabile reputat, consecrari, dum existant, in


in altari, Quia licèt per se non sit voluntas Ecclesiæ, nec subindè celebrantis hostias extra corporale, vel aram positas consecrare; tamen supposito quòd tales hostiæ consecrationi destinatæ fuerint, & volitio non fuit retractata, sed per inaduertentiam positæ sunt extra corporale, vel aram, rationabiliter præsumitur, velle tam Ecclesiam, quàm sacerdotem, vt illę consecrentur. Pars negatiua securior est, & saltem consecratio valdè dubia.

43 Si tamen sacerdote prorsus inscio, quædam hostiæ consecrandæ ponerentur super aram, quas celebrans non aduerteret antè consecrationem, sed post illam; *Nuñus 3. part. quæst. 74. art. 2.* dicit manere consecratas. Quia recta Sacerdotis intentio, dum opposita non exprimitur, tendere præsumitur ad omnem materiam præsentem, quamuis ignotam sibi. Contrarium sentiunt *Coninch. supra numero 39. Bonacina numero 8. Diana parte 2. tractat. 17. Resolution. 19.* cum alijs. Quoniam voluntas non refertur in incognitum, & per consequens intentio vel actualis, vel virtualis, quæ concurrit ad illam consecrationem, ferri non potuit in hostias nondum cognitas; & hoc videtur mihi probabilius, nec Nuñus suprà satis expressit oppositum; quin loqui videtur in casu, quò sacerdos posuit hostiam consecrandam, & alius eius loco posuit aliam, tunc enim verè Sacerdos vult illam consecrare, quam habet præsentem.

44 Si multis hostijs consecratis misceatur vna non consecrata; Quidam Recentiores asserunt, posse consecrari; Quia cùm certo sciam illam hostiam non consecratam esse in pyxide, possum intendere consecrare, quid quid est ibi panis non consecratum. Negat verò *Cardinalis de Lugo disput. 4. num. 136.* sequentibus. Nam illa hostia secundum talem statum designari non potest, ac subindè nec significari per pronomen demonstratiuum *Hoc*, vndè colligitur pro praxi, talem consecrationem fore dubiam, ac per consequens illicitam. Fatetur tamen Cardinalis, validè consecrari talem hostiam, si Sacerdos intendat consecrare totum, quòd est in pyxidè, sub conditione, si non est consecratum; tunc enim per illa verba loquitur de cunctis hostijs ibi positis, licèt solùm sub côditione velit eas consecrare. Verùm addit, non licere talem consecrationem, quia non subest necessitas illius, cùm facilius vitetur inconueniens, dando singulis in communione duas ex illis particulis: Sic enim certum esset, singulos accipere aliquam hostiam consecratam. Sicut etiam non liceret, iterum sub conditione consecrare calicem, in quem post consecrationem, infusa fuisset gutta vini non consecrati; Cùm non sequatur inconueniens, ex eò, quòd totum illud sumatur per modum vnius. Si tamen plures hostiæ non consecratæ miscerentur cùm vna, vel cùm multis consecratis, nec possent discerni, deberent omnes sub conditione consecrari; quia tunc subest sufficiens necessitas; sicut quando gutta consecrata miscetur amphoræ vini non consecrati, seruari debet totum, vt paulatim consecretur. Sic monet *Suarez tom. 3. disputat. 57. section. 4. in fine, & Cardinalis de Lugo supra numer. 139.*

CAPVT II.

De materia remota Eucharistiæ.

1 Ateria ex qua hoc Sacramentum conficitur, est panis, & vinum. Ita tradunt scripturæ *Matthæi 26. Luc. 22. Marci 14. 1. Corint. 11.*

ri. definiunt Concilia. Lateran. *in cap. firmiter*. de summa Trinitatis Florenti. num. in decreto de Sacramentis. *Trid. sess.* 13. 21. *&* 22. docent Patres & Ecclesiæ traditio confirmat. *Suarez tom. 3. disp. 43. sess. 1. & Vazquez disput. 170. c. 1.* referunt, & refellunt hæreticorum deliria; Congruentia talis institutionis fuit, quia panis, & vinum ob munditiem, aliasque qualitates regulariter ad conuiuium adhibentur, nam panis confirmat, vinum exhilarat, & ideò conuenientissimè significant virtutem, finem, & effectum huius Sacramenti, quòd ad spiritualem animarum alimoniam peculiariter institutum est; alias congruentias affert *S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 1.*

CAP. II. QVÆST. I.

Qualis esse debeat panis, vt consecrari possit?

2 SVppono primò, panem ex triplici rerum genere solere confici, primo scilicèt ex fructibus arborum, vt ex castaneis, ficubus, amygdalis & cætera & apud Indos fit ex radicibus, nimirum ex yuca fit cazabe, quem nonnulli vocant panem ligneum. Secundò ex leguminibus, vt fabis, ciceribus, lentibus, ac similibus, quæ nascuntur in siliquis, vel in folciculis crassioribus. Tertiò ex granis, quæ generali voce frumenta dicuntur, & habent culmum, spicam, aristas, & grana sine siliquis. Conueniunt Doctores, panem factum ex fructibus, vel radicibus, vel leguminibus non esse materiam consecrationis, quia non dicitur simpliciter panis, neque vsu communi solet adhiberi. *Sic Suarez to. 3. disp. 44. sect. 1. Vazquez disput. 170. cap. 2. Fagundez Præcept. 3. lib. 2. cap. 1. n. 7.*

3 Suppono secundò licèt Argentinas in 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. *ar.* 1. *Gabriel lect.* 35. in Canonem dixerint, panem communem ex quocunq; genere frumenti confectum esse materiam idoneam consecrationis. Quia sæpè Patres requirunt frumentum ad hoc Sacramentum, *& ca. In Sacramento, de Consecrat. dist.* 2. dicitur. *Nec amplius in sacrificijs offeratur, quàm de vuis, & frumentis.* Iam certum nihilominus esse, solùm panem triticum esse sufficientem Eucharistiæ materiam, ita vt in alio non fiat valida consecratio; Quoniam hic fuit semper communis sensus Ecclesiæ, iuxtà quem côcilium Florentinum definiuit, *in azymo siue fermentato pane tritico corpus Christi veraciter confici*. Et in litteris vnionis inquit. Tertium est Sacramentum Eucharistiæ, cuius materia est panis triticus, & vinum de vite. Cathechismus Romanus addit. hanc esse traditionem Apostolicam; *Bonacina disp. 4. q. 2. punct. 1. n. 1.* dicit esse de fide. Ratio redditur, quia solus panis triticeus dicitur simpliciter panis ordinatus ad reficiendas. Vires, cæteri verò dicuntur panes cùm addito. Cùm ergò Christus dicitur consecrasse panem, mentò triticum intellexit Ecclesia, & per consequens eundem dumtaxat esse materiam aptam Eucharistia iuxta saluatoris institutionem: Nec obstat, quòd frumētum interdum sumatur latè pro granis, quæ nascuntur in spicis, Nam frequentius in scriptura, & patribus sumitur specialiter protritico, vt notant. *Vazquez supra cap. 3. & Ysambert. 3. p. q. 74. disput. 1. art. 3.*

4 Hinc fit primo, panem confectum ex grano, quòd constat nō esse triticum, palam ineptum esse validę consecrationi. Sic Doctores communiter excludunt millium, panicum, hordeum, Orizam, auenam, lolium, maizium, melicam, & si quæ sunt grana similia, quæ certissimè non sunt triticum, vt colligitur ex communi modo loquendi peritorum in hac materia, & ex vsu communi hominum, qui non conficiunt communiter panem ex huiusmodi granis, nisi ob defectum tritici. *Moure part. 3. cap. 4. §. 2. num. 2.* secludit etiam panem furfurosum, idest, ex furfuribus tritici confectum, quoniam est panis canum, non

non hominum, consonat, *Cardinalis de Lugo disput.4.nu.64.* qui rectè notat, panem, ex farina cum aliquo furfure permixta factum esse materiam consecrationis quoad omnes partes, quia licèt furfur non possit consecrari seorsim, at compositum ex adipe farinæ, & furfure, verè panis est, & in ratione talis intrinsecè constituitur ex vtroque componente, quare totum compositum adæquate consecrari potest.

5 Fit secundo panem omnem confectum ex grano, quod certo constat esse triticum, licèt aliter nominetur, esse materiam certam huius Sacramenti. Sic alica, seu alicastrum, quod est triticum trimestre, sic etiam triticum apud Hispanos. *Candeal, Aluar, Trechel, Rubion,* apud Italos. *Grano gentile, grano vianco, grano grosso, grano Rauanese,* censentur materia sufficiens Eucharistiæ. Cœterum quando di grano quopiam dubitatur, an sit triticum, nec ne, panis ex illo confectus erit materia dubia, quæ subindè non poterit licitè consecrari, ne consecrans subeat periculum faciendi consecrationem irritam. Ita *Suar. supra Bonac. n.2. Coninch q.74. n.53.*

6 Ad hanc materiam dubiam pertinet primo Typha græce, latine Blatta, quam alij vocant farraginem felicam, vel secalam, vel secale, Hispane *Centeno*, Italicè *Segala*, quam plures affirmant, esse materiam sufficientem, quia putant esse triticum essentialiter; imperfectum tamen accidentaliter sauet. *S. Thom. quæst.74 art.3.* tenent. *Nuñus ibi, dub.1. Henriquez lib.8. cap.9. nu.1. lit.D. cum alijs.* Negant vero. *Palatius, Ang. Rosella,* quos sequitur *Suar.* supra, quia licet ex tritico per degenerationem generetur, semper degenerat in aliam speciem. Vnde *Bonacina supra, & Coninch. num.52.* censent grauiter peccaturum, qui talem panem consecraret, quia saltem vteretur materia dubia. *Nuñus*, vero supra dicit, licere talem consecrationem, si sit grauis necessitas, videlicet, ne quis moriatur sine viatico, vel ne populus in festo maneat sine missa. Ego pro sola Missa auditione non auderem, nec si moribundus posset aliud Sacramentum recipere; si tamen non posset, non improbarem consecrationem illam propter necessitatem quasi extremam.

7 Pertinet secundo siligo, quam *S. Thom. eo art.3.* ad secundum dicit esse sufficientem materiam. Consentiunt plures, & dissentiunt non pauci. Pertinent tertio, far, & spelta, quæ *S. Thom.* negat sufficere, plures tamen affirmant. Et quidem controuersiæ videntur verborum potius, quam rerum, inde qui nasci quod non solum natura grani sit Doctoribus ignota, sed & ipsa nominum significatio sit incerta. Quare sæpè dissentiunt, quia per idem nomen res diuersas intelligunt. Itaque particulare iudicium circà particulare granum. An in hac vel illa regione sit verum triticum, ac subindè materia sufficiens Eucharistiæ, sumi debet ex communi sensu Incolarum, & præsertim agricolarum peritorum. Quod si circà granum aliquod isti quoque dissentiant illud erit materia dubia; si vero communiter conueniant esse verum triticum; erit materia certa moraliter.

8 *Notat S. Thom. ea quæst.74. art.3.* ad tertium, & cum illo Doctores communiter, modicam admistionem diuersi grani cum multo maiori quantitate tritici non vitiare materiam, quominus consecrari validè possit. Nam quod modicum est, quodammodo trahitur, vel absumitur à copiosiore. Addunt *Henriquez lib.8. capit.9. num. 3. Suar. disput.44. sect.2. Vazquez disput.170. num.25. Coninch. quæst.74. num. 55.* talem mistionem reddere consecrationem illicitam, contra puritatem tali materiæ debitæ, nisi mistio tam parua sit, vt pro nihilo reputetur. Si tamen mistio diuersi grani fiat cum minori, vel æquali quantitate tritici, non erit materia sufficiens conse-

consecrationi validæ, quia maior pars trahet minorem ad suam speciem, aut, si partes sint ferè pares, vtraque corrumpetur, & fiet vnum tertium diuersum. Idem est proportionaliter de mixtione diuersi liquoris cum aqua naturali, qua subigi debet farina, vt fiat panis aptus consecrationi.

CAP. II. QVÆST. II.

Quomodo panis conficiendus sit, vt sit materia consecrationis?

9 PRima sententia docet, ex farina triticea, licet aqua rosacea, vel alia non naturali subigatur, fieri panem idoneum consecrationi. Sic *Caietanus tertia part. quæst. 74. articulo septimo. Sà verbo Missa numero quarto, & alij.*

Probant, quia panis ita subactus est eiusdem speciei cum pane communi, nam aqua vel per coctionem exhalatur, vel si quid manet, non obest, quia potissima substantia panis est farina, quæ trahit illum liquorem ad suam naturam; Fatentur verò grauissimè peccare, qui talem panem consecraret.

10 Secunda sententia communis, & vera docet, materiam necessariam consecrationis esse panem ex farina triticea subactum aqua naturali, coctum igne solo. Sic *S. Thom. tertia par. quæst. 74. artic. septimo ad 3. Paludan. Ricard. Sotus, & alij*, quos sequitur *Suar. tomo tertio disputat. 44. sectione secunda. Coninch. quæst. 74. numero 48. Henriqu. lib. octauo capite nono numero tertio. Bonacina disputat. quarta quæst. secunda parte prima numero quarto. Fagund. Precept. 3. Ecclesiæ libro secundo capite primo. Layman. Persicus, Vvigers*, quos sequitur *Diana parte sexta tract. septimo. Resolut. 18.* Probatur. Quia materia consecrationis est panis communis, & vsualis, sed panis communis, & vsualis, quem homines absolutè vocant panem, & communiter adhibent quasi comitem aliorum ciborum, fit ex farina triticea solum aqua naturali subacta. Ergo iste solus est materia consecrationis.

Ad fundamentum oppositum Respondetur, forsan illum panem aqua rosacea, vel simili confectum, essentialiter differre à pane communi; nam alterum miscibilium diuersum est essentialiter, & æquè concurrit ad mixtum, nec ita exhalatur, quin multum illius materię maneat in pane diuersum odorem, & saporem sensibus offerens.

Verum etsi demus esse panem eiusdem speciei cum communi, tamen non est panis vsualis, qui communiter in alimentum sumatur. Et in hac materia non tam attendi debet vnitas, vel diuersitas ipsius specifica, quàm si iuxta communem vsum reputatur pro pane talis materia, necne; vt notant *Auersa de Eucharistia quæst. secunda sectione tertia. Cardinalis de Lugo disput. quarta sect. 1. num. 6.*

11 Hinc fit, primò non esse materiam consecrationis, si grana triticea subigatur liquore ab ipsis expresso per contusionem in mortariolo, quia non esset panis vsualis. Ita *Moure cum alijs parte tertia capite quarto Paragr. secundo numero sexto Suar. supra Fagund.* addit idem esse, si subigatur aqua maris. *Lugo supra, & Dian. parte septima tract. 12. Resolut. 8.* dicunt, idem esse de rubris hostijs, quibus litteræ solent obsignari, quoniam illa materia per mixtionem cinabrij notabiliter alteratur, & extrahitur à parte vsuali, saltem erit materia dubia, quæ licitè consecrari non posset.

12 Fit secundò, non esse materiam consecrationis, si panis subigatur, oleo, vino, lacte, melle, vel alio liquore prædominante, multoque minus, si misceatur ouis, butyro, saccharo, pipere, cinamomo, vel simili mixtione, quia non est panis vsualis, sed libum, placenta, laganum, panis dulciarius,

aut

aut marcius odore, saporeq; diuersus, & vsu. Et quāuis, si mixtio fiat in minima quantitate, maneat adhuc panis vsualis, sufficient validæ consecrationi, mortale peccatum erit, talem materiam consecrare, contra puritatem institutionis, & communem vsum consecrationis. Sic *Henriq. sup. Vazq. disp. 170. n. 25.* Addunt *Suar. & Fagund.* si mixtio fiat per modum condimenti, vel obsonij, mutetq; saporē, & vsum cōmunem panis, quamuis modica sit, tollere rationem materiæ sufficientis ad consecrationem.

13 Fit tertio, massam crudā, seu pastā non esse materiā consecrationis; quia licet problema sit, an essentialiter differat à pane, sicut etiam in carnib. crudis, & coctis; tamen non est panis vsualis, nec alimentum hominum per se loquendo, nisi calore ignis coquatur. Ita *S. Thom. 3. p. q. 75. art. 6.* ad primum, & Doctores cōmuniter. Fit quarto, debere panē esse coctū igne solo, non oleo, vel butyro frixum, vel elixum aqua. Nam hic non erit panis vsualis, sed placēta, laganū, pultes, & similia, siue differentia sit substantialis, siue solū accidentalis, sufficit. n. si sit vsualis, & artificialis, vt diximus, & notant etiam, *Suar. disp. 44. sect. 2. Fillinc. tract. 4. nu. 79. Coninch. q. 74. n. 47.* Nihil autem refert, panem in furno torreri, vel sub cinere, vel intra vas ferreum, aut fictile, dum igne puro coquatur, quia talis varietas applicandi ignem, non tollit veram rationem panis. Ita *Suarez, qui subdit disput. 45. sect. 1.* panem biscoctum, aut ita durum, vt mandi non possit, adhuc esse materiam consecrationis, quia verè panis est. Consonant *Bonac. disp. 4. qu. 2. punct. 2. num. 10. Fillinc. tract. 4. nu. 87.* Sed non liceret talis consecratio, sicut nec quando suppetunt in pane signa corruptionis, ob reuerentiā tanti Sacramenti. Quamuis enim *Coninch. nu. 49. & Henriq. lib. 8. c. 9. num. 2.* innuant, si necessitas vrgeat, posse panem aliquantulum corruptum consecrari, melius *Fagundez*, generaliter asserit, in materia dubia nunquam moraliter, & practicè Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, quoniam huic Sacratissimo Sacramento summa reuerentia debetur, & subindè nec præceptum Ecclesiasticum, neque etiam diuinum communionis obligare censetur, nisi quando reuerenter, ac decenter consecrari, sumique potest; quod non fiet, si consecretur materia dubia, vel aliquo modo corrupta.

14 Fit quinto panem recentem, vel male coctum, qui per compressionem digitorum redigatur in massam, validè consecrari, licèt enim in illo pane remittatur solita durities, tamen ex quo semel coctus fuit, & panis factus, nō videtur per solam compressionem digitorum amittere formam substantialem, nec rationem panis vsualis: alioquin quoties hostia manditur, & in ore madefit, amitteret accidentia, seu rationem panis, & per consequens consecrationem. *Ita Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 3. fine Suar. tom. 3. disput. 44. sect. 2. Vazq. 3. part. disput. 170. cap. 4 Cardin. de Lugo disput. 4. sect. 1. num. 5. Henriq. supr. num. 3. lit. X. contra, Fagund. supr. & Nuñum quæst. 74. art. 3. difficit. 2.* ad tertium, putantes, speciem substantialem panis in eo casu corrumpi, formamq; massæ generari. Nam istæ species, cum imperfectissimæ sint, & parum distantes inter se, facilè mutuo transmutantur. Hoc certissimum est, talem materiam non esse consecrandam propter reuerentiam Sacramento debitam, & propter dubiam consecrationem, vt fatentur *Suarez supra, & Fillincius num. 80.*

15 Fit sexto, panem ex amydo, vel amylo confectum non esse materiam consecrationis, etenim quamuis, *Palud. in 4. dist. 11. q. 1. a. 4. Henriq. l. 8. c. 9. n. 1. Bonac. disp. 4. q. 2. punct. 1. nu. 7.* velint, si amydum exiccatum, vel tostū in farinā redigatur, & cōpastum aqua, coquatur igne, materiā esse cōsecrationis, quoniā erit panis triticeus, cum amydum ex tritici substantia coalescat. Melius tamen

id

id negant *S. Thom. 3. p. q. 74. a. 3. ad quartum, Thomistæ qui communiter, Vazquez, & Fagundez, supra Cardinal. de Lugo. n. 6.* quia panis sic confectus diuersæ rationis ac virtutis est ab vsuali, nec dicitur panis simpliciter, nec retinet saporem communem panis, sed valdè diuersum; siue differat essentialiter ab vsuali, siue non differat. In praxi nunquam licebit talem materiam consecrare, cum saltem dubia sit, vt fateantur ferè omnes.

CAP. II. QVAEST. III.

Vtrum debeat esse panis azymus?

16 Sex diuersas sententias referunt *Suarez tom. 3. disput. 44. sect. 3. Vazquez 3. p. disp. 174. Coninch. q. 14. art. 4. dub. 2.* Certum est primo de fide, tam azimum, quam fermentatum esse materiam consecrationis validæ definitur in Florentino Decreto de Sacramentis, & in *Tridentino sess. 13.* Rationem reddunt Catholici; Nam vterque panis, & est simpliciter, & absolutè vacatur panis etiam in sacris literis; & meritò nam vterque fit ex farina triticea, subigitur aqua naturali, coquitur igne puro, habet vsum panis proprium, vterque siquidem cum alijs cibis tanquam illorum comes adhibetur; & licet fermentatus sit magis in vsu, quia delectabilior, azymus autem est purior.

17 Certum est secundo, Ecclesiastici præcepti necessitate teneri Græcos in Fermentato, latinos in azymo consecrare, singulos iuxtà morem Ecclesiæ suæ. Qui quidem tanquam grauiter obligans receptus est. Sic tradit *Florentinum supra, S. Thom. 3. part. q. 74. art. 4. Caiet. ibi, Suarez, Vazquez, Coninch. sup. Bonac disp. 4. quest. 2. punct. 1. num. 9 cum alijs.* Vnde fit primo, grauiter peccare Sacerdotem latinum, qui consecrat fermentatum, quia facit contra morem, & præceptum Ecclesiæ in re graui, colligitur ex cap. *Litteras, De celebrat. Missar.* vbi punitur grauiter quidam Sacerdos latinus, ob consecrationem in fermentato. *Tenet Bonac. supra.*

18 An verò peccet Græcus consecrãs in azymo? Negat *Paludanus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4.* quia licitè potest ritum Ecclesiæ particularis postponere mori capitalis Ecclesiæ, qualis est Romana. *Nuñus vero 3. part. q. 74. art. 4. conclus. 6.* censet peccare, sed venialiter, quia cum latina consuetudo sit melior, non videtur res grauis, quod Græcus non sequatur morem Ecclesiæ suæ. Communis sententia docet, peccare mortaliter, quia facit in re graui contra morem Ecclesiæ suæ per Summos Pontifices *Leonem nonum, & Eugenium quartum* approbatum, *Ita Suarez disput. 44. sect. 3. Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 18 Bellarmin. de Eucharistia. l. 4. cap. 8.* Posse tamen latinum in Ecclesia Græca consecrare fermentatum, & è contra Græcum in Ecclesia latina posse consecrare azymum dicunt *Suarez supra, Coninch, dubio 3. Bonacina num. 10.* cum alijs. Negat *Vazquez ea disp. 174 n. 28.* Certè dispiciendum est; quid in singulis locis consuetudo præscribat.

19 Fit secundo, panem cum admisso sale subactum sufficientem esse consecrationis materiam, quia Græci validè consecrant fermentatum, in quo sal adhibetur, peccare tamen grauiter latinum, qui panem illum consecraret contra morem Ecclesiæ latinæ consecrantis azymum sine sale. *Sic Suarez supra sect. 2 Vazquez disp. 170 n. 26. Fagundez Precept. 3. lib. 2. cap. 1. num 15.*

Fit tertio nec ob grauem necessitatem posse licitè Sacerdotem latinum in fermentato consecrare; quamuis ideò populus diu sacrificio priuetur, vel moribundus sine viatico decedat. Quia licet præceptum recipiendi communionem in articulo mortis sit diuinum, & præceptum impositus latinis de consecrandis azymis sit humanum, illud diuinum est affirmatiuum, quod non obligat pro semper, sed quando debito modo fieri potest. At posito præcepto humano

mano de consecratione azymi apud latinos, iam spectat ad summam reuerentiam Iuri Sacramento debitam, vt vniuersalis Ecclesiæ consuetudo circa ipsius administrationem seruetur; ergo præferri debet cultus illius Sacramenti necessitati proximi, cui subueniri potest per alia media contritionis, vel confessionis, vel alterius Sacramenti. Sic *Suarez disp.44.sess.3.fine. Henriquez lib.8.c.11. num.7.lit.R.Bonac.disp.4.q.2.punct.1.n.11.* qui citant alios contra *Maiorem in 4.dist.9.quæst.3.ad 5.* docentem in hoc euentu non peccare Sacerdotem, si sine vestibus sacris, & non ieiunus secretè fructum accipiat panis communis, & consecret, & communicet ægrotum. Hæc enim pugnant cum Ecclesiæ consuetudine, quæ præfert generalem Eucharistiæ cultum particulari cuiusdam necessitati.

CAP. II. QVÆST. IV.

Quale vinum consecrari possit?

20 Catholica sententia docet, materiam consecrationis sanguinis esse vinum vitis, colligitur ex Christi facto *Matth.26.& Luc.21.ibi ex hoc genimine vitis*, accedente præsertim Ecclesiæ consensu, quæ iuxta traditionem Apostolicam ea loca sit semper intellexit, vt Christus talem materiam instituerit, & non aliam. Sic definiunt *Concil. Later.cap. firmiter. de summa Trinitat. Cartaginense tertium. cap.24. Florentinum de Sacrament.* & concinunt Catholici Doctores.

Vnde fit primo, quidquid non procedit ex vite, non esse materiam sufficientem huius consecrationis, sic siceram, ceruisiam, sichram, vinum ex moris, ex malis granatis, ex palmis, ex aliis fructibus, radicibusve factum reijciunt *Suarez disput.45.sess.1.Henriquez lib.8.cap.12.Bonac.de Sacram.disp.4.q.2.punct.2.* Quia non sunt verum vinum, neque absolutè dicuntur vinum, sed impropriè, vel cum addito solent sic denominari.

21 Fit secundo non sufficere liquores alios, qui fieri possunt ex vuis; nisi fiat verè vinum. Ideò Sapam, Agrestam, aquam vitæ secludunt *S.Thom. 3.part.q.74.ar.5.*& Doctores communiter. Quia licet ex vuis fiant, non tamen sunt verè vinum, sed aliquid antecedens, vel consequens formam vini. Huc accedit vinum melle, saccharo, butyro, vel aliis aromatibus, & floribus conditum, & decoctum, quod mellitum, aut mulsum appellatur. Quia mutat speciem, aut saltem denominationem absolutam, & moralem vsum vini communis. Ita *Fagundez Præcept.3.Ecclesiæ lib.2.cap.3.n.11.Henriquez supra num.3. qui subdit.n.4. Claretum retinet speciem vini consecrabilis, ex parua mistione aromatum aut mellis.* Et quidem claretum, quod Hispane dicitur *Clarea vel Hypocras*, communiter nō fit per decoctionem, sed per infusionem vini, quod exprimitur, & colatur sæpius linteo quodam aromatibus pleno, nec subindè substantiam vini, vel vsum amittit. Ideò *Suarez supra § tertio sequitur* indicat esse materiam consecrabilem. *Petr.de Ledesma tom.1. summ.tract.de Euchar.cap.4. conclus.15.* dicit, si hypocrasii admistio sit tanta, vel coctio talis, vt vinum corrumpat, consecrari non posse; an verò corrumpat, standum esse sensuum experientiæ, prudentum quæ iudicio. Cæterum conueniunt hi Doctores, sacrilegium esse, propter reuerentiam huic Sacramento debitam consecrare talem materiam.

22 Fit tertio, quodcunque vinum album aut rubrum, aut nigrum, siue differant specie, siue non differant, esse materiam sufficientem, quia simpliciter est vinum ex vuis procedens, & vsui communi politicæ gentis accommodatum. Ita *Suar.illa sect.1.Fagundez n.2.Vazq.3.p.disp.175.num.5.cum aliis*. De musto dubitant aliqui Recentiores, quia nec videtur simpliciter vinum, nec habere vini proprietates. Contraria tamen sententia communis est omnium Theologorum, & habet pro se Iulium Pontificem in cap. *Cum omne crimen, de consecrat.*

*crat.dist.*2. dicentem, si necesse sit, posse brotum exprimi, & aqua misceri, sanguinemque Domini confici, Probatur, quia mustum solum accidentaliter differt a vino, quatenus minus perfectum, & defecatum est, & interdum bibitur, & inebriare solet, Imò mos est quarundam Cathedralium in festo transfigurationis ad significandam innouationem Dominicæ Resurrectionis admisceri vino calicis expressionem recentem vuarum. Aduertunt autem *Suar. & Fagund.* nullibi fieri totam consecrationem in musto, talemque consuetudinem, sicubi fit, corrigendam esse propter indecentiam, ob quam, & ob receptum Ecclesiæ morem contrarium putant esse mortale peccatum, consecrare mustum extra necessitatem. Consonant *Bonac. supra, & Filliuc.tract.*4.*n.*87.

23 Restat difficultas, an vuæ, vel succus inclusus in vuis consecrari possit? *Richard.in* 4.*dist.*11.*a.*2.*q.*5.*ad tertium*, refert probabilem quorundam oppinionem asserentium, si consecraretur vua matura, humorem in illa contentum fore conuertendum in sanguinem Christi. Quia mustum expressum, & non expressum sunt eiusdem speciei, sed non licere talem consecrationem. Nam in cap. *Didicimus. De consecrat. dist.*2 prohibetur, ne vuæ cum vino misceantur in calice consecrando. Cœterum ipse Richardus probabilius reputat, nec licere, nec valere consecrationem illam. Consentiunt *S.Thom.q.*74.*art.*5.*ad* 3.*Suar. Vazquez Henriq.* & alij communiter, quia siue succus in vuis contentus specie differat à vino, siue non differat, certè, dum est in illo statu, non est potus, sed esca, cum ad validam consecrationem requiratur vinum simpliciter potabile, iuxta illud *bibite ex hoc omnes*. Quare contraria sententia non censetur probabilis, opponunt aliqui, si vino consecrato madefiat offa panis, tunc species vini clausæ sub pane sunt esca, non potus, & tamen retinent sanguinem Christi, dum retinent dispositionem ad formam vini. Ergo similiter, & si mustum in vuis sit cibus, adhuc retinet dispositiones ad consecrationem sufficientes. Respondetur, rem denominari simpliciter ab eo, quod est per se, non ab eo, quod est per accidens; mustum autem in vuis per se cibus est in eo statu, quare non potest validè consecrari; vinum in offa per accidens fit cibus, cum sit per se potus, & ideò retinet consecrationem, imò probabiliter valeret eius consecratio, certum verò debet esse, tam consecrationem offæ madefactæ, quam vuarum graue sacrilegium fore. Quod autem nonnulli volunt, nec mustum in vuis, nec vinum in offa conseruari posse, quia non potest designari per pronomen *Hic* satis refellit *Vazq.* 3.*p.disp.*175.*c.*2.*n.*13.*&*.14.

24 Maior difficultas est. An consecrari possit lora, seu vappas, vel acinaceum. Hispanè dicitur *Aguapie*? Negant *Sylvester Euchar.* 1.*num.*4. *Bonac. disput.* 4. *quæst.*2.*punct.*2.*num.*7. *Cardin. de Lugo disp.*4.*sect.*1.*num.*9. Quia non est vinum, sed aqua racemis expressis, vel acinis infusa. Communis sententia distinguit, si bene compræssis vuis additur multum aquæ, non erit materia consecrationis ob fundamentum adductum, tunc enim non habebit substantiam vini, sed aliquam eius similitudinem, aut qualitatem. Si tamen vuis parum compræssis infundatur parum aquæ, sufficiens erit materia consecrationis. Cum enim magna vini copia maneat in acinis, parum aquæ proportionaliter infusum facilè vertetur in vinum, licet hoc nonnihil debilitetur, ita *Suar. disputat.*45.*sect.*1. *Henriqu. cum alijs lib.*8.*cap.*12.*numer.*2. *litt.L.Filliuc.tract.*4.*num.*87. *Vazqu.disput.*175.*num.*8. Cœterum *Suar. censet*, semper fore graue sacrilegium consecrare loram ob dubium, & irreuerentiam, *Vazq. vero dicit*, dum parum aquæ multo musto acinis incluso superinfunditur, fieri verum vinum, in quo valeat, & liceat consecratio. *Fagund. Precep.*3. *lib.*2.*cap.*3.*num.*6. prudenter monet ex circumstātijs, & mixtionibus esse considerandum, an valear, & liceat c[...]ratio; adderem ex communi praxi, sensu-

que

que potantium, & ego vix vnquam auderem consecrare loram.

25 Sub eadem distinctione docent *Amicus tom.7.disput.16.sect.3.num.34.& Dian.par.7.tract.12.Resol.8.* succum elicitum ex vuis passis madefactis esse materiam consecrationis, nisi nimium aquę misceatur. Et *Fagund.supra refert*, in Æthiopia Catholicos, & Patres nostræ Societatis ob vini deffectum assumere vuas non ita passas, vt non habeāt succum, & eas super infundunt aqua, donec lentescant, ex quibus postmodum expressis fiat vinum generosum consecratione deseruiens. Idem mihi dictum est apud Insulas Philipinas interdum fieri propter eumdem deffectum, Magnum argumentum veræ consecrationis est praxis.

CAP. II. QVÆST. V.

Vtrum vinum congelatum sit materia consecrationis?

26 NEgant *Alanus lib.1.de Eucharist.ca.11.Armilla verbo Eucharistia num.19.Henriqu.lib.8. cap.12. num.3.Moure par.3.cap.4.§.3.numero* 7. Probabile dicit *Fagund.Precept.3.lib.2. c.3.n.10.* Probatur, nam in eo statu non est potabile, quale debet esse vinum cōsecrabile Affirmant communis, & probabilior sententia. Quia vinum congelatum retinet vini substantiam, & secundum se potabile quidem est, licet per accidens sub illa dispositione potari non possit, nisi prius liquefiat. Et certè si sumatur in ore, paulatimque deglutiatur, verè potatur, nec soluit ieiunium ecclesiasticum, quamuis magna quantitas sumatur, quia semper habetur vt potus. Ita *Syluest.Ang.Sot.* quos sequitur *Suar. disp.45.sect.1. Vazquez disp. 175.nu.16. Coninch quæst.74. num.126. Bonac. cum alijs disputat.quarta quæst.2. punct.2. numero* 10.

27 Magis certum est vinum consecratum, si congeletur, retinere consecrationem, & Christi sanguinem, quod fatentur etiam *Henriquez, & Fagundez*, & valdè confirmat Rubrica Missalis in defectibus Missæ præscribens, species vini congelatas post consecrationem liquefieri, sumique vt consecratas. Quia reuera vinum per congelationem non amittit formam vini, siquidem post liquefactionem manet vinum sicut antea. Limitat. *Sot.in 4.dist.9.qu.1.art.5.* nisi vinum congelatum sic induresceret, vt transiret in formam lapidis. Sed equidem vinum numquam ita congelatur, licet aqua dicatur in chrystallum verti, nec id hactenus experimento didicimus. Vt notat *Vazqu sup.*

28 An autem licitè consecrari possit? *Filliuc tract.4. num.87.* dicit extra necessitatem non licere, quasi liceat in necessitate. Cœterum absolutè docent *Suarez, Fagundez, Coninch, & alij*, graue peccatum fore consecrare vinum dum congelatum est, propter dubium, & indecentiam.

Vnde colligo nec in necessitate licitè consecrari, nisi ante consecrationem liquefiat. Imò si post oblationem vinum congeletur, & liquefiat ante consecrationem, adhuc, inquit *Suarez* optimum consilium erit, aliud afferre vinum, & iterum offerre, posteaque consecrare. Quod intelligo, quando vinum oblatum liquefaciendum esset ante consecrationem, vel aliud offerendum; Si tamen vinum congelatum iam liquefactum est, multi putant, nullum esse peccatum illud consecrare, valdéq; probabile censet *Suar. & Coninc.* Quare vinum quod post congelationem iam liquefactum est, ego post oblationem non mutarem, antea verò sumerem aliud ad offerendum, si commodè possem.

(∴)

CAP. II. QVÆST. VI.

An acetum sit materia consecrationis?

29 AFfirmant Innocentius tertius *lib.4.de sacrificio Missæ, c.30. Alensis.3.p.q.32.memb.8.glos.in c.2. de consecrat. dist.2. Fauet S. Isidorus lib.8. Etymol. c.3.* dum inter species vini numerat acetum. Probatur, nam acetum non videtur substantialiter, & accidentaliter solum à vino differre.

Communis sententia negat. *S.Thom. 3. p. quæst.74. art.5. ad 2. commentatores ibi Suar. disput.45. sect.1. Vazquez. disput.175. num.10. Henriquez lib.8. cap.12.nu.2.cum alys.* Probatur, nam acetum, quod verè iam acetum est, speciè differt à vino, quippè per corruptionem transijt in aliam speciem, vt ex eius qualitatibus, & effectibus, odore nimirum, sapore, frigiditate colligunt Doctores, & supponit. *Arist.8. Meteorum c.6.* Dum innuit, acetum se habere ad vinum, vt cadauer ad animal. Ideo Rubrica Misſalis iubet repeti materiam, si reperiatur acetum. Et *Gregorius XIII.* (vt testatur *Henriq.*) iussit deleri, *glossam capitis 2. de consecrat. dist.2.* & oppositam sententiam intellectam de aceto proprio vocat, *Suar.* omninò falsam, & improbabilem. Addit *Vazq.* quamuis acetum specie non differat à vino, non fore sufficientem materiam consecrationis ex eo solum, quod nec est, nec dicitur simpliciter vinum, quod potui communiter deseruiat.

30 Si vero vinum sit acidum, vel acescens, concedunt Doctores, valide consecrari, non tamen licitè; nam indecens est valdè consecrare materiam, quæ cępit corrumpi, præsertim quando notabiliter esset acidum, ratione dubij, vel irreuerentiæ. Sic multi benignè capiunt. *Innocentium, Isidorum, & Alensem*, de aceto non perfecto, sed de vino acescente. Quin si vinum sic acescere cępit, vt sit notabiliter acidum, nec aliud haberi possit, & subsit aliqua necessitas celebrandi, licitè consecrari dicunt *Coninch. quæst.74. num.122. Fagund. Præcept.3.lib.2.c.3. num.5.* & mihi videtur probabile.

Per hucusque dicta iudicandum erit de quouis alio vino, vel corrupto, vel cocto, vel mixto, vel de cuius corruptione dubitari possit ob qualitatum diuersitatem, vel alterius rei mixtionem; semper enim erit peccatum in materia dubia, vel nimis indecente consecrare. An vero consecratio valeat, discernendum est ex signis corruptionis, vel miscibilium quantitate. Sic *Suar. Fagund. & aly.*

CAP. II. QVÆST. VII.

An aqua miscenda sit vino consecrando?

31 SVpponimus, ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse generalem ipsius consuetudinem mittendi aquam in calicem consecrandum. Ita *Trident. sess.22. cap.7. & ex alys Concilys*, & Patribus ostendunt latè, *Suar. disput.45. sect.2. Vazq. disput.176. c.1. Bellarm. de Eucharist. lib.4. cap.10.* simulque reddunt multiplicem rationem congruentiæ, nimirum, quia Christus ita fecisse creditur, vt ex antiquis liturgijs, & Patribus colligitur, & ad significandum sanguinem, & aquam, quæ de latere Christi manarunt, item vnionem fidelium cum Christo per hoc Sacramentum; duplicem etiam Christi naturam diuinam, & humanam, demum ad significandam gratiam, quæ dicitur aqua saliens in vitam æternam, videatur. *S. Thom. 3. p. q.74. art.6. & 8. & commentatores ibi.*

32 Iam sit dubium primum. An aqua mixta requiratur ad valorem consecrationis? Affirmat prima sententia, quam docuit, *Armacanus lib.9. de quæstionib. Armenorum cap.9.* Probatur primo. Nam textus in c. *Sicut in c. non oportet.* in cap. *cum omne crimen, de consec. dist.2. vbi Cyprianus ad Cecilium*

Epi-

epist. 63, alias lib. 2. epist. 3. Iulius primus, & alij citantur, iubent, sicut vinum, sic etiam aquam offerri, & interdum addunt, sicut non potest aqua consecrari sine vino, sic nec vinum sine aqua; & sicut ad consecrationem corporis requiruntur simul farina & aqua copulatae, sic ad consecrationem sanguinis requiri simul vinum, & aquam permixta.

Probatur secundò. Nam Christus cõsecrauit vinum aquae permixtum iuxtà communem traditionem Patrum, sed institutionem materię Sacramentorum colligimus ex facto Christi, ergo Christus instituit tanquam materiam necessariam calicis vinum aquae permixtum. Probatur tertiò; Nam aquae mixtio significat non solum aquam, quae fluxit de Christi latere, sed etiam vnionem Ecclesiae cum Christo iuxtà communem Doctorum sensum, ergo si tollatur aqua, non manet haec significatio, nec subinde Sacramentum cum eadem significatione; quapropter non erit idem Sacramentum.

33 Secunda sententia verior, imò Catholica docet, aquam mixtam vino calicis non requiri necessitate Sacramenti, sed sola necessitate praecepti. Primam partem docent *Magister in 4. dist. 11. & ibi communiter scholastici. S. Thom. 3. p. q. 74. art. 7. & ibi Thomistae, Suar. Vazq. & Bellarm. supra, Coninch. q. 74. nu. 133. Bonac.* cum multis *disput. 4. q. 2. punct. 4. Fauent Concilia,* quae nõ dicunt aquam esse materiam consecrationis, sed esse cum vino miscendam ex Ecclesiae praecepto, seu consuetudine. Ratio communis est, quia Christus non instituit hanc ceremoniam, vt essentialem, quod satis ostendit Ecclesiae traditio simpliciter docentis, vinum esse materiam sufficientem.

34 Secundam huius sententiae partem de necessitate praecepti tradunt *Trid. sess. 22. c. 7. & can. 9. Florentinum & alia Concilia,* quae refert *Suar.* Patres, & Doctores omnium aetatum, quos contrà Nouatores latè refert *Bellarmin. & addit Ecclesiam Catholicam* semper credidit, ita necessarium esse, aqua vinum in calice misceri, vt non possit id omitti sine graui peccato.

Ad primum fundamentum primae sententiae. Respondetur, difficilia quidem esse verba *sancti Cypriani, & Iulij primi,* verum *sanctum Thomam,* & alios illa capere de necessitate praecepti; nec enim comparatio cum necessitate vini debet in omnibus tenere; sufficit quod vtrumque necessarium sit, & si diuerso gradu necessitatis, & ipse *Cyprianus,* id innuit, vt expendit *S. Thom.* argumento, *sed contra.* Ad secundum. Respondetur, non intendisse Christum omnes circumstantias illius consecrationis facere necessarias, alioquin etiam panis azymus esset de necessitate Sacramenti, quia Christus illo tunc vsus est. Itaque dicendum est, illa solum ad substantiam Sacramenti pertinere, sine quibus substantialiter moraliter variatur Christi consecratio, qualia sunt panis, & vinum vsuale; Quod autem vinum sit purum, aut lymphatum, non variat rationem moralem vini, seu potus vsualis. Etenim qui bibunt vinum lymphatum, simpliciter dicuntur bibere vinum. Ad tertium. Respondeo, significationem aquae, quae fluxit de latere Christi non esse substantialem Eucharistiae, quę solum essentialiter significat Christum ibi praesentem per modum nutrimenti sanctificatiui, significationem autem vnionis Ecclesiae, cum Christo potius fieri per vsum Sacramenti posteriorem consecratione.

35 An istud praeceptum sit diuinum, vel humanum, magis pertinet ad speculationem, quam ad praxim: Quidam volunt esse diuinum ob testimonia quaedam Patrum, & Conciliorum, communis tamen, & probabilior sententia docet, esse solum humanum, quod satis indicant *Tridentinum sess. 22. cap. 7. & Alexander primus epist. 1.* non fuit autem Author praecepti, cum dicat, se à Patribus id accepisse, videtur ab illis Apostolis manasse, quia nullum agnoscitur exordium. Videantur *Suar. disput. 45. sess. 2. Martinon tom. 4. disp. 29. sect. 6. Card.* de

de Lugo disput. quarta sectione secunda.

Vnde pro praxi colligo, primò Ecclesiam absolutè posse in hoc præcepto dispensare, sicut in alijs præceptis humanis. Ita *Præpositus, Amicus, Hurtado*, quos sequitur *Diana par.8.tract.1. Resolut.22.* Quin addit *Ledesma prima quarti, quæst.15 art.8.* Vrgente necessitate posse sine dispensatione mixtionē istam omitti. Sed hoc bene refellunt *Suar.*, & *Vazqu.* nā hęc res multo grauior est, quā celebrare cum vestibus Sacris, quod tamen ob quamlibet necessitatem authoritate priuata non potest omitti. Quin ipse Papa malè faceret in tam antiquo præcepto dispensando, nisi grauissima necessitas occurreret, quæ vix practicè continget. Colligo secundò, grauiter peccare, qui vino Calicis aquam non miscet, imò si per apertam malitiam omittat, priuatur officio celebrandi, ca. *literas de celebrat. missar.* & ca. *cum omne crimen de consecr. distinc.2.* Notatque *Bonac. disp.4.q.2. punct.4.n.2.*

36 Quanta, vel qualis aqua miscenda sit? Conueniunt Doctores primò, quantitatem aquę fore paruam. In *cap. Perniciosus de celebrat. Miss.* decernitur, non futuram esse maiorem quantitatem aquę, quàm vini. *Concilium Tiburtiense cap.19.* tertiam aquæ partem designat, alij decimam, vel octauam. *Concilium Florentinum asseruit*, miscendum esse paululum aquæ, vel aquam modicissimam; nec potest certior regula præscribi; quia quæuis guttula sufficit, & quo minor fuerit, facilius absorbebitur à vino, quod forsan requiritur. Vt conuenienter fiat hæc mixtio: nec tamen in hoc agendum est scrupulosè, nec modicus excessus pertimescendus est. Videātur *Coninch. quæst.74. num.140. Layman. lib.5. tract.4.c.2.n.9. Diana part.3. tract.4. Resolut.49. & par.5. tract.5. Resolut.56.* Conueniunt secundò aquam futuram esse puram, & naturalem, nam hæc solum dicitur aqua simpliciter. Ita *S.Tho. art.7. ad tertium, & Suar. supra*, qui probat ex Ecclesiæ praxi, & infert indè grauiter peccaturum, qui misceret aquam artificialem. Consonat *Bonac. sup. Diana cum alijs par.6. tr.7. Resol.18. quæst.5.* Vbi nec in casu necessitatis id admittit, *cum Persico lib.1. cap.2. dub.7. nu.53. contra Paludanum in 4. dist.11. qu.1. art.6. conclus.3.* Quin aquam calidam miscere putant esse peccatum mortale. *Persicus supra n.55. & Fagund. Præcep.2. lib.2. c.4. n.14.* nam contra praxim Ecclesiæ est. Sed hoc durum censet *Diana supra*, quia non est mutatio grauis ritus, & in aliqua regione frigidissima nonnunquā liceret. Conueniunt tertiò non sufficere, vinum priùs in alio vase fuisse mixtum aquę, sed hanc mixtionem esse faciendā in ipso Calice tempore sacrificij, quia fieri debet per modum ceremoniæ sacræ pertinentis ad ipsum sacrificium. Ita *S.Thom. artic.8. ad tertium.* Circa tempus, & ministerium huius mixtionis seruandæ sunt regulæ Missalis, quæ circumstantias istas præscribunt.

37 Sit dubium secundum, vtrum aqua vino Calicis mixta conuertatur in sanguinem? communis sententia docet, aquam conuerti prius in vinum, deindè per consecrationem in sanguinem, si tamen tempore consecrationis non fuerit in vinum conuersa, non conuerti tunc in sanguinem Christi. Nam alioquin materia consecrationis Calicis non esset solum vinum, sed etiam aqua, cōtra Florentinum dicens materiam Calicis esse vinum de vite, & *Trid. sess.13. can.2.* docens conuerti vinum in sanguinem, nulla facta mentione aquæ. Sic *Suarez disp.45. sect.4. Vazqu. disp.178. c.2. Martinon. tom.4. disp.29. n.53. Filliuc. trac.4. n.92. qui referunt alios.* Opposita sententia docet, aquam mixtam vino Calicis in Christi sanguinē immediatè conuerti, cum in vinum, vel numquam, vel non tam citò cōuerti possit, & totus ille potus in sanguinem Christi transmutetur. Vt tradit *Trident. sess.13. can.3.* diffiniens totum Christum contineri sub singulis partibus vtriusq; speciei, defendunt hanc sententiam non minus nobiles Authores. *Coninch. q.74. art.8. num.143. Diana p.3. tract.44. Resolut.49.* latè *Cardin. de*

Lugo

Lugo disp.4.sect.4.& 5. qui plurimos citant. Vtraque pars est probabilis, & quæstio est speculatiua.

38 Pro praxi (quam nos attendimus) certum est primo, si aqua conuersa sit in vinum, quando forma profertur, in sanguinem Christi conuerti, cum iam sit vinum, ac proinde certissima materia consecrationis. Certum est secundo, debere Sacerdotem aquam sic infundere calici, vt verisimile, sit fore conuertendam in vinum (si conuertibilis sit) nam id erit securius, & S. Thom. eo ar. 8. dicit, ideo modicissimam aquam esse miscendam. At si quis in die Natalis dum celebrat primam Missam ex obliuione, vel alia de causa misit aquam in calicem propè consecrationem; ita vt moraliter constet, non fuisse conuersam in vinum, quando forma profertur, Suar. & Filiuc. censent, fore consultius vt Sacerdos se reputet non ieiunium, & non celebret aliam Missam, nisi deposita conscientia contrariam sententiam amplectatur, quæ probabilis est. Mihi videtur tutum in eo casu Missas alias celebrare. Nam id quod sumitur per modum vnius potus cum sanguine Christi, licèt maneat in sua substantia, non violat ieiunium ab Ecclesia præscriptum ante communionem. Etenim cum aqua misceatur ex Ecclesiæ præcepto, non est credendum, quamuis aquæ substantia sumatur, quando commodè non potuit in vinum conuerti, violari præceptum Ecclesiæ de ieiunio præmittendo communioni. Sic Bonac. disput. 4 q.2. punct.4. n.9. Vazq. supr. licèt primam sententiam tueantur.



CAPVT III.

De forma Consecrationis.

1  Vppono primo, secundum Euangelij contextum interuenisse tria, cum Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum, scilicèt gratiarum actionem, benedictionem, consecrationem, quæ licet nonnulli confundant, melior sententia fatetur fuisse tres actiones distinctas, itaut Christus primo panem acceperit, secundo gratias egerit Deo, quod eius virtus sibi semper assisteret. Tertio materiæ benedixerit, apprecando ipsi diuinæ virtutis assistentiam, ad illud miraculum iugiter operandum in Ecclesia necessariam. Quartò fregit. Quinto consecrauerit, ac dederit discipulis: quamuis alij velint, ante fractionem consecrasse. Sed hoc est incertum, cætera constant ex Euangelij tenore, Missæ canone, Tridentini discursu, sess.13. cap.1. tradunt latè Suar.to.3.disp.58. Vazq. 3.p. disp.196 Coninch.3.p.q.78.a nu.14.

2 Suppono 2. verba consecrationis esse formam huius Sacramenti, non quidem externam, sed illud intrinsicè componentem eo modo, quo compositum morale petit intrinsice constitui, vt diximus, c.1.n.4. Suppono tertio contra Nouatores verba consecrationis esse nobis determinata, nimirum ea quibus Christus Dominus consecrauit dicens. Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Sumitur ex e. cum Marthæ, de celebr. Miss. definit Trid. in decreto de Sacram. Tenent Catholici, confirmant Patres probat ratio, quia Christus ita fecit, & præcepit faciendum, & sic oportuit fieri, vt significatio certior esset, & nobis constaret præsentia Christi; quam efficiunt verba consecrationis. Videantur, Suar. & Vazq. supra Coninch. num.10. Bellarmin. de

Eucharist. lib.4. cap.12. & sequentibus Cardinal. de Lugo disput.11. sect.1. & 2. qui tam Nouatorum, quam Græcorum errores refellunt; & explicant preces quasdam à Græcis etiam Catholicis nunc post consecrationem adhibitas, quibus precari videntur, vt Deus conuertat panem, & vinum, in corpus, & sanguinem Christi. Verum si totus contextus attendatur, solum petitur, vt ille panis, hoc est corpus Christi, & iste calix hoc est sanguis Christi, fiat nobis in salutem, & remissionem peccatorum, &c.

CAP. III. QVÆST. I.

An minister proferat verba consecrationis recitando, vel enuntiando.

3 RECITATIUÈ; seu materialiter dicitur, quod refertur tanquam ab alio dictum, vt contingit, quando referrimus aliorum verba. Enunciatiuè seu formaliter aliquid dicimus, quando per verba, quæ proferrimus, aliquid intendimus affirmare, vel negare. Nec est dubium, quin Sacerdos per verba præcedentia formas narret, quod Christus egerit, difficultas est de formis ipsis.

Prima sententia docet prædicta verba recitatiuè tantum, & materialitèr à Sacerdote proferri, subindè nullam aliam in illis veritatem quærendam, nisi quod Christus talia verba protulerit. Sic *Innocentius tertius libr.4. de Missa c.17. Durand. Maior. Catherinus, quos sequitur Salmeron, tom.9. tract.13.* Probatur, quia Sacerdos non posset enunciatiuè verè dicere, *Hoc est corpus meum* cum nullo modo sit corpus Sacerdotis, sed Christi, nec in forma calicis addere, *qui pro vobis effundetur*, cum non sit effundendus eius sanguis confirmatur, nam ex ipso modo loquendi satis indicat Sacerdos, se recitatiuè, materialiterque loqui, dum inquit. *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, fregit, deditq; discipulis suis dicens, &c.* manifestè quippe refert, quod Christus fecit, & dixit. Addit *Catherin.* verbis hoc modo recitatis communicatam fuisse virtutem consecrandi, sicut potuit eam Christus communicare verbis etiam nihil significantibus.

4 Secunda sententia docet, etsi priora verba Canonis vsq; ad illud verbum dicens, materialiter, & narratiuè proferat Sacerdos, verba tamen consecrationis, non recitando, sed enuntiando proferre. Sic *S. Bonau. Marsil. Gabr. & alij, quos sequitur Vazq. 3. p. disp.200. c.2.* Probatur, quia *Florentinum* dicit, Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere Sacramentum istud. Consonant *Ambros. Chrysost. & alij Patres.* Confirmatur, quia si verba capiantur recitatiuè solum, sequitur, per illa verba solum, *Hoc est corpus meum*, non consecrari, nam vt sic non dicuntur recitatiuè, nisi dicatur, Christum illa dixisse. Consequens autem licet quidam admittant, videtur durissimum, nam inde fieret illa verba non esse totam formam, sed illa cum antecedentibus, ita vt verba priora sint etiam pars formæ, quod non est admittendum.

5 Tertia sententia communior, & probabilior docet, recitatiuè simul & enunciatiuè proferri verba consecrationis. *S. Thom. Nuñus, Bellarm. Valent. Pesant. & alij, quos sequitur Bonac. disp. 4. q.3. n.3. Suar. disp.58 sess.4 Henriq lib. 8. c.18 nu.1. Coninch. q.78. n.21. Card. de Lugo disp.11. sect.5. Martinon. disp.33. nu 28. & seqq.* Probatur, quia formæ Sacramentorũ iuxta præsentem institutionẽ significant quod efficiunt, & efficiunt quod significant. Vt ergo forma consecrationis efficiat quod significat, scilicet conuersionẽ panis in corpus Christi, debet nõ solũ recitãdo, sed etiã enuntiãdo proferri. Patet cõsequẽtia quia si verba cõsecrationis recitatiue solũ proferrentur, Sacerdos consecrãs solũ affirmaret, Christũ illa verba dixisse, quod verũ esset, & si per impossibile nũquam fuisset Christus sub specieb. Confirmatur, quia *Tridentin. sess.13. c.2.* dicit sub singulis specieb. esse quædam ex vi verborũ, quæ

scilicet

scilicet per verba formæ præcisè significantur ibi realiter adesse, quod tamen esset falsum, si forma solum diceretur recitatiuè, quia nihil circa præsentem materiam affirmaret, ideoque vera foret, & si nulla fieret conuersio, quod est absurdum.

6 Ad fundamentum primæ sententiæ Respondetur, illud pronomen *meum*, vel *mei* non referre Sacerdotē, sed Christū; in cuius persona minister ibi loquitur, illa verba, *qui pro vobis effundetur*. Dici recitatiuè solū asserūt *Suar. Coninch. & alij*. *Vazquez, & Iansenius* volunt dici significatiuè in persona Christi, forsan sumuntur vtroque modo; non pertinent ad formam consecrationis. Ad confirmationem fatemur, Sacerdotem loqui recitatiuè, quod conuincit argumentum addimus autem simul enunciatiuè loqui propter rationes allatas.

7 Ad fundamentum secundæ sententiæ fatemur, Sacerdotem illa verba proferre formaliter, & enunciatiuè in persona Christi, quod *Florētinum, & Patres* affirmant, addimus tamen proferre simul illa recitatiuè, quod ipsi non negant, etenim non repugnant eidem verbis recitare, quæ alter dixit, & idem simul affirmare. Sicut si quærenti, quod sit mandatum magnum in lege, respondeam; Christus dixit, *Diliges Dominum Deum tuum*, intendens simul referre Christi verba, & meam sententiam aperire. Ad confirmationem dicimus, de necessitate cōsecrationis re vera solum esse, quod verba proferantur enunciatiuè; quare Sacerdos nihil recitans, sed dicens dumtaxat, *Hoc est corpus meum*, verè consecrabit, si designet præsentem materiam, quam consecrare vellit. Ita tenent *Suar. Henriquez, Coninch, Lugo, Martinon & alij*.

8 Vnde fit pro praxi, Sacerdotem dum celebrat, debere intentionem habere proferendi verba cōsecrationis recitatiuè simul, & enunciatiuè. Si quis tamen complectens primam sententiam, intendat illa proferre solum recitatiuè, nihilominus consecrat, quia retinet generalem intentionem, faciendi, quod Christus instituit, vbi virtualiter includitur intentio proferendi formaliter, & enunciatiuè, nisi palam intendat ab institutione diuina recedere, si plusquam recitationem requirat. Ita *Suar. & Henriquez, cum alijs*.

9 Si petas quomodo verba consecrationis ratione suæ veritatis operentur conuersionem? Suppono verba consecrationis esse vera, quia solū significant, contentum sub illis speciebus in vltimo instanti suæ prolationis esse corpus, & sanguinem Christi, quod ita quidem est, & in rigore sufficit ad veritatem cuiuslibet propositionis de præsenti, cuius significatio licet interdum ex circumstantijs extendatur ad tempus proximè præsens, vel sequens, communiter tamen refertur ad instans terminatiuum suæ prolationis, vt ostendit *Card. de Lugo. disp. 11 n. 118. contra nonnullos*.

S. Thom. 3. p. quæst. 78. art. 5. in corpore dixit, *sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam*. Sed quia difficile videtur, quod veritas locutionis non supponat rem significatam, a cuius conformitate desumitur, varij variè sentiunt. Ego breuiter in propositionibus practicis, quæ verificantur per suum effectum, distinguō primo, (prioritate naturæ, vel rationis) materialem sonum verborum, secundo significationem, quæ non pendet a veritate, sed ab impositione hominum. Tertio conformitatem cum intentione, ac potestate loquentis, quam *Suar. & Henriquez* vocant veritatem practicam, & dicunt antecedere speculatiuæ, quæ sumitur a conformitate cum re significata. Quarto sequitur effectus. Quinto resultat inde conformitas cum re significata, & veritas speculatiua.

10 Iam assero verba consecrationis operari conuersionem non ratione veritatis speculatiuæ, quæ posterior est conuersione facta, sed ratione significationis Sacramentalis, & veritatis practi-

cæ, quæ præcedunt, ſicut enim cum quis dicit, hoc faciam, cum intentione faciendi, practicè verum dicit independenter ab effectu, quem poſtea forſan non faciet, & quamuis faciat, & eidem propoſitioni competat etiam veritas ſpeculatiua, tamen practica concipitur natura prior, & independentior, quam illa. Sic ſimiliter verba conſecrationis dicuntur vera practicè prius natura quam efficiant, quatenus intentioni loquentis, & poteſtati conformantur, & operantur, quatenus vera practicè ſunt, nam vt ſic procedunt ab intentione miniſtri loquentis in nomine Chriſti cum ſufficiente poteſtate, quin etiam cum neceſſitate quadam cauſandi conuerſionem, & per conſequens veritatem ſpeculatiuam infallibiliter, quæ poſterior eſt, ſeu concipitur à

CAP. III. QVÆST. II.

Quid deſignetur in verbis conſecrationis per illa pronomina hoc, & hic.

11 CONueniunt Catholici, deſignaſſe Chriſtum, id, quod habebat in manibus, & diſcipulis porrigebat. Quid tamen illud ſit, diſſentiunt ſcholaſtici, quidam enim volunt deſignari ſubſtantiam panis, aut vini, quidam accidentia, quidam corpus, vel ſanguinem Chriſti, prout in termino prolationis verborum eſt præſens accidentibus panis, & vini. Sed equidem nec ſubſtantia, nec accidentia panis, aut vini deſignantur. Nam de his non verificatur prędicatum, ſiquidem nec ſubſtantia, nec accidentia panis, aut vini ſunt Corpus, aut Sanguis Chriſti. Sed illud deſignari debet, de quo verificatur prædicatum, ergo vel deſignatur Corpus Chriſti, vel Sanguis, vel aliquid illis commune cum ſubſtantia panis, & vini.

12 Quare probabile ſit, illis pronominibus deſignari corpus, & Sanguinem Chriſti, vt tertia ſententia dicebat, itaut pronomina ſumantur adiectiuè, nec aliquid pręter ſemetipſa contineant ex parte ſubiecti, ſed immediatè demonſtrent prædicatum, ſicut quando dicimus, *Hic eſt equus meus*, *Hæc eſt domus mea*, pronomen ex parte ſubiecti ſignificat prædicatum confusè, vt quid determinandum nomine prædicati. Sic *Claudius*, *Mayor.* & *Maldon.* quos ſequitur *Vazq. diſp.* 201. *c.* 4. *Filliuc. tr.* 4. *nu.* 102. *Martinon. tom.* 4. *diſp.* 35. *ſect.* 3. *num.* 20. & ſumitur ex ipſo tenore verborum, vbi pronomina conueniunt cum prædicatis genere, numero, & caſu. Non ergo ponuntur ſubſtantiuè, ſed adiectiuè; ac ſubindè nihil aliud deſignant ex parte ſubiecti, ſed ſolum referuntur ad prędicatum. Nec inde ſequitur propoſitionem eſſe Identicam, nam in ſubiecto confusè tantum ſignificatur, quod in prędicato ponitur diſtinctè.

13 Nihilominus probabilius eſt, quod communis ſententia docet, his pronominibus formaliter, ac per ſe primo deſignari quid communione ſubſtantiæ panis ac vini, & corpori ſanguiniq; Chriſti Domini non ſecundum rem, ſed ſecundum rationem ſeu denominationem contenti ſub iſtis ſpeciebus, videlicet indiuiduum, vagum, entis, vel ſubſtantiæ ſubſtantis his accidentibus. Ita *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 5. *S. Antoninus*, *Scotus*, *Durandus*, & *alij*, quos ſequitur *Suar. tom.* 3. *diſp.* 58. *ſect.* 5. *Coninch quæſt.* 78. *nu.* 42. *Bonacina diſput.* 4. *quæſt.* 3. *punct.* 4. qui cenſent, hæc nomina ſumi ſubſtantiuè, deſignareque confusè ſubſtantiam, aut ens contentum ſub ſpeciebus Sacramentalibus in fine prolationis verborum. Notatque *Suarez*, etiam pronomen *Hic* in forma Calicis ſumi poſſe ſubſtantiuè, vt *Matth.* 17. *Hic eſt filius meus dilectus*, ſi tamen vellimus adiectiuè ſumere, ſubintelligi poſſe, *Hic homo*, *Hic potus*, *Hic calix*.

CAP. III. QVÆST. III.

Quæ verba requirantur ad consecrationem panis.

14 SVppono requiri quatuor has voces, *Hoc est corpus meum*, quia pertinent ad essentiam consecrationis, & per consequens ad essentiam formæ Sacramenti. Sic *S. Thom. tertia parte quæstione 78. articulo primo, & 2. Henriquez lib. 8. capite 16. numero primo.* Probatur, nam illa est forma huius Sacramenti, quam Christus instituit, & qua ipsemet consecrauit, vt inquit Florentinum, sed Christus hanc formam instituit, dum his verbis consecrauit, vt diximus *supra numero secundo.* Quapropter ab omnibus Euangelistis, & à Paulo 1. Corinth. 11. dum institutionem huius Sacramenti commemorant, diligenter obseruata sunt. Igitur hęc quatuor verba necessario requiruntur ad formam consecrationis, & Sacramenti. Videantur *Suarez disputat. 59. sess. 2. Fagundez Præcept. 3. libro secundo capite sexto numero 23. Bonac. disput. 4. quæst. 3. puncto 1.*

15 An præter hæc requirantur essentialiter ad consecrationem panis alia verba? non nihil dissentiunt Doctores. *Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. §. de secundo docet*, verba præcedentia formam ab illo loco, *qui pridie quàm pateretur, &c.* quamuis non sint essentialia formæ, tamen necessario prærequiri ad valorem formæ.

Nam illis non præmissis, non significaretur sufficienter verba sequentia in persona Christi proferri, nec illud pronomē *meum* referretur ad corpus Christi, sed ad corpus ipsius Sacerdotis loquentis. Igitur vt constet, sermonem esse de corpore Christi, necessarium est, vt id manifestetur per verba præcedentia.

16 Græci Iuniores volunt illud verbum, *quod pro vobis tradetur, seu traditur*, aut *frangitur*; in Euangelio positum, & in antiquis liturgijs, ad essentiam formæ pertinere. Probant authoritate Patrum, qui post verba consecrationis addunt illud, quasi determinationem prædicati, & partem eiusdem propositionis.

17 Dico primò, verba præcedentia pronomen *Hoc* non esse de necessitate huius Sacramenti, nec consecrationis. Ita contra *Scotum omnes ferè reliqui. S. Thom. supra. Suar. cum multis sect. 1. Vazqu. disputat. 198. cap. 1. Bonac. num. 4. Cardin. de Lugo disput. 11. sect. 3.* Probatur, quia Concilium Florentinum, & Patres asserunt, formam huius Sacramenti esse illa Christi verba. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, &c.* Vbi satis indicant, hæc verba sufficere dumtaxat sine pręcedentibus; nam si requirerentur alia, pertinerent ad formam, siquidem concurrerent, vt aliquid significans; vel consignificans clarius præsentiam corporis Christi, sine quibus verba sequentia non significarent sufficienter Christi præsentiam in hac sententia, & per consequens illa quatuor verba dumtaxat non essent forma, contra Concilium, & Patres. Ad fundamentum Scoti negamus antecedens, nam vt minister loquatur in persona Christi, sufficit intentio taliter proferentis verba consecrationis, quæ vt vera sint enunciatiuè, debent in persona Christi proferri. Sicut in Tragædia non est opus vt qui repræsentat Regem in actu signato dicat, *Ego loquor in persona Regis.* Vel *Rex ita dixit*, sed absolutè loquitur in actu exercito verba Regis, & ab omnib. percipitur, quod illa dicat non in sua persona sed Regis.

18 Vnde fit, illa verba, *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* non esse necessaria consecrationi, tum propter dicta, tum etiam quia non sunt verba Christi, sed Euangelistæ, Patres autem, quorum testimonia congerit *Suar. disp. 58. sect. 3.* docent hoc Sacramentum confici verbis Christi, nō alijs; neq; illa verba. *Accipite, & manducate*, quia licet sint verba Chri-

sti, non habentur apud omnes Euangelistas, neque significant aliquid essentiale huic Sacramento, sed continent solum præceptum Apostolis impositum circa sumptionem ipsius.

19 Dico secundò, verba, quæ sequuntur post particulam meum, siue quæ adduntur à Græcis, non esse de necessitate formæ, vel Sacramenti; sic censent. *Suar. disp.59 sect.1. Fillinc. tr.4. nu.105. Bonac. sup. n.3.* Et est certum de fide. Probatur, ex vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ sine verbis illis consecrat corpus Christi. *Nec Math. & Marc.* illa referunt. Quare nec sunt de præcepto. Idem est de verbis illis. *Hoc facite in meam commemorationem*; quoniam omittuntur ab Ecclesia; solumque significant potestatem, ac præceptum consecrandi. Particulam *enim*, quam Paulus, & Euangelistæ non posuerunt, constat, non esse de necessitate formæ, vel Sacramenti. Quia nullo modo confert ad significandum, vel efficiendum effectum consecrationis, sed solum reddit causam verborum præcedentium; eius omissionem fore venialem (secluso contemptu (dicunt *Suar. supra Fillinc. n.106. Bonac. nu.10. Coninch. q.78. n.37.* quoniam est materia leuis, quod secuti sumus *lib.1. c.1. n.21.* Quamuis *Vazq. cum alijs 3.p. disp.199. n.29. & 30.* censeat, eius omissionem deliberatam, & cuiuslibet dictionis, in re tam graui peccatum esse mortale.

CAP. III. QVÆST. IV.

Qualis istorum verborum mutatio tollat, vel non tollat valorem Sacramenti?

20 SVpponimus ex dictis, *lib.1. c.1. q.2.* Si fiat horum verborum mutatio, transpositio, diminutio, vel additio, quæ variet sensum formæ, nullum effici Sacramentum, vt in cæteris Sacramentis contingit; si vero verba retineant eundem sensum substantialiter, quo Christus illa protulit, erit valida consecratio, sed illicita propter adiunctum Sacrilegium, nisi forsan excuset inaduertentia. *Sic Henriq. lib. 8. c.16. nu.2. Fagund. Precept.3. libr.2. cap.6. Bonacina disputat.4. quæstion.3. punct.2.* sed descendamus ad particularia.

21 Pronomen *Hoc* mutatur in aliquod æquiualens, si dicatur, *istud est corpus meum*, vel *hæc res*, *hoc contentum sub his accidentibus*, *hoc edulium*, vel similia, quæ communia sint vtrique termino, scilicet pani, & Christo. Quare consecratio valebit, sed erit grauiter illicita contra morem Ecclesiæ. Sic *Suar. disput.59. sect.2. Coninch quæst.78. num. 38. Henriq. supra.* Idem est, si dicatur. *Hic est corpus meum, vel corpus meus, vel corpum meus*, dum vox *Hic* ponatur nominaliter, quia retinetur eadem significatio quamuis peccetur in Grammatica. Sic *Vazq. disput.199. cap.4. Granado 3. part. controuers.6. tract.8. disput.5. num.5. Diana part.5. tract.14. Resol.77.*

22 Si vox *Hic* ponatur aduerbialiter, mutatur sensus formæ, quia non designatur conuersio substantialis, ac subinde non fit Sacramentum. Idem est, si dicatur, *illud est corpus meum*, vel *hoc, quod est panis*, vel *Hic panis est corpus meum*, aut quid simile, quia mutatur sensus substantialis. *Ita Suar. Fagund. & Bonacin. supra*, qui subdunt, si dicatur, *Hic cibus est corpus meum*, valere consecrationem, quia significat quid vtrique termino commune. *Henriquez* vero putat, non valere, quia non est idem omninò sensus; saltem est forma dubia. Si vero dicatur. *Hic est cibus meus*, non valere consecrationem, fatetur *Fagundez*, quia vox *cibus* est valdè communis, & non significat determinatè corpus Christi, cum tamen ex parte prædicati debeat determinatè significari.

23 Verbum *est* aptissimè designat conuersionem, quatenus asserendo, hoc esse aliud, quam erat anteà, virtualiter affirmat factam esse conuersionem vnius in aliud. Quare si tollatur (quid-

(quidquid alij velint) non fit consecratio; licet enim in alijs linguis facilius hoc verbum subintelligatur, at in lingua Latina secundum communem loquendi modum nullus esset sensus; si quis diceret, *Hoc corpus meum*. Vt notat *Coninch supr. num.* 34. Similiter per hæc verba, *Accipite, comedite corpus meum, non consecrari*, dicunt *Suar. Vazqu. Henriqu. & alij*, quia mutatur sensus substantialis. Si verò dicatur, *Ecce corpus meum*. *Suar.* probabile reputat consecrari, sed valdè verisimile, non consecrari; quod ferè certum censent *Fagund. & Bonac.* Nam illa locutio non significat in actu exercito conuersionem, saltem est dubia forma, grauiterque sacrilega. Hinc sequitur, loco vocis *Est*, nullam aliam validè poni posse. Quare si dicas, *Hoc fit, fiat, fiet, fit corpus meum, vel conficio, conficio corpus meum ex pane, vel quid simile, nihil facis*; quia mutas sensum formæ, cum exprimas consecrationem in fieri, per verba verò formæ secundùm diuinam institutionem exprimatur in facto esse. Sic *S. Thom. qu. 78. art. 1. Suar. sup. cum alijs, Coninch. n. 38. Henriq. & Bonac.*

24 Si loco corporis ponatur caro. Prima sententia docet, consecrationem illicitam esse, sed validam. Ita *Fagund. Henriqu. Bonacina, Vazqu.* quos sequitur *Diana parte quinta tractat. 14. Resolut. 76.* Probatur, quia Cyprianus sermone de Cœna Domini dicit, Christum his verbis consecrasse. *Hæc est caro mea.* Christus etiam Ioanne 6. dixit, *caro mea verè est cibus*, & Ecclesia canit, verbo carnem efficit. Demum scriptura per eam vocem significat, vel totum hominem, vt Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vel totum corpus hominis. *Psalm. 159. caro mea requiescet in spe.*

25 Secunda sententia probabilior negat valere. Sic *Suarez disputat. 59 sectione secunda Coninch. quæst. 78. numero 38.* Quoniam in rigore caro minus significat, quàm corpus, quòd etiam ossa complectitur. Ergo variatur substantialiter sensus.

Nec refert, quod caro per synedochen interdum sumatur pro corpore, vel homine; nam in hac forma vis, & proprietas verborũ seruari debet. Christus Ioan. 6. non tradebat formam huius Sacramenti, sed eius vsum, quem rectè nomine carnis explicauit, quoniam homines carne vesci solent. Cyprianus ibi non verba consecrationis, sed sensum Christi refert, vbi potuit figuratè loqui, cum anteà dixisset apertè, Christum consecrasse per hæc verba, *Hoc est corpus meum*.

Hinc fit primò, hanc formam esse valdè dubiam, & per consequens grauiter peccaturum, qui talem faceret mutationem, vt notant *Suar. supra, & Filliuc. tract. 4. num. 99.*

Fit secundò pariter si dicatur, *Hæc est mea substantia*, mutationem esse substantialem, quia terminus ille nimis variat sensum formæ, cum sit valdè communis, & sanguinem, & animam comprehendat. Ita *Suarez supra Fagundez num. 20. Vazquez disput. 199. nu. 31.*

26 Si quis dicat, *Hoc est corpus Christi*, non facit Sacramentum; quia licet verba videantur idem significare, modus tamen significandi longè diuersus est, nam per hæc verba loquitur sacerdos in sua persona. Florentinum autem ad valorem consecrationis requirit, vt sacerdos in persona Christi, & verbis Christi loquatur, quòd secus erit, si pronomen *meum* omittatur. Ita *S. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 1. quæstiun. quarta ad quartum Suar. & Vazqu. supra, & communis Doctorum.*

27 Quoad transpositionem verborum verè consecrat, sed non licitè, qui dicit, *Hoc meum est corpus*. Vel *Hoc est meum corpus*. Si verò dicat, *meum est hoc corpus*. Gabriel. *lect. 38. in Canonem*, putat consecrare. *Fagund. supra num. 11.* probabilius reputat, non consecrare, vel saltem consecrationem esse valdè dubiam; Nam hæc verba sic transmutata non significant conuersionem panis, ad quam significandam, pronomē *Hoc*, ita poni debet, vt nō accipiatur pro corpore Christi determinatè, sed pro contẽto sub

speciebus. Quod secus fit in præsenti. Hoc ipsum proportionaliter applica formæ calicis, vt monent *Fagundez supra cap. 7. numero 17. & Diana parte 5. tractat. 14. Resolut. 78.* in quibusdam liturgijs Maronirarum, quos adducit *Cardin. de Lugo disput. 11. num. 61.* dicitur. *Corpus meum est hoc. Sanguis meus est hic.*

CAP. III. QVÆST. V.

Quæ verba requirantur ad consecrationem calicis?

28 SVppono, primo certum esse secundum fidem hæc quinque verba, scilicet *Hic est calix sanguinis mei*, esse consecrationi calicis essentialia, quoniam habentur *in scriptura, concilijs, Patribus*, & omnibus liturgijs. Suppono secundo, nullum ex verbis precedentibus formam istam esse necessariam ad valorem consecrationis, nec particulam *enim*. Constant hæc ex supradictis *num. 14. 17. 19.* & conueniunt in illis Doctores. Suppono tertio, verbum illud *hæc quotiescunque feceritis &c. & quæ postea sequuntur*, essentialia non esse, quia solum continent præceptum, & potestatem consecrandi.

29 Sit dubium primum, An illa verba, *noui, & æterni testamenti* cum sequentibus vsque *ad remissionem peccatorum*, sint essentialia? Prima sententia simpliciter affirmat. Ita *S. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 7.* & communiter *Thomistæ præsertim Antiquiores*, quos referunt *Suarez tom. 3. disput. 60. sect. 1. Vazquez disput. 198. cap. 2.* Probatur primo, nam ex Ecclesiæ more Sacerdos eodem ritu tenens in manibus calicem hæc omnia verba profert, & ideò maiusculis characteribus omnia notantur in Missali. Probatur secundo, Nam in *Concilio Coloniensi part. 7. cap. 14. in Florentino decreto de Sacramentis, in cap. cum Marthæ, de celebratione Miss. & in Cathechismo Romano* illa omnia verba ponuntur pro forma. Probatur tertio, quia si verba illa non sunt necessaria, non apparet, cur magis in consecratione calicis explicetur eius effusio, quam in consecratione corporis.

30 Secunda sententia consentit quoad aliqua verba, non quoad omnia, neque omnes quoad eadem. Quidem enim requirunt verbum illud, *noui testamenti*, cuius omnes Euangelistæ meminerunt. Quidam addunt *mysterium fidei*, quod pertinere videtur ad primam propositionem. Alij per oppositum illa verba, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, reputant essentialia, quoniam explicant, hoc mysterium esse sacrificium repræsentatiuum sacrificij cruenti. cætera intermedia putant essentialia non esse, quia solum deseruiunt ad magis explicandum mysterium.

31 Tertia sententia probabilior simpliciter negat. ita *S. Bonauentura, Durandus, Alensis, & alij*, quos sequitur *Vazquez sup. cap. 3. Suarez, supra cum alys, Coninch q. 78. n. 33. Fagundez Præcept. 3. lib. 2. c. 7. n. 3. Reginaldus lib. 19. n. 61. Bonac. disp. 4. q. 3. punct. 2. Card. de Lugo disp. 11. sess. 4.* Probatur primo, quia cum Paulus, & tres Euangelistæ dogmaticè referant institutionem, & consecrationem huius Sacramenti, non est credendum, illos non retulisse formam sufficientem ad illud conficiendum, sed diuersi diuersa omittunt ex prædictis verbis, & quędam omnes, ergo non sunt omnia de substantia formæ. Probatur secundo; Nam plures Antiquorum liturgiæ per sanctissimos viros dispositæ, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, & sunt in vsu magnæ partis Ecclesiæ nimirum Græcorum, Æthyopum, Mozorabum, Maronitarum per sedem Romanam tolerato, non habent pro forma consecrationis calicis omnia verba, quæ nos proferimus, sed quædam omittunt, ferè singulæ diuersa, solumque constanter retinent, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*. Dici verò non potest, Sanctissimos Ecclesiæ Patres essentialem cōsecrationis formam

igno-

ignoraſſe, tam multaſque Prouincias caruiſſe vero ſacrificio per tot annos, & nunc etiam carere. Probatur tertio, *quia Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 4. vini conuerſionem in ſanguinem Chriſti colligit ex veritate verborum Chriſti ſed hæc verba dumtaxat. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, perfectè ſignificant vini conuerſionem in ſanguinem; ergo verificari debent, vbi priſtium proferuntur ante prolationem ſequentium, vt faciant, quod iam perfectè ſignificant, hanc rationem ſic, *Vrget Cardinal. de Lugo*, vt inferat inde, retentis his verbis in ſua rigoroſa ſignificatione, non potuiſſe verba ſequentia inſtitui, vt neceſſaria conſecrationi.

32 Ad primum primæ ſententiæ Reſpondetur particulam *enim* etiam notari literis maiuſculis, & eodem ritu proferri, licet non ſit eſſentialis. Congruentia ſic proferendi, ac ſcribendi fuit, quia Chriſtus ea verba ſimul ſine interruptione protulit, nec poſſent à nobis conuenienter interrumpi, cum omnia pertineant ad eandem orationem, & locutionem. Ideo quædam Concilia, & Catechiſmus Romanus ea ſimpliciter aſſignant pro forma calicis, quamuis cenſeant, non eſſe omnia neceſſaria, vt latius expendunt doctores relati. Per hoc ſoluitur ſecundum fundamentum. Ad tertium reſpondeo, aliquam adfuiſſe congruentiam eius additionis, videlicet, quia magis aptus eſt ſanguis effuſus ad repræſentandam paſſionem, & necem, quam corpus, ideò Martyrum paſſio rubro colore celebratur, & ideo potius in conſecratione calicis explicatur ſanguinis effuſio, quam in conſecratione corporis eius mors?

33 Addendum eſt, de neceſſitate præcepti eſſe ſaltem in Eccleſia latiua, vt omnia illa verba proferantur in conſecratione Calicis, itaut qui verbum aliquod iſtorum per contemptum, vel ſciens, & prudens omiſerit, mortaliter peccet, tum quia facit contra præceptum conſecrationis in re graui, tum quoniam exponit ſe periculo non conſecrandi, quatenus oppoſita ſententia probabilis eſt. Ita *Suar. & Bonac. ſupra, Fagund. nu.* 4.

34 Ex dictis fit primo, ſi contingat celebrantem mori finitis illis verbis. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel alia de cauſa non proſequi reliqua, calicem adorandum eſſe ſaltem ſub conditione, nam etiam aduerſarij fateri tenentur, noſtram ſententiam eſſe probabilem, & per conſequens alioquin incurri periculum irreuerentiæ contra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod ſaltem probabiliter adeſt ibi. Sic *Bonacina cum alijs ſupra*. Fit ſecundo, non debere conſecrantem habere intentionem conſecrandi cum illis verbis dumtaxat, quæ nos reputauimus eſſentialia, vel cum omnibus; nam vtrumque dubium eſt, ſed intentionem habere generalem faciendi, quod facit Eccleſia, ſiue quod Chriſtus inſtituit; ſic enim nulli ſe periculo exponit, vt rectè monent. *Valent. to.* 4. *diſput.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. *Henriq. lib.* 8. *c.* 17. *n.* 4. *Filliuc. tract.* 4. *num.* 115.

35 Sit dubium ſecundum, quomodo verba eſſentialia capi debeant, & retineri. Pronomen *Hic* poſſet in neutro poni validè, ſed non licitè, in quadam liturgia Maronitarum (*teſte Cardinali de Lugo ſupra*) dicitur, *Hic ſanguis meus eſt*. Verbum *eſt*, & pronomen *meis* iam expedita manent ex ſupra dictis, *num.* 23. & 26. & notat etiam. *Fagund. ſupra num.* 12. *Calix* ſolet exponi metonymicè pro contento continens, ſed metaphora eſt à Deo trita, vt æquipolleat propriæ ſignificationi. Sic *S. Thom. S. Bonauent. Paludanus, & alij*, quos ſequitur *Suar. diſput.* 60. *ſect.* 2. *Verum T. telmanus, & Maldonatus*, quos ſequitur. *Vazq. diſput.* 199. *cap.* 4. dicunt, calicem ibi proprio ſumi pro vaſe continente ſanguinem, nam vas vini propriè dicitur, quod continet vinum; & eſt etiam probabile.

36 Non variatur ſenſus ſubſtantialis, ſi dicatur. *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic*

calix nouum testamentum est in meo sanguine. Vel *Hoc est vas, aut poculum sanguinis mei*. Vel *Hic est potus sanguinis mei*, sed peccabitur contra præceptum Ecclesiæ, vt notant Doctores relati. Non valet autem si dicatur, *Hoc est vinum sanguinis mei*, idest, quòd conuertitur in sanguinem meum, Quia non solùm est impropria, sed falsa locutio, nam in termino prolationis, quando verificari deberet, est propositio de subiecto non supponente. *Sic Suarez supra Fagundez num. 11. & 13.*

CAP. II. QVÆST. VI.

Qualis sit efficacia formæ consecrationis?

37 Plures quęstiones huc pertinent, quæ magis concernunt speculationem, quam praxim, Ideò leuiter nobis præstringēdæ sunt suppono. Quare suppono primò, per formam consecrationis ritè prolatam verè confici Sacramentum Eucharistiæ, totaque substantia panis, ac vini destructa, poni corpus, & sanguinem Christi Domini sub speciebus panis, ac vini consecratis, ita tradunt Patres, concilia definiunt, & docent catholici, videantur *Suarez 3. part. tom. 3. disput. 61. sect. 1. Villincius tract. 4. num. 120. Bonacina disput. 4. quæst. 3. punct. 5.* Nam illa verba tanquam instrumentum diuinum applicant diuinam virtutem ad totum hunc effectum producendum; possuntque plures sacerdotes simul eandem materiam consecrare, si simul finiant prolationem, vt docent *S. Thomas 3. part. quæst. 82. articul. 2. Suarez suprà sect. 4.* monens, vt cùm ordinantur sacerdotes, in primis non præsumant Episcopum præuenire in consecrando, nam hoc est maximum inconueniens, & contrà intentionem Ecclesiæ; deindè conditionatam habeant intentionem, seu disiunctam, vel consecrandi simul cùm Episcopo, si possint simul cùm illo finire verba consecrationis, sin minus materialiter solùm verba proferendi; sic enim vitantur incommoda, *Consonat Coninch. quæst. 82. num. 12. & Cardinal de Lugo, disputat. 11. sect. 8. num. 172.*

38 Suppono secundò, Christi pręsentiam in Eucharistia, variè à Doctoribus assignari, provt quilibet diuersimodè sentiunt circa rerum pręsertim spiritualium pręsentiam localem. Ego quidem in Philosophia docui, præsentiam localem esse modum accidentalem intrinsecum, qui dicitur *vbi*, quare consequenter sentio Christi pręsentiā in Eucharistiæ modum intrinsecum accidentalem, & supernaturalem ex natura rei distinctum à corpore Christi Domini, vt latè tradit *Suarez disput. 47. sect. 1. & 2. citans S. Thomas & alios. Card. de Lugo disp. 5 sect. 7.*

Nec repugnat idem corpus in diuersis simul locis colocari saltem definitiuè sine locali scilicet extensione, quòd omnes ferè catholici fatentur, & mysterium istud conuincit; vndè Christus Dominus simul habet suam præsentiam connaturalem in cęlo, & plurimas sacramentales in terra; per quas totus est in tota hostia, & totus in qualibet eius parte.

39 Suppono tertiò, certum esse de fide, Christum poni præsentē in Eucharistia sub speciebus per veram panis, & vini conuersionem in corpus, & sanguinem Christi, quam Ecclesia rectè vocat transsubstantiationem. *Ita definit Trid. sess. 13. cap. 4. latè que tradit Suarez disput. 50. sect. 1.* quid autem sit hæc conuersio, seu transsubstantiatio, mirum est, quàm varient Auctores, & quàm desudent quilibet in suis opinionibus firmandis, & alienis infirmandis, Mihi semper visum fuit verosimilius, actionem conuersiuam ex suo modo tendendi sumere suam specificationem, & essentiam, videlicet per respectum transcendētalem ad talem speciē terminum ad quem, & ad talem terminum à quò, & ad talem terminum vtrique communem; vndè conuersio ista sacramentalis

petit

petit essentialiter in Eucharistia produ-cere corpus Christi; non vtcunque, sed ex pane, atque sub talibus accidenti-bus, tanquam sub termino communi; subindèque respicit essentialiter talem terminum ad quem, nempè Christi cor-pus, & talem terminum à quo, nempè panem, & talem terminum commu-nem vtrique, nimirum accidentia pa-nis. Idem est proportionaliter de vini conuersione in sanguinem Christi Do-mini.

40 Sic facilè reperitur repugnantia physica corporis Christi cùm substantia panis, quatenus producitur actione conuersiua ex pane, quæ non potest dare esse corpori Christi, nisi destruendo panem, nec potest destruere panem, nisi producendo corpus Christi. Reper-itur etiam connexio physica corporis Christi cùm speciebus panis, sub qui-bus per hanc actionem petit conseruа-ri, secus sine illis, vnde corpus Christi connaturaliter comitatur illas species, & ipsis corruptis desinit ibi conseruari. Reperitur demum ratio, cur nec sub-stantia panis dicatur anihilari, nec cor-pus Christi creari. Nimirum, quia pa-nis ex vi talis actionis desinit in Christi corpus, & hoc non fit ex nihilo, sed ex pane. Talisque quidditas actionis ha-bet in Philosophia sufficiens fundamen-tum, vt tanto mysterio deseruire pos-sit. Nec negari potest, quin saltè sit pos-sibilis: Vnde verosimiliter colligatur fuisse factum à Deo propter proportio-nem maximam, quam habet cùm hoc mysterio, ferè consonant *Martinon to. 4. disput. 31. sect. 3. & sequentibus, Arria-ga, de Generatione, disput. 1. sect. 3. sub-sect. 1. & 2.* qui referunt alios.

41 Suppono quartò, id ex vi verbo-rum existere sub speciebus, quòd præ-cisè per verba significatur, ac subindè cuius præsentia requiritur ad verborum veritatem, quia tam veritas, quàm efficacia significationi respondet, qua-propter è contrario per concomitan-tiam dicitur esse quidquid in hoc Sacra-mento ponitur, non quatenus simpli-citer necessarium ad veritatem verbo-rum, sed quatenus connexum cùm eo, quòd veritas præcisè requirit. In hoc sensu dixit *Tridentin. sess. 13. cap. 3. semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Do-mini corpus, verúmque eius sanguinem sub panis, & vini specie vnà cum ipsius anima, & diuinitate, existere, sed cor-pus quidem sub specie panis, & sangui-nem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexio-nis, & concomitantiæ, quâ partes Chri-sti Domini, qui iam ex mortuis resurre-xit, non amplius moriturus, copulan-tur. Diuinitatem porrò propter admi-rabilem illam eius cùm corpore, & ani-ma hypostaticam vnionem.*

42 Quid autem per corpus intelliga-tur, cùm dicitur poni sub specie panis ex vi verborum, dissentiunt Doctores. Quidam dicunt intelligi solam mate-riam primam; alij simul formam, qua-tenus dat gradum corporis vt sic, vel gradum corporis organici. Nonnulli recursum ad formam corporeitatis. *Coninch. quæstione 76. numero 24.* po-nit formas particulares carnis, os-sium, sanguinis, & cætera. Commu-nis sententia intelligit corpus huma-num disiunctum viuum vel mortuum; non alterum definitè, nec secundum rationem communem, cùm nulla de-tur vniuoca corpori organico viuo, & mortuo; nec possit productio realis ad rationem communem per se terminari: sunt enim actiones singularium. Et proportionaliter dicendum est de san-guine. *Sic Suarez disput. 51. sect. 4. Fil-liucius tract. 4. num. 135. Bonacina cùm alijs disp. 4. quæst. 3. punct. 5. num. 12. & se-quentibus.*

43 Suppono quintò, post consecra-tionem accidentia manere sine subie-cto, quatenus quantitas manet sine subiecto, cætera tamen accidentia sub-iecta manent in quantitate. Vt docent *S. Thomas 3. part. quæst. 77. artic. 1. & 2.*

Sua-

Suarez disput.56. sect.3. Vazquez disp. 194.*c.3.* Tunc autem conseruatur quantitas à Deo per actionem supernaturalem, quæ connaturaliter consequitur ad illam actionem conuersiuam, deque diximus *num.39. & 40.* quasi complementũ ipsius, vt maneat terminus communis pani, & Christo Domino, & ita perseueret vera conuersio, siue transubstantiatio. *Sic Suarez supra sect.3. Vazquez cap.2.*

CAP. III. QVÆST. VII.

Vtrùm sit adorandum Sacramentum Eucharistiæ?

44 NEgant Heretici, contrà quos dico primo Christum in hoc sacramento non minore veneratione dignum esse, quàm si palam in specie propria conspiceretur. Ita definit *Trident. sess.13. cap.15. & can.6. Sic docent Suarez tom.3. disp.65. sect.1. Fillincius tract.4. num.151.* nam eadem ratio est Christi sub speciebus existentis, ac regnantis in cælis. Dico secundò, non solùm Christus sub speciebus existens, sed etiam totum visibile sacramentum, vt ex speciebus, & Christo constituitur, vnico latriæ cultu venerandum est. Sic habet vsus Ecclesiæ, quæ canit, *Tantum ergò Sacramentum veneremur cernui*. Sic *Trident. supra*. Sic alij Patres loquuntur, vt expendunt *Suar. & Fillinc. supra*. Indicat *Honorius Tertius in cap. Sanè*, de celebratione Miss. Probatur; nam ex speciebus, & Christo coalescit vnum compositum morale, quòd vnico actu debeat adorari tàm interiùs quàm exteriùs; ita tamen vt primario per se Christus adoretur vnicum suppositum huius sacramenti, secundariò simul coadorentur species quasi cùm Christo coniunctæ.

45 Actus iste debet esse cultus latriæ perfectus, ac absolutus, qualis debetur soli Deo. Cùm Eucharistiæ sacramentum sit quid vnum compositum ex speciebus, & Christo, cui latriæ cultus debetur, & quia semper species sunt coniunctæ Christo, scilicèt humanitas Christi verbo, propterea non oportet adorationem esse respectiuam, sicut est adoratio crucis, sed absolutam, qualis est adoratio humanitatis vnitæ verbo. Nec item oportet species adorare sub conditione si consecratæ sint; sufficit enim certitudo moralis, & satis est conditionem habitu retinere, hoc est, intendere verùm Christum, & verùm sacramentum adorare. Si tamen ex circunstantijs occurrent probabilis ratio dubitandi, tunc posset adorari sub conditione. *Sic Suarez supra sect.2. Fillinc. num.*152.

46 Dico tertiò, duplex esse præceptum de adoratione sacramenti; Primum negatiuum, quo prohibentur, iniuriam, aut irreuerentiam irrogare huic Sacramẽto, & hoc obligat semper, & pro semper; exponiturq; multis capitibus de celebratione Missarum, & *de consecr. dist.* 1. & 2. Vbi nonnullæ quoque pœnæ designantur, quæ nec ferè sunt in vsu, nec incurruntur, donec imponantur à superiore, cuius arbitrio iam cõmissæ fiunt, vt innuit *S. Thomas 3. part. quæst.83. art. 6. ad sept.* Secundum præceptum est affirmatiuum exhibendi debitum honorem Eucharistiæ, quòd non obligat pro semper, sed quoties occurrit occasio, quàm prætermittere sit virtualis contemptus, & irreuerentia culpabilis, nimirum quoties vel sacerdos accedit ad sacrificandum, vel fideles communicãt, vel publicè proponitur adoranda, vel eleuatur in Missa, vel occurrit in via &c. secluso tamen formali contemptu, vel scandalo tales omissiones non erunt regulariter peccata mortalia propter materiæ leuitatem. *Ita Fillinc. supra. Suarez sect. 1. fine.*

(∴)

CAP.

CAPVT IV.

De effectibus Eucharistiæ.

1 S. *Th.3.p.q.80.art.1.* duplicem distinguit Eucharistiæ sumptionem .s.spiritualem, & more sacramentalē; Tertiam addit Tridentin. scilicet sacramentalem, & spiritualem simul *sec.13.c.8.* Quartam addunt *Suar. disp.62.sect.1 Valent.to.4.disp.6.q.8.pun. 1.Bonac.cum alijs disp.4.q.4.* initio scilicet materialē; & vt ab hac incipiamus, sumptio materialis seu realis tātùm dicitur, quando mus comedit hostiam cōsecratam, aut Infidelis nondum baptizatus sumit Eucharistiam, cum enim sit incapax Sacramentorum non dicitur recipere Sacramentum Eucharistiæ formaliter, sed solum materialiter, quatenus recipit species continentes corpus Christi, conueniuntq; Doctores, per hāc sumptionem nullum recipi fructum.

2 *Marsil.in 4.q.6.ar.2.* dicit Catechumenos posse recipere Sacramentū istud in actu necessitatis, vnde sensit, illos tūc recepturos etiam fructum Eucharistiæ, nam alias non possent sine graui culpa communicare. Fauet *Innocentius Tertius in cap.veniens de Baptism.* dum ait, Eucharistiam recipi posse à non baptizatis. Hanc sententiam tanquam omninò falsam reijciunt *S. August. S. Thom. S. Antoninus, & alij,* quos sequitur *Henriquez lib.8.cap.41.num.2. Suarez supra sect.3. Filliuc. tractat.4.num.134.* Nam iuxta doctrinam ab omnibus receptam Baptismus est ianua Sacramentorum, & per illum datur character, qui præstat capacitatem ad recipienda cœtera Sacramenta, & effectus ipsorum, ergò sine Baptismo realiter suscepto non datur capacitas ad percipiendum Eucharistiæ fructum. Vnde si quis bona fide putat, se baptizatum esse, cum re vera non sit, adhuc non recipiet effectum communionis ex opere operato. *Innocentius Tertius in eo cap. veniens* protulit illa verba disputando, postea verò concludit, ante Baptismum cœtera Sacramenta non valere.

3 Sumptio spiritualis tantum est, quādo fideles baptizati charitatis affectu cupiunt recipere Sacramentum istud, sed illud realiter non recipiunt. Aliqui volunt istam sumptionem habere sacramentalem efficaciam, saltem in extrema necessitate, cum moribundus nequit sumere sacramētaliter, & adorat Eucharistiā. At oppositum vt certissimum tradunt, *S. Thom. quæst.80. artic.1.ad tert. Suarez sect.1. Filliuc.num.135. Vazquez disp.112.num.4.* Ratio est, quia promissio sacramentalis effectus non est facta desiderio, sed manducationi, alioqui si quis prius desideret Sacramentum, & postea sacramentaliter recipiat, duplicem effectum ex eodem Sacramento recipiet ex opere operato, quod non est admittendum.

4 Sumptio sacramentalis tantum est, quando fidelis baptizatus cum consciētia peccati mortalis recipit Eucharistiā, tunc .n. dicitur suscipere Sacramentum formaliter, quatenus est subiectū capax ipsius; non autem recipit Sacramēti fructum propter obicem, & de isto non loquimur in isto capite. Sumptio sacramētalis, & spiritualis simul est, quando fidelis baptizatus dignè recipit Eucharistiā, ac subindè non solum recipit Sacramētum, sed etiam fructum ipsius, & de hac sumptione loquimur in præsenti.

5 Effectus Eucharistiæ numerantur quatuor, Infusio gratię, spiritualis refectio, præseruatio à peccatis, fomitis repressio. Et quidem infusio gratiæ habitualis effectus est communis omnium Sacramentorum, vt diximus *lib.1.cap.3. num.2.* tres alij pertinent ad gratiam sacramentalem Eucharistiæ, per quam auxilia robusta conferuntur ad excitandum, & augendum feruorem charitatis contra tentationes, & culpas omnes, vt perseueremus in vita gratiæ, qui proprius est effectus nutritionis. Videantur

tur *Card. de Lugo disp.12. sect.4. Martinon. disp.32. sect.4. num.35.*

An Eucharistia conferat interdum primam gratiam? affirmatiuè decidimus, *lib.1. cap.3. qu.2.* prærequiri tamen attritionem supernaturalem, & bonam fidem communicantis diximus ibi *qu.3.* consonat in vtroque *Martinon. tom.4. disp.34. sect.1. num.9.* Rursus an, & quomodo Eucharistia indignè recepta postmodum obice sublato conferat suum effectum diximus eo *cap.3. quæst.4. & 9.* Restant aliæ quædam quæstiones discutiendæ.

CAP. IV. QVÆST. I.

Quando conferat Eucharistia gratiam habitualem?

6 DVplex dubium potest in præsenti distingui. Primum circa tempus actualis sumptionis. Secundum circa tempus, quo durant species in stomacho antequam corrumpantur & adhuc retinent Christum Dominum. Circa primum valdè diffident Authores. Quidam volunt id fieri, cum primum est Sacramentum in ore, quia iam dicitur manducari, & manducantibus promittitur gratia. *Vazqu. 3. par. disp.203. cap.2* dicit ignotum esse nobis, & soli Deo notum, quo tempore, vel instanti gratia conferatur per Eucharistiam.

2 In re lubrica probabile videtur, vel cum primum Christus attingit guttur irreuocabiliter, ita vt naturaliter iam extrahi non possit; vel cum primum attingit stomachum, gratiam conferri. Nam hæc manducantibus promittitur. *Ioan. 6.* potest autem manducatio sumi vel in fieri dum hostia traijcitur per guttur, & peruenit ad terminum, vnde reuocari nequit ad os; vel in facto esse, quando primum recipitur in stomacho secundum aliquam partem continentem totum Christum. Nam qui sic recepit Eucharistiam, propriè dicitur manducare, scilicet completè, vel manducasse illam. Sic ferè *Suar. tom.3. disp.63. sect.4. Coninch. quæst.79. num.22. & sequentibus. Henriquez lib.8. cap.43. Bonac. disp.4. quæst.4. punct.2. Diana par.3. tract.6. Resolut.96. Card. de Lugo disp.12. sect.2. Martinon. tom.4. disp.34. sect.2.*

3 Hinc fit primò, si quis diù retineat species in ore, donec corrumpantur ibi, vel eijciantur prius quàm deglutiantur, non recipere fructum Sacramenti, quia verè non manducauit illud. secus si postquam species recepit in stomacho, illas euomuit; quod enim euomitur, dicitur fuisse manducatum. Ita *Bonac. & Lugo supra.* Fit secundò, si quis deglutijt partem hostiæ, reliquas autem deglutire non potuit, recepisse totum effectum Sacramenti, quia totus Christus in ea parte receptus fuit. Ita *Bonac. supra.* Fit tertiò, suscipientem plures hostias successiuè, recipere totum effectum in receptione primæ, dum dispositio non melioratur, nam idem est Christus, qui semel tantum moraliter loquendo suscipitur. Ita *Suar. Bonac. Martinon. supr.*

4 Si quis autem inculpatè recipiat primam hostiæ partem sine debita dispositione, quoniam habens mortale peccatum, vel inuincibiliter illius obliuiscitur, vel putat habere se sufficientem dolorem, quem non habet, & dum durat sumptio posteriorum partium, debitè disponatur, recipiet effectum in posteriori parte sumptionis, quem non recepit in prima. Cum enim Sacramentum adhuc habeat vim conferendi gratiam ex opere operato, & hic sit iam dispositus, verè gratiam recipiet; si quidem virtus conferendi gratiam æque per totam ac per quamlibet manducationis partem applicatur, cum semper applicetur totus Christus. Sed in vna parte sumptionis (quamuis non prima) virtus hæc applicatur subiecto rectè disposito. Ergo confert gratiam. Ita *Suar. tom.3. disp.63. sect.5. Coninch. quæst.79. numer.48. Ysambert. ibi. disp.3. artic.2. Henriqu. & Martinon supra.*

5 Petes primò, an qui sacrilegè communicauit ind gnus in parte prima sumptionis, & durante sumptione resipuit, ita

ita vt aliquam partem ritè dispositus accipiat, effectum recipiat Sacramenti? Negant *Henriquez. Bonacina Vazquez, supra*. Nam hic Iudicium sibi manducat ex Apostolo.

Non est autem æquum, vt quis per eandem refectionem pariat sibi iudicium & gloriam. Quare Patres aiunt huic Eucharistiam inutilem, & mortiferam esse, nec dignum reputāt, vt ex vi receptionis initio sacrilegæ vllus ei gradus gratiæ postea conferatur.

6 Meliùs affirmant *Caietanus, Valentia, Nuñus, Reginaldus, apud Bonacina eò punct. 2. Suarez Coninch. Martinon. suprà*. Nam adhuc sacramentum in sui manducatione reperit subiectum ritè dispositum. Et quidem si prior sumptio non præcessisset, sequens daret effectum subiecto disposito. Quòd autem prior præcesserit, non impedit, quia peccatum in illa commissum per pœnitentiam potuit deleri. Cumque sacramentum, & si totum sit in priori sumptione, totum etiam sit in posteriore, retinēs eandem virtutem, poterit etiam tunc producere suum effectum. Consentiunt *Villalobos, tom. 1. tract. 7. difficult. 31. & Diana, part. 3. tract. 13. Resolut. 29.* quando sacerdos post sumptionem hostiæ cùm obice, conteritur antè sumptionem calicis; vel siquis sumens duas formulas, ante sumptionem secundæ contritionem eliceat. Nam ibi datur sumptio moraliter distincta.

7 Petes secundò, siquis dignè communicans, post acceptam gratiam in primæ particulæ sumptione iuxtà præsentem dispositionem, dum adhuc durat sumptio, meliùs disponatur per intensionem, aut perfectiorem actum, an recipiat maiorem gratiam ex opere operato? Negant *Henrriquez, & Martinon. supra*, putantes totam gratiam ex opere operato conferri primo instanti manducationis. Meliùs affirmant *Suarez sect. 4. Coninch. num. 28. Fillinc. tract. 4. num. 172*. Nam sacramenta conferunt gratiam iuxtà dispositionem recipientis, sed adhuc durat vis actiua sacramenti, & sufficiens eius applicatio, dum sumptio durat. Ergò si meliorem inueniat dispositionem, maiorem gratiam producet ex opere operato.

8 Petes tertiò, An dum species in stomacho perseuerant, producant effectum aliquem? *Caietanus 3. part. quæst. 79. art. 1.* docuit, gratiam ab Eucharistia conferri toto tempore, quo durant species in stomacho, si duret sufficiens dispositio. Verùm communis sententia tenet, si dispositio non melioretur, non augeri gratiam ex vi sacramenti. Sic *Suarez sect. 7. Coninch. num. 41. Filliuc. n. 175. Vazq. Henriq., & Bonacina supra*. Quia cùm Sacramentum agat admodum agentis naturalis, in primo instanti producit totum, quòd potest iuxtà præsentem dispositionem. Ergò dum non variatur dispositio, non est cur augeatur effectus.

9 Si verò dispositio communicantis melioretur; negant adhuc augeri gratiam ex opere operato. *Vazquez disp. 203. num. 20. Fillincius tract. 4. nu. 175. Bonacina suprà cum alijs*. Quia nec ex institutione hujus sacramenti, neque ex Ecclesiæ traditione constat talis vis Eucharistiæ, seu talis Christi voluntas circa ipsius effectum, affirmant autem *Suarez disp. 63. sect. 7. Coninch. quæst. 79. num 42. Cardin. de Lugo disp. 12. numer. 46. Tamburin. 3. p. q. 79. disp. 3. art. 2.* Nam promissio gratiæ præcipuè facta fuit huic sacramento propter Christum manducatum, non ratione solius manducationis, sed termini manentis, & quasi per illam applicati, ut indicat Dominus *Ioan. 6. Et August. ibi tract. 26* Ergò dum hic panis vitæ manet in nobis, efficax erit ad producendam gratiam iuxtà dispositionem subiecti. Quare si dispositio melioretur, crescet pariter effectus ex opere operato; sicut crescit meritum ex opere operantis. Et hæc pars videtur probabilior.

10 Hinc sequitur primò per se loquendo communicantem non recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures hostias, aut quia diutius hæret in

in his sumendis, aut digerendis, sed ratione melioris dispositionis, & si per accidens longior mora sumptionis, aut digestionis esse possit occasio, cur quis maiorem gratiam accipiat, quatenus interim plures ac perfectiores actus Charitatis elicit. Sequitur secundò, si quis indignè communicauit, & postea dum species permanet in stomacho, sufficienter disponatur ad gratiam illum verè percepturum esse fructum Sacramenti, vt cùm alijs dixi *lib. 1. cap. 3. qu. 4. num. 35.* & consonat *Martinon. suprà, n. 25. & 26.*

CAP. IV. QVÆST. II.

Vtrum, vtraque species simul conferat maiorem gratiam recipienti, quam singulæ seorsim?

11 SVppono primò ex dictis singulas species seorsim dare gratiam, licereque vnam sine alia sumere; Imò non licere iam laicis regulariter sumere nisi solam speciem panis; manet itaque quæstio respectu sacerdotis, qui sumit vtramque simul speciem, an scilicèt recipiat indè maiorem sacramenti fructum? Suppono secundò si communicans vtraque specie, meliùs disponatur ad receptionem secundæ recipere tunc nouum augmentum gratiæ, nam ratio suprà facta *nu. 7.* pro nostra sententia pariter vrget, si vel plures species eiusdem rationis, siue diuersæ recipiantur, & ita notant *Suarez disput. 63. sect. 6. Filliucius tractat. 4. numer. 172. Coninch. quæst. 79. numer. 34.* Restat verò difficultas, an etiam in variata dispositione præcisè ratione Sacramenti maiorem gratiam recipiat Communicans sub vtraque specie, quam sub altera tantum.

12 Affirmant *Alensis, Cassallus, Arboreus*, quos sequitur *Vazquez 3. part. disput. 215. cap. 2. Prepositus 3. p. quæst. 80. art. 12. dub. 3. Maratius disput. 33. sect. 4. Martinon disput. 34. sect. 3. Card. de Lugo disput. 12. sect. 3.* & hanc sententiam videtur sequi Clemens Sextus, qui concedens anno 1341. Regi Galliæ priuilegium communicandi sub vtraque specie, subdit *ad maius gratiæ augmentum*. Probatur, quia sacramenta nouæ legis efficiunt quòd significant, sed Eucharistia non solùm in ratione sacrificij per duplicem speciem significat separationem sanguinis à corpore Christi patientis, sed etiam sub ratione sacramenti significat perfectam rationem conuiuij sub cibo, & potu, quorum quilibet suo particulari modo reficit, & ad nutritionem conducit. Ergò quælibet species quatenus huius Sacramenti pars est, suam habet significationem diuersam, ac subindè suam peculiarem efficaciam, alioquin inanis esset illius significatio, quæ non semper in dubio rectè disposito produceret effectum, quem significant. Quam rationem Scholastici magis vrgent, nobis sufficit vim eius explicuisse.

13 Communior sententia negat. Tenent illam *S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 12. ad tert. S. Bonauent. Richard. Gabriel. Vterque Sotus, & alij*, quos sequitur *Suarez tom. 3. disp. 63. sect. 6. Henriqu. Bellarmin. Reginald. Coninch.* quos sequitur *Bonac. disp. 4. quæst. 1. punct. 4. num. 5. Fagund. Præcept. 3. lib. 4. cap. 4. num. quarto. Ysambert. 3. par. quæst. 80. disp. 7. artic. 1.* Quidam probant ex *Trident. sess. 21. c. 3.* Vbi putant hanc sententiam quasi definitam fuisse. Sed falluntur, quia Concilium ibi solum asserit, eos, qui sub vnica specie communicant, nulla gratia fraudari ad salutem necessaria; qua limitatione satis insinuat, se definire nolle, an aliqua maiori gratia priuentur, necne, sed solum necessaria saluti non defraudari. Nec indè pendet prohibitio Calicis respectu laicorum, quamuis enim maius augmentum gratiæ daretur per vtramque speciem, potuisset Ecclesia iustis de causis vsum Calicis prohibere Laicis.

14 Apparentiùs probari posset ex Concilio *Moguntino* sub *Sebastiano*, quod paulo ante *Tridentin.* celebratum est,

& cap.

& cap.31. dicit, morem communicandi sub vna specie ad salutem fidelium æquè vtilem,& efficacem esse, quam alterum communicandi sub vtraque; cum cõstet non minus accipi in vna specie. Verum istud Concilium Prouinciale fuit,nec videtur approbatum à Pontifice fuisse, quoad hanc partem,siquidem post illud plures docuerunt contrariam sententiã.

15 Attamen ratio, quam vtrumque Concilium insinuat,est firmum huius sẽtentiæ fundamẽtum.Etenim gratia promittitur communicanti, quatenus recipit Christum panem viuum,fontem bonorum omnium, refectionem perfectissimam animarum,sed Christus tam perfectè continetur, & sumitur sub singulis speciebus,ac sub vtraque simul. Ergo cũ æquali dispositione parens recipiet gratiam,qui sumit vnam speciem, & qui sumit vtramque, licet enim vtraque significet aliquomodo perfectius gratiã,quatenus magis exprimit integrã refectionem,tamen non significat perfectiorem refectionem,seu gratiam, quia res significata, qua reficitur animus, est eadem omninò. Per quod soluitur fundamentum contrarium. Vtraque pars est probabilis,vt asserit *Diana, p.5. tract.13. Resol.29. Sed hac posterior videtur probabilior, quam idem Diana sequitur part.3. tract.6 Resol.97.*

CAP. IV. QVÆST. III.

Vtrum Eucharistia remittat venialia, & pœnas temporales?

16 S.*Thom.3.part.quæst.79 ar.4. Suar. in commentario eiusdem articuli, & disp.63. sect.* 10. distingunt duplicem modum, quo tolli possint venialia per Eucharistiam,scilicet vel immediatè delendo maculam venialem præsupposita sola negatione volitionis,aut affectus actualis erga culpam venialem, vel mediatè talem videlicet excitando charitatis feruorẽ, qualis requiritur ad obtinendam remissionem venialium. Primus modus inducit remissionem ex opere operato, secundus magis pertinet ad opus operantis. Nonnulli secundum modum magis admittunt, sed probabilior sententia primum etiam modum concedit. Tenent *S.Thom. & Suar. sup. Henriquez lib.8.cap.34 num.5. Bonacin. cum alijs,disp.4.quæst.4. punct.1.nu.5. & 6. Martinon.tom.4.disp.34.sect.4.nu.32. Ioannes Sanchez disp.*22.n.8.

17 Ratio præcipua debet esse institutio diuina, quam satis insinuant *Trid. sess.13.c.2. Catechismus Rom. tit. de Eucharist. multi Patres apud Suarium supr. multi textus de consecrat.dist.2.* Sic enim Eucharistiæ tribuunt remissionem venialium, vt vim aliquam eidem ex institutione diuina collatam ad immediatè delendas tales maculas ex opere operato fateri videantur. iuuat congruentia, datur enim Eucharistia per modum cibi, qui restauret deperdita. Cum ergo per venialia semper in nobis aliquid deperdatur interni vigoris, & sanctitatis, hoc pane cœlesti restaurabitur. Ad hunc effectum prærequiritur digna communio, nam indignè communicans iudicium sibi manducat,non veniam; & aliqualis displicentia venialium in communi saltem, & virtualis, quæ contineri videtur in quauis supernaturalis volitione piè communicandi, dum voluntas nec actu, nec virtualiter adhæret obiecto venialiter illicito?

18 Quoad remissionem pœnæ temporalis, *S.Thom.3.part. quæst.79. art.5.* docet,hoc Sacramentum, quatenus habet rationem sacrificij, tollere directè pęnas illorum, pro quibus offertur, at quatenus haber rationem Sacramenti, non tollere directè, vel ex opere operato pęnas temporales debitas peccatis recipientis, quoniam ad hoc non est instrumentum;nec scriptura,Concilia, vel Patres huius effectus meminerunt; indirectè tamen eas pœnas in ritè communicantibus minuere, quatenus illos excitat ad charitatis feruorem, quo remissionem ipsarum mereantur ex opere operantis.Sequuntur hanc doctrinam *Suarez disputat.63. section.* 10. *Coninch.*

q.79.n.56.Filliuc.tr.4.n.160. Bonac.sup. n.9. Addi potest, quoties Eucharistia remittit ex opere operato culpas veniales iuxta proximè dicta, simul remittere partem aliquam pœnæ tali peccato debitæ. Regulariter enim, non remittitur culpa sine aliqua remissione pœnæ ipsi debitæ. Vt notāt Card. de Lugo disp.12. sec. 4.n.98.& Martin.to.4.dis.34.sec.4.n.34.

19 Alios effectus adscribunt Eucharistiæ sancti Patres, a quibus dicitur præseruare nos a mortalibus, præstans vberiora gratiæ præuenientis auxilia, dulcedinem spiritualem impertiri, fugare dæmones, illuminare mentem, minuere concupiscentiæ fomitem, impediendo, vel debilitando motus carnis, excitādoque contrarios, conferre nobis gloriam tam animæ, quam corporis, vnire nos sibi nō solum moraliter quoad affectum, sed etiam quodam modo per effectum, quatenus tactu suo sanctificet corpora nostra, & conuertēs nos in se ipsum, corpus nostrum reputat Christus, vt propriū vt membra de membris, ossaque de ossibus suis. Adhuc vnionem istam non physicam, sed mysticā moralem, Sacramentalem vocant nostri Doctores. Videātur Suar. Vazq. Fagund. Mart. Card. de Lug.

CAPVT V.

De suscipientibus Eucharistiam.

1 Suppono primò, solum hominem esse capacē Eucharistiæ. Nam pro hominibus dumtaxat sunt instituta Sacramenta, præsertim istud, quod per veram manducationem, & potationem applicari debet. Vnde primò, secludūtur Angeli qui nec habent corpora, nec in assumptis manducant vitaliter. Secundò secluduntur irrationales creaturæ, quæ possunt ad summum materialiter illud sumere, non Sacramētaliter. Ita S. Thom.3.p.q.80. a.2. & Doctores communiter. Suppono secundò, solum baptizatum esse capacem, vt ostendimus cum communi sententia c.4. n.2.& docet Card. de Lugo disp.13. nu.4. Iam inquiramus, quæ conuersa sunt.

CAP. V. QVÆST. I.

Vtrum infantes sint capaces Eucharistiæ.

2 Loquimur de paruulis, qui nōdū habent vsum rationis, quo pariter spectant amentes a natiuitate, qui nunquam fuerunt rationis compotes, & prima sententia negat. Ita Paludanus, Alensis, Caiet. & alij, quos refert Vazqu. 3.p.disp. 212.c.2. Probatur primo, nā ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum requiritur, vt homo *probet se ipsum, & sic de pane illo edat*, quod infans, vel amens præstare non potest. Probatur secundo, quia cum Eucharistiæ fructus instar nutritionis ordinetur ad restaurandas partes actione caloris naturalis deperditas, non potest paruulis conuenire, qui nihil amisserunt post regenerationē Baptismi, quod per nutritionem spiritualem restauratur. Probatur tertio, quia Sacramentum voluntariè recipi debet, vt conferat effectum suum, scilicet per voluntatem propriam in adultis, & per Ecclesiæ voluntatem in paruulis. Ergo saltē nunc, quando voluntas Ecclesiæ non cōcurrit, sed potius resistit cōmunioni paruulorū, hæc non cōferet gratiā paruulis.

3 Secunda sententia communis affirmat, & mihi videtur omninò vera. Tenēt illam Vazq. sup. Suar. disp.62. sect 4. Henriq.l.8.c.42. Filliuc.tr.4. n. 185. Coninck. q.80.n.77. Mart.to.4.disp.35.sec.1. Card. de Lugo. de Euchar. disp.13 sect.2. Probatur primo, a priori, quia paruuli capaces sunt aliorum Sacramentorum, ad quorū effectum magis videbatur requiri rationis vsus, quam ad Eucharistiam. Matrimonij quidem capaces non sunt, quia eius materia est cōtractus humanus, qui sine rationis vsu fieri non potest, pœnitentiam, & extremam vnctionem accipere non possunt, quia nondum potuerunt committere peccata, quorum maculis, vel reliquijs tollendis hæc Sacramenta

menta destinantur, alia verò Sacramenta recipere validè possunt. Ergo & hoc quia ordinatur ad nutritionem, & augmentum gratiæ, quod præsupponit dumtaxat generationem, & vitam spiritualem acceptam per Baptismum.

4 Probatur secundò, à posteriori. Nam vsus antiquus Ecclesiæ dandi paruulis Eucharistiam, satis apertè testatur, ex institutione diuina capaces esse paruulos Eucharistici fructus, alioquin enim talis vsus illicitus fuisset, sicut illicitum est Eucharistiam præbere Catechumeno, vel homini mortuo, vel bruto, quia defraudatur Sacramentum effectu suo. Supponebant ergo Patres antiqui, paruulos esse capaces fructus huius Sacramenti, fuisse vero talem morem in Ecclesia, testantur tum Historici, tum Patres à nostris Doctoribus relati, tum præcipuè *Concil. Toletan. 11. can. 11. Catechismus Rom. p. 2. de Euchariſt. §. 62. Trident. seſſ. 21. cap. 4.* dicens, Sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse; nimirum, quia cum numerus fidelium esset minor, & deuotio maior, potuerunt vitari facilius incommoda, quæ nunc præponderant vtilitati paruulorum, quando numerus fidelium est maior, & deuotio minor.

5 Ad primum primæ sententiæ Respondetur, illam probationem ad hoc solum exigi, ne quis indignè sumens, Iudicium sibi manducet. Quare solum exigitur in illis, quibus subest periculum indignè sumendi, quod cum non subsit infantibus, non est cur se ipsos probent: satis est si ab Ecclesia probentur, an sint baptizati. Ad secundum Respondetur, effectum huius Sacramenti non esse solam restaurationem deperditi, sed potissimum esse nouam accessionem gratiæ iustificantis donec communicans crescat in virum perfectum. Alioquin nec Sacratissima Virgo, quæ nihil vnquam passa fuit detrimenti spiritualis, nec adultus recens baptizatus esset capaces Eucharistiæ, sufficit equidem, vt paruuli, vel alij communicantes sint capaces augmenti gratiæ, quod est quodam modo simile nutritioni viuentium, dum per nutritionem augentur.

6 Tertium argumentum, si conuinceret, probaret etiam Baptismum, confirmationem, & ordinem, non valere nisi conferantur paruulis contra prohibitionem Ecclesiæ, quod nullus admittet. Respondetur itaque sufficere voluntatem Christi sic instituentis Sacramenta, vt subiecto capaci quasi causæ naturales conferant suum effectum, quin alia voluntas requiratur, quam Ministri conficientis Sacramentum, & in nostro casu consecrantis hostiam. Quare sicut, qui vult baptizare paruulum, & si nolit ipsi gratiam conferri, non potest impedire efficaciam Baptismi, sic qui voluit consecrare hostiam, impedire non potest, quin hæc à subiecto capaci recepta conferat suum effectum nec alia voluntas, vel intentio Ecclesiæ requiritur, præter intentionem conficiendi Sacramentum, quod semel factum agit necessariò, quantum potest, iuxta subiecti recipientis dispositionem, seu capacitatem.

7 Dices ergo siquis infans, vel amens à natiuitate casu reperiat hostiam, vel vinum consecratum, & ignarus consecrationis sumat ex gula, vel leuitate, recipi gratiam Sacramentalem; non enim habet ex se maiorem voluntatem, aut intentionem, quando recipit à Parocho, nec aliundè requiritur Ecclesiæ voluntas. Respondeo concedendo consequentiam, nam in his nec intentio præsens, nec præterita requiritur, vt censet, *cum alijs Cardinal. de Lugo, supra nu. 23.* Sed sola Christi voluntas instituentis Eucharistiam, & solum exigentis intentionem ab his, qui capaces sunt, vel fuerint illam habendi. Consonant. *Auersa de Euchariſt. q. 8. sect. 1. Diana p. 8. tract. 1. Resol. 45.*

8 Quapropter adultum rationis compotem nescientem hostiam esse consecratam, & sumentem; non illam manducare Sacramentaliter, sed per acci-

dens, seu materialiter, docet, *S. Thomas 3. part. q.*80. *art.*3. *ad tertium*, nempè, quia non habet intentionem in ipso requisitam. Etenim vt adulto Sacramenta prosint, requiritur in illo saltem implicita voluntas recipiendi Sacramentum formaliter, vt Sacramentum est. Quippè dum Sacramentum ignoranter sumitur ab adulto, non est ille moralis nec Sacramentalis vsus Sacramenti, cum non sit vsus Sacer, & ordinatus ad eius significationem adhibendam, & gratiam percipiendam. Rationem à priori reddidi, *lib.*1.*c.*4.*q.*1. consonant. *Suarez* 3.*part.disputat.* 14. *section.*2. *& disputat.*62.*sect.*1. *Coninch. quest.*80.*num.*78. *Vazquez* 3. *part. disputat.*212. *num.*8. Qui discrimen assignat inter ignorantes sui compotes, & paruulos. Nam illi, dum existimant se communem panem manducare, volunt illum, vt communem sumere, subindè quæ voluntatem, & dispositionem habent contrariam manducationi Sacramentali. At paruuli licèt non habeant intentionem recipiendi Sacramentum, non tamen habent contrariam, & alioqui sunt ipsi capaces fructus Eucharistiæ. Quidam addunt consequenter, si quis sui compos comedat hostias, quas putat non esse consecratas, habeat autem intentionem, si qua forsan illarum consecrata fuerit, eam sumendi Sacramentaliter, tunc si qua verè consecrata sit, illum recepturum esse fructum Sacramenti, dummodo non subeat periculum indignè communicandi. Sic *Salas, quem refert, & sequitur, Cardinal. de Lugo, supra sect.*3. *num.*31.

9 Constat ex dictis amentes etiam, qui post rationis vsum in amentiam inciderunt, esse capaces Eucharistici fructus secundum se, nempè si pro se tulerint voluntatem saltem implicitam, aut præsumptam communicandi, qualem censentur habuisse, qui Christianè vixerunt, vt diximus, *libr.*1.*capit.*4. *quæst.*1. & tradit, *Catechismus Roman. capit. de Eucharistia. Henriquez libr.*8. *capit* 42. *S. Thomas quæst.*80. *artic.*9. *Suarez disputat.*69. *sect.*2. *&* 3. *Fillincius tractat.*4. *num.*185. *Martinon supra Cardinal. de Lugo, num.*24. *&* 25. Si vero talis amens casu reperiat hostiam consecratam, & eam comedat tanquam cibum communem, non accipiet fructum Sacramenti; Nam illa voluntas præterita censetur fuisse recipiendi Sacramenta ritu, seu modo, quo Christianis dari solent, non per casualem comestionem, & ideo non extenditur ad hunc casum. Si tamen ante amentiam expressè voluisset acceptare receptionem Eucharistiæ Sacramentalem, quomodocunque contigerit Eucharistiæ receptio, recepturum etiam effectum Sacramenti casuali comestione, docet, *Card. de Lugo n.*31. quia talis intentio videtur sufficiens, & est doctrina satis probabilis.

CAP. V. QVÆST. II.

Vtrum adulti debilem rationis vsum habentes sint capaces Eucharistiæ?

10 AFfirmant *S. Thomas 3. part. quæst.*80. *artic.*9. *Sotus in* 4. *distinct.*12. *quæst.*1. *artic.*9. *Henriquez lib.*8. *capit.*42. *num.*3. *Bonacina disputat.*4. *quæst.*6. *punct.*1. Probatur, Nam Ecclesiæ pietas, & consuetudo suadet; non esse negandum panem cœlestem illis, qui possunt amittere gratiam. Quod notandum est pro rusticis, & Æthyopibus, & similibus semifatuis, quando citrà periculum irreuerentiæ petunt communionem, ex qua censentur vtilitatem percepturi. Quapropter *Ioan. Sanchez disputat.*38. censet dandam esse communionem fatuo, qui cum alijs accessit ad illam percipiendam, si deuotionem aliquam ostendat, etsi non plenè deliberatam; Quippè credibile sit, non omni rationis vsu destitui, qui se communicantib. miscet, genuflectit, percutit pectus, alia præbet indicia deuotionis, consonat

Diana

Dian.p.2.tr.14 Ref.79. & Villalob.to.1. tr.7.diffic.40. ponit exēplū in Religiosis qui præ senio delirare cæperunt. Sed adhuc retinent reuerentiam erga Sacramētū istud, & aliqualem vsum rationis.

11 Olim Energumenis negabatur cōmunio,sicut Catechumenis, vt indicāt. Dionys.de Eccles. Hierarch.c.3.p.2.Concil. Eliberitan.can.29.Et quoties ob sua peccata possidentur à Dæmone negandam illis esse, docent. Alensis 4.p.q.39. membr.3.art.3.§.1.Sylu. Euchar.3.q.5. casu 10. Paludan.in 4.dist.9.& aly, quia tales Energumeni quasi publici peccatores reputantur.

12 Iam vero cōmunis sentētia docet, Energumenos pollētes vsu rationis, esse capaces Eucharistię,nō minus quā alios fideles.Nā hominē à Dæmone possideri nō est culpa,sed pęna,quæ nō reddit illū incapacem Eucharistiæ,inimò nec indignū communione,nec tales alicubi simpliciter illa prohibētur, vt testatur, Cassian.collat.7.c.3. & illos admitti iam ad cōmunionē docent, Prosper.li.4.de prædictionib.c.6.& Conc.Arausic.1. can.14. Tenēt admittēdos esse.S.Th.Sot.& Bonac.sup.Suar. disp.69.sect.2.Vazq. disp. 212. c.4. Si tamen ob publica peccata traditi fuerint Satanæ,nec pœnitentiam ostendant, sicut alij publici peccatores remouendi sunt, & de his forsan loquuntur. Dionys.& Concil. Eliberitan.

13 De Neophytis præsertim in Indijs Occidentalib.est nōnulla controuersia. Quippe nō pauci Parochi reputant illos incapaces ob innatā gētis stoliditatem Eucharistiæ recipiēdæ,quapropter communione prohibēt illos, scientib. & permittētib.nōnullis Prælatis.Dicēdū equidē est,Neophytos ob præcisā recentem conuersionē non prohiberi cōmunione, sed esse capaces Eucharistiæ cum fructu recipiēdæ.Quare siquis baptizetur adultus, & satis sit instructus mysterijs fidei nostræ, quā toto corde præsumatur amplecti, potest mox post Baptismum Eucharistiā accipere: Quin hoc videtur cōsultius. Sic .n. præscribit Rituale Romanū in adultorum Baptismo.Sic docet Io. P.Lugo de Sacramentis Sanch.disp.39.Probatur,quia sufficiēter est dispositus ad cōmunionē,qui per baptismū recepit remissionē omniū peccatorū, & ab Eucharistia recipiet augmentū gratiæ,robur contra tentationes initio conuersionis insurgentes,auxilia simul ad perseuerandum,nec tenetur meliorē dispositionē expectare, qui credit adesse sibi sufficientē, etsi minorem. Si vero Neophyti, vel ob minorem rationis vsum, vel ob infirmiorem affectum honestatis inepti communioni videantur, nam ex hoc capite cum pueris reputādi sunt,de quib.dicemus,q.sequenti.

CAP. V. QVÆST. III.

Vtrum sit præceptum non dandi communionem pueris, vel semifatuis, vel similibus?

14 SVpponimus,quidquid de Ecclesia Orientali,apud quā etiā nūc perseuerare consuetudinē cōmunicandi paruulos,& sub specie vini,dicūt. Claud. Sainter.repetitione 6.c.10. Petr.Arcud.de Sacr.Eccles. Orient. lib.1. c.13. & lib.3. c.40.& Card.de Lug.disp.13,nu.11.Iam in Ecclesia Latina nō licere paruulis carentib.vsu rationis Eucharistiā ministrare.Quamuis .n. Trid.sess. 21.c.4.& can.4. solū dicat nō esse necessariā Eucharistiā paruulis,nec addat,nūc illicitū esse dare nec alibi reperiatur tale pręceptum.Tamen Ecclesiæ Romanæ cōsuetudo tradita iam in Rituali Romano vim habet præcepti prohibētis cōione paruulos, & amentes, qui nūquā fuerūt rationis cōpotes. Iā .n. intāto paruulorum numero frequēs esset periculū irreuerēter tractādi Eucharistiā,quā vel expuerēt,vel euomerēt;& idē timeri potest à perpetuo amentib.qui nō magis egē. Eucharistia, quā paruuli. Cōfirmatur,quia omninò decet,hoc Sacramētū deuotè sumi, saltem deuotione virtu lis, vel à præcedēte voluntate deriuata,quod illi facere nequeūt qui nūquā habuerūt vsū rationis. Ita S. Th.3.p.q.30.a.9.Conimcb.ibi n.72.Palud. Caiet.Sot.,nos sequit.Henriq.lib.8.c.42. Suar.disp.62.sec.3.Vazq.disp.212.c.2.3.

15 De pueris vero, qui post septēnium habēt rationis vsum sufficiētem ad recipiēdum pœnitētiæ Sacramentū, diuersa sunt Doctorum placita. Prima sententia docet, honestā cōsuetudinē admittendi prius pueros ad cōfessionē, quā ad communionem sic obligare grauiter, vt sit mortale peccatū dare cōmunionē pueris, quāuis ritè confessis, etiam si in artic. mort. priusquā ritè fuerint admissi simpliciter ad Eucharistiā recipiendā, tāquā idonei tāto Sacramento. *Ita Cordub. in sum, q 60. Ochag. tr. 2. de Euchar. q. 17. n. 6. Gaspar Hurtad, de Euchar. disp. 10. diffic. 4. Kelison. 3. p. q. 80 a. 11. in fin. Praeposit ibi n. 56. Marat, to. 3. tr. de Euchar. disp. 35 sess. 4. n. 5. Granad. 3. p. controu. 6. tr. 10. disp. 3. & 4. Fagund, Praecept. 3. li. 1. c. 4. n. 8. Vazq. 3. p. disp. 214. c. 4.* præsertim in fine cuius auctoritate ducti viri docti Matritenses censuerunt, sub mortali non esse ministrandam Eucharistiam puero cuiusdam magni Principis in articulo mortis constituto.

16 Probatur 1, quoniā Eucharistia licitè dari non potest illis, qui nō sunt capaces dignè cōmunicādi, sed pueri, licèt habeāt sufficientē rationis vsum ad ritè recipiēdū Pœnitētiæ Sacramētū, nō ideò sunt statim capaces dignè cōmunicādi. Nō ergo habēt neq; possunt licitè communicare, donec crescente rationis vsu reperiantur digni cælesti pabulo. Minor probatur, nā vsus rationis nō est æqualis circa materias omnes, *vt comm. tradunt Doct. 1. 2. q. 89.* cum difficilior cognitu sit vna materia, quā alia, difficiliusq; deducantur quædā cōclusiones, quā aliæ, vel quia remotiores sunt à principijs per se notis, vel quia supponūt principia supernaturalia magis præter rationē. Sic facilius datur inuincibilis ignorantia vnius præcepti etiā naturalis, quā alterius, de quib. Doctores cum *S. Th. 1. 2. q. 76.* Sed maior vsus rationis, maior discursus requiritur ad discernēdū cibū spiritualē à corporali, quod supponit principia fidei valdè sensib. addita, quin etiā opposita, quā ad discernēdū inter bonū, & malum morale, quod est maximè cōnexum naturali lumini. Quamuis igitur pueri post septeniū discernāt inter bonū, & malum morale, ac subinde peccēt, & egeant Sacramēto pœnitētiæ, nō statim habebunt sufficientem vsum rationis ad dignè communicandum, & per consequens admittendi non erunt ad communionē.

17 Probatur 2. quia maior reuerentia veneratio, seu cultus debetur huic Sacramēto recipiēdo, quā alijs, maior appretiatio tāti doni, maior gratitudo tāti beneficij, quæ supponunt maiorē notitiā diuinæ Maiestatis ibi præsentis, quam oportet in hospitiū paratū recipere cum honore, ac deuotione, sed pueri licèt rationis cōpotes ad pœnitēdū, & cōfitēdū, nec meditationi tāti doni, seu tanti Domini sunt apti, nec per cōsequēs expendere queunt, quē amoris affectū, quem humilitatis timorē, quem reuerētiæ cultū illi debeāt, ad quē recipiēdū accedūt. Ergo nō statim recipiendi sunt ad communionem. *Ideò Manual. Roman. tit. de Euchar. § fin. sic ait, his etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius Sacramenti cognitionem, & gustum habent, administrari non debet.*

18 Probatur 3. ex Ecclesiæ more communi, quē nefas est violare. Sed cōmunis mos habet, vt pueri, licèt statim ac sunt capaces, & peccarūt mortaliter, obligētur ad cōfessionē, nō illico tamē admittātur ad cōmunionē, sed expectēt, donec mysteriū Eucharistiæ sufficiēter calleāt, & ritè capere possint. Ergo nō licèt pueris omnibus ritè confessis Eucharistiam administrare cōtra morē Ecclesiæ receptum, & fundatum *in c. omnis vtriusq; sexus, de Pœnit. & Remiss.* Vbi confessio præcipitur absolutè, communio vero cū duplici limitatione, scilicèt reuerenter, & iuxtà confessarij consilium facienda. Confirmatur, nam hæc consuetudo non est permissionis, nō enim rectè permitteret Pontifex talem consuetudinem in detrimētum puerorum, qui sine sufficiēte causa defraudarentur fructu Sacramenti. Est igitur cōsuetudo approbationis, quia nimirum Summus Pontifex iudicās talē cōsuetudinem nō esse rationi

deformem,sed potius valdè cōformem, propter Sacramenti reuerentiam, & incapacitatem talium puerorum ad dignã Eucharistiæ receptionem, approbat illam,sed consuetudo approbata per Principem habet vim legis iuxta communẽ doctrinam *S.Th.1.2.q.97.art.3.Suarij, de legib.lib.7.c.2.& 3.*& aliorum. Ergo non licebit tali consuetudini contraire.

19 Secunda sententia per oppositum docet, omnes pueros, qui sufficientem habent vsum rationis ad peccandum, & recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, posse,ac debere(tempore præcepti)communicare.Ita *S.Antoninus tom.3. tit.14. cap.12.§.5.Palud. in 4.dist.12.quæst.1. ar. 5.n.25.Tabien.verb. communicare, nu.3. Ioann.Sanch.disp.26.* per totam. *Castro Palaus,to.1.tract.3.disp.1.punct.24.§.2.n. 7.Philippus de la cruz. in Thesauro tract. 1.§.11.n.3.*probabilem dicit *Diana, par. 3.tract.6.Resol.*70.Probatur primo, quia non requiritur minor discursus ad præceptum confessionis,quam ad præceptũ communionis: debet enim pœnitens perpendere peccati malitiam, vt eius detestationem concipiat, & eliciat dolorem cum vero proposito nec in eadem peccata relabendi,nec alia comittendi.Debet confessionis necessitatem,& integritatem callere,satisfactionem acceptare, reuerentiam,ac deuotionem erga Pœnitentiam Sacramẽti præferre.Qui capit hæc omnia,cur etiã Christi Domini præsentiam in Eucharistia, reuerentiam erga tantum hospitem, & dispositionem præmittendam non capiat.

20 Probatur secundo, Nam alioqui Confessarij,si prætextu reuerentiæ denegant Eucharistiam pueris ritè confessis, præbent illis occasionem citius relabendi,pluraque peccata patrandi, siquidem auxilia vi communionis exhibita cohiberent illos, & roborarent aduersus tentationes,& occasionem peccandi. Sicut ergo præbetur illis Pœnitentiæ Sacramẽtum in remedium peccatorum commissorum, Eucharistia quoque præberi debet,vt antidotum, & remedium valdè necessarium, & ferè moraliter requisitũ cōtra futuros lapsus, & ad spiritualis vitæ conseruationem. Probatur tertio, ex prædicto c.*Omnis vtriusque sexus.* quod discretionis annos pariter exigit ad cōfessionem,& cōmunionem; nec quoad istam discretionem constituit vllum discrimen inter vtrumque Sacramentũ,vnde *glos.*ibi dicit,quando puer est doli capax,quia peccare potest, ad vtrumque Sacramentum recipiendum teneri.

21 Perpensis vtriusque partis fundamentis censeo,nullum esse præceptum, quod sub mortali obliget ad denegandam Eucharistiam pueris, qui sufficientem habent rationis vsum ad recipiẽdũ Pœnitentiæ Sacramentum, quod mihi persuadent fundamenta secundæ sententiæ, praxisque simul Ecclesiæ, quæ tales pueros obligat ad audiendum sacrum diebus festis,vt docent *Suar.tom.3.disp. 88.sect.4.fine.Sanch.l.1.Decal.c.12.Trullench.l.3.decal.c.1. dub.4. n.3. cum alijs.* Ac subindè supponit, illos cognoscere, quid sit Missa, & quid ibi repræsentetur, & offeratur, alioquí nō possent humano modo illam audire, nec adorarent illas species consecratas, nisi discernerẽt illũ cibum ab alio communi, cui talem cultum non adhibent.Sentiẽdum igitur est, regulariter cũ vsu rationis sufficiente ad peccandum adesse sufficiẽs discretionis lumen pueris Catholicis, præsertim diligenter instructis,quo nouerint discernere cibum istum a reliquis, & reuereri latentem in eo maiestatem, & per consequens habeant huius Sacramenti cognitionem,& gustum,siue affectum,quem Manuale Romanum requirit, vt non prohibeantur communione.

22 Vnde colligo primo, pueros, qui sunt capaces Sacramenti Pœnitẽtiæ, teneri præcepto diuino communionis in articulo mortis,ita præter Doctores secundæ sententiæ *Suar.disp.70.sect.1.fine. Zambr.de mortis artic.c.3.dub.2. Caiet. in sum.verbo communionis minister. Armilla verb.communio,n.10. Nuñus 3.p.q. 80.a.11.diffic.2.Tannerus 3.p.disp.5.q.8. dub.5.n.116.Salas de legib. disp. 14.sect. 13.n.127.Regin.l.29.n.82.Possev.c.8.n.9.*

& 10. Bonac. disp. 4 q. 7. punc. 2. nu. 4. Præposit. 3. p. qu. 1. de Extr. Vnct. dub. 7. nu. 58. Faustus de Euchar. li. 1. q. 262. Cardin. de Lugo disp. 13. sect. 4. nu. 37. Perlinus. Bald. quos sequitur *Diana p. 3. tr. 6. Resol. 89. & part. 5. tr. 3. Resol. 44 & tr. 14. Resol. 50.*

23 Probatur, nam omne præceptũ diuinum obligat quemlibet rationis compotem, sed præceptum recipiendi Sacrã Eucharistiam in articulo mortis est præceptum diuinum, quod Ecclesia non determinauit quoad hoc, quoniam erat ex se sufficienter pro tali tempore determinatum; Igitur obligat pueros rationis compotes in tali periculo constitutos. Maior est communiter recepta, quam latè confirmat *Salas de legib. disput. 14. sect. 13.* Minor admittitur etiam ab aduersarijs. Consequentia probatur. Nam ille puer est capax fidei, reuerentiæq; sufficientis erga Sacram Eucharistiam, quã (vt ostendimus *n. 21.*) sufficienter discernit à cibis communib., & vrget pro tali tempore præceptum diuinum, quod verè potest implere, sicut implet diuinum præceptum confessionis. Ergo tenetur eius obligatione. Quare quoad hoc non consulerẽ praxim primæ sententię Consonant *Ioannes Sanch. disp. 27. Præposit. sup. n. 57. Laym. lib. 5. tr. 8. c. 4. n. 2. Ludou. de S. Ioanne. Baldellus, Nuñius, Marchãtius*, quos sequitur *Diana par. 3. tr. 6. Resol. 89. & part. 5. tr. 3. Resol. 85.* docentes, pueris moribundis capacib. Pœnitentiæ dandam esse extremam Vnctionẽ, quoniam est Sacramentum consumatiuum Sacramenti Pœnitentię. Sed Eucharistia est Sacramentum perfectiuum Pœnitẽtiæ, quatenus conducit ad conseruãdam vitam ibi receptam. Ergo quibuscunque potest dari Sacramentum Pœnitentiæ, potest pariter, & debet dari viaticum in articulo mortis. Vt tradunt generaliter *Caietanus, & Armilla supra.*

24 Imò si dubium sit, num puero sufficiens rationis lumen illuxerit. *Card. de Lugo sup. n. 40. & seqq.* discutit in vtramque partem, an possit, vel debeat illi dari viaticum, & decidit posse dari, sed non debere. Priorem partem, (quam tenent etiam *Posseuinus c. 8 num. 10. & Diana par. 5. trac. 3. Resol. 44.*) probat, quia prohibitio dandi Eucharistiam in capacib. dupliciter imponi potest. Primò, si præscribatur, ne detur nisi eis, qui sunt sufficienter capaces; & tunc debet positiuè constare capacitas recipiẽtis, vt illi possit Eucharistia licitè ministrari, quia petitur capacitas, vt conditio simpliciter requisita, sicut ætas in ordine. Secundò, si præcipiatur, ne detur ijs, qui non sunt sufficienter capaces, & tũc sufficit, quòd non constet incapacitas, solum enim iubemur, ne demus Eucharistiam ei, quem nouimus incapacem esse. At Manuale Romanum hoc secundo modo prohibere videtur. Vt sonant *verba relata sup. n. 17.* Sic etiam accipitur prohibitio non dandi Sacramentum Pœnitentiæ, vel extremæ vnctionis incapacibus. Siquidem administrantur in dubio de capacitate recipientis. Vt de Sacramento Pœnitentiæ, docent *Sanch. & Layman*, quos sequitur *Diana par. 3. trac. 3. Resol. 3. & de Extrema Vnctione Manuale Romanum, & Diana cum alijs par. 3. tr. 4. Resol. 16.* quando scilicet dubitatur, an recipiens sit viuus, vel mortuus, an sit, vel non sit capax.

25 Secundam partem probat, quia quamdiu non constat aliquem esse lege comprehensum, non tenetur in eo dubio seruare legem, quia possessio stat pro libertate, sed cum dubitatur de capacitate pueri, per consequens dubitatur, an comprehendatur diuino præcepto communionis, quòd solum fertur in doli capaces, vt constat ex *Trident.* ergo non tenetur in eo dubio communicare morti proximus ex vi diuini præcepti. Quam doctrinam approbo quoad vtramque partem; sed addo, quando talis puer in articulo mortis non potest aliud Sacramentum etiam sub conditione recipere, non solum posse, sed debere ipsi ministrari viaticum, quia forsan peccauerit mortaliter, & solam elicuerit attritionem, quæ simul cum viatico saluetur, alioquin periturus.

Quare licet non obliget præceptũ com-

munionis, obligat præceptum charitatis ad prouidendum indigenti, quantum possimus per tale Sacramentum, vt diximus *lib. 1. c. 1. n. 42.*

26 Colligo secundò, non statim ac puer habet rationis vsum, quo fit capax peccati mortalis, & obligationis confitendi, teneri præcepto communionis annualis, sed per aliquod tempus prius ad confessionem obligari, donec iudicio confessarij, vel parentum destinetur communioni. Sic tenent præter Doctores primæ sententiæ, *S. Thom. Paludan. Maior. Alensis, Caietanus, Sotus Cathechismus Roman.* quos sequitur *Suar. tom. 3. disputat. 70. sect. 1. Henriquez cum alijs lib. 8. cap. 5. litt. B. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 41. quæst. 10. Sà verbo Eucharistia num. 12. & Victorellus ibi. Toletus lib. 6. cap. 15. n. 3. Reginald. lib. 29. num. 82. Coninch. quæst. 80. num. 102. Martinus de Funes in Speculo morali part. 3. cap. 2. numero 8. Martinon. tom. 4. disput. 36. sect. 1. num. 5. Bonacin. supra num. 1. Fellinc. Salas, Tannerus, Zambranus, Villalobos, Conradus,* quos sequitur *Diana part. 3. tract. 6. Resolut. 70. & communiter Doctores.* Probatur, fundamentis primæ sententiæ, præcipuè tertio.

Sic enim Ecclesia determinauit tempus, quo debeant communicare fideles, vt noluerit comprehendere pueros, donec iudicio confessarij censeantur idonei recipiendo reuerenter huic Sacramento. Communis autem consuetudo confessariorum est, vt pueri prius admittantur ad confessionem, & post aliquod tempus ad communionem; & consequenter interpretatur hanc fuisse mentem Ecclesiæ, vt pueros non statim ac habent sufficiens discretionis lumen ad communicandum obliget suo præcepto, sed possit differri communio iudicio confessarij, vel propter maiorem reuerentiam Sacramenti, vel propter maiorem fructum recipientis.

27 Pro cuius declaratione nota, scientia discernendi cibum spiritualem à profano suam habere latitudinem, quæ communiter cum ætate crescit, ac subinde crescit simul reuerentia, deuotio, fructus communicantis. Itaque simul cum pleno rationis vsu datur discretio sufficiens, vt pro mortis articulo, quando præcisè cogit diuinum præceptum, teneatur communicare, quicumque confiteri tenetur, at extra mortis articulum Ecclesia noluit, determinans obligationis tempus, tam strictè pueros obligare, vt quamprimum possint communicare teneantur, sed possint spectare tempus aliquod iudicio confessarij, donec magis apti, magis instructi discant attentiùs, & deuotiùs accedere, nec solum minimum fructum, sed mediocrem saltē, aut vberiorem ex cælesti mensa percipere. Non ita tamē est differenda communio puerorum, vt vergat magis in ipsorum detrimentum, quàm profectum, nec ita properanda, vt impediat congruum dispositionis augmentum iuxta capacitatem subiecti, vbi magna requiritur prudentia confessarij, qui solerter perpendat pueri captum, educationem, institutionem, vt in re, quæ pertinet ad congruentiam prudentialem, attingat medium conuenientiæ maioris, & ad neutrum extremum vitiosum declinet.

28 Terminus fixus ætatis nullus potest generaliter designari, communiter dicunt Doctores ab anno decimo, vsque ad annum decimumquartum aduenire discretionem istam congruam communioni. Sed si cuipiam antea censeatur aduenisse, debere recipere communionem annuam, docent *Azo. Tolet. Zambranus, & alij*, si qui tamen post decimū quartum annum adhuc habeant debilem rationis vsum, instrui debent, quoad possint, de necessarijs ad Eucharistiā recipiendam, quia iam ligantur eius præcepto, cum attigerint pubertatem, in qua iure censentur apti matrimonio, quod magnam deliberationem requirit; nec speratur discretionis augmentum in ætate robustiori; cum tamen in illa propter debilem rationis vsum Eucharistiam non deneget Ecclesiæ pietas, quæ neminem adultorum capacem peccandi vult destituere tam

ne-

necessario Sacramento per totam vitam, nec per diuturnam morem. Ita *Sotus in 4. dist. 12. qu. 1. artic. 9. Henriquez lib. 8. cap. 42. num. 3. Zambrano c. 3. dub. 2. A costa de procuranda Indorum salute lib. 6.*

29 Colligo tertiò non solum posse, sed debere Pastores in articulo mortis amentibus, & phreneticis, qui fuerunt aliquando rationis compotes, præbere viaticum; dum non constet, illos in censura, vel peccato mortali sine pœnitentiæ signis vsum rationis amisisse; nec timeatur irreuerentiæ periculum. Ita *S. Thomas, S. Antoninus, Paludanus, & alij*, quos sequitur *Suarez tom. 3. disput. 69. sect. 3. Vazqu. 3. par. disput. 212. cap. 3. Bonacina disputat. 4. quæst. 6. punct. 1. & communiter Doctores, habetur in cap. is qui 26. quæst. 6.* Fauent *cap. qui recedunt ibi, & Catechismus Romanus cap. de Eucharistia.*

Probatur; quia cum hi sint capaces fructus Eucharistici, & præsumantur habere sufficientem dispositionem, & implicitam, vel etiam habitualem voluntatem; atque forsan indigeant, si peccarunt mortaliter, & amentiam incurrerunt attriti; nec aliud Sacramentum recipere possint; ius habent in articulo mortis ad hoc Sacramentum; & per consequens contra iustitiam illi priuarentur. Quæ rationes non militant in perpetuò dementibus, qui numquam habuerunt voluntatem communicandi, nec habent necessitatem communionis.

30 Circa frequentiam communionis pueris, aut semifatuis concedendam diffident Doctores. *Henriqu. lib. 8. ca. 42. num. 3. Bonacina disp. 4. quæst. 6. punct. 1. num. 7. Posseuinus de communione cap. 8. num. 31.* Dicunt vrgente præcepto, dumtaxat illis esse concedendam ob Sacramenti reuerentiam. Per oppositum *Ioannes Sanch. disp. 26. num. 5.* censet, posse sicut cæteris freqnenter concedi, quia si dum semel tempore præcepti communicant, nullam irreuerentiam committunt, nec illam committent sæpius communicando; cum tam homo suscipiens, quàm Sacramentum susceptum, sint semper vnum, & idem, nec gratia comparata per hesternam communionem, hodiernæ videatur irreuerentiam afferre.

31 Certè iuxtà capacitatem, & dispositionem subiecti prudenter frequentia communionis est metienda; sicut in simili dicebamus *supra num. 27.* communiter censeo pueris, & semifatuis aliquam frequentiam concedi posse, minorem tamen, quàm maturioribus; quia licet Sacramentum sit idem, & frequentia sit vtilissima, tamen qui debilioris iudicij sunt, facilius ex frequentia labentur in contemptum. Videantur *Salazar in practic. de frequenti communione, Diana parte 2. tractat. 14. resolut. 78. & parte quinta tractat. 6. resolut. 7.*

CAPVT VI.

De dispositione communicantium, quoad animam.

1 SVpponono primò requiri per se gratiam habitualem, in recipiente Sacramentum Eucharistiæ, vt diximus *libro primo cap. quarto quæst. 2 numero 25.* quamuis interdum per accidens peccator cum attritione communicans iustificetur, vt diximus *supra libro primo cap. 3. quæstione 2. & S. Thomas 3. part. quæstione 80. articulo quarto.* Docet esse mortale peccatum communicare cum conscientia peccati mortalis, cuius sufficiens pœnitentia non præcesserit saltem existimata. Clarè constat ex fide *1. Corinth. 11. definit Tridentin. session. 13. capite septimo.* Probant contrà Nouatores, *Bellarminus, lib. 4. de Eucharist. cap. 17. & 18. Suarez tom. 3. disput. 66. sect. 1. Vazquez disp.*

*disp.*105. *cap.*2. *excedit Maior in* 4. *dist.* 9. *quæst.*1. quatenus videtur requirere metaphysicam certitudinē status gratiæ ad communicandum; quia communiter non possumus tàm certo scire, nos esse in gratia, sufficit ergò moralis certitudo, qualem habet, qui post diligens examen conscientiæ nihil lethale reperit, quòd non expiarit, ita cùm alijs *Henrsquez lib.*8. *cap.*41. *num.* 1. *Coninch. quæst* 80. *numer.*7. qualis autem intentio communicantis requiratur ad Eucharistiam cùm fructu recipiendam, diximus *supra cap.*5. *quæst.* 1. *numer.*8.

2 Suppono 2. recipere communionem in peccato veniali, vel etiam peccando venialiter in ipsa, non esse mortale peccatum, quia non est grauis irreuerentia, cùm non ponatur obex effectui primario gratiæ, vt vidimus *lib.* 1. *cap.*4. *quæst.* 4. *conueniunt in hoc Suarez supra Vazquez disput.* 207. *numer.* 14. *Fagundez precept.* 3. *lib.* 3. *cap.*8. *numer.*6. *Martinon. tom.*4. *disputat.*35. *sect.*4. *fauent Ambrosius*, & *Hilarius in cap. Si quotiescumque*, & in cap. *Si non tanta.* De consecratione distinctione 2. quatenus asserunt ob venialia peccata non esse deferendam communionem.

CAP. VI. QVÆST. I.

Vtrùm communicare cùm peccato veniali sit saltem veniale peccatum.

8 Certum est committi peccatum veniale quando communio fit ob finem venialem, vel contrà præceptum obligant sub veniali; restat difficultas, quando veniale peccatum est habituale solùm, vel actuale concommitans, vt siquis dum recipit sacramentum, actu cogitaret de mentiendo. Prima sententia docet, plerumque veniale peccatū committi sic communicando. *Sic Suarez*, & *Fagundez sup. Fillincius tract.*4. *num.*206. *Laym. lib.*5. *tract.*4. *cap.*6. *num.*3. *Cardinalis de Lugo*, *disp.*14. *sect.*2. *partim Martinon sup.* nimirum quando veniale concommitans habet oppositionem aliquam cùm sufficiente dispositione communionis. Probatur 1. Nam hic indignè manducat aliquomodo, quatenus ponit obicem aliquibus effectibus secundarijs Eucharistiæ, scilicèt remissioni talium venialium, & feruori charitatis, quòd aliquam irreuerentiam continet, Probatur 2. quòad peccatum actuale concommitans; nam hoc non solùm est malū ex proprio obiecto, quatenus est propositum mentiendi, V. gr. sed etiam habet malitiam adiunctam sacrilegij; quatenus est irreuerentia contra Sacramentum, quòd actu suscipitur, & deberet auertere animum non solum a peruersis, sed etiam ab alienis cogitationibus, & affectibus. Probatur 3. quòad habitualia peccata, quia communicans non solùm sub mortali debet afferre vestem nuptialem, sed etiam sub veniali curare debet, ne vestis illa sit sordida, qualis esset in eo, qui sordescit multis venialibus habitualibus, de quibus non dolet; aliqua siquidem irreuerentia est sic sordidum accedere ad diuinum conuiuium.

4 Secunda sententia negat, esse veniale sic communicare, *sic Adrianus*, *Maior*, *Richardus*, *Sotus*, *quos sequitur Vazq. disp.*207. *cap.*2. *Viualdus de Euch. num.*108. *Sà verb. Eucharistia num.* 22. *Reginaldus lib.*29. *num.* 101. *Petrus de Ledesma in summa*, *tract. de Eucharistia cap.*11. *concl.*5. *Corolianus de casibus reseruatis part.*1. *sect.*3. *num.* 9. *Ioan. Sanchez disput.*22. *num.*9. & *disput.*23. *num.*21. & 32. Probatur 1. quia veniale peccatum, quamuis in ipsa communione comittatur, non impedit effectū huius sacramenti primarium, vt dictum est, impedire verò secundarium aliquē effectum, scilicet remissionem illius venialis, nec continet irreuerentiam aliquam, nec malitiam etiam venialem, quia nulli præcepto repugnat. Probatur 2. quia cùm communio non sit locu-

tio

tio (sicut est oratio) sed manducatio, non requirit attentionem sub præcepto; quare veniale concommitans præter suam specialem malitiam, non addet aliam contrà religionem, cùm non opponatur vlli religionis præcepto.

5 Dico 1. si peccatum veniale sit circumstantia communionis ipsius, vt si fiat ob vanamgloriam, vel cùm distractione voluntaria vanæ cogitationis; tunc ipsa communio veniale peccatum est etiam contrà religionem, quia non habet circũstantias à religione, quoque præscriptas, scilicet debiti finis. Et attentionis necessariæ. Quamuis enim communio non sit formaliter locutio, tamen est ministerium sacrum, quòd sanctè, deuotè, ac attentè tractandum sit, non solùm cùm externa corporis, sed etiam cùm interna mentis compositione. Conueniunt in hoc Doctores 1. sententiæ, atque *Vazquez* etiam, qui vult, vnicum esse peccatum, quòd ego admitto, dummodo duplicem habeat malitiam, scilicet sacrilegij, & vanæ gloriæ vel similis adiunctæ.

6 Dico 2. si veniale commitans impediat debitam præparationem, attentionem, vel deuotionem communionis, iam indè participat malitiam sacrilegij venialis, quando præuidetur, & voluntariè ponitur istud impedimẽtum, & in hoc sensu consentio 1. sententiæ; nam ibi satis apparet irreuerentia; Verùm si debitam communicantis dispositionem directè, vel indirectè non impediat, (quòd raro forsan eueniet) probabilius reputo, non participare malitiam contra religionem (quòd videtur intendere *Martinon*) quia licèt in actu sacratissimo misceatur, adhuc potiùs ad consilium, quàm ad præceptum pertinere reor, animum ad communionem afferrè vacuum prorsus ab alijs cogitationibus & affectibus etiam inordinatis. Quare quò ad peccata merè habitualia censeo cùm 2. sententia, propter eius primum fundamentum, quò dissoluitur 1. fundamentum 1. sententiæ.

7 Ad 2. respondemus, reuerentiam communioni debitam obligare solùm ad tollendas cogitationes, & affectiones, quæ debitam attentionem, & deuotionem impediunt; non autem ad omnes, vt cùmque licèt inordinatas remouendas, si nihil obstant debitæ dispositioni communicantis. Ad 3. dicimus ab homine fragili non esse postulandam summam puritatem animæ, summam conscientiæ munditiem; alioqui duntaxat viri sanctissimi possent ad Eucharistiam accedere sine peccato; sufficit itaque quantum est ex vi præcepti, vestem habere nuptialem, & conuenientem attentionem ad deuotionem actualem procurare: cętera consilij sint, & maioris profectionis non præcisè obligationis.

CAP. VI. QVÆST. II.

Vtrùm ad effectum Eucharistiæ requiratur actualis deuotio communicantis.

8 Affirmat 1. sententia, quàm tenent *S. Antoninus, Alensis, Syluester, Palndanus, apud Barquium disput.* 206. *cap.* 1. *indicat S. Thomas in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 3. Probatur 1. nam hoc sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti; nutrimentum autem non nutrit, nisi concurramus actu vitali. Probatur 2. nam aliàs qui sępius existentes in gratia communicarent, & si tepidè, perciperent magnum augmentum charitatis: quòd est contra experientiam; nam in his hominibus, & in Sacerdotibus tepidis, quotidie celebrantibus, non videmus indicia magnæ charitatis.

9 Secunda sententia negat, est iam communis, & vera, quam explicata vel mutata priori, docuit expressè *S. Thomas* 3. *part. quæst.* 79. *art.* 8. *Nuñus, Syluius, Suarez, Vazquez, Coninch. ibi & aly, recentiores. Valentia, tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 5. *punct.* 3. *Fagundez præcept.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. *Bonacina, disp.* 4. *qu.*

4. quæst. 4. punct. 1. num. 3. *Cardinalis de Lugo, disp. 14. sect. 3.* Probatur primò, quia Sacramenta cum conferant gratiã ex opere operato, vim habent illam cõferendi cunctis non ponentibus obicem sed fidelis iustus, & si non habeat actualem deuotionem, non ponit obicem effectui primario communionis, ergò recipit illum, maior est certa. Minor probatur; quoniam *Tridentinum sess. 13. cap. 7. ex Apostolo 1. Cor. 11.* Solum exigit, tamquam dispositionem necessariam ad Eucharistiæ fructum recipiendum probationem, qua fidelis se satis perspectum inuenit sine conscientia peccati mortalis, quòd confessione delere debeat: ergo non prærequiritur alia dispositio; nam alioquin insufficiens, & manca fuisset doctrina tam Apostoli, quam Concilij, siquidem omittebant aliam dispositionem necessariam.

10 Probatur secundò, quia phreneticis, & amentibus, qui prius habuerunt vsum rationis, datur Eucharistia saltem in articulo mortis; & tamen licet in illis prærequiratur voluntas præcedens, non requiritur actualis deuotio, cum illam habere non possint; nihilominusque recipiunt fructum, nam alioqui non daretur illis Sacramentum: ergo similiter sufficiet in adulto mentis compote voluntas præterita, quæ simul est deuotio præterita; quippè non est aliud deuotio in præsenti, nisi affectus ergo Sacramentum, & fames huius cibi, seu voluntas illum sumendi, quę semper pręcedit communionem adulti, & dum non retractatur, manet habitualiter, & sufficit sine deuotione, seu voluntate actuali: non enim minus requiritur ad Eucharistiæ fructum intentio, quàm deuotio suscipientis, sed intentio sufficit habitualis. Vt diximus *lib. 1. cap. 4. qu. 1.* ergo pariter sufficiet habitualis deuotio, licet non habeatur actualis.

Probatur tertiò, quia si defectus deuotionis actualis impediret effectum Eucharistiæ primarium, sequeretur debere fidelem sub mortali non accedere sine actuali deuotione, debemus enim sub mortali procurare, ne Sacramenta priuentur effectu suo primario; subindèque nisi per inuincibilem inaduertentiam excusemur, peccaremus mortaliter recipientes Eucharistiam cum impedimento recipiendi fructum ipsius, qualis esset in opposita sententia defectus actualis deuotionis, sed consequens est contra communem sensum fidelium, & Doctorum ergo, & antecedens.

11 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, minorem esse veram in cibo materiali, quem conuertere debemus in nostram substantiam vtique per actionem nostram: secus in spirituali, qui conuertit nos in suam naturam, & habet se per modum agentis, nos autem per modum patientis.

Ad secundum respondetur, in illis charitatem augeri, sed non ita palam augmentum apparere propter prauas aliquas inclinationes quas ipsi retinent, & habitus infusi per se non reprimunt; ac subindè non impediunt peccata venialia, quare fieri potest, vt qui per Sacramenti frequentiam multum in gratia crescunt, in ratione viuendi sensibiliter non mutentur. Quamuis si diu permanent in gratia vitantes omnia mortalia, satis in hoc produnt frequentis communionis efficaciam.

CAP. VI. QVÆST. III.

Vtrum aliquando liceat in mortali communicare?

12 NEgant communiter Doctores: cum enim sit intrinsicè malum contra reuerentiam huic Sacramento debitam, pręcipuumque eius effectum impedire, falsamque reddere significationem communionis, qua significat communicans se vniri cũ Christi corpore, dum est verè per peccatum mortale separatus, vt arguit *S. Thomas 3. part. quæst. 80. artic. quarto*, numquam videtur honestari, vel excusari posse; sicut

sicut nec periuriū. Quare si sacerdos antè sacrificium inchoatum, vel laicus antequam ad communionē accedat, sentiat se mortali labe teneri, cuius dolorem sibi difficillimum reputet, aut ferè moraliter impossibilem ob inueteratā consuetudinem, aut propter vehementiam passionis contrà 5. vel 6. vel 7. præceptum decalogi,] tenetur equidem vel difficultatem pœnitentiæ superare cùm diuina gratia, quæ non deerit facienti, quòd absolutè possit; vel si tanta sit difficultas, vt moralis impotentia censeatur, interdum excusabitur a præcepto communionis(quamuis vrgeat pro tali tempore) donec paulatim sufficientem pœnitentiam concipiat. Nec vllum damnum temporale præponderat, cùm quodlibet sit potiùs subeundum, quàm tam immanè scelus patrandum. *Ita Suarez 3. part. tom. 3. disput. 66. section. 1. Vazquez 3. part. tom. 3. disputat. 207. cap. 1. Cardinalis de Lugo disputat. 14. cap. 1.*

13 Quòd si quando sacerdos celebrans post consecrationem aut peccat mortaliter, aut recordatur mortalis non confessi, cuius contritionem non habuerit, nec modo possit habere, nisi difficillimè propter rationes suprà positas, præsertim dum arctatur temporis angustijs, & necessarijs sacrificij ministerijs sic distrahitur, vt nisi cesset ab illo, debitum dolorem concipere nequeat *S. Thomas sup. quæst. 83. artic. 6. ad 2.* dicit, etsi Sacerdos sit non ieiunus, vel excommunicatus, nihilominus debere perficere sacrificium, & communicare, si verò recordetur in missa peccati mortalis non confessi, debere pœnitere cùm proposito confitendi. Quid autem faciet, si non possit conteri, non decidit *S. Thomas, sicut nec rubrica Missalis de defectibus §. 8. num. 3.* quæ generaliter contritionem requirit, dum non suppetit confessarius, *Suarez ea disput. 66. sect. 1. & 5.* dicit, semper posse contritionem elici cum diuina gratia, superarique difficultatem vndecumque prouenientem, consonat *Diana par. 4. tract. 4. resol. 98. & Ochagauia de Eucharistia tract. 2. quæst. 8. num. 4.* loquens de Sacerdote, Addit *Coninch, quæst. 80. num. 16.* debere tunc potius interrumpi sacrificium; quia nullo modo potest aliquis communicare, nisi vel probabiliter se reputet contritum, vel prius confiteatur.

14 Mitius sentiunt *Vazquez, & Cardinalis de Lugo supra Martinon, tom. 4. disputione 35. sect. 1. numero 4. Gaspar Hurtado de Eucharistia disp. 8. difficultate 1.* qui dicunt, sacerdotem, qui conscius sibi peccati mortalis, cuius contritionem in altari non potest moraliter elicere, nisi cesset à celebratione, salt em pernotabile tempus cùm scandalo populi, vel sui nominis nota, posse sine nouo peccato, nō elicita contritione communicare.

Quoniam præceptum communicandi sine cōscientia peccati mortalis non obligat, cùm tanto dispendio, vt debeat homo grauem notam incurrere, potiùs quàm cùm mortali peccato communicare. Quòd ad receptionem etiam aliorum sacramentorum extendit *Cardinalis de Lugo de Sacramentis disput. 9. sect. 1. numer. 8. & probabile, dicit Diana part. 5. tractatus 13. Resolutione 74. Addunt Hurtado, & Ochagauia supra,* Laicum, qui iamiam recepturus Eucharistiam de manu Sacerdotis, nec diuertere potens sine scandalo, ac graui nota; recordatur peccati mortalis, & præ temporis angustijs conteri nequit, posse communicare sine nouo peccato, quia non est credendum, pium ac benignum Iesum hoc Sacramentum instituisse in nostrarum animarum remedium, cum tanto dispendio nostro, & alieno.

15 Certè quamuis casus rarus erit, quo nequeat recepturus Eucharistiam vel aliud Sacramentum viuorum etiam moraliter elicere contritionem, si conari velit, cum diuina gratia; possibilis tamē est, & interdū eueniet. Quod si sacerdos post consecrationē in eas angustias adducatur, vt vel sacrificium imperfectum relicturus sit, vel in mortali communica-

ca-

catum, censeo cum posteriori sententia posse communicare sine nouo peccato, quin etiam debere. Nam *vt dixit S. Thom. supr.* maximè periculosum est, quòd est contra perfectionem huius Sacramenti, quoniam hoc est immane sacrilegium; minus autem est illud, quòd pertinet ad qualitatem sumentis, quare sicut præceptum ieiunij, vel censuræ cedit præcepto perficiendi sacrificium, sic existimo, præceptum non communicādi cum peccato mortali cedere præcepto non relinquendi sacrificium imperfectum; quando moraliter nequit vtrumque seruari.

16 Vnde consequenter assero, licere similiter tàm Clericis, quàm Laicis, vel Eucharistiam, vel aliud quodlibet Sacramentum viuorum in mortali recipere scienter, quoties nec conteri moraliter possunt ante receptionem Sacramēti, nec illud omittere sine ipsius irreuerentia notabili. Sic aiunt *Martinon, & Cardinalis de Lugo supra*. In subita paganorum irruptione, si periculum esset, fore vt Eucharistia cōculcetur, vel comburatur ab infidelibus, & Catholicus existens in peccato non posset præ temporis angustijs conteri, vel occultare Sacramentum, posse talem sine nouo peccato sumere propter vitandam irreuerentiam Sacramenti. Similiter in alijs Sacramentis viuorum (etsi rariùs) tales circumstantiæ concurrere possunt, vt peccator non potens hic, & nunc conteri, vel debeat in peccato recipere Sacramentum, vel illud contemnere, seu detestari censeatur.

17 Scandalum actiuum, quòd alios inducat ad peccandum, vix vnquam per se sequetur ex omissione communionis, si quando tamen esset persona talis, vt videntes illam à Sacramento retrahi, vel etiam abstinerent vrgente præcepto, vel in contemptum illius Sacramenti venirent, reputo, sufficienter excusari recipientem in mortali Sacramentum ad euitandum hoc scandalum.

Nam, vt inquit Bernardus, quod pro charitate introductum est, non debet contra charitatem militare, ob solam infamiam propriam vitandam nō consulerem, Eucharistiam vel aliud recipi Sacramētum viuorum in peccato; Quia quodlibet temporale damnum iudico subeundum esse potius, quàm indignè Sacramentum recipiendum, cœterum nec damnarem recipientem ob auctoritatem excusantium illum à nouo peccato, quos retulimus *num.* 14.

18 Quàm graue sacrilegium per se loquendo sit indignè communicare, tradit *S. Thomas 3. part. quæst. 80. artic. 5. & Doctores* ibi per comparationem ad alia peccata, certè grauiora sunt peccata contra virtutes Theologicas; ac cœteris paribus est grauius, quàm peccata contra puras creaturas, vel in alia Sacramēta commissa. Subdit *S. Thomas ad secundum* eo grauius aliquem peccare, quo pluribus aut grauioribus peccatis irretitus ad hoc Sacramentum accedit; est enim indignior, & maius impedimētum apponit effectui primario Sacramenti, consentiunt *Doctores*, *& rectè Vazqu addit disput. 207. num.* 11. hanc circumstantiam non esse necessario confitendam, quia non variat speciem indignæ communionis. An autem notabiliter aggrauet? *Vazquez negat*, ego non curo, nam circumstantias notabiliter aggrauantes opinor non esse necessario confitendas.

19 An autem qui prohibitus per censuram à receptione Sacramentorum communicat, cum conscientia peccati mortalis, committat duo peccata, quæ debeant aperiri confessario, videlicet contra duo illa præcepta diuinum, & humanum? Negant *Vazquez sup. num. 5. & 6 & Marius Alterius lib. 1. disput. 6. cap. 3.* Quia præceptum humanum censuræ respicit idem motiuum, ac præceptum diuinum nimirum impedire communionem indignam.

Quando verò peccatum prohibetur pluribus præceptis ex eodem motiuo, non indè multiplicantur peccata, nec additur circumstantia varians speciem, quæ subindè debeat in confessione manife-

nifestare. Affirmant *Henriqu.lib.5.ca.7. num.2. Bonacina de Sacramentis disp.4. qu.6.punct.1.num.34.cum alys*;quia præceptum censuræ diuersum habet motiuum; Etenim præceptum diuinum perhibet indignam communionem intuitu religionis, at præceptum censuræ potius imponi solet ob motiuum obedientiæ,scilicet ad contumaciam subditorum retundendam, vel ob motiuum virtutis, ad quam spectat actus præceptus. Ego reor, vnicum esse peccatum, sed æquiualens duobus propter duplicem illam malitiam, & per consequens illam circumstantiam censuræ confitendam esse, quia variat speciem peccati.

CAP. VI. QVÆST. IV.

Vtrum præmitti debeat confessio communioni?

20 SVpponimus, iam hodie necessariam esse confessionem habentibus conscientiam peccati mortalis, vt dignè recipiant Eucharistiam, sic enim tradit *Tridentinum sess.*13.*ca.*7.vbi præmissis Apostoli verbis, 1.*Corint.*11.*Qui manducat,& bibit indignè,iudicium sibi manducat,& bibit,non dijudicans corpus Domini. Subdit,quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum.Probet seipsum Homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quamuis sibi constitutus videatur in contritione, absque præmissa Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat*. Eadem ferè repetit *Can.*11. & addit. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit,eo ipso communicatus existat*.

21 Ex his verbis oriuntur aliqua dubia. Primum sit,an hæc obligatio fuerit ante Tridentinum, vel per ipsum inducta sit? Aliqui *Doctores ante Tridentinū negarunt istam obligationem*. Probatur, nam ad satisfaciendum iuri diuino naturali sufficit, si quis accedat in gratia; sicut ad cœtera Sacramenta viuorum recipienda,quòd per contritionem præstari potest;nec amplius in Pauli verbis, *Chrysostomus, & Theophilactus*, intellexerunt, qui probationem exponunt ab ipsomet homine faciendam per accuratam discussionem conscientiæ suæ. Ius autem positiuum diuinum, vel humanum nullibi reperitur ante Tridētinum, nec antiqui Patres, licet pœnitentiam requirant ante communionem, confessionis necessario præmittendæ meminerunt. Sic *Abbas,cap.de homine, de celebratione Missarum.Armilla vb.communio,num.*1.*& vltimo.Caietan.*1.*Corinth.* 11.*&* 3.*part.q.*80.*art.*4. *in exemplaribus ante Pium Quintum cuius iussu sublatus fuit in editione Romana Commentarius illius articuli*,& in peculiari *tract.de hac re ad articulos Parisiensium fol.*63. *& in summa. Vb.communio Sacramentalis*. Vbi tamen addit esse peccatum veniale graue, dum adest confitendi commoditas,& conscientia peccati mortalis, sine confessione communicare; quia talis homo minus dignè voluntarius accedit.

22 Secunda sententia vera docet,semper in Ecclesia fuisse tale præceptum. Probatur. Nam Tridentinum probat obligationem istam ex verbis Apostoli simul cum Ecclesiæ declaratione sic accipientis probationem ab Apostolo requisitam. Ergò non inducit nouam,sed eam in Ecclesia semper fuisse colligit ex Ecclesiastica consuetudine, quæ tot sæculis inuiolabiliter obseruata, vim præcepti declarat: consuetudinis autem antiquissimæ præmittendi confessionem communioni meminerunt. *Eusebius lib.* 6.*cap.*24.*&* 25. *Sozomenus lib.*9.*tripart. cap.*35.*Nicephorus lib.*11. *cap.*34. quare sententiam illam docent *S. Thomas in* 4.*dist.*17.*qu.*3.*art.*1.*quæst.*4. *Sot.Gabriel, Durandus,Maior.S.Bonauent.S.Anton. Syluester*, quos sequitur *Suar.tom.*3.*disput.*66.*sect.*3.*Vazquez* 3.*punct. disp.*207. *cap.*3.*Fagundez in præceptis Ecclesiæ, Precepto* 3.*lib.*3. *cap.*8. *Henriquez lib.*8. *cap.*45.*n.*3. *Bonacina cum multis disp.*4. *quæst.*

*quæstio.6.punct.*1. *num.*10.*Cardinalis de Lugo de Eucharistia disputat.*14.*sect.* 4. *numero* 56. quorum aliqui putant, iam hoc esse de fide certum. Alij saltem oppositum sine nota sustineri non posse.

23 Ad fundamentum oppositum dicimus, Apostolum solam requirere probationem, ne quis indignè recipiat Eucharistiam, qualis autem futura sit hæc probatio, dicendum ex Ecclesiæ sensu, seu praxi, quæ talis semper fuit, vt infra probatio per examen conscientiæ ab ipso communicare volente fiat, quod intendunt *Chrysostomus, & Theophylactus ibi*. Verum ita se probare debet, vt si se reperiat impurum, sistat se Sacerdoti non tam probandum, quam mundandum absolutione Sacramentali; sic enim Ecclesiastica consuetudo declarat, talem probationem seu discussionem conscientiæ prærequiri, qualis sufficiat ad hoc, vt homo iudicet, se non habere mortale peccatum, quod non legitimè fuerit confessus; nec mirum si hoc speciale sit in Eucharistiæ receptione propter singularem ipsius excellentiam super alia Sacramenta.

Quod autem Patres, dum pœnitentiam requirunt ante communionem, non exprimant confessionem, argumentum est negatiuum, nec enim illam negant; sicut non exprimentes ieiunium prærequiri, non ideo negant illud; & quidem aliquando confessionem esse communioni præmittendam asseuerant. Vt ex *Augustino, Leone, Cypriano, Anselmo, Richardo*, deducunt *Suarez, Vazquez, & Lugo supra. Nec Tridentinum eo, Can.*11. Excommunicaret negantem huiusmodi præceptum; si nouum esset; posset enim alicubi vel non legitimè publicari, vel non acceptari, vel præscribi contra illud, & ibi verè negaretur tale præceptum; nec veritatis assertio mereretur censuram, dum ergo Concilium generaliter excommunicat quoscumq; negantes hoc præceptum, palam supponit. Iam olim vbique receptum fuisse, ac in praxi retineri, nec verè posse alicubi negari.

24 Sit secundum dubium. Quale sit hoc præceptum? Prima sententia docet esse præceptum diuinum naturale, nimirum ortum ex ipsamet institutione Sacramentorum, ita *Syluester, Eucharist. secunda quæstio. secunda*. Fauet *Sanctus Bonauent. in quarto distinct.*13. *dub. primo, & distinct.*16.*dub.* 12. Probatur, ex huius Sacramenti dignitate, cum enim sit omnium sanctissimum, exigit ab homine summam diligentiam, vt cum morali certitudine sanctitatis accedat. Ad hoc autem maximè conducit confessio sacramentalis.

25 Secunda sententia docet, esse præceptum positiuum Ecclesiasticum Apostolica traditione latum, & Ecclesiæ consuetudine firmatum. Ita *Ioannes de Medina, Codice de pœnitentia quæstio.*17. *Palacios in* 4.*distinct.* 9. *quæst.*10. *ad primum. Nauarrus de Pœnitent. distinct.*5. *in principio circa tertiam partem glosæ numer.*31. & 32. probabilem dicit *Coninch. quæstio.*80.*numero* 13. & *Lessius* 3. *part. quæst.*80.*numero* 7. Probatur, quia Christus non est solitus dare præcepta circa modum recipiendi Sacramenta, nisi quæ cum ipsorum institutione connexa sunt, vt constat, ex alijs ritibus ad Sacramentorum administrationem requisitis, quorum determinationem Christus Ecclesiæ reliquit. Sed quod ante communionem peccator contritus debeat confiteri, non sequitur ex institutione communionis; sufficeret enim moralis certitudo contritionis, vt in aliorum Sacramentorum receptione. Sic enim sancta sanctè tractantur quantum patitur humana fragilitas, ergo præceptum præmittendi confessionem non est diuinum, sed humanum. Confirmatur, quia *Tridentin. refert ad Apostolum hoc præceptum*, dum ait, *reuocandum est in memoriam eius*, (idem Apostoli) præceptum, planè significans in Pauli verbis Apostolicum præceptum ab Ecclesia fuisse cognitum, & praxi receptum declaratum.

26 Tertia sententia communior, & probabilior docet, esse præceptum diuinum positiuum. Ita *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. ar. 4. Henriq. cum multis li. 8. c. 45. n. 3. Suar. to. 3. disp. 66. sect. 3. Vazqu. 3. par. disp. 207. c. 4. Diana par. 8. tr. 1. Resolut. 51. Fagund. Præcep. 3. lib. 3. c. 8. Card. de Lugo sup. nu. 73. & Recentiores communiter.* Probatur, quia iuxta regulam Augustini *lib. 4. de Baptismo c. 24* signum diuini iuris est quoties aliquid ab vniuersali seruatur Ecclesia, quod nec ab aliquo Pontifice, nec a Concilio præceptum est, sed eius initium ignoratur. Talis autem est ista lex, vt indicat Tridentinum, ergo est præceptum diuinum positiuum. Minor probatur, quia Tridentinum non dixit hoc præceptum per Ecclesiasticam consuetudinem introductum esse, sed declarari. Et quidem si præceptum esset humanum, nō deberet Concilium excommunicare quoscumq; negantes eius obligationem, nam omnis humana lex frustrari potest obligationis effectu, vel quia non sit alicubi recepta, vel quia per contrariam consuetudinē abrogata fuerit.

27 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, indè sumi congruentiam huius præcepti, non tamen sufficiant ad obligandum, nisi præceptum positiuum accederet, quippè naturali satisfieret vtique per contritionem, vt dicebamus *n. 25.* Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, hoc esse in Eucharistia singulare, sicut, & alia, vt Christus Dominus specialem ipsi dispositionē assignauerit, quam Paulus tanquam acceptam à Domino proposuit, & Ecclesiastica consuetudo declarauit; quasi diuinitus præscriptam, & quamuis illud pronomē *eius* ad Apostolum referatur, vt contra *Suarium probat Vazquez supra*, & ipse contextus satis ostendit, non ideo vocatur Apostoli præceptum, quoniam ab illo fuit impositum, quia tanquam acceptum à Domino illud Apostolus explicauit; sicut lex Moysi vocatur, quæ data quidem à Deo, fuit per Moysen promulgata.

26 Sit dubium tertium. An qui recipit Eucharistiam in mortali, committat duplex mortale peccatum, vnum impœnitentiæ contra præceptum confitendi ante communionem, aliud sacrilegij contra dignam Eucharistiæ sumptionem? Affirmant aliqui, quorum sententiam dicit esse probabilem *Petrus Fay in Addit. q. 4. art. 3. disp. 1.* propter violationem duplicis præcepti concurrentis ibi, tamē probabilius est vnicum solum dari sacrilegij peccatum contra dignā Sacramenti sumptionem. Nam confessio præmitti iubetur communioni propter huius dignam sumptionem, & vbi datur vnum propter aliud, ibi censetur vnum esse. Sic *Fay supra Lusius de Torres de Pœnitu. qu. 6. art. 5. disp. 21. dub. 1. Diana parte 3. tract. 4. Resol. 35.*

27 Sit dubium 4. An qui dubitat, se peccasse mortaliter, vel vtrum confessus fuerit mortale commissum, teneatur illud ante communionem confiteri? Negare videntur *Henriquez lib. 8. cap. 45. num. 3. lit. P. citans aliquos Antiquiores, Reginaldus lib. 29. num. 99. fin. Granado 3. part. controuersia 6. tract. 10. disp. 7. nu. 13.* Probatur ex speciali ratione huius præcepti. Dicit enim Tridentinum præmittendam esse confessionem communioni, quando quis est sibi conscius peccati mortalis. Sed dubitans non est sibi conscius, ergo non tenetur isto præcepto.

28 Dicendum est, in dubio negatiuo teneri prorsus, vt diximus generaliter in *tractatu de conscientia cap. 2. quæst. 39. num. 170.* Vnde probatur nostra conclusio. Nam quoties fit confessio sacramētalis, habere debet integritatem formalem sibi præscriptam, sed ad hanc pertinet, vt peccata mortalia de quibus dubitamus negatiuè, confiteamur sub tali dubio, vt ipsimet contrarij Doctores asseuerant: ergo dum iubemur confessionem præmittere communioni, iubemur vtique confiteri peccata mortalia dubia; Dices hinc probari, quod si communicans habeat alia mortalia certa, & aliquod dubium, debeat hoc cum alijs confiteri, quia verè tenetur præmittere

tere confessionem. Si verò solum habeat vnicum mortale dubium iuxt. *Doctores num. præcedenti relatos*, non tenebitur confiteri, ac subindè cessat integritatis obligatio, sed cõtra, nam etiam tunc tenetur confessionis præcepto, si quidem habet conscientiam dubiam peccati mortalis, quæ sufficiat ad obligationem confitendi tale peccatum. Et hoc planè Tridentinum intendit; vt qui sibi conscius est peccati mortalis certi. Confiteatur illud, vt certum, qui conscientiam habet mortalis dubij, confiteatur illud vt dubium, quo soluitur fundamentum oppositum. Ita docent *Suarez tom.4.disputat.22.sectio.9. Diana cum alijs part.5. tractat.14. Resol.44. Bonacina de Sacramentis disp.4. quæst. 6.punct.1.numer.12.* qui malè tribuit oppositum *Suario, & Sylu.nam hi loquuntur*, quando datur probabilis assensus de negatione peccati, aut de confessione illius, quod ipse *Bonacina cum communi sententia fatetur*; & forsan *Henriquez, Reginaldus, & Granado loquuntur in hoc sensu*, non enim satis exprimunt de quo dubio loquantur.

CAP. VI. QVÆST. V.

Quando censeatur abesse confessarius, vt omitti possit ante communionem confessio?

29 CVm præceptum præmittendi confessionem communioni sit affirmatiuum, obligat certè semper, sed non per semper ac subindè licitum est interdum cum conscientia peccati mortalis sine præuia confessione communicare, dum adsit contritio, & desit confessarius, vrgeatque necessitas communicandi. Sic docet *Tridentinum sess. 13.cap.7.* consentiuntque Doctores; & quidem circa defectum confessarij, varij numerantur casus.

30 Primus sit, si quis habeat præsentem sacerdotem, cui potest legitimè confiteri, breui tamen speret, se habiturum alium, cui deuotius, & securius confiteatur; tunc enim posse præter mitti confessionem, & Eucharistiam recipi, docent *Richardus in 4.distinc.17. artic.3.quæst.6. Adrianus in 4. quæst.3.de confessione. Syluester Eucharist.3.quæstio. 11. Angelus Eucharist. 2. num.5.* qui requirit necessitatem communicandi vel celebrandi. Consonat *Rosella verb. Communicare num.4. & Eucharist.3.num.27.* vbi addit, posse religiosum, quamuis habeat sacerdotem laicum, cui possit confiteri, differre confessionem, si breui sperat confessarium ordinis sui, ne propalet extra religionem sua peccata.

31 Sententiam istam reijciunt communiter Doctores, quos sequitur *Henriquez lib.8.cap.47. num.1. Suarez disput. 66 sect.4. Vazquez disput.208.cap.1. Coninch.qu.80.num.22. Bonacina disput.4. q.6.punct.1.num.27. Fagundez Præcep.3. lib.3 ca.9.* Quia tunc absolutè datur copia confessarij; nec maior deuotio tollit obligationẽ præcepti, nec Religio simpliciter patitur infamiam, eo quod Religiosus confiteatur sua peccata Sacerdoti laico. Quare *Suarez, Fagundez, & alij censent*, illam sententiam non esse practicè probabilem, precipuè post Tridentinum. Idem est si absit Parochus, & adsit Sacerdos habens priuilegium audiendi confessiones: tenetur.n. communicaturus vti tali priuilegio; quia verè datur copia confessarij; nec oppositum est probabile, vt docent *Suarez, & Fagund.sup. & Vazqu.c.2.*

32 Secundus sit, quando nullus adest, qui possit audire confessionem; in quo conueniunt omnes. Quæ verò distantia sufficiat, vt vrgente necessitate communionis, excusemur à præcepto confessionis? *Canus* assignat tria milliaria, *Henriquez vnam Leucam, Manuel tres Leucas. Melius Suarez, Vazquez, Fagúndez, Bonacina num.30 Regin.lib.29. num.107.* dicunt, prudentis arbitrio decernendam; pendet enim ex circumstantijs temporis, personæ, difficultatis itinerum, discriminis, infamiæ vel scandali, vel similibus. Tunc igitur excu-

am ur, quando vel ob difficultatem itineris, vel ob breuitatem temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum imminens non possumus adire confessariũ sine magno moraliter incõmodo.

33 Qui nõ potest nisi per interpretem confiteri, excusatur ab hoc præcepto: Secus qui non potest nisi nutibus, vel scripto iuxta probabiliorem opinionẽ, de quo latius dicemus *lib.6.* Qui casus habet reseruatos, deficiente, qui possit ab illis absoluere directè, si nullum habeat mortale non reseruatum, potest sine confessione communicare: Si verò simul cùm reseruatis habeat non reseruata mortalia, tenetur inferiori confiteri vel non reseruata solùm iuxtà probabilem opinionem, vel simul etiam reseruata iuxtà probabiliorem. Qui facultatem habent inferiori confitendi cùm onere comparendi, non excusantur ab hoc præcepto, licèt oppositum probabile sit. Similiter quando Superior rogatus denegat iustè facultatem absoluendi subditum, non excusamus: Secus si deneget iniustè; quæ latius discutiemus *li.6.* Videãtur *Suar.* & *Vazq.sup.*

34 Sit tertius casus (in quo cõueniunt Doctores nõ obligare preceptum istud) quando non potes præsenti Sacerdoti confiteri sine periculo detrimenti grauis; videlicèt si timeas, ne Sacerdos peccata tua reuelet, ad inhonesta pelliceat, vel odium contrà te concipiat, & grauiter lędat &c. Quippè non obligat ista confessio cùm tanto detrimento. Non sufficit autem, quòd deteriorem opinionem de te sit habiturus, nam hoc est onus intrinsecum confessionis, quòd subindè iubemur sustinere, quando iubemur confiteri. Sic notant *Suar. Vazquez, Fagundez sup. Coninch. n.19. Bonac. n.*28. & addunt. si pęnitens habeat illud solùm mortale peccatum, ex cuius confessione timet graue damnum, posse confessionẽ omittere; quia nõ habet moraliter copiam confessarij. Si tamen habeat alia, quę possit sine periculo cõfiteri, non excusari ab horum confessione; quia præceptum obligat ad cõfitendum ante cõmunionem omnia mortalia, quæ moraliter possis confiteri cùm integritate saltem formali. *Consonat Henriq. lib.*8 *c.*47.*n.*1. vbi refellit quosdàm oppositum sentientes.

35 Petrus *Hurtado de Fide disp* 84.*n.* 182. tãquam certum statuit, cõmunicaturum debere se à mortalibus purgare, qua potuerit securiori ratione. Vndè colligit, quàmuis nullũ habeat mortale, cuius cõfessio non sit periculosa, debere cõfiteri venialia, vel mortalia iã remissa sacramentaliter, vt indirectè saltem absoluatur à mortalib. quæ tacet, & ita securius accedat. Addit, si non adsit Sacerdos approbatus, adhuc habẽtẽ mortalia debere sacerdoti simplici confiteri venialia ob eandem rationẽ antè cõmunionem. Vtrumq; negant *Suar. sup.* & *to.4. disp.23. sect.2. Fill. tract.4 n.*212. *Coninch. q.*80. *n.*20. *Bonac. sup. n.*24. & 29. cùm alijs; quoniam istud pręceptũ obligat solũ ad præmittendam cõmunioni confessionem mortalium. Sed tunc non tenetur homo confiteri mortalia, quorũ conscientiã habet; ergo non tenetur absolutè cõfiteri. Nec. n. obligatur ad maiorem certitudinẽ suę dispositionis procurandã, quàm ipsa lex exigit. Hęc autẽ solum requirit, vt mortalia sua pęnitẽs clauib. subijciat, & ab illis absoluatur directè, nec præcipit confessionẽ venialiũ. Imò nec posse peccati mortalis reũ cõfiteri simplici sacerdoti venialia, vt indirectè absoluatur à mortalib. sentiũt nõ pauci; *Suar. verò, Fillinc. Coninch.* & *Bonac. probabile putant*, posse in casu prædicto, vel simili. Addũt ẽt, siquis rimeret prudẽtẽr, ne solum esset attritus, & nequiret omittere, cõionẽ debere cõfiteri venialia, vt indirectè absolutus à mortalib. iustificetur, & dignè communicet. Quòd est notãdũ; quia saltẽ statũ gratię debet reddere moraliter certũ, si possit.

36 Sit quartus casus, quando pęnitens confessus non absoluitur. Et quidẽ si absolutio negetur iniustè, nec adsit alius Confessarius, à quo possit obtineri, censetur deesse confessarius, ac subindè dũ vrget necessitas, licebit contrito cõmunicare

nicare. Sic *Ioan. Sanch. disp. 31. n. 4*. Si verò iustè negetur ob indispositionem pœnitentis, non erit communione dignus, qui culpa sua non est dignus absolutione. Quòd si contingat, vt pœnitens post inueteratā alicuius peccati reincidentiam verè doleat de peccatis, & firmum propositum habeat non relabendi; nihilominus tamen Cōfessarius iustè deneget absolutionem, donec certior fiat de dispositione pœnitentis per experiētiam aliquorum dierum; tunc vrgente necessitate communicandi posse istum non absolutum communicare, censent *Ioan. Sanch. sup. n. 2. & 3. Manuel in Sum. to. 1. c. 65. n. 1. Raguci. de Euch. q. 20. 22. 24.*

37 Hinc fit, si quis Sacerdos data opera priùs induatur sacris vestibus, quàm adeat Confessarium, vt sic illum cogat ad impendendam absolutionem; non ideò debere Confessarium absolutionem impēdere Sacerdoti, qui post multas monitiones, & promissiones nō resipuit. Moneat tamen illum, si verè contritus est, celebrare posse nō absolutum ad grauem infamiam euitandam. Sic enim pœnitentis necessitati subuenitur, per contritionem, & communionem; & Confessarius prudenter fungitur officio suo non absoluendo talem relapsum, donec experiētia temporis alicuius testetur firmum propositum ipsius. Ita Manuel *sup. Ioan. Sanch. cum alijs num. 5.* qui subdit *n. 6.* si quis sit moraliter certus, se à nullo sacerdotum præsentium absoluendum forè, posse sine confessione communicare propter euitandam infamiam. Quia confiteri peccata non impēsuris absolutionem ad nihil deseruiet, nisi ad infamandum se coram illis. Rursus *n. 7.* inquit cùm Medina; si pœnitens habeat quatuor mortalia, timeatque propter vnum solum se non absoluendum esse, debere confiteri alia tria, tacendo quartum, dum vrget communicandi necessitas: sic enim facit confessionem formaliter integram.

(∴)

P. Lugo de Sacramentis.

CAP. VI. QVÆST. VI.

Quæ necessitas requiratur, vt deficiente confessario, possit Eucharistia recipi non præmissa confessione?

38 Conueniunt Doctores, futuram esse grauem necessitatem communicandi, quæ licitam reddat communione sine præuia confessione. Quę vero necessitas sit grauis ad hunc effectum, multum pendet à circumstantijs, & arbitrio prudentum. Discurremus per aliquos casus solitos à Doctoribus assignari. Primus sit instantis mortis: si quis scilicèt in articulo mortis non possit confiteri, vel absolutionē obtinere, possit verò communicare; licebit ipsi communicare sine præuia cōfessione: nam arctius obligat diuinum præceptum ad communionem, quàm ad præmittendam confessionem. *Ita Suarez to. 3. disp. 66. sect. 4. Vaz. q. disput. 208. c. 2. Fillitucius tract. 4. n. 214. Reginaldus lib. 29. n. 105. Coninch. q. 80. n. 15. Bonac. cum alijs disp. 4. q. 6. punct. 1. Henriquez lib. 8. c. 46.* qui notant, posse tunc communicare non ieiunum, quia recipit viaticum quod dari potest non ieiunis. Vnde Sacerdos morti naturali, vel violentæ proximus potest celebrare nō ieiunus, si aliùdè nequeat Eucharistiam habere; vt asserunt *Zambranus c. 3. dub. 6. num. 1. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 20. Cardin. de Lugo disput. 15. nu. 69. Diana part. 5. tract. 3. Resolut. 36. licèt contrarium sentiant Bonacina disput. 4. q. 6. punct. 2. nu. 24. & Faustus de Eucharist. lib. 1. quæstio. 393.* sed sine fundamento valido. Notat etiam *Zambranus*, posse Sacerdotem se communicare propria manu, quòd quidam extendunt ad laicos, vt infrà videbimus. Item licèt sit excommunicatus, posse sine confessione, vel absolutione censuræ proximū morti communicare: Nam prohibitio censuræ non obligat pro mortis articulo: notat *Henriquez supra.*

39 An sufficiat necessitas dādi viaticū alteri, vt possit Sacerdos sine præuia cōfessione celebrare? Communiter affir-

mant Doctores; nam illa proximi necessitas est grauis,& spiritualis,quę pręponderat obligationi præmittendi confessionem communioni.Sic præter citatos tenent *Syluius 3.p.q.80.art.4.dub.2.* & *Dian.ea Res.36.* Verùm obijcit *Card. de Lugo disp.14.n.107.* quòd in prædicto casu nō potest sacerdos celebrare sine vestib.sacris cū hæ requirantur humano duntaxat præcepto: Ergò multò minùs poterit sine confessione præuia, quæ requiritur præcepto diuino. Respondet,& benè,maiorē,aut minorem obligationē pręceptorū non sumi ex maiori,vel minori potestate præcipientis, sed ex eiusdem intentione, quàm communis Ecclesiæ sensus,& vsus indicare solet: Et in nostro casu præceptū præmittendę confessionis, vrgente necessitate non obligare,collegit *Trid.* ex traditione perpetua.Ratio potuit esse;quia cùm finis intentus,videlicèt status gratiæ requisitus ad *Euch.* suppleri posſit per contritionē, decuit obligationem præmittendę confessionis non sic strictam poni, vt nulla necessitas excusēt:At cultus,& ritus ob *Euch.* venerationē institutus nō pōt aliter haberi, nisi vestibus sacris, & apparatu decēti Missa celebretur. Vndè meritò debuit Ecclesia sic obligare præcepto suo, licèt humanū sit,vt ob priuatas necessitates, aut vtilitates aliter consecrari non possit. Quòd autem sic obliget de facto præceptum istud, declarat Ecclesiæ sensus,& vsus.

40 An verò sacerdos excōmmunicatus possit sine absolutione censurę celebrare ad præbendum viaticū moribundo? Negat *Henr.* quasi censurę vis ad hunc casum extēdatur.Affirmat *Card.de Lugo sup.n.111.* (quòd magis probo) Nam quòd excommunicatus,si verè sit iustus, non celebret,non tàm spectat ad venerationem Sacramēti, quàm ad punitionem excommunicati; Voluntas autem puniendi mitiùs interpretāda est,quàm voluntas aliquid pręcipiens ob reuerentiam Sacramenti, circa quàm oportet leges esse magis stabiles,& vniuersales. An verò Sacerdos possit ad viaticum ministrandum celebrare non ieiunus, dicemus cap. sequenti.

41 Sit secundus casus, quando vel ex confessione, vel ex omissione communionis sequetur scandalum. *Suar.* intelligit scandalum in præsenti,quoties datur occasio detrahendi, vel temerè iudicandi. *Vazquez 3.p.disp.208.n.14.* intelligit, quoties alijs datur occasio peccandi ve non communicando tempore pręcepti, vel detrahendo non communicanti.Itaque prima sententia docet, nisi per scandalum intelligamus infamiam, & notam, vt vulgus intelligere solet minùs propriè,nō posse confessionem omitti hoc solo titulo.Sic *Vazquez sup.& Card.de Lugo n.118.Probat Vazquez,* quia nullum pręceptum est violandum ob euitandum scandalum etiā pusillorū, vt ipsemet ostendit in *Opusc. d Scand.a.8. dub.1. Lugo verò probat.* Nam vix vnquam continget, vt alij sumant occasionem peccādi, ex eò quod ego non communicem absque confessione pręmissa;nec enim alij temerè iudicabunt,illum mortaliter peccasse,qui non audet communicare sine pręuia confessione; nec erit grauis detractio peccati, quod per illud indicium redditur publicum.

42 Secunda sententia docet, scandalum etiam pręcisum ab infamia,excusare à pręmittenda confessione. *Suar. & Fillanc.sup.Coninch.n.15.Bon. punct. 1.n.18.cùm alijs.* Probatur, nam scandalum ex obligatione charitatis vitandum est,cùm afferat magnum, & spirituale nocumentum. Addūt *Syl.& Corduba*, quos sequitur *Fagundez Precept. 3. lib. 3.c.9.* sufficere admirationem quādam indè secutam; quia cùm ista moraliter cōiungitur periculum temerè iudicandi, vel detrahendi, quòd excusat à præmittenda confessione; quāuis hoc negent *Suar.* & alii.

43 Ego censeo, nec illam admirationem vulgi, nec occasionem temerè iudicandi, vel detrahendi esse proprium scandalum actiuum, nec excusare per se met ab isto præcepto propter vltimū fun-

fundamentum primæ sententiæ. Si quãdo tamen proprium scãdalum actiuum sequeretur, quale descripsimus *supra num.* 17. (quod rarissimè continget) excusabit à præmittenda confessione propter fundamentum secundæ sententiæ. Et ad fundamentum *Vazquez respondetur*, præceptum affirmatiuum omitti posse nonnumquam ob scandalum pusillorum. *Ita S. Th.* 2.2.*q.*43.*art.*7 docet, punitionem peccatorum, correctionem fraternam, doctrinam veritatis posse propter scandalum imminens omitti. Sic in alijs præceptis docent *Valentia tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 18. *punc.* 4. *Suar. de charit. disp.* 10. *sec.* 3 *n.* 9. *&* 10. Sic igitur in præsenti dicere possumus, omitti posse confessionẽ ante communionem ob scãdalum pusillorum vitandum. Quia præceptum huius scãdali vitandi pręualet pręcepto confessionis illius præmittendæ.

44 Sit tertius casus, si quis omittendo communionẽ, vel præmittendo confessionem incurrat infamiæ notam; tunc n. dari sufficientem causam omittendi cõfessionem, censent communiter Doctores; sed in quibusdam exemplis diffidẽt. Sit primum si sacerdos publicè cæpit se vestire, vel inchoasset sacrũ, & sine nota criminis non posset id omittere, vel confessarium adire, poterit sine præuia confessione celebrare. Plures addũt, etiamsi non sequatur infamia, post inchoatam Missam, si sacerdos aduertat, se grauari conscientia peccati mortalis non confessi, posse contritũ prosequi sine præuia confessione. Nam illa pars Missæ simul cũ sacrificio fit ex institutione Ecclesiæ per modum vnius actionis sacræ. Potest ergo perfici semel inchoata, licet omittatur confessio. Sic sentiunt *Sotus, & Victoria*, quos sequitur *Henriq. li.* 8. *cap.* 46. *n.* 3. *Sà verb. Missa n.* 32. *Tolet. lib.* 2. *c.* 9.

45 Alij variè distinguunt. *Suar. to.* 3. *disp.* 66 *sect.* 4. dicit, si sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis non confessi, nõ solum posse, sed debere prosequi contritum; nam integritas sacrificij præponderat præcepto præmittendæ confessionis; & quamuis possit accersere confessarium sine nota, nõ teneri, ne sacrificium per interpositam cõfessionem interrumpatur. Si tamen ante consecrationẽ recordetur, debere confessarium accersere, si possit sine nota. Quia tunc interruptio nõ est magni momenti. Si verò non possit accersere confessarium, nõ debere deserere Missam, vt adeat illũ. Quia perficere Missam semel inchoatã excusat à pręmittenda cõnfessione. Consentiunt *Coninc.* 3. *p. q.* 80. *ar.* 4. *dub.* 2. *Less. ibi n.* 8. *Val. Regin. & alij*, quos refert *Bonac. disp.* 4. *q.* 6. *punc.* 1. *n.* 15. Qui tamen *cum Barth. ab Ang. dial.* 5. putat, etiam post consecrationẽ debere, si possit sine nota, confessariũ accersere. Nam interruptio sacrificij non obstat, dũ aliquid fit ordinatum ad ipsum sacrificium dignè perficiendũ. Consonat quoad hoc *Vaz. q. disp.* 208 *n.* 12. sed addit, ante consecrationẽ, non solum debere confessariũ accersere, sed etiã ab altari discedere si possit sine nota, nec ibi valeat cõfiteri. Quia nullum est preceptũ nõ discedendi ab altari, quoties adest legitimum impedimentũ superaddit *Card. de Lugo disp.* 14 *n.* 113. post consecrationem quoque debere confiteri, qui conscientiam habet peccati mortalis, si possit sine nota, vel accersere confessarium, vel ab altari discedere, vt breuiter confiteatur, & redeat ad perficiendum sacrificium.

46 Ego censeo, in praxi vix vnquã fore possibilem confessionẽ celebrantis sine nota, vt fatentur *Vazqu. & Lugo cũ alijs.* Si quando tamen accidat, *S. Th.* 3. *p. qu.* 86 *art.* 6. *ad* 2. dicit, ante cõsecrationem tutius esse ab altari discedere, si non potest aliter confiteri. Vnde colligo, nõ solum esse tutius, sed etiam necessarium. Nã licitè potest discedere, cũ id fit tutius, & aliunde pręceptũ confessionis obligat ad illã præmittendam, quoties fieri potest. Igitur obligat in hoc casu. Consonat *Rubr. Miss. de defectib. dispositionis animæ*, §. 8 *n.* 4. *&* 5. Vbi relato isto casu cũ alijs ait. *Ante consecrationem autẽ in supradictis casibus, si non timetur scandalũ, debet Missam inceptam deserere*. Ratio potest esse; quia cũ illa prior pars Missæ non sit de substantia sacrificij, nõ magni refert, ex honesta causa non perfici, vel in-

interrumpi. Quare prævalet præceptum præmittēdi confessionem communioni.

47 Post consecrationem sentio cum *Suario, & aliis*, non teneri confiteri, nec subindè confessarium accersere: Quia quævis interruptio dedecet talem actionem; nec *S. Thom. sup. nec Rubrica postulant tunc nisi contritionem cum proposito confitendi*. Limitat *bene Suar.* nisi fortè sacerdos existimaret, se non esse contritum, nec speraret, se contritionem eliciturum, de quo diximus *sup. num. 25.*

48 Sit secundum exemplū. Siquis Laicus accessit ad locum communionis, & ibi recordatur mortalis nō confessi; cōmuniter dicunt Doct. quādo communio fit publicè, non debere recedere, quia regulariter sequetur infamia; nec expedire, vt ibi de peccatis audiatur, sed potius vt communicet præmissa cōtritione, vel etiam non præmissa, si iam confessus est alia peccata cum vniuersali cunctorum detestatione. Sic asserunt *Bonac. cū multis sup. n. 17. Card. de Lugo n. 112. Filliuc. n. 215.* Addunt *Henriq. li. 8. c. 46. n. 3. Vict. in sum. n. 79. Regin. li. 29. n. 105.* etiam seclusa nota, vel scandalo, posse talem sine præuia confessione cōmunicare; quippe iam est iustus vel per contritionē, vel per confessionem aliorum peccatorum; & aliundè cum iam actio sacra communicandi quodammodo sit inchoata, non decet recedere, donec perficiatur.

Dicendum est tamen, si cōmunio fiat ita secretè, vt nullum sit periculum infamię, vel scandali, securius, & probabilius est, relinquendam, vel differendam esse communionem, donec præmittatur cōfessio. Quia tūc magis vrget præceptum confessionis, quàm perficiendi talem actionem. Etenim indecentia recedendi vel est nulla, vel tam parua moraliter, vt propter tam graue præceptum contemnenda videatur. Ita *Filliucius, & Bonac. supra. Vazq. n. 10. Suar. disp. 66. sect. 4. Fagund. Precep. 3. li. 3. c. 9. n. 14.* Non est tamen oppositum improbabile, vt notat *Fagund. & insinuat Suar.* præsertim si iā sacerdos incæpit actionē sacram. V. g. si consecrauit formulā ad hunc effectum, vel pyxidem eduxit. Tunc. n. appàret aliqualis indecentia Quare prudenter monet *S. Bonau. in 4. dist. 3.* vt fidelis, priusquàm accedat ad communionem, diligenter se probet, postea verò ne cogitet de probatione, sed de altitudine mysterij; quoniam id cedit in maiorem reuerentiam Eucharistiæ.

49 Sit 3. exemplum; quando populus non audiet sacrum in festo, nisi celebret sacerdos, qui non habet copiā confessarij. Conueniunt Doctores, concurrente nota, vel scandalo, posse celebrare non præmissa confessione; secluso tamē periculo notæ, vel scandali, negāt *Vazq. sup. n. 8. Card. de Lugo n. 144.* Probatur, quia populus non peccat, etsi non audiat sacrum in festo, quādo per ipsum non stat; & sacerdos, quamuis sit Parochus, non tenetur corā populo celebrare, nisi quādo ritè potest. Confirmatur, nā si Parochus in die festo cōmisisset manifestum crimen, aut publicè denunciaretur excōmunicatus, nō posset licitè celebrare nō confessus, vt populus Missā audiret. Ergo sola necessitas faciendi sacrum, quod populus audiat in festo, non excusat sacerdotem à confessione premittenda.

50 Affirmant *Fagund. sup. n. 13. & Diana par. 2. tr. 14. Resol. 64.* Probatur, quia licet populus non peccet non audiēs sacrum; at priuatur spirituali fructu, quē ex auditione sacri perciperet, pluribus forsan necessariū ad fouendas, seu reparandas animæ vires. Confirmatur, nā spiritualis necessitas proximorū reputari debet quasi propria; sed sacerdos in die festo, si non potest audire Missā, nisi celebret, potest celebrare nō confessus: ergo pariter potest, vt audiant alij. Minorem docent *Henriq. l. 8. c. 46. n. 5. Fagund. sup. n. 5. Diana resol. 63. cū multis*, & probāt; Quia tūc potest sacerdos implere commodè præceptū Ecclesiæ, quod obligat eo tēpore, nec aliundè violat preceptum confessionis ob impotentiam confitēdi. Contrariū censent *Suar. cum aliis disp. 66. sec. 4. Filliuc. tr. 4. n. 217. Coninc. q. 80. n. 17. Villalob. par. 1. tr. 7. diffic. 37. n. 2. Bonac. cū multis disp. 4. q. 6. p. 1. n. 25.* Probatur, quia præceptū Ecclesiasticū audiendi Missam tunc non potest conueniēter

im-

impleri; nec est tam strictum, vt obliget ad faciēdū sacrū sine præuia cōfessione.

51 Certè Sacerdos siue Parochus, siue non Parochus rarissimè relinquet in festo populum sine Missa, quin incurrat aliquā notā; vnde possit omittere cōfessionē. Si quādo tamen contingat, censeo Parochum posse celebrare siue præuia confessione. Nā obligatio Parochi erga subditos videtur strictior, quā obligatio præmittendi confessionē communioni; quod indicat. *Trid. sess. 13. c. 7.* dum ait, etiam Sacerdotes, quib. ex officio incūbit celebrare, cōfessionem præmissuros; *modo non desit illis copia confessoris.* Idē erit cōsequēter quoties Parochus, vel ad cōmunicandos subditos tēpore Iubilæi, vel simili titulo sui muneris celebrare debet eo die, quo nō habet copiā Confessarij. Sic tenent *Suar. Henriq. Fagund. sup. Bonac. n. 23. Azor to. 1. lib. 10. c. 31. q. 3. Reginald. lib. 29. n.* 107. cum alijs. Fundamentum oppositū non vrget; nā in eo casu sequeretur infamia, vel scandalum, si Sacerdos notoriè prohibitus celebraret. Quando Sacerdos non est Parochus aut quando non potest audire Missam in festo, nisi celebret; Vtraque pars est æque mihi probabilis. Nā hoc valdè pēdet à iudicio prudētum, & multi Doctores præceptum præmittēdi confessionē antè cōmunionē nō tam strictum reputant, vt non facilè cedat alijs præceptis.

52 Huc pertinet, quando Sacerdos defert Eucharistiā moribūdo, qui dicit ante communionē velle se recōciliare, fateturq; se fecisse multas cōfessiones inualidas, quę repeti nō possunt sine lōga mora, & infamiæ nota. Tūc dicūt *Zambran. c. 4. dub. 6. n. 7. Granad. 3. p. contr. 7. tr. 9. disp. 5. sect. 3. n. 20. Dian. p. 5. tr. 3. Res.* 75. Si morb. inducias præbeat ad posteà cōfitēdū integrè, monēdum esse infirmū vt eliciat actū veræ cōtritionis, & communicet nō cōfessus ad euitādam infamiā; & posteà sub aliquo prætextu vocet Confessarium, & integrè confiteatur. Si morb. nō præbeat tales inducias, audiat illū Confessarius per dimidiā horā, saltē confusè percipiens grauiora peccata, & post impensam absolutionē, det ipsi viaticum, & simul iniungat, vt si vixerit aliquo tempore, Confessarium accersat, & plenè confiteatur. Sic enim ministrantur infirmo Sacramenta necessaria; & vitatur infamia, dimidiata tūc confessione.

53 Sit quartus casus, quando fidelis in paschate potest cōmunicare, non verò confiteri; quia vel ipsemet est Sacerdos, vel adest Diaconus, vel Sacerdos nō approbatus, qui ministret Eucharistiā. Quidā putāt, hāc nō esse causā sufficiētē ad cōmunicādum sine præuia confessione; quia præceptū præmittēdi cōfessionem cōmunioni; cum sit diuinū, præualet Ecclesiastico cōmunicandi tēpore paschatis, quod nō obligat, nisi quando ritè cōmunicari potest. *Ita Suar. sup. Bonacina cum alijs, nu. 25. Azor. q.* 4. Communior autem, & probabilior sententia docet, posse tunc Eucharistiam recipi cum sola cōtritione. Quia præceptū cōmunionis Paschalis non est prorsus Ecclesiasticum, sed est præceptum diuinū determinatū ab Ecclesia, quoad tēpus, ne diu careamus cibo cęlesti planè necessario ad animæ sustentationē. Igitur inducit sufficientem necessitatem ad cōmunicādū sine præuia confessione, ne sine cibo deficiamus in via. *Tenent Coninch q. 80. n. 17. Card. de Lugo, n. 116. Henriq. sup. n. 4. qui subdit nu.* 5. in his casibus optionem dari, vt fidelis vel prudēter se reputet excusatum ab Ecclesiastico præcepto propter cōfessionem communioni præmittendam vel à præcepto præmittendæ confessionis propter obseruantiam Ecclesiastici præcepti. Cum vtrimq; sint Doctores, & rationes probabiles.

54 Secus est, quando quispiam voto, vel præcepto Superioris cōstringitur ad communicandum tali die, nec confiteri potest: tunc enim nō est licita cōmunio sine præuia confessione; quia votum, & præceptum Superioris ita capiēda sunt, vt cū iure diuino nō pugnent. Sic *Azor, & Lugo sup.* Quare non probo, quòd asserit *Henriq. eo n.* 4. scilicet siquis pro more, vel statuto suę Religionis, vel Collegij debeat tali die cōicare, nec habeat copiam.

copiam Confessarij, posse contritum communicare sine confessione; quoniam habet ius communicandi pro more, quamuis sine nota posset omittere communionem quæsito colore. Certè cessante nota (quod raro continget) ius illud est valdè debile, nec subindè præ valebit contra præceptum præmittendæ confessionis.

55 Sit quintus casus, quando Parochus celebrare solet pro defuncto præsente tunc enim si non suppetat Confessarius, posse celebrare sine præuia confessione, docent *Syluest. Eucharistia 3.q.7. num.9. Fagundez supra num.8. quos refert, & non refellit Henriq. supr. num.5. lit.T.* Probatur, quia Missæ fructus est communis, & prodest tam viuis, quam defunctis, & forsan defunctus præsens indiget valdè tali subsidio. Ergo datur causa sufficiens ad omittendam licitè confessionem antè communionem. Melius negant *Suar. supr. Bonac. num.26.* & communiter Doctores, seclusa nota, & scandalo; quia Tridentinum requirit necessitatem simpliciter. Ergo nòn sufficit commoditas, aut vtilitas maioris fructus etiam spiritualis proprij, vel alieni, qualis prouenit à Missa. Sic etiam quod nonnulli dicunt, sufficere magnam deuotionem, aut celebritatem festi, quo soles communicare, nec verum esse, nec in praxi tutum, docet *Coninch. supr. num 18. & alij plures*. Similiter quando Sacerdos pauper viuit stipe Missæ, vel tenetur facere Sacrum ex Capellania, vel ex trentanario, vel pro benedictione nuptiali, non excusari à præmittenda confessione, docent *Suar. & Bonacin. supr.* Quia non datur necessitas simpliciter, & ipsemet *Henriq. sup. num.6.* dixit, in his cauendam esse nimiam licentiam, & quærendum Confessarium etiam per leucam. Quia Tridentinum expressit, vt vrgeat necessitas, & desit copia Confessarij.

CAP. VI. QVÆST. VII.

An, & quomodo requiratur contritio, quando confessio non præmittitur communioni?

56 SVpponimus ex supradictis *n.1.* per se requiri gratiam in communicante. Vnde fit, cum vrget necessitas communicandi, nec potest præmittere confessionem, qui sibi conscius est peccati mortalis, illum per se teneri ad eliciendam contritionem ante communionem, nisi vel inuincibilis ignorantia, vel talis necessitas excuset, qualem descripsimus supra, *num.15. & 16. Sec S. Thom. 3. p. q.80. art.4. ad 5. Filliuc. tract.4. num.220.* retractans implicitè, quod anteà dixerat *tract.3 n. 57. Suar. 3. p. tom.3. disput.66. sect.5.* dicens, ita sentire Doctores omnes, esseque doctrinam ita certam, vt contraria neç probabilis sit, nec sine temeritate defendi posse videatur. Hoc enim tradunt Patres, indicat *Tridentinum sess.13. cap.7.* Exprimit Rubrica Missalis de defectibus dispositionis animæ, §.8. *num.3. & sequentibus*. Demum dignitas, & natura tam venerabilis Sacramenti satis istam obligationem conuincunt.

57 Sit tamen primum dubium; dum aliquis prius confessus, posteà recordatur peccati mortalis obliti, quod iam confiteri non potest; an debeat elicere nouam contritionem illius antè communionem? Qui Pœnitentiæ Sacramentum admittunt informe, quando dolor non fuit vniuersalis, consequenter asserunt, si dolor præcedentis confessionis non extendit se ad illud peccatum, debere nouam elici contritionem, quæ peccatum illud comprehendat; quia dum hoc peccatum non retractatur, non remittitur, nec peccator iustificatur. Qui vero negamus Pœnitentiæ Sacramentum informe, dicimus, in illo casu per se debere conteri, quia confessio præcedens non fuit valida. Si tamẽ præcessit vniuersalis dolor, & vali-

validum Sacramētum. quo remissa sunt omnia mortalia; *Diana p.2.tract.14.Resol. 48.* refert sententiam affirmantem, debere tunc conteri. Quia necessarium est de peccatis pœnitere, sicut & confiteri, non solum ad obtinendam illorum remissionem, sed etiam ad præceptum implendum; dicitq; sic tenere *Reginaldū lib.5.cap.5.sect.3.n.9.ex Medina, Suar. & Graffis.* Sed certè *Reginaldus li.5. nihil tale docuit, & lib.29.cap.6.quæst.4.* vbi tangit hoc punctum, solum requirit confessionem illius peccati, si fieri possit, ante communionem. *Medina, Suarez, & Graffis,* vbi talem sententiam insinuent, non apparet.

58 Itaque dicendum est, in isto casu non esse obligationem nouæ contritionis eliciendæ. Sic tenent *Diana supra, & part.5.tract.14.Resol.5. Præpositus 3.p.q. 80.art.5.dub.3.num.15. Granado 3.part. controu.6.tract.10.disp.7.num.14. Card. de Lugo de Euch.disp.14. sect.6.nu. 122.* Probatur, quia cum illud peccatum iam fuerit indirectè remissum per confessionem antecedentem, cessat obligatio naturalis conterendi, quæ solum ordinatur ad obtinendam remissionem peccati. Præceptum vero positiuum diuinum, vel humanum talis contritionis non apparet. Quia nec Ecclesia præcipere potest actus merè internos, nec Deus præcipit iustificatis contritionem, nisi quando confessuri sunt. Igitur potest fidelis communicare tunc sine contritione, posteaq; confiteri peccatum oblitum, & tunc debet de illo conteri, vel atteri, vt debitam Sacramento materiam præbeat. *Magister Cornego 3.p.q.to.2.tr.4. disp.1.dub.3.n.3.* probabile reputat, hunc non teneri confiteri peccatum oblitum, quamuis iterum celebret, vel communicet, donec in Paschate præceptum confessionis vrgeat. Sed hæc sententia deleta fuit per Inquisitionem Hispanicam, vt notat *Diana part.5.tract.14. Resol.5. fine.*

59 Sit dubium 2. An qui recordatur in Missa, quod sit in mortali, debeat elicere contritionem statim? Negat *Cardin. de Lugo supra num. 134.* dicens; si memoria talis occurrat ante consecrationem, sufficere, si conteratur, antequam consecret, etsi partem antecedentem Missæ prosequatur in mortali; Si tamen occurrat post consecrationem, posse similiter prosequi Missam, donec ante sumptionem conteratur. Probat; nam status gratiæ per contritionem adquirendus, requiritur ex præcepto solum in conficiente, vel recipiente Sacramentum, non in exercente alias actiones etiam Ordinis sacri. Ergo defectus contritionis in alijs partibus Missæ non erit mortale peccatum; si tempore consecrationis, quando fit Sacramentum, & in sumptione, quando recipitur, Sacerdos sit in gratia.

60 Probabilius mihi videtur, statim debere conteri, grauiterque peccare Sacerdotem, qui deliberatè dicit in mortali partem aliquam notabilem Missæ, dum commodè potest illicò per contritionem iustificari. Probatur; quia suprà *lib.1.c.2.q.5.n.38.* diximus *cum Suario, & Posseuino cap.5.n.41.* peccare mortaliter Sacerdotem, qui confessionem audit, vel incipit abluere, vel vngere in peccato mortali, dum Sacramenta ministrat. Quippè totum illud opus pertinet ad administrationem Sacramenti, subindèque requirit gratiam in ministrante. Pariter igitur tota Missa pertinet ad actionem sacrificādi, conficiendi, recipiendique Sacramentum. Quare sanctitas totius illius actionis exigit, vt Sacerdos aduertens se fœdari peccato mortali, curet, quamprimum conteri, & mundari; vt sanctissimum ministerium sanctè tractetur, & alioquin grauiter delinquat. Fauet huic sententiæ *Ludou. de la Puente de Perfect. Christiana, t.o.4. tr.5.c.3.* dicens, esse mortale peccatum inchoare Sacramentorum administrationem in mortali, quamuis perficiatur Sacramentum in gratia. Fauet *Caietanus in opusc. tom.2. tract.10.* de vsu spiritualium, asserens, Sacerdotem in mortali dicentem orationes Missæ non peccare per se mortaliter, sed per accidens ratione

tione

tione Missæ; quatenus in ratione orationis præcisè non requirant statum gratiæ; bene tamen prout sunt pars Missæ. Non tamen negat *Cardin. de Lugo*, saltem fore veniale peccatum, nec in alijs functionibus sacris negatur a Doctoribus, vt vidimus *lib. 1. cap. 2. q. 5. & 6.*

Addit *Tamburinus lib. de commun. c. 1. §. 7. n. 56.* sufficere, si contritionis actus fiat etiam à laicis, dum habetur in ore hostia consecrata; quia sufficit, vt communicans eliciat contritionem immediatè ante sumptionem, quæ certè non fit, dum cibus est in ore, sed quando deglutimus illum. Prudenter vero subnectit, peccare grauiter illum, qui nondum habita contritione, recipit hostiam, quamuis decreuerit se conterere, dum hostiam habet in ore, quoniam exponit se volens magno periculo non eliciendi tam breui tempore contritionem, nisi per inaduertentiam excusetur.

CAP. VI. QVÆST. VIII.

Vtrum qui sine præuia confessione communicauit, teneatur quamprimum confiteri?

61 TRidentinum *sess. 13. cap. 7.* sic inquit. *Quod si necessitate vrgente Sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur, vbi Ludou. de S. Iuan 1. p. sum. tract. de Euch. q. 7. art. 6. Petrus de Ledesma 1. p. summ. trac. de Euch. cap. 11. Villalobos tom. 1. tract. 7. difficult. 37. num. 6.* putant, solum contineri consilium; Quia Concilium non adhibuit verbum præcipiendi, vel æquiualens, quod est vt plurimum signum præcepti. Verum alij Doctores communiter ibi præceptum agnoscunt; & sic accepisse videntur Regulæ Missalis, in quibus pro verbis illis, *Quamprimum confiteatur*, ponuntur hæc, *Quamprimum debet confiteri*, quæ clarius exprimunt obligationem. Et quidem sæpè simplici verbo imperatiui modi præceptum imponitur, vt constat ex cap. *Omnis vtriusq; sexus. De Pœnit. & remiss.* & ex multis eiusdem Tridentini decretis de reformatione, vbi simili phrasi traduntur varia præcepta. Quare communis Ecclesiæ sensus est, ibi tradi præceptum obligans ex genere suo sub mortali, cum materia sit secundum se grauis. *Ita Suarez tom. 3. disputat. 66. sect. 7. Vazquez disputat. 208. num. 6. Filliucius tract. 4. num. 222. Reginaldus lib. 29. num. 110. Coninch. q. 80. artic. 4. num. 34. Diana part. 2. tract. 14. Resolut. 60. Cardin. de Lugo, disp. 14. num. 135. & alij.*

62 Iam quæres 1. Vtrum hoc præceptum sit diuinum? Affirmant *Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 2. Henriquez cum alijs lib. 4. cap. 3. num. 2. & cap. 4. num. 5. & lib. 3. cap. 45. num. 4. lit. Z. Probabile dicit Filliucius tract. 4. num. 222.* Probatur; quia præceptum præmittendi confessionem est diuinum; & licet imponatur per modum affirmatiui, virtualiter includit negationem, ne scilicet excusatione cessante differatur etiam post communionem confessio; sicut præceptum annuæ confessionis iuxta probabiliorem sententiam, si suo tempore non fuit impletum, obligat ad confitendum quamprimum, & præceptum restitutionis similiter.

63 Communis tamen, & vera sententia docet, esse præceptum humanum. Probatur; nam præceptum diuinum confitendi ante communionem, quatenus affirmatiuum, solum præcipit confessionem, vt dispositionem ad Eucharistiam; ac per consequens transacta communione, cessat eius obligatio; quatenus vero negatiuum solum obligat ad non communicandum iterum sine præuia confessione. Sicut præceptum diuinum confitendi, dum subest periculum mortis, si vel ex impotentia, vel ex malitia non obseruetur, transacto periculo non obligat ad confitendum quamprimum; quippe quatenus affirmatiuum est, solum obligat ad præmittendam confessionem ante mortem; quatenus negatiuum obligat dumtaxat ad non omittendam confessionem in articulo, vel periculo mor-

mortis. Nec in scriptura, vel traditione suppetit fundamentum præcepti diuini cogentis ad cõfitendum post communionem, vel post transactum periculum mortis, quamprimum. Ita *Suarez supra sectio.6. Vazquez num.15. Coninch eo numero 24. Cardin. de Lugo numero 137. Bonacina disput.4. quæst.6. punct.1. num.41.*

64 Ad fundamentum oppositum respondetur, in præcepto confessionis sic præscribi terminum anni, vt vltra differri nequeat. Nam Ecclesia vult, vt præceptum diuinum confessionis obseruetur saltem semel in anno, & particula *saltem* apertè demonstrat, sensum esse, ne differatur vltra annum: quapropter adhuc anno transacto manet obligatio non differendi, quod in nostro casu non habet locum. Ideo testatur *Vazquez supra*, non fuisse præceptum confitendi post communionem nec vsum ante Tridentinum. Cum enim *S.Thomas 3.par. quæst.83. artic.6. ad 2.* petit in communicante sine præuia confessione propositum confitendi, & satisfaciendi, debet intelligi, quale continetur in cõtritione, scilicet confitendi suo tempore.

65 Quæres secundò. An hoc præceptũ à Tridentino latum obliget etiam laicos? Affirmant *Nauarr.cap.2. num.10. Azor to.1.lib.10.cap.31. q.9. Henriquez lib.8.cap.45.num.4. Fagundez Precep.3. lib.3.cap.8.num.9. Sà verb.Eucharistia, num.13.& verb.confessio nu.5.* dicit, esse certissimum. Probant; nam eadem est ratio de Laicis, ac de Sacerdotibus; Tridentinum verò videtur per accidens locutum fuisse de Sacerdotibus, forsan quia de ipsis proximè fuerat sermo: vel quia talis necessitas frequentius in Sacerdotibus contingit.

66 Nihilominus dicendum est, hoc Tridentini præceptum non obligare Laicos, sed Sacerdotes dumtaxat. Ita *Suarez supra sectione septima. Vazqu. numero 23. Bonacina numero 37. Cardin. de Lugo numero 118. Coninch. supr. Diana parte secunda tr.14. Res 60. cum alijs.*

Probatur 1. nam in odiosis non fit extensio propter rationis paritatem, & Tridentinum loquitur solum de Sacerdote celebrante sine præuia confessione, non vero de laicis. Ergo quando laicus ob necessitatem communicat sine confessione præuia, non tenetur post communionem cõfiteri quamprimum. Probatur 2. quia non est par ratio; maius enim erat periculum in Sacerdotibus, qui sæpius habent necessitatem celebrandi sine confessione propter defectũ confessarij; Quapropter oportuit, illis imponi præceptum, ne desides sint in præcauenda necessitate, vel illam sibi fingant ad euitãdam confessionis molestiam; laici vero raro talem habent necessitatem, præsertim cum regulariter confiteri possint illi Sacerdoti, à quo communionem accepturi sunt.

67 Vnde fit 1. non comprehendi hoc præcepto Sacerdotem communicantem more laicorum; quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante. *Sic Suarez, Bonacina, Cardin. de Lugo.* At qui fecit officium in die Parasceues, vel qui Sacramentum ab alio consecratum consumpsit, vt perficeret sacrificium, quod alter perficere non potuit, quamuis in his casibus propriè non celebret, quia non consecrat, si tamen non præmisit confessionem debitam, tenetur hoc præcepto. Quoniam tanquam minister publicus Ecclesiæ solemni ritu peragit sacram actionem; & ideo non communicat communione laica, sed Sacerdotali, simpliciterq; celebrare dicitur in Rubricis Missalis. Ita *Suarez, & Diana supra, Cardin. de Lugo, n.139.*

68 Fit 2. Sacerdotem celebrantẽ cum ignorantia, vel obliuione peccati mortalis, cuius non meminit ante communionem, seu consumptionẽ Eucharistiæ, non teneri, quamprimum postea confiteri. Quia Tridentinum palam loquitur de Sacerdote, qui conscius sibi peccati mortalis, vrgente necessitate celebrat sine præuia confessione. *Sic Suar. & Conin. sup. Bon. n.39. Vazq. n.19. Card. de Lug. n.148.* Si tamẽ hic Sacerdos recordetur in Missa peccati mortalis (idẽ est si tunc

si tunc illud committat) ante sumptionem, & contritus communicet ob euitandam infamiam, debere postea quamprimum confiteri, docent *Suarez, & Bonacina supra, Filliucius tract.4. nu. 223.* cum alijs apud *Dianam supra Resol.61.* Probatur; quia communicat cum conscientia peccati mortalis, & sine confessione præuia propter vrgentem necessitatem; ergo comprehenditur verbis præcepti. Quod enim necessitas prouenia tex infamiæ periculo, vel aliundè, nihil videtur referre; nec censetur dari copia confessarij, quando non possum illi confiteri.

69 Per oppositum *Vazquez, & Diana supra cum alijs, Præpositus 3.p. q.80. art. 5. dub. 4. Cardin. de Lugo num. 146.* dicunt, non comprehendi. Quia *Tridentinum* loquitur de Sacerdote, qui celebrat vrgête necessitate sine confessione præuia; quæ vox significare videtur confessionem omissam ante Missam inchoatam; nam confessio inter celebrandum facta potius est concomitans, quam præuia celebrationi. Quapropter hic Sacerdos non omisit confessionem præuiam ob necessitatem, sed vel propter obliuionem, vel quia non dum peccauerat; ac subindè non comprehenditur isto præcepto. Vnde Rubrica Missalis Sacerdoti, qui conscientiam habuit peccati mortalis ante Missam inchoatam, præscribit, vt habeat contritionem, & postea quamprimum confiteatur; illi vero, qui talem conscientiam in ipsa solum celebratione recognoscit, dumtaxat præscribit, vt habeat contritionem cum proposito confitendi, & satisfaciendi, videlicet suo tempore. Vtraq; pars est mihi probabilis.

70 Fit 3. Sacerdotem, qui non ex necessitate, nec ob carentiam confessarij, sed ex mera malitia celebrauit in mortali sine præuia confessione, non teneri quamprimum post Missam confiteri, Quia Concilium Tridentinum apertè loquitur de celebrante, dum vrget necessitas, & non suppetit confessarius. Contrarium sentit *Syluius tertia parte, quæst. 80. artic. 4. dub. 2.* Et probari potest argumento à minori ad maius; Grauius siquidem delinquit, qui sine necessitate, quam qui cum illa confessionem omittit. Sed iste comprehenditur præcepto Tridentini. Ergo multo magis ille, qui sine necessitate confessionem omisit ante Missam. Verumtamen nobiscum sentiunt *Nuñus, 3. part. quæst. 88. artic. 4. difficultate 4. Diana part. 2. trac. 4. Resol. 61. fine. Cardinali de Lugo de Eucharistia, disputat. 14. num. 150. Suarez, Vazquez, Coninch, Bonacina supra.* Nam in præceptis positiuis non valet argumentum à minori ad maius; nec arguere valemus ab vno casu ad alium. Præsertim cum in celebrante sacrilegè deficiat finis humani præcepti; quod certè non cogeret ad confessionem post modum quamprimum faciendam illum, qui scienter violat præceptum diuinum præmittendi confessionem ante communionem. Vnde potius esset occasio noui peccati.

Cæterum Sacerdos, qui non habens confessarium, vrgente necessitate, celebrauit sine præuia confessione, culpabiliter omittens contritionem, quam debebat præmittere, tenetur nihilominus confiteri, quam primum possit post Missam. Quia Concilium Tridentinum non attendit ad interiorem dispositionem celebrantis, sed ad exteriorem occasionem, quam habuit non præmittendi confessionem; & eius verba generalia sunt, nec distinguunt inter Sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed generaliter loquuntur de non præmittente confessionem ob necessitatem vrgentem. Ita *Cardin. de Lugo supra Vazquez, num. 22.* Similiter tenetur illo præcepto, qui prius confessus erat, sed postea recordatur peccati mortalis non confessi, quando non habet confessarium, & vrget necessitas celebrandi, subindeque celebrat sine noua confessione, quam præmittere deberet, si necessitas non excusaret. Quapropter hic casus manifestè comprehenditur sub verbis

verbis. *Tridentini. Sic Cardinalis de Lugo supra num.*151. qui consequenter asserit, idem esse, si Sacerdos habens casum reseruatum, & non potens ad superiorem recurrere. Confitetur inferiori vrgente necessitate celebrandi, vel si propter eandem necessitatem non potuit præmittere confessionem nisi formaliter integram, tenetur enim post Missam, quam primum possit facere confessionem integram materialiter, nam de ista loquitur Tridentinum, vt ex eius contextu constat.

72 Quæres 3. Quanta possit esse dilatio confessionis post Missam finitam, & habitam copiam confessarij citra violationem huius præcepti. Prima sententia docet, illam vocem, *quamprimum* adhibitam à *Tridentino* moraliter esse capiendam, itavt solum obliget ad confitendum, cum primum iterum celebrauerit. Nam intentio Tridentini fuit, tollere Sacerdotibus occasionem, seu periculum sæpius celebrandi sine confessione præmissa. Quod euitari videtur, si post vnum factum sic factum non celebret iterum Sacerdos nisi confessus. *Ita tenet Fagund. Precept.*3. *Ecclesiæ lib.*3. *c.*8. *nu.*9. *Petr. Binsfeld. in Enchirid. cap.*6. *tit. de dispensatione ad sumptionem Sacramenti conclus.*6. loquens de Sacerdote celebrante sine præuia confessione dicit, *tenebitur absoluto Sacrificio, quamprimum poterit confiteri, idest antequam amplius celebret.* De eodem loquitur. *Molfesius in summa tom.*1. *tract.*8. *capit.*10. *num.*28. *& sic ait, satis est pro adimplendo præcepto, si confiteatur suo tempore, nempè ante aliam celebrationem.* Propterea *Diana p.*2. *tract.*14. *Resol.*60. dixit, hanc sententiam esse probabilem saltem per extrinseca principia.

73 Secunda sententia per oppositum asserit debere Sacerdotem statim finita Missa confiteri, si suppetat confessarius. Probatur, nam illa vox, *quam primum* planè sonat, post Missam teneri mox, quam primum opportuna fuerit occasio, seu potentia moralis, adire Confessarium, cum enim ante Missam deberet Sacerdos præmittere Confessionem data copia Confessarij, non est mirum, quod illico post Missam obligetur ad confitendum. *Ita Ioannes Sanch. in selectis disp.*32. *nu.*14. *consonat Henriq. lib.*8. *c.*45. *n.*4. *dicens, tenetur Sacerdos, quamprimum potest habita Confessarij copia confiteri. Suar. tom.*3. *disp.* 66. *sect.*7. circa finem ait, hoc præceptum obligare Sacerdotes ad confitendum, *quamprimum possint statim post celebrationem. Vazq.* 3. *p. to.*4. *q.*90. *art.* 3. *dub.*3. *n.*10. inquit, *debet cum primum possit, statim confiteri.*

74 Certè prima sententia tollit omninò præceptum istud, nam aditerum confitendum, cum primum iterum communicauerit, obligat diuinum præceptum. Nec vllus dicet, fieri, quam primum illud quod fit post sex vel octo menses; & contingere potest, quod ille Sacerdos non celebret iterum intra tot menses habens interim copiam Confessarij, non ergo implebit præceptum tandiu dilata confessione, maximè cum illud explicet Rubrica Missalis dicens, *cum primum poterit.*

Secunda sententia nimis videtur stricta, quia cogit Sacerdotem ex altaris vestigio mox adire confessarium. Nonne prius gratias aget non comedet? si sit propè meridiem; non cubabit aliquandiu post prandium. Igitur spatium aliquod moraliter est concedendum. *Zerola cum alijs in praxi Pœnitentiæ fol.*113. docet, vsque ad mane sequentis diei, priusquam iterum celebret posse differre confessionem, quia talis dilatio non videre excedere limitem diligentiæ moralis. *Zanordus in Direct. p.*1. *tract. de Eucharist. c.*7. dicit non statim teneri, nec eodem die confiteri, sed solum non differre per longum tempus. *Diana sup. & Cardin. de Lugo supr. num.*162. dicunt, non esse dilationem grauem, si confiteatur intra triduum, quod enim intra triduum fit, dicitur incontinenti fieri, *leg. fin. Cod. de erroribus aduoc. & leg. fin. Cod. de iudicijs,*

cijs, & præceptum deferendi libros hæreticorum ad Inquisitores non violat grauiter, qui per biduum illos retinet, vt cum alijs docet *Sanch. lib.2. Dec.cap. 10.n.55.*

75 Equidem vox *quamprimum statim, mox, & similes* iuxta materiæ varietatem varium sensum reddunt, quod exemplis illustrat. *Card. de Lugo, n.161.* quin etiam in eadem materia iuxta diuersas circumstantias diuersam induunt significationem. Quare cum huius *Tridentini* præcepti finis sit, cogere Sacerdotes ad talem Confessionis frequentiam, vt ferè semper ritè parati fint ad celebrandum, si post factum sacrum sine confessione præuia subsit periculum iterum celebrandi sine confessione, vel non confitendi per plures dies, nisi confitear illicò quia nunc habeo Confessarium, & postea forsan non habebo; teneor eodem die confiteri. Si non subsit tale periculum, non videtur dilatio grauis, si confessio fiat die sequenti, vel etiam intra triduum ob auctoritatem sic accipientium Concilij sensum. Quapropter in Sacerdote quotidie celebrante, vel saltem tertio quoque die sustineri posset prima sententia in alijs non probatem eius praxim.

CAP. VI. QVÆST. IX.

Vtrum, qui peccauit mortaliter, & mox Confessus est, teneatur differre communionem?

76 Videntur affirmare *S. Thom. 3. p. q.80. art.7. Marsil. in 4. quæst.6. art.4. Gerson de preparatione ad Missam considerat.8. affirmant expressè Syluest. Eucharistia 3. q.5. Angelus ibi num.36. Zerola in Praxi pænit. fol.21. Medina in sum. c.14. §.42. circa tertium*, Ecclesiæ præceptum, *Lopez 1. part. capit.11. §.2. perpendendum. Manuel in summa tom.1. c.65. nu.1. Couarr. in clem. si furiosus p.3. nu.7. Nauar. de Pænit. dist.6. c.1. & in summa Hisp. capit.25. numer.50.* Probatur, nam qui fuit in multis peccatis, etiam postquam confessus est, redolet feces illas; ac subinde non potest adhuc fætidus communicare, sed debet sæpè prius confiteri, & orationibus, ac ieiunijs se odoriferum reddere, iuxta textum *in cap. Non sufficit, c. in Actione de pænit. dist.1. & Salaz. in tract. de frequentia communionis, c.9. §.5.* refert plura decreta quibusdam peccatoribus prohibentia communionem. Grauis siquidem irreuerentia erit post vomitum tantæ sordis illicò tangere *Christi* corpus. Ideò *Couarr. & Nauarr.* dicunt istis abstinendum esse communione saltem per diem; *Medina, Lopez, Manuel*, dicunt abstinendum esse per octo, vel decem dies.

77 Vbi nota 1. Doctores istos talem obligationem asserere sub mortali peccato, sic enim exprimunt. *Couarr. & Nauar.* & alijs satis indicant dum asserunt esse grauem irreuerentiam illicò communicare. Peccatum vero veniale dicunt esse. *Caiet. in sum. verb. communio. §. Vtrum autem in mortis. Nuñus 3. p. q.80. art.7. & 8. concl.10. & 11. Henriq. lib.8. cap.51. num.2. Fagund. Precept.3. lib.3. c.6. n.9. Bonac. disp.4. q.6. punct.2. nu.3. Villalob. to.1. tract.7. diffic.37. num.11.* Si peccator ante transactum diem post Confessionem sine rationabili causa communicet, nam ibi leuem irreuerentiam agnoscunt.

Nota 2. licet quidam istorum Authorum generaliter loquantur, cæteros communiter loqui de peccatis luxuriæ, quia post voluntariam pollutionem, aut fornicationem per integrum diem censetur infecta natura, & affectio corporis deordinari, quatenus indè prouenit magna mentis distractio nonnullo temporis interuallo fœdis, & importunis cogitationibus animum pulsans, & perturbans. Ideò *S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. c.3.* magis carnales homines, quam energumenos arcerd communione, & *Climacus gradu 1c. citat canonem Apostolorum*, asserentem, licere post peccatum hæresis, & expiationem illius statim Eucharistiam accipere,

cipere; non ita post pœnitentiam de peccato luxuriæ. Quare graues Authores teste *Henriq. lib.8.c.51.n.1.* referunt, olim Ecclesiæ præcepto fuisse prohibitum talibus intra diem communicare.

78 Nota 3. *Antonium Arnaldum natione Gallum in libro de reparanda Ecclesia disciplina* cum alijs docere, non esse satis illum, qui sibi conscius est peccati mortalis, confiteri Sacramentaliter ante communionem, sed debere publicam pœnitentiam agere pro peccatis, etiam occultis; sicut fiebat in Ecclesia primitiua, cuius consuetudo iam à multis annis interrupta reuocanda sit. Quia nec fuit abrogata legitimè, nec abrogari potuit, cum esset ex inuariabili ordinatione Christi, ac per consequens oppositum morem esse corruptelam intolerabilem. Verum istam sententiam erroris insimulant, & latè refellunt *Petauius lib. de pub. pœnitent. & Episcopus Vaurensis* de eodem argumento. *Et Ioannes Martinon tom.4. disput.35. sect.2.* Primo quia Tridentinum ante communionem requirit solam confessionem in peccatore, non pœnitentiam publicam, vt constat *ex sess. 13. cap. 7.* Refellunt 2. quia præsens Ecclesiæ consuetudo per quingentos, & plures annos perseuerans sine pœnitentijs publicis admittit peccatores ad communionem; carpere verò morem Ecclesiæ quoad Sacramẽtorum administrationem grauiter est damnatum in cap. *Ad abolendam. De Hæreticis, & in Tridentino sess. 7. can. 13.* Refellunt 3. quia nec olim imponebatur publica pœnitentia peccatis secretis, sed solum publicis, vt satis ostendunt ex Patribus; nec prudenter imponi potest, nam indè proderentur peccata contra sigillum confessionis, & ista redderetur nimis odiosa. Ideò quippè dixit *Tridentinum sess.14. cap.5.* non esse diuino præcepto mandatum, nec posse satis consultè præcipi, vt delicta præsertim secreta publica confessione proderentur.

79 Itaque dicendum est, per se loquendo nullam esse culpam paulò post commissum mortale peccatum communicare præmissa confessione. Sic *Sanctus Thomas, 3. part. quæst. 80. art. 7. ad 1.* dixit, ex necessitate non impediri communionem, nisi propter mortale (scilicet durans in anima) quo pacto significat accipiendam esse doctrinam articuli. Consonant *Palud. Adrianus, Syluester, & alij,* quos sequitur *Suarez disp.66. sec. 4. Nauarrus ipse in summa latina cap. 21. num.51. Azor tom.1. lib.10. cap.31. q. 13. & 14. Ioan. Sanchez disp.13. num.26. 29. & 30. Diana part.3. tract.4. Resolut. 30.* Probatur nullum est præceptum humanum, vel diuinum obligans ad differendam communionem post præmissam debitam confessionem. Quoad præceptum positiuum fatentur *Conar. & Nauar.* non dari, quia re vera nec habetur scriptum, nec per traditionem; siquod tamen olim viguit, communi totius Ecclesiæ consuetudine iam fuit abrogatum, vt asserunt *Henriquez sup. & Fagundez num. 8.* imò putat *Azor sup.* tale præceptum numquam extitisse. Quoad præceptum naturale patet; quia ratio naturalis solum dictat, sancta sanctè tractari; licet autem breue tempus post peccatum intercedat, potest esse talis conuersio peccatoris, vt non solum sanctus sit, sed etiam sanctior, & deuotior, quam antea. Nec *Paulus 1. Cor. 11. Nec Trid. sess.13. c.7.* aliam probationẽ, aliam sanctitatem ex necessitate requirunt, nisi vt nullum sibi conscius peccati mortalis non confessi recipiat Eucharistiam; nec certa ratione definiri posset, quanto tempore sit abstinendum.

80 Per accidens verò posset esse graue peccatum statim accedere ad communionem, vel propter scandalum aliorum, si peccatum sit publicum, & ex consuetudine nota nõ paucis, qui sumũt ansam indè peccandi liberius: vel propter contemptum, si quis ideò parui pẽdat peccatum, & subeat periculum facilè relabendi; vel etiam communicandi sine vera, & efficaci detestatione criminis. Ita *Suarez supra Coninch quæst. 80. numero 42.* Posset etiam esse veniale pro-

propter distractionem, vel prauam aliquam affectionem ex peccatis (præsertim carnalibus) relictam. Sed ab hoc etiam excusabit iusta causa mox communicandi propter magnam solemnitatem, aut iubilæum; aut quia non possit commodè differri communio in alium diem, vt notat cum alijs *Bonacina de Sacram. disp. 4. q 6. punct. 2. n. 3. & 4. Cardin. de Lugo, de Eucharist. disp. 15. sect. 1.* qui magnam requirit prudentiam, & attentam circumstantiarum considerationem, vt dignoscatur, quando hic, & nunc post immunditiam carnis sit peccatum accedere: quando non sit peccatum communicare; sed adhuc melius sit abstinere: quando sit melius communicare; nec regulam generalem posse præscribi: de quo nos dicemus *c. sequēti q. 2.*

CAPVT VII.

De dispositione communicantium quoad corpus.

1 SVppono, distingui posse quo ad corpus dispositionem antecedentem, comitātem, & subsequentem; & qualibet harum esse potest, vel priuatiua, scilicet ieiunium, & carentia maculæ, vel positiua, scilicet actus aliquis, aut decens corporis ornatus, circa dispositionem istam positiuam nihil est generaliter præscriptum iure positiuo diuino, vel humano. Quin vt docet *Augustinus. epistola 118. cap. 6 & Trident. sess. 21. cap. 2.* circa dispensationem tam huius, quam aliorum Sacramentorum in his, quæ sunt extra substantiam ipsorum, Christus Dominus nihil statuit, sed id totum Ecclesię dispositioni commisit; Ecclesia verò nihil vniuersaliter decreuit circa corporis gestū, habitum, aut vestitum, vel sanitatem communicantium, vt notant *Suar. to. 3. disp. 68. sect. 1. Bonacina disp. 4. de Sacramentis, quæst. 6. punct. 2. Fagundez Præcept. 3. Eccles. lib. 3. cap. 6.*

2 Si ius naturale consulamus, quoad antecedentem dispositionem decet equidem, vt communicantes accedant eo corporis habitu, compositione, modestia, vestitu, qui deuotionem, reuerentiam, honestatem præseferat. Vnde quoad hoc seruanda erit Ecclesiastica consuetudo. Si qua detur alicubi; nam olim varia, & multriplex erat, vt docet *Claudius de sainct. Repet. 9. cap. 7.* Hodie tamen bullam scimus in Ecclesia vigere. Sic docent *Suarez, Bonacina, Fagundez sup. Monet etiam Henriquez lib. 8. cap. 49.* vt Sacerdos ante celebrationem lauet manus, & faciem; Ego decere puto cōicantes omnes ablutos accedere.

3 Circa dispositionem comitantem caueant Fideles, dum communicant, ne quid decidat in terram; ne dentibus attetant, aut masticent hostiam, sed reuerenter traijciant, ne quid dentibus hæreat, si quid palato, vel dentibus hæserit, laicus non debet digito particulam extrahere, vt notat *Henriquez sup. cap. 50. n. 2.* Sed ablutionibus etiam iteratis extrahatur. Si particula fundo calicis adhæreat, *Suarez sup. sect. 6.* dicit indecens esse, quod digito Sacerdotis trahatur ad os calicis; *Henriquez, & Fagundez* cum alijs dicunt esse decentius, vt per ablutiones etiam iteratas educatur. Missale tamen concedit, vt digito trahi possit, quare nullum peccatum erit; si digito Sacerdotis inde decenter extrahatur; quia verè non continet indecentiam, vt notant *Fagundez sup. & Filliucius trac. 4. num. 239.*

4 Circa subsequentem dispositionem decet, vt communicātes mox post communionem non expuant propter reliquias, vt monet *Henriquez lib. 8. c. 49. n. 1.* decet etiam, ne mox alios cibos ingerant, qui cum speciebus Eucharistię misceantur, vt cauetur cap. *tribus gradibus. de consecrat. distinct. 2. & monet S. Tho. 3. part. quæst. 80. ad 6.* addens, iam i[illegible]us textus præceptum esse per contrar[illegible] consuetudinem abrogatum. Qu[illegible]

iam

iam non erit mortale mox comedere, quia non est contra præceptum humanum. *Ita Sotus; Valent. Villalobos, quos sequitur Diana part.3. tract.4. Resol.44. fin. Henriq.* cum multis, & reddit rationem; nam apud Religiosos, qui faciunt vltimum sacrum, solent statim prandere. *Fagund. addit*, nec esse veniale, si cum aliquali causa fiat, innuens fore veniale, si fiat sine causa; nimirum ob aliquam indecentiam. At melius *Suar. disput.68.sect.4.* fine solum significat, esse Consilium post communionem abstinere per aliquod tempus à communi cibo, vel potu propter maiorem deuotionem, & reuerentiam, & id palam docent. *Chrysost. hom.27. in 1. Corinth. & Bonac. cum multis disp.4. q.6. punct. 2. num.25.*

CAP. VII. QVÆST. I.

Vtrum morbus aliquis impediat communionem?

5 Certè non horret Christus in Sacramento leprosos, & vlceribus plenos, nec eos, qui fluxum sanguinis, aut seminis inuiti patiuntur, nec menstruatas, nec deformes facie, vel corpore. Nam hæc non tollunt munditiam animæ. *Sic Henriq. lib.8. c.49. n.1. Fagund. Præcept.3. lib.3. c.6.* cum alijs, & quidem si talis deformitas perpetua sit, vel diuturna, non est homo diu priuandus fructu Sacramenti propter huiusmodi defectum inculpabilem, vt ait *Suar.3.p.to.3. disp.68. sect.2.* solum pro ratione maculæ, vel morbi cauendus esset aliorum horror, vel etiam scandalum. Sic etiam *in c. Tua nos de Cleric. ægrotant* præcipitur, vt Clericus leprosus abstineat ab altaris ministerio propter scandalum, & horrorem populi; quasi reputetur irregularis, *vt asserit Nauarr.c.27. nu.202.* limitant *Henriq. & Fagund.* nisi celebret coram leprosis, vbi cessat motiuum horroris. Videtur etiam cessare, quando celebraret in secreto; ideò Doctores solum asserunt illos prohiberi celebratione publica.

6 Si vero morbus, vel deformitas sit temporalis, & breui credatur tollenda, reuerentia Sacramenti postulat, vt per illud breue tempus differatur communio, sic notat. *Cardin. de Lugo disp.15. nu.15. Addunt Suar. supr. & Filliuc. tract.4.n.227.* fore nonnunquam culpam venialem hoc negligere ob indecentiam aliquam, quæ vitari potuit, & debuit. Quod forsan intendunt aliqui Patres, dum arcent ab Eucharistia menstruatas. *Alensis 4. p.q.47. membr.4.* dicit, esse consuetudinem Ecclesiæ, vt fœminæ, post partum aliquibus diebus abstineant à communione. Verum hæc non videtur introducta per modum prohibitionis, sed ex natura rei propter debilitatem parientium, vt colligitur *ex c.1. de Purificat.* post partum, & notant. *Suar. & Filliuc. sup.* impediunt equidem communionem vomitus infirmi, vel tussis frequens ob periculum irreuerentiæ, si quid speciem eijciatur vt aduertunt. *Io. Sanch. disput.38. nu.2. Dian. p.2. tract.14. Resol.78. & p.5. tr.3. Resol.55.*

CAP. VII. QVÆST. II.

Vtrum, pollutio communionem impediat?

7 Loquimur de pollutione, non quatenus peccatum est in se, vel in causa de qua diximus cum alijs peccatis, *c.6.q.9.* sed quatenus relinquit aliquam fœditatem post se, quamuis fuerit inuoluntaria, vel si voluntaria fuit, iam fuerit culpa per Sacramentum pœnitentiæ remissa. Quo sensu negat absolutè prima sententia, quam tenet. *Io. Sanch. disp.23. n.22. & sequentib.* nec illam refellit. *Diana p.3. tract.4. Res.30.* Probatur, quia cum iam nihil culpabile superfit, & homo possit eadem reuerentia, seu deuotione communicare, quasi nihil tale præcessisset, nihil impedit, quo minus iste dignè communicet, sicut *Apostolus & Tridentin.*

sess.14.c.7. prærequirunt. Confirmat. *Ioann. Sanch. nu.30.* ab effectu, nam quidam Confessarius pœnitenti sæpè se voluntariè polluenti suasit, vt ipso die pollutionis habitæ communicaret ad impetrandam à Deo castitatem, & ab illo die non fuit vnquam pollutus.

8 Secunda sententia docet, ex consilio saltem, & congruentia differendam esse communionem per diem; quia manet fæditas quædam, & impuritas corporis, in quo Christus recipiendus est, & frequenter accedit euagatio mentis quæ deuotionem actualem, aut valdè minuit, aut omninò tollit. Ita *S. Thom. 3.p.q.80.art.7. Henriq. lib.8. c.51. nu.3. Azor.to.1.lib.10.cap.31.q.13.& 14. Salaz. in trac. de frequent. communionis, c.9. §.2.& 3.* Quo sensu capi possunt aliqui Patres, & Doctores antiqui dicentes pollutum abstinere debere per diem, quasi debitum indicent honestatis, non obligationis, ortum ex defectu puritatis etiam externæ, quæ requiritur ad communionem, limitant hi Doctores suam doctrinam, primò quando talis fæditas est diuturna, vel frequens, vt in his, qui patiuntur fluxum seminis, secundò quando pollutio prouenit ex sola nequitia Dæmonum impedire volentium communionem, tertiò quando necessitas aliqua, vel vtilitas compensat irreuerentiam; in his enim euentibus non est prudens consilium differre communionem.

9 Tertia sententia docet, esse veniale peccatum eodem die communicare post pollutionem saltem culpabilem. *Ita Nuñus Ioann. de la Cruz Ochagau.* quos sequi videtur. *Diana p.5. tract.13. Resol.65. Martinon to.4. disp.35. sect.5. num.58. Fauet Henriq. supra quatenus asserit. Nullum tamen videtur peccatum, si quis communicet post pollutionem inculpatam, aut venialem.* Indicat enim, post pollutionem mortalem fore peccatum saltem veniale. *Fauent Augustinus serm.244. de tempore Greg. resp.11. ad Augustinum*, & antiquiores Theologi. Ratio potest esse, nam ex pollutione mortali sic manet distracta mens, sic inordinatus affectus, vt non possit homo intra diem accedere sine irreuerentia, quæ sit culpa venialis.

10 Dico 1. præcisè propter fæditatem seu maculam pollutionis non esse communionem omittendam etiam ex consilio. Quia verè post transactam pollutionem, si non maneant alij distractionis, vel commotionis effectus, nihil videtur remanere, quod impediat communionem in ijs, qui non aliter se sentiunt dispositos, & deuotos, ac si nil tale contigisset. In hoc verum habet prima sententia; conueniunt etiam. *Suar. 3.p. to.3.disp.68. sect.2. Coninch. q.80.nu.42. Bonac.disp.4.q.8.punct.2. Fillsuc. tract.4. nu.230. Cardin. de Lugo disp.15. nu.9.* Et quoniam ex in voluntaria pollutione sæpè non manet præsertim in bene moratis distractio, vel commotio turpis, dixit. *Iustin. Martyr. q.21. ad Gentes, Eos autem æquum non est, quo talia inuiti passi sunt, à participatione diuinorum Sacramentorum abstinere.*

11 Dico secundò quando pollutio relinquit distractionem mentis veneream & commotionem carnis turpem; vnde sit homo minus aptus ad res diuinas tractandas, vel erit veniale communicare, si rapiatur ad voluntarias *distractiones*; vel si non admittat *illas sponte*, quamuis non sit veniale peccatum communicare, consultius erit abstinere, donec talis euagatio vel commotio sedetur, vt deuotè, reuerenter, & attentè communicet. *Ita Doctor. sup. relati*; nec amplius Patres, & Doctores tertiæ sententiæ videntur intendere, verum hic sunt addendæ limitationes secundæ sententiæ, præsertim tertia prudētis vero iudicio discernēdum erit, perpensis circūstantijs omnib. an necessitas vel vtilitas cōmunionis hic, & nunc cōpenset defectū attētionis, & deuotionis, prudēter, *Rubr. Missal. de defectib. sect.9. numer.5. sic ait, si præcesserit pollutio, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, abstinendum est à communione, vel celebratione,*

tione, nisi aliud confessario videatur, si dubium est, an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extrà tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed euenisse ex naturali causa, aut ex Diabolica illusione; potest communicare, & celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abstinendum videatur.

12 Hinc de copula iudicandum erit, si fuit illicita, impediet communionem vt pollutio voluntaria; si fuit coniugalis tam in reddente, quam in petente recta intentione, censenda est, sicut in voluntaria pollutio. Qui verò petit debitum ex nimia carnis concupiscentia voluptatis causa, magnum iudicium præbet animi minus dispositi ad communionem. In omnibus attendendi sunt effectus distractionis, aut commotionis, si manent; causæ pariter, si suppetunt rationabiles non differendi Communionem; & ita Conciliari possunt diuersæ sententiæ Doctorum, quas refert, & expendit. *Thomas Sanchez de Matrimon. libr. 9. disputation. 13. vbi numer. 17.* docet *cum alijs*, non esse veniale peccatum post communionem coire coniuges, sed esse sanum Consilium eo die abstinere.

CAP. VII. QVÆST. III.

Vtrum, prærequiratur ad communionem ieiunium, & quale?

13 PRærequiri ieiunium negant Heretici, quos damnat. *Concilium Constantiense session. 13. refellunt Bellarmin. de Missa lib. 2. capit. 14. Suarez tomo 3. disputation. 68. section. 3. Vazquez 3. part. disputat. 211. cap. 1. testimonijs Conciliorum, & Patrum. Censuit Sotus in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 8.* hoc esse præceptum diuinum à Christo Domino latum in honorem tanti Sacramenti. Quia sic innuunt. *Augustinus Epist. 118. capit. 6. & Isidorus lib. 1 de officijs Ecclesiasticis c. 18.* Verum dico primò non esse præceptum naturale, nam ex sola dignitate huius Sacramenti non oritur talis obligatio. Dico secundò non esse præceptum positiuum diuinum; quia nec ex scriptura, nec ex traditione habetur, nec ex eius institutione colligitur; cum potius ea nocte datum fuerit non ieiunis, vnde quædam Ecclesiæ consueuerunt feria 5. Maioris hebdomadæ ministrare communionem non ieiunis. *Augustin. & Isidor.* non dicunt esse diuinum præceptum, sed spiritui sancto placuisse per Apostolos, vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Dominicum corpus intraret quam cœteri cibi; & ideò per vniuersum orbem morem ieiuni seruari.

14 Vnde dico tertiò à temporibus Apostolorum fuisse morem Ecclesiæ non sumendi cibum, aut potum antè communionem, quem postea multa decreta confirmarunt. *Ita patres, & Concilia, quæ referunt Suarez, Vazquez, & Bellarmin. supra Cardinal. de Lugo, disputation. 15. sect. 2. habetur cap. Nihil 7. quæst. 1. cap. Sacramenta altaris, de consecrat. distinct. 1. capit. liquido de consecrat. distinction. 2.* Et quamuis decreta loquantur vt plurimum de Sacerdotibus celebrantibus; tamen *Conc. Matiscon. 2. canon. 6. & Conc. Constant. supr* extendunt etiam ad Laicos, & Pattres generaliter loquuntur, & praxis communis Fidelium sic accepit & obseruauit. Datur ergo præceptum Ecclesiasticum præmittendi ieiunium Eucharistiæ, quoniam id Ecclesia potuit imponere, cum habeat potestatem ferendi leges etiam in his, quæ Christus non præcepit, & de facto præceptum istud imposuit in prædictis decretis, congrue quidem propter Sacramenti reuerentiam, & maiorem attentionem communicantis; ac vt inde discamus, Christum fore primum fidelium

P. Lugo de Sacramentis.

cibum. Nec obstat Christi factum post cœnam. Fuit enim specialis ibi ratio. Quare nec alias eius cœnæ circumstantias imitari debemus, vt docent *Henriquez lib.8. cap.49.num.3. Fellinc. tr.4. n.232. Martinon to.4.disp.35.sect.5.n.60. & sequent.*

15 Cum autem duplex sit ieiunium ex *Sanct. Thoma 2.2. quæst.147. artic.6.* vnum naturale, quod omnem cibum, & potum excludit; alterum Ecclesiasticum, quod omnem potum permittit, & cibum etiam per modum medicinæ. *Fuit opinio Gotfredi, & Ioannis Parisiensis apud Syluestrum Eucharist. 3. quæst.6. & præpositi apud Dianam p.5. tract.5. Resol.12.* dicentium, sufficere ieiunium Ecclesiasticum, vt quis dignè communicet, aut celebret. Probatur, quia cum Ecclesia præscribat hoc ieiunium, debet illud intelligi, sicut alia ieiunia per Ecclesiam indicta, quæ non soluuntur sumptione medicinæ, vel potus.

At omninò tenendum est, prærequiri ieiunium naturale, ita vt quicumque cibus, aut potus in quauis minima quantitate sub qua libet intentione medicinæ, vel curationis, si per modum cibi, vel potus sumatur, impediat ex præcepto receptionem Eucharistiæ. *Sic S. Thom. 3. p. q.80. artic.8. ad 3.* & communiter Doctores. Nam id in quibusdam Concilijs exprimitur, in *Bracarensi 2. canon.2.* præcipitur, ne quis *quocumque cibo præsumpto celebret*, in *Toletano 7. can.2.* dicitur. *Nullus post cibum, potumque quantumuis minimum sumptum Missas facere præsumat*, in alijs indicatur, & ita iam Ecclesiastica consuetudine optima legum interprete receptum est, vt oppositam sententiam erroneam appellet. *Suarez sup. sect.4. & Vazquez capit.3.* vtpotè communi sensui Fidelium contrariam. Vnde soluitur fundamentum contrarium, licet enim Ecclesia præscripserit istud ieiunium, non illud indixit Ecclesiasticum, sed naturale propter maiorem reuerentiam Eucharistiæ.

16 Si petas, an post minimum cibum, vel potum communicare sit mortale peccatum. *Zacharias Pasqualigus decision.335.* dicit esse probabilem sententiam quorumdam (quos suppresso nomine citat, *Suarez tomo 3. disputation.68. section.4.*) dicentium esse veniale propter materiæ leuitatem, & probatur primò, quia parua materia non soluit naturale ieiunium nisi leuiter, nec opponitur notabiliter præcepto, vel eius fini substrahendi nimirum alimentum corporale fidelibus, donec accipiant spirituale: moraliter enim adhuc censetur corpus incibatum, quatenus parum pro nihilo reputatur. Probat secundo, quia paruitas materiæ reddit veniale peccatum, quoties dissonantia cum ratione non consistit in indiuisibili. Sed sic est in præsenti, quia tam ex parte ieiunij, quam ex parte irreuerentiæ consecuta ad communionem post cibum datur latitudo dissonantiæ leuis, & grauis, ergo sicut parum cibi, vel potus esset leue peccatum contra ieiunium naturale, quando istud deberetur ex voto vel præcepto: sic etiam irreuerentia communionis post illam leuem ieiunijs violationem erit leuis.

17 Verum omninò tenendum est, communicare post quantumlibet minimum cibum, vel potum, qui naturale ieiunium quomodolibet soluerit, esse mortale peccatum. *Ita Suarez supra Vazquez disputat.211. numer.28. Bonacina disput.4. qu.6. punct.2. num.6. Fagundez precept.3. libr.3.c.5. num.24. Cardinal. de Lugo disputat.15. num.22. Diana part.5. tractat.5. Resol.12. & p.6. tract.8. Resol.8.* cum multis alijs. Probatur primò nam hoc præceptum non prohibet per se directè cibum, & potum, sed communionem post ieiunium solutum, ac perindè post minimam etiam quantitatem sumptam per modum cibi, vel potus; communio verò semper est materia grauis, ergo

ergo semper erit mortale peccatum communicare post solutum ieiunium, quamuis in parua quantitate solutum sit; quia grauiter læditur reuerentia Sacramenti per hoc præceptum indicta, dum Christus sumitur post cibum, aut potum corporalem siue magnum siue paruum.

18 Probatur secundò, quia licet materia parua secundum se præcisè non possit ab Ecclesia prohiberi grauiter, potest tamen, quando magna redditur in ordine ad significationem; sic Ecclesia præcipit sub mortali modicissimam aquam in calicem mitti propter mysterium, & significationem; similiter ergo naturale ieiunium præcipit ante communionem ad significandum Christum fore nostrum primum cibum; Et cum hæc significatio deficiat, quoties alius cibus, aut potus quamuis minimus ante communionem sumptus est, semper erit mortale post minimum etiam cibum, aut potum communicare.

Probatur tertiò. Nam Ecclesiæ praxis, & communis sensus Doctorum sic interpræratur hoc præceptum, vt post quemlibet etiam minimum cibum, aut potum etiam inaduertenter, vel inuitè sumptum communicare non posit sine peccato mortali.

19 Conatur *Pasqualigus hæc* argumenta soluere, sed verè non soluit. Nam aliud est; an hæc vel illa materia propter suam paruitatem, & modum sumptionis violet naturale ieiunium, (de quo dicemus infrà) scilicet muscam, vel culicem, vel quid simile in os apertum immissum; & aquam, quam auellanæ putamen capit, inaduertenter deglutiram censeri traiectam, per modum saliuæ, volunt nonnulli, teste *Granado tertia parte controuer.6. tractatu 10. disputatione 8. numero* 8. qui subdit rem istam potius esse restringendam, quam ampliandam. Aliud est suppo ta iam violatione ieiunij naturalis p veram manducationem, aut potationem, & si minimi cibi vel potus, an sit mortale communicare? quod nullus, quem nominatim nouerimus, negauit; nec probabile reddunt argumenta Pasqualigi. Quare censeo cum *Suario, & Diana supra* contrariam sententiam non esse practicè probabilem.

20 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, & si paruus cibus, aut potus soluat naturale ieiunium leuiter, verè tamen soluere illud, ita vt verè iam sit homo non ieiunus; vnde si tunc communicet, verè communicat non ieiunus, atque ideò grauiter peccat contra præceptum Ecclesiæ.

Ad secundum concessa maiori negatur minor; quia licet violatio ieiunij latitudinem habeat, quod sit violatum absolutè, vel non sit absolutè violatum, in indiuisibili consistit: & communicare post violatum ieiunium supposito præcepto, continet semper grauem irreuerentiam Sacramenti, quam tenemur euitare vi talis præcepti.

CAP. VII. QVÆST. IV.

Quid requiratur, vt violetur ieiunium naturale?

21 DOctores communiter duo requirunt. Primum est, vt aliquis cibus aut potus humanus sumatur, talis autem est, qui non solum in alicuius animalis, sed in hominis stomacho naturaliter alterari potest, & ad ipsius nutritionem ordinari. Sumitur enim ad conseruationem, & augmentum viuentis, ac vt sit cibus humanus, aptus esse debet in hominis substantiam conuerti per potentiam nutritiuam humanam. Ita *Cardinal. de Lugo de Euchar. disp.*15.*sect.*2.

22 Secundum est, vt talis cibus, aut potus sumatur per actionem, quæ propriè sit comestio, vel potatio; non respiratio, vel traiectio saliuæ, vel olfatio, vel similis. Propriè verò comestio, vel potatio sunt actiones, quibus cibus, aut potus extrinsecus accepti

constituuntur in statu proximo, vt possint nutrire; quatenus humano modo degluriuntur; & traijciuntur ad stomachum via naturaliter destinata nutritioni; scilicet per os, palatum, & fauces. Et quamuis necessarium non sit, vt ipse comedens ordinet illam actionem ad traijciendum alimentum; debet ab alio saltem ad talem finem ordinari, dum per viam comestioni connaturalem transmittitur; vt contingit infantibus, & infirmis, quibus alij per vim interdum immittunt in os cibum, aut potum. Ita *Cardin. de Lugo supra*.

23 Hinc possunt varia dubia decidi. Primum sit; An qui deglutijt aliquid non comestibile, scilicet officulum, frustrulum metalli, papyrum, cretam, vngues, vel quid simile, communicare possit? *Negant Henriquez lib. 8. cap. 49. num. 2. Nuñus, 3. part. quæst. 80. art. 8. Præpositus ibi, dub. 1. Bonacina disp. 4. quæst. 6. punct. 2. num. 10. Reginaldus lib. 29. num. 118. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 18. Villalobos tom. 1. tract. 7. difficult. 39. num. 1. Fagundez de Præceptis Ecclesiæ, Præcept. 3. lib. 3. cap. 5. num. 5. & alij*. Probatur 1. quia *S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 8. ad 4.* dicit, ad violationem ieiunij naturalis nihil referre, vtrum id, quod sumitur, nutriat, vel non nutriat, dum modo sumatur per modum cibi, vel potus; vbi significat, per modum cibi, vel potus sumi, quidquid non sumitur per modum saliuæ, vel respirationis, quamuis non sit comestibile.

Probatur secundò. Nam aqua non nutrit, & tamen impedit communionem, vt expressit *Glossa in c. Nihil verb. Minimum 7. q. 1.* Item venenum non ordinatur ad nutritionem, sed ad destructionem hominis, & tamen impedit communionem. Ergo similiter quod non est comestibile, seu nutritiuum, si sumatur, impediet. Probatur tertiò, quia fœminæ comedentes terram, carbonem, argillam, vel ob delectationem gustus per modum cibi; vel adminuendum colorem per modum medicinæ, non possunt communicare, quia violarunt ieiunium, Ergo nec comedentes cretam, papyrum, & similia.

24 Melius affirmant *Vega, Ledesma, Ludou. de S. Iuan, Ioann. de la Cruz*; quos sequitur *Ioan. Sanch. disp. 42. n. 23. Card. de Lugo n. 29. Diana par. 2. trac. 14. Resol. 52. & par. 3. tr. 4. Resol. 38. & par. 5. tract. 13. Resol. 1.* Probatur: Nam Sacri Canones solum exigunt, vt nullus cibus, aut potus sumatur ante communionē; quod satis constat ex verbis ipsorū: Sed quod ex sua natura non est homine comestibile, seu potabile, non est propriè cibus, aut potus humanus. Ergo licet sumatur aduertenter, & in magna quantitate, nec soluit naturale ieiunium; nec impedit subindè communionem.

25 Ad primum in oppositum respondetur, *S. Tho. loqui de his*, quæ per accidens nō nutriunt ob paruitatem materiæ; non verò de his, quæ natura sua non sunt nutritiua. Ad secundū respondetur, aquam, etsi directè non nutriat, valdè tamen iuuare nutritionem, esseque propriè potum humanum, quem Ecclesia directè prohibet ante communionem. Venenum putat *Pasqualig. dec. 314.* non soluere ieiunium naturale, nec impedire communionem, quia natura sua non ordinatur in cibum, & alimentū humanum. Mihi videtur, tàm venenum, quàm medicinas, semper continere partes aliquas, quæ sint ex natura sua cibus humanus, & ideo soluere naturale ieiunium.

26 Ad tertium *Ioan. de la Cruz in Direct. p. 2. de Euc. q. 5. dub. 4. cōc. 2. & Dian. p. 2. tr. 14. Ref. 52.* cōcedunt, illas fœminas violare ieiuniū naturale; quia comedunt terram, vt cibum, vel medicinā. *Pasqualig. decis. 315.* negat; quoniam terra nunquā est propriè cibus humanus, vel medicina, sed semper est elementum primum, quod ab humano stomacho non potest alterari, quamuis secundum aliquas tenues partes diffundatur per totum corpus. *Card. de Lugo sup. n. 32.* dubitat, & meritò, quia nunquam terra hic est elementum purum, vt non habeat partes aliquas alterabiles ab humano stomacho. Quare post talem comestionem,

nem, ego nō permitterem communionem. *Ioannes Sanchez supra* concedit, ſiquis auella nam integram, vel pineam nucem cùm cortice deglutiat, violare naturale ieiunium; nā illa materia comextibilis eſt. Ego verò dubito; nam *Card. de Lugo ſup.* benè docet, ea, quæ deglutita, poſtmodū emittuntur integra cum excrementis, quoniam ab humano ſtomacho non poſſunt alterari, non violare naturale ieiunium; quia verè non ſunt humanus cibus. Talia ſunt oſſicula quædam fructuum, aurei nummi, lapilluli, & forſan cortices auellanæ, vel pineæ nucis: Hæc enim diſcernere magis ſpectat ad Medicos, quàm ad The ologos.

27 Sit dubium 2. An ſumptio tabachi vel in folio, vel in puluere, vel in fumo cōmunionem impediat? Affirmat *Antonius de Leone in quæſtionibus de Ch. colate, p. 2. §. 4. n. 10. & ſequentibus*. Probat 1. nam ad violādum naturale ieiunium ſufficit aliquid etiam non comextibile fuiſſe traiectum in ſtomachum. Probat 2. quia folium tabachi receptum in os aliquē ſuccum deriuat in ſtomachum, quo naturale ieiunium violetur; puluis etiamſi ſumatur per nares, aliquis decidit in ſtomachum; fumus pariter ad ſtomachum peruenit, & aliquo modò nutrit, vt conſtat experientia multorum, qui ſolo fumo diu vixerunt. Probat 3. quia duo *Concilia, nimirum limenſe 3. actione 3. cap. 20. & Mexicanum 3. lib. 3. tit. 15. §. 13.* ſub graui reatu prohibent tabachi ſumptionem antè celebrationem, vel communionem. Ergò cognouerunt ibi culpam grauem ob communionem poſt violatum ieiunium.

28 Negant *Alfonſus de Leone de officio Capellani q. 8. ſect. 17. caſu 2. n. 134. Paſqualigus deciſ. 333. & 334. Diana p. 5. tract. 13. Reſol. 1.* Probant 1. Nam quando folium tabachi retinetur in ore ſine voluntate deglutiendi, ſolùm cauſare poteſt traiectionem alicuius humoris ex capite defluentis ad ſtomachum, quæ non violat naturale ieiunium, ſicut nec aliquis tabachi ſuccus per modum ſaliuæ traiectus ex communi Doctorum. Quando tabachi puluis ſumitur per nares, nō violat naturale ieiunium; nam illa ſumptio nō eſt comextio, cùm non fiat per os, ſicut de aqua per nares attracta, licèt traijciatur aliqua pars eius in ſtomachum, fatentur Doctores. Probant 2. de fumo, qui licèt per os ſumatur, non tamen deſcendit in ſtomachum, ſed per nares emittitur. Rurſus quamuis aliquid illius deſcenderet in ſtomachum, & nutriret, non recipitur per veram comextionem, ſed per reſpirationem, quæ non violat ieiunium. Demum fumus nec eſt verè cibus, nec potus, vndè qui ex induſtria die ieiunij aperto ore fumoſum halitum carnium in magna quantitate reſpirando traheret, nec ſolueret ieiunium eccleſiaſticum, nec naturale iuxtà communem ſenſus fidelium. Igitur nullo modo ſumptio tabachi poteſt impedire communionem.

29 Pro deciſione ſuppono 1. ſiquid per modum ſaliuæ traijciatur in ſtomachū, vel per reſpirationem attrahatur, licèt nutrire poſſit, non violare ieiunium. Quia nec natura, nec Eccleſia etiā antè communionem prohibet ſaliuæ traiectionem, vel aeris reſpirationem, & cōſequenter nec traiectionem eorum, quę vel cùm ſaliua ſunt ita permixta, vt per modū vnius deglutiantur; vel cùm aere regulariter deferuntur, quem ab his purgare non poſſumus ad reſpirandum. Eſſet quippè duriſſimū præceptum, ſi cogeremur nihil omninò cùm ſaliua, vel reſpiratione traijcere. *Sic Suar. to. 3. diſput. 68. ſect. 4. Bonac. diſp. 4. q. 6. punct. 2. nu. 6. Fagundez Præcept. 3. lib. 3. cap. 5. num. 14. Coninch. q. 80. num. 47. Cardin. de Lugo de Euch. diſp. 15. nu. 23. & 34. & alij communiter.*

30 Vndè colligunt, ſiquis abluens os, deglutit aliquid aquæ, vel vini per modum ſaliuæ, quamuis non ſit conuerſum in ſaliuam; pariter ſi guſtans cibum, aut iuſculum, aliquid illius admixtum ſaliuę traijcit, non violare ieiunium.

nium. Addunt *S. Antoninus, Paludanus, Syluester*, quos sequitur *Pasqualigus decis. 323. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 30. quest. 2.* siquid modicum traijciatur à lauante, non solui ieiunium; nam id adhuc non habet rationem potus, aut cibi, cùm descendat in stomachum præter intentionem, & ex vi actionis, quæ non ordinatur ad traijciendum cibum, aut potum.

Idem est, siquis aromata dentibus terat, aut ore retineat ad euitandum aerem, vel odorem noxium, vel ad similem effectum, dummodò nihil ex intentione deglutiatur. Quòd si minimum quid per modum succi permixtũ inseparabiliter saliuæ traijciatur, non solui naturale ieiunium, censent *Tannerus tom. 4. disp. 5. quest. 8. dub. 4. num. 79. Faustus de Euch. li. 1. quest. 381. Diana sup. Consonat Lorichius in Thesauro, verb. Missa. num. 21.* §. 3. dicens, non impediri communionem, siquis granum paruum in os sumeret, ad masticandum, & casu descenderet in stomachum. Quia tunc nulla datur intentio cooperans ad illam actionem, & ordinans illam ad nutritionem; hoc enim requiritur ad veram manducationem, vt dicebamus *numer. 22. P. Illiphonsus Rodriquez* in manuscriptis asserit, aquàm, quàm auellanæ putamen capit, inaduertenter deglutitam, censeri traiectam per modum saliuæ; quòd non omninò reprobat granadus, vt vidimus *supra num. 19.*

31 Colligunt etiam, siquis per modum respirationis attrahat parum terræ, vel pulueris, aut muscam, vel culicem volantem in os apertum, aut aliquas pluuiæ guttas inaduertenter traijciat, non soluere ieiunium. Nam hæc omnia trahuntur per respirationem, vt cùm multis notat Pasqualigus *decis. 317. & decis. 319. dicit, idem esse de odore, vel suffitu. Consonat Granado 3. part. Contron. 6: tract. 10. disp. 8. num. 4. dicens. Siquis respirando attraxerit vaporem aliquem etiam in quantitate, quæ sufficiat ad aliqualem nutritionem, posset adhuc ad Eucharistiam accedere, quia id non sumitur per modum cibi.*

32 Suppono 2. siquis deglutiat sanguinem, aut alium humorem ex capite decidentem ad os, vel ab ore manantem, non violare ieiunium. Quia iuxtà regulam traditam à *S. Thoma in 4. dist. 8. quest. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 3.* quidquid ab intrinseco prouenit, & ore non sumitur ab extrinseco, verè non comeditur, nec bibitur. Secus esset, siquis ex vulnere, quòd habet in manu, vel pede sanguinem sugat, aut extractum ex propria vena bibat, & traijciat: nam ibi verè datur cibus, aut potus ore sumptus ab extrinseco, & deglutitus, vt benè notat *Card. de Lugo supra num. 32.* Addit *Pasqualigus decis. 332.* siquis habens in ore sanguinem, vel humorem, quem eijcere posset, ex industria velit traijcere in stomachum, vt hauriat alimentum, soluere ieiunium; quoniam esset vera comestio ex intentione deglutientis. Quamuis enim non proueniat ab extrinseco, tamen æquiualet extraneæ substantiæ; quippè sanguis extrà proprium locum pro extranea substantia reputatur. Hæc doctrina licèt speculatiuè fortasse sit probabilis, multis scrupulis est exposita: Quare contrarium censeo tutum in praxi; semper enim valet regula *S. Thomæ*, quòd non fit comestio, dum cibus non adducitur ab extrinseco.

33 Suppono 3. siquis aquam, vel quidpiam aliud per nares sumat, quamuis id ad stomachum transmittatur, non violare ieiunium, quia non est sumptum per modum cibi, vel potus; cùm non transierit per viam à natura destinatam comestioni, vel potioni. *Sic docent Suarez, & Fagundez supra. Cœlestinus in compend. tract. 8. cap. 3. dub. 5.*

34 Iam Dico 1. si tabachus ore sumatur, & ex industria transmittatur ad stomachum; procul dubio soluit ieiunium, & impedit communionem: quia talis eius sumptio est vera comestio. Sic notant *Diana, & Alfonsus de Leone sup. præpositus 3. p. quæst. 80. a. 8. dub. 1. n. 39.*

num. 39. Si verò retineatur in ore sine voluntate traijciendi, non soluit ieiunium; quia licet attrahat aliquem humorem, cuius pars descendat ad stomachum, hic non recipitur ab extrinseco, & quamuis aliquis succus tabachi deglutiatur, hic traijcitur per modum saliuæ. Si tabachus sumatur per nares, non soluit ieiunium, vt probat *secunda sententia, & constat ex numero præcedenti*. Si sumatur in fumo, multo minus; quia verè fumus nec est cibus, nec potus. Vnde soluuntur primum, & secundum fundamentum oppositum. Quapropter communis modus sumendi tabachum in folio, vel puluere, vel fumo non violat naturale ieiunium, & per consequens ex eo capite nō impedit communionem.

35 Dico secundò. Sumptio tabachi communiter causat talem fœtorem, & immundam purgationem, vt indè meritò communionem impediat, ob indecentiam, & irreuerentiam aliquando grauem sic tractantis indignè diuina mysteria.

Quare prudenter illa *Concilia relata numero* 27. & plures Antistites grauiter prohibuerunt tabachi sumptionem ante communionem. *Quin Vrbanus* 8. *per speciale Breue iussit*. Vt in Hispalensi Diœcesi nullus ante communionem, nec in Ecclesia, vel cæmenterio sumeret tabachum. Vnde ad alias Diœceses prohibitio manauit. Et ita vel ratione talis prohibitionis, vbi ligat, vel ob irreuerentiam grauem ex immodica sumptione prouenientem sæpè quidem erit mortale peccatum cōmunicare post tabachi sumptionem.

36 Sit dubium tertium. An reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes in dētibus, aut gingiuis, & traiectæ post mediam noctem impediant communionē? Si casu traijciantur, negant *S. Thomas 3. par. q. 80. art. 8. ad 4. Coninch ibi nu. 46. Suarez sup. Vazquez 3. par. disp. 211. c. 3. Syluester, Angles, Sotus, Nauarrus, Chiamerota, Reginaldus*, quos sequitur *Bonacina disp. 4. qu. 6. punct. 3. nu. 6.* Nam tales reliquiæ pertinent ad comextionem diei præcedentis, quæ iam illum cibum masticauit, & per accidens totum non deglutijt. Excipiunt *Nuñus quæst. 80. art. 8. concl. 1. Ludouicus de S. Iuan in sum. tom. 1. qu. 7. art. 10. dub. 5. Manuel in Sum. tom. 1. cap. 103. n. 3.* nisi reliquiæ magnæ sint, & quę dentibus scindi possint; tunc enim iam videtur esse noua comextio.

37 Si reliquiæ deglutiantur ex industria, violari ieiunium, sentiunt *Paludanus*, quem sequitur *Vazquez sup. Filliuc. tract. 4. num. 236. Reginaldus lib. 29. num. 119. Layman lib. 5. trac. 4. cap. 6. num. 18. Cardin. de Lugo num. 36. Præpositus 3. p. q. 80. art. 8. dub. 1. num. 40. & alij*. Probatur, quia talis actio censetur noua comextio, cum ex vi prioris non sequatur, sed noua voluntate fiat. Quamuis enim præceptum nō obliget ad illas reliquias ex dentibus extrahendas, vt expuantur; nam omissiuè nos in his habere non est comedere, sed permittere reliquias cum saliua traijci, quod non tollit naturale ieiunium, cum sit quasi moraliter connexum cum cœna noctis præcedentis. At quando reliquia iam è dentibus extracta sensibiliter habetur in lingua, v. g. granum anisij, vel quid simile, cumque possit expui facilè, vult aliquis id ex industria deglutire, vel retinere, vt cum saliua traijciatur, censetur sponte violare ieiunium per voluntariam comextionem.

38 Oppositum docent *Tabiena verb. communicare num. 49. Henriquez lib. 8. cap. 50. num. 4. litt. V. Ochagauia tract. 2. de Euchar. q. 12. num. 7. Ioannes de Cruce, Molfesius, & Pitigianus*, quos sequitur *Diana part. 3. tract. 4. Resol. 37. & part. 4. trac. 4. Resolut. 104.* Probatur, quia cum tales reliquæ siue paruæ, siue magnæ (nō possint autem nō esse communiter exiguæ, quæ manent affixæ dentibus) non ab extrinseco recipiantur hodie, sed heri tanquam partes hesternæ comextionis sumptæ, cœperint masticari, semper retinent moralem connexionem cum illa, subindèque licet sensibiliter habeantur in lingua, & ex industria deglutiantur, non constituunt nouam comextionem mo-

moraliter, sed hesternam perficiunt, & complent.

39 Conueniunt ferè Doctores, in praxi fore consulendum, vt dictæ reliquiæ, quantum commodè fieri possit, expuantur: Nam idest securiùs, & decentiùs. At quoniam scrupuli non sunt inijciendi, quoties probabiliter tolli possunt, nec probabilitas posterioris sententiæ negari debet; censeo, non solum non esse dãnandum peccati mortalis illum, qui reliquias præcedentis diei voluntariè traijceret, vt asserit *Diana sup.* sed nec peccati venialis. Quia si verè non violat naturale ieiunium, vt sentiunt Authores huius sententiæ, non est cur peccet venialiter communicando. Rursus vt diximus *sup. num* 17. circa præceptum istud non datur veniale peccatum ex paruitate materiæ; quapropter si post voluntariam reliquiarum traiectionem cõmunicare peccatum esset, non foret veniale, sed mortale.

40 Hinc inferunt *Tabienna verb. communicare num.* 49. *& Barthol. ab Angelo Dial.* 4. §. 214 Probabileq. censet *Amicus tom.* 7. *disput.* 27. *sect.* 1. *num.* 5. Si quis noctu saccharum, aut quid simile mittat in os, vt paulatim liquefiat, & descendat in stomachum, quamuis ex industria deglutiatur per mediam noctem, non violare ieiunium naturale; nam ad huius violationem requiritur cibus eodem die sumptus ab extrinseco, & in hoc casu nullus cibus exterior recipitur, sed qui fuerat receptus, paulatim liquefit, & traijcitur per modum saliuæ.

41 Verum omninò tenendum est, hũc communicare non posse, nisi moraliter certus sit, se nihil deglutijsse post mediã noctem. Ita *Suarez, Vazquez, Coninch, Reginaldus, Bonacina*, *Ioannes Sanchez*, *& alij*, quos sequuntur *Diana par.* 2 *trac.* 14. *Resolut.* 51. *& part.* 7. *trac.* 12. *Resolut.* 10. *Cardin. de Lugo supr. n.* 37. Probatur, nam id, quod post mediam noctem traijcitur vel casu, vel industria, planè non est reliquia Cœnæ præcedentis, sed pars eius cibi, cuius comextio fit per continuam liquefactionem, & traiectionem. Etenim cum illud mittatur in os, vt paulatim deglutiatur, ex intentione sumentis tamdiù durat eius comextio, quãdiù liquefactio, & traiectio; nec finitur, donec totum traiectum sit, aut eiectum ex ore. Comedit ergo post mediam noctẽ, qui tunc illum liquorem deglutit. Sicut qui paulo ante mediam noctem immitteret in os partem pomi, panis, aut carnium, & bene præmansam post mediam noctem deglutiret, communicare non posset. Quippe cõtinuare comextionem inceptam est verè comedere. Vnde soluitur fundamentum oppositum. Secus est in reliquijs, quæ sumptæ sunt pro cœna præcedente, cuius subindè complementum sunt ex primaria sumentis intentione.

42 Si quis verò post mediam noctem reperiat in ore, quòd prima nocte sumpserat, & materia sit talis, vt liquefieri nequeat, extrahat illam, & manet ieiunus. Secus si liquefieri possit, & probabile sit, aliquid fuisse post mediam noctem traiectum. Si post mediam noctem totum reperiat consumptum, & perpensis circumstãtijs, probabile reputet, totum fuisse traiectum ante mediam noctem, vel esse probabilem vtramque partem, communicare potest, quia sufficit conscientia probabilis ieiunij, vt dicemus *infra num.* 48. Si verò probabile reputet, aliquid post mediam noctem fuisse traiectum, & oppositum non esse probabile, non potest communicare. *Sic Pasqualigus decis.* 327. *&* 328. Quid autem si sit dubium negatiuum? dicemus *numero* 46.

CAP. VII. QVÆST. V.

Quamdiu debeat hoc ieiunium ante communionem seruari?

43 S. *Thomas.* 3. *par. q.* 80. *art.* 5. sic ait. *Licet principium diei secundum diuersos diuersimodè sumatur; Ecclesia Romana diem à media nocte incipit. Et ideò si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus,*

non

non potest eadem die hoc sumere Sacramentum; potest verò, si ante mediã noctem. Hanc doctrinam sequuntur communiter Doctores, qui dicunt, hanc ecclesiasticam consuetudinem in natura fundari; nam tunc incipit Sol ad nos redire. *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. ad 5. notat, standum esse consuetudini loci, quæ tamen Ecclesiæ decreto recepta fuerit; quod approbat Suarez disp. 68. sect. 4. sed addit, Nullibi* (quòd sciamus) ab Ecclesia fuisse receptum alium modum computãdi diem quoad ecclesiasticas functiones, licèt quoad alios vsus, vel actiones diuersæ sint Regionum consuetudines. At vbi per sex menses sol non occidit, & per totidẽ alios non apparet, iam erunt termini designati post aliquam operationum periodum ad sumendum alimentum, quibus Ecclesia præceptum istud accommodet, & horam etiam sacrificandi. Videatur *Vazquez 3. part. disp. 211. num. 32.*

44 Quæres 1. vtrùm necesse sit, cibum esse digestum, vel dormiuisse post cœnam ad Eucharistiam recipiendam? Affirmare videtur *glossa in cap. Nihil 7. q. 1.* propter *caput. Tribus gradibus de Consec. dist. 2.* vbi dicitur, hunc sacrum cibum non esse profanis cibis miscendum: Et Glossa in cap. *Si constiterit de Accusat.* propter illum textum, in quo punitur sacerdos, qui post cibum in taberna sumptum nocte præcedente, mox processit ad publicam Missam cantandam.

Negant communiter (& meritò) Doctores *cum S. Thoma sup.* docente, nihil referre ad communionem, vtrum post cibum, & potum antè mediam noctem sumptum homo dormierit, vel cibus digestus sit, quantum ad rationem præcepti; referre tamen quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter carentiam somni, vel digestionis. Ratione probatur; nam absolutè dicitur ieiunus, qui post mediã noctem nihil sumpsit: quamuis cibum anteà sumptum non digesserit. Et nullo iure præcipitur ille somnus, vel digestio: nec finis præcepti, scilicet apta dispositio communicantis ieiuni cadit sub præceptum, sed sola materia, nimirum nihil post mediam noctem comedisse, vel bibisse. Sic intelligi potest textus in cap. *Tribus gradibus*, vt loquatur de fine præcepti: Sed præcipuè loquitur de cibo non sumendo post communionem, cuius præceptum abrogatum est, vt vidimus *sup. n. 4. In* cap. *Si constiterit*, punitur ille sacerdos propter irreuerentiam, & præsumptionem cibi post mediam noctem accepti; cùm totam noctem in taberna bibulus transegisset. Vndè soluitur fundamentum contrarium.

45 Quæres 2. An dubius de ieiunio possit cõmunicare? Suppono, dubiũ esse posse vel negatiuum, vel positiuũ. Rursus põt esse dubiũ, an aliquid traieceris: vel cùm constet, te comedisse, dubitas, an fuerit post mediam noctem. In dubio negatiuo affirmant absolutè Medina, *Lucius, Laym. Ioan. Sanch. quos retuli in tr. de consc. c. 2. q. 30. num. 175. nunc addo Mart. to. 4. disp. 35. n. 65. & Dian. p. 3. tr. 4. Resolut.* 29. Probant; nam in dubio melior est conditio possidentis: sed quilibet fidelis possidet ius communicandi, dum non cõstat impedimentũ aliquod. Ergo dum est dubia violatio ieiunij, cõmunicare potest: non enim impedit nisi connextio eiusdem diei certa. *Cardin. de Lugo disp. 15. n. 43. & 44. distinguit.* Si dubiũ sit, an aliquid traieceris, poteris cõmunicare: quia tunc possessio stat pro tua libertate, atque prohibenti communionem incumbit onus probandi violationem ieiunij, quæ non probatur in dubio negatiuo: Si verò scis te comedisse: sed dubitas, nam fuerit post mediã noctem, non poteris communicare, quia possessio stat tunc pro præcepto, tibique incumbit onus probandi ieiunum certum, quòd non poteris probare, dum est dubium negatiuum.

46 Ego *in ea q. 30. n. 176.* Probabiliorem reputaui sententiam afferentem, in vtrolibet casu non posse communicare, secutus *Thomam Sanc. Salas Villal. Bonac. & Palaum, nunc addo Fagundez,* Præ-

*Præcept.3.lib.3.cap.5.num.*18. & confirmo ratione; nam ieiunium naturale prærequiritur, vt dispositio necessaria communioni, sicut prærequiritur confessio peccati mortalis: Et ad recipiendum Sacramentum certum non sufficit dispositio dubia. Sicut ergò siue sit dubium negatiuum de confessione peccati mortalis, siue de commissione illius, non possumus communicare, nisi faciamus certam confessionem, vt vidimus *in hoc lib.4.cap.6. quæst.4. num.* 28. Quia Sacramentum possidet ius suum non admittendi ad communionem certam sine dispositione certa; Sic non potest communicare, qui dubitat negatiuè de suo ieiunio. Semper ergò petenti communionem incumbit onus probandi [illegible] suam conscientiam per examen, aut confessionem certam, vel suum ieiunium per notitiam certam illius. Fundamenta cõtraria solui *ea q.30.*

47 In dubio positiuo negant, communicare posse probabiliter opinãtem, *Manuel in summ.tom.1.cap.105.num.6. Salas 1.2.tract.8.disp.1.sect.25. nu.264. Merolla tom.1.disput.3.cap.3. corol.11. num.139.* si sit vtraque pars probabilis; quia suppetunt vtriusque partis probabilia fundamenta; nimirum diuersæ coniecturæ, vel horologia diuersa, quæ diuersimodè designant mediam noctẽ. Probatur; quia sicut datur Sacramentum certum, & non solum probabile, sic prærequiritur dispositio certa, & non solùm probabilis; & tanti sacramenti reuerentia postulare videtur, vt nullus ad illud accedat probabiliter indispositus, quamuis sit probabiliter dispositus. Quare posita speculatiua probabilitate vtriusque partis, præualere debet in praxi tum possessio, tum reuerentia Sacramenti. Hanc sententiam dicit esse probabilem *Diana 4.p.tract.3.Resol.19.*

48 *Affirmant Fagundez Præcep.4.lib.1.cap.10.n.3. Thomas Sanch. lib.2. de Matrim.disp.41.n.40. Ioannes Sanchez disp.42.n.18.Villalob.to.1.tract.1. Diffic.21.n.7.Trullench.lib.3.Decal.cap.1.dub.4.nu.8. Pharonius, & Vega, quos sequitur Diana sup.& p.3.tract.4.Resol.36.* Probatur; quia sufficit assensus probabilis ad reddendam licitam operationẽ; & quoad obseruationem præceptorum licitè sequimur conscientiam probabilem. Vndè si nullum sit horologium, & aliquis ex indicijs, vel mensuris, vel mora suarum operationum probabiliter iudicet, se nõ comedisse, vel bibisse post mediam noctem, quamuis ex alijs indicijs videat, oppositum esse probabile, communicare potest. Vbi sunt plura horologia mediocriter composita cum cursu solis, vnumquodque (dum eius error non constet) facit opinionem probabilem circa designationem temporis; non enim habemus regulariter signa certiora, quibus probabiliter regulemus. Nec plura horologia tollunt probabilitatem pauciorum; quia possunt pauciora, vel vnicum ex parte regulantis, vel ex alijs circumstantijs æquare plurium auctoritatem. Quare censeo, sententiam istam omninò tenendã esse, dummodò circa vnam communionem vnicum horologium sequamur, nec in eodem numero casu variemus opinionem, *vt ostendi in tract. de consc.cap.3. quæst.16.*

49 Quoties est vnicum horologium (vel iam vnum elegi sequendum) non posse me communicare, si quando cępit sonare hora duodecima, quę designat mediam noctem extra Italiam, aliquid bibam, *docent Thomas Sanchez, Villalobos, Fagundez, & Trullench.sup. Diana vtroque loco. Ioannes Sanch.n.19.& 20.Garcia de Benef.p.5.ca.1.n.524.* Quia cùm primus pulsus horæ sonat, iam hora præterita fuit expleta: reliqui verò pulsus adduntur, quoniam hora duodecima nequit vnico pulsu significari, sicut indicatur hora prima. Quare monent, si quis velit die sequẽte cõmunicare, ac in ore habeat bucellam, vel aquam, dum audit primum pulsum horæ duodecimę, debere mox ex ore proijcere, quidquid habet cibi, vel potus; nam si quid deglutiat, etsi post vltimum pulsum nihil traijciat, iam non est ieiunus.

50 Ad-

50 Addunt *Cardin. de Lugo disput. 15. num. 37. & Praepositus 1. 2. qu. 19. artic. 6. dub. 5. num. 8.* quoties ante pulsus maiores horarum sonant quatuor pulsus leuiores ad designandum, iam esse finitos quatuor horae quadrantes, à primo talium pulsuum incipere sequentē horam; & subindè quando sonat hora mediae noctis, si quis deglutiat aliquid post primum pulsuum quadrantium, iam non esse ieiunum; quia deglutiuit aliquid post mediam noctem.

Probant ex motu rotae, quae continuè mouetur in horologio, diuiditur enim ad modum Crucis in quatuor partes aequales secundum spatia quatuor quadrantium, quae per consequens aequalia sunt, ac proindè vbi primum pertransitur illud quartum spatium rotae, finitur vltimus horae quadrans: Illud autem spatium finitur, quando sonat primus pulsus quadrantium ante pulsum horarum. Ergo iam tunc hora praecedens finitur, & tempus sequens, quo sonant alij tres pulsus quadrantium, & duodecim horarum pertinet ad primum quadrantem horę sequentis; videlicet primę post mediam noctem; & consequenter qui tūc deglutit aliquem cibum, aut potum, iam non est ieiunus.

51 *Truillench lib. 3. Decalogi ca. 2. dub. 4. nu. 8.* dicit hanc additionem esse mathematicè, ac in rigore Theologico veram; quia tamen quatuor pulsus leuiores quadrantium, & primus pulsus horae maioris moraliter computari possunt pro vnico tempore quasi complente praecedentem horam, probabile quidem esse, non violari ieiunium vsque ad primum pulsum horae maioris. Quippe verosimile fit, pietissimam matrem Ecclesiam nolle propter tam breue, ac imperceptibile tempus priuare fideles Sacra communione.

52 Quin *Zacharias Pasqualigus decis. 338. censet*, debere ieiunium incipere non à primo pulsu quadrantium vel horarum, sed ab omnium vltimo; quod probabile reputant *Bresserus de consc. li. 4. cap. 11. num. 107. & Diana par. 6. trac. 6. Resolutio. 34.* Quia moraliter tamdiu durat designatio mediae noctis, quandiu sonus omnium pulsuum auditur; & in rebus moralibus non est mathematicè procedendum, sed sufficit, vt tempus moraliter mensuretur, quamuis per exiguam partem dies sequens anticipetur, vel postponatur.

Probatur primò. Quia nullum praeceptum obligat, nisi quatenus eius impletio moraliter est possibilis: sed est impossibile moraliter metiri mathematicè dimidium noctis, quando scilicet incipit accedere Sol ad nostrum hemisphæriū. Etenim nec vbique sunt horologia, nec in Italia designant illud punctum, & vbi designant illud, non sunt regula tàm infallibilis, vt Ecclesia nos obliget ad illā rigorosè sequendam. Ergo sufficiet designatio moralis, & prudens etiam paulum ante, vel post vltimum horologij sonum.

Probatur secundò. Nàm in hoc materiae paruitas excusare potest saltem à mortali, cum materia sit diuisibilis, & substantia praecepti non violetur simpliciter, sed secundum quid. Sic non est mortale peccatum in die ieiunij parum anticipare comextionem, vel Missam in aurora, vel matrimonium ante requisitam aetatem, vt asserit *Diana par. 5. tract. 5. Resolut. 16.* Parum reputat *Pasqualigus*, quod non attingit horam, nec tantum diei demit, vt non censeatur restare moraliter integer.

53 Ego tamen, vbi nullum est horologium, vel illud non indicat punctum mediae noctis; Dico primò dari latitudinem moralem in illius assignatione; nam cum id punctum nequeat mathematicè dignosci, facilè quisque poterit ex indicijs iudicare, se nihil post mediā noctem traiecisse; quamuis aliquid re vera parum post mediam noctem traiecerit; & hoc ad summum probat primū fundamentum *Pasqualigij*. Si verò sit vnicum horologium indicans punctum mediae noctis (idem est, si vnum talem sequendum elegeris.) Dico secundò, nisi constet error ipsius, aut saltem sit probabilis,

bilis, te non posse post omnes eius pulsus aliquid deglutire, quin violes naturale ieiunium diei sequentis; quo subindè debeas abstinere communione.

Nam inter media dignoscendi punctum mediæ noctis tanta est auctoritas vnius horologij compositi mediocriter cum cursu Solis, vt regulariter non relinquat alijs indicijs alterius generis prudentem probabilitatem, nec moraliter suppetat coniectura prudens ad probabiliter opinandum oppositum. Ergo teneris ex vi præcepti prorsus abstinere, si vel is eo die communicare. Cum post omnes pulsus horologij non habeas prudenter probabile fundamentum ad iudicandum, nondum decurrisse mediam noctem.

54 Quoad sonum primi, vel vltimi pulsus certè rarissimè continget, horologium ita componi cum cursu Solis, vt mathematicè designet punctum mediæ noctis hoc, vel illo pulsu quadrantium, vel horarum. Quapropter ex hac parte posset admitti latitudo moralis, & extendi ad totum spatium, quo durant omnes pulsus, vt volunt *Trullench, Pasqualigus, & Bresserus*. Nam illa rota quamuis diuidatur in quatuor æquales partes; non semper est sic adamussim mathematicam composita cum hora solari, nec semper habet motum sic vniformem, vt eodem semper pulsu designet infallibiliter mediam noctem.

Aliùdè mihi persuadeo, post primum pulsum etiam quadrantium nihil traijci posse sine violatione ieiunij naturalis; nam audiui frequenter à dirigentib. horologia, sæpius etiam in varijs locis expertus sum, horologia publica sic dirigi communiter, vt non præcedant, sed subsequãtur horas solares saltem per vnum quadrantem: Vnde quando sonat hora duodecima noctis extra Italiam, & incipit per pulsus leuiores quadrantium designare principium horę sequentis, est iam moraliter certum iuxta communem praxim dirigentiũ horologia transijsse mediam noctem solarem; quod ante primum pulsum non erat ita certum ex defectu signi probabiliter id indicantis.

55 Ad primum fundamentum *Pasqu.* quatenus oppugnat nostram secundam conclusionem, respondetur, obligare præceptum istud ad seruandum ieiuniũ, quàmdiu moraliter, & prudenter constat, transijsse mediam noctem: Ad hanc autem notitiam comparandam sine probabilitate partis oppositæ communiter est aptissimum medium horologiũ mediocriter compositum cum cursu solis, vt dictum est.

Ad secundum negatur antecedens; nam vt diximus *supra q.3 num.17.* præceptum istud non prohibet directè comestionem, aut potationem tali, vel tali tempore, sed communionem post violatum ieiunium. Vnde non est similis obligatio ieiunij, vel aliorum præceptorum; si semel admittitur, ieiunium naturale violari saltem leuiter per aliquid paulo post mediam noctem deglutitũ, iam Eucharistia recipietur à non ieiuno, quæ grauis est violatio præcepti. Vide *sup. num.20.*

CAP. VII. QVÆST. VI.

Vtrum in nocte Natalis seruetur ieiunium ante Missam coram Summo Pontifice?

56 IN hoc præcepto ieiunij naturalis solus Papa dispensare potest, vt tradunt communiter Doctores. De facto tamen rarò dispensat. *Famianus de Estrada lib.1. de Bello Belgico dicit, dispensauisse Iulium 3. Cum Imperatore Carolo 5. propter debilitatem stomachi. Martinon tom.3. disp.35. nu.64. narrat, dispensasse Paulum* 5. Vt quædam matrona Lemouicensis quotidie post cibũ communicaret, ad compescendum horribilem totius corporis tremorem, quo post sumptionem cibi corripiebatur cũ vitæ periculo, nisi mox ei communio daretur; quòd vnicum remedium huic malo, seu maleficio repertum est, sed promptum semper, & efficax.

57 Est

57 Est autem dubium: An dispenset cum Cardinale celebrante nocte Natalis Domini primam Missam post Matutinum in Sacello Pontificio. Nam re vera tota Missa finiri solet ante mediam noctem, vt Cardinales opportunè die sequenti conuenire possint ad tertiam Missam, quàm celebrat selemniter Pontifex. Libellus inscriptus Ordo recitandi diuinum officium excussus Romæ, sic inquit *in Vigilia Natalis. Celebraturus ante mediam noctem ex priuilegio, vel legitima consuetudine non dispensatur in ieiunio necessario ad Missam; idest à pridiana media nocte ieiunet, nec in Missa Vigiliæ sumat purificationem; Et in eo casu si in prima Missa sumat purificationem, imò, & cibum ante mediam noctem, potest celebrare secundam, & tertiam Missam Natiuitatis Domini.*

Sic seruat in praxi Primicerius Sancti Marci Venetijs, qui teste *Pasqual. decis.* 311. manet ieiunus, donec prima nocte celebrauerit, postea cœnat, & die sequēte celebrat alias duas Missas. Itaq; iuxta sententiam istam non dispensat Pontifex in ieiunio, sed vt ille Cardinalis in Vigilia Natiuitatis celebret duas Missas, vnam manè, alteram nocte, ac die sequenti dicat aliás duas dumtaxat. Obstat verò praxis Romæ; nam ibi Cardinalis iste solet hora solita prandere, quāuis sero non sumit collationem in Palatio Pontificio dari solitam, vt testantur *Cardinalis de Lugo de Euchar. disp.* 15. *num.* 55. *Diana par.* 7. *tr.* 12. *Resolut.* 12. & *par.* 8 *tr.* 1. *Resolut.* 89.

58 Quapropter *Auersa de Eucharist. quæst.* 8. *sect.* 8. *Diana supra Cardinal. de Lugo num.* 56. censent, ibi non dispensari quidem in ieiunio, sed pro illo loco, & pro illa nocte anticipari nonnihil initium diei sequentis. Quia ieiunium solum esse debet intra diem illum; quando verò dies incipiat, pendet ab hominum placito, quorum varij varium initium assignāt: Ecclesia computat à media nocte: potest igitur eadem aliquando computare diem ab alia hora iustis de causis; quales vtique suppetunt, vt *P. Lugo de Sacramentis,* Pontifex anticipet per duas horas initium illius diei pro tali loco.

59 Quod autem de facto anticipetur dies Natalis. Probatur 1. Nam si Missa illa dici censeatur intra Vigil. non satisfacerent præcepto audiendi Missam in die Natalis, qui Missam illam audirent, quod tamen videtur esse contra mētem Pontificis, qui Missam illā celebrari facit pro festiuitate Natalis. Probatur 2. nam si Vigil. sit dies Dominica, posset aliquis non audire mane Missam in illa Dominica, sed expectare Missam dicendam ante mediam noctem, vt satisfaceret præcepto Dominicæ de Sacro audiendo. Probatur 3. Quia celebrans non posset facere sacrum ipsa Vigilia mane, ne celebret bis in eodem die, quod solum conceditur pro die Natalis.

Probatur 4. Quia posset die sequenti Natalis alias tres Missas celebrare: siquidem de iure conceditur omnibus illa die dicere tres Missas, & ipse non dixit primam Missam intra, sed ante diem illum. Probatur 5. Quia posset post illam primam Missam ante mediam noctem comedere, vel bibere, posteaq; sequenti die dicere secundam, & tertiam Missam: siquidem esset ieiunus intra diem illum. Probatur sextò. Quia posset, imò deberet in illa prima Missa post communionem ablutionem sumere: quod tamen est contra rubricam Missalis in illa Missa, & contra praxim, si Cardinalis vult celebrare secundam, & tertiam Missam. Hæc inconuenientia cessare videatur, si dicamus, Pontificem anticipare per duas horas initium diei sequētis in illo loco.

60 Obstat huic sententiæ: Quod Ecclesiasticum institutum inchoandi diem à media nocte sic est vbique fixum, & vniuersaliter receptum, vt numquam, & nusquam nouerimus immutari, vel dispensari, cum tamen ieiunium ante communionem sæpè non obliget, & aliquando dispensetur. Quapropter in hoc casu facilius, & connaturalius videtur, asserere dispensationem, quàm talem anticipationem.

Quippe dispensatio, cum sit priuilegiũ, quod ex se respicit priuatam personam, potest cadere connaturaliter super specialem personam, & locum ex speciali causa. Verum anticipatio diei secũdum se tangit regulam vniuersalem; cum mensura temporis ex natura sua sit omnibus communis; vnde non oportet pro casu particulari variari. Accedit, quòd si dies anticipatur pro tali loco, poterit alius ibidem ante mediam noctem celebrare; quod tamen non videtur admittendum.

61 Propter hæc *Martinon, & Pasqualigus supra.* Dicunt, ea nocte dispensare Papam, vt Missam dicatur à non ieiuno; subditque *Pasqualigus*, quotannis expediri Breue dispensationis particularis. Quod tamen *Diana supra* testatur esse falsam; nam officiales Curiæ rogati negant expeditionem Breuis alicuius pro Missa noctis Natalis.

62 Mihi certè non est dubiũ quin Pontifex possit in hoc casu vel anticipare diei principium, vel dispensare cum illo Cardinale, siue vt non ieiunus celebret, siue vt ieiunus celebret bis in Vigilia, & bis in die Natalis iuxta varias sentẽtias relatas. Quæstionem verò de facto valdè dubiam inuenio; quia nec Summus Pontifex satis exprimit suam mentem, nec omnes forsan Pontifices eamdem habuerunt, nec omnes forsan Cardinales in tali celebratione seruant eandem praxim, aut sequuntur eamdem opinionem: Vnde dubiæ redduntur illationes indè deductę.

63 Ad primum etenim fundamentum positum *num.59.* respondet *Pasqualigus concedendo sequelam*, quam putat, non esse contra mentem Pontificis. Quia licet Papa velit, illam Missam celebrari pro festiuitate Natiuitatis, non tamen vult, vt per illam impleatur præceptum audiendi Missam die Natalis; anticipat enim officium, non verò tempus, aut diem, pro quo præceptũ obligat. *Auersa* consequenter ad suam sententiam censet per illam Missam impleri præceptum diei Natalis, qui tàm pro celebrante, quàm pro audientibus anticipatur. Addit *Diana supra*, etiam in opinione *Pasqualigi*, præsumendum esse, dum Pontifex dispensat, vt anticipetur illa Missa, dispensare pariter, vt tam celebrans, quàm audientes impleant tunc præceptum diei sequentis; ne post tantam solemnitatem maneant ligati pręcepto rursus audiendi sacrum illud, aut aliud sequenti die: videturque mihi prudens, & pia coniectura.

64 Ad secundum concedit etiam sequelam *Pasqualigus*, & quidem consequenter ad suam sententiam; addit tamen, nisi præceptum obliget ad audiendam Missam intra tempus, quo de iure communi potest celebrari, quod ipse reputat verius; tunc enim non impleret præceptum audiens in nocte Missam Dominicæ, quæ simul esset Vigilia Natalis; quia non audit illam intra tempus, quo de iure communi potest in tali Dominica celebrari. Verum de hoc dicemus *lib.5.ca.14.q.3.* Ad tertium respondet, posse mane celebrare Cardinalem: quia Pontifex non tollit, quod habet Cardinalis de iure, sed dispensat, vt post factum vnum sacrum, faciat aliud non ieiunus. At ordo recitandi diuinum officium, dicit dispensare quidem, vt faciat aliud sacrum, ieiunus tamen: Quilibet loquitur iuxta suam sententiam.

Ad quartum *Pasqualigus, & Ordo recitandi* negant sequelam; quia ius concedit, celebrari tres Missas in Missali præscriptas: vnde qui celebrauit primam die præcedenti, potest die sequenti dicere duas alias dumtaxat, & sic esse capiendam dispensationem.

Ad quintum ijdem concedunt sequelam; consequenter equidem ad dispensationem, quàm assignant; & sic referunt fieri Venetijs.

Ad sextum pariter concedunt sequelam; nec putant, opponi rubricam, quæ loquitur, quãdo prima Missa dicitur ipso die Natalis, vt regulariter fit, non in casu prædictæ dispensationis. Ita sanè iuxta diuersas sententias diuersimodè philosophandum est.

CAP

CAP. VII. QVÆST. VII.

Vtrum aliquando possit fidelis communicare non ieiunus?

65 HÆc lex, seu regula generalis denegans communionem non ieiunis patitur aliquas exceptiones. Prima fit ab omnibus recepta; quoties oportet Eucharistiam consumere ad eiusdem irreuerentiam euitandam, videlicet si periculum sit, quod deueniat in potestatem infidelium, aut comburatur, aut comedatur à bruto, vel quid indecens huiusmodi contingat. Tunc enim vel à Sacerdote, vel à Laico non ieiuno (si nullus adsit ieiunus) sumi potest. Cum enim hoc ieiunij præceptum ob Sacramenti reuerentiam latum sit, non obligat, quoties ipsamet Eucharistiæ reuerentia contrarium postulat. Ita *Vazquez 3.part.disputat.*211. *numer.*57. *Martinon tomo quarto disput.* 35. *num.* 64. *Cardin.de Lugo de Euchar.disput.*15. *num.*87. *Suarez tom.*3. *disput.*68. *sectio.*6. *Coninch quæstio.*80. *num.* 71. *Fagundez. Precept.*3. *lib.*3. *cap.*5. *num.*32. qui subdit cum *Vazquio*, tunc etiam à Laico (deficiente Sacerdote) proprijs manibus esse sumendam Eucharistiam post quemlibet cibum; quod est consequens ad doctrinam *supra traditam cap.*6. *quæstio.*3. *num.*16. Idem est, si celebrans deficiat post consecratum Calicem, & non adsit sacerdos, à quo sumatur sanguis, nec seruari possit sine periculo corruptionis, aut irreuerentiæ notabilis; tunc.n. à Laico sumi potest, vt docent *Vazquez supr. disp.*216. *num.*47. *Suarez disp.*71. *sect.*3. *Diana par.*5. *tract.*3. *Resol.*34.

66 Secunda exceptio fit ob scandalum vitandum: Quamuis enim id neget *Nauarr.cap.*21. *num.*53. & *communiter Doctores huius exceptionis non meminerint*; quia regulariter nõ sequitur scandalum ex hoc, quod homo non sit ieiunus; si quando tamen verè sequatur scãdalum graue, quod aliter vitari nequeat, cessat obligatio præmittendi ieiunium communioni, cui salus animarum, & obligatio charitatis præfertur. Quapropter hæc exceptio vitandi verum scandalum actiuum habet locum in omnibus præceptis, vbi contrarium non est intrinsecè malum. Ita *Cardinal. de Lugo supra numero* 70. *Suarez disputat.*68. *sectio.*5. *fine*. Idem est, si sequatur infamia; posset enim ad illam euitandam siue Sacerdos celebrare, siue Laicus communicare non ieiunus. Quia communiter leges positiuæ non obligant cum famæ, vel honoris discrimine: Subindè præceptum istud non obligat cum tanto detrimento. Sic censent *Suarez*, & *Lugo supra*, *Vazquez disputat.*211. *num.*48. *Coninch. qu.*80. *num.*61. & 64. *Præpositus* 3. *p. quæst.* 80. *art.*8. *dub.*2. *num.*40. *Diana par.*4. *tr.* 4 *Resolut.*104.

67 An autem ob implendum præceptum communionis annuæ possit communicare ieiunus infirmus, qui nequit omittere, nec differre potionem sine graui damno? Affirmat *Toletus lib.*2. *cap.*28. *num.*3. quia putat præualere præceptum illius communionis. Negant verò *Diana supr. Præpositus numero* 42. Nam Ecclesia suo præcepto non censetur illum obligare, qui non potest communicare ieiunus. Quare talis ex spectare debet, donec possit communicare ieiunus.

68 Si quis minetur mortem Sacerdoti, nisi celebret non ieiunus, vel etiam Laico, nisi communicet post violatum ieiunium (non quidem in contemptum Ecclesiæ, vel præcepti, sed ob alios fines) posset Sacerdos celebrare, vel Laicus communicare non ieiunus; sicut etiam posset censura ligatus. Nam Ecclesiastica præcepta communiter non obligant cum tanto rigore. Sic aiunt *Syluester Eucharist.*2. *num.*10. *Ochagania de Euchar. trac.*2. *qu.*12 *num.*15. *Diana part.*5. *tract.*3. *Resolut.*39.

69 Tertia exceptio fit ob periculum mortis naturalis. Conueniunt enim Doctores, Eucharistiam per modum viatici posse moribundis non ieiunis admini-

strari quando commodè non potest expectari tempus, quo ieiuni communicent. Ita *S. Thom. 3 p. q. 80. art. 8. Caietanus, Nuñus, Coninch ibi, Nauarrus, & Suarez sup. Vazq. num. 34. Fagund. n. 19. Henriq. lib. 8. c. 50. n. 1. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. 6. punct. 2. num. 21.* Solent afferri nonnulli textus, sed certè nullus id statuit expressè: Colligitur tamen ex *cap. Presbyter. de consecr. dist. 2. & ex Concil. Constantiensi sess. 13.*

Probant aliqui; quia præceptum recipiendi viaticum in articulo mortis est diuinum, ac subindè præualere debet præcepto præmittendi ieiunium communioni, quod est humanum. Sed hoc argumentum, si valeret, probaret pariter ad præbendum viaticum moribundo, posse consecrari panem fermentatum, & sine vestibus sacris, vel Altari; nam hæc omnia sunt humana precepta, quæ cedere deberent diuino de sumendo viatico; quod tamen nemo concedet fieri posse, quamuis infirmus sine viatico decedat. Ideo diximus *supra ca. 6. qu. 6. num. 39.* maiorem, vel minorem obligationem præceptorum non sumi ex maiori, vel minori potestate præcipientis, sed ex eiusdem intentione, quam communis Ecclesiæ sensus, & vsus indicare solet. Igitur hæc exceptio constat ex Ecclesiæ praxi perpetua, quam credibile sit dimanasse vel à Pontificum, vel ab Apostolorum voluntate, seu decreto, quòd nobis per solam consuetudinem innotuerit. Congruentia verò talis decreti fuit summa necessitas moribundi, qui maximè tunc eget auxilijs Eucharistiæ.

170 At notandum est, si certo constat, posse moribundum expectare communionem ieiunum, teneri præcepto sicut ceteros, vt notat *Zambranus capite 3. dub. 5. numero primo*. Colligens inde peccare mortaliter Parochum, qui manè vocatus, vt ministret Eucharistiam infirmo ieiuno, differt viaticum in Vesperam, quando iam non erit ieiunus; quia secundum omnes Doctores sola necessitas excusat à ieiunio morientem. Verum hoc non tam strictè capiendum est; ita vt si Parochus non possit commodè deferre viaticum, antequam infirmus comedat, licitè deferat tempore commodiori etiam post cibum. Solet autem esse commodius tempus vespertinum; tum propter maiores occupationes, quibus manè Parochi detineri solent in templo; tum ob maiorem concursum comitantium, & post postulationes etiam aliorum semel defertur ad multos, & non est necesse sæpius in die deferri cum minore decentia. Sic aduertit *Cardin. de Lugo num. 74 & addit*: Si periculum est, ne vel moriatur æger, vel rationis vsum, aut corporis vires amittat, antequam possit cras ieiunus communicare, communicandum esse hodie non ieiunum. Magis quippè pertinet ad Sacramenti reuerentiam, vt integris sensibus homo communicet, quàm vt ieiunus.

71 Hinc fit primò. Non esse nimis scrupulosè discutiendum, an sit certum periculum mortis, vel non; vt detur Eucharistia non ieiunis, ne dum scrupuli morantur, infirmi moriantur sine viatico, vt monent *Henriq. & Fagund. supra*.

Fit secundò. Cauendum esse, ne moribundus ob violatum ieiunium differat communionem in diem sequentem cum periculo decedendi sine illa, vt notat *Bonacina supra num. 22.* Fit tertiò. Quamuis infirmus possit vna vel altera hora post mediam noctem seruare ieiunium, non debere tunc Eucharistiam afferri (nec etiam inter Regulares) quia regulariter id fieri nequit sine magna difficultate, vel interdum indecentia; Nec Ecclesiæ mos, nec præceptum obligat cùm tanto rigore. Nec item debet infirmus, vt ieiunus communicet differre potionem, aut cibum cum graui damno, vel periculo salutis. Nam Ecclesia nec in tali periculo vult infirmum communione priuare, nec ipsum obligare, vt ieiunus communicet cum notabili corporis detrimento. Sic *Suarez, Fagundez, & Bonacina supra Coninck, q. 80. n. 51.*

72 Ad-

72 Adhuc circa exceptionem istam dubitatur 1. An in eodem morbo liceat sæpius communicare post violatum ieiunium? Et suppono 1. posse infirmum communicare, si sit ieiunus, quoties decuerit. Ideò *Rituale Romanum, & Conc. Mediolanense* 4. *sub Card. Borromaeo p.* 2. *de Euchar.* dicunt Eucharistiam ægrotantibus etiam sine mortis periculo sæpius esse deferendam, si petierint, in quo conueniunt omnes. Quando verò non potest æger cõmunicare ieiunus, maior est difficultas: Et suppono 2. si morbus statum mutet, ita vt æger, qui fuerat in periculo, conualeat aliquantulum, & deinde redeat iteratum periculum, posse non ieiunum communicare; quoties talis varietas acciderit; quia tunc sunt quasi diuersi morbi, nouusq; necessitatis articulus. Ita *Suarez disp.* 68 *sect.* 5. *Vazquez disp.* 211. *num.* 46. *Coninch sup. n.* 53.

An autem in hoc casu redeuntis periculi mortis teneatur infirmus iterum communicare; non video disputare Doctores: Videtur definiendum fore iuxta communes regulas diuini præcepti cõmunionis, de quo dicemus infrà *cap.* 9. præsertim *q.* 3. nimirum si decem, vel octo dies transierint, & periculum sit omninò diuersum, teneri: Secus si pauciores dies intercedant. Et quidem si morbus idem, & periculum idem duret pluribus diebus, non teneri moribundum, qui semel iam viaticum accepit, iterum communicare, supponunt communiter Doctores, *Suarez supra, Vazquez nu.* 40. & *alij*. Quia præceptum recipiendi viaticum in articulo mortis, ne scilicet infirmus sine viatico discedat, semel tantum obligat, vt iura satis insinuant. An verò possit iterum communicare non ieiunus? dissentiunt Authores.

73 Prima sententia negat. Tenent *Vazquez sup. num.* 38. *Ioannes de Cruce in direct. part.* 2. *tract. de Eucharist. quæst.* 5. *dub.* 4. *conclus.* 3. Probatur; nam ideò moribundus potest communicare non ieiunus; quia præceptum recipiendi viaticum præualet præcepto præmittendi ieiunium communioni, quando non potest vtrumq; simul seruari. Sed quando semel infirmus in eo periculo mortis recepit viaticum siue ieiunus, siue non ieiunus, iam non vrget diuinum præceptum communionis pro tunc, cum iam impletum sit. Ergo nihil excusat a præcepto præmittendi ieiunium communioni, quod omnem planè communionem ex deuotione factam comprehendit. Nec vllus casus excipi potest per Epikiam, nisi sit euidens, in illo cessare rationem legis cõtrariè; quod in isto casu non constat.

74 Secunda sententia communis affirmat. *Sic Armilla, & Tabienna*, quos sequitur *Suarez disput.* 68. *sect.* 5. *Henriquez cum multis lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 1. & *cap.* 50. *num.* 1. *Nuñus quæst.* 80. *art.* 8. *Coninch ibi, nu.* 53. *Reginaldus, & Sà*, quos sequitur *Bonacina disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 23. *Toletus, Victoria, Graffis, Villalobos, Layman, Fagundez, Syluius, Filliucius, Zambranus, Posseuinus, & alij*, quos sequitur *Diana part.* 2. *tractat.* 14. *Resolut.* 75. & 77. & *part.* 3 *tract.* 4. *Resol.* 44. & *part.* 5 *tract.* 3. *Resol.* 37. *Fauent S. Thomas.* 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 8. *Syluester, Sotus*, & alij, qui simpliciter asserũt, posse moribundum communicare non ieiunum, nec limitant ad vnicam communionem; sicut nec limitat *Conc. Constantiense sess.* 13. Probatur; quia ratio talis exceptionis non est sola necessitas adimplendi diuinum præceptum communionis, sed etiam necessitas morientis, qui tunc oppugnatur vehementius, & eget auxilijs, & robore tanti Sacramenti, quod potissimum ordinatur ad conseruandam gratiam vsque in finem. Per quod soluitur fundamentum oppositum.

75 Quod vero tempus intercedere debeat, vt æger possit in eodem statu morbi periculo si rursus communicare non ieiunus; variè definiunt illi Doctores. *Suarez, Nuñus, Fagundez, Villalobos, & Rituale Rom.* antiquum assignant decem, vel octo dies; *Filliucius, & Syluius* assignant septem; sufficere sex, putant *Armilla, Tabienna, Bonac. Zambranus,*

Possevinus, Diana. Tertio quoque die dari posse, censet *Ludouicus de S. Iuan. seq.* dum esset Prælatus, & ita fecisse probantibus multis Complutensibus, testatur *in Summa tom. 1. qu. 7. art. 10. diffic. 4.* Demum *Laymian lib. 5. tract. 4. capu. 6. n. 10.* putat ob iustam causam, nimirum si quis assuetus frequenter communicare, vel celebrare, propter deuotionem abstineat difficile, cócedi posse proxima sequente die Eucharistiam eidem etiam non ieiuno, dum modo mortis periculum instare videatur.

76 Ego libenter amplector secundam sententiam ductus consuetudine fidelium, quę sicut hanc exceptionem induxit, sic etiam eius extensionem, & praxim præscribere debet, vt prudenter aduertit *Cardinal. de Lugo, numero 66.* qui subdit, nunc Ecclesiæ consuetudinem obtinuisse, vt post septem, vel octo dies detur iterum Eucharistia non ieiunis; quod testimonio tot Doctorum ex tam varijs Prouincijs sufficienter ostenditur. Adderem, istam consuetudinem forsan vbique non esse parem, nec inter Regulares, & seculares eandem. Quare si propter maiorem deuotionem, aut famem, aut indigétiam huius pabuli cælestis, aut propter maiorem commoditatem deferendi communionem in aliqua Prouincia, vel Religione mos inualuerit communicandi frequentius infirmos etiam non ieiunos, seruari poterit. Non verò licere quotidie non ieiunum in hoc casu communicare, conueniunt *Henriquez, Suarez, Graffis, Possevinus, & alij,* quos sequitur *Bonac. sup.* Quia talis consuetudo nullibi videtur inualuisse.

77 Notat *Zambranus cap. 3. dub. 5 numero 5.* tempore cessationis, aut interdicti posse sine priuilegio dari moribundis Eucharistiam etiam sæpius durante periculo. Quia *cap. Permittimus de sentent. Excommunic.* absolutè concedit, in tali periculo ministrari communionem non obstante Interdicto. Doctores similiter sine limitatione capiunt istam concessionem: Ergo non debet ad vnicam communionem restringi. Nec obstat, *cap. Quod in te de Pænitent.* loqui de viatico; nam Eucharistia ministrata morienti dicitur viaticum, vt aduertit *Sylvester, Interdictum 5, quæstio. 7. numero 9.* Quod etiam ad morte plectendos extendunt *Henriquez libro octauo cap. 5a. numero primo, & Zambranus supra cum alijs*; nam in illis æquè militat ratio necessitatis.

78 Dubitatur secundò. An sacerdos nō ieiunus celebrare possit ad communicādum moribundum alioqui sine viatico decessurum? Prima sententia simpliciter affirmat. Ita *Maior in 4 dist. 9. q. 3. ad 5, Zanardus in direct. par. 1. tract. de Euch. cap. 7. Zambranus cap. 4. dub. 6 nu. 3. Philiarcus tom. 1. part. 1. lib. 2. ca. 2. Fernand. de Heredia de Euch. disp. 2. punct. 8. dub. 2. num. 8. Granado 3. par. controu. 6. trac. 10. disp. 8. num. 12.* Et illam absolutè probabilem esse, dicunt *Fillsucius tr. 4. nu. 242. & Petrus Mattheus in Annot. ad rubric. Missalis part. 1. cap. 9. num. 1. Cardin. de Lugo disp. 15. num. 67. Diana par. 8. tr. 1. Resol. 78.* Cum limitatione *Layman li 5. tr. 4. c. 6. num. 21. & Faustus lib. 1. qu. 393.* scilicet quādo moribundus aliud Sacramentum recipere nequit.

Probatur primò. Quia moriturus diuino præcepto communicare tenetur. Ergo præceptum diuinum præualere debet humano præscribenti ieiunium. Probatur secundò. Quia præcepta positiua præsertim humana non obligant cum notabili proximi detrimento: Sed in eo casu præceptum Ecclesię seruari non potest sine graui damno morientis. Ergo non obligat.

Probatur tertiò. Quia iura dispensant in hoc ieiunio, quando non potest infirmus communicare ieiunus, ne decedat sine viatico. Pariter ergo dispensare censentur cum sacerdote, quando nisi celebret non ieiunus, decedet infirmus sine viatico. Confirmatur; nam per Epikiam alia quædam Ecclesiæ præcepta non seruantur, vt infirmus communicet in articulo mortis; potest enim ob hunc finem dici Missa sine Ministro, & ante lucem, vel post meridiem, & bis in die; vt relatis

Au

Authoribus, ostendit *Zambranus supra*. Ergo idem in hoc præcepto censendum est.

79 Secunda sententia communior negat. Ita *S. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 2. conclus. 11. Paludanus, Sotus, Gabriel, Nauarrus*, quos sequitur *Suarez 3. parte tom. 3. disp. 68 sect. 5. Vazquez 3. p. disput. 211 num. 61. Henriquez lib. 8. c. 46. nu. 1. Martinon tom. 4. disp. 35 num. 64. Ledesma, Toletus, Syluester, Armilla, Victoria, Fagundez, Sylutus, Homobonus, Coninch Hurtadus, Ochagauia, Mercerus, & alij*, quos sequitur *Diana part. 2. tractat. 14. Resolut. 66. part. 3. tractat. 4. Resolut. 33. part. 5. tract. 3. Resolut. 35. Bonacina cum alijs disput. 4. quæst. 6 punct. 2. n. 24. Card. de Lugo sup. num. 68. & communiter Recentiores*. Probatur primò, quia cum hoc Sacramentum sit summę dignitatis, eius reuerentia postulat, vt nec moribundo prębeatur, quando non potest confici cõuenienti ritu præscripto per Ecclesiã, quæ propterea decreuit *in Conc. Niceno cap. 14. & in cap. Presbyter. de consecrat. distin. 2. vt Eucharistia seruetur pro infirmis*. Probatur secundò. Nam Ecclesiæ consuetudo sic interpretatur hoc præceptum de ieiuno præmittendo communioni, vt soli moribundo liceat non ieiuno communicare; nec est praxi receptũ, vt sacerdos non ieiunus celebret pro dãdo viatico, sicut nec licet in hoc casu sine vestibus sacris consecrare.

80 Sacerdotem morti proximum naturali, vel violentæ posse celebrare non ieiunum, vel sumere de sacrario formã consecratam, diximus *supra cap. 6. quæst. 6 numero 38*, quia tunc recipit viaticum. At vero nec vt semetipsum communicet, vel alium in articulo mortis, potest Sacerdos sine vestibus, & vasis sacris, vel in fermentato, vel sine Missa celebrare. Nam hæc pugnant cum Ecclesiæ praxi recepta, quæ præfert generalem Eucharistię cultum particulari singulorum necessitati, vt notauimus *eo c. 6 n. 39*. Quare *Marc. sup.* contrarium docens communiter reijcitur: Videantur *Suar. & Vazq*. Quoad solam circumstantiam ieiunij certè prima sententia probabilis est, vt fatetur *Suar.* & quando moribundus non potest aliud Sacramentũ recipere, consulerem eius praxim ob summam necessitatem moriẽtis, qui si sit in peccato, & attritus, alio medio saluari nequit. Absolutè vero secundam sententiã reputo probabiliorem, quoniam est cõmuni praxi recepta, & in hac re multum consuetudo valet, vt dictum est.

81 Vnde ad primum fundamentũ primæ sententiæ concesso antecedente negatur consequentia: Nam æger excusatur ab illo præcepto, quando non adest, qui legitimè possit ministrare; nec expedit propter istius communionem immutari generalem Ecclesiæ ritum.

Ad secundum negatur antecedens; nã etiam sacræ vestes, altare, templum, panis azimus sunt ex Ecclesiæ præcepto, nec tamen possunt ob moribundi communionem prætermitti: Praxis autem Ecclesiæ, sensusque Doctorum declarãt, quæ præcepta possint omitti propter morientis communionem quæ vero nõ possint. Vnde soluitur tertium cum sua confirmatione: Consuetudo siquidem est optima legum interpres. Certè quando moribundus aliud Sacramentum recipere nequit, hæc argumenta vim habent; quia tunc esset summum morientis detrimẽtum ex defectu communionis damnari.

82 Denique notandum est, idem iuris esse, siue periculum sit mortis naturalis, siue violẽtæ propter nauigationem, aut pręlium, aut supplicium subeundũ, quando nec anticipari potest communio, nec differri mors, aut eius periculum proximum. Nam eadem est vtrobique ratio; nec quidquam refert ab intrinseco, vel ab extrinseco mortem, seu necessitatem prouenire. *Sic Suar. sup. Bonac. num. 22.* Vetus Hispanorum consuetudo denegantium damnatis Eucharistiam sublata fuit. *Motu proprio Pij 5.* cui accessit *lex regia 9. lib. 1. tit. 2.* nouæ compilationis præscribens interuallum vnius diei post sententiam, vt possit reus pridie supplicium communicare, relinquens

Cc 4 tamen

tamen Iudicibus facultatem non expectandi, si causa subsit, illam moram.

Quare licet aliqui Doctores indecens esse dixerint, ipso die supplicij communicare reum, multo probabilius est, posse, ac debere tunc communicare. Nec irreuerentia (si qua concedatur) præponderat vtilitati morientis, & diuini præcepti necessitati. Sic *Henriqu. lib. 8. cap. 50. n. 1. Coninch. supr. nu. 51. Bonac. n. 22.* Ideo qui nouit, se morte plectendum eo die, debet ieiunare, donec communicarit, si commodè possit. Si iam non est ieiunus, & commodè non potest executio differri, Index non tenetur expectare diem sequentem, vt docet *Cardin. de Lugo, disp. 15. num. 73.* & reus debet communicare non ieiunus; quia tunc præualet obligatio diuini præcepti. Sic relati Doctores, & *Ioannes Sanchez disp. 40. nu. 4. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 59. & par. 5. tract. 3. Resol. 38. Quintanaduenas tom. 1. trac. 4. singul. 13. 14. & 15.*

CAP. VII. QVÆST. VIII.

Vtrum Sacerdos possit communicare non ieiunus ob sacrificij perfectionem?

83 QVarta exceptio ieiunij prætermittendi communioni ponitur ista. Quia magis interest, perfici sacrificium, quàm communicare ieiunũ. Ita *S. Thomas 3. par. qu. 83. art. 6. ad 1. & 2. Henriquez cum multis lib. 8. cap. 50. nu. 3. Suarez disp. 68. sect. 6. Coninch. q. 80. n. 62. & 63. Fagund. Precep. 3. lib. 3. cap. 5. num. 25. & sequentibus, Azor, Reginald. Manuel, & alij,* quos sequitur *Bonacina disp. 4. quest. 6. punct. 2. num. 2. & 19. Vazquez, Villalobos, Syluius, & alij,* quos sequitur *Diana par. 2. tract. 14. Resolut. 66.* Si quando loco vini Sacerdos aquam in Calice posuit, & sumpsit, debet iterum apponere vinum cum aqua, & consecrare, ac sumere; ne maneat sacrificium imperfectum. Item si post consecrationem recordetur, se non esse ieiunum (vel sumpto cibo consecrauit etiam mala fide, vt notant *Suarez, Fagundez, & Bonacina supra*) debet nihilominus sumere Sacramentum, vt perficiat sacrificium. Denique si celebrans post consecrationem etiam vnius speciei deficeret, nec adesset Sacerdos ieiunus; posset non ieiunus perficere sacrificium, & communicare.

84 Quæres 1. Quando Sacerdos post consecrationem deficit, an non solum possit, sed etiam debeat alius non ieiunus, aut ieiunus perficere sacrificium? Negat *Henriqu. sup. lit. O. & lib. 9. ca. 40. n. 1.* Quia nec textus *in cap. Nihil. 7. q. 1. nec S. Th. supra,* nec Missale præceptum indicant, & multi Doctores solũ dicunt, posse, quod esse probabile significat *Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 33. qu. 1.*

Dico tamen 1. Si sacerdos adsit ieiunus, tenetur perficere sacrificium; quia licet textus id non præcipiat, certè sacrificij perfectio id exigit, vt significat *Sanctus Thom. dicens;* debet in eo casu Missæ celebritas per alium suppleri. Dico 2. Si non adsit sacerdos nisi non ieiunus, debet hic etiam perficere sacrificium; Cum enim id ex vna parte liceat, vt ex communi sententia numero præcedenti vidimus, & ex alia parte sacrificij complementum vrgeat, non excusatur sacerdos ab obligatione perficiendi sacrificium incæptum (nisi forsan obstet grauis aliqua difficultas, vt aduertit *Scotus in 4. distinct. 13 questio. 2. artic. 6.*) Quippe maior est obligatio, sicut necessitas, complendi sacrificium, quàm seruandi ieiunium ante communionem. Ita docent *Nauarrus cap. 25. n. 86. Suar. & Bonacina sup.* satis indicant *Coninch. Vazquez, Fagundez, & alij,* dum aiunt, debere Sacerdotem etiam non ieiunum perficere sacrificium. Ita *iam præscribit Rubrica Missalis de defectibus §. 10. n. 3.* dicens. *In eo casu Missa per alium Sacerdotem expleatur, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum.*

85 Quæres 2. Si sacerdos recordetur, se non esse ieiunum ante consecrationẽ, an debeat relinquere Missam? *S. Thom. supra* dicit, esse tutius relinqui Missam inchoa-

inchoatam, nisi graue sequatur scandalum. Vbi iam excipitur scandali, ac per consequens infamiæ periculum, quod ferè semper imminet, quando publicè fit Sacrum. Rursus dum *S. Thom. ait*, tutius esse relinqui, satis innuit, illum Sacerdotem ad desistendum non teneri vt norant. *Suar. Coninch. & Fagund. sup. Verum Rubrica Missalis* § 8. *nu.* 5. *sic ait. Ante consecrationem in supra dictis casibus* (inter quos posuerat istum) *si non timeatur scandalum, debet Missam inceptam deserere.* Quæ rubrica seruari debet, vt latius ostendemus, *lib.* 5. *cap.* 10. *q.* 3.

CAP. VII. QVÆST. IX.

Vtrum reliquias Sacrificij possit Sacerdos sumere non ieiunus?

86 NEgant *S. Antonin. p.* 3. *tit.* 13. *c.* 6. § 9. *Rosella Eucharistia* 3. § 13. *Fauet Concil. Matiscon.* 2. *cap.* 6. præcipiens has reliquias dari Laicis ieiunis. Probatur, quia cum in singulis particulis verum, & integrum Sacramentum contineatur, non debent à non ieiuno recipi.

Communis Doctorum affirmat, *Caiet. in sum. verb. Missæ celebratio. Syluest. Sot. Ledesm. Nauar. quos sequitur Vazq. disp.* 211. *nu.* 51. *Suar. disp.* 68 *sect.* 6. *Henriq. lib.* 8. *c.* 50. *nu.* 2. *Fagund. Precept.* 1. *lib.* 3. *c.* 18. *& precept.* 3. *lib.* 3. *c.* 5. *num.* 28. *Cardin. de Lugo disp.* 15. *sect.* 4. *Dian. p.* 2. *tract.* 14. *Resol.* 66. *& p.* 3. *tract.* 4. *Res.* 45. *& p.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 43. *& p.* 6. *tract.* 6. *Resol.* 17. *Coninch q.* 80. *num.* 65. *Graffis, Azor, Reginald. & alij, quos sequitur Bonac. disp.* 4 *q.* 6. *punct.* 2. *nu.* 13. *& sequent.* Probatur, quia totius hostię, calicisque sumptio cũ ablutione subsequẽte cẽsetur vna moralis actio pertinẽs ad ipsam cõmunionẽ decẽter perficiẽdã; atq; ita secundũ moralẽ ęstimationẽ praxim, ac intentionẽ Ecclesię censetur totã cõmunionẽ peragere ieiunus, qui ieiunus illã inchoauit, & deinceps nihil sũpsit, quod ex Ecclesię ritu sumere nõ deberet. Nec .n. cõuenienter posset illud cõuiuiũ peragi sine ablutione, nec ablutio moraliter potest non præcedere sumptionẽ alicuius particulæ, quæ vel remaneat in calice, vel hæreat dentib. vel in patena, vel corporali postmodum appareat, quam subindè Sacerdos deglutiens post primam, aut etiam secundam ablutionem censetur tamen ieiunus sumere secundum intentionem Ecclesiæ, quæ præcipit, talem sumptionem eo modo fieri, quo moraliter fieri potest.

87 Confirmatur exemplis, 1. quando particula hostiæ consecratæ post sumptionem sanguinis hæret in calice, potest per aliam, & aliam ablutionem, si fuerit opus, extrahi, ac deglutiri, licèt prius deglutiantur partes ablutionum. 2. si tam Sacerdoti, quam Laico cõmunicanti pars hostiæ hæreat in ore, semel, ac sæpius potest sumi vinũ, vel aqua, donec traijciatur, imò Laicus debet ita sumere, ne digitis attingat Sacramentũ 3. quõdam, vt habetur in *Ord. Roman. c.* 4. quãdo dabatur in Ecclesiã Rom. Laicis cõmunio sub vtraq; specie, miscebantur species vini consecrati cũ alio vino non cõsecrato, & inde bibãt omnes, sumẽtes vtiq; partes aliquas nõ cõsecratas ante cõsecratas. 4. *Conc. Matisconens. sup.* iubet, reliquias consecratas dari paruulis ieiunijs, sed conspersas vino, vt eas facilius deglutirẽt, vbi pars aliqua vini præcederet particulã aliquã consecratã. Similiter quãdo cõmunicat ex deuotione decũbens ęger, post datã Eucharistiã solet ablui pyxis, & eidem ablutio præberi forsan cũ particula cõsecrata, 5. demũ in parasceue, quãdo particula cõsecrata sumitur mista vino, moraliter prius sumitur aliquid vini, quã illa particula. Quorũ omnium ratio videtur esse, quod illa tota moralis actio per modũ vnius ordinatur ad sumptionẽ eiusdẽ Sacramenti.

88 Pro decisione suppono 1. reliquias cõsecratas esse posse vel tũc in ea Missa consecratas, vel in alijs præcedentibus. Forsan de his loquitur prima sentẽtia, & in eo sensu vera est; nam ad sumendas particulas in alijs Missis consecratas requi-

quiritur ieiunium propter fundamentum primæ sententiæ; nisi periculum immineat irreuerentiæ, quando reliquiæ decenter reseruari nequeunt. Tunc enim, vel Sacerdos, vel Laicus non ieiunus potest illas sumere iuxta superius dicta n. 65. Item quando Sacerdos renouat Eucharistiam asseruari solitam, aut purificat pyxidem, aut quando ministrat Eucharistiam ex præconsecratis, potest reliquias in alijs Missis consecratas sumere cum ablutione, quamuis aliquid ablutionis sumatur antè Sacramentum. Quod si ministrat Sacramentum extra Missam, potest communicanti dare cum ablutione reliquias, vt præscribunt, *Missale ac Rituale*.

89 De reliquijs consecratis in eadem Missa loquitur secunda sententia, & in his suppono 1. aliud esse ieiunium naturale rigorosum, in quo nihil omninò cibi, vel potus deglutitur; aliud esse naturale ieiunium, quod Ecclesia præcipit præmitti communioni. Nam hoc dumtaxat requirit, nihil cibi, vel potus suisse sumptum, quod ex Ecclesiæ ritu sumi non debuerit, vel potuerit. Etenim quoties Ecclesia præscribit, aut permittit, aliquid sumi cum Eucharistia, vel antè illam; non violatur tali sumptione ieiunium ab Ecclesia præscriptum, licèt violetur naturale rigorosum.

90 Vnde secunda sententia probari non debet, quia sufficit, vt Sacerdos ieiunus incipiat illam actionem, etsi non sit ieiunus antè singulas eius partes. Nam indè sequeretur, posse Sacerdotem post sumptam hostiam, antequam sumat sanguinem, aliquas ficus, vel quid simile comedere sine violatione ieiunii, quod nemo concedet. Itaque non sufficit per se loquendo, præmitti ieiunium ante talem actionem inchoatam, sed continuari debet ante singulas partes illius actionis. Nec item probari debet, quia ieiunij præceptum solum præscribit, nequid sumpserimus ante sumptionem Eucharistiæ; quapropter quod cum ipsamet Eucharistia sumitur, non violat ieiunium, quamuis aliquid potus præcedat Eucharistiæ particulas. Nam indè; sequeretur posse Laicum pro sola sua voluntate, seu voluptate formam consecratam sumere simul cum magna quantitate vini, vel alterius potus sine violatione ieiunij. Totum enim illud sumit per modum vnius sumptionis, quam præcessit ieiunium, etsi non præcedat singulas eius partes. Hæc autem sequela non videtur admittenda, ne demus ansam Eucharistiæ miscendæ cum varijs potionibus.

91 Amplector itaque secundam sententiam, & eius fundamentum reputo firmum, quatenus post violatum naturale ieiunium rigorosum, adhuc censetur ieiunus ad sumendas reliquias eius Missæ, qui nihil prius sumpserit nisi iuxta præscriptum Ecclesiæ ritum. Siquis autem aliud quidpiam sumpserit tanquam violator ieiunij præscripti, vel non poterit sumere reliquias, sed debebit illas in pyxide seruare, vel si reseruari non possint sine irreuerentia, & hoc præuidens violauit ieiunium, peccauit contra præceptum ipsius. Hoc apparet in exemplis adductis, in quibus siquid aliud præter præscriptum, aut permissum ab Ecclesia misceretur, aut sumeretur; sine dubio peccaretur contra ieiunium prærequisitum.

92 Confirmatur, & declaratur. Nam eo ipso, quod Sacerdos siue ieiunus, siue non ieiunus inchoauit sacrificium, contraxit debitum illius consummandi, vt vidimus q. 8. Vnde nonnulli colligunt, habere simul ius, & facultatem sumendi totam materiam à se consecratam, quia licet tota non requiratur ad essentialem perfectionem sacrificij, pertinet tamen ad integritatem ipsius, & ad vnitatem actionis sacrificandi, quæ non solum essentialiter, sed etiam integraliter consummari potest ab eodem; Nec violatio ieiunij tollit hoc ius; nam siquis post consecrationem aduertat, se non esse ieiunum, poterit nihilominus sumere totam hostiam, & particulas à se consecratas, quamuis eas commodè seruare queat. Ergo licet ieiunus consecrauit

crarit,

errarit, & post ablutionem videat, se non esse ieiunum, poterit sumere particulas à se consecratas; quia semper retinet idem ius omninò consummandi sacrificium, quod ipsemet inchoauit.

93 In hoc discursu difficile, mihi fit, quòd inchoatio sacrificij conferat ius, & facultatem sumendi totam materiam consecratam etiam violato ieiunio. Nā 1. sequeretur, si quis consecret pyxidem plenam formulis reseruandam in sacrario, posse post ablutionem sumere pro libito, quotquot ex illis voluerit ex vi iuris, quòd habet ad totam illam materiam 2. sequeretur, si Sacerdos post ministratam multis communionem, & sumptam ablutionem, sumat aliquòd iusculum vel pharmacum in altari (quòd interdum accidit ob stomachi debilitatem) & postea reperiat formulas à se consecratas, quæ communicantibus superfuerunt, & commodè possunt seruari, posse nihilominus illas sumere propter ius, quòd habet ad totam illam materiam, etiam violato ieiunio, consumendam.

Vtraque tamen illatio videtur non esse concedenda; quoniam, vt benè probat contra *Vazquium Card. de Lugo num.* 77. *&* 81. præceptum ieiunij non solùm obligat, vt sacerdos ieiunus inchoet sacrificium, sed etiam vt se ieiunum conseruet ad consummandum illud. Ideò sine dubio peccaret grauiter contra ieiunij præceptum, qui post sumptam hostiam antè calicem comederet aliquas ficus; qui verò comederet illas post totam ablutionem, & nihil amplius sacramenti reciperet, non peccaret contra ieiunium: Si verò sumeret illas ficus; & postea reciperet formulam à se consecratam, peccaret vtique quia voluntariè consummat sacrificium non ieiunus, cùm commodè posset illam formulam seruare.

94 Itaque res ista metienda quidem est iuxta moralem intentionem Ecclesiæ, quæ sicut istud præceptum imposuit, sic illud restringere, vel moderari potest, & suam intentionem nobis prodit *per rubricas Missalis, & Ritualis*, & per receptam praxim. Quarò censeo, sacerdotem inchoantem sacrum habere debitum perficiēdi sacrificium essentialiter; quod extenditur regulariter ad sumptionem hostiæ maioris, & totius sanguinis, & ad horum reliquias, quæ communiter non possunt commodè seruari. Debet autem, quantum possit, se seruare ieiunum, donec sic sacrificium perficiat, & sponte violans antea ieiunium, peccat contra præceptum ipsius. Quoad reliquam materiam consecratam distinguo materiam, quam sacerdos consecrat, vt reseruetur in sacrario, & illam, quam consecrat à semetipso distribuendam communicantibus in ea Missa.

95 Primam existimo, non posse post ablutionem sumi, quoties commodè reseruari potest. Nam hæc ex Ecclesiæ intentione non tam ordinatur ad integritatem huius sacrificij, quam ad cœleste pabulum fidelium; & quoties sacrum fit, vbi sacrarium extat, hæc est intentio Ecclesiæ debetq; talis præsumi consecrantis intentio. Secundam existimo pertinere ad integritatem sacrificij præsentis, ita vt possit illam sumere Sacerdos non ieiunus, si verè nihil sumpserit; quod ex Ecclesiæ ritu sumere non deberet (talis verò præsumitur intentio consecrantis, quoties sacrum fit, vbi non adest sacrarium) *De hac loquitur S. Clemens in cap. Tribus gradibus. De consec. dist.* 2. dum præcipit, vt tot in altari holocausta offerantur, quot populo sufficere debent; quod si remanserint, in crastinum non reseruentur: Et notat *Azor to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *quæst.* 5. iam hoc præceptum esse abrogatum; ideò *Vazquez n.* 55. docet, quamuis possit Sacerdos post sumptam ablutionem particulas sumere, non esse tamen necessarium; quia si commodè seruari queunt, potest illas reseruari (*Suarez* asserit, melius esse reseruare, præsertim si sit integra formula, vel magna particula. Siquid verò sumpserit Sacerdos, quòd ex Ecclesiæ ritu sumere non deberet, non poterit has reliquias

liquias accipere, quando commodè seruari possunt. Quia non habet ius sic integrandi sacrificium, nisi seruarit ieiunium saltem vt ab Ecclesia præscriptum.

96 Restant adhuc dubia quædam. Primum sit, cuius quantitatis futuræ sint reliquiæ, vt sumi possint post ablutionem? *Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 8.* fine censet, si grandiusculæ sint, sumi non posse. Cęteri Doctores communiter asserunt, non esse quantitatem, aut numerum attendendum, sed solùm an sint reliquiæ præsentis sacrificij, vel præteriti. Certè minutæ reliquiæ, quamuis sint sacrificij præteriti, vix possunt commodè reseruari; quare sępius sumi poterunt, vt aduertit *Coninch. quæst. 80. numer 68.* Maiores reliquię sacrificij præsentis iuxtà distinctionem supra datam sumi poterunt, etsi consultius reseruentur, quando commodè seruari possunt, vt asserunt *Suarez supra, & Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 22.*

97 Sit dubium 2. intrà quòd tempus possint hæ reliquiæ sumi? *Nauarrus cap. 25. num. 89. Henriquez sup.* cùm multis, dicunt, in continenti sumendas esse, nimirum antequam calix in altari reponatur. Alij communiter asserunt, quandiu sacerdos ab altari non recessit, posse sumere reliquias eius sacrificij, quamuis ibi diu moratus sit dispensando Sacramentum; quia nondum censetur expleuisse ministerium suum, & adhuc continuatur vna moralis actio sacrificandi. Sic. Doctores secundæ sententię, *ac Diana cùm alijs part. 3. tract. 4. Resol. 45.*

Quidam addunt, etiam in Sacristia, dum adhuc sacerdos retinet vestes sacras, posse sumere reliquias cuiusvis magnitudinis inuentas in calice, vel patena; nam adhuc talis sumptio pertinet ad perfectam eiusdem sacrificij cōsummationem, quòd nondum est perfectè consummatum ob illas reliquias inaduertenter relictas. Sic indicat *Granado 3. part. Controu. 6. tract. 10. disp. 8. n. 11. Tenent Baptista de Fabris in Manuali ca. 11. n. 142. Megalius in Prompt. tom. 2. verb. Eucharistiam suscipiens nu. 24.* Verùm hoc improbant *Suar. & Layman sup. Coninch. n. 64. Lugo n. 82. Villal. Fagund. Ioannes de Cruce*, quos sequitur *Diana sup. & p. 5. tract. 14. Resol. 43. & p. 6. tract. 6. Resol. 17.* Quia iam sacerdos expleuit ministerium suum, & ideò non censeretur eadem actio moraliter, sed secunda communio contrà pręceptum non communicandi bis eadem die. Hoc certè probabilius est, sed in praxi difficile, nisi promptus sit alius Sacerdos, qui celebret in eodem calice, sumatque reliquias in eo, vel in patena, vel in corporali repertas. Si verò reliquię commodè seruari nequeant (vt sępè continget) etiam in sacristia, & exutus vestibus sacris, poterit illas sumere sacerdos ob maiorem irreuerentiam euitandam. Quòd si sacerdos particulas reperiat, quas dubitet esse consecratas, sumere potest illas post communionem, vel etiam post ablutionem; nam reputatur eadem actio. Sic *Nauarrus, Syl. Henriq. & Bonacina disputat. 4. quæst. 6. punct. 2. numer. 16.*

98 Sit dubium 3. An hę reliquię dari possint laicis? Affirmant *Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 8. Henriquez lib. 8. ca. 50. num. 2.* si laici sint ieiuni. *Philibertus Marchinus de* Sacramento Ordinis *tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 16.* dicit, licere laicis post sumptam hostiolam simul cū ablutione, vel paulo post dare reliquias Sacramenti repertas in pyxide, nam illa sumptio propter paruam moram censetur eadem actio moralis cùm sumptione hostiolę, quàm ieiunus accepit. Negat cùm alijs *Diana part. 6. tract. 6. Resol. 23.* Nam in laicis talis sumptio censeretur secunda communio, quę non est licita.

99 Melius distinguunt *Suarez supra Coninch. num. 7. Fagundez num. 31. Bonacina, nu. 15. Filliucius tract. 4. n. 241.* si laici sumpserant ablutionem post cōmunionem, vel finierant iam communionem antè ablutionem, non possunt ipsis reliquię dari; nam harum sumptio

non

non pertinet ad ipsorum ministerium, quod in ipsa communione completur, & ideò non possunt iterum communicare. Si tamen simul dentur cum priori formula, censetur vna moralis communio, sub indeque licebit. Et *Rituale Romanum* præscribit, vt post datam Eucharistiam infirmo (licet ieiunus communicet ob deuotionem) Sacerdos abluat digitos, & infirmo detur ablutio, soletque simul ablui vas in quo delatum fuit Sacramentum. Quia nondum censetur communio finita, donec sumatur ablutio; quasi moraliter hæc pertineat ad eandem communionis actionem ex Ecclesiæ ritu.

CAPVT VIII.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

1 SVppono 1. duplicem distingui necessitatem, alteram præcepti, alteram medij, quas multipliciter explicant Doctores. Videantur. *Vazq.3.p.disp.169.c.1. & to.4. q.84.art.5 dub.1.Card. de Lugo de Euch. disp.3.sect.1* Necessitas præcepti dicitur quæ subest ad vitandum nouum peccatum. Sic omnia, quę sub graui culpa pręcipiuntur, sunt necessaria necessitate præcepti, seu negatiuè; quia nisi talia præcepta seruentur, incurretur culpa grauis, amittetur gratia Dei, sine qua nemini contingit salus; vnde præceptorum obseruatio concurrit ad nostram salutem, sicut remouens prohibens. Necessitas medij, vel remedij, vel salutis, vel finis (nam omnibus his nominibus appellatur) est, quæ positiuè conducit ad æternam salutem; quia positiuè ponit medium necessarium vltimo fini consequendo, sic contritio, gratia iustificans, & excitans, perseuerantia finalis sunt necessaria necessitate medij, quia positiuè conferunt ad regenerationem spiritualem, & ad æternæ beatitudini consecutionem.

2 Hinc oritur alia differentia, per quam à posteriori discernuntur hæ necessitates; Nam à necessitate præcepti solius excusat impotentia, vel ignorātia siquis v.g. vel nō potuit restituere, vel inuincibiliter ignorauit obligationem restituēdi, non ideò damnabitur, quamuis non restituat. At in his, quæ sunt necessaria necessitate medij, quāuis impotētia, vel ignorantia excuset à nouo peccato, non tamen excusat, vel tollit illum defectum, ob quem homo reus erat damnationis. Siquis v.g. existens in peccato mortali nō possit in artic. mort. cōfiteri, nec possit, aut nesciat elicere cōtritionē, nō peccat denuò contra præceptū cōterēdi; cęterū dānabitur defectu cōtritionis ob peccata prȩcedētia non remissa.

3 Iam inde suppono 2. vt aliquod Sacramentum sit necessarium necessitate medij, requiri sanè, quod per se sit institutum ad conferendum aliquem effectū gratiæ simpliciter necessarium ad æternam salutem, qualis est prima iustificatio, conseruatio gratiæ, perseuerantia finalis. Sic Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ sunt necessaria necessitate medij, vel in re, vel in voto; quia Deus sic instituit illa tanquam media necessaria primæ iustificationis, vt pariter ipsorum desideria, seu vota, quatenus vicaria sunt talium Sacramentorum, & in contritione saltem virtualiter continentur, per se concurrerent ad primam iustificationem, mouendo scilicet per se Deum, vt ipsorum intuitu directè conferat primam gratiam. At sicut aliorum præceptorum obseruatio non concurrit directè per se ad iustificationē, sed solū indirectè remouendo prohibens, sic etiā cōtritio, quatenus cōtinet votū seruādi reliqua præcepta, non est causa per se directè primæ iustificationis, sed indirectè solū remouēdo prohibēs, idest peccatū, actuale quod impediret iustificationē.

4 Suppono 3. Sacramentum Eucharistiæ necessariū esse necessitate præcepti tam diuini, quam humani, de quibus dicemus infra *c.9. & 10.* Vt autem sit etiam

etiam necessarium necessitate medij, debuit institui per se tanquam medium simpliciter necessarium vel ad primam iustificationem, vel ad perseuerantiam finalem. Quod est nobis in præsenti disquirendum, quamuis nonnihil Moralis doctrinæ terminos transgrediamur. Qui vult ab scholasticis tricis abstinere, transiliat hoc caput.

CAP. VIII. QVÆST. I.

Vtrum Eucharistia sit medium necessarium ad primam iustificationem?

5 RVrsus suppono 1. rem, vel effectum huius Sacramenti scilicet vnionem per gratiam cum Christo, & cum Ecclesia esse de necessitate salutis quoad omnes tam paruulos, quam adultos. Nemo siquidem saluari potest, qui non sit vnitus cum Christo per fidem, & charitatem, & membrum viuum Ecclesiæ. Suppono 2. neminem etiam hæreticum expressè docuisse, realem Eucharistiæ receptionem esse necessariam ad primam iustificationem, cum omninò necessarium sit, vt Baptismus præcedat, qui rite susceptus, & sine obice, mox sortitur suum effectum independenter à futuro Sacramento. *Sic Suar. 3. p. to. 3. disp. 40. sect. 1.* Quare quæstio solum restat de voto Eucharistiæ. Hoc autem est duplex, proprium, & improprium. Proprium est liberum hominis desiderium seu propositum actuale vel explicitum, vel saltem implicitum Eucharistiam recipiendi tempore debito, vel conueniente. Votum improprium est quæuis habitualis inclinatio ad huius Sacramenti susceptionem; vel actus, quo talem inclinationem acquirimus.

6 Sic *S. Thom.* supra docuit, omnes etiam paruulos hoc sacramentum sumere spiritualiter, & in voto, primo quatenus per Baptismum, aut alia ratione iustificantur: Cum enim Eucharistia sit perfectio gratiæ iustificantis, & finis Sacramentorum; hæc propensione quadam ad Eucharistiæ receptionem inclinant, secundo, quia sicut vita naturalis indigens alimento corporali quadam inclinatione fertur in illud, sic spiritualis vita per Baptismum, aut contritionem inchoata voto quodam propendet in Sacramentum spiritualis alimenti. Tertio, quia charitas nos habitualiter inclinat ad vnionem cum Christo perfectissimam, & consequenter ad Eucharistiam recipiendam, cuius effectus est nos vnire perfectè cum Christo. Itaque votum improprium Eucharistiæ fatentur omnes cum *S. Thom.* requiri ad primam iustificationem, sicut requiritur baptismus, in quo tale votū continetur, de voto proprio nonnullum est dissidiū.

7 Quidam enim dixerunt, Eucharistiam esse necessariam ad primam iustificationem saltem in voto. Sic docet *Nuñus 3. p. q. 73. art. 3. diffic. 2.* dicens Eucharistiæ votum esse simpliciter necessarium necessitate medij etiam ad primam gratiam, ita vt homo teneatur ante primam gratiam habere votum communicandi suo tempore, vt medio tali voto iustificetur per ordinem ad Eucharistiam; ac subindè communicandi propositum intrinsicè contineatur in susceptione Baptismi, vel Pœnitentię nō solum generali ratione, sicut includitur propositum seruandi cuncta præcepta, sed speciali quoq; titulo, quatenus hæc Sacramenta sunt principium spiritualis vitæ, subindèq; tendunt ad eius vitæ perfectionem, qua per communionem fit mirabilis vnio cum Christo, comparaturque finis Sacramentorum, & consummario totius vitæ Christianæ. Pro hac sententia referuntur. *Caiet. Petrus Sotus apud Henriq. lib. 8. c. 3. nu. 4. lit. S.*

8 Probatur 1. *ex S. Thom. sup.* quatenus ait Per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, & ideò ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiā ad Eucharistiam, & ita sicut ex Ecclesię fide credunt, sic ex Ecclesiæ intentione desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Et *q. 79. art. 1. ad 1. sic ait. Nec aliquis habet gratiā antè susceptionē huius Sacra-*

menti,

menti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum sicut adults, vel voto Ecclesiæ, sicut paruuli. Similiter multi Patres dicunt, neminem etiam paruulum posse saluari, nisi fuerit particeps corporis, & sanguinis Christi propter illa verba *Ioã. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Videantur *Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 25. Innocentius Papa epist. 66. Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 14. Augustinus epist. 106. & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 20.*

9 Probatur 2. Nam illa verba generalia sunt, & quamuis intelligenda sint iuxta communem Patrum interpretationem de communione reali, quæ secundum fidem est in præcepto; tamen etiã capienda sunt de communione spirituali per fidem, & votum Eucharistiæ, sicut *Augustinus, Cyprianus, Innocentius*, & alij frequenter capiunt, & consentit *Suarez tom. 3. disp. 40. sect. 2. Bonacina disp. 4. q. 1. punct. 3. n. 2.* Quo sensu palam extenduntur ad omnes, & significant necessitatem etiam respectu primæ iustificationis.

10 Dico 1. Paruulis non est Eucharistia necessaria quoad primam iustificationem. Ita *S. Thomas, 3. p. q. 80. art. 9. ad 3. Henriquez lib. 8. cap. 3. nu. 4. Coninch. quæst. 73. num. 36. Fillincius tract. 4. nu. 37. Bonacina sup. Suarez cum alijs sect. 1.* Probatur; quia nec in re, nec in voto proprio requiritur ad ipsorum iustificationem; ergo non est illis necessaria. Prima pars antecedẽtis definitur in *Tridentino sess. 21. cap. 1.* dum asserit, paruulos nullatenus obligari ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem, & *can. 4.* dum inquit. *Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis perueniant, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Secunda pars ostenditur; nam infantes omninò sunt incapaces voti proprij, quod est obiecti præcogniti desiderium; cum autem non præcognoscant Eucharistiam, non possunt illam desiderare. Non ergo possunt habere votum proprium Eucharistiæ. Votum illud ex intentione Ecclesiæ ministrantis Baptismum admisimus *supra num. 6.* Sed illud est improprium, nec aliud intendit *S. Thomas*, nec forsan Authores primæ sententiæ saltem quoad rem ipsam, licet dissentire videantur quoad modum loquendi.

11 Dico 2. nec item adultis est mediũ necessarium in re ad primam iustificationem. Ita *S. Thomas 3. part. quæst. 73. art. 3. Coninch. ibi num. 37. Suarez, & alij relati.* Probatur; nam Eucharistia non est instituta per se ad primam iustificationem, seu remissionem peccati mortalis, vt docent *Florentinum, & Tridentinum sess. 13. cap. 2. & can. 5.* & latius expendit *Suarez sup.* Ergo non potest esse medium necessarium ad illam. Nam esse medium necessarium in Sacramentis supponit esse medium per se institutum ad talem effectum; igitur cum Eucharistia iuxta suam institutionem, vt licitè recipiatur, necessariò supponat gratiam in recipiente; nec est ad primam iustificationem instituta per se, nec per consequens est medium necessarium ad illam.

12 Dico 3. votum Eucharistiç propriũ nec explicitum, nec implicitum est per se necessarium medium ad primam iustificationem. Ita *S. Thomas, Caietanus, & Sotus*, quos sequitur *Suarez, & Fillincius sup. Coninch, num. 38. Henriquez num. 6.* Votum explicitum est, quod specialiter terminatur ad rem sigillatim cognitam, & amatam; implicitum verò est, quod terminatur ad rem sub communi ratione præcognitam, vel quatenus connexam aliquo modo cum obiecto formaliter volito. Votum explicitum Eucharistiæ nemo requirit ad primam adultorum iustificationem, cum sæpè iustificentur per Baptismum, aut contritionem, aut confessionem sine cognitione, vel memoria Eucharistiæ.

Quod autem nec implicitum requiratur per se; probatur 1. *ex Florentino & Tridentino* tribuẽtibus remissionem peccatorum, & primam iustificationem Baptismo solum, & Pœnitentiæ. Sentiũt

ergo

ergo nullum aliud Sacramentum in re, vel in voto proprio requiri ad hunc effectum. Alias non conferrent hæc Sacramenta primam gratiam propria virtute, sed in virtute Sacramenti, cuius votum operatur iustificationem. Probatur 2. quia nunquam proprium Sacramenti votum est medium per se necessarium, positiuè concurrens ad primam iustificationem, nisi Sacramentum ipsum per se sit institutum ad primam gratiam conferendam: Sed Eucharistiæ Sacramentum per se non est institutum ad inducendam primam iustificationem, vt vidimus *num.* 11. Ergo nec eius votum proprium est per se medium necessarium ad illam.

13 Ad primum respondetur, *S. Thomam*, & alios Antiquorum loqui de voto latè, quod est improprium, & in Baptismo, vel prima iustificatione continetur, & à Patribus vocatur spiritualis manducatio secundum mysticum sensum verborum *Ioan.6.* qui pariter ad infantes extenditur; non tamen conuincit proprium Eucharistiæ votum. Sæpè quoque Patres, & Concilia dum agunt de Sacramento Eucharistiæ, transeunt ad Christum in illo contentum, & è contra: Et quoniam vnio cum Christo simpliciter est ad iustificationem necessaria, dicere solent, hoc Sacramentum esse necessarium, scilicet ratione rei contentæ, vel effectus ipsius, vt diximus *sup. num.* 5. Vnde respondetur ad secūdum illa verba secundum sensum mysticum ad infantes etiam extendi, qui per fidem, & charitatem fiunt Ecclesiæ membra, & vniuntur Christo capiti. Ceterum secundum proprium, & principalem sensum manducationis realis non ita generalia verba censenda sunt, vt ad infantes etiam extendantur, vel ad primam iustificationem: cum illa verba, *Non habebitis vitam in vobis*, magis permanentiam denegent, quam primam receptionem, iuxtà communem expositionem.

CAP. VIII. QVÆST. II.

Vtrum Eucharistia sit medium necessarium ad perseuerandum in gratia?

14 PRima sententia communis negat. Ita *Durandus, Paludanus, Caietanus, Hosius, Ledesma*, quos sequitur *Suarez tom.3. disp.40. sect.2. S. Bonauentura, Gabriel, Alensis, & alij*, quos sequitur *Vazquez 3. part. disp. 169. cap.3. Valentia, Reginaldus, Angles*, quos sequitur *Bonacina disp.4. quæst.1. punct.3. Fillucius tract.4. num.42. Coninch quæst. 73. num.44. & 50. Cardin. de Lugo disp. 3. sect.2. Martinon tom.4. disp.28. sect.3. Diana part.3. tract.6. Resol.95. & part.5. tract.13. Resolut.* 28. qui referunt alios. Probatur 1. auctoritate negatiua Conciliorum, & Patrum, qui licet expressè quæstionem istam non attingant; vbicunq; de necessitate Sacramentorum disserunt, Baptismum, & Pœnitentiam dicunt esse necessaria simpliciter, non autem Eucharistiam. Sic *Tridentinum sess.7. can.*5. definiit, Baptismum esse necessarium ad salutem; similiter Pœnitentiam *sess.14. can.6. At Eucharistiam sess. 13. can.9.* solum dixit, esse necessariam ex præcepto. Sic etiam *S. Thomas in 4. dist.9. q.1. art.1. quæstiunc.2. & 3. p. q.65. art.4.* dixit, tria tantum Sacramenta simpliciter esse necessaria, duo personæ singulari, scilicet Baptismum absolutè, Pœnitentiam ex suppositione peccati post Baptismum; ordinem Ecclesiæ; cętera secundum quid; quatenus iuuant, vt finis conuenientius habeatur.

15 Probatur 2. Nam imprimis conseruatio continua gratiæ vsq; ad mortem non est necessaria saluti finali; sufficit enim, si quis moriatur in gratia, quamuis anteà sæpè labatur per culpā, & resurgat per pęnitentiam. Deinde talis perseuerantia continua non datur infallibiliter ab Eucharistia; siquidem multi post communionem citissimè relabuntur. At retinere gratiam per breue

tempus

tempus potest homo sine speciali auxilio; quare si tunc sit finis vitæ, dabitur perseuerantia finalis, quin Eucharistiæ votū influat in illam. Quamuis autē ad retinendam diu gratiam requirantur auxilia Dei specialia; tamen hæc non dantur per solum Eucharistiæ votum, sed etiam per alia opera bona, per orationem, per receptionem aliorum Sacramentorum, per exercitium virtutum &c.

Probatur 3. Nam hæc merita locum habent etiam eo tempore, quo nulla superest necessitas, nec voluntas Eucharistiam recipiendi, quando scilicet post acceptum viaticum infirmus peccat mortaliter, & rursus per Pœnitentiam resurgit cum animo nunquam amplius communicandi; quia videt, se citò moriturum; & tunc si discedat in gratia, non potest perseuerantia finalis attribui voto Eucharistiæ, quod non datur; nec etiam præcedenti communioni, quæ iam habuit suum integrum effectum. Ergo tale votum non est simpliciter necessarium ad salutem.

16 Confirmatur 1. Nam effectus Sacramentorum debēt esse tales, vt gratis donentur, nec omninò debeātur vel ex meriti iustitię, vel ex natura rei; Sed auxilia, quæ necessaria sunt ad perseuerādū, obtineri possunt per merita de cōdigno; debētur etiā extrinseca natura gratię iustificantis, vt semel infusa seruari possit. Ergo non sunt effectus voti Eucharistiæ. Sic arguunt *Suarez, & Fillsucius*. Confirmatur 2. Nam adultus, qui sola contritione iustificatus, vel solo Baptismo, vel Pœnitentia, sine communione decedit in gratia, non habet perseuerantiam ab Eucharistia, quam supponimus non recepisse nec ab eius voto; nam Eucharistiæ votum in isto vel est contritio, vel ipsa susceptio Baptismi, seu Pœnitentię: Nihil autem horum est causa perseuerantiæ, sed sola Dei voluntas, & peculiaris prouidentia, qua semel iustificatus homo vel superat vsq; ad mortem omnes tentationes opportunis auxilijs gratiæ; vel ante tentationem rapitur, ne malitia subuertat sensum illius. Ergo perseuerantia finalis istius non prouenit ab Eucharistiæ voto, quod virtualiter in cōtritione, vel in susceptione prioris Sacramenti continetur. Sic arguit *Vazqu.*

Confirmatur 3. Quia *Melchiades Papa in ca. Spiritus sanctus de consec. dist. 5.* docet, statim morituris regenerationis beneficia sufficere ad salutem; quia regeneratio per se saluat mox in beati seculi pace recipiendos. Vbi ex voce per se colligunt *Suarez, et Filliuc.* nullum effectum saluti necessarium conferri morientibus in voto alterius Sacramenti. Potestque reddi ratio; quia gratia, quæ datur per Baptismum, non est minoris efficaciæ, quàm quæ dabatur olim per circumcisionem: Sed cum illa gratia, & auxilijs ei annexis poterat homo per longam vitam perseuerare. Pariter ergo poterit nunc cum auxilijs, quæ gratiam Baptismi consequuntur.

17 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita docent *Henriqu. lib. 8. ca. 3. num. 2. referens multos litt. H. Dominicus de Soto in 4. distinc. 8. q. 1. art. 3. Petrus de Soto de Euchar. lect. 9. Claud. de Sainctes Repetit. 6. cap. 7. Sponcæus lib. 2. de adoratione Eucharistiæ ca. 12. Iacobus Naclantus de communione Theorem. 1. Rofensis, & Alanus*, quos sequitur *Pisigsanus in 4. dist. 9. q. 3. art. 3. Bellarminus to. 3. lib. 1. de Euchar. cap. 7. & lib. 4. c. 25. Fagundez Præcept. 3. lib. 1. cap. 3. nu. 4. et 6. Salmeron in Euang. tom. 8. tr. 23. Becan. de Sacram. cap. 15. q 7. n. 6. Nuñus 3. par. qu. 73. art. 3. diffic. 3. Petrus de Ledesma in sum. par. 1. trac. de Euch. c. 2. Zambranus c 3. dub. 1. citans Catharinum, Ganeium, & alios.* Fauet *S. Th. 3. p. q. 73. art. 3. et q. 79. ar. 1. ad 1. et q. 80. art. 11. in corp. et ad 2.*

18 Probatur 1. ex illis verbis Io 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* quæ Patres vnanimiter explicant de manducatione sacramentali secundum proprium sensum, vt latē docet *Bellarm. et Salmeron sup.* Quare temerarium saltem esset hunc sensum proprium excludere, vt notat *Bonac. num. 2.* Diriguntur autem ad adultos, quos Christus Dominus alloquebatur; satis indicans, non habi-

habituros adultos vitam gratiæ permanentem, nisi vel in re, vel in voto Sacramentum istud receperint. Consonant super illa verba *Ioannes, Titelmanus, Lyra, Claudius, Euthimius, vtraq; Glossa, Chrysost. tom. 3. hom. 46. in Ioan. col. 1. S. Augustinus tom. 9. tractat. 26. in Ioan. colum. 6. & tom. 7. lib. 1. de peccator. merit. cap. 24. Rupertus lib. 6. in Ioann. propè finem, Basilius in Moral. regul. 21. cap. 1. ac alij.*

19 Confirmatur; quia *Conc. Florentinum* asserit omnem effectum, quem materialis cibus, & potus agunt quoad vitam corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem hoc Sacramentum operari; quod sępè Patres affirmant. Ergo sicut cibus materialis est simpliciter necessarius ad conseruandam, & nutriendam vitam corporalem; sic Eucharistia medium est necessarium ad conseruandam vitam spiritualem. Quam necessitatem satis expressit *Cyril. l. 3. in Ioannem cap. 37. & lib. 4. cap. 10. dicens, vt discerent, si mortem effugere vellent, necesse esse de illo pane participare.* Sic etiam *loquuntur Cyprianus tom. 1. lib. de orat. Domin.* super illa verba, *Panem nostrum, Isidorus lib. 1. de officijs Eccles. cap. de sacrificio.*

Vnde colligit Petrus de Soto, minus considerate iudicare, qui denegant huic Sacramento necessitatem medij contra naturam, & institutionem ipsius in cibum, & potum animarum. *Cur enim putabimus* (inquit) *minus necessarium esse cibum in spirituali vita, quam in corporali? aut cur cogitabimus, minus nos teneri ad alendam animam, quam corpus?* Nec valet dicere, alia esse media, quibus vita spiritualis nutriri, conseruariq; possit sine hoc cibo. Nam sicut in paradiso suppetebant Adamo plures cibi, sed tamen non erant sufficientes ad conseruandam eius vitam in perpetuũ, nisi vteretur ligno vitæ; sic licet alia media suppetant nobis ad conseruandam vitam animæ, tamen omnia non sufficient, nisi iuuentur hoc alimento, quod ideo figuratum fuit per lignum vitæ.

19 Probatur 2. Nam illud Sacramentum dicitur necessarium necessitate medij, cuius effectus est simpliciter necessarius ad salutem æternam. Sed effectus Eucharistiæ est simpliciter necessarius ad salutem æternam. Ergo Eucharistia est Sacramentum necessarium necessitate medij. Minor probatur, nam effectus Eucharistiæ est conseruatio gratiæ, vt docet *S. Thomas locis citatis*, & omnes Theologi fatentur; asserunt etiã *Damascenus lib. 4. cap. 14. & Ambrosius de Sacram. lib. 5. cap. vlt. col. 2.* colligitur ex *Trident. sess. 13. cap. 2.* dicente, per Eucharistiã confortari viuentes vita Christi, & à peccatis mortalibus preseruari, *& sess. 21. c. 5.* docet, ideo paruulos non teneri ad Eucharistiam, quoniam in illa ætate gratiam amittere non possunt. Ergo Concilium, & Patres sentiunt gratiæ conseruationem esse effectum Eucharistiæ: Sed conseruatio gratiæ non minus est necessaria simpliciter ad salutem, quam prima iustificatio. Sicut ergo Baptismus, & Pœnitentia censentur simpliciter necessaria, quia causant primam gratiam; sic etiam Eucharistia, quia causat conseruationem gratiæ.

20 Dico 1. Sacramentum Eucharistiæ nec in re susceptum, nec in voto suo proprio est paruulis necessarium ad perseuerandum. Conueniunt in hac conclusione Doctores vtriusq; sententię *S. Th. 3. part. quæst. 80. art. 11. ad 2. Caietanus, & alij Thomistæ cum illo, Suarez tom. 3. disp. 40. sect. 2. Fagundez Precept. 3. lib. 1. cap. 3. num. 5. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 2. punct. 5. Fillineius, Henriquez, Coninch, ac alij.* Colligitur ex *Tridentino sess. 21. cap. 4. & can. 4.* docente palam Eucharistiam non esse necessariam paruulis, qui peccare non possunt. Vbi Concilium expressè secludit à paruulis necessitatem realis communionis: Voti verò proprij necessitas satis excluditur; tum quia pueri non sunt capaces illius, tum quia si necessaria fuisset Eucharistia paruulis in re, vel in voto, non negaret Ecclesia communionem paruulis, saltem in articulo mortis, ne sine Sacramento

sibi

sibi necessariò decederent.

21 Probatur ratione; quia nullus effectus est in paruulis, aut amentibus à natiuitate necessarius ad salutem, qui per se proueniat ab Eucharistia, siquidem possunt decedere cum sola gratia baptismali, ac saluari. Tunc enim conseruatio gratiæ fit vi Sacramenti, per quod primo collata fuit, tam ex parte Dei, cuius dona sunt sine pœnitentia, quam ex parte gratiæ, quæ cum de se sit perpetua, non expellitur nisi per mortale peccatum, quod infantes committere non possunt, & ideo non egent auxilijs gratiæ pro conseruanda iustitia. Mors vero tali tempore contingens, licet sit specialis fauor ad perseuerantiam finalem expectans, non tamen esse potest effectus proprius Eucharistiæ; quia non omnibus datur; effectus autem proprius Sacramenti debet esse semper infallibilis, vt latius ostendit *Suar. sup.*

22 Vnde fit, verba *Ioan. 6. Nisi manducaueritis*, &c. non esse tam generalia, sicut illa *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit*, &c. Nam hæc absolutè comprehendunt omnes illos, qui fuerint tẽpore nouæ legis; illa verò non comprehendunt illos, qui nunquam habuerunt rationis vsum. Quod discrimen 1. constat ex circumstantijs obligationis, non enim obligatio censetur imponi nisi personis aptis, & in quibus finis obligandi non cesset omninò. Sic lex præcipiens, vt omnes ciues agant excubias, non comprehendit pueros, nec fœminas. Cum igitur Baptismus sit spiritualis regeneratio, sicut omnibus necessarium est spiritualiter renasci, sic baptizari. Cæterum Eucharistia, cum sit instituta per modum spiritualis alimenti, duntaxat est illis necessaria, qui per concupiscentiam possunt vires, & vitam animæ perdere: sicut cibus corporalis illis solum necessarius est, quorum vires à natiuo calore paulatim consumuntur. Igitur cum infantes, & amentes perpetui nequeant per concupiscentiam vires, aut vitam animæ perdere; nec necessitas, nec præceptum communionis illos astringit. Quia verò vita spiritualis potest in his augeri, capaces sunt spiritualis cibi, seu communionis 2. constat ex ipsis verbis; nam illa *Ioan. 3.* non diriguntur ad ipsum baptizandum, cuius formalis consensus, vel cooperatio non semper requiritur, & ideo generaliter dicitur in tertia persona. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. verba tamen *Ioan. 6.* certum actum præscribunt humano modo per ipsos recipiẽtes præstandum; ideo solum ad audientes, & intelligentes diriguntur; dicitur enim in 2. persona. *Nisi manducaueritis &c.* Sic *Valentia supra, Coninch. num. 49.*

23 Dico 2. realis Eucharistiæ susceptio non est adultis necessaria simpliciter ad perseuerandum in gratia. Conueniunt etiam in hac conclusione Doctores vtriusque partis, *Suarez, Nuñus, Coninch, & alij.* Patet; quia potest adultus paulò post Baptismum mori cum gratia baptismali sine communione, quam recipere non potuit, & tamen sine dubio saluabitur. Siquidem nec est, cur amittat gratiam in Baptismo receptam, qui post Baptismum non peccauit mortaliter; nec cur non saluetur, qui decedit in gratia. Addit *Nuñus*, nec votum explicitum Eucharistiæ necessarium esse simpliciter omnibus adultis ad perseuerandum; siquidem sine culpa potuerunt non elicere tale votum, si post Baptismum non illico de communione cogitarunt, vel dormientes occisi sunt. Vnde censet, oppositum improbabile, vel forsan temerarium esse.

24 Dico 3. Sacramentum Eucharistiæ moraliter est adultis necessariũ ad perseuerandum in gratia, quatenus ita iuuat ad implenda præcepta, tentationesque vincendas, vt qui voluntariè per lõgum tempus abstinent à communione, vix queant, seu moraliter nequeant à lethalibus lapsibus abstinere. Sic docent vtriusque sententiæ Doctores. *S. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 1. & 4. contra Gentes, c. 61. Suarez disput. 40. sect. 2. Coninch, quæst. 73. num. 50. Fillincius tract. 4. num. 43. Nuñus quæst. 73. art. 3. diffic. 3. Cardin. de Lugo, de Eucharistia.*

ristia.disp.3.sect.2. num.48. & *multa testimonia Patrum ad hoc intentum congerit Claudius de Sainctes Repetit. 6. ca.7. S. Cyprianus de orat. Domin. super id, Panem nostrum*, &c. sic ait. *Vt manifestum est, eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt; ita timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso, & dicente. Nisi manducaueritis &c.* Idem habet *Concilium Cabilonense 2.cap.46.*

25 Ratio redditur, nam cum hoc Sacramentum sit institutum per se principaliter, vt conferat sumentibus auxilia necessaria ad cauenda peccata, & ad perseuerandum in gratia, merito Deus omittentibus voluntariè frequentem communionem subtrahet auxilia frequentia, seu singularia, sine quibus facillimè labantur, difficillimè præseruentur. At si communio frequens omittitur inuoluntariè; tunc votum explicitum Eucharistiæ supplebit hūc defectum: Quia Deus neminem deserit, nisi prius ab illo deferatur scilicet voluntariè. Sed iam de necessitate medij vel in re, vel in voto proprio respectu adultorum.

26 Dico 4. Quamuis prima sententia sit valdè probabilis præcipuè propter tot virorum auctoritatem; Secunda magis arridet mihi, quia magis cedit in honorem Eucharistiæ; illam autem sic explico. Donum perseuerantiæ iuxtà saniorem Theologiam includit collectionem auxiliorum ad vincendas tentationes, & seruanda præcepta, donec bellandi tempus, & labendi periculum mors corporis præcidat. Hæc auxilia si sint efficacia, dant infallibiliter actum perseuerandi finaliter, nec esse possunt infallibilis effectus Sacramēti, sed solius prędestinationis: Quippe non omnes, qui recipiunt Eucharistiam etiam in fine vitæ, sunt prædestinati. Dicimus igitur hæc auxilia sufficientia necessaria prorsus adultis, vt possint conseruare vitam spiritualem, esse infallibilem effectum communionis, vel voti. communicandi saltem impliciti. Quia Christus sic instituit Eucharistiæ Sacramentum conseruationi gratiæ destinatum, vt adultis noluerit sua merita communicare quoad sufficientiam perseuerandi, nisi recipiant Eucharistiam in re, vel in voto saltem implicito; quale censetur esse, vel contritio peccatoris, vel volunras recipiendi Baptismum, aut Pœnitentiam, dum non viget communionis præceptum, vel non suppetit communicandi facultas. Ita sensisse videtur *Henriquez lib. 8. cap.3. num.3. & lit. M.*

27 Tenet hanc sententiam expressè *S.Thomas 3.part.quæst.80. art.11. ad 2. dicens; Hoc Sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut Baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc Sacramento, non autem sine Sacramento Baptismi. Quantum vero ad adultos vtrumq; est necessitatis.* Quid clarius? Palam enim loquitur de necessitate medij, non de sola necessitate præcepti, siquidem asserit, Baptismum esse pueris necessarium, vbi sola necessitas medij reperitur. Rursus *quæst. 73. artic.3.* comparans Baptismum, & Eucharistiam, docet, hanc non esse pariter necessariam; atq; differentiam in eo constituit, quod Baptismus requiratur ad inchoandam vitam spiritualem; Eucharistia verò saltem in voto requiratur ad consummandam ipsam: Cum tamen in pueris non detur votum Baptismi proprium, nec improprium; quia non ordinantur ad Baptismum per aliud præcedens Sacramētum, requiritur in illis Baptismus in re susceptus: Ad Eucharistiam ordinantur per Baptismum, vnde sufficit illis hoc votum improprium Eucharistiæ. Cœterum adultis sicut est necessarius necessitate medij Baptismus in re, vel in voto proprio ad inchoandam vitam spiritualem; sic etiam Eucharistia censetur esse medium necessarium in re, vel in voto proprio ad ipsam consummandam. Hic est planè sensus, & discursus *Sancti Thomæ.*

28 Iuuant Patres, *Nyss. in oratione de Euch.* docet, nō aliter posse nos immortalitatem obtinere, nisi per coniunctionem cum immortali Christi corpore. Sic etiam *Cyprian. ser. de Cæna Domini, sic Ignat. Epist. ad Ephes. Sic Cyril. Alex. libro decimo in Ioan. cap. 13.* loquuntur. *Rupertus libro sexto in Ioan.* Baptismum, & Eucharistiam vocat duo Sacramenta saluti nostrę necessaria, quod latè dilucidans concludit.

Oportet, pęnitentem hominem prius inuisibili fide subijci Creatori, deinde visibili quoque cibo vitæ ęternæ necessariam perficere iustificationem. Hoc idem firmant fundamenta secundæ sententiæ.

29 Quę confirmantur primò. Quia *Sanctus Thomas 3. part. quæst. 80. art. 11.* Ex Eucharistiæ necessitate vel in re, vel in voto proprio respectu adultorum colligit præceptum diuinum ipsis impositum communicandi, quod Ecclesia determinauit ad certa tempora. Si verò non esset hoc Sacramentum saluti necessarium in re, vel in voto necessitate medij, seu finis, sed sola necessitate præcepti, perperam ex eius voto colligeret S. Thomas necessitatem præcepti diuini. Quia votum implendi præceptum non infert sua necessitate necessitatem rei præceptæ, sed potius illam supponit; Ideo quippè necessarium est votum ieiunādi, quia ieiunium ipsum præceptum est; nec bene colligeretur à priori præceptum ieiunij, quia necessarium est propositum ieiunandi.

30 Confirmantur secundò. Nam ex verbis Ioan. 6. Patres, & Doctores, quotquot asserunt, ibi sermonem esse de reali manducatione Dominicæ carnis in Eucharistia (qui sensus non potest sine temeritate negari iuxta superius *dictanu. 18.*) colligunt indè necessitatem saltem præcepti diuini, quod latius ostendunt *Suar. tom. 3. disp. 69. sect. 1. Vazqu. 3. par. disp. 213. num. 7. ac alij*, subindèq; fatentur, ad veritatem illius conditionalis locutionis. *Nisi manducaueritis, &c.* requiri necessariam, & infallibilem connexionem talis effectus cum tali causa. Sed diuinum præceptum in Sacramentis, quæ sunt media nostræ salutis, arguit necessitatem medij simul in illis. Ergo cum Eucharistiæ Sacramentum sit necessarium necessitate præcepti diuini, simul esse debet necessarium necessitate medij.

31 Minor huius syllogismi probatur primò. Nam Baptismus, & Pœnitentia, quæ sunt necessaria necessitate præcepti diuini, sunt etiam necessaria necessitate medij. Pariter igitur Eucharistia, quæ sola ex reliquis Sacramentis habet necessitatem diuini præcepti, censebitur necessaria simul necessitate medij.

Probatur secundò. Nam in Sacramento Pœnitentiæ *Vazquez 3. part. qu. 84. artic. 5. dub. 1. & Suarez tom. 4. disput. 35. sect. 1.* Præceptum diuinum probant ex necessitate medij vel à priori, vel à posteriori. *Canus Relec. de Pænitent. par. 5. post 3. concl.* sic arguit à priori. Media necessaria nostræ salutis, quæ consistunt in nostris actibus liberis, cadunt sub diuinum præceptum. Cum enim præcepta dentur ad vltimum finem consequendum, & ad honestè vitam instituendam, illa potissimum debent pręcipi, quæ sunt media necessaria tam ad honestatem vitæ, quàm ad consecutionem finis. Sed Christus instituit hoc Sacramentum, vt medium necessarium ad salutem: Ergo cadit sub diuinum præceptum.

Hic autem discursus pariter valet in Euchatistia; non enim potest colligi pręceptum diuinum illius, nisi ex ipsius institutione, qua voluit Christus instituere Sacramentum istud, vt medium necessarium nostræ perseuerantiæ: Pariter ergo colligitur necessitas medij. Quare sicut in Sacramentis valet hæc causalis a priori (teste *Suario supr. num. 10.*) Hoc præcipitur, quoniam est medium necessarium; sic etiam valebit hæc illatio à posteriori. Hoc præcipitur diuino præcepto; igitur est medium necessarium; Nec enim Sacramenta non necessaria præcipiuntur diuino præcepto.

Quare vel non daretur pręceptū diuinum

num Eucharistiæ, vel saltem non constaret nobis, nisi supposita necessitate medij.

32 *Vazq.supr.& Suar.n.11.* sic arguũt à posteriori. Sacramentum non est ex sua natura necessarium nostræ saluti, sed ex libera voluntate Dei, qui sic voluit instituere. Sed non potest talis necessitas prouenire nisi ex præcepto diuino; datur ergo præceptum diuinum talis Sacramenti. Minor probatur; quia si non esset præceptum, liberè possent omitti Sacramenta Baptismi, vel Pœnitentiæ sine culpa, solaque contritione iustificari peccatores sine voto Sacramenti, cum possent habere propositum nunquam recipiendi Sacramenta. Dantur ergo præcepta diuina Sacramentorum, vt hæc constituantur media necessaria saluti, continentia medium, seu remedium positiuè conducens vitæ spirituali. Vt autem tale medium sit vnicum, & per consequens necessarium simpliciter in eo genere, requiritur diuinum præceptum; & consequenter in genere causæ formalis benè colligitur à posteriori necessitas præcepti ex necessitate medij, quatenus tale medium constituitur in ratione necessarij per præceptum; non quia solũ præceptum conferat totam rationem medij necessarij, sed quia supposita in Sacramento ratione medij, seu causæ sufficientis, præceptum diuinum dat illi necessitatem simpliciter, quatenus reddit illud medium vnicum talis effectus necessario ponendum ad eius consecutionem.

33 Hunc discursum in particulari sic applicemus Eucharistię. Quibus effectus alicuius medij diuinitus instituti (qualia sunt Sacramenta) necessarius est simpliciter ad salutem, his tale medium redditur necessarium, posito diuino præcepto, vel in re, vel in voto tam necessitate medij, quam præcepti. Nã ideo Deus media quædam ad certos fines, & effectus instituit, & præcipit, vt non nisi per illa vel in re, vel saltem in voto talis finis, vel effectus habeatur; quod in omnibus alijs rerum generibus ex ordine diuinæ prouidentiæ confirmatũ posse, docet. *Valent.tom.4. disputat.7. q.1. punct.6. concl.2.* Sed effectus Eucharistiæ simpliciter est necessarius omnibus adultis ex institutione diuina. Pariter ergo Sacramentum Eucharistiæ vel in re, vel in voto necessarium erit omnibus adultis etiam necessitate medij. Consequentia tenet, minor probatur: Nam proprius effectus Eucharistiæ, seu gratia Sacramentalis ipsius est homini quædam auxilia gratiæ conciliare, quibus exercendo virtutes, adimplendo præcepta, tentationibus resistendo possit vitam animæ conseruare. Sic docent Patres, & Concilia, quæ refert *Valentia tomo 4. disput.6. q.7. punct.1.* & explicat. *S. Thomas 3.part.q.79.art. 1. & 6.* Nam vt cibus corporalis vitam corporis nutrit, & instaurat, quod actione caloris natiui deperditur; sic oportet vt spiritualis cibus vitam animæ conseruet, & instauret feruorem charitatis, conferendo scilicet auxilia sufficientia, quibus possit homo, si velit, vsque in finem perseuerare. Sed sine perseuerantia finali nullus adultus potest consequi salutem æternam. Ergo proprius effectus ex institutione diuina competens Eucharistiæ, simpliciter est necessarius omnibus adultis, & per consequens posito diuino præcepto, redditur Eucharistiæ Sacramentum necessarium adultis necessitate medij vnici, quod in re, vel in voto suscipere debeant, vt possint conseruare gratiam, & habere perseuerantiam finalem.

34 Plures aduersariorum solutiones refert, & refellit, *Nugnus*, nos aliquas attingemus. Respondent primo sensum litteralem. *Ioan.6. de Sacramento Eucharistiæ*, capiendum esset verum ibi quædam esse verba tantum affirmatiua, seu promissiua; videlicet. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me.* Rursus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et hæc nullam indicant necessitatem, sed efficacitatem huius cibi, subintellecta

condi-

conditione, si communicans non apponat impedimentum. Alia esse verba cominatoria, scilicet. *Nisi manducaueritis* &c. & hæc continere necessitatem solius præcepti. Nam ille modus loquendi nonnunquam significat necessitatem medij, vt cum dicitur. *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. interdum necessitatem præcepti, vt cum dicitur. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli Matth.* 18. Et ex diuersitate materiæ discernendum esse modum significandi. Quippè si sermo sit de re necessaria iustificationi, significatur etiam necessitas medij, vt in Baptismo, & Pœnitentia; si verò sermo sit de actionibus iusti, sola significatur necessitas præcepti, quatenus nisi iustus seruet mandata, non conseruabit gratiam, nec saluabitur.

35 Sed contra; nam imprimis in ipsis verbis affirmatiuis, seu promissorijs satis indicatur necessitas medij, siquidem vt apta sit comparatio Saluatoris, oportet, vt eodem genere necessitatis, quo Filius viuit propter Patrem, & nos etiã viuamus propter Christum: sed filius nullo modo potest viuere, nisi propter Patrem; Ergo nec nos nisi propter Christum, quod est esse necessarium necessitate medij. Maior igitur vis, maior proprietas tribuitur Christi verbis in nostra sententia, quam in opposita. Deinde damus, illum modum comminandi posse nõnunquam solam necessitatẽ præcepti significare, ac ex ipsa materia discernẽdũ esse, quãdo significet etiam necessitatem medij: Regula tamen discernendi non ex sola prima iustificatione sumenda est, siquidem non est minus necessaria saluti conseruatio gratiæ, quam eius infusio prima. Verum iuxtà superius d. *n.* 32 talis regula potest assignari: Quoties illa verba significant rem vnicè, ac positiuè concurrentem ad salutem in eo genere, præseferunt necessitatem medij, quod in Baptismo, ac Pœnitentia fatentur omnes; & in Eucharistia similiter asserendum esse, ostendimus *n.* 32. & 33. Si verò significent rem, negatiuè solum conducentem saluti; vel non vnicè, quod in alijs Sacramentis reperitur, & in obseruatione singulorum præceptorum, indicabit solam necessitatem præcepti.

36 Respondent 2. Eucharistiam esse quidem necessariam in re, vel in voto, si votum sit improprium, seu commune cum alijs præceptis; hoc intendere *S. Thomam, & Patres*. Sed contra; nam etsi *S. Thomas, & Patres*, quando dicunt Eucharistiam esse quoq; paruulis necessariam, loquantur de voto improprio, quod explicuimus *sup. n.* 6. & 13. *cum S. Thoma q.* 73 *art.* 3. Cęterum quando loquuntur de adultis, ad quos Christi verba *Ioan.* 6 diriguntur, votum planè proprium requirunt, vt constat ex dictis *nn.* 27. & 28. Quod autem non sit solum votum seruandi præceptum, sed etiam apponendi medium perseuerantiæ finali necessarium, & causatiuum illius, ex ipsius institutione probauimus *n.* 30. & sequentibus: eædem enim rationes in Eucharistia militare videntur, ac in Pœnitentia, cuius votum omnes admittunt non esse solius præcepti, sed etiam medij. Propterea forsan *Nuñus* asseruit, in omni sententia stultissimum esse docere, quod Sacramentum Eucharistiæ non sit magis necessarium, quam ieiunium. Non approbo notam, videtur autẽ nonnihil pietati dissonum asserere, non esse magis necessariam perseuerantiæ finali sumptionem Eucharistiæ, quã cibi materialis, cuius etiam sumendi datur pręceptum naturale; posse verba *Ioa.* 6. non minus in qualibet re præcepta, vel in cibo materiali, quam in spirituali verificari; siquidem cuiuslibet præcepti votũ, & obseruatio requiritur æquè per accidens ad spiritualis vitæ conseruationẽ.

37 Respondent 3. metaphoram cibi non esse tenendam in omnibus. Primò, nam vita naturalis necessariò patitur ab agente cõtrariò, nec reparari potest nisi per nutrimentum: At spiritualis vita non patitur detrimentum nisi per liberam actionem; & ideò nec paruulis, nec item adultis est simpliciter necessarius cibus extrinsecus, sed per actiones liberas virtutum, quæ sunt alimentum ani-

mæ, conseruari potest, & augeri vitæ spiritualis. Secundò, nam etsi cibus sit corpori necessarius; quando plura suppetūt genera ciborum, non est hic, vel ille definitè necessarius. Sic igitur spiritualis vita cibum habet vtilissimum in Eucharistia, simul tamen habet alios in actibus virtutum consistentes, quibus sufficienter nutriatur, & conseruetur. Quare licet cibus Sacramentalis vtilissimus sit, non est necessarius simpliciter.

38 Contra nam in primis eadem ratione dici poterit, nec Baptismum, nec Pœnitentiam esse Sacramenta necessaria necessitate medij simpliciter, quoniā effectus illorum potest per cōtritionem obtineri, sicut in lege veteri, cuius efficaciæ nihil sit derogatum in lege noua. Sicut ergo *Tridentinum definit sess.* 14. *c.* 4. reconciliationem peccatoris iam non tribui contritioni sine Sacramenti voto, quod includitur in illa, rationemq; reddit *Suarez to.* 4. *disp.* 17 *sect.* 3. *n.* 7. *&* 10. quia tale Sacramentum non solum est præceptum sicut alia, sed est per se institutum ad remissionem peccatorum tāquam medium necessarium ad talē effectum: Sic in præsenti dicimus, auxilia sufficientia cōseruationi gratiæ post institutionem Eucharistiæ non dari sine voto proprio ipsius, quod in cōtritione, vel dilectione Dei clauditur; quia tale Sacramentum non solum est præceptū, sicut alia, sed est per se institutum ad cōferendas animæ vires sufficientes gratiæ conseruationi, tanquam medium necessarium ad talem effectum.

Vnde non sunt separabiles in Eucharistia necessitas præcepti, & medij, sicut nec in Baptismo, vel Pœnitentia. Deinde licet actus virtutum augeant meritoriè gratiam, non tamen merentur de condigno noua gratiæ præuenientis auxilia, nec ipsi fiunt sine talibus auxilijs, quæ dicimus quoad sufficientiam dari propter Eucharistiam, vel eius votum proprium. Quare nullus est cibus animæ, qui perseuerantiæ finali sufficiat, & non præbeatur ab Eucharistia, vt sub figura ligni vitæ dictum est *num.* 18.

39 Pro cuius maiori declaratione noto 1. perseuerantiam finalem esse gratiæ conseruationem vsq; ad vitæ finem, siue longo tempore duret, siue breui pertingat ad mortem. Requirit autem ex parte hominis, vt omnia peccata mortalia caueat, omnia præcepta grauiter obligantia seruet: ex parte vero Dei requirit tum influxum supernaturalem ad gratiam efficienter terminatum; tum excitationes gratiæ supernaturalis, quibus homo cooperando perseueret. Et *quidē* hæc auxilia, etiam quatenus sufficientia, non sunt naturæ debita, cum sint supra naturam, sed gratis impenduntur, etsi respectu gratiæ iustificantis debitum quoddam congruētiæ sortiantur, vt possit iustus conseruare gratiam semel acceptam. Sunt enim hæc auxilia gratiæ præuenientis omnibus iustis necessaria, tam vt actu perseuerēt, quam vt possint perseuerare; præcisè tamen considerata, quatenus dant potestatem perseuerādi, communia sunt omnibus; quatenus interdum addunt efficaciam perseuerandi, sunt speciale donum prorsus indebitum etiam iustis. Sic *Tridentinum sess.* 6. *cap.* 11. *&* 13. *& can.* 22. speciale Dei auxilium requirit, vt iustificati possint seruare mandata, & finaliter perseuerent; quod, vt possint, omnibus detur, & cooperantibus efficax reddatur.

40 Noto 2. auxilium sufficiens dupliciter dici, vel exclusiuè, quod dicitur sufficiens tantum, & excludit efficaciam, quatenus in sensu composito nunquam sortietur effectum; vel præcisiuè, quod dicit solum sensum diuisum, & præscindit a sensu composito cum cooperatione, vel cū eius negatione: Quapropter nec includit vt sic efficaciam reduplicatiuè, nec illam excludit; sed specificatiuè non nunquam erit efficax, interdum sufficiens tantum. Et quidem intra latitudinem sufficientiæ quędam auxilia sunt infima, quę dant pręcisè posse, quamuis cum magna difficultate morali; quędā vberiora dant etiam facilitatem potentię maiorem, & maiorem, quo fuerint ab intrinseco potentiora.

41 No-

41 Noto tertiò duplex auxiliorum genus ad finaliter perseuerandum impendi. Quædam sunt intrinseca per illustrationem mentis,& inspirationem voluntatis, aut excitationem alterius potentiæ. Quædam sunt extrinseca, quando citra nostrum consensum diuina prouidentia præcidit occasiones, auertit tentationes,& mortem inducit tali tempore,quo iustus in gratia discedat. Ita *Suarez. de gratia lib*.10. *cap*.5. *numero quinto,& cap*.4. *num*.16.*& addit n*.17. perseuerantiam finalem in pueris decedentibus post Baptismum esse donũ Dei speciale constans his auxilijs extrinsecis diuinæ prouidentiæ. Similiter igitur in adultis hæc auxilia extrinseca pertinent ad donum perseuerantiæ finalis, tum quatenus reddunt illam nobis possibilem præcidendo tentationes, quæ superarent nostras præsentes vires;tum quatenus reddunt illam efficacem,inducendo mortem, quando sumus in gratia. *Fidelis Deus est*(inquit Apostolus 1. *Corinth*.10.)*qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum* (alij legunt exitum)*vt possitis sustinere*. Vbi duplex istud genus auxiliorum indicatur. Nam si Deus tentationem permittit, præbet internas vires, quibus illam superare cum prouentu possimus; si non vult internum auxilium augere, tentationem auertit, vel eius vim temperat, aut etiam tempus bellandi inducta morte concludit.

42 Iam igitur noto quartò, iuxta nostram sententiam donum perseuerantię sufficientis esse semper effectum Eucharistiæ,quatenus auxilia sufficientia, quæ requiruntur ad conseruandam gratiam, non dantur, nisi per Eucharistiam saltem in voto, quod implicitè continetur vel in contritione, vel in legitima receptione Baptismi,seu Pœnitentiæ. Sicut enim ibi continetur votum recipiendi Sacramenta necessaria, seruandiq; præcepta; sic etiam votũ implicitum communicandi, quoties instet præceptum communionis.

Et sicut illud votum Baptismi, vel Pœnitentiæ positiuè concurrit ad primam iustificationem, quatenus directè per se mouet Deum ad dandam primam gratiam; quoniam est votum medij causantis per se primam iustificationem; sic dicimus istud votum Eucharistiæ positiuè concurrere ad conseruationem gratiæ; quatenus directè mouet Deum ad dandum auxilia sufficientia, quib. gratiam conseruare possimus vsque ad finem vitę;quoniam est votum medij causantis per se moraliter largitionem talium auxiliorum. Nec obstat, hęc auxilia sufficientia deberi gratię (vt dicebamus *num*.39.) nam etiam iustificatio debito congruentię debetur contritioni, cui tamen non datur nisi per votum Pœnitentiæ. Hoc intendit nostra quarta conclusio posita *nu*.26. Hoc eius fundamenta contendunt.

43 Hic infallibilis effectus Eucharistię copiosior impenditur, quando cum sufficientia coniungitur auxiliorum efficacia, vel extrinseca prouidentia mortem inducens eo tempore, quo iustus decedet in gratia: Quamuis enim auxiliorum efficacia non sit effectus infallibilis Eucharistiæ,sicut nec alterius Sacramenti; tamen quatenus non datur efficacia secundum communem nostræ societatis sententiam sine sufficientia pręcisiua superius exposita *numero* 40. quàm Eucharistia confert infallibiliter, siue per auxilium intrinsecum, siue per extrinsecum; omnis simul efficacia, quæ gratiæ conseruationem, & actualem perseuerantiam prębet, est effectus Eucharistiæ, quæ vel in re, vel in voto proprio causat infallibiliter auxilia sufficientia reduplicatiuè, quatenus talia sunt præcisiuè; redduntque iustum simpliciter potentem perseuerare, seu conseruare suam gratiam habitualem; & quamuis non causet infallibiliter efficaciam, non illam excludit; sed quoties auxilia dantur efficacia reipsa, saltem specificatiuè procedunt ab Eucharistia secundum rationem efficacium.

Ita

Itaut omnis nostra sufficientia ad perseuerandum sit à Deo per Eucharistiam reduplicatiuè, quatenus dat potentiam simpliciter perseuerandi: Omnis autem efficacia perseuerantiæ finalis, vel non finalis, quæ simul cum potentia claudit actualem perseuerantiam, sit ab eadem Eucharistia specificatiuè.

44 Dices 1. Hæc auxilia vel sufficientia, vel etiam efficacia non sunt necessaria simpliciter ad salutem; ergo licet Eucharistia positiuè causet illa, non est necessaria necessitate medij. Probatur antecedens, nam siquis paulò post primam iustificationem moriatur, non indiget vllo auxilio ad euitanda peccata lethalia tam breui tempore, quo nulla tentatio contingat, vt supponitur. Ergo non est simpliciter necessarius talis effectus Eucharistiæ. Respondetur, quouis breuissimo tempore, dum homo compos sit sui, posse peccare lethaliter, ac subindè indigere potentia vitandi peccatum, quæ regulariter datur per aliquam illustrationem, & inspirationem intrinsecam. Verum admisso casu (qui rarissimus erit) quo post primam iustificationem adultus mox sensu priuetur, & moriatur; dicimus, illud auxilium extrinsecum, quo diuina prouidētia mortem intulit tali tempore, vel sensum ademit, effectum per se fuisse communionis in re, si præcessit, vel eius voti, quod in præcedenti contritione, vel attritione cum Baptismo, siue Pœnitentia contentum fuit. Hoc enim auxilium ita fuit efficax ad perseuerandum finaliter, vt etiam fuerit sufficiens præcisiuè iuxta dicta *num.* 40. & vt sic responderit Eucharistiæ, vel eius voto directè.

45 Dices 2. totus iste cōcursus Eucharistiæ, ac auxiliorum eius non influit in salutem positiuè, sed indirectè, scilicet remouendo prohibens, nempè peccata, quibus extingueretur gratia iustificans. Ergo propter istum concursum Eucharistia non est necessaria necessitate medij. Consequentia patet; nam ideò præceptorum obseruatio non est necessaria necessitate medij, nec votum seruandi præcepta concurrit positiuè per se, sed indirectè solum ad salutem; quia concurrit solum remouendo prohibens, videlicet peccata mortalia, quæ tollerent gratiam habitualem; igitur idem erit in Eucharistia. Primum antecedens probatur; quia totus Eucharistiæ concursus, & auxiliorum eius per se directè tendit ad obseruanda præcepta, tentationesq; vincendas: Sed hæc omnia directè tendunt ad euitanda peccata, vnde sequatur indirectè conseruatio gratiæ. Ergo concurrit Eucharistia solum indirectè ad salutem.

46 Respondetur negando primum antecedens, ad cuius probationem dicimus imprimis, votum seruandi præcepta non concurrere positiuè per se, sed indirectè solum ad salutem, quatenus voluntatem nostram auertit ab affectu peccandi, ac subindè tollit impedimentum, quod poterat nobis subesse. Deindè dicimus, ipsam victoriam tentationum, & obseruationem præceptorum concurrere pariter indirectè; nam singulorum obseruationi diuisiuè non annexuit Deus perseuerantiam finalem etiam sufficientem. Obseruatio verò præceptorum omnium collectiuè continet iam ipsam perseuerantiam finalem, ac proindè non potest illam causare, *sicuti* non potest causare se ipsam. At Eucharistiæ, vel eius voto Deus annexuit collectionem omnium auxiliorum sufficientium, quibus omnes vincere tentationes, omniaque præcepta grauiter obligantia collectiuè seruare possimus vsque ad vitæ finem. Hic autem auxiliorum concursus, & per consequens Eucharistiæ verè moraliter directè concurrit ad conseruandam gratiam. Sicut si paucis hominibus debilibus, & inermibus, qui vehementer oppugnati requirerent euitare mortem, aliquis præberet arma, vires, socios, quibus se tueri possent, verè diceretur iste directè moraliter conseruasse vitam illorum; & suppetunt exempla similia.

47 Adhuc noto 5. sufficientiam auxiliorum præcisiuam, quæ respondet infallibi-

libiliter voto communionis implicito (cum hoc dumtaxat extendatur ad cōmuniones debitas sub præcepto, & sit infirmum in ratione voti proprij) dari per auxilia gratiæ præuenientis infima in eo genere, adeoque debilia, vt dent quidem posse simpliciter perseuerare; vix tamen impotentiam moralem excludunt: Sic enim manet cum tam exiguis viribus perseuerantia difficilis, vt vix moraliter caueri possint (præsertim longo tempore) cuncta peccata mortalia.

Hoc intendit nostra. Tertia conclusio posita *nu.*24. Hoc omnes Doctores fatentur. Per frequentiores autem communiones dantur auxilia frequentiora, dantur robustiora non solum intrinseca, sed extrinseca, quibus per obiectorum subtractionem minuitur sensus in minimis, & per internam inspirationem tollitur in grauioribus consensus.

Ideo *Petrus de Soto de Euchar. lect.9. & Valentia tom.4. disp.6. quæst.8 punct.4.* censent, teneri nos communionis præcepto, quoties grauiores tentationes, aut persecutiones insurgunt. Sicut enim tenemur sumere materialem cibum, quando vita corporis ex eius defectu periclitatur; sic à fortiori tenemur vitam animæ cibo cælesti fouere, cum prudenter timemus lapsū ex infirmitate. Quippe teste *Cypriano Epist.54. Mens deficit, quam accepta Eucharistia non erigit.* Addi potest, vel quam votum explicitum Eucharistiæ (quod est spiritualis communio) non accendit. Et quidem *Suarez tom.3. disput.69 sect.3. Filliucius trac.4. num.51. Bonacina de Sacrament. disp.4. q.7. punct.1. num.10.* fatentur obligationem, sed aiunt, non ex præcepto communionis prouenire per se, sed per accidens ex præcepto virtutum, quæ per illas tentationes oppugnantur.

Nostra nihil refert, vnde proueniat obligatio, dum constitutum nobis sit, eo tempore dari talem obligationem communicandi, ne deficiamus ex imbecillitate. Sicut, & præceptum orandi fatētur ibi Doctores; & quidem ad orandum, & ad quodlibet opus bonum, quo maius auxilium impetretur, prærequiritur etiā auxilium, & hoc dicimus per Eucharistiam conferri. Quare tanto maior erit obligatio communicandi, quanto grauiores tentationes increscunt, inquit *Petrus de Soto supra.*

48 Noto demum sextò, cum *Caietano 3. par. quæst.73 art.3. & Soto in 4. dist.8. q.1. art.3.* necessitatem Eucharistiæ sæpius suppleri per eius votum explicitū, aut saltem implicitum, quàm necessitatem Baptismi, vel Pœnitentię: Cuius differentię rationem ego sumerem ex maiori excellentia Eucharistiæ, cui maior reuerentia debeatur, maior puritas, maior attentio.

Quare cum talis, ac tanta dispositio facilè nequeat haberi; ne cogente necessitate restaurandi vires spirituales, cogerentur fideles indignè quandoque communicare, voluit Christus, voluit Ecclesia non nisi rarò sub præcepto diuino, vel humano Sacramentalem communionem indicere. Ideò si quis post acceptum viaticum in articulo mortis commisit mortale peccatum, quamuis *Sotus in 4. distinc.12. qu.1. artic.11. Tabienna verb. Communicare num. 16. Armilla, verb. communio. num.18.* Significent teneri, rursus communicare; probabilius docent *Suarez supr. Filliuc. num.52. Bonacina num.3. Reginald. lib.29 num.65. Coninch. q.73. num.100.* non teneri. Quia vel effectus præcedentis communionis, sublato peccato per Pœnitentiam, reuiuiscit, vel per votum Eucharistiæ debito tempore recipiendæ in ipsa Pœnitentia, contentum auxilia conferuntur ad perseuerandum sufficientia.

49 Iam facilè fundamenta contraria diluuntur. Ad primum negamus in primis authoritate in negatiuam Conciliorum, & Patrum; nam vt vidimus, sæpè necessitatem exprimunt Eucharistiæ. Deinde fatemur, sæpius Patres meminisse necessitatis Baptismi, ac Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ, cum de reali receptione Sacramentorum loquuntur, propter id, quod nuper dicebamus. Sæ-

pius

pius enim fideles saluantur sine communione reali, quàm sine Baptismo, vel Pœnitentia realiter receptis, quia multo plura requiruntur ex parte recipientis, & ex parte ministrantis ad hoc Sacramentum, quàm ad alia duo necessaria: Nullum tamen adultum saluari credimus sine voto proprio saltem Eucharistię positiuè concurrente ad eius finalem perseuerantiam.

50 Ad secundum fatemur, gratiæ conseruationem, vel actualem perseuerantiam non esse infallibilem effectum Eucharistiæ, sicut nec auxilia peculiaria, quæ singulis Sacramentis iuxta peculiares ipsorum fines correspondent, sunt efficacia semper, vt tradunt communiter Doctores. Dicimus verò, potestatem perseuerandi per auxilia sufficientia cōseruationi gratiæ, quantumuis breui tempore, conferri per Eucharistiam, vel eius votum proprium, vt ostendimus *supra num.* 44. Nec alia opera bona fiunt sine prœuijs auxilijs per Eucharistiam collatis, nec impetrant auxilia vberiora, nisi supposito Eucharistiæ concursu, vt sæpè dictum est.

51 Ad tertium patet ex proximè dictis *nu.* 48. quamuis enim infirmus post viaticum peccans mortaliter, vidensque citò finiendam esse vitam suam, habeat animum numquam communicandi sacramētaliter; simul tamen habet votum implicitum communicandi tempore debito, si supervixerit, & hoc supplet effectum Sacramenti.

Sicut etiam potest habere propositum numquam confitendi peccatum illud, si videat, non adesse confessarium, nec ad futurum, dum vixerit, & nihilominus iustificatur per votum confessionis.

52 Ad primam confirmationem patet ex dictis *num.* 42. Nec enim auxilia sufficientia possunt omnia cadere sub meritum de condigno, vel de congruo, cum ad ipsum meritum prærequiratur auxilium; solum ex congruētia quadam debentur gratiæ iustificanti, quod non obstat, vt dentur per Eucharistiam, aut eius votum.

Ad secundam confirmationem respondetur, decreuisse Deum, vires animæ sufficientes ad perseuerandum per hoc medium Eucharistiæ conferre; donum tamen speciale perseuerantię finalis actualis superaddi prædestinatis ex speciali prouidentia prędestinantis.

53 Ad tertiam confirmationē respondetur, Melchiadem ibi vel excludere solum Sacramentum confirmationis (de quo loquitur) tāquàm non necessarium mox decedentibus post Baptismi receptionem; vel loqui de pueris ante rationis vsum decedentibus, quibus nec confirmationis Sacramentum, nec Eucharistia, vel eius votum proprium, nec auxilia necessaria sunt.

Nec excludit Pontifex à regeneratione, quàm per se saluare dicit, votum Eucharistiæ in adultis, sicut nec votum Baptismi, vel Pœnitentiæ secludit à regenerationis peccatoris, quæ fit per contritionem. Quippè regeneratio per se saluat, quatenus per se continet votum necessarium saluti; nec minuit dignitatem Baptismi, vel efficaciam gratiæ baptismalis, quod gratiæ prœuenientes, quę dabantur olim titulo circumcisionis, vel ex prouidentia communi, nunc dentur per votum Eucharistiæ, quod in ipsa receptione voluntaria Baptismi continetur; sicut nec diminuta fuit efficacia cōtritionis, quæ iustificabat olim sine voto Sacramenti, nunc verò non iustificat nisi per votum Sacramenti, quod continet, vt dicebamus *nu.* 38. Potius excedit gratia baptismi gratiam circumcisionis; quatenus hæc dabatur solo titulo Circumcisionis; illa datur non solo titulo Baptismi, sed etiam Eucharistiæ, cuius votum Baptismus continet: ideoque datur multo frequentior, & vberior.

CA-

CAPVT IX.

De præcepto diuino communionis.

1 LOquimur de communione laica, quæ fit propter præcisum vsum Sacramenti, de qua fit.

CAP. IX. QVÆST. I.

An extet diuinum præceptum communicandi?

PRima sententia negat. Tenent illam *Alensis 4. par. q. 51. membr. 4. S. Tho. in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. & dist. 12. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 1. Carthus. dist. 9. q. 1. Palacios ibi disp. 2. S. Bonau. Gabriel, Ferrara, Syluester*, quos refert *Vazqu. 3. par. disp. 213. c. 1.* Probant, quia tale præceptum nec traditione constat, nec habetur in scriptura. Nam id Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* putāt fuisse dictum de manducatione per fidem, & spirituali. Verba verò Luc. 22. *Hoc facite in meā commemorationem*. Vel ad solos Ministros dirigi, qui consecrare iubentur, vt alijs recipiant, si velint; vel præscribere solum communicandi finem; scilicet intentionem ibi commemorandi Dominicam passionem.

2 Affirmat secunda sententia iam cōmunis, & omninò tenenda, quām mutato consilio secutus est *S. Thom. 3. p. quæst. 80. artic. 11. Gabriel etiam* ; sequuntur *Durandus, Paludan. Rofensis, Ledesma, Caietanus, vterque Sotus, & alij*, quos sequitur *Vazq. sup. cap. 2. Suarez to. 3. disp. 69. sect. 1. Coninch. quæst. 80. num. 87. Henriquez lib. 7. cap. 3. nu. 2. cum multis, Cardin. de Lugo disp. 16. num. 2.* & ita iam inualuit, vt *Valentia tom. 4. disp. 6. q. 8. punc. 4.* dicat, nullum hoc tempore Catholicum docere contrarium.

Probatur ex verbis Io. 6. *Nisi manducaueritis*, quæ Patres vnanimes de Sacramentali manducatione capiunt, vt vidimus *cap. 8. n. 18.* & saltem necessitatem diuini præcepti sonare, contextus ipse, modusque loquēdi satis ostendunt: non .n. potest illa conditionalis esse vera, nisi talis manducatio sit sub diuino præcepto necessaria, siquidem aliàs non manducans posset simpliciter vitam habere. Quare nullus eorum, qui *caput. 6. Ioannis* de cibo sacramentali capiunt, hactenus negauit (*teste Vazquio*) præceptum huius Sacramenti diuinum esse.

Confirmatur ex verbis *Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Hoc facite in meam commemorationem*. Nam Apostoli tunc non sacrificabāt, sed communicabant dumtaxat: & indè colligit *Tridentinum sess. 13. c. 2.* præcepisse nobis Dominum Eucharistiæ sumptionē in sui memoriam. Vnde satis diruuntur fundamenta contraria.

CAP. IX. QVÆST. II.

Quas personas obliget hoc præceptum?

3 PArulos, & amentes, qui numquam habuerunt rationis vsum, hoc præcepto non teneri, *definit Tridentinum sess. 21. cap. 4. & can. 4.* Amentibus verò, qui rationis compotes antea fuerunt, quomodo dari debeat viaticum in articulo mortis, *diximus cap. 5. num. 19.* Pueros item confessionis capaces hoc præcepto teneri pro mortis articulo, *diximus ibi num. 22.* Idem est Energumenis, de semifatuis, de Neophytis, dum instruantur, quantum fieri possit, vt notant *Ioan. Sanchez disp. 40. num. 3. Diana part. 5. tract. 3. Resol. 45.* Ratio communis omnibus est: Nam huius præcepti verba generalia sunt: Ergo quicumq; sunt capaces Euchatistiæ recipiendæ iuxta superius *dicta ca. 5. q. 2 & 3.* tenentur ad illam recipiendam, quoties vrget hoc diuinum præceptum: siquidem sub eius verbis comprehenduntur, nec est specialis exceptionis ratio.

4 Restat nonnulla difficultas: An non bapti-

baptizati, siue fideles sint, vt Catechumeni; siue sint infideles, teneantur hoc præcepto? Prima sententia negat. Tenent *Sotus in 4. distinc. 18. qu. 1. artic. 3. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 12. num. 15. Pitigianus, & Nuñus*, quos sequitur *Bonacina de Sacram. disput. 4. q. 1. punc. 3. n. 4.* Probatur, quia sicut Baptismus est ianua Sacramentorum omnium, sic etiam est fundamentum obligationis eadem recipiendi; quare nullus ante Baptismum obligatur ad recipiendum aliquod Sacramentum præter ipsum Baptismum, sicut nec tenetur ad ieiunia, vel obseruationem festorum immediatè, quamuis debeat per Baptismum ad Ecclesiã venire, ac eius pręceptis subdi.

Confirmatur primò. Nam qui vouit Religionem, peccat contra votum, si non ingreditur eam, non tamen peccat contra præcepta Religionis, quamdiu non est Religiosus; alia siquidem est obligatio suscipiendi Religionem, alia seruandi pręcepta Religionis, ad quæ per illud prius votum non obligatur immediatè.

Confirmatur secundò. Quia licet verba pręcepti generalia sint, capienda tamen sunt iuxta naturam Sacramenti, quod ad sui receptionem supponit personam baptizatam.

5 Secunda sententia communis affirmat. Ita *Suarez tom. 3. disp. 69. sect. 2. Vazquez disput. 214. ca. 4. Coninch. q. 80. num. 93. Reginaldus lib. 29. n. 78. Cardin. de Lugo disputat. 6. num. 17.* qui subindè censent, adultum non baptizatum debere baptizari, vt communicare possit, alioquin peccare dupliciter, contra præceptum scilicet Baptismi, & contra præceptum communionis. Probatur, quia præcepta diuina generaliter prolata omnes capaces obligant, cum omnes diuinæ potestati subdantur; Sed hoc diuinum præceptum generaliter fuit prolatum ad adultos, & non baptizati capaces sunt illius saltem remotè, siquidem si velint baptizari, possunt illud implere. Igitur obligat etiam illos.

Confirmatur primò. Quia Christus hoc præceptum promulgauit Capharnaitis, quorum plurimi non erant baptizati, & tamen omnibus dixit, *Nisi manducaueritis*. Ergo ligat hoc præceptum etiam non baptizatos.

Confirmatur secundò. Nam qui sunt in peccato mortali, non possunt licitè communicare, nihilominus ad communionem obligantur, non vt existentes in peccato communicent, sed vt dignam pœnitentiam agant, & sic dignè communicent. Ergo similiter non baptizati tenentur ad communionem, & consequenter debent se reddere capaces ad dignè communicandum.

6 Ego censeo, potuisse Christum obligare non baptizatos immediatè ad recipiendam Euchariam, cum sit Dominus omnium: & de facto pro mortis articulo cunctos adultos obligasse ad communicandum; ita vt teneantur baptizari tunc temporis, eo quoque titulo, videlicet vt sint Eucharistię capaces, & in hoc sensu veram esse secundam sententiam. At extra mortis articulum non mihi videtur improbabilis prima sententia; quia vix assignari potest tempus determinatum, pro quo tale præceptum obliget immediatè non baptizatos: Quapropter extra talem articu[illegible]m nunquam determinatè peccabunt contra præceptum diuinum communionis: Et quidem contra præceptum Ecclesiæ determinantis tempus illud ad annuam communionem non peccat, qui nondum est Ecclesiæ subditus.

7 Dices, determinationem Ecclesiæ, quamuis non obliget non baptizatos per modum humani præcepti (sicut obligat Baptizatos) posse tamen illos obligare per modum conditionis ad diuinum pręceptum requisitæ; nam ad hoc non requiritur iurisdictio ponentis conditionem, quasi Christus præceperit cõmunionem pro eo tempore, quod determinauerit Ecclesia. Sicut si Confessarius imponat pœnitenti ieiunium illis diebus, quos Medicus designauerit; Medicus nec habet iurisdictionẽ, nec exercet illam, quando designat vos, vel illos dies.

dies. Respondeo, posse quidem hoc probabiliter sustineri; verum communis sententia docet, illam determinationem esse præceptum Ecclesiasticum impositum fidelibus (vtique baptizatis) quos ipse textus alloquitur *in ca. vtriusque sexus de Pœnit. & remiss.* nec ad non baptizatos etiam per modum conditionis extendi; sicut nec præceptum confessionis annuæ simul impositum extendi potest.

8 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, licet non baptizati sint immediatè capaces Eucharistiæ, posse tamen ad illam immediatè obligari; quatenus Christus supremus legislator obligat illos, vt saltem pro mortis articulo reddant se capaces Eucharistiæ recipiẽdæ. Exemplum autem ieiunij, vel ob seruationis festorum non est simile; nam horum præceptum est Ecclesiasticum, & ita ligare non potest nisi subditos Ecclesiæ.

Ad primam confirmationem respondetur, illum nondum ligari præceptis Religionis, quia non est subditus Prælati præcipientis, solumque ligari voto facto ingrediendi Religionem. At in nostro casu datur iam Eucharistiæ præceptum latum à Christo, qui potest etiam non baptizatos obligare.

Ad secundam confirmationem fatemur, verba sic esse capienda. Hoc tamen non tollit, quin non baptizatus obligetur ad recipiendum Baptismum tum ratione sui, tum ratione communionis: Sicut peccator in Paschate tenetur confiteri, tum ob præceptum confessionis, tum etiam ob præceptum communionis.

9 Petes, si catechumenus bona, vel mala fide debito tempore recipiat Eucharistiam, an satisfaciat præcepto diuino; sicut baptizatus communicans in peccato mortali satisfacit præcepto cõmunionis? Negant, & bene *Suarez, & Vazquez supra, & Cardin. de Lugo num. 20.* quia præcipitur communio Sacramentalis, & communio Catechumeni solum est materialis, vt ostendimus *sup. ca. 4. num. 2.* communio verò peccatoris est sacramentalis, quamuis non sit spiritualis, vt diximus ibi *nu. 4.* Simile potest afferri de Sacramento Vnctionis, quam si suscipit periculosè decumbens in statu peccati, verum recipit Sacramentum, & impleuit eius præceptum, (si detur) nec potest in eodem morbo rursus illam recipere. Verum si verè non erat moribundus, quamuis esset in gratia, non recepit verum Sacramentum, & ingrauescente morbo tenetur illud recipere.

CAP. IX. QVÆST. III.

Quando præceptum diuinum communionis obliget?

10 Distingui potest obligatio per se, ac obligatio per accidens: de hac diximus *cap. 8. num. 47.* nam per accidens obligamur ad communionem, quoties iudicamus, illam esse necessariam simpliciter ad resistendum alicui tentationi, vel ad euitandum mortale peccatum, sicut etiam tenemur ad alia similia media. Nunc agimus de obligatione per se, quam consequenter non admittent, qui negant præceptum diuinum communionis relati *supra num. 1.* Verum inter illos, qui diuinum præceptum admittunt, *Caietanus, Victoria, Paludanus apud Suarium tom. 3. disp. 69. sect. 3.* volunt, obligare semel in vita dũtaxat: Vnde colligunt, si quis iam semel in vita communicauit, non obligari diuino præcepto ad communicandum in articulo mortis. Probant, nam præceptum affirmatiuum per vnum actũ sufficienter impletur.

11 Dico tamen primò, diuinum præceptum obligat ad communicandum sæpius in vita. Sic tenet iam communis sententia. Probatur, nam hoc Sacramentum institutum est per modum cibi concurrentis ad spiritualem nutritionẽ; Sed necessitas cibi materialis postulat repetitas comestiones ad reparandum id, quod actione continuatiui caloris deperditur. Ergo proportionaliter Eucha-

ristiæ necessitas, cum sit cibus spiritualis, postulat repetitas sumptiones ad reparandum id, quod continua fomitis impugnatione deperditur, aut debilitatur. Ita *S. Thom. 3. par. quæst.* 80. *art.* 11. *Sotus, & Henriquez, Coninch, Reginaldus, & alii*, quos sequitur *Bonacina disp.* 4. *qu.* 7. *punct.* 1. *num.* 8.

12 Si petas, quoties, & quando sit implendum hoc præceptum? *Suarez supra, & Bonacina num.* 9. censent id diiudicandum esse prudentis arbitrio, viderique peccare lethaliter illum, qui per duos, aut tres annos non communicaret. Melius *Vazquez 3. part. disputat.* 214. *cap.* 3. *Coninch. q.* 80. *num.* 101. *Cardin. de Lugo, disp.* 16. *num.* 28. dicunt, Christum non determinasse tempus, sed reliquisse determinandum, non tam singulorum arbitrio, quam Ecclesiæ designatione, quæ proinde semper curauit, vt hoc Sacramentum sæpe sumeretur à Fidelib. illos cogendo, si quando negligentiores essent; & demum præcepit communionem annuam in Paschate, qua sufficienter impletur diuinum præceptum communionis extra mortis articulum, vt communiter fatentur Authores relati.

Posita si quidem Ecclesiæ determinatione, iam fideles tenentur non solum ex Ecclesiastico, sed etiam ex diuino præcepto, quod licet eis non determinet tempus, obligat ad talem frequentiam, qualem Ecclesia determinauerit.

13 Circa mortis articulum quidam nullam agnoscunt obligationem præcepti scripti, sed solam Ecclesiæ consuetudinem, ita tamen vt si quis in Paschate communicauit, & in articulo mortis nō ex contemptu, sed ex negligentia communionem omittat, non peccet mortaliter; quia viaticum non est necessitas Sacramentum, vt ipsi putant; & illa consuetudo non videtur amplius obligare, quam sub veniali. Sic docent *Victoria in sum. num.* 86. *Chamerota, & Graffis apud Bonacin. supra num.* 1. & Antiquiores alij citantur. *Sà verbo Eucharistia num.* 1. sic ait. *Qui in Pascha communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu, non peccat mortaliter.* Quod editio correcta non abstulit: Editio tamen Matritensis sic habet. *Qui in Pascha communicauit, tenetur etiam communicare in articulo mortis. Manuel in Summa tom.* 1. *ca.* 64. iuxta quamdam editionem dicebat. Si præceptum erat Ecclesiasticum communionis in articulo mortis, non esse mortale peccatum illā ex negligentia omittere. In alia editione dicebat absolutè, non esse mortale communionem omittere in articulo mortis ex negligentia. Tamen vtrumque sublatum est per Expurgatorium Hispanicum anni 1632.

14 Dico secundò, præcepto diuino tenemur in articulo mortis cōmunicare, quamuis in Pascha cōmunicauerimus. Ita *Durandus, Gabriel, vterque Sotus*, quos sequuntur *Suarez, Vazquez, Bonac. supra. Richardus, Pitigianus, Hurtado, Granado, Præpositus*, quos sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 40. *& par.* 5. *tract.* 3. *Resol.* 42. *Coninch quæst.* 80. *num.* 95. *&* 98. *Henriquez lib.* 8. *cap.* 4. *Reginald. lib.* 29. *num.* 64. *& alii communiter.* Probatur ex antiquissimo Ecclesiæ more communicandi moribundos, quem in multis Concilijs commendatum, & vsu vetustissimo receptum fuisse, testatur Tridentinum *sess.* 13. *ca.* 6. retinendumque fore decernit.

Cum autem talis consuetudinis principium ignoretur, prudenter colligitur, illam ab Apostolis deriuatam, & ex diuino præcepto natam fuisse.

15 Confirmatur primò. Ex *cap. de His.* 26. *q.* 6. vbi decernitur, vt cum his, qui vita decessuri creduntur, antiqua lex seruetur, nimirum vt necessario viatico nō defraudentur. Ecce textus & antiquam legem commemorat, & fundamentum ipsius nempe necessitatem viatici, quæ proueniat ab eius institutione. Nō enim vocaret viaticum necessarium, nisi iam ex institutione supponeretur necessariū saltem necessitate præcepti diuini.

Quippe numquam lex humana vocat absolutè necessarium, quod ipsa sola præcipit, nec benè redderetur pro ratione

ne necessitas proueniens ex eodem, vel ex simili lege Canonica. Ergo debet intelligi de necessitate, quæ proueniat aliunde, scilicet à lege diuina.

Confirmatur secundò. Nam ex institutione huius Sacramenti per modum cibi colligitur, vt vidimus, obligatio illius sumendi, quando necessarium putabitur: Numquam autem potest esse magis necessarius hic cibus ad firmandum animę robur, quàm in articulo mortis, in quo maximè periclitatur æterna salus, & imminet vltima lucta, qua decernatur mors, aut vita perennis. Ergo possumus ex eadem institutione colligere communionis obligationem pro tali tẽpore, quod subindè diuino præcepto definitum non subiaceat Ecclesiæ dispositioni, vt notat *Suar. sup.*

16 Hinc fit 1. Doctores primæ sententię, si semel admittant vllum communionis præceptum pro mortis articulo, vel saltem consuetudinem, quæ pręcepti vim habeat, parum consequenter addere, non esse mortale, quando sine cõtemptu per solam negligentiam omittitur talis communio: Cum enim materia sit grauis, & ad animæ salutem valdè conducens, obligatio grauis erit, vt probant *Suarez, & Vazqu.* Fit 2. iam sine temeritate negari non posse præceptum communicandi pro mortis articulo, vt afferunt *Vazqu. num. 6. & Ochagauia de Euchar. tr. 2. q. 14. nu. 4* Nam sæpè Concilia præcipiũt, ne morientes sine viatico decedant, & præcipuè *Trid. supr. retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit.*

Dices, si pręceptum diuinum obligaret ad communicandũ in articulo mortis, non posset Ecclesia moribundos priuare communione; cum tamen interdũ aliquos in pœnam delictorum priuarit. Respondetur, Ecclesiam certè posse morientem communione priuare iustis de causis, non quidem tollendo præceptum diuinum, sed morienti tamquam indigno potestatem adimendo communicandi; Sicut Iudex prohibendo reum cibo tollit ei potestatem conseruandi vitam, ad quod iure naturali tenetur; de facto tamen numquam Ecclesia generaliter tulit talem legem, imò quædam statuta Conciliorum prouincialium, quę priuabant communione reos, Ecclesia reuocauit, vt patet ex *cap. Super eo, de Heret. in 6.* vbi præcipitur, hæreticis etiã relapsis dari communionem, si pœniteant, & confiteantur; & ex Motu proprio Pij Quinti quo sublata fuit in Hispania consuetudo non communicandi damnatos ad mortem, vt vidimus *supra cap. 7. num. 82.*

17 Hoc diuinum præceptum comprehendit omne periculum mortis etiam violẽtæ; nam ibi pariter militat ratio, ne moriẽs sine necessario viatico decedat; Si nimirum periculosum prælium sit cõmittendum, aut periculosa nauigatio subeunda, vel reus sit morte plectendus, vt aduertunt *Ioannes Prępositus 3. parte qu. 80. art. 11. n. 14. Vazquez qu. 90. art. 3. dub. 2. Cardin. de Lugo disp. 16. num. 47.* Quoties enim occurrit probabile mortis periculum, vrget hoc communionis pręceptum, vt animus roboretur in vltimum agonem.

Ideo tenetur Iudex reis morte plectẽdis concedere tempus confessionis, & communionis. Sic docent *Syluester Eucharistia 3. qu. 5. dicto 8. Henriquez lib. 8. cap. 5. num. 4. Suarez tom. 3. disp. 69. sect. 3. fine. Nauarra de Restitut. lib. 2. capite 3. num. 225. & 228. Reginaldus lib. 29. num. 70. Fagundez Pręcep. 3. lib. 1. cap. 4. nu. 3. Bonac. cum alys disput. 4. quæst. 7. punct. 1. num. 5.* Probatur; quia Iudex iure naturali tenetur etiam consulere bono priuato plectendi, quantum recta ratio dictat, & postulat; Sed communio non solum est vtilissima plectendo, sed etiam necessaria necessitate vel medij, vel saltem diuini præcepti, quod in articulo mortis potissimum vrget. Ergo debet Iudex concedere reis confessionis, & cõmunionis opportunitatem. Sic habetur *cap. Quæsitum 13. q. 2.* Et *in Clem. Cum secundum de Pœn. & remij.* Iudices per excõmunicationẽ compelluntur concedere plectendis Pœnitentiæ Sacramẽtum

sub pœnitentia verò morientibus concessa viaticum esse simul intelligendum, expressè decernitur *cap. Quod in te, de Pœnitent. & remiss. & cap. 1. de furtis*, & notant *Glossa in predicta Clem. & Reginaldus supra num. 73.*

18 Nota primò. Si reus noluerit intra tempus a Iudice sibi concessum (puta diem integrum) se preparare ad confessionem, & communionem, & adhuc spes esset, post duos, vel tres dies disponendum esse: nec immineat periculum scandali, vel fugę, vel damni notabilis ex dilatione, debere Iudicem per illud spatium executionem differre, quia charitas obligat ad euitandam proximi ruinam pręsertim irreparabilem, dum adest salutis spes, & aliundè non instat puniendi necessitas. Ita *Nauarra supra num. 227. Bonacina num. 6.* Quod si reus nolit omnino Sacramenta recipere, non ideo liberandus est, imò debet occidi, quamuis in peccato moriatur.

Tunc enim imputabitur reo sua perditio: magnumque foret Reipub. detrimentum, si sontes eluderent supplicium nolentes pœnitere. Sic *Nauarra supra numero 224. Bonacina num. 7. Reginald. num. 71.*

19 Nota secundò. Excusari Iudicem à concedendis reo Sacramentis, quoties indè sequeretur grauissimum damnum. V. gr. si talis esset reus, vt nisi mox occidatur, timeatur proditio Principis, seditio populi, traditio ciuitatis, vel arcis, aut ipsius Iudicis interitus.

Tunc enim non tàm proceditur cum emendato ad pœnam, quàm cum aggressore ad defensionem Reip. vel Iudicis; & licitum est vim vi repellere, sufficietque tempus contritioni concedere: Quin si timeretur indè quoque notabile damnum, sine notificatione sententiæ videtur occidendus. Ita *Fagundez sup. Nauarra numer. 226.*

CAP. IX. QVÆST. IV.

Vtrum hoc preceptum impleatur per communionem antecedentem nonnihil mortis periculum?

20 Alijs terminis quæri solet; an qui communicauerat paulò ante mortis periculum, teneatur in ipso rursus communicare? Prima sententia docet, teneri; quia non est impletum diuinum præceptum communionis obligans pro mortis articulo, seu periculo. Sic *Vazq. 3. p. disp. 214. c. 2.* citans aliquos sine nomine. Consonant *Lusius de Torres in sum. par. 1. cap. 58. dub. 2. n. 3. Ochagauia de Euchar. q. 14. n. 7. Kelleison. 3. p. to. 2. q. 80. art. 11. notab. 2. Gaspar Hurtado de Euch. disp. 10. diffic. 2. Megallius in Prompt. to. 2. verb. Eucharist. preceptum nu. 6. & verb. Eucharistiæ minister nu. 20. Bresserus de conscientia lib. 3. ca. 8. n. 100. Diana par. 4. trac. 4. Resol. 197. & part. 5. tr. 3 Resol. 33. & 41. & part. 6. tr. 6. Resol. 18. & p. 8. tr. 1. Resol. 87.*

21 Probatur primò. Quia nullus implet præceptum antequàm incipiat eius obligatio, sed obligatio huius diuini pręcepti verè non incipit, donec immineat periculum mortis. Ergo non potest ante mortis periculum impleri; sicut in alijs præceptis affirmatiuis obligantibus pro determinato tempore fatentur Doctores. V. g. qui Missam audit hodie, vel recitat officium, per hunc actum non implet præceptum audiendi Missam, vel officiū recitandi die crastina. Ratio reddi potest, quia quando posteà venit tempus à præcepto præscriptum, incipit obligatio ponendi rem pręceptam: Ergo debet poni post obligationem, vt fiat, quod præcipitur.

Probatur secundò. Nam si quis incidēs in mortis periculum, pridie communicasset, posset hodie nihilominus cōmunicare non ieiunus ex omnium sententiā: Sed nullus excusatur à ieiunio communioni præmittēdo nisi ratione præcepti, quod

quod tunc strictius obliget. Ergo præceptum diuinum communionis in periculo mortis obligat etiam illum, qui pridie sine tali periculo communicauerat.

Probatur 3. quia si semel admittamus ante mortis periculum impleri posse præceptum istud, nulla suberit ratio, cur potius octo, vel nouem diebus, quàm pluribus ante tale periculum impleretur, cum pariter in omnibus retrò transactis Eucharistia recepta fuerit extra tempus præcepti.

22 Hinc inferunt *Hurtado, Megallius, Bresserus, Diana supra, Zambellus verb. Eucharistia, nu. 20. Antonius de Escobar trac 7. Exam. 6. cap. 5. num. 62. (citantur etiam Vazquez in Manuscriptis, et alij)* si quis manè celebrauit, aut communicauit ex deuotione, vel iam ægrotus, sed sine periculo, posteaque subito reducatur ad periculum mortis, posse, ac debere rursus eodem die cõmunicare: Quia tunc obligat præceptum diuinum communionis, quod præualet præcepto non communicandi bis eodem die, nec per antecedentem communionem impleri potuit. Addunt, multos viros doctos nostræ Societatis Iesu sic censuisse, ad praximque reduxisse. *Victorellus etiam in Addit. ad Toletum lib. 6. cap. 15. indicat, ita factum fuisse cum Nostro P. Claudio moribundo, et de alijs narrant alij.*

23 Secunda sententia docet, non teneri rursus in articulo mortis illum communicare, qui paucis retrò diebus ante mortis periculum communicarat. Ita *Suarez tom. 3. disput. 69. Paludanus, Angelus, Henriquez, Tabienna, Graffis*, quos sequitur *Bonacina disput. 4. quæst. 7. punc. 1. numero secundo. Martinõn tom. 4. disp. 35. sect. 6. num. 68. Coninch. qu. 80. numero 98. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 5. numero 4. Fagundez Pracept. 3. lib. 1. cap. 3. Zambranus cap. 3. dub. 1. Homobonus in conf. part. 5. Respons. 47. Cardin. de Lugo disputat. 16. a num. 38. Granado 3. par. controu. 6. tract. 10. disput. 3. Maratius tom. 3. disputat. 35. sect. 2. Amicus tom. 7. disp. 27. sect. 2. Mercerus, Pitigianus, Raucius, & alij*, quorum sententiam esse communẽ, & probabilem fatetur *Diana supra.*

Probatur primò. Nam finis huius cõmunionis est, vt homo Sacramento Eucharistiæ tanquam cęlesti viatico se præparet ad exitum ex hac vita; sed sufficiẽter censetur se præparasse, qui paucis retrò diebus ante mortem Eucharistiam susceperat etiam sanus. Ergo sufficienter impleuit hoc præceptum; quod subindè censendum est obligare solum ad accipiendam Eucharistiam paulò ante mortem; seu ne quis decedat sine hoc Sacramento proximè recepto. Probatur secundò, quia si quis beneualens sciret ex reuelatione, se breui moriturum, vel necandum esse sine opportunitate recipiẽdi Sacramenta, teneretur statim cõmunicare, ne decedat sine viatico; sicut sine dubio tenetur, qui monetur à Iudice de sententia mortis intra biduum exequenda. Ergo tale præceptum incipit obligare pro tempore morti proximo tam sanum, quàm infirmum; & per consequens impleri potest toto tempore morti proximo tam ab ignorante mortem proximam, quàm à cognoscente. Siquidem obligatio præceptorum pro tali, vel tali tempore pendet ab intentione legislatoris sufficienter expressa, non à notitia vel ignorantia subditorum, licet hęc excuset ab executione, dum est inuincibilis.

Declaratur exẽplo: Velit Iudex duos reos intra triduum occidere, monet vnũ de nece futura, vt mox recipiat viaticum, alter ignarus necis communicat simul ex deuotione; Certè negari non debet, quod vterque præceptum impleuerit obligans iam pro tali tempore morti proximo, quamuis vnus pro tunc ignoraret obligationem.

24 Si petas, quot diebus ante mortem debeat præcessisse communio, vt præceptum communicandi censeatur impletum quoad sumptionem viatici? *Zambranus* limitat ad duos, vel tres dies, nec vult hoc spatium vlterius relaxari, nisi subsit specialis, & vrgens causa. *Paludanus in 4. dist. 9. art. 1. q. 1. nu. 17.* dicit, sufficere, si quindecim ante diebus com-

municauerit. *Suar. Henriq. Laym. & alij*, decem, aut octo dies aſſignant: Res eſt magis arbitrio prudẽtis, quàm iuris decretis regulanda. Ego libenter amplector hanc ſecundam ſententiam, vt communiorem, & probabiliorem, quàm argumentorum partis oppoſitæ ſolutione magis firmabo.

25 Vnde conſequenter aſſero illum, qui manè celebrauit, aut communicauit etiam ſanus ex mera deuotione, ſi poſtea repentino morbo, vel vulnere, vel ſimili caſu redigatur in proximum articulum mortis eodem die ſubeundæ, nec debere, nec poſſe rurſus communicare. Sic cenſent *Doctores ſup. relati num. 23.* & alij, quos refert *Diana præſertim p. 5. tract. 3. Reſolut. 33.* inter quos *Suar.* dicit, bis communicare eodem die ſub illo prætextu non ſolum eſſe contra Doctores omnes, ſed etiam contra morem Eccleſię, *Fagundez aſſerit*, nec reuerenter, nec ſine ſcandalo ſumi poſſe viaticum eodem die, quo prius ex deuotione ſumpta fuerat Euchariſtia. *Zambranus ait*, eſſe falſum omninò, ſuperueniente mortis articulo poſſe bis eodem die communicari, & contra omnes, qui ſolum admittunt, poſſe pluſquam ſemel communicari, quando ſępius eodem die licitè celebratur.

26 Ratione probatur aſſertio 1. Quia per communionem factam ante mortẽ paulò ante obitum, etiam ſine mortis cogitatione, ſatisfactum eſt præcepto communicãdi pro mortis articulo; ſicut de facto ſatisfacit, qui bene valens, & ſciens, ſe cras moriturum, hodie cõmunicat; & planè ſatisfaceret, quamuis id ex ſola reuelatione nouiſſet. Cum ergo propinquitas mortis non augeatur ex eius cognitione, nam eſt verè proxima, licet ignoretur; fatendum eſt illum, cui mos inſtabat eodem die, verè communicaſſe tẽpore proximo morti, pro quo iam obligabat præceptum (quamuis id ignoraret) ac per conſequens ſatisfeciſſe pręcepto diuino: Quare non eſt, cur communicet bis in eodem die.

27 Probatur ſecũdò. Nam oppoſitum fundamentum, ſi probaret, eodem die debere moribũdum communicare bis, pariter conuinceret, debere vel eadem hora, vel ſemihora: ſiquis ſtatim poſt cõmunionem vulnere, vel morbo correptus incipiat mori. Nam eadem eſt ratio, nimirũ eadem obligatio recipiendi viaticum in articulo mortis. Conſequens autem nec eſt praxi receptum, nec fieret ſine ſcandalo, ſiquis paulò poſt Euchariſtiam acceptam iuberetur, iterum commuuicare, cogereturque Parochus eidem rurſus Euchariſtiam miniſtrare, cui paulò ante miniſtrarat eandem.

28 Probatur 3. quia licet nõ fuiſset per matutinam communionem adimpletũ diuinum præceptum, adhuc non obligaret ad bis communicandum in eodẽ die contra prohibitionem Eccleſiaſticã binæ communionis in eodem die cõmuni more receptum ſicut non obligat ad celebrandum ſine veſtibus ſacris, vel ad conſecrandum fermentatum pro communione moribundi contra prohibitionem Eccleſiæ, quæ licet diſpenſauit cum moribundis quoad ieiunium communioni præmittendum, non dignoſcitur diſpenſaſſe quoad binam communionem eiuſdem diei. Ideo *Vazquez* in libris editis, & plures Doctores primæ ſententię nõ loquuntur de illo, qui communicaſſet eodem die, ſed præcedenti. Nec ſcimus Eccleſiam cum aliquo diſpenſaſſe, vt eodem die bis communicet extra celebrationem.

29 Ad primum fundamentum primæ ſententię concesſa maiori, diſtinguimus minorem; obligatio non incipit, donec immineat periculum mortis per cauſas iam proximè diſpoſitas ad inferendam necem, negamus: per veram propinquitatem morris intra decem dies futuræ; concedimus: Quapropter quæuis communio (licet ex deuotione fiat, & ſine cognitione mortis) intra dies illos facta, verè fit eo tempore, pro quo præceptum incipit obligare, ac ſubindè verè præceptum impletur, quamuis eius obligatio pro tunc ignoretur.

Sicut audiens Miſſam die feſto, ſed ex

ex sola deuotione, quoniam ignorat, esse festum, implet verè præceptum, nec illo cognito, tenetur audire Missam aliam iuxta communem sensum Doctorum. Vrget *Vazquez*. Ergo si quis sciret, ex reuelatione, se cras incursurum esse periculum mortis, obligaretur ad communicandum hodie, quod est falsum.

Respondetur, negando sequelam; nam quoties præceptum obligat pro pluribus diebus indeterminatè, quamuis in quolibet impleri possit, non tamen obligat pro primo determinatè, sed pro quouis indeterminatè. Quare si per talem reuelationem præuideat homo, se victurum aliquot diebus, itaut alio die possit ante mortem communicare, non tenetur ad communicandum hodie. Secus est, si præuideat, fore vt nequeat ante mortem communicare, nisi communicet hodie. Quod idem accidit in alijs præceptis obligantibus pro tempore diuisibili.

30 Ad secundum concessa maiori, negatur minor: Nam Ecclesia non limitat ieiunij dispensationem ad eos moribundos, qui multis retrò diebus non communicauerint, sed illam simpliciter cōcedit existentibus in articulo, vel periculo mortis; non .n. dispensat solum propter obligationem diuini præcepti, sed etiam ob necessitatem, siue consolationem morientis, cui pia mater indulget, vt hoc cibo se muniat ad postremum agonem semel, & iterum etiam non ieiunus, vt diximus *supra cap. 7. q. 7. num. 74.* Ad tertium negatur antecedens; nam præceptum obligat ad communicādum tempore mortis: Hoc autem secundum communem modum concipiendi, nec est sola dies vltima vitæ, nec totus annus præcedens, sed tempus aliquod moderatum, quod (vt vidimus) Authores secundæ sententiæ diuersimodè taxant, & quidem communiter fieri dicuntur in fine vitæ, seu tempore mortis, quæ fiunt intra decem dies ante mortem paulò plus, minusue; Quare prudenter hoc præceptum ad istud spatium, & non amplius extenditur.

31 Petes 1. Si quis manè cōmunicauit, & post communionem cōmisit mortale peccatum, & incurrit periculum mortis, nec habet copiam Confessarij, sed adest Diaconus, qui ministret Eucharistiam; an possit, vel debeat communicare rursus, vt si solum sit attritus, media communione saluetur? Affirmabunt Doctores relati *num. 22.* consequenter ad suam doctrinam, affirmat in terminis *Diana par. 8. tract. 1. Resol. 87.* Quin ex Authoribus secundæ sententiæ affirmat etiam *Amicus to. 7. disp. 29 sec. 4. n. 37.* Probat; nam media quoque probabilia certiora suæ salutis tenetur moribundus adhibere: nec putat, hoc ab vllo Doctore negari, vel negandum: Nec ego quidem id inficior; at verò noto, secundam istam communionem licere, vel etiam deberi, non ex vi præcepti diuini communionis, sed ex vi præcepti charitatis propriæ, quod in tanta necessitate præualet prohibitioni binæ cōmunionis. Vnde colligo, idem fore, quamuis aliquis manè receperit viaticum iam in articulo mortis constitutus, & per consequens impleuerit iam præceptum diuinum recipiendi viaticum: nam ratio necessitatis pariter vrget, & periculum damnationis est idē, si sit solum attritus, & non recipiat aliquod Sacramentum.

32 Petes 2. Quid dicendum in communi, quando quæritur; an per actum ante præcepti obligationem factū possit impleri præceptum? Negant sane Doctores primæ sententiæ: sed affirmare videntur Authores secundæ, saltem in aliquib. casibus, vbi valeat anticipata solutio, præcepta ferri censeantur conditionatè, nimirum præcipiendo talem actum pro tali tempore, nisi iam sit factus tempore proximè præcedente. In particulari si quis ordinandus hodie Subdiaconus recitet totum officium, antequàm ordinetur, teneri post ordinationem recitare partem correspondentē reliquo diei, tenent *Bonacina de horis Canonicis, disp. 1. q. 2. punct. 5. n. 11. Castro Palaus to. 2. trac. 7. disp. 2. punc. 4 nu. 3.* Quia nondum stanti obligationi satisfieri non potuit. Oppositum censet *Cardinal. de Lugo*

disput.16. num.39. & probabile vocant *Trullench.lib.1.Decal.c.7.dub.13. nu.3. Diana part.4.tract 4.Resol.218. & part. 6.tract.7.Resol.18.* Quia verè factum est, quod præcipitur, nimirum vt intra diem illum recitetur.

Itaque dicimus,verè non impleri præceptum vllum per actum factum ante tempus, pro quo tale præceptum incipit obligare, vt probat primum fundamentum primę sententiæ positum *n.21.* Nec id in re negant Authores secundæ sententiæ, quamuis aliqui videantur in verbis dissentire . Nam *Suar.* & alij recurrentes ad intentionem virtualem,quàm quilibet habet satisfaciendi cuiuis obligationi,quatenus possit,& debeat,planè supponunt, iam obligare præceptum, quamuis ignoretur eius obligatio. *Cardin.de Lugo* fatetur, quando quis recitauit officium, antequàm ordinetur, verè poni rem præceptam , videlicet vt intra diem illum recitetur.Similiter quando quis sanus cômunicauit paucis diebus ante mortem, verè communionem fuisse factam intra tempus,quo iam præceptum obligabat , licet ignoraretur; præceptum enim est de communione paulò ante mortem præmittenda. Debemus igitur in singulis præceptis iuxta naturam & qualitatem ipsorum, item iuxta praxim, & sensum communiorem perpendere, pro quanto, vel quali tempore duret illorum obligatio;quandoue incipiat, & quando desinat, vt indè decidamus, an per hos actus tali, vel tali tempore factos impleantur.

33 Præceptum audiendi Missam obligat pro toto dio festo; ideo qui pridie sacrum audit,non satisfacit;secus si mane sacrum audiat ignorans esse festum, vel in loco, vbi non erat dies festus, & postea venit ad locum,vbi sit dies festus, semper enim id præceptum intendit, vt intra talem diem audiatur sacrum , & quacumque hora sit auditum, verè posita fuit res præcepta. Similiter præceptū recitandi diuinum officium obligat pro singulis diebus iuxta communem horarum distributionem; Ideo qui pridie recitaret totum officium diei sequentis, non satisfacit; quia recitat, antequàm incipiat obligatio recitandi. Pariter qui recitat officium hodiernum, antequàm initietur sacris, vel emittat professionē, vel accipiat beneficium Ecclesiasticum; vel audit Missam,antequàm præcipiatur seruari tale festum,verè non implet præceptum; quia nondum obligat hunc pro tali tempore, quare valdè probabiliter sentiunt *Castro Palaus* , & *Bonacina*.

Vt autem sit probabile , non teneri post Ordinationem, professionem, aut beneficij collationem iterum recitare, recurrere debemus ad sensum quasi côditionalem talium præceptorum, quem affert *Cardin.de Lugo supr.* nimirum vt talis actus fiat, nisi iam sit factus intra diem illum, vel aliud tempus determinatum.Tunc autem propriè non impletur præceptum per actum antecedētem, sed qui fecerant illum, non comprehenduntur præcepto;cum palam excludantur per conditionem implicitam. Et sic erit in alijs præceptis affirmatiuis philosophandum.

34 Demum præceptum diuinum communionis pro mortis articulo reor obligare pro tempore morti proximo , ac per consequēs impleri propriè per communionem quomodolibet factam intra decem dies paulò magis, aut minus ante mortem; & sententiam asserentem posse communicare bis eodem die propter hoc præceptum implendum, non reputo practicè probabilē, dum legitima consuetudo contraria contrarium non induxerit. Nam mos antiquus Ecclesiæ binam illam communionem non permisit, vt *Suar.et plerig; Doctores testantur* : Praxis autem talis communionis adhibita ter, aut quater in diuersis locis non conuincit. Nam, vt prudenter aduertit *Cardinal. de Lugo*, quod semel, aut iterum in repentinis casibus sit, non æquiualet auctoritati Doctorum , qui diligenter , & ex professo rem ipsam discusserunt , facilè quippè contingit , vt in subita turbatione non occurrant ratio-

rationes omnes, & ideo præferatur id, quod apparet magis pium, quamuis minus probabile, vel etiam improbabile sit. Et quidem magnum pondus habere debet, quod per tot retro sæcula nullibi reperiatur dispensatio binę communionis laicalis in eodem die vel ab Ecclesia concessa, vel inducta per consuetudinem; quam tamen nunc velint vnus, vel alter Modernus inducere sub solo prætextu pietatis sine solidis fundamentis, vt ostensum est.

CAP. IX. QVÆST. V.

Vtrum qui post sumptum viaticum peccat mortaliter, teneatur iterum communicare?

35 Affirmant *Sotus in 4. distinc. 12. qu. 1. artic. 11. Tabienna verb. communio. num. 16. Armilla ibi num. 11.* Probari potest; nam moribundus, qui post receptum Pœnitentiæ Sacramentũ peccat mortaliter, tenetur iterum conteri, quoniam Sacramentum Pœnitentię necessarium est necessitate medij. Sed in nostra sententia pariter Eucharistia est necessaria necessitate medij. Debet ergo post mortale commissum iterum communicare, ne sine viatici necessario iuuamine succumbat in agone postremo, qui post sumptum viaticum peccauit mortaliter.

36 Communis sententia negat. Ita *Suarez tom. 3. disp. 69. sect. 3. Henriquez lib. 8 cap. 5. num. 3. Coninch quæst. 80. num. 100. Reginaldus lib. 29. num. 65. Filliuc. trac. 4. num. 52. Bonacina disp. 4. quæst. 7. punc. 1. num. 3. Cardin. de Lugo disput. 16. num. 46. Gaspar Hurtado, Kellisonius, Ochagauia,* quos sequitur *Diana part. 5. trac. 3. Resol. 43. et part. 3. trac. 6. Resol. 18.* Probant aliqui; quia non est medium necessarium, & præceptum iam impletum fuit.

Alij probant; quia consuetudo fidelium ostendit, sufficere tunc Pœnitentiæ Sacramentum sine repetita communione. Melius probatur ab inconuenienti; nam interdum esset necessarium in eodem die communicare bis, aut sæpius, si post sumptum viaticum eodem die sæpè peccaret moribundus mortaliter, & crederetur eodem die decessurus. Item quantumuis peccatum esset occultum, & internum, per repetitam communionem manifestaretur; nec est credibile, voluisse Deum, obligare moribundum ad sic manifestandum peccatum occultum: Excipe casum supra positum *num.* 31. Fundamentum contrarium satis diruitur ex supradictis *cap. 8. num.* 48.

37 Restant dubia quædam circa præceptum istud; & sit primum, An qui communionem omisit culpabiliter, vel inculpabiliter in periculo mortis, eo transacto communicare debeat?

Respondetur, non debere; nam illud tempus determinatur, vt disponatur exitus ex hac vita cum perseuerantia finali: Quare præceptum solum obligat pro periculo mortis cum latitudine supra posita *quæst. præced.* subindéq; transacto tali periculo, iam non vrget istud præceptum. Ita *Reginald. supr. num. 76. Bonacina num. 4. Cardin. de Lugo num.* 48. An autem redeunte nouo periculo mortis, vel durante periculo per multos dies, teneatur infirmus, qui semel communicauit, iterum communicare? diximus *sup. cap. 7. q. 7. num. 72.*

38 Sit dubium 2. An moribundus ad hoc præceptum implendum recipere possit Eucharistiam ab Excommunicato? De tolerato non est dubium, quin recipi possit, & debeat ab illo, vt diximus *libro 1. cap. 5. q. 2.* de non tolerato diximus *ibi q. 1.* quando moribundus recepit Sacramentum Pœnitentiæ, probabilem esse vtramque partem, quod etiam tradunt *Prępposit. et Cornelo*, quos sequitur *Diana par. 5. trac. 9. Resol. 83.* & addunt; si Sacerdos excommunicatus sit morti proximus, nec habeat, à quo Sacramenta recipiat; posse celebrare, ac se ipsum cõmunicare, quia præceptum communionis tunc temporis magis obligat, quàm prohibitio censuræ. Quamuis minister

sit hæreticus, vel schismaticus, potest ab illo recipi viaticum, nisi sequatur scandalum, aut iniuria Religionis Catholicæ; tunc enim hæc excusant; sicut excusat etiam periculum vomitus ob irreuerentiam.

39 Sit dubium 3. An in articulo mortis, si laicus deglutire non possit particulam Eucharistiæ, ministrāda sit ei species sanguinis? Negant *Suárez tom.3.disput. 71.sect.3.fine. Fagundez Precept.3.lib.3. cap.4.nu.20. Mercerus 3.p.qu.80. art.12. proposit.2. Sylvius ibi, quæsito 4. Pitigianus in 4.dist.8.quest.3.artic.6.* Probatur: Nam Ecclesiastica lex prohibens laicos vsu Calicis, videtur ibi præualere, ne detur occasio notabilis irreuerentiæ, si sub prætextu necessitatis sit species sanguinis ad infirmos deferenda: Quare, qui non potest speciem panis recipere, satis excusatur à præcepto diuino communionis.

Affirmant *Nuñus 3. par.qu.80.art.12. conclus.3. & Ochagauia tractat.2. de Eucharistiæ effectibus, quæst.18.num.9.* Quia putant, præceptum diuinum recipiendi viaticum esse præferendum etiam tunc humanæ legi prohibenti Laicos vsu Calicis. Mihi videtur casus fore rarissimus, in quo possit tali morienti species infundi sine periculo vomitionis, aut effusionis; si tamen vnquam acciderit; Vtraque pars censeri potest probabilis, vt indicat *Dian. part. 5. tractat. 3. Resolut.34.*

40 Sit dubium quartò. An tempore pestis possit Eucharistia ministrari moribundis instrumento, aliquo medio, ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur? Affirmat *Venerus in Examine Episcop.lib.4.cap.46.nu.47.* dicens, posse poni super cochlear argenteum, & dari morienti. *Iacobus Mancinus de visitat. infirm.pract.8.dub.18.* dicit, in Diœcesi quadam Eucharistiam à Sacerdote poni super folium albæ paginæ extensæ super scabellum ad id paratum; Vnde lingua sumit infirmus particulam, & mox Clericus accensa candela in summitate virgæ paginam comburit; quem vsum probabilem reputat. *Marchantius tract. de Vnct.lect.5.* ponit, & approbat alios modos ministrandi viaticum infectis: Nam aliqui viaticum inuolutum pane communi ministrant, alij longiori forcipe tenent Eucharistiam, & sic ægro ministrant; alij spatulæ longæ figunt Eucharistiam, & sic in os morientis immittunt. Ratio in his omnibus est infectionis vitatio.

41 Negant *Bonacina, Chapeauille, Bartholom. à S. Fausto*, quos sequitur *Dian. part.4. tract.4. Resolut.114. & part. 5. tractat.3. Resolut.50.* Quia ritus ab Ecclesia præscriptus, & communi more receptus est, vt sacerdos manu propria ministret Eucharistiam, & hoc exigit reuerentia tanti Sacramenti. Quare *Conc. Mediol.15.* Episcoporum de cura pestilentiæ *c.15.nu.2.* approbatum à Summo Pōtifice, reprobat vsum instrumenti pro tali administratione. Quippe potius est subeundum periculum contagionis, quā tale Sacramentum irreuerenter ministrandum. Ideo censeo, sentētiam illam in praxi fore sequendam.

42 Sit dubium quintum. Quo tempore cōmunicari possit? Potest quotidie præter Venerem Sanctum, quo non licere communionem laicam, docent *Francisnus de Horis Canonicis cap. 30. numero 12. Gauantus in Rubric. Missal. par.4. titul.9. num.25.* Probatur *ex cap. Sabbathi. de consecr. dist. 3.* vbi videtur *Innocentius 7.* id vetare: Consonant *Alcuinus, & Amalarius, & Rubrica Missalis præscribens*, vt sacerdos feria quinta reseruet aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis die Veneris communicandis. Ergo dumtaxat infirmis licet eo die communicare. Confirmatur ex Ecclesiæ more communi, quem antiquum esse, testantur *S. Augustin., & Gabriel Albaspinus* apud *Gabantum supra*, vbi refert, *Sacram Rituum Congregationem die 19. Februarii anno 1622.* respondisse, seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem non ministrandi, nisi moribundis Eucharistiam tali die.

43 Cer-

43 Certum equidem est, ministrãdum esse viaticum morituris die Veneris Sã-cti, quod Rubrica præscribit, & omnes fatentur: Cęteris etiam fidelibus eodem die licere communionem laicalem, censent *Suarez tom.3.disput.80.sect.2. Vazquez, Layman, & Tannerus*, quos sequitur *Hurtado de Missa disput.4. diffic.3. Vega, Filliucius, & alii*, quos sequitur *Diana part.4.tract.4.Resol.137.Sà verb. Eucharistia numer.19. Auersa de Eucharist.quæst.8.sect.3. Pellizarius de Regular. tom.2.tract.8.capit.2. numero* 108. Quia nullibi prohibetur: *Innocentius in eo cap. Sabbathi, solum prohibet celebrationem*. Rubrica Missalis concedit communionem infirmis, non tamen denegat sanis, etsi non expresserit illos, quia communiter eo die solent abstinere communione: Verum hæc consuetudo non inducit necessitatem præcepti, quia non est inducta cum obligationis intentione; nec est vniuersaliter recepta.

Nam Benedictini tali die ministrant Eucharistiam in suis Ecclesijs, tam suis Religiosis, quàm alijs fidelibus: & ex antiquis Ritualibus colligit *Suarez* olim fuisse morem communicandi die Veneris Sancti. Certè libet inscriptus Ordo Romanus, & Sacramentale Gregorianum, vt fatetur *Gauantus*, concedunt tali die communionem Clero, ac alijs: Et præsentem consuetudinem contrariam non obligare, palam asserunt *Pellizarius, & Diana*, qui responsionis Sacrę Rituum Congregationis non meminerunt, licet scripserint post illam. Quoniam hæ responsiones dantur solum pro dubijs particularibus interrogantium; Ideo nec publicantur, nec putantur obligare.

Quin ipsamet Sacra Congregatio per suum decretum edixit, ne suę responsiones censerentur authenticę, nisi ritè proponerentur legitimis subscriptionibus, & sigillo munitæ. Si qua tamen alicubi reperiatur talis responsio recepta per modum decreti ligantis, ibi quidem erit seruanda, non tam vi consuetudinis antiquæ, quàm nouæ constitutionis.

44 Quoad horam, nihil est iure communi determinatum, quare licet Sacerdos non possit celebrare post meridiem, potest tamen quauis hora ieiunis Eucharistiam ministrare. Sic *Suarez cum aliis tom.tertio disp.69 sectio.4. Syluester Angelus, Azor, Henriquez*, quos sequitur *Bonacina disputatio. quarta quæst. 7. punct.1. numero* 14. *Fagundez Precept.3. lib.3 cap.7. numero.*13. *Coninch. quæst.80. numero* 85. *Diana part.2. tract.14. Resolut.* 54. Quorum aliqui prudenter monent, citra necessitatem seruandum esse morem communem dandi communionem sanis, quando celebratur: Nam si daretur Vesperi, vel intempesta nocte, forsan sequeretur scandalum, & aliqui suspicarentur dari non ieiunis.

Itaque sine causa non est citra commune tempus ministranda. Locus, vbi ministratur Eucharistia, communiter est Ecclesia; Moribundi, vel etiam infirmi communicant in suis domibus, & habentes Bullam communicare possunt in domesticis Oratorijs.

45 Sit dubium sextum. An vnquam liceat bis in eodem die communicare? Negant communiter Doctores; quoniam in *cap.Consuluisti de celebrat.Missar.& in cap.sufficit.de consecrat.distinct.* 1. Iubetur, ne sacerdos extra diem Natiuitatis, aut casum necessitatis sæpè celebret per diem: Vnde prudenter colligitur, multo minus Ecclesiam velle, vt Laici sępè communicent in eodem die. Accedit generalis Ecclesię consuetudo, quę numquam non celebrantibus permittit eodem die secundam communionem. Ita *S. Thom. tertia parte quæst.* 80. *artic. decimo ad 4.& eius Expositores ibi. Suar. supra Bonacina num. vndecimo, Coninch. num.*83. *Azor tomo 1. lib.10. ca.24. quæst. 6. Henriqu. lib 8. cap.53. num.5.*

46 Nota 1. Diem esse computandum à media nocte vsq. ad mediam noctem sequentem, vt aduertunt *Suar. & Bonacina*, & nos diximus *supr. cap.7 num.43.*

Nota secundò. Non esse prohibitum iure diuino sępius in die communicare: reuerentia verò tanti Sacramenti

postulat, ne vulgo fiat: Ideo meritò prohibitum est ecclesiastica lege, seu consuetudine; ne scilicet ob nimiam frequentiam vilescat, vt expendunt *Suarez, & Coninch*.

Noto 3. quamuis in Natali Domini liceat Sacerdotibus ter inter celebrandum communicare, nulli tamen non celebranti licere plusquam semel (etiam eo die) communicare, vt constat ex Ecclesiæ praxi. Quare Cardinalis, qui vt Diaconus in Missa solemni ministrat tali die summo Pontifici, & communicat in eadem Missa sub vtraq; specie; Pariter Cardinales Diaconi, qui recipiunt ibi communionem laicalem, & Canonicus S. Petri, qui tali die cantat Euangelium in Missa, & accipit Eucharistiam à celebrante, quamuis sint Sacerdotes (idem est de similibus) nequeũt illa die vel ante, vel post illam communionem celebrare Missam aliquam. Nec vllus Sacerdos eo die potest extra Missam bis aut ter communicare, vel celebrare semel, & communicare bis, aut semel extra Missam. Quia verè facultas, datur illo die solum ad communicandum ter celebrando tres Missas, ac subindè solum dispensatur in prohibitione celebrandi sępius in die, non autem in prohibitione binæ communionis laicalis in eodem die. Sic docent *Cardin. de Lugo de Euch. disp. 20. sect. 1. num. 43. & Diana, part. 8. tract. 1. Resolut. 87. fine. Quintanaduẽñas, tract. 4. singul. 9.*

47 Nota 4. si periculum immineat irreuerentiæ circa Sacramentum, quia videlicet deueniet in manus infidelium, vel similem patietur iniuriam à brutis, ab vndis, à ruina, vel igne, vel alia vastitate, posse vel Sacerdotem, vel etiam laicum secundò, vel sępius in eodem die communicare, vt Sacramentum consũmat; quia tunc præponderat reuerentia Sacramenti cęteris præceptis. Ita *Vazquez, 3. part. disp. 214. num. 30. Suarez, Bonacina, Coninch*, & alij communiter. Quapropter in isto casu vel etiam laicus, quamuis sit in peccato mortali, vel nõ ieiunus, aut etiam communicauerit eodem die, potest iterum communicare, ac si necessarium erit, species quoq; sanguinis accipere iuxta superius dicta *cap. 6. num. 16. & cap. 7. n. 65.* Quomodo non liceat ob articulum mortis bina communio, diximus *supra, quæst. 4.* præter singularem casum, quem notauimus *ibi num. 31.*

CAP. IX. QVÆST. VI.

Quæ frequentia communionis consulenda sit?

48 SVppono 1. fidelibus non habentibus conscientiã peccati mortalis simpliciter licere quotidianam communionem, sicut annuam; itaut nõ peccent mortaliter communicãdo quotidie, sicut nec abstinendo per annum ante tempus paschale. Quoniam præceptum graue sicut obligat solum ad cõmunionem annuam; sic etiam solum prohibet duplicem communionem in eodem die, vt visum est. Quare licet interdum nimia frequentia possit esse culpa venialis, sicut etiam abstinentia nimia per annum ante tempus præcepti propter aliquam circumstantiam; verũ neutrum extremum est per se loquendo mortale peccatum; sed tota controuersia manet intra terminos perfectionis, & consilij. Num oporteat, omnibus indifferenter suadere frequentem, aut etiam quotidianam communionem, vt potè rem vtiliorem, & medium aptius Christianæ perfectioni? Sic *Cardin. de Lugo de Euch. disp. 17. num. 1. Martinus de Euch. disp. 35. num. 69.*

49 Suppono 2. per se loquendo quotidianum vsum Eucharistiæ perfectiorem esse, quam rariorem; ac subindè cunctis enitendum esse ad frequentiam etiam quotidianam Eucharistiæ, si possint. Probatur 1. ex scriptura. Nam *Act. 2. num. 42.* dicitur. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, et orationibus, et numer. 46. Quotidie quoq; perdurabant vnanimiter in templo*, Quæ verba simul sumpta de quoti-

quotidianâ communione câpiunt multi Patres,& Doctores. Ad eandem referunt *Cyprianus in exposit. orat. Dom. & Ambrosius de Sacram. lib.5. c.4. & August. hom.42. et Epist.121. illa verba orationis Dominicæ, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Probatur 2. ex Patribus, quorum aliqui communionem quotidianam videtur non solum suadere, sed etiam præcipere. *Anacletus Papa in cap. Episcopus. De consec. dist.1. et cap. Peracta dist.2. Itē canon.9. et* 10. Apostolorum statuunt, vt qui Missam audiunt, in ea communicēt. Vnde colligit *S. Thom.3. part. quæst.*80. *art.*10. *ad* 5. in Ecclesia primitiua fuisse constitutum, vt omnes quotidie communicarent. Alij Patres significant, viguisse suo tempore talem morem: Videantur *Tertull. lib.*2. ad vxorem *cap.*5. *Clemens Alexand. lib.*1 *strom. et Basilius epist. ad cæsariam.* Alij laudant, & suadent talem morem, vt *Ambrosius, Cyprianus, Augustinus sup.* Demum *Tridentinum sess.*22. *cap.*6. sic ait. *Optaret Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Quod si perfectius esset abstinere, quam communicare, non optaret frequentiam etiam quotidianam Ecclesia.

50 Suppono tertiò. Tam in concionibus, quàm in libris esse populum regulariter ad frequentiam communionis incitandum, non ad raritatem. Quippè fideles hoc tempore magis inclinant ad raritatis, quàm ad frequentię vitium; Vnde si frequentia reprehendatur, facilè fiet, vt multi suam desidiam reuerentiæ velamine simulēt, & grauissimum damnum ex omissione communionis incurrant. Ideo Concilium Basiliense sic ait. *Quod autem sæpè accedere dignè, ac deuotè sit vtile, ac valdè proficuum, imò summe necessarium cupienti in via Domini non regredi, sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, & obsecrant incessanter fidelem populum.* Catechismus Romanus in tractat. de Eucharistia sic inquit. *Parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, vt quemadmodum corpori in singulos dies alimētum subministrare necessarium putant; ita etiam quotidie hoc Sacramento nutriendæ animæ curam non abijciant.* Et addit, hoc esse suadendum ob maximos fructus, qui ex frequenti communione percipiuntur, ob auctoritatem Sanctorum Patrum, qui frequentem Eucharistiæ perceptionem magnopere cōmendant; ob exemplum primitiuorum fidelium, qui sic ardebant feruore charitatis, *vt cum sine intermissione orationibus, & alijs pietatis officijs operam darent, quotidie ad Sacra Dominici corporis mysteria sumenda parati inuenirentur.*

50 Hinc fit primò. Regulariter non expedire prohibere fideles omnes simpliciter à communione quotidiana; nā vetaretur id, quod secundum se perfectius est, & vtilius, sicut si vetaretur votum castitatis, aut status religionis Ideo Congregatio Cardinalium super *Trid. sess.*22. *cap.*6 sic declarat. Obstat *Concil. Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tempora (veluti dies Dominicos, quartam, & sextam feriam) quibus tantum liceat viris Laicis coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis sanctissimam Eucharistiam sumere ob irreuerentiam, quàm potest quotidiana huius Sacramenti sumptio in sua diœcesi parere. Hoc fuit decisum in mense Ianuary.*1587. *obstare: Quia antiquo tempore peracta consecratione omnes adstantes sumebant Eucharistiam: et ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere, cap. Quotidie. de consecr. dist.*2. *Quapropter exhortandi sunt fideles, vt sicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant, cap. Si quotiescunq; de consecr. dist.*2.

52 Fit 2. grauiter illos peccaturos esse, qui generaliter in concionibus dissuaderent communionis frequentiam etiam quotidianam; nam auerterent populum fidelem ab eo, quod secundum se perfectius est. Ideò meritò *S. Carolus in conc. Mediolan. Actorum part.*1. *tit.* de

de Euch. præcipit, vt Parochi fideles exhortantur ad frequentem communionis vsum;& subdit, *Quod si quis concionator etiam regularis aliquid contra directè, indirectève dixerit, aut concionatus sit Episcopus in cuius vrbe diœcesi hoc ille admiserit, ei tanquam scandalum seminanti, Tridentina synodi auctoritate interdicat prædicationem verbi Dei*.

53 His suppositis quæstio non procedit de perfectione talis frequentiæ secundum se, sed respectu talis indiuidui, vel talis generis personarum: Quippè sæpè contingit, aliquid esse secundum se perfectius, & tamen huic, vel illi non esse vtilius, quamuis alioqui non sit illicitum. Certè *Tridentinum sess. 24. can. 10.* definit, perfectiorem esse Virginitatem, & cælibatum, quam nuptias; & tamen huic, vel illi sæpè magis expedient nuptiæ; Quoniam melius est nubere, quam vri. Dubium igitur est, an hæc maior perfectio communionis quotidianæ sit vniuersaliter vtilior omnibus existentibus in gratia, & per consequens omnibus consulenda, & concedenda?

54 Affirmat prima sententia, quam tenent *Petrus Vincentius de Marzilla* in quodam Memoriali de hac re cum suis Additionibus, *Maurus de Valderas in Theologico certamine*, *Ioannes Sanchez disp. 22.* & sequentibus citans pro se Modernos aliquos, & inducens alios Antiquiores; & quidem Marzilla vult, quoscunq; fideles, dum non habeant côscientiam peccati mortalis, nec prauum finem communionis, non debere quoad hoc expectare iudicium confessarij, nec eius monitis, ac consilio parere; sed obtenta semel absolutione mortalium, inuito etiam, ac dissuadente confessario, posse quotidie communicare non solum licitè, sed magis perfectè. Maurus hoc limitat, excipiens rusticos, & ignaros, quibus dicit, non esse consulendum, vt accedant sine licentia confessarij; quia facilè contingere potest, vt habeât culpam lethalem, cuius speciem, aut grauitatem ignorent, & consequenter communicent in peccato lethali. Alij contendunt, debere confessarios, & Parochos omnibus supradictis consulere, vel etiam suadere communionem quotidianam, vt multò perfectiorem, quam abstinentiam.

55 Probatur 1. ex vsu nascentis Ecclesiæ, in qua Fideles omnes quotidie cômunicabant ex præcepto tam Apostolorum, quam Pontificum iuxta superius dicta *num* 49. Probatur 2. *ex Paulo 1. Corinth. 11.* solam puritatem à lethalibus requirente, vt fidelis edat, & bibat, & ad istud conuiuium inuitetur; quod imitatur *Trident. sess. 13. cap. 7. & ideo sess. 22. cap. 6.* cupit, in singulis Missis fideles adstantes communicare, quamuis sciat, inter illos regulariter esse multos vitæ communis. Accedunt declaratio Cardinalium, Catechismus Romanus, *Conc. Mediolanense supra relata*. Probatur 3. ex verbis Patrum vbiq; quotidianam communionem suadentium. Probatur 4. Nam iste panis vocatur quotidianus, quia quotidie sumendus est; illa quippè verba orationis Dominicæ de Eucharistia capiunt multi Patres apud *Salmeron tom. 9. tract. 41.*

56 Probatur 5. ex fructu Sacramenti, quod dat ex opere operato iustis omnibus augmentum gratiæ, ac virtutum, robur, medicinam, & antidotum; *Etenim* melius est hæc procurare, quam ipsorum carentiam. Probatur 6. Quia Sacerdotes celebrant quotidie, cum tamen ad celebrandum, eo maior puritas requiratur, quo maior est dignitas Sacerdotis celebrantis, quam laici communicantis. Probatur 7. Nam si non licet hodie communicare, nec post octo dies licebit; quia non erit tunc maior puritas, aut deuotio. Si verò cum æquali talis admittitur singulis Dominicis ad communionem, cur non etiam admittetur singulis diebus? Probatur 8. Nam ex opposito sequeretur, nulli laico posse concedi quotidianam communionem; exponeretur enim magno periculo superbiæ, siquidem eo ipso confessarius indicaret, talem habere maximam puritatem requisitam ad

ad quotidianam frequentiam.

Probatur nonò. Quia si non communicare quotidie perfectius est, quã communicare quotidie, poterit fieri votũ de non communicando quotidie, saltem dum non adest dispositio congruens, quãuis adsit necessaria: Subinde qui post emissum tale votum cõmunicaret, peccaret mortaliter, quod videtur plusquã falsũ. Confirmatur, quia licet gratis concedatur, fore perfectiorem abstinẽtiam communionis ad acquirendam meliorem dispositionem, quàm quotidianam communionẽ illius hominis, qui cum sit in statu gratię, caret feruore charitatis; adhuc negari non potest, quin iste quotidie cõmunicãs exerceat actum bonũ, & honestum. Ergo saltẽ non est reprehẽdẽdus, nec prohibendus, sed sinendus sequi suum dictamen, sicut nec prohibentur cęlibes, qui nubunt; nec Clerici, qui non fiunt religiosi, reprehenduntur.

57 Secunda sententia negat. Tenent *S.Th.3.p.q.80.art.10.& in 4.dist.12.q.3. art.1.quæstiunc.3. S.Bonau. ibi p.2.art.2. q.2. Richard.art.6.q.1. Palud.qu.1. Dion. q.5. Argent.q.13.a.3. S. Anton.p.3.tit.14. c.12.§.5. S.Bernar.to.2.ser.57. Alens. Albert. vterq. Sotus, Caiet. Ouand. Ledesma, Med. Tapia, Syluest. Nuñus, Angel. Tabien. Magist. Auil. Suar. Henriq. Valent. Coninch,* quos sequitur *Card. de Lugo, disp.17.sect.2. Gerson, Blosius, Rusbochius, Ludou. Granat. Ludo. de la Puente, Franc. Arias, Illephons. Rodriq. & alij*, quos sequitur *Fernandus de Salaz. in Practica communionis, c.13.§.13. Vazqu. Manuel, Durand. Rosella, Vega, Nau. Luc. Cañedo, Nicol. de Orbel. Nicol. de Plob, Astensis, Anton. Ragucius, Regin. Estius, Palat. Ochag. Chaues, Villal. Fill. Posseu. & alij*, quos refert *Io. Sanc. sup. n.5. Bon. d.4.q.7. punc.2.n.16. Martin. to.4. disp.35. sect.7.*

58 Probatur 1. auctoritate. *S. Chrysost. hom.17. super Epistol. ad Hebræos*, sic ait. *Quãdo dicit, sancta sanctis, hoc dicit, si quis non est sanctus, non accedat; nõ simpliciter dicit a peccatis mundus, sed sanctus; sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum opulentia. Nõ enim inquit volo vos a cæno mundos esse, sed etiam albos, & pulchros. Eadem repetit ho.61. ad pop. Cõc. Trid.* quamuis optet, quotidianæ communionis vsum restitui, non vult tamen omnes indifferenter admitti, sed eos solũ, qui *sacra mysteria Dominici corporis, & sanguinis ea fidei constantia, ea deuotione, ea pietate, et cultu credant, & venerentur, vt panem illum supersubstãtialem frequenter accipere possint. Ita sess. 13.c.8. et c.7. dixerat.* Quò magis sanctitas, & diuinitas cęlestis huius cõuiuij viro christiano cõperta est, eò diligentius ille cauere debet, ne sine magna reuerẽtia, & sãctitate ad id pcipiẽdũ accedat.

Catechismus Rom. tit. de Euch. sic ait. *Fideles sæpius iterandã Eucharistiæ cõmunionem existimẽt; vtrum autẽ singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: Verũ tamen illa est S. August. norma certissima, Sic viue, vt quotidie possis sumere.* Nõ igitur omnib. indifferenter conceditur cõmunio quotidiana, si sint in gratia, sed requiritur vita purior, & feruentior. Ideoq; recensens morẽ primitiuorũ Fideliũ, qui quotidie cõmunicabãt eius rationẽ reddit dicens: *omnes enim, qui tũc fidem christianã profitebantur, vera, & sincera charitate ita ardebãt, vt cũ sine intermissione orationibus, ac alijs pietatis officijs vacarent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati inuenirẽtur.* Equidẽ hæc præparatio non solam dicit carentiam lethalis, nec hodie passim inuenitur.

59 Mirerem exponit *S.Th.q.80.a.10.* *dicens, circa vsũ huius Sacramenti duo possunt cõsiderari, vnũ ex parte ipsius Sacramẽti, cuius virtus est hominib. salutaris, & ideo vtile est, quotidie sumere ipsũ, vt homo quotidie eius fructum percipiat, &c. Alio modo potest considerari ex parte sumẽtis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, ac reuerẽtia adhoc Sacramẽtũ accedat; & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat.* Et post pauca subdit. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa*

curret periculum admiscendi cum quotidiana communione plures culpas veniales ob crebras distractiones etiam voluntarias, ob exiguum sensum tanti doni, ob intentionem sinistram, & similia, quæ culpabilem reddant communionem.

66 Vnde colligit *Fagundez Præcept.3. lib.3.cap.7.num.2.* Requiri iudicium prudentis confessarij, ne quis in re tam graui vel excedat, vel erret, vel à Dœmone facilè decipiatur. Id tamen facere sine iudicio confessarij supposita legitima dispositione, nec ex se, nec ex obiecto fore peccatum; quamuis aliundè propter periculum illusionis potest esse peccatum graue, vel leue iuxta maius, vel minus periculum, quod prudenter immineat. Colligit item *Salazar in sua Practica capite septimo.* Propositionem simpliciter affirmantem ad dignè communicādum (ita vt sit melius, & vtilius communicare, quàm abstinere) requiri solam conscientiæ puritatem a culpis mortalibus; esse saltem temerariam; quia repugnat rationi, Concilijs, & Patribus.

67 Ego censeo 1. non omnibus iustis expedire, nec interdum licere quotidianam communionem. Quod interdum non liceat, constat ex supradictis; nam *c. 6.q.1.n.5. dixi,* quoties veniale peccatū est circumstantia communionis vitians eius intentionem, vel inducens voluntariam distractionem, ipsammet communionem esse veniale peccatum contra Religionem. Item *ibi numero 6.* dixi, quoties veniale concomitans impedit debitam præparationem, attentionem, vel deuotionem, communionis, committi sacrilegium veniale; regulariter autem in tepidis, & imperfectis impedit; nam qui complacent in culpis venialibus, vix poterunt quotidie continere suos inordinatos affectus, quin aliquo modo deordinent, vel impediant præparationem communioni debitā, quod confirmat *S.Gregorius relatus sup.n.62.* Accedit, quod sæpè quotidiana communio impediet impletionem præcepti vrgentis eo tempore. Nonnunquam ægre feret coniux comparem adeo frequenter communicare, vel parens liberos, vel magister discipulos, vel herus seruos, vel alij, quorum interest, ne forsan ob eam causam minus vacent officijs necessarijs.

68 Quod vero non expediat omnibus iustis, quamuis actualiter non peccent venialiter, constat ex dictis *cap.7.q.2. n. 11.* nam ibi docui, quando pollutio relinquit distractionem mentis veneream cum commotione carnis, cui tamē homo non consentit sponte; quamuis *non* sit veniale communicare, consultius esse differre communionem, donec sedata commotione, distractioneq; sublata, reuerenter fiat. Item magna puritas, feruens deuotio, continuus feruor verè requiritur, vt homo possit quotidie mentē, & animum ritè componere ad vtilius communicandum, quam abstinendum. *S.Bonauentura in Breuil.p.6.c.9.* sic ait. *Consilium est his, qui se sentiunt indeuotos, vt differant, quousq; parati ad esum veri agni deuoti, & circumspecti veniant.*

69 Vnde censeo 2. quamuis iustus habeat rectam intentionem, & non omittat præceptum vrgens pro tempore communionis, nec habeat distractionem relictam ex pollutione, vel copula, vel aliā voluntariam, vel veniale concomitans, quod impediat debitam dispositionem, adhuc est in illo dubia maior conueniētia communionis quotidianæ propter impedimenta deuotionis requisitæ, quæ frequenter occurrunt præsertim laicis, & coniugatis, vt notant *S.Thom. & alij relati sup.n 59.& 60.* Quamuis enim per se loquendo magis expediat iustis dignè communicare, quam abstinere cōmunione; tamen per accidens, & occasionaliter magis expedit abstinere quotidiana frequentia, quoties per illam reuerentia minuitur, & feruor non multū augetur. Et quidem hominibus vitæ cōmunis valdè difficilè regulariter erit, quotidie se debitè disponere, quotidie mentis arcum intensum tenere, vacuum curis terrenis, & cogitationibus animū, & intentum meditationi, qualem exigit *Gabriel in can.sect.87.* Cum autem hanc diffi-

difficultatem pauci superent, fiet in pluribus, vt vsu nimio Sacramẽtum vilescat, & consuetudo tepidæ dispositionis, vt plurimum communionem defraudet copiosiori fructu, quem rarior vsus cum maiori feruore pareret, vt ait *S.Bonau. relatus sup.n.65.*

70 Ideò dixit *August. in cap. Quotidie, de consec. dist. 2. Quotidie communionem accipere nec laudo, nec vitupero, & Alensis part.4.quæst.11.memb.2.art.4.§.1. quæstiunc. 2. relatis his verbis quærit*, vtrum *Augustinus* loquatur de bonis, an de malis? nam si loquatur de malis, deberet vituperare; si de bonis, laudare: Sic vero respondet. *Augustinus loquitur de bonis; & potest esse in bonis, quod quotidie communicare generet fastidium, & minorem reuerentiam, & deuotionem, &c. In aliquibus vero ipsa frequentia auget deuotionẽ, & reuerentiam; & tunc laudabile est quotidie accipere: Ideo nec laudat, nec vituperat; nam aliquando bene fieri potest a bonis; quandoq; bene omitti a bonis.* Idem docet *Albertus Magnus in 4. dist. 13. artic. 27. & 28.* & addit, quod *inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reuerentiæ retrahẽtem, medium debet seruari temperatrix discretio.* Suadent hoc ipsum fundamenta secundæ sententiæ.

71 Hinc rectè colligunt Doctores 1. nõ posse regulam vnam omnibus etiam iustis, & timoratis generalem præscribi. Sic *Catech. Rom. relatus sup. nu.58. Salmer. to. 9. trac.41. fine, Suarez, Martinon, Card. de Lugo sup. S. Bonau. lib.2. de profectu relig. cap.77. rationem* reddit his verbis. *Si vero aliquis desiderat experiri, vtrum sit melius, sæpius, an rarius corporis Christi suscipere Sacramentum; videtur mihi, quod nõ possit super hoc omnibus dari regula vniformis. Varia sunt hominum merita, & diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis.* Addit exemplum medicinæ, quæ iuxta diuersam infirmorum dispositionem applicatur diuersa, quoad qualitatem, quantitatem, & frequẽtiam. *Argenti. in 4. dist.12. qu.13. a.3.* ponit exẽplum caloris naturalis; *& illos* (inquit) *sæpius congruit sumere, qui spiritualiter habent maiorem virtutem digestiuam, puta, in quibus magis viget amor, & æstuans desiderium ad sumendum.*

72 Colligunt 2. vt singulis in particulari proportionata frequentia præscribatur, debere quemlibet in se perpendere charitatis augmentum, & reuerentię minutionem iuxta doctrinam *S. Thomæ relatam sup. nu.59.* quam Scholastici communiter sequuntur, & sic expressit *S. Bonau. in 4. dist.12. part.2. art.2. quæst.2. Quia tali hospiti debetur honor, debetur amor; secundum illam partem, secundum quam viderit, se melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo solum experientia discit.* In hoc sensu dicunt *S. Augustinus, & S. Thomas relati sup. num. 79.* vnumquemq; relinquendum esse iudicio suo; nimirum, vt quisq; post scrutatam conscientiam suam, de suo progressu, vel regressu cõfessarium instruat, ad quem pertinet iuxta singulorum dispositionem in particulari præscribere conuenientem frequentiam, videatur *Salmeron tom.9. tr. 41. fine*, requirens confessarium prudentem ad hoc munus.

73 Et quidem doctrina communis est apud sanctos, & spirituales viros, in rebus ad spiritualem profectum pertinentibus debere quemlibet stare Patris spiritualis cõsilijs, & directioni, nec proprio iudicio duci, grauissimũ enim est spiritualis vitæ periculum, cum sine frenis consilij, directionisve quisquã audet procedere. Quod magis apparet in vsu cęlestis huius cibi, quẽ Christus noluit laicos habere, nisi per manus Sacerdotis; vt scilicet hic sciret, quib. & quando dispẽsari magis expediat & tanquam dispensator fidelis, det illis in tempore tritici mẽsuram Itaq; debemus sequi consilium confessarij, nec rarius sumere sub humilitatis prætextu; nec frequentius ex prætextu maioris profectus. Nam vtrumq; extremum erit noxium; sicut enim non placet Deo ieiunium, in quo propria voluntas inuenitur. *Isai. 58.* Ita nec communio vel sumpta, vel omissa pro libito nostro;

sit hereticus, vel schismaticus, potest ab illo recipi viaticum, nisi sequatur scandalum, aut iniuria Religionis Catholicę; tunc enim hæc excusant; sicut excusat etiam periculum vomitus ob irreuerentiam.

39 Sit dubium 3. An in articulo mortis, si laicus deglutire non possit particulam Eucharistię, ministrāda sit ei species sanguinis? Negant *Suarez tom. 3. disput. 71. sect. 3. fine. Fagundez Precept. 3. lib. 3. cap. 4. nu. 20. Mercerus 3. p. qu. 80. art. 12. proposit. 2. Syluius ibi, quæsito 4. Pitigianus in 4. dist. 8. quæst. 3. artic. 6.* Probatur: Nam Ecclesiastica lex prohibens laicos vsu Calicis, videtur ibi prævalere, ne detur occasio notabilis irreuerentiæ, si sub prætextu necessitatis sit species sanguinis ad infirmos deferenda: Quare qui non potest speciem panis recipere, satis excusatur à præcepto diuino communionis.

Affirmant *Nuñus 3. par. qu. 80. art. 12. conclus. 3. & Ochagauia tractat. 2. de Eucharistiæ effectibus, quæst. 18. num. 9.* Quia putant, præceptum diuinum recipiendi viaticum esse præferendum etiam tunc humanę legi prohibenti Laicos vsu Calicis. Mihi videtur casus fore rarissimus, in quo possit tali morienti species infundi sine periculo vomitionis, aut effusionis, si tamen vnquam acciderit; Vtraque pars censeri potest probabilis, vt indicat *Dian. part. 5. tractat. 3. Resolut. 34.*

40 Sit dubium quartò. An tempore pestis possit Eucharistia ministrari moribundis instrumento, aliquo medio, ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur? Affirmat *Venerus in Examine Episcop. lib. 4. cap. 46. nu. 47.* dicens, posse poni super cochlear argenteum, & dari morienti. *Iacobus Mancinus de visitat. infirm. pract. 8. dub. 18.* dicit, in Diœcesi quadam Eucharistiam à Sacerdote poni super folium albæ paginæ extensæ super scabellum ad id paratum; Vnde lingua sumit infirmus particulam, & mox Clericus accensa candela in summitate virgæ paginam comburit; quem vsum probabilem reputat. *Marchantius trac. de Vnct. lect. 5.* ponit, & approbat alios modos ministrandi viaticum infectis: Nam aliqui viaticum inuolutum pane communi ministrant, alij longiori forcipe tenent Eucharistiam, & sic ęgro ministrant; alij spatulæ longæ figunt Eucharistiam, & sic in os morientis immittunt. Ratio in his omnibus est infectionis vitatio.

41 Negant *Bonacina, Chapeauile, Bartholom. à S. Fausto*, quos sequitur *Dian. part. 4. tract. 4. Resolut. 114. & part. 5. tractat. 3. Resolut. 50.* Quia ritus ab Ecclesia prescriptus, & communi more receptus est, vt sacerdos manu propria ministret Eucharistiam, & hoc exigit reuerentia tanti Sacramenti. Quare *Conc. Mediol. 15.* Episcoporum de cura pestilentiæ *c. 15. nu. 2.* approbatum à Summo Pōtifice, reprobat vsum instrumenti pro tali administratione. Quippe potius est subeundum periculum contagionis, quā tale Sacramentum irreuerenter ministrandum. Ideo censeo, sentētiam istam in praxi fore sequendam.

42 Sit dubium quintum. Quo tempore cōmunicari possit? Potest quotidie præter Venerem Sanctum, quo non licere communionem laicam, docent *Francinus de Horis Canonicis cap. 30. numero 12. Gauantus in Rubric. Missal. par. 4. titul. 9. num. 25.* Probatur *ex cap. Sabbatho de consecr. distinc. 3.* vbi videtur *Innocentius 7.* id vetare: Consonant *Alcuinus, & Amalarius, & Rubrica Missalis præscribens*, vt sacerdos feria quinta reseruet aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis die Veneris communicandis. Ergo dumtaxat infirmis licet eo die communicare. Confirmatur ex Ecclesiæ more communi, quem antiquum esse, testantur *S. Augustin., & Gabriel Albaspinus* apud *Gabantum supra*, vbi refert, *Sacram Rituum Congregationem die 19. Februarii anno 1622.* respondisse, seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem non ministrandi, nisi moribundis Eucharistiam tali die.

43 Cer-

43 Certum equidem est, ministrãdum esse viaticum morituris die Veneris Sãcti, quod Rubrica præscribit, & omnes fatentur: Cęteris etiam fidelibus eodem die licere communionem laicalem, censent *Suarez tom.3. disput.80. sect.2. Vazquez, Layman, & Tannerus*, quos sequitur *Hurtado de Missa disput.4. diffic.3. Vega, Filliucius, & alii*, quos sequitur *Diana part.4. tract.4. Resol.137. Sà verb. Eucharistia numer.19. Auersa de Eucharist. quæst.8. sect.3. Pellizarius de Regular. tom.1. tract.8. capit.2. numero* 108. Quia nullibi prohibetur: *Innocentius in eo cap. Sabbathi solum prohibet celebrationem*. Rubrica Missalis concedit communionem infirmis, non tamen denegat sanis, etsi non expresserit illos, quia communiter eo die solent abstinere communione: Verum hæc consuetudo non inducit necessitatem præcepti, quia non est inducta cum obligationis intentione; nec est vniuersalitet recepta.

Nam Benedictini tali die ministrant Eucharistiam in suis Ecclesijs, tam suis Religiosis, quàm alijs fidelibus: & ex antiquis Ritualibus colligit *Suarez* olim fuisse morem communicandi die Veneris Sancti. Certè libet inscriptus Ordo Romanus, & Sacramentale Gregorianum, vt fatetur *Gauantus*, concedunt tali die communionem Clero, ac alijs: Et præsentem consuetudinem contrariam non obligare, palam asserunt *Pellizarius, & Diana*, qui responsionis Sacrę Rituum Congregationis non meminerunt, licet scripserint post illam. Quoniam hæ responsiones dantur solum pro dubijs particularibus interrogantium; Ideo nec publicantur, nec putantur obligare.

Quin ipsamet Sacra Congregatio per suum decretum edixit, ne suę responsiones censerentur authenticę, nisi ritè proponerentur legitimis subscriptionibus, & sigillo munitæ. Si qua tamen alicubi reperiatur talis responsio recepta per modum decreti ligantis, ibi quidem erit seruanda, non tam vi consuetudinis antiquæ, quàm nouæ constitutionis.

44 Quoad horam, nihil est iure communi determinatum, quare licet Sacerdos non possit celebrare post meridiem, potest tamen quauis hora ieiunis Eucharistiam ministrare. Sic *Suarez cum aliis tom. tertio disp.69 sectio.4. Syluester Angelus, Azor, Henriquez*, quos sequitur *Bonacina disputatio. quarta quæst. 7. punct.1. numero 14. Fagundez Precept.3. lib.3. cap.7. numero.13. Coninch. quæst.80. numero 85. Diana part.2. tract.14. Resolut.* 54. Quorum aliqui prudenter monent, citra necessitatem seruandum esse morem communem dandi communionem sanis, quando celebratur: Nam si daretur Vesperi, vel intempesta nocte, forsan sequeretur scandalum, & aliqui suspicarentur dari non ieiunis.

Itaque sine causa non est citra commune tempus ministranda. Locus, vbi ministratur Eucharistia, communiter est Ecclesia; Moribundi, vel etiam infirmi communicant in suis domibus, & habentes Bullam communicare possunt in domesticis Oratorijs.

45 Sit dubium sextum. An vnquam liceat bis in eodem die communicare? Negant communiter Doctores; quoniam in *cap. Consuluisti de celebrat. Missar. & in cap. sufficit. de consecrat. distinct. 1.* Iubetur, ne sacerdos extra diem Natiuitatis, aut casum necessitatis sæpè celebret per diem: Vnde prudenter colligitur, multo minus Ecclesiam velle, vt Laici sępè communicent in eodem die. Accedit generalis Ecclesię consuetudo, quę numquam non celebrantibus permittit eodem die secundam communionem. Ita *S. Thom. tertia parte quæst. 80. artic. decimo ad 4. & eius Expositores ibi. Suar. supra Bonacina num. vndecimo, Coninch. num.83. Azor tomo 1. lib.10. ca.24. quæst. 6. Henriqu. lib.8. cap.53. num.5.*

46 Nota 1. Diem esse computandum à media nocte vsq. ad mediam noctem sequentem, vt aduertunt *Suar. & Bonacina*, & nos diximus *supr. cap.7. num.43.*

Nota secundò. Non esse prohibitum iure diuino sępius in die communicare: reuerentia verò tanti Sacramenti

postu-

postulat, ne vulgo fiat: Ideo meritò prohibitum est ecclesiastica lege, seu consuetudine; ne scilicet ob nimiam frequentiam vilescat, vt expendunt *Suarez, & Coninch*.

Noto 3. quamuis in Natali Domini liceat Sacerdotibus ter inter celebrandum communicare, nulli tamen non celebranti licere plusquam semel (etiam eo die) communicare, vt constat ex Ecclesiæ praxi. Quare Cardinalis, qui vt Diaconus in Missa solemni ministrat tali die summo Pontifici, & communicat in eadem Missa sub vtraq; specie; Pariter Cardinales Diaconi, qui recipiunt ibi communionem laicalem, & Canonicus S. Petri, qui tali die cantat Euangelium in Missa, & accipit Eucharistiam à celebrante, quamuis sint Sacerdotes (idem est de similibus) nequeūt illa die vel ante, vel post illam communionem celebrare Missam aliquam. Nec vllus Sacerdos eo die potest extra Missam bis aut ter communicare, vel celebrare semel, & communicare bis, aut semel extra Missam. Quia verè facultas, datur illo die solum ad communicandum ter celebrando tres Missas, ac subindè solum dispensatur in prohibitione celebrandi sępius in die, non autem in prohibitione binæ communionis laicalis in eodem die. Sic docent *Cardin. de Lugo de Euch. disp. 20. sect. 1. num. 43. & Diana, part. 8. tract. 1. Resolut. 87. fine. Quintanaduenas, tract. 4. singul. 9.*

47 Nota 4. si periculum immineat irreuerentiæ circa Sacramentum, quia videlicet deueniet in manus infidelium, vel similem patietur iniuriam à brutis, ab vndis, à ruina, vel igne, vel alia vastitate, posse vel Sacerdotem, vel etiam laicum secundò, vel sępius in eodem die communicare, vt Sacramentum consumat; quia tunc præponderat reuerentia Sacramenti cęteris præceptis. Ita *Vazquez, 3. part. disp. 214. num. 30. Suarez, Bonacina, Coninch*, & alij communiter. Quapropter in isto casu vel etiam laicus, quamuis sit in peccato mortali, vel nō ieiunus, aut etiam communicauerit eodem die, potest iterum communicare, ac si necessarium erit, species quoq; sanguinis accipere iuxta superius dicta *cap. 6. num. 16. & cap. 7. n. 65.* Quomodo non liceat ob articulum mortis bina communio, diximus *supra, quæst. 4.* præter singularem casum, quem notauimus *ibi num. 31.*

CAP. IX. QVÆST. VI.

Quæ frequentia communionis consulenda sit?

48 SVppono 1. fidelibus non habentibus conscientiā peccati mortalis simpliciter licere quotidianam communionem, sicut annuam; ita ut nō peccent mortaliter communicādo quotidie, sicut nec abstinendo per annum ante tempus paschale. Quoniam præceptum graue sicut obligat solum ad cōmunionem annuam; sic etiam solum prohibet duplicem communionem in eodem die, vt visum est. Quare licet interdum nimia frequentia possit esse culpa venialis, sicut etiam abstinentia nimia per annum ante tempus præcepti propter aliquam circumstantiam; verū neutrum extremum est per se loquendo mortale peccatum; sed tota controuersia manet intra terminos perfectionis, & consilij: Num oporteat, omnibus indifferenter suadere frequentem, aut etiam quotidianam communionem, vt potè rem vtiliorem, & medium aptius Christianæ perfectioni? Sic *Cardin. de Lugo de Euch. disp. 17. num. 1. Martinon de Euch. disp. 35. num. 69.*

49 Suppono 2. per se loquendo quotidianum vsum Eucharistiæ perfectiorem esse, quam rariorem; ac subindè cunctis enitendum esse ad frequentiam etiam quotidianam Eucharistiæ, si possint. Probatur 1. ex scriptura. Nam *Act. 2. num. 42.* dicitur. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, et orationibus, et numer. 46. Quotidie quoq; perdurabant vnanimiter in templo.* Quæ verba simul sumpta de

quoti-

quotidianâ communione capiunt multi Patres,& Doctores. Ad eandem referunt *Cyprianus in exposit. orat. Dom. & Ambrosius de Sacram. lib.5. c.4. & August. hom.42. et Epist. 121. illa verba orationis Dominicæ, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Probatur 2. ex Patribus, quorum aliqui communionem quotidianam videtur non solum suadere, sed etiam præcipere. *Anacletus Papa in cap. Episcopus. De consec. dist. 1. et cap. Peracta dist. 2. Itē canon. 9. et* 10. Apostolorum statuunt, vt qui Missam audiunt, in ea communicēt. Vnde colligit *S. Thom. 3. part. quæst.* 80. *art.* 10. *ad* 5. in Ecclesia primitiua fuisse constitutum, vt omnes quotidie communicarent. Alij Patres significant, viguisse suo tempore talem morem: Videantur *Tertull. lib.* 2. ad vxorem *cap.* 5. *Clemens Alexand. lib.* 1. *strom. et Basilius epist. ad cæsariam.* Alij laudant, & suadent talem morem, vt *Ambrosius, Cyprianus, Augustinus sup.* Demum *Tridentinum sess.* 22. *cap.* 6. sic ait. *Optaret Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Quod si perfectius esset abstinere, quam communicare, non optaret frequentiam etiam quotidianam Ecclesia.

50 Suppono tertiò. Tam in concionibus, quàm in libris esse populum regulariter ad frequentiam communionis incitandum, non ad raritatem. Quippè fideles hoc tempore magis inclinant ad raritatis, quàm ad frequentię vitium; Vnde si frequentia reprehendatur, facilè fiet, vt multi suam desidiam reuerentiæ velamine simulēt, & grauissimum damnum ex omissione communionis incurrant. Ideo Concilium Basiliense sic ait. *Quod autem sæpè accedere dignè, ac deuotè sit vtile, ac valdè proficuum, imò summe necessarium cupienti in via Domini non regredi, sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, & obsecrant incessanter fidelem populum.* Catechismus Romanus in tractat. de Eucharistia sic inquit. *Parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, vt quemadmodum corpori in singulos dies alimētum subministrare necessarium putant; ita etiam quotidie hoc Sacramento nutriendæ animæ curam non abijciant.* Et addit, hoc esse suadendum ob maximos fructus, qui ex frequenti communione percipiuntur, ob auctoritatem Sanctorum Patrum, qui frequentem Eucharistiæ perceptionem magnopere cōmendant; ob exemplum primitiuorum fidelium, qui sic ardebant feruore charitatis, *vt cum sine intermissione orationibus, & alijs pietatis officijs operam darent, quotidie ad Sacra Dominici corporis mysteria sumenda parati inuenirentur.*

50 Hinc fit primò. Regulariter non expedire prohibere fideles omnes simpliciter à communione quotidiana; nā vetaretur id, quod secundum se perfectius est, & vtilius, sicut si vetaretur votum castitatis, aut status religionis Ideo Congregatio Cardinalium super *Trid. sess.* 22. *cap.* 6 sic declarat. Obstat *Concil. Tridentinum Episcopo volente præscribere certa tempora (veluti dies Dominicos, quartam, & sextam feriam) quibus tantum liceat viris Laicis coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis sanctissimam Eucharistiam sumere ob irreuerentiam, quàm potest quotidiana huius Sacramenti sumptio in sua diœcesi parere. Hoc fuit decisum in mense Ianuarij.* 1587. *obstare: Quia antiquo tempore peracta consecratione omnes adstantes sumebant Eucharistiam: et ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere, cap. Quotidie. de consecr. dist.* 2. *Quapropter exhortandi sunt fideles, vt sicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant, cap. Si quotiescunq; de consecr. dist.* 2.

52 Fit 2. grauiter illos peccaturos esse, qui generaliter in concionibus dissuaderent communionis frequentiam etiam quotidianam; nam auerterent populum fidelem ab eo, quod secundum se perfectius est. Ideò meritò *S. Carolus in conc. Mediolan. Actorum part.* 1. *tit.*

de

de Euch. præcipit, vt Parochi fideles exhortantur ad frequentem communionis vsum;& subdit, *Quod si quis concionator etiam regularis aliquid contra directè, indirectè ve dixerit, aut concionatus sit Episcopus in cuius vrbe diœcesi hoc ille admiserit, ei tanquam scandalum seminanti, Tridentinæ synodi auctoritate interdicat prædicationem verbi Dei*.

53 His suppositis quæstio non procedit de perfectione talis frequentiæ secundum se, sed respectu talis indiuidui, vel talis generis personarum: Quippè sæpè contingit, aliquid esse secundum se perfectius, & tamen huic, vel illi non esse vtilius, quamuis alioqui non sit illicitum. Certè *Tridentinum sess.24. can.10.* definit perfectiorem esse Virginitatem, & cælibatum, quam nuptias; & tamen huic, vel illi sæpè magis expedient nuptiæ: Quoniam melius est nubere, quam vri. Dubium igitur est, an hæc maior perfectio communionis quotidianæ sit vniuersaliter vtilior omnibus existentibus in gratia, & per consequens omnibus consulenda, & concedenda?

54 Affirmat prima sententia, quam tenent *Petrus Vincentius de Marzilla* in quodam Memoriali de hac re cum suis Additionibus, *Maurus de Valderas in Theologico certamine*, *Ioannes Sanchez disp.22.* & sequentibus citans pro se Modernos aliquos, & inducens alios Antiquiores; & quidem Marzilla vult, quoscunq; fideles, dum non habeant cōscientiam peccati mortalis, nec prauum finem communionis, non debere quoad hoc expectare iudicium confessarij, nec eius monitis, ac consilio parere; sed obtenta semel absolutione mortalium, inulto etiam, ac dissuadente confessario, posse quotidie communicare non solum licitè, sed magis perfectè. Maurus hoc limitat, excipiens rusticos, & ignaros, quibus dicit, non esse consulendum, vt accedant sine licentia confessarij; quia facilè contingere potest, vt habeāt culpam lethalem, cuius speciem, aut grauitatem ignorent, & consequenter communicent in peccato lethali. Alij contendunt, debere confessarios, & Parochos omnibus supradictis consulere, vel etiam suadere communionem quotidianam, vt multò perfectiorem, quam abstinentiam.

55 Probatur 1. ex vsu nascentis Ecclesiæ, in qua Fideles omnes quotidie cōmunicabant ex præcepto tam Apostolorum, quam Pontificum iuxta superius dicta *num* 49. Probatur 2. *ex Paulo 1. Corinth.11.* solam puritatem à lethalibus requirente, vt fidelis edat, & bibat, & ad istud conuiuium inuitetur; quod imitatur *Trident. sess.13. cap.7. & ideo sess.22. cap.6.* cupit, in singulis Missis fideles adstantes communicare, quamuis sciat, inter illos regulariter esse multos vitæ communis. Accedunt declaratio Cardinalium, Catechismus Romanus, *Conc. Mediolanense supra relata*. Probatur 3. ex verbis Patrum vbiq; quotidianam communionem suadentium. Probatur 4. Nam iste panis vocatur quotidianus, quia quotidie sumendus est; illa quippè verba orationis Dominicæ de Eucharistia capiunt multi Patres apud *Salmeron tom.9.tract.41.*

56 Probatur 5. ex fructu Sacramenti, quod dat ex opere operato iustis omnibus augmentum gratiæ, ac virtutum, robur, medicinam, & antidotum; Etenim melius est hæc procurare, quam ipsorum carentiam. Probatur 6. Quia Sacerdotes celebrant quotidie, cum tamen ad celebrandum, eo maior puritas requiratur, quo maior est dignitas Sacerdotis celebrantis, quam laici communicantis. Probatur 7. Nam si non licet hodie communicare, nec post octo dies licebit; quia non erit tunc maior puritas, aut deuotio. Si verò cum æquali talis admittitur singulis Dominicis ad communionem, cur non etiam admittetur singulis diebus? Probatur 8. Nam ex opposito sequeretur, nulli laico posse concedi quotidianam communionem; exponeretur enim magno periculo superbiæ, siquidem eo ipso confessarius indicaret, talem habere maximam puritatem requisitam ad

ad quotidianam frequentiam.

Probatur nonò. Quia si non communicare quotidie perfectius est, quā communicare quotidie, poterit fieri votū de non communicando quotidie, saltem dum non adest dispositio congruens, quāuis adsit necessaria: Subindè qui post emissum tale votum cōmunicaret, peccaret mortaliter, quod videtur plusquā falsū. Confirmatur, quia licet gratis concedatur, fore perfectiorem abstinētiam communionis ad acquirendam meliorem dispositionem, quàm quotidianam communionē illius hominis, qui cum sit in statu gratię, caret feruore charitatis; adhuc negari non potest, quin iste quotidie cōmunicās exerceat actum bonū, & honestum. Ergo saltē non est reprehēdēdus, nec prohibendus, sed sinendus sequi suum dictamen, sicut nec prohibentur cęlibes, qui nubunt; nec Clerici, qui non fiunt religiosi, reprehenduntur.

57 Secunda sententia negat. Tenent *S. Th. 3. p. q. 80. art. 10. & in 4. dist. 12. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3. S. Bonau. ibi p. 2. art. 2. q. 2. Richard. art. 6. q. 1. Palud. qu. 1. Dion. q. 5. Argent. q. 13. a. 3. S. Anton. p. 3. tit. 14. c. 12. §. 5. S. Bernar. to. 2. ser. 57. Alens. Albert. vterq. Sotus, Caiet. Ouand. Ledesma, Med. Tapia, Syluest. Nuñus, Angel. Tabien. Magist. Auil. Suar. Henriq. Valent. Coninch*, quos sequitur *Card. de Lugo, disp. 17. sect. 2. Gerson, Blosius, Rusbochius, Ludou. Granat. Ludo. de la Puente, Franc. Arias, Illephons. Rodriq. & alij*, quos sequitur *Fernandus de Salaz. in Practica communionis, c. 13. §. 13. Vazqu. Manuel, Durand. Rosella, Vega, Nau. Luc. Cañedo, Nicol. de Orbel. Nicol. de Plob, Astensis, Anton. Raguciús, Regin. Estius, Palat. Ochag. Chaues, Villal. Fill. Posseu. & alij*, quos refert *Io. Sanc. sup. n. 5. Bon. d. 4. q. 7. punc. 2. n. 16. Martin. to. 4. disp. 35. sect. 7.*

58 Probatur 1. auctoritate. *S. Chrysost. hom. 17. super Epistol. ad Hebraeos*, sic ait. *Quādo dicit, sancta sānctis, hoc dicit, siquis non est sanctus, non accedat; nō simpliciter dicit a peccatis mundus, sed sanctus; sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum opulentia. Nō enim inquit volo vos a cæno mundos esse, sed etiam albos, & pulchros. Eadem repetit ho. 61. ad pop. Coc. Trid.* quamuis optet, quotidianæ communionis vsum restitui, non vult tamen omnes indifferenter admitti, sed eos solū, qui *sacra mysteria Dominici corporis, & sanguinis ea fidei constantia, ea deuotione, ea pietate, et cultu credant, & venerentur, vt panem illum supersubstātialem frequenter accipere possint. Ita sess. 13. c. 8. et c. 7. dixerat*. Quò magis sanctitas, & diuinitas cęlestis huius cōuiuij viro christiano cōperta est, eò diligentius ille cauere debet, ne sine magna reuerētia, & sāctitate ad id pcipiēdū accedat.

Catechismus Rom. tit. de Euch. sic ait. *Fideles sæpius iterandā Eucharistiæ cōmunionem existimēt; vtrum autē singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: Verū tamen illa est S. August. norma certissima. Sic viue, vt quotidie possis sumere.* Nō igitur omnib. indifferenter conceditur cōmunio quotidiana, si sint in graria, sed requiritur vita purior, & feruentior. Ideoq; recensens morē primitiuorū Fideliū, qui quotidie cōmunicabāt eius rationē reddit dicens: *omnes enim, qui tūc fidem christianā profitebantur, vera, & sincera charitate ita ardebāt, vt cū sine intermissione orationibus, ac alijs pietatis officijs vacarent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati inuenirētur.* Equidē hæc præparatio non solam dicit carentiam lethalis, nec hodie passim inuenitur.

59 Mirè rem exponit *S. Th. q. 80. a. 10.* *dicens, circa vsū huius Sacramenti duo possunt cōsiderari, vnū ex parte ipsius Sacramēti, cuius virtus est hominib. salutaris, & ideo vtile est, quotidie sumere ipsū, vt homo quotidie eius fructum percipiat, &c. Alio modo potest considerari ex parte sumētis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, ac reuerētia adhoc Sacramētū accedat; & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat.* Et post pauca subdit. *Sed quia multoties in pluribus hominum multa*

multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.

Ecce palam *S.Thomas* in multis etiam iustis agnoscit impedimenta plura, quæ tollant, vel diminuant deuotionem necessariam, vt communio quotidiana sit vtilis, seu magis vtilis; vt ipsemet exponit *in 4. dist.12. quæst. 3. art.1. quæstiunc.2.* dicens. *In hoc Sacramento duo requiruntur, scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor; & reuerentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet. Primum incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Vnde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione feruorem magis augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: Si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, vt cum maiore reuerentia, & deuotione postmodum accederet, &c.*

60 Consonat *S.Bonauent.in 4.dist.12. part.2. art.2. quæst. 2.* Vbi propositis vtriusq; partis rationibus, sic decidit. *Dicendum, si quod videat, se esse in statu Ecclesiæ primitiuæ, laudandum est, quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, vt potè frigidum, & tardum, laudandum est, quod raro: Si autem medio modo, medio modo se debet habere, & aliquando debet cessare, vt addiscat revereri, aliquando accedere, vt inflammetur amore.* Demum post pauca concludit. *Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, salua debita præparatione, quæ in paucissimis est, vt semper. Item li.2. de profectu Religionis. cap.77.* sic ait. *Vix aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus (exceptis Sacerdotibus) quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare; nisi specialis esse quandoq; vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniẽs, vel singulariter festiuitas solemnis, vel insitata deuotionis feruor.* Ecce plus requirit ad communionem quotidianam, quam ad hebdomadariam. Sic etiam loquutur alij scholastici supra *relati num.*57.

61 Probatur 2. Nam sæpè Patres monent, vt propter aliquas indecentias omittatur communio, quasi melius reputantes, abstinere nonnunquam ob reuerentiam tanti Sacramenti, quam frequentare minus decenter. Ita *cap. Testamentum, dist.6.* pollutio non solum voluntaria in se, sed etiam in causa communionem impedit per diem. *cap. sciatis.34. quæst.4.* Qui debitum reddit vxori, communicare non potest, scilicet eo tempore, siue die. *cap. Omnis homo. De consec. dist.2.* tribus, aut quatuor, aut octo diebus iubetur ad vxorem non accedere, qui communicaturus est, vbi palam præcluditur effugium asserentium non prohiberi communionem post copulam, sed copulam ante communionẽ: Manifestè siquidem iubetur non communicare coniux post copulam, dum iubetur abstinere vel vno, vel tribus, vel pluribus diebus ante communionem, volunt enim textus, vt aliqui dies intercedant inter copulam, & communionẽ. Et quamuis illa præcepta cessauerint in ratione præcepti, manent tamen in ratione consilij; non enim præciperent patres, quod non existimarent, esse consultius. Expressit consilium *S. Gregorius in cap. Ad eius vero. dist.5.* Vbi loquens de muliere menstruata sic ait. *Sanctæ communionis mysterium in eisdem diebus percipere, prohiberi non debet: Si autem ex veneratione magna percipere non præsumpserit, laudanda est; sed si perceperit, non iudicanda.*

62 Probatur 3. ratione. Nam tanti Sacramenti reuerentia postulat in recipiente quotidie non solum munditiem à mortalibus culpis, sed etiam à venialibus frequenter, & deliberatè commissis, quæ planè tollunt famem spiritualem cibi cœlestis, dum terrenis curis, & voluptatibus animum dedunt, & panem pinguem habentem omnem dulcedinem, & saporem reddunt insipidum.

Ideò

Ideò *Gregorius.1.Reg.1.* De culpis etiam venialibus loquitur, dum inquit. *Non saturantur, nisi famelici, qui a vitijs perfectè ieiunantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis; & quia sine peccat electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, vacuari quotidie conentur; nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, & si minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur; atq; ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus insinuans ait. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* Vbi capit Apostolum de probatione non solum mortalium, sed etiam euacuatione venialium.

63 Requirit præterea tanti Sacramenti reuerentia rectam recipientis intentionem, iugem attentionem, & actualem feruorem, quæ vix possunt quotidie; vel nimis frequenter à quibuslibet adhiberi, nec nisi ab illis, qui purius viuunt, meliusq; sunt ad res diuinas affecti; nec adeo curis, & negotijs secularibus implicati, vt nequeant accedere quotidie cum debita dispositione; nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par esset. Vnde periculum immineat, ne frequentia communionis in meram cōsuetudinem veniat, & sensim reuerentiam minuens, pariat teporem, negligentiam, aut contemptum. Ergo non omnibus præsertim laicis, & coniugatis quotidiana communio consulenda est; imò vix vlli permittenda, nisi sic viuat, vt quotidie mereatur accipere, quod in paucissimis inuenietur.

64 Confirmatur, nam huius reuerentiæ causa sæpè moderatur Ecclesia vsum Eucharistiæ, præferens eius fructibus tanti Sacramenti venerationem. Ideò quippè prohibuit binam in eodem die communionem, ne scilicet aliquando sine debita consideratione sumeretur; & per hoc minus reuerenter, vt notat *Gabriel in canonem sect.87.* Prohibuit communionem infantium, quibus Eucharistia gratiam augeret ex opere operato. Quin etiam ob eandem rationē non datur Eucharistia pueris doli capacibus ante perfectum rationis vsum. Nec datur amentibus, licet habuerint rationis vsum, nisi sint in articulo mortis, & reddit rationem *Suarez disp. 69. sect. 2.* ex veneratione debita tanto Sacramento, quod postulat, non nisi graui de causa illis conferri, qui non se possunt per propriam deuotionem ad illud præparare. Quæ quidem ratio cum proportione probat, alijs omnibus eo rarius, & cum grauiori causa dandum, quo minus habent deuotionis, & præparationis.

65 Probatur quartò. Ex ipsorum communicantium vtilitate, quam attigit *S.Thomas eo art.10.* dicens, vtile non esse omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, quia sæpius in multis multa impedimenta debitæ deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animæ: Quare debent interdum abstinere, vt cum maiori deuotione postmodum accedant.

Cum enim effectus Eucharistiæ proueniat maior, vel minor etiam ex opere operato, (vt vidimus *lib.1.cap.3.quæst.1.*) iuxta maiorem, vel minorem dispositionem sumentis, certè qui communicaret quotidie tepidus, aut parum dispositus, varijs curis distractus, culpis venialibus irretitus, paruum fructum ex communione perciperet; si tamen interdum abstineat, vt discat reuereri, purgari, feruere, percipiet multo maiorem. Ideo merito dixit *S.Bonauent.eo art.2. qu.2 quod maiorem efficaciam recipit homo in vna Missa, vel manducatione cum bona præparatione, quàm in multis, si non se præparet diligenter.* Ergo nonnunquam abstineat, vt cum maiori deuotione, maiorique fructu posteà communicet.

Accedit, quod homo, licet iustus, habens actualem complacentiam in multis venialibus, & nullam vel ferè nullam actualem deuotionem ob multiplicem mentis euagationem circa res temporales, vix potest dispositionem debitam ex præcepto retinere: Quin potius incurret

curret periculum admiscendi cum quotidiana communione plures culpas veniales ob crebras distructiones etiam voluntarias, ob exiguum sensum tanti doni, ob intentionem sinistram, & similia, quæ culpabilem reddant communionem.

66 Vnde colligit *Fagundez Precept.3. lib.3.cap.7.num.2.* Requiri iudicium prudentis confessarij, ne quis in re tam graui vel excedat, vel erret, vel à Dœmone facilè decipiatur. Id tamen facere fine iudicio confessarij supposita legitima dispositione, nec ex se, nec ex obiecto fore peccatum; quamuis aliundè propter periculum illusionis potest esse peccatum graue, vel leue iuxta maius, vel minus periculum, quod prudenter immineat. Colligit item *Salazar in sua Practica capite septimo*. Propositionem simpliciter affirmantem ad dignè communicandum (ita vt sit melius, & vtilius communicare, quàm abstinere) requiri solam conscientiæ puritatem a culpis mortalibus; esse saltem temerariam; quia repugnat rationi, Concilijs, & Patribus.

67 Ego censeo 1. non omnibus iustis expedire, nec interdum licere quotidianam communionem. Quod interdum non liceat, constat ex supradictis; nam *c. 6.q.1.n.5. dixi*, quoties veniale peccatū est circumstantia communionis vitians eius intentionem, vel inducens voluntariam distractionem, ipsammet communionem esse veniale peccatum contra Religionem. Item *ibi numero 6.* dixi, quoties veniale concomitans impedit debitam præparationem, attentionem, vel deuotionem, communionis, committi sacrilegium veniale; regulariter autem in tepidis, & imperfectis impedit; nam qui complacent in culpis venialibus, vix poterunt quotidie continere suos inordinatos affectus, quin aliquo modo deordinent, vel impediant præparationem communioni debitā, quod confirmat *S.Gregorius relatus sup.n.62.* Accedit, quod sæpè quotidiana communio impediet impletionem præcepti vrgentis eo tempore. Nonnunquam ægre feret coniux comparem adeo frequenter communicare, vel parens liberos, vel magister discipulos, vel herus seruos, vel alij, quorum interest, ne forsan ob eam causam minus vacent officijs necessarijs.

68 Quod vero non expediat omnibus iustis, quamuis actualiter non peccent venialiter, constat ex dictis *cap.7.q.2.n. 11.* nam ibi docui, quando pollutio relinquit distractionem mentis veneream cum commotione carnis, cui tamē homo non consentit sponte; quamuis non sit veniale communicare, consultius esse differre communionem, donec sedata commotione, distractioneq; sublata, reuerenter fiat. Item magna puritas, feruens deuorio, continuus feruor verè requiritur, vt homo possit quotidie mentē, & animum ritè componere ad vtilius communicandum, quam abstinendum. *S.Bonauentura in Breuil.p.6.c.9.* sic ait. *Consilium est his, qui se sentiunt indeuotos, vt differant, quousq; parati ad esum veri agni deuoti, & circumspecti veniant.*

69 Vnde censeo 2. quamuis iustus habeat rectam intentionem, & non omittat præceptum vrgens pro tempore cōmunionis, nec habeat distractionem relictam ex pollutione, vel copula, vel aliā voluntariam, vel veniale concomitans, quod impediat debitam dispositionem, adhuc est in illo dubia maior conueniētia communionis quotidianæ propter impedimenta deuotionis requisitæ, quæ frequenter occurrunt præsertim laicis, & coniugatis, vt notant *S.Thom. & alij relati sup.n 59.& 60.* Quamuis enim per se loquendo magis expediat iustis dignè communicare, quam abstinere cōmunione; tamen per accidens, & occasionaliter magis expedit abstinere quotidiana frequentia, quoties per illam reuerentia minuitur, & feruor non multū augetur. Et quidem hominibus vitæ cōmunis valdè difficilè regulariter erit, quotidie se debitè disponere, quotidie mentis arcum intensum tenere, vacuum curis terrenis, & cogitationibus animū, & intentum meditationi, qualem exigit *Gabriel in can.lect.87.* Cum autem hanc diffi-

difficultatem pauci ſuperent, fiet in pluribus, vt vſu nimio Sacramētum vileſcat, & conſuetudo tepidæ diſpoſitionis, vt plurimum communionem defraudet copioſiori fructu, quem rarior vſus cum maiori feruore pareret, vt ait *S. Bonau. relatus ſup. n. 65.*

70 Ideò dixit *Auguſt. in cap. Quotidie, de conſec. diſt. 2. Quotidie communionem accipere nec laudo, nec vitupero, & Alenſis part. 4. quæſt. 11. memb. 2. art. 4. §. 1. quæſtiunc. 2. relatis his verbis quærit*, vtrum *Auguſtinus* loquatur de bonis, an de malis? nam ſi loquatur de malis, deberet vituperare; ſi de bonis, laudare: Sic vero reſpondet. *Auguſtinus loquitur de bonis; & poteſt eſſe in bonis, quod quotidie communicare generet faſtidium, & minorem reuerentiam, & deuotionem, &c. In aliquibus vero ipſa frequentia auget deuotionē, & reuerentiam; & tunc laudabile eſt quotidie accipere: Ideo nec laudat, nec vituperat; nam aliquando bene fieri poteſt a bonis; quandoq; bene omitti a bonis.* Idem docet *Albertus Magnus in 4. diſt. 13. artic. 27. & 28.* & addit, quod *inter feruorem charitatis trahentem ad communicandum, & inter timorem reuerentiæ retrahētem, medium debet ſeruari temperatrix diſcretio.* Suadent hoc ipſum fundamenta ſecundæ ſententiæ.

71 Hinc rectè colligunt Doctores 1. nō poſſe regulam vnam omnibus etiam iuſtis, & timoratis generalem præſcribi. Sic *Catech. Rom. relatus ſup. nu. 58. Salmer. to. 9. trac. 41. fine, Suarez, Martinon, Card. de Lugo ſup. S. Bonau. lib. 2. de profectu relig. cap. 77. rationem* reddit his verbis. *Si vero aliquis deſiderat experiri, vtrum ſit melius, ſæpius, an rarius corporis Chriſti ſuſcipere Sacramentum; videtur mihi, quod nō poſſit ſuper hoc omnibus dari regula vniformis. Varia ſunt hominum merita, & diuerſa operum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritus ſancti operationes in ſingulis.* Addit exemplum medicinæ, quæ iuxtà diuerſam infirmorum diſpoſitionem applicatur diuerſa, quoad qualitatem, quantitatem, & frequētiam. *Argenti. in 4. diſt. 12. qu. 13. a. 3.* ponit exēplum caloris naturalis; & *illos* (inquit) *ſæpius congruit ſumere, qui ſpiritualiter habent maiorem virtutem digeſtiuam, puta, in quibus magis viget amor, & æſtuans deſiderium ad ſumendum.*

72 Colligunt. 2. vt ſingulis in particulari proportionata frequentia præſcribatur, debere quemlibet in ſe perpendere charitatis augmentum, & reuerentię minutionem iuxtà doctrinam *S. Thomæ relatam ſup. nu. 59.* quam Scholaſtici communiter ſequuntur, & ſic expreſſit *S. Bonau. in 4. diſt. 12. part. 2. art. 2. quæſt. 2. Quia tali hoſpiti debetur honor, debetur amor; ſecundum illam partem, ſecundum quam viderit, ſe melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo ſolum experientia diſcit.* In hoc ſenſu dicunt *S. Auguſtinus, & S. Thomas relati ſup. num.* 79. vnumquemq; relinquendum eſſe iudicio ſuo; nimirum, vt quiſq; poſt ſcrutatam conſcientiam ſuam, de ſuo progreſſu, vel regreſſu cōfeſſarium inſtruat, ad quem pertinet iuxta ſingulorum diſpoſitionem in particulari præſcribere conuenientem frequentiam, videatur *Salmeron tom. 9. tr. 41. fine*, requirens confeſſarium prudentem ad hoc munus.

73 Et quidem doctrina communis eſt apud ſanctos, & ſpirituales viros, in rebus ad ſpiritualem profectum pertinentibus debere quemlibet ſtare Patris ſpiritualis cōſilijs, & directioni, nec proprio iudicio duci, grauiſſimū enim eſt ſpiritualis vitæ periculum, cum ſine frenis conſilij, directioniſve quiſquā audet procedere. Quod magis apparet in vſu cęleſtis huius cibi, quē Chriſtus noluit laicos habere, niſi per manus Sacerdotis; vt ſcilicet hic ſciret, quib. & quando diſpēſari magis expediat & tanquam diſpenſator fidelis, det illis in tempore tritici mēſuram Itaq; debemus ſequi conſilium confeſſarij, nec rarius ſumere ſub humilitatis prætextu; nec frequentius ex prætextu maioris profectus. Nam vtrumq; extremum erit noxium; ſicut enim non placet Deo ieiunium, in quo propria voluntas inuenitur. *Iſai. 58.* Ita nec communio vel ſumpta, vel omiſſa pro libito noſtro;

periculumq; subest, ne delusi putemus, ex deuotione nasci, quod potius ex vanitate, vel æmulatione, vel ex simili motiuo procedit. Videantur *Fagund. relatus sup. num. 66. Salazar c. 14. §. 15.*

74 Pro maiori declaratione censeo 3. varios esse terminos communicandi frequenter vel raro fidelibus communes, inter quos possit medium aliquod assignari regulariter conueniens timoratis, carentibus scilicet vel occasione, vel consuetudine voluntaria peccādi, vel aliquo peccato permanēti, quod sufficienter nō retractauerint. Certè qui communicant semel in anno, vel etiam ter, aut quater, ad raritatem pertinent; in quibus longa dilatio difficiliorem reddit dispositionē debitam, nedum congruentem; quoniam difficilior est post longam moram discussio conscientiæ, minor dolor de peccatis post diuturnam complacentiam in illis, minor sensus rerum diuinarum, quibus tandiu non attenditur. Ideò docet experientia, raro communicantes, in culpas mortales labi frequenter, nonnunquam etiam in eisdem permanere. Qui communicant singulis mensibus, etiam pertinent ad raritatem; nam experientia teste, licet non tot mortalia committant, non illa prorsus euitant; & ita tepide, ita ferè difficilè disponuntur, ac illi, de quibus nuper locuti sumus.

75 Qui cōmunicāt decimo quinto die, reduci possunt ad frequentiam; quia raro labuntur grauiter, & minorē habēt difficultatē in examinanda conscientia, & animo ritè disponendo, quam raro cōmunicantes: Cæterū amittunt magnū fructū, quē ex maiori frequentia perciperent, & non adquirunt illam maiorem facilitatē dispositionis, quā communio simpliciter frequens tribueret. Qui cōmunicāt octauo quoq; die, vel bis in hebdomada, tenēt absolutè frequētiam cum eius fructibus, & sine periculis quotidianæ cōmunionis. Qui cōmunicāt quotidie, vel tertio quoq; die, pertinent ad summam frequentiam, quæ tam in viris, quam in fœminis vitæ communis habet difficultatem cōtinuationis, & periculū tēporis, aut peruersionis, quæ perpendimus *sup. n. 69. et 70.*

76 Itaq; medium, quod inter extrema nimiæ frequentiæ, vel infrequentiæ nonnūquam vitiosa, vel periculosa temperatrix discretio præscribit omnibus fidelibus vitæ communis etiā imperfectis; dū non habeant impedimēta iuris, aut facti, quorum supra meminimus, & velint conseruare gratiā diuinā, est hebdomadaria communio. Nam in tali mora nec nimia dilatio reddit difficilem dispositionem, nec nimia familiaritas minuit reuerentiam, nec nimius vsus generat fastidium, nec consuetudo parit inconsideratioē; vel singularitas hypocrisim, aut inanem gloriam asciscit; nec vllus erit ita secularibus curis implicitus, vt non possit expedire se diebus Dominicis, quibus debet ex præcepto diuino cultui vacare. Rursus hæc moderata dilatio conducit, vt priuatio causet appetitum, abstinentia excitet famem, nouitas conciliet attentionem; demum vt vna communio respiciat aliam, & ex calore primæ secunda foueatur. Vnde fideles timorati, licet tepide viuant, & externis negotijs implicentur, melius facient octauo quoq; die communicando, quam vltra differendo, si velint in minoribus culpis minuere sensum, & in grauioribus omninò cauere consensum.

77 Ita sentiunt communiter Patres, & Doctores; *Conc. Agriscan sub Greg. 4. c. 3. can. 22. dixit sane communicatio corporis Domini omni quolibet die Dominico debuit celebrari, ne fortè qui longe est à Sacramentis, quibus est redemptus, longè sit a salute, quam fuerat consecuturus.* Et certè talis fuit Ecclesiæ consuetudo per plures annos; Nam vt vidimus *n. 49.* iubebātur astantes Missæ communicare; non autem iubebātur assistere Missæ, nisi diebus Dominicis. Ideò *S. August. in eo cap. Quotidie*, postquam dixerat; *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero, subdidit, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, et hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Quasi sit hoc medium omnibus vtile, securum, & facilè. Sic Regulæ

plurium

plurium Religionum omnib. suis Religiosis præscribunt hebdomadariam cõmunionem, & Regula, quam Angelus dedit Sancto Pachomio, præscribebat eandem, vt refert *Pallad.c.35.* Ideo *Cassian.collat. 23.c.21.* grauiter reprehendit eos, qui cõmunionem vlterius differunt. Et quidem Patres regulariter, dum suadent frequentiam communionis, hanc hebdomadariã intelligunt, ac subinde carpunt dilationẽ, quæ diutius extenditur. Videantur *Suar. to.3.disp.69.sect.4. Salazar in sua Praxi, c.12.Fagund.sup.num.5.& 6. cum alijs.*

73 Maneat itaq; certum tum auctoritate, tum ratione, tum potissimum experientia confessariorum, communionem hebdomadariam omnibus fidelib. timoratæ conscientię tàm perfectis, quàm imperfectis esse consulendam; vtpotè moraliter necessariam ad vitationem peccatorum, conseruationẽ gratiæ, feruoris augmentum. Et quidem *S.Bonau.relatus sup. n.60.* dicit, istam sufficere perfectis; nõ verò negat, imperfectis etiam vtiliorem, & securiorem esse. Nam perfectis cõducet, vt magis perficiantur; imperfectis, vt ad perfectionem adspirent; fortibus, ne debiliores fiant; debilibus, vt fortiores euadãt; sanis, ne relabantur in morbum: infirmis, vt recipiant sanitatem. Communionẽ verò quotidianam ostẽdimus vtiliorem esse selectioribus dumtaxat, puriorib., & perfectioribus, qui charitatem augeant, quin minuant reuerentiam.

Totam istam doctrinam mirificè confirmat, quod *Blosius in Monili cap. 6. refert, S.Gertudẽ à Domino didicisse. Quotquot* (inquit) *viri, vel fœminæ seculares viuunt in aliquo statu, quia Deo, & Ecclesia non discordet, siue sint in matrimonio, siue extra matrimonium, siue vendant, siue emant, siue quauis alia licita ratione victũ sibi parent: Si bona voluntate prædicti ex Dei gratia perseuerant in bono, & à grauibus culpis se continent, vitamque suam secundum Dei præcepta, ac Sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt; hi omnes de Dei misericordia confisi venerandum Eucharistiæ Sacramentum in solemnitatibus, vel diebus à Patre spirituali ipsorum statutis percipere possunt. Licet enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leuiores culpas sæpius cadant, pro viribus tamẽ iusti sunt in omnibus, ob idq; Deo placent. Inueniuntur autem nonnũquam inter eos, qui habitum secularem gestant, aliqui tam puri, & feruentes, vel sancti, vt quotidie sacram communionem percipere possint.* Hæc Blosius, & ego cum communi, & secunda sententia.

79 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, non satis constare, præceptum fuisse communicandi quotidie; imò nec consuetudinem generalẽ; nam Scriptura solum loquitur ibi de primis Christianis, qui baptizati fuerunt ab Apostolis, & venditis suis possessionibus habebant omnia communia; subindeq; agebant Hierosolymis quasi vitam regularem; nec scimus eũdem viuendi modũ semper, & vbilibet seruatum fuisse illomet seculo. Sed quidquid sit de hoc; concedimus cum *S.Bonau.relato sup.n.60.* illis, qui se sentiunt habere feruorem illius seculi, vtilius esse communicare quotidiè. Quot autem erunt nunc illo gradu puritatis, & sanctitatis?

80 Ad secundum respondetur, Apostolum sine dubio requirere talem communicantis puritatem, attentionẽ, decentiã, qualem tanti Sacramenti dignitas, & excellentia postulat. Ideò *S.Greg.* illa verba Pauli de munditia etiam à venialibus proportionaliter intelligit, vt vidimus *sup.n.62.* & post alia concludit; *quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione, quasi nolit S. Gregor.* venialia peccata grauem inducere reatum communicanti; Sed quadam vtiq; proportione consilium Apostoli fore capiendum, vt eo maior fructus speretur, quo maior euacuatio fuerit leuium etiam culparum, & eo plus periculi subesse communioni, quo minus euacuata fuerint etiam venialia peccata.

81 Similiter Tridentinum optat id, quod perfectius est, verum simul optat in omnibus dispositionem congruam ad talem frequentiam, quod satis etiam ex-

pressit Catechismus Rom. vt vidimus *sup. n.*58. Quare merito reprehenduntur concionatores, qui generaliter dissuadent cõmunionis frequentiam etiam quotidianam, & Episcopi vetantes illam, quia carpunt, aut prohibent rem secũdum se perfectiorem, vt vidimus *sup. num.*51. & 52.

82 Ad 3 respondetur; dum Patres suadẽt quotidianam communionẽ, suadere pariter vitę puritatẽm, & congruã dispositionem, quod satis expressit Ambrosius, siquidem postquam dixerat. *Quotidie accipe, quod quotidie tibi prosit.* Protinus addit. *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Fatemur equidem, solam tẽporis dilationem non reddere quempiã melius dispositum, nec frequentiã minus aptũ, imò potius magis per se loquendo. Per accidens vero solet occasionaliter nimia frequentia minuere reuerentiam, attẽtionẽ, præparationẽ debitam. Et quamuis quod est per se, regulariter pręualeat, & prępõderet; at in præsenti rerum statu communiter quotidiana communio pluribus obesset, quã prodesset, si concederetur, & consuleretur indifferenter omnib., nam paucissimi reperiuntur conuenienter habiles ad illam, plurimi vero minus apti, quàm par esset, vt ostensum est.

83 Ad 4 respondetur, Eucharistiam panem esse quotidianum per se loquendo, & supposita debita dispositione, quã pariter petimus, petendo panem illũ fieri nobis quotidianum. Quare, qui talem habet dispositionem, accedat quotidie: Verum, quia nõ omnes, nec plures laicorum eam dispositionem habent, vt vidimus, non omnib. indifferenter est consulenda quotidiana communio. Rectè notauit *S. Bonauentura relatus supra num 60.* rationes omnes primæ sententiæ capiendas esse, *salua debita præparatione, quæ tamen in paucissimis est, vt semper.*

84 Ad 5. constat ex dictis *supra nu.*65. Ad 6 respondetur, Sacerdotes ex officio habere per se maiorem aptitudinem ad quotidie communicandum, vtpotè quos ipsemet status separat à curis secularib., à nuptijs, à filijs, &c. Quod si nihilominus intepescant, adhuc possunt cum pari dispositione frequentius celebrare, quàm laici communicare; quia defectus puritatis in sacerdotibus cõpensatur per maiorem vtilitatem communem Ecclesiæ, per maiorem necessitatem satisfaciendi vel Beneficio, vel stipendio, quo viuunt, per maiorem obligationem muneris; quippe Ministri sunt ab Ecclesia deputati, vt eius nomine Deum nobis concilient: Quapropter ipsius Ecclesiæ puritas reddit eos magis acceptos Deo, magis aptos celebrationi. Demum si sacerdos experiatur, in se propter nimiam frequentiam minui reuerentiam non parum, & feruorem nõ augeri, melius faciet abstinendo nonnunquam; sic enim illum admonent *S. Bonauent. de profectu religios. lib.*2. *c.*27. *Alens. part.*4. *q.*11. *memb.*2. *art.*4. *§.*1.

85 Ad septimum constat ex dictis *sup. n.*76. 69. & 70. Certè continuare singulis diebus iugem deuotionis ardorẽ, difficilè satis est; excitare nonnunquam præsertim diebus diuino cultui dicatis, nõ est sic arduũ: deinde, quamuis esset æqualis dispositio, minor irreuerentia censetur, ità dispositum cõmunicare singulis hebdomadis, quam singulis diebus; nam illa necessitas est maior, quã ista, & excessus necessitatis tollit irreuerẽtiam. Ideò minor dispositio sufficiet ad communio. ẽ annuam, vbi necessitas præcepti præponderat, quam ad communiones voluntarias; & proportione seruata, quò magis crescit necessitas, minor erit irreuerentia communicare cum æquali dispositione.

86 Ad 8. respondetur, maiorẽ occasionem superbiæ nasci, quando Deus aliquẽ ad miracula, vel reuelationes extollit; verũ in his casibus est minus periculũ superbiæ; nã quò maior est puritas, eò maior est lux ad cognoscendum, in nullo nobis esse gloriandum, quando nostrũ nihil est. Ad 9. concedimus, sicut potest fieri votũ faciendi, quod perfectius reputetur saltẽ in aliqua materia determinata; sic forè validum votum non communicãdi quotidie, quoties talis cessatio reputetur (pręsertim de consilio confessarij prudentis) perfectior, & vtilior. An autem huius voti violatio sit mortale peccatum, pendet

pendet ex leuitate, vel grauitate materiæ; videlicet detrimenti spiritualis indè prouenientis, quod secundum communes regulas similium votorum discernendum erit.

87 Ad confirmationem fatemur, non esse carpendos, nec prohibendos illos, qui communicant quotidie sine labe peccati venialis, quod in ipsa communione committatur; nec talis communionis carentiam imponendam esse per modum pœnæ, quando non subest culpa condigna. Quod solum intendit *S. Gregorius lib. 2. Epist. 26. dicens. Sicut exigente culpa quis à Sacramento communionis dignè suspenditur, ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta.* Quæstio tamen nostra procedit de maiori perfectione, vel vtilitate communicandi quotidie, vel non communicandi quotidie respectu personarum particularium; & dicimus, iustis vitæ communis tepidis, & imperfectis vtilius esse, seu perfectius non communicare quotidie, sed octauo quoq; die, seu bis in hebdomada, itaut hoc illis consulendum sit.

CAPVT X.

De præcepto communionis Ecclesiastico.

1 SVpporo 1. variam fuisse vel consuetudinem, vel legem in Ecclesia circa communionem, vt vidimus *cap. 9. quæst. 5.* donec anno 200. *Fabianus Papa in c. Etsi non frequentius, de conf. dist. 2.* præcepit, ter in anno communicari; scilicet in Natali Domini, & in Paschale, & in Pentecoste; quod confirmatum fuit in *Conc. Agathensi, can. 18. & in Turonensi sub Carolo Magno, cap. 50. Demum Innocentius 3 in Concilio Lateran. anno 1215. cap. 21.* præcepit communionem annuam in Paschate, vt habetur in *cap. Omnis. De Pœnit. & remiss.* per hæc verba. *Omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerēter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de proprij cōfessoris consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & viuus ab Ecclesiæ ingressu arceatur; et moriens ecclesiastica careat sepultura.* Quod confirmat *Tridentinum sess. 13. can. 9.*

2 Suppono 2. infideles hac lege non teneri, sed solum fideles baptizatos. Cōstat, tum ex verbis legis, vbi nomine fidelium intelliguntur, qui Christi fidem professi sunt per baptismum; tum etiam, nam hoc præceptum quoad temporis determinationem est ecclesiasticum, & Ecclesia solū habet iurisdictionē super baptizatos. Nā *de his, qui foris sunt, nihil ad nos 1. Cor. 15.* Nec itē tenētur amētes, quia sūt incapaces obligationis; nec infantes ante rationis vsum eadē ratione; nec mox post illum, vt diximus *c. 5. q. 3. n. 26. & sequētib.*

CAP. X. QVÆST. I.

Qui ligentur hoc præcepto?

3 PRimo dubitari potest; An Sum. Pōtifex teneatur hac lege? Negāt *Ioannes Andreas, Felinus, Nauarr. in c. Placuit, de Pœnit. dist. 5. n. 33.* Probatur; quia Princeps suis legibus nō tenetur, *leg. Princeps ff.* de legibus; & lex Pontificia successorē obligare non potest ex Regula, Par in parem non habet imperiū. *c. Innotuisti de elect.* Vnde colligunt *Scot in 4. dist. 17. q. 1. a. 1. & Richar. ibi a. 2. q. 4. ad 3.* non teneri Papam præcepto cōfessionis annuæ, quoad determinationē tēporis sub mortali, sed solum sub quadam congruitate.

4 Dicendum tamen est, obligari Papā sub mortali, tam ad communionem, quam ad confessionem annuam, etiam quoad temporis determinationem, quamuis non quoad vim coactiuam præcepti, sed solum quoad directiuā. Quare, licet peccet Pontifex pœnas tamen iuris non incurret. Ita docent de confessione

Suarez tom.4.disp.36.sect.2.num.5. Azor to.1.lib.7.c.40.q.11. de commun. Fagund. Precep.3.lib.1.c.6.n.11. Trullench l.3. decal.cap.5.dub.2.n.20. Diana p.8. tract.1. Resol.26. Probatur: quia communis sententia docet cum *S. Thoma.1.2.q.96.a.5. ad 3.* obligari Principes suis legibus quoad directionem. Quia recta ratio postulat, vt caput toti corpori conformetur. Vnde soluitur fundamētū cōtrariū; quod solum procedit quoad vim coactiuam.

5 Secundo dubitari potest: Vtrum excommunicatus,& interdictus excusentur a præcepto communionis annuæ? Affirmat *Henriq.lib.13.c.7.n.2.* Probatur a paritate; nam etiam excusantur ab audienda Missa diebus festis, vt docent *Nauarr.c.21.n.3. Vgolin.tab.1.c.13.§.13. Sayrus li.2.c.3.n.24. Auila p.2.c.6.disp.4. dub.7. Suar.to.3.disp.88.sec.6. Coninc. disp.14. n.56. contra Nuñum 3.p.q.83.art.6.* Ratio redditur; quoniam Ecclesię pręcepta solū eos ligant, qui nō sunt impediti, nec obligant ad tollendum impedimentum, & si tolli possit. Nimirum incarceratus propter debita, quāuis peccet contra iustitiā non soluendo creditoribus; cum facilè posset, non tamen peccat contra præceptum audiendi Missam, quamuis illam non audiat; nec ideò tenetur soluere citius, vt Missam possit audire. Similiter excommunicatus, etsi negligens sit in absolutione procurāda; & ideo forsan peccet contra charitatem sui, & obedientiam debitam Ecclesiæ, quæ per censuras vult illum ad subiectionem, & reconciliationem compellere; non tamen peccat omittendo Missam in diebus præcepti; quoniam hoc non est tanti ponderis, vt obliget ad tam remotam dispositionem. Ergo similiter non peccat, quamuis non impleat præceptum communionis.

6 Dico 1. si ligatus censura non sit negligens in absolutione censuræ procurāda, nec stet per ipsum non absolui, non peccat non confitendo, vel non cōmunicando iuxta præceptum Ecclesiæ. Sic docent *Nauarr.sup.n.34.& 35. Azor.c.41.q.3. Fagund.n.7. Auila eo dub.7.* Tunc enim vim habet fundamētū supra positū; Quod Ecclesię pręceptum non obligat impeditum, præsertim quando nequit impedimentum auferre. Quin potius tunc non cōmunicando præstat se obediētem Ecclesiæ, quæ prohibet excommunicatū diuinorum participatione. Nec ab hac cōclusione quisquam dissentiet, vt reor.

7 Dico 2. si sit negligens in absolutione censuræ procurāda, non excusatur ab obligatione confessionis, & cōmunionis annuæ. Sic docent *Nauarr. Auila, Nuñus sup. Coninch.n.57. Bonac.de Sacr.disp.4.q.7.punct.2.n.15.& de cens.disp.2.q.2.punct.3.§.1.n.5. Laym.l.2.tr.5.p.2.c.2.n.3. Hurt. de excomm.disp.5.diffic.2.n.5. Diana p.5. tr.9.Ref.88.* Probatur; Nam hæc præcepta confessionis,& communionis annuę sunt multo grauiora, quam alia, cum sint de medijs necessarijs saluti; nec sunt purè humana, sicut præceptum Missæ, vel ieiunij, sed partim sunt diuina, scilicet quoad substantiam actus præcepti; licet quoad temporis determinationem sint ecclesiastica; & per consequens strictius obligant ad tollendum impedimentum impletionis, quam præceptum audiendæ Missæ, de quo dicemus *lib.5.c.15.q.2.* Et hinc soluitur fundamentum oppositum.

CAP. X. QVÆST. II.

Quando preceptum istud obliget?

8 EX verbis ipsius legis constat, semel tantum quotannis obligare; scilicet in *Pascha*; nam vt præceptum esset accommodatum, & multitudini fidelium,& fragilitati mortalium,& pręsenti rerum statui, non oportuit frequētiorem vsum præcipi. Dum autem Ecclesia sic determinat præceptum diuinum communionis, planè declarat, per huiusmodi communionem paschalem sufficienter impleri diuinum præceptum, vt notant *Nauarrus cap.21. n.45. Henriquez lib.8. cap.5.n.3. Suarez to.3. disp.70.sect.2. Filiuc.tract.4.n.53.& alij.*

9 Nomen Paschatis varij varie limitant, vel extendunt; iam iuxta communem vsum, & declarationem Eugenij 4

com-

complectitur quindecim dies à Dominica Palmarum vsq; ad Dominicam in Albis inclusiuè. Nonnullis item locis extenditur ad totam quadragesimam: cõsulat vnusquisq; consuetudinem suę diœcesis, & eius constitutiones synodales.

10 Quæres 1. An communionem paschalem à proprio Parocho debeamus in Parochia recipere? Certè tam ex verbis huius legis, quam ex officio Pastorum colligitur, debere Fideles in sua Parochia de manu proprij Pastoris Eucharistiam in Pascha recipere; nisi de Pastoris licentia vel ab alio, vel alibi quoq; recipiant. Ita *Suarez sup. Nauarrus, n. 52. Henriq. n. 2. Azor tom. 1. lib. 6. cap. 41. quæst. 6. Fagundez Precept. 3. lib. 1. cap. 5. num. 5. Bonacin. disput. 4. quæst. 7. punct. 2. num. 7. cum alijs.* Probatur, nam administratio Sacramentorum generaliter pertinet ad Ecclesiæ Pastores, quorum munus est pascere gregem, præcipuè Sacramentis: Et specialiter in dicto cap. *Omnis vtriusq; sexus*, præcipitur, vt omnis Fidelis communionem accipiat à proprio Sacerdote saltem semel in anno. Quare qui communicat extra Parochiam suam in Pascha, non adimplet hoc præceptum, nisi licentiam habeat sui Pastoris saltem rationabiliter præsumptam. Sicut enim Pastores dare possunt licentiam suis subditis, vt alia Sacramenta recipiant ab alijs, vel alibi, sic etiam ad Eucharistiam recipiendam.

Verum est, non ita facilè præsumi Parochi licentiam ad Paschalem communionem, sicut ad alias, ideoq; regulariter peti debet expressè; quia Parochi volunt retinere ius suum, vt oues recognoscant eo tempore suum Pastorem; & quamuis darent facultatem petenti, nolunt tamen id fieri sine licentia expressa. Cæterum aliquando tales circumstantiæ concurrere possunt, vt prudenter præsumatur Parochi consensus; & tunc communicare licebit etiam in Ecclesijs Regularium, vt fatentur *Nauarrus, Suarez, & Fagundez sup. Diana p. 3. tract. 2. Res. 12.*

11 Nota 1. Sacerdotes satisfacere præcepto cõmunionis, in quocũq; loco celebrent tempore Paschatis. Ita *Bonacin. supra Henriquez lib. 9. cap. 23. num. 2. Manuel in sum. tom. 1. cap. 64. numero 1.* Nam vsus interpretatur obligationem cõmunicandi tempore Paschatis in parochia solum ad illos extendi, qui recipiunt Eucharistiam ab alio, non vero ad Sacerdotes celebrantes. Nota 2. non solum aduenas, qui domicilium habent ad tempus in aliena parochia, sed viatores, & peregrinos, & omnes alios, qui quomodolibet in aliena parochia commorantur tempore Paschatis, nec suam adire possunt, satisfacere præcepto communicantes in parochia, in qua tempore Paschatis reperiuntur. Nam *Eugenius 4. declarauit*, hos omnes, vbi fuerint in Paschate, censeri, ac si domicilium haberent quoad pœnitentiã & Eucharistiam recipiendam. Ita *Suarez sup. Bonac. num. 8. Fagundez cap. 6. num. 6. Azor to. 1. lib. 7. cap. 41. q. 8.*

12 Nota 3. si Pastor concedat facultatem suis subditis, vt à quibus maluerint, Eucharistiam accipiant in Paschate, posse tunc illos à Regularibus Eucharistiam accipientes adimplere præceptum communionis: Quamuis. n. Religiosi per *Clement. 1. de Priu.* prohibeantur Extremam Vnctionem, aut Eucharistiam ministrare sub excommunicationis pœna sine speciali licentia parochi; tamen *Glos. ibi ver. speciali.* docet, requiri solum, vt exprimatur Sacramentum, ad quod recipiendum parochus concedit facultatem, licet non nominentur subditi, quibus facultas conceditur, nec Religiosi, qui ministrare possint. Sic *Azor sup. q. 9.*

13 Nota 4. quamuis *Congregatio Cardinalium in 4. p. fol. 151.* decernat, nec laicos in monasterijs Regularium seruientes huic præcepto satisfacere, nisi communicent in propria Parochia, teste *Sà, verb. Eucharistia, num. 9. & Fagundez sup. cap. 5. nu. 5.* Limitare tamen hoc *Bonacin. sup. n. 10.* ad eos famulos, qui non degunt in monasterijs, alijs vel locis à cura Parochorum exemptis. Nam degentes in huiusmodi locis existimat, posse recipere communionem, vbi degunt. Tum quoniam exempti videntur à parochia; tum

quia sicut ibi sepeliri possunt inconsultis parochis, ita videntur etiam ibi posse Sacramenta recipere. Quin addit *Laurent. Portel in dubiis Regul. ver. Sacramentorũ administratio n.9.* seruis, & domesticis intra Conuentum degentib. in die paschatis, & in morte posse Religiosos Eucharistiam ministrare, sicut, & pœnitentiam, & Extremam vnctionem. Sic *refertur in nostro Comp. ver. Familiares, n.2.* & habetur *per Bull.41. Leonis* 10. *pro Minimis apud Manuelem, & per Bull. Calest.5. pro Calestin.§.22. & per Bull.7. Greg.11. pro Dominicanis apud Cherubinum tom.1.* Idemq; videtur dicendum de famulo coniugato, qui nocte dormit extra Cõuentum: nam est verè commensalis, & de stipendio cõuentus viuit. Verum quoad receptionem viatici debet esse tempore mortis intra Conuentum. Sic notant *Portel supra, & Diana part.3. trac.2. Resol.12.*

14 Quæres 2. An qui non communicauit in Pascha, teneatur postea quamprimum communicare? Prima sententia negat, quam tenent *S. Anton. Syluest. Medina, Sotus, Victoria*, quos affert *Suar. disp. 70. sect.2. Toletus, Ledesma, Valentia, Sà, Ioan. de Cruce*, quos sequitur *Diana parte 3. trac.4. Resol.41. & 130. & par.5. trac.13. Resol.3. Henriq. li.8. c.5. n.1. Bon. dis.4. q.7. pun.2. n.13.* Probatur, quia præceptum cõmunionis Paschalis est affirmatiuum, vt ex eius tenore cõstat: Sed præceptum affirmatiuum non obligat pro semper, sed pro tempore lege præscripto, quo transacto nõ manet obligatio, vt apparet in reliquis audiendi Missam, ieiunandi, recitãdi, &c. Similiter ergo transacto paschate non manet obligatio cõmunionis. Confirmatur, nã obligatio ad certum tempus limitata post tẽpus cessat. *c. Sicut de sponsal. vers. Nisi forsan. leg. Si fideiuss. §. vlt. ff. Mand. cum simil. Couar. desp. p.1. c.5. n* 8.

15 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita *S. Thom. & Viguerius*, quos sequitur *Suar. supra, Maior, & Paludan.*, quos sequitur *Azor to.1. lib.7. cap.41. q.5. Vasq. q.3. p. q.90, art.3. dub.2. n.13. Coninc. qu.80. art.11. dub.4. Layman lib.5, tract.4. cap.5. num.8. Nuñus, Pitigianus, Fagund. Syluius, Graffis*, quos refert *Diana, supra Reginald. lib.29. n.75. Filliuc. tract.4. n.58.* Probatur, nam ille terminus non assignatur, vt in illo solò fieri debeat, sed vt adimpletio non possit vlterius differri: Sicut in contractibus, quando tempus assignatur, intelligitur, vltra quod non possit differri solutio, si vero tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed permanet.

16 Dico 1. qui communionem distulit de consilio confessarij, tenetur præscripto per confessarium tempore communicare. Sic enim ipse textus insinuant, sic Doctores communiter fatẽtur. Nam in hoc casu confessarius per facultatem ab Ecclesia sibi concessam extendit quodammodo tempus communioni præscriptũ; itavt præceptum ecclesiasticum incipiat talem obligare, quam primum aderit tẽpus a confessario designatum. Ita *Martin. to.4. disp.36. sect.2. n.16. Coninch. q.80. n.110.* Huc videtur reducendus, qui legitimè fuit impeditus ne cõmunicaret in Pascha, subindeq; teneri, quamprimum postea possit, communicare. Quoniam & hic censetur ex præsumpto Pastoris consilio differre communionem, quam Ecclesia non vult prorsus omitti. Ergo cessante impedimento, tenetur quamprimũ communicare. Sic docent *Armilla verb. communio, n.6. Tabienna, n.10.*

17 Dico 2. qui communionem omisit culpabiliter, & non cõmunicauerat toto anno tenetur quamprimum cõmunicare post Pascha. Sic tenent Doctores præcitati; qui rectè notãt, in eo textu virtualiter sustineri duplex præceptũ; vnũ negatiuũ non differendi communionem vltra tẽpus annuum; alterum affirmatiuũ cõmunicandi tempore Paschatis ob specialem venerationem illius festiuitatis. Colligitur hoc imprimis ex illis verbis, *Semel saltem in anno confiteatur, suscipiẽs ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* Nam illæ voces *saltem*, & *ad minus*, satis indicant, simul prohiberi minorẽ frequẽtiam communionis, & præcipi ad minus annuam. Quem sensum magis expressit *Trid. sess.13. can.9. vt expẽdit Car. de Lug. dis.16. sec.4. n.66.* Deinde probat. ratione; nam

nam Ecclesia debuit determinare tẽpus implendi diuinum præceptum, quod non satis præstitisset, si non communicantem in Paschate liberum ab obligatione cõmunicãdi reliquisset. Cum ergo diuinum præceptum non respiciat veneratione Paschatis, sed debitam Eucharistiæ frequentiã, hanc debuit Ecclesia principaliter attẽdere, quãuis simul præcipiat venerationem Paschatis. Quare, licet præceptũ affirmatiuum nõ obliget post Pascha, obligat præceptũ negatiuum ad non differẽdum vltra annum. Qui vero post Pascha præteritum iterum communicauerat, iã impleuit hoc præceptum negatiuum; & ita ex nullo capite tenetur.

18 Et quidem *Martin. & Card. de Lugo supr.* qui cõputat annum, de quo loquitur hic textus, à principio Ian. vsque ad finem Decembr. consequenter asserũt, illum, qui culpabiliter omisit cõmunionẽ in paschate, non teneri quamprimum post Pascha cõmunicare, sed alio quopiam die totius anni, nimirum vsque ad finem Decembr. quod, si tunc non cõmunicauerit, peccare deinceps quotidie, donec cõmunicet. Melius tamen *Syln. Az. Suar. Henriq. Coninch, Regin.* quos sequitur *Bonac. disp. 5. q. 5. sec. 2. punc. 1. n. 19. Filliuc. tr. 7. n. 57. Laym. li. 5. tr. 6. c. 5. nu. 8.* cõputant à paschate ad Pascha cũ extensione suprapofita. Sic. n. accepisse videtur Ecclesiæ praxis; quãuis aliter cõputetur annus quoad alios vsus. Vnde fit, statim post Pascha debere communicare illum, qui nõ communicauit in paschate; itaut vlterior dilatio voluntaria semper afferat nouam culpam, quia cõmunio differtur vltra annum sine sufficiẽti excusatione. Ideo tunc vrgent pastores subditos suos, vt intra tot dies communicent sub censura, quã transacto postremo termino denuntiant. Si quis vero non cõmunicet vsq; ad sequens Pascha, tunc vnica communione satisfacit pro vtroq; anno, quia iam communio non differtur vlterius; alias qui decem annis nõ communicauit, deberet communicare decies, quod nemo concedet. Ita *Mart. sup. n. 10.*

19 Ad fundamentum 1. sententiæ respondetur, tripliciter posse tẽpus aliquod lege præscribi 1. propter speciale solemnitatẽ ipsius; sic præcipitur ieiunium in vigilia; sacrũ in festo. 2. designatur actus præceptus, vt propriũ onus talis temporis; sic officium diuinum est propriũ onus singulorũ dierum, & de his duob. modis procedit argumentum factum cum sua confirmatione. 3. principaliter præcipitur actus quoad substantiã, temporis verò circumstantia designatur, vt magis conueniens ex accidentali congruentia, vel ad differendam, nõ verò finiendã obligationem. Sic in præcepto recitandi principaliter intenditur, vt intra eundem diẽ omnes horæ dicantur, cõgruentia tamen est, vt singulæ dicãtur certis diei temporib. in quibus, si omittantur, non cessat obligatio, quandiu durat dies. Similiter in solutione tributorũ, aut censuum dies designari solet; qua verò transacta finitur obligatio, sed fit vrgentior ex *ca. cum dilecti de dolo, & contum.* Cum autem *Concil. Later.* potuerit Pascha cõmunioni designare vno, vel altero modo, praxis Ecclesiæ videtur tertium modum amplexa: Siquidẽ & cõstitutiones synodales pluriũ Diœcesum, & Episcopi communiter cogunt ad cõmunicandum post Pascha intra paucos dies violatorem huius præcepti: Quod ex pœna per ipsum textum imposita colligit. *Henriqu. lib. 8. ca. 5. nu. 1.* iubet enim, vt qui non communicauerit, viuens arceatur ab Ecclesia, nimirum donec communicet. Per quod patet ad confirmationem.

20 Quæres 3. An qui præuidet, fore vt nequeat in Pascha cõmunicare, debeat anticipare cõmunionem? Negant *Suar. to. 3. disp. 70. sec. 2. Coninc. q. 80. n. 108. Az. to. 1. li. 7. c. 41. q. 13. Regin. li. 29. n. 76. Pitig. in 4. dist. 9. q. 3. art. 9. Filliuc. tr. 4. nu. 59. Molf. tr. 3. c. 8. n. 28. Bon. disp. 4. q. 7. punct. 2. n. 15.* Probatur, quia nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum, nisi per talẽ actum satisfacere possit præcepto; sic nõ tenemur præuenire ieiunium, aut Missam ante Vigiliam, aut festum. Sed per anticipatam communionem nõ impletur præceptum communionis. Ergo nemo tenetur ad anticipandam communionem. Minor probatur; nam qui communi-

cauit

cauit ante Pascha, putans non fore sibi possibilem communionem Paschalem, si postea possit, tenetur in Paschate cõmunicare, siquidem hoc præcipit lex, & tunc impleri potest: Ergo per anticipatã communionem non fuit impletũ præceptum.

21 Affirmant *Vazqu.3.par.q.90.art.3.dub.2.n.13.Fagund.Præcept.3.lib.1.cap.6.n.3.Sylu.3.p.q.80.art.11.quæsito 3.* Probatur; quia præceptum communionis non assignat tempus Paschatis ad omninò ligãdam obligationem tali tempori: Sicut ergo manet obligatio post Pascha, quando non potest in illo communicari; Sic etiam vrgebit ante Pascha, quando præuidetur impedimentum in Paschate futurum. Confirmatur, nam in die festo, qui præuidet se non posse Missam audire post horam decimam, tenetur audire prius. Ergo similiter in præsenti.

22 Dico 1. Siquis intra quindecim illos dies huic communioni destinatos prẹuideat, fore vt nõ possit communicare nisi primo die, tenetur eo die communicare. Hoc probat confirmatio nuper facta, cõceditque *Suar.sup.* nec ab vllo video negari, nam id est commune similibus præceptis. Dico 2. iuxta doctrinam supra traditam *n.*17. hoc prẹceptum, quatenus affirmatiuum est, non obligare ad anticipãdam communionem ante tempus lege præscriptum, & hoc probat fundamẽtum primæ sententiæ, fatenturque *Cardin.de Lugo sup.n.*75.*& Martin.n.*11. Cœterum quatenus negatiuum est, & vetat in frequentiam plusquam annuam, obligat ad anticipandam communionem, quando prẹuidetur, nisi modo fiat, non fore possibilem per totum annum, & hoc probat argumentum secundæ sententiæ.

23 Verum qui computant hunc annum iuxta morem communem, consequenter asserunt, siquis v.g. mense Ianuarij præuideat, nõ fore sibi possibilem communionem in Paschate, fore tamen ante finem Decembris, non teneri anticipare; nam illud prẹceptum, quatenus negatiuũ est, satis impletur quouis die Decembris. Secus verò si prẹuideat, nec in Paschate, nec ante finem Decembris fore sibi communionem possibilem; tunc enim tenetur in Ianuario communicare. Nos autem, qui computamus annum istum à Paschate ad Pascha, dicimus, siquis post Pascha prẹteritum non cõmunicauerit, & prẹuideat aliquo die Decembris, aut Ianuarij, nisi tunc communicet, non fore sibi possibilẽ communionem ante Pascha, nec ipso tẽpore Paschali, debere tunc communicare. Secus si post Pascha præteritum iterũ communicauerit, vel communione possit deinceps ante Pascha; sufficit enim ad obseruantiam huius prẹcepti negatiui semel in quauis anni parte communicare. Sic notat *Laym.li.5.tr.4.c.5.n.9.*

24 Nec obstat huic doctrinæ fundamẽtum primæ sententiæ. Nã concessa maiori, distinguitur minor; non impletur præceptum affirmatiuum, concedo; non impletur præceptum negatiuum, nego. Ad cuius probationem quidam negãt antecedens; quia putant, eum, qui propter futurum impedimentum in Paschate communionem anticipauit bona fide, non obligari postmodum ad communicandũ in Paschate, quamuis cessauerit impedimentum. Quia *ca.Omnis vtriusque concedit*, vt de concilio proprij Sacerdotis differri possit communio, qua nihilominus impletur prẹceptum. Ergo prudẽter præsumitur, velle pariter Ecclesiam, vt si iusta de causa prẹueniatur, adhuc præceptum adimpleatur. Ita *Diana par.3.tr.4.Resol.42.Martin.supr.num.*12.& probabile reputat *Suar.ea sect.2.fine.*

25 Concedunt autem illud antecedens *Suar.sup.& Card. de Lugo n.*78. quia licet per anticipatam cõmunionẽ impleuerit homo prẹceptum negatiuũ non differẽdi communionem vltra annũ; non impleuit præceptum affirmatiuum communicãdi tempore Paschali, quod impedimẽto cessante, postea potest, & per consequens debet impleri. Ego censeo, siquis sine iusta causa præueniat communionem, debere postea tempore Paschatis cõmunicare, si possit; quia nec impleuit præceptum affirmatiuum, quod est alligatum tẽpori Paschali, nec habet iustã excusationis causam. Si verò prudenter timeat impedimẽtum,

tum,& anticipet communionē, posteaq; non adsit impedimentum: suadere debemus, & hortari, vt iterum communicet, nam id melius,& tutius est. An autem sit obligandus: vtraq; pars videtur probabilis. Etenim qui renetur ad Horas Canonicas recitandas, habet obligationem tū recitandi totum officium intra diem, cui competit: tum recitandi tali, vel tali diei hora, cui singulæ preces respondēt: Si verò præuideat futurum impedimentū, potest præuenire recitationē, & postea licet hora competenti uon adsit impedimentum, non tenetur iterum recitare. Imò quamuis absque iusta causa recitationem anticipauerit, & in hoc ipso peccauerit venialiter, conueniunt *Martinon.n.15.& Card.de Lugo, nu.80.* non teneri recitare rursus hora debita: quia iam habet sufficiētem excusationem, nimirum intra diē illum recitasse, nec deberi duplicem recitationem eodem die. Conueniunt etiā in hoc non esse simile prorsus istud præceptum communionis: At dissentiunt, quatenus *Cardin.de Lugo putat*, ita præceptum communionis Paschalis vrgere pro tali tempore, vt qui potest tunc communicare, non excusetur per communionem anticipatam etiam prudenter. *Martin.verò censet*, per communionem anticipatam sine causa non excusari, & in hoc differre ab Horarum recitatione; per anticipatā verò rationabiliter, excusari sufficienter. Equidē in externo foro videtur mihi fore cogendus; ac per consequens in praxi cēsendus esse debere rursus communicare. Quippe præceptum tanti ponderis non euitatur quauis excusatione. An qui moribundus recepit viaticum in Dominica Palmarum, impleuerit simul pręceptū diuinum,& Ecclesiasticum? Negat *Quintanadu.to.1.tr.4.sing.11.* quia sunt duo præcepta distincta, & habent diuersos fines, seu motiua, debēt igitur adimpleri diuersis communionibus, si possit, ac subindè si moribundus mox conualeat, tenetur intra quindecim illos dies iterum communicare ad præceptum Ecclesiasticum adimplendum: estque probabilis sententia. Sed mihi probabilius videtur, adimplesse. Quia tunc illa duo pręcepta concurrunt in idem tempus, & motiuum Ecclesiastici præcepti solum est ne diutius communio differatur. quod iam habetur per viaticum tali tempore receptum, quod esse probabile dicit *Quintanad.supra.*

CAP. X. QVÆST. III.

Per quam communionem impleatur hoc præceptum?

26 SVppono 1. Siquis casu comedat hostiam consecratam existimās esse panem communem, non implere præceptum istud; nam illa est manducatio materialis, nec habet adiunctam volūtatem sumendi Sacramentum, quæ requiritur tā ad sacramētalem sumptionem, quām ad hoc pręceptum implendum, quo sine dubio sacramentalis communio præscribitur. Ita *Suar.to.3.disp.70.sect.3.Cardin.de Lugo disput.17.n.83.* & significant alij requirentes vpluntariam sumptionem.

27 Suppono 2. triplicem esse cōmunionem Primam spiritualem, secundam Sacramentalem, tertiā spiritualem,& sacramentalem simul. Per primam certum est non impleri præceptū; quia non recipitur Sacramentum. Per tertiam certum est adimpleri: quia recipitur Eucharistiæ Sacramentum & fructus. De secunda restat controuersia, quando s. voluntariè recipitur Sacramentum, sed indignè.

28 Prima sententia negat. Ita *Durand. Capr. Adria.apud Suar.sup. Nuñus 3.par. q.80.art.11.diffic.2.dub.5. Sylu.ibi quæs.2.* Probatur 1. Nā hoc præceptum Ecclesiasticum determinat obligationem diuini quoad circumstantiam tēporis: Sed præceptum diuinum obligat ad communionem religiosam,& dignam. Ergo præceptum istud obligat ad eādem, ac subindè non impletur per communionem sacrilegā. Probatur 2. Nam ipsa verba legis pręcipiunt suscipere reuerenter Eucharistiā: Sed qui suscipit indignè, nō communicat reuerenter. Ergo non satisfacit præcepto. Probatur 3. Nam Ecclesia præcipiens officium recitare, vel Missam audire, præcipit

pit simul reuerentiam, & attentionem; nã hę sunt de substantia talium actionũ. Ergo præcipit etiam dignã sumptionem Eucharistiæ, cum hæc dignitas sit magis de substãtia rei præceptę. Confirmatur; nam hoc Sacramentum est cibus animę: Non autem satisfaceret pręcepto sustentandi vitam corporalem, qui cibum corporalē sumeret eo modo, quo non prodesset sustentationi, sed obesset potius. Ergo nec qui cõicat indignè, satisfacit præcepto.

29 Secunda sententia cõmunior, & probabilior affirmat. Ita *Cord. Sotus, Couarr.* quos sequitur *Suar. sup. Fagund. Az. Lop. Petig. Villal.* quos sequitur *Diana part. 3. tr. 4. Res. 43 Vazq. 3. p. disp. 214. ca. 4. nu. 31. Ochag. tr. 2. de Euch. q. 15. n. 6. Filliuc. tr. 4. n. 6. Coninc. q. 80. n. 107. Henriq. li. 8. cap. 5. n. 2. Bonac. cum alijs disp. 4. q. 7. pun. 2. n. 12.* Probatur: Nam, vt docet *S. Th. 1. 2. q. 100. ar. 9. & Sanch. li. 1. Decal. c. 14. n. 1. &* 4 lex præcipiens actum præcipit substantiam eius; non verò modum, nisi modus sit essentialis actui, sicut attentio dicitur essentialis orationi, & formalis integritas cõfessioni; Ergo lex Ecclesiastica præcipiens communionem, obligat solum ad substãtiam actus, quæ sufficienter impletur per communionem etiam sacrilegã. Etenim modus debitę dispositionis non est essentialis communioni sacramentali, vt sic; si quidem indignè communicans adhuc recipit sacramentalem communionē, dummodò voluntariè recipiat Eucharistiam. Sic audiens Missam intentione praua, sic suscipiens in peccato Baptismum, aut Parochus in peccato ministrans adimplent præcepta, licet per actus peccaminosos. Confirmatur, quia præcepta non obligãt ad finē, sed ad substantiã præcepti, quare licet Ecclesia per hoc præceptũ intendat, vt fideles huius Sacramenti fructũ percipiant, tamen solam pręcipit receptionem Sacramenti. Ergo qui reuera suscipit Sacramentũ istud, verè satisfacit præcepto.

30 Ad 1. fundamentum primæ sentētiæ concessa maiori distinguo minorē; præceptum diuinum positiuum obligãs ad cõmunionē, præcipit, vt sumatur in gratia; nego: Nã huic præcepto satisfit per communionem indignam, vt dixi *ca. 9. n. 9. & docet Card. de Lugo disput. 36. n. 21. & 85.* præceptum diuinum naturale, quo prohibetur indigna cõmunio, concedo: Præceptum autem Ecclesiæ determinat solum illud prius, non hoc posterius, quod negatiuum est, & non eget determinatione, cũ obliget pro semper. Ad 2. respondetur, illam particulã *reuerenter*, quatenus significat reuerētiam externam, habere rationem præcepti; quatenus verò significat reuerentiam internam, non tam pręcipere, quàm instruere, quid iure naturæ fieri debeat. Ad 3. respondetur, illam reuerentiam, & attentionem, quę sunt de substantia talium actionum, rectè comprehendi sub illis præceptis; at in hoc sensu non est de substantia communionis præceptæ digna dispositio communicantis, vt *constat ex nu. præced.* Certè tam officij recitatio, quàm auditio Missæ, licet peccaminosæ sint ex prauo fine, satisfaciunt Ecclesiæ præcepto, quia retinent adhuc substantiã talium actionum, quæ pręscindit à bonitate, vel malitia morali. Similiter ergo satisfacit communio sacrilega, nam adhuc est communio Sacramentalis, quã Ecclesia præcisè pręscribit. Ad cõfirmationem respondetur, similitudinem præcepti naturalis sumendi cibum non tenere, quia nec per Ecclesiam præcipitur *nutrimentum* animæ, quod est finis pręcepti, nec omninò secluditur à cõmunione sacrilega; si sublata fictione, redeat effectus.

31 Addunt *Az. sup. & Fagund. n. 5.* etiã excommunicatum, & interdictum communicantem in paschate satisfacere pręcepto cõmunionis; quia, licet peccet contra præceptum naturale sancta sãctè tractandi, contra legem etiam Ecclesiasticã interdicentē Sacramenta ligaris tali censura, veram adhuc recipit communionem Sacramentalem. Excusaretur autem à sacrilegio, si censuræ non essent validæ, vel si non stet absolutio per ipsum, & ibi non essent notæ.

32 Transgressor huius præcepti nullam ipso facto pœnam incurrit iuxta ius commune. Nam *c. omnis vtriusq; sexus solum præcipit*, vt transgressor ab ingressu Eccle-

się

ſiæ viuens arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura. Quæ pœnæ nō ſunt latæ ſententiæ, ſed ferendæ; ptoindeq́ donec imponantur, non incurruntur, vt ipſa verba ſatis indicant. Debent autē imponi contra violatorem huius ſolius præcepti, quamuis præcepto confeſſionis ſatisfecerit, quia lex loquitur generaliter aduerſus illos, qui ſimul vtrumque præceptum non adimplent. Inſpiciendæ vero ſunt ſingularum diœceſum Conſtitutiones, & conſuetudines, vbi plerumque ferri ſolet excommunicatio contra tranſgreſſorem huius præcepti. Sic *Suarez ſupr. Coninch. num.* 110. *Bonac. n.* 9.

33 Petes, an aliqui ſæpius communicare teneantur? de ſecularibus certum eſt, non teneri: Circa Regulares vero ius præſcribit, vt Monachi ſingulis menſib. communicent; habetur in *Clem. ne in agro. de ſtatu Monach.* Item *Trid. ſeſ.* 25. *c.* 10. *de Regul.* vult, vt Moniales admoneantur de menſtrua confeſſione, ac communione. Vnde colligit *Nau. c.* 21. *num.* 57. peccare mortaliter Monachum Benedictinū, vel Monialem, ſi talē cōmunionem omittat. Conſonāt *Armil. ver. Comm. n.* 13. & *Tabien. ibi, n.* 14. Communis tamen ſententia negat, in his iuribus contineri præceptum grauiter obligans. Tridentin. enim ſolum aſſerit, vt Moniales in conſtitutionib. moneantur, non vt obligentur. Clement. non habet verba præceptiua, nec conſtitutiones Benedictinorum obligāt ſub mortali. Conſuetudo vero non videtur acceptata, niſi de honeſtate. Sic *Suar. ſupr. ſec.* 2. *Fill. n.* 54. *Henriq. cum aliis lib.* 8. *c.* 5. *n.* 3.

CAPVT XI.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

1 Miniſter Euchariſtiæ duplex eſt, alter conſecrationis, qui conficit Sacramentum, alter diſpenſationis, qui miniſtrat illum. Et quidem de fide conſtat, ſolum Sacerdotē eſſe miniſtrū conſecrationis, itaut nulla de cauſa poſſit ab alio confici Sacramentum Euchariſtię. Verus autem ſacerdos, quamuis ſit ligatus cenſuris, vel etiam degradatus, aut ſchiſmaticus, aut hæreticus validè cōſecrat, ſi debitam intentionem habeat, licet peccet. Sic definitur *in c. Firmiter de Sum. Trinit. in Flor. & in Trid. ſeſ.* 22. *c.* 1. & *ſeſ.* 23. *c.* 1. & 4. Videatur *Bellarmin. de Euch. li.* 4. *c.* 16. Quomodò vero poſſit à pluribus ſimul ſacerdotibus confici, dixi *cap.* 3. *num.* 37.

2 In alijs Sacramentis, cum non diſtinguatur vſus à confectione, ſemper eſt idē Miniſter conficiens, & miniſtrans Sacramētum à ſe factum. In hoc autem Sacramento, quia diſtinguitur vſus à confectione, poteſt vnus conficere Sacramentum, quod alter miniſtret. Adhuc *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *art.* 3. docet, ad ſacerdotem pertinere diſpenſationem Euchariſtiæ, ſicut, & eiuſdem conſecrationem. Rationabile ſiquidem eſt, vt qui poteſt conſecrare corpus Domini, poſſit illudmet, quantum eſt ex vi poteſtatis ordinis, diſpenſare. Quare communis ſenſus Doctorum eſt, ſacerdotem in ordinatione recipere poteſtatē ordinis huic diſpenſationi neceſſariā, tanquam annexam poteſtati conſecrādi. Sic indicat *Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 8. ſic tradunt *Suar.* 3. *p. to.* 3. *diſp.* 72. *ſect.* 1. *Vazq. diſp.* 219. *cap.* 1. *Bonac. diſp.* 4. *q.* 5. *pun.* 1. *n.* 4. *cum alijs.*

CAP. XI. QVÆST. I.

Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Euchariſtiam diſpenſare?

3 Communiter affirmant Doctores quoad ordinis poteſtatem: Quod *Suar.* dupliciter intelligit. 1. merè negatiuè quatenus ſ. ius diuinum hanc auctoritatem tribuit ſacerdotibus, & nullis inferioribus, qui ſenſus eſt omnino certus; Quippe nulli non ſacerdoti data eſt poteſtas ordinis in corpus Chriſti verū, nec in corpus Chriſti myſticū, quoad perfectos actus illud ſanctificandi, vel paſcendi cæleſti nempè pabulo. Secundò priuatiuè, quatenus omnibus non ſacerdotibus ius diuinum interdicat adminiſtrationem Euchariſtiæ, quem ſenſum limitare debe-

debemus, vt scilicet nullus non Sacerdos sine commissione sacerdotis vsurpare possit hoc munus.

4 Quare ius diuinũ non prohibet sacerdotes, quin possint aliis administrationẽ Eucharistiæ committere; quod sumitur ex institutione Christi sic declarata per praxim Ecclesiæ. Scimus.n.olim Diaconos solitos fuisse distribuere Calicẽ, vt ex Patribus colligit *Suar.* & *constat ex verb.S. Laur.* quæ refert *S.Amb.li.1.de offic.c.41.* Quin etiam Eucharistiã ministrasse, testatur *Iust. Mart. Apol.2.circa fin. Conc.Nic. 1.can.14.* & *Carthag 4.can.*38.habetur, *c. Præsente.dist.*93. Addit *Euseb.li.6.Hist.ca.* 36. Missam fuisse nonnumquam Eucharistiam ad infirmum per Laicum.

5 Itaq; dupliciter potest aliquis Eucharistiam dispensare. 1.potestatiue, nimirũ per potestatem sibi competẽtẽ, quo modo sacerdotes omnes dispensant; nam habent ordinis potestatem, & solũ deest illis iurisdictio, per quam dentur subditi, circa quos exerceatur talis potestas. 2.ministerialiter, nimirũ vt merum instrumentũ alterius, quo modo ministrãt Eucharistiam Diaconus, & omnes ipso inferiores, vt colligitur ex *Clem. Rom. li.8. const.c.28. alias 34.* & *ex Conc.Nic. atq.Carth.sup.* cũ hoc tamen discrimine, quod Diaconus in ordinatione sua consecratur peculiariter in Ministrũ immediatum sacerdotis, hoc est supremũ inter Ministros, & per consequens ad illi ministrandũ in reb. superiorib. quarũ præcipua est Eucharistiæ dispẽsatio. Subdiaconus, & alij ordinantur ad ministrãdum in inferioribus. Habet ergo Diaconus ex ordinatione sua legitimum esse ministrum, cuius opera possit vti sacerdos in Eucharistię dispẽsatione magis aptè, quam inferiorum ministerio.

5 Ideo nunc etiam secundũ præsentem statum Ecclesię posse sacerdotem in casu necessitatis Eucharistiæ dispensationem cõmittere Diacono, docent communiter DD. & notat *Suar.disp.72.sect.1.* non requiri necessitatem extremam, sed moralem; videl quod sacerdos sit infirmus, vel debilis, vel impeditus, nec adsint alij Sacerdotes, qui ministrare possint, & velint. Quia *text.in eo cap. Præsente.* generaliter loquitur, & non est reuocatus, licet nõ sit in vsu, quoniam eiusmodi necessitas non occurrit; cum rarò reperiatur Diaconus, vbi non sit sacerdos.

7 Potest etiam Diaconus absente sacerdote, deferre viaticum moribundo, ne sine viatico decedat, vel ex præsũpta voluntate Pastoris, vel ex cõcessione iuris in *Conc.Nic.1.can.14.* & *in Epist.1.Gelas.1. c.9.*& 10. At extra mortis articulum raro suberit necessitas sufficiens, vt Diaconus ministret Eucharistiam sine iussu *Pastoris* expresso. Sic tenent *S.Thom.* & *Suar.sup. Vazq.n.10.Zambr.c.3. dub.7.nu.6.Laym. li.5.tr.4.c.7 n.2.* qui citant alios.

8 Si Pastor adsit, & iniquè deneget facultatem Diacono, censet *Sylu.ver. Diac. n.4.* non posse diaconum Euchar.stiã ministrare; quia Diaconus discutere non debet, an sacerdos rectè prohibeat, neque: sed obedire. Melius affirmans posse, *Suar. Zamb.Laym sup. Vazq.n.12.Valent.to4. disp.6.q.10.punc.1.* Quia præsentia Pastoris abutẽtis sua potestate, censetur nulla; subindèq; recurrendũ est ad pręsumptam voluntatẽ superioris, vel Episcopi, vel Papæ, vel ad ius cõmune talem facultatem concedens, vt vidimus *n.7.* Cauẽdum tamen est, ne sequatur scandalum, aut rite constare quoque debet iniquitas denegationis; nam in dubio parendum erit.

9 Maior difficultas est. An vrgente necessitate, possit sacerdos administrationẽ Eucharistiæ committere Clericis inferioribus, vel etiam laicis? Prima sententia cõmunis negat. Ita *S.Th.Palud.Sylu.Henr. Sa,Vict.Posseu.Viuald.* quos sequitur *Bon. disp.4.qu.5.p.1.n.6. Fagund.Præcep.3.li.3. c.1.* & *3.Prepos.Hurt.Faust.Ochag.Tam. apud Dian.p.5.tr.3.Resol.47.* Probat.1.ex *c.Peruenit.de consecr.dist.2.* Vbi carpũtur acriter presbyteri, qui per laicos mittebant Eucharistiam ad infirmos. Sed hic textus necessario videtur intelligẽdus extra necessitatem; nam alioqui probaret, nec in necessitate posse Diaconis hoc munus committi; cum grauiter ibi præcipiatur, *vt omnimodo presbyter per se ipsum infirmum communicet.*

10 Probatur 2.Nam Ecclesiæ cõsuetudo videtur repugnare. Sed nec hoc cõuincit; quia

quia legimus, olim viros sanctos in necessitate misisse viaticũ per laicos, vt referunt *Euseb. l.6. c.36. Niceph. li.6. c.6. & Bellar. de Euch l.4. c.4.* Nec cõtraria consuetudo præsens potuit vim legis obtinere; non. n. inducta fuit, quoniã id reputetur illicitũ; sed quia rarissimè necessitas talis occurrit. Forsan etiã factum est nostro seculo, sed non innotuit; forsan etiam Parochus nõ erat satis peritus Theologiæ moralis. Probatur 3. quia non est tanta necessitas Eucharistiæ, vt qui non est Sacerdos, vel Diaconus, possit ob indigentiã moribũdi viaticũ ministrare contra communẽ Ecclesię ritũ: Habenda siquidẽ est maior ratio reuerentiæ Sacramento debitæ, quàm fructus infirmorũ, quib. sic impeditis sufficiet spiritualis cõio. Confirmatur, quia min⁹ est sine planeta celebrare; nec tamẽ id Ecclesia permittit ad dandũ moribundo viaticũ. Igitur à fortiori nõ permittet, quod laicus deferat moribũdo viaticum.

11 Affirmat 2. sententia, quã etsi Sotus intolerabilẽ appellet, *Valent. sup.* dicit nec improbabilem, nec contemnendã sibi videri, multiq; reputant probabilem, & nõ pauci sequuntur, nempè *Suar. disp.72. sec. 1. fin. Laym. li.5. tr.4. c.7. Merc. q.82. art.3. n.3. Chapeau. de Euch. q.6. Regin. l.29. n.93. Quintan. to.1. tr.4. sing.8. Auersa de Euch. q.10. sec.4. Anto. de Escob. in Theol. Mor. tr.7. exam.6. c.5. n.61. Gran.3. p. controu.6. tr.12. disp.1. n.4. Diana p.3. tr.4. Res.47. & p.5. tr.3. Resol.47. & me relato p.8. tr.1. Resol.48.* Probatur: nam si cui moribũdo iudicaretur hic, & nunc valdè necessaria cõmunio, præsertim dum aliud Sacramentũ recipere nõ potest, nec adest sacerdos, aut Diaconus, qui deferre possit Eucharistiã: non est ex natura rei malũ, nec cõtra Sacramenti reuerentiam, vt laicus ministret illi viaticũ, à quo forsan pendet ęterna salus morientis: Vel. n. esset malum propter contactũ; & hoc non; nam olim Sacerdos dabat Eucharistiã in manus Fidelium, qui domum etiam illam portabant manè sumendam, vt refert *Baron. to.1. pag.472.* Et quãuis nunc sit prohibitũ, Eucharistiam à laicis tangi, tamẽ hæc prohibitio non extenditur ad casũ necessitatis, alias non liceret laico lapsam Eucharistiã à terra leuare, vel ẽt sumere, ne tractetur indignè: quod tamen *S. Th. & omnes cũ illo fatentur.* Vel esset malum propter vsum Sacramẽti, & hoc non: quia supponitur ex parte recipientis dispositio sufficiẽs, & ex parte dantis reuerentia debita, subestq. necessitas, quia nullus est alius, qui ministret. Vel esset malum, quia prohibitum, & hoc nõ: quia nec apparet ius diuinum talẽ dispensationem vetans: nec iura Canonica, quæ generaliter prohibent Eucharistiæ distributionẽ per laicos, hunc casũ necessitatis vel extremę, vel valdè grauis cõprehẽdere censẽtur, vt *n.9.* dicebamus. Ergo talis dispensatio nulla ex parte vitiatur, si caueatur scãdalum pusillorum, quando suberit.

12 Vnde soluitur 3. fundamẽtum primæ sententiæ, quod soluendum restabat. Et. n. necessitas communionis, à qua potest in eo casu pendere salus morientis, si solum sit attritus, sufficiens quidem est, vt laicus ministret Eucharistiam contra ritum nõ obligantem in tali euentu, & sine præiudicio reuerentiæ debitæ. Ad confirmationem diximus *sup. ca.6. n.39.* Ecclesiam iustissima de causa vetasse, ne Missa celebretur vnquam sine vestibus sacris, & apparatu decenti: non verò sic strictè cunctis præceptis obligare: nec in præsenti datur præceptum obligans.

13 Hinc etiam fit, quod *Laym. & Diana magis exprimunt*, in absentia Pastoris, vrgente summa necessitate communionis, posse laicum, dũ non adest, qui ministret, & abest scandalum, ministrare viaticum moribundo, nimirũ ex præsumpta voluntate Pastoris vel immediati, vel saltẽ mediati. Nam hic etiã habet vim fundamentum secundæ sententiæ. Replicãt Aduersarij consuetudinem contrariã in hoc casu præualere: cum non sit ratus in oppidis habentibus vnicum Sacerdotem, vbi non rarò contingit, mori nonnullos sine viatico propter absentiam Parochi, quibus si posset Æditũus deferre viaticum, deberet vtique deferre: nec tamen à multis sæculis id factum audiuimus, nec vllus consuluit, vt fieret.

14 Respondetur, casũ non esse cũ circũstantijs requisitis adeo frequentẽ, vt inducere potuerit obligationẽ grauẽ. Etenim

sæpe

ſæpe, dum abeſt Parochus, abeſt etiã Æ-dituus, qui clauẽ habet Eccleſiæ; licet adſit Æditus, ſæpe non habet clauem cuſtodiæ, ſæpe timebit ſcandalum, ſępius eſt ignarus huius opinionis: Forſan etiam alicubi factum eſt conſulente viro docto, nõ tamen euulgatum. Quin addit *Suarez*, quãuis introducta fuiſſet alicubi conſuetudo, cũ ſolam habeat vim legis humanę, non complecti caſum ſũmæ neceſſitatis.

CAP. XI. QVÆST. II.

Vtrum omnes Sacerdotes poſſint Euchariſtiam miniſtrare?

15 Affirmat *Vincent. Marzil. in Memoriali pro frequenti communione*. Probat. 1. ex *Hymno Eccleſiæ, cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris*. Igitur omnes ſicut habent ius ſumẽdi, dum celebrant, habent etiã ius diſtribuendi cæteris Euchariſtiam. Probat. 2. quia Trid. optat, vt omnes fideles cõmunicent in omnibus Miſſis priuatis. Ergo ſupponit, omnes ſacerdotes poſſe miniſtrare communionem; alioquin optaret Concilium, vt Fideles acciperent Euchariam ab eo, qui dare non poteſt.

16 Negat communis, & vera ſententia, quam tenent *Henriq. cum multis l. 8. c. 55. nu. 1. Suar. diſp. 72. ſect. 2. Vazqu. diſp. 219. c. 2.* qui referunt, & expendunt teſtimonia Conciliorum, & Patrum, *Laym. lib. 5. tr. 4. c 7. n. 3. Coninc. q. 82. n. 28. Fill. tr. 4. n. 259. Bonac. cum alijs diſp. 4. q. 5. pun. 1. n. 6.* Probatur 1. ratione generali: nã omnis Sacramentorum adminiſtratio requirit iuriſdictionem, vt licitè fiat, quod oſtendimus *li. 1. ca. 2. n. 5.* Ergo quamuis omnes Sacerdotes habeãt poteſtatem ordinis, ſicut ad cõficiendam, ſic etiam ad diſpenſandam Euchariſtiam, vlterius requirũt poteſtatẽ iuriſdictionis, vt licitè miniſtrent illã, quapropter vel eſſe debẽt ordinarij Paſtores, vel ab ordinario commiſſionem habere vel expreſſam, vel ſaltem præſumptam.

Probatur 2. in particulari, nam de Sacramento Euchariſtiæ ſic decernũt *Conc. Carth. 1. c. 7. & Mileuit. c. 8.* quod Eccleſiæ praxis confirmat innixa iure naturali dictante, ne quis vſurpet ius alienũ; Et quidẽ ius eſt proprium Paſtorũ Eccleſiæ paſcere Sacramentis oues ſuas, & iſto præcipuè, quod eſt cibus ſpiritualis animarum.

17 Ad 1. fundamentum oppoſitum reſpondetur, ibi ſermonem eſſe de poteſtate ordinis, non de poteſtate iuriſdictionis, quę pręterea requiritur. Sicut quamuis dixerit *Iacob. inducat presbyt.* requiritur ad licitè miniſtrandum Sacramentum Vnctionis præter Sacerdotium iuriſdictio.

Ad 2. reſpondetur, Trid deſiderium ſupponere terminos habiles, vt rationabile ſit, nimirum vt qui Miſſam audiunt, non communicauerint eodem die, non comederint, vt abſoluti fuerint à proprio Sacerdote, ab eodemque facultatem habeant communicandi.

18 Sufficit autem præſumpta vel interpretatiua voluntas Paſtoris, aut probabilis ſpes conſenſus ab ipſo pręſtandi, quæ prudenter habetur iuxta præſentem praxim dum non conſtat contraria voluntas eiuſdem. Ita *notant Doctores relati*. Siquis tamen ſine licẽtia ſaltem præſumpta miniſtrat Euchariſtiam alienis ouibus, grauiter peccat: Quod ſi non ſit Sacerdos, fit irregularis; nam exercet actum Ordinis, quem non habet; Siquidem auctoritate propria diſpenſare Sacramẽtum illud eſt actus ordinis ſacerdotalis. Si ſit religioſus, incurrit excommunicationem latam in *Clem. Relig. de Priu.* Videatur *Fagund. Præcep. 3. li. 1. c. 5. & l. 3. c. 2.*

19 An vero deficiente Parocho, vel inique denegante viaticum indigenti, poſſit quiuis ſacerdos illud miniſtrare? Negant *Nauar. c. 21. nu. 52. & c. 27. nu. 102. Sy... excom. 7. S. Anton. par. 3. tit. 14. c. 54. Toletus li. 1. c. 36. n. 2.* Quia cum Euchariſtia nõ ſit Sacramentum ſimpliciter neceſſariũ, non pręſumitur voluntas Paſtoris circa talem commiſſionem. Melius affirmãt *Suar. ſup. Henriq. n. 2. Conin. n. 32. Fillıc. n. 266. Bonac. n. 10. Diana par. 5. tr. 3. reſol. 47 & 51 qui citant alios.* Probatur, quia præſumitur rationabilis conſenſus Paſtoris ſaltem mediati. Solent etiam Pontifices maioris claritatis gratia, quoties in priuilegijs excipiunt viaticum, declarare

talem

talem exceptionem non intelligi, quãdo propter absentiam Parochi, vel ob similem causam esset necessitas. Iuuat ius naturale, quo tenemur Fidelibus subuenire, præsertim in spiritualibus, quando necessitas vrget; necessitas autem huius Sacramenti licet non sit extrema, tamen est valdè grauis. & interdum pendet ab illo salus æterna morientis. Vnde soluitur fundamentum contrarium.

20 Hinc fit 1. non solum posse, sed etiam teneri quemlibet Sacerdotem vel secularem, vel regularem in eo casu ministrare viaticum morienti, qui non potest aliud recipere Sacramentum, ne morientem exponat periculo damnationis. Ita *Zambranus sup. cap. 3. dub. 7. n. 7. Diana ea Ref. 51.* Fit 2. in tali casu, si non adsit alius Sacerdos, posse recipi viaticum à Sacerdote, quãuis excommunicatus vitandus, vel hæreticus, secluso tamen scandalo, & iniuria Religionis. Ita *Zamb. sup. 2. Dian. resol. 49. Laym. lib. 5. tract. 4. c. 7.* Iam quando non potest aliud Sacramentum recipi, vel quia Sacerdos est mutus, vel quia moribundus non petijt confessionem vllo modo, summa subest necessitas; cum non ita facilè contritionem eliciant, qui dediti non sunt spiritualibus exercitijs Ergo tũc ministrandum est viaticum etiam à Ministris aliàs prohibitis. Consonant *Suarez disp. 72. sect. 4. fine, & Petrus de Ledesma de extr. vnct. c. 5. dub. 1.* qui colligunt ex cap. *Quod in te. de Pæn. & remiss.* generalem vtiq; concessionem, vt quicunq; Sacerdos potens in articulo mortis absoluere Sacramentaliter, possit etiam ministrare viaticum; & hoc nõ in fauorem talium Ministrorum, sed solum Fidelium indigentium. Sic enim censuræ latæ sunt in odium iniquorum, vt non cedant in grauissimum detrimentum bonorum.

21 Fit 3. in communione Paschali non vrgere tantam necessitatem, vt absente Parocho, possit Eucharistia recipi à quo-uis alio Sacerdote (nisi quis extra Parochiam peregrinetur) quippè facilè potest expectari Parochus, & interim, si quis ea-cat communione, poterit ex deuotione communicare, rursusq; cõmunicare postea de manu Parochi ad satisfaciendum communioni Paschali. Sic *Fillius sup. Suarez sect. 2. Fagund. Precept. 3. lib. 3. ca. 2. n. 21. Card. de Lugo disp. 18. n. 53.*

CAP. XI. QVÆST. III.

Vtrum Regulares possint Eucharistiam ministrare?

22 Certum est, iure communi non posse iuxtà superius dicta *n. 16.* Quin imò Regulares Eucharistiam, vel Extremam vnctionem ministrantes sine licentia Parochi preter casus expressos in iure, incurrunt excommunicatione ipso iure latam in Clem. *Religiosi, de Priuil. & Papæ reseruatam*. Quæ censura comprehendit 1 Religiosos, *qui præsumpserint*, non verò, qui putent ex ignorantia, sibi licere tale ministerium, 2. qui ministrant laicis, aut clericis secularibus, nõ verò, qui ministrant alijs Religiosis, 3. qui ministrãt non solum per modum viatici (vt aliqui limitant) sed quomodolibet; quia verba legis generalia sunt, vt notant *Suar. to. 3. disp. 72. sect. 2. Coninch q. 82. n. 19. Fagundez Pracep. 3. lib. 3. c. 2.*

23 Post prędictam Clementinã habent Regulares plurima priuilegia Pontificũ, vt Eucharistiæ Sacramẽtum omnibus fidelibus in suis Ecclesijs excepto die Paschatis, & articulo mortis, ministrare possint, licentia Pastorum minimè requisita. Videatur *Bullar. Manuelis, & ipse Manuel to. 1. Regular. q. 76. ar. 2. Miranda to. 1. q. 42. art. 2. Portel verb. Sacramentorum administratio. n. 8.* nostrum compendium verb. *Eucharistia, Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. c. 3. Iulius 2.* sine Paschatis exceptione concessit minimis, vt in suis Ecclesijs, quoties opus fuerit, possint Eucharistiam ministrare. Verum *Suarez* cẽset, per generalia verba non comprehendi communionem annuam, aut articuli mortis; quia casus tam specialis non cõprehenditur generali clausula.

24 Hinc fit 1. posse Religiosos in suis Ecclesijs saltem extra tempus præcepti mini-

ministrare Fidelibus Eucharistiam; nam id expresse Pontifices concedunt. Ita *Suarez supra Coninch, & alii*. Fit 2. posse Sacerdotes seculares in Ecclesijs Regularium Eucharistiam ministrare quibuscunque personis de licentia Regularium. Ita *Coninch, numero 31. Manuel artic. 3. Miranda, artic. 4. Ioannes de Cruce in Epitome lib. 2. cap. 5. dub. 3. Henriquez lib. 8. cap. 55. numero 1. lit. C.* Compendium nostrum *verb. Eucharistia, numero 4.* Addunt *Manuel, & Henriquez*; sufficere licentiam Æditui; & hoc etiam licere tempore interdicti, si seculares habeant facultatem communicandi tali tempore.

25 Fit 3. posse Religiosos vti prædicto priuilegio etiam in alienis Ecclesijs, dum ibi concionantur. Sic enim Societati Iesu concessit *Paulus 3. Bulla 5.* & notat *Henriquez sup.* Quin etiam *Ioan. de Cruce sup. cap. 6. dub. 5.* simpliciter asserit, posse Religiosos etiam extra suos Conuentus Eucharistiam ministrare. Quia secundum Abbatem in cap. *Tuam, & in cap. cum Capella, de Priuil.* quando datur exceptio ratione personæ, comitatur personam; & priuilegia concessa Regularibus ad Sacramenta ministranda non dantur ratione loci, sed ratione personæ. Confirmat; quia *Pius 4. Bulla 3. & Pius 5. Bulla 7.* concedunt Religiosis, possint vbilibet etiam extra conuentum ministrare fidelibus Pœnitentiam, & Eucharistiam. At expedit (inquit *Henriquez*) in aliena Ecclesia non fieri sine licentia Parochi, quod nobis præscribit N. P. Claudius in nostro compendio, *verb. Eucharistia, post §. secundum*.

26 Iam dubitatur 1. Quid per Pascha, siue per diem Paschatis intelligendum sit in prædictis priuilegijs? Prima sententia docet, intelligi diem Paschatis materialiter; in illo non possint Regulares Eucharistiam ministrare secularibus, siue communicent ad præceptum implendum, siue solum ex deuotione. Sic censent *Nauarrus cap. 21. numero 52. Henriquez lib. 8. cap. 55. numero 1. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 41. quæst. 7.* Probatur; quia, licet *Nicolaus 5.* exceperit festum Resurrectionis, vbi totum tempus Paschale videtur includi, tamen *Sixtus 4. & Leo 10.* diem Resurrectionis dumtaxat excipiunt, & generaliter loquuntur de communione talis diei. Consonat *P. Claudius in nostro comp. verb. Eucharistia, num. 2.* cum annotatione. *Fauent declarationes super Trid. sess. 13. can. 9.*

Secunda sententia communior, & probabilior asserit, mentem Pontificum fuisse communionem Paschalem excipere non materialiter, sed formaliter, idest illam, quia præcepto satisfiat, quandocunq; fiat. Ita *Suar. to. 3. disp. 72. sect. 2. & de Relig. to. 4. trac. 10. lib. 9. cap. 3. Coninch, q. 82. n. 31. Vazq. 3. p. disp. 219. c. 4. Bonac. disp. 4. q. 5. punct. 1. n. 12. Manuel to. 1. Regul. q. 56. art. 3. Layman lib. 5. trac. 4. c. 7. n. 4.* & alij communiter. Probatur; quia cum hæc exceptio facta sit in fauorem Parochorum, sine dubio respexit præceptum annuæ communionis, cui volunt Pontifices in Parochia satisfieri, non alibi. Confirmatur; nam alias sequeretur, eũ, qui Dominica Palmarum in Ecclesijs Regularium communicauit, impleuisse præceptũ nec teneri die Paschatis in Parochia communicare, si nolit eo die communionem accipere, quod aduersarij non admittẽt. Sequeretur etiam, eum, qui die Iouis communicauit in Parochia, si velit in Pascha rursus communicare, debere Parochiã adire, vel cũmuniõnẽ omittere, quod est durũ, & contra praxim. Nec attendendus est materialis sonus verborum, sed intentio Pontificum. Hanc sententiam sequuntur nostræ *constitutiones p. 7. c. 4. lit. D.* ex illaq; colligunt, posse die Paschatis in nostris Ecclesijs illos communicare, qui iam suis Parochijs satisfecerint.

28 Dubitatur 2. An etiam in Paschate possint Regulares ministrare Fidelibus Eucharistiam ad præceptum annuæ cõmunionis implendum? Affirmat prima sententia, quam tenent *Manuel supra Rota in respons. part. 4. casu 4. Ioannes de Cruce lib. 2. cap. 5. dub. 4. Hieron. Rodriguez in comp. resol. 127. num. 3. Sorbus in comp. Priuilegiorum, verb. communicare.*

Diana p.2. tr.14. resol.73. Probabilem re- putat Fagundez lib.1.c.5. n.16. Præcep.3. num.13.dicit, ita fuisse iudicatum in Lusi- tania contra Parochum expostulantem cum Minoribus de hac re. Probatur; nã, t habetur in comp.Priuil. S.Hieronymi, 2.& 6.Nicolaus 5. anno 1458.concessit, quod deputati, vel pro tempore deputandi confessores in Monasterio. B. Mariæ de Guadalupe Sacramentum Eucharistiæ quibuscunque personis ad prædictum Mo- nasterium confluentibus, etiam in die Pa- schatis ministrare liberè,& licitè possint; Diœcesanorum,aut cuiuslibet alterius li- centia minimè requisita. Quod confirma- it Paulus 3. Et vt testatur Antonius Car- in.viuæ vocis oraculo declarauit; quod præcepto Ecclesiæ satisfaciant, non ob- stantibus contrarijs quibuscunq; Hanc au- em, & alias concessiones vni Monaste- o S.Hieronymi factas Pius 4.per Bullã, uam expediuit Pius 5. fecit communes mnibus eiusdem ordinis Monasterijs, vt ferit Manuel sup. Qua propter alijs etiã rdinibus communicari censentur.

29 Hinc inferunt Manuel, & Ioannes à Cruce, posse Regulares in articulo mortis ministrari viaticum; nam conces- o communionis Paschalis ad omnem bligatoriam extendenda videtur. Addit Manuel ea q.56 art.6. Peregrinos, & ad- enas, & vagamundos iuxta sententiam, am posse recipere à Regularibus com- munionem Paschalem, per quam satisfa- ant præcepto.

30 Independenter ab isto priuilegio Io- ti videntur nostræ constit.p.7. c.4. lit.D. uatenus asserunt, ad implendum præ- eptum communionis Paschalis posse à ostris communicari tam illos, qui facul- atem haberent, quam peregrinos, & re- quos, quos ius excipit. Henriq.li.8.c.55. 1.lit.G.& Fagund.Pracep.3.lib.1. c.5.n. 0.dicunt, peregrinos, & vagabundos, ui nullam habet Parochiam propriam, osse recipere communionem à Regula- ibus etiam ad præceptum implendum; in his cessat ratio prohibitionis, nimi- m vt Pastor cognoscat suas oues, & es cognoscant suum Pastorem; hi vero cum non habeant Parochiam stabilem, non censentur habere Parochum propriũ, quem recognoscere teneantur.

31 Secunda sententia negat, quam te- nent Suar.de Relig.tom.4.trac.10.li.9. c.3. num.6.& 8.Portel.in dubijs tom.1.verb.Sa- cramentorum administratio.num. 5. Villa- lobos tom.1.tr.7.diffic 47.nu.4. Nuñus 3.p. qu.83.art.4.concl.5. Bonac. de Sacr.disp.4. q.5. punc.7.nu.12.Fagund.sup.nu.16.& alij communiter. Probatur 1.nam declaratio Cardin.4.p.fol. 151.censet, seculares etiam in Regularium monasterijs seruientes nõ satisfacere huic præcepto, nisi communi- cent in sua Parochia: Farinac.super Trid. sess.13.can.9.refert, declarasse Cardinales anno 1586.die 23.Ianuarij, communicãtes de manu Regularium tempore Paschali non satisfacere præcepto, quod equidem obligat, vt omnis Fidelis à proprio Paro- cho recipiat communionem annuam.

Probatur 2.quia Pontifices sæpè decla- rarunt, mẽ rem esse suam, vt ius Parocho- rum quoad communionem obligatoriã seruetur illæsum. Quapropter illa conces- sionis extensio tam ampla per duplicem cõmunicationem generalem s.ad omnia Monasteria talis ordinis, & postmodũ ad omnes Religiones in tãtum præiudicium Parochorum aliena prorsus videtur ab in- tentione Pontificũ; ac esse talis, vt sub ge- nerali clausula communicationum com- prehendẽda non sit ob specialem rei dif- ficultatem. Vnde prudenter ortum est, vt aliæ Religiones non ausæ fuerint vti tali priuilegio; nec constat, reliqua Monaste- ria S.Hieronymi eodem vti, nisi pro suis familiaribus, aut alijs ita sibi coniunctis, vt difficile possint in Parochia forsan di- stante communicare.

32 Suppono 1.posse Regulares ministra- re communionem etiam obligatoriam suis familiaribus, vt dixi sup.cap.10.nu.13. Suppono 2. posse pariter aliis secularibus ministrare talem communionem, si pru- denter præsumitur voluntas Pastoris, vt ibi dixi nu.10. Suppono 3. Regulares, qui sunt Parochi, posse ministrare suis ouibus Eucharistiam ad præceptum implendum, sicut alios Parochos, vt est notum, & no-

tat *Fagundez sup. n.* 12. Suppono 4. posse Regulares ministrare communionē Paschalem sæcularibus ad præceptum implendum, si necessitas vrgeat; hanc enim limitationem adhibet *Paulus* 3. quando communionem obligatoriam excipit à priuilegio concesso societati Iesu. Censebitur autem vrgere necessitas, quoties aliquis est impotens ad communicandum in sua Parochia, & ad petendam facultatem à suo Parocho; tunc enim non potest iste præceptum implere, nisi communionem accipiat ab alio Sacerdote sæculari, vel Regulari. Debebit autem in eo casu Fidelis satisfacere postea suo Parocho, qui, si de necessitate, quæ occurrit, & de communione recepta sufficiens acceperit testimonium, non poterit cogere subditum ad iterum communicandum. Ita *Suar. sup. num.* 8.

33 His suppositis censeo; primam sententiam, & si forsan probabilis sit speculatiuè, nō posse prudenter ad praxim deduci propter maximā offensionē Pastorū Ecclesiæ, quæ communiter inde sequeretur. Ita fatentur ipsiusmet Authores. Manuel illo art. 3. sic inquit: *licet supradicta sint verb. Religiosi tamen non debent publicare, se habere licentiam generalem ad communicandum Fideles in die paschatis: Cum curati hoc ægrè ferant, & Episcopi maximè contradicant. Debent igitur dictis priuilegiis vti non passim, sed prudenter, & cautè.* Idem asserit *Hieron. Rod. supra Diana* quoq; sic ait. *Ex dictis remanet satis probabilis ista sententia, sed ego consulerem, vt Regulares in tali casu faueant parochis, & talem sententiam in praxim non deducant.* *Fagundez* postquam asseruit, vtramq; sententiam esse probabilem, addit, standum esse sententiæ neganti; nec fundamenta contrariæ, nec Authores illius tantum habere roboris, vt illos possimus securè sequi.

34 Itaq; proferenda est secunda sententia, & in praxi tenenda prorsus. Ideò Sostrum compendium nullam illius priuilegij mentionem fecit; imò Regula 27. Sacerdotum iubetur confessarius nostræ societatis, vt moneat pœnitentes suos tēpore Paschali debere semel in sua Parochia communicare. Iuxta sententiam istam dicit *Manuel tom.* 1. *q.* 56. *art.* 6. peregrinos, & aduenas non posse communionem Paschalem à Regularib. accipere, sed à Parochis locorum, vbi tali tempore reperiuntur, iuxta *constitut Eugen.* 4. Consonat 4. *Alex. Peregrin. in scholiis ad priuilegia Theatinor. p.* 1. *tit. communicare* §. 2. Et quidem quoad vagabundos, qui nullibi fixum habent domiciliū, videtur hoc certum; cum enim non habeant alium proprium Pastorem, verè subditi sunt illi Parocho, in cuius Parochia tali tempore commorantur, & per consequens ibi debent implere præceptum: Nam ibi censentur habere domicilium eo modo, quo sunt illius capaces. Ita notat *Suar. eo n.* 8.

35 Peregrinos vero, qui fixum domicilium habent alibi, propriumq; Parochū, cui postea satisfacere tenētur, probabile reputat *Suar. nu.* 9. posse recipere cōmunionem ab illis, qui possunt alijs tēporib. Eucharistiam administrare. Quippe propter excusationem illud tempus tanquam liberum reputatur; Consonat *Zambrano c.* 3. *dub.* 7. *n.* 5. Verum *cum Eugenius* 4. *declarauerit* (vt testantur *Manuel, & Suar. sup.*) peregrinantem, qui fuerit in aliena Parochia tempore Paschatis, illius incolam censeri, quoad receptionē Sacramētorum; iam isti Parochum habent, à quo tunc debeant recipere cōmunionem, & non ab alio, quod probabilius reputat *Suar. n.* 10. Verum *Sanch. de Matr. lib.* 3. *disp.* 23. *n.* 7. dicit, *Eugen.* id concessisse in fauorem peregrinorū ad tollendos scrupulos, nec illos obligasse, vt talibus Parochis subijcerentur; citat *Manuel. & Henriqu.* qui certè non id sentiunt; sequuntur autem istas doctrinam *Fagund. Præcep.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 5. *Tamburin.*, & *Portel*, quos sequitur *Diana p.* 3. *tr.* 2. *res.* 22. Aliis vero talis sententia non arridet, sed sentiunt *cum Suario*.

Quia tamen Parochi talis loci non solent multum curare de peregrinis, seu vagabundis, præsertim si citò discessuri sint, facilè præsumi potest Parochi con-

cõsensus, vt aduenæ, seu viatores recipiãt communionẽ, à quo maluerint; & ita poterunt Regulares his ministrare communionem Paschalem ex hac prudenti præsumptione. Quod videtur amplecti nostra societas: Siquidem 7. *p. cõst. c. 4. lit. D.* admittit peregrinos in nostris Ecclesijs ad communionem Paschalem. Ego tamen attenderem consuetudinem loci; nam hæc post tacitum consensũ Pastorũ indicare, si peregrinorum communionẽ non curent. Si verò designent specialem Parochiam pro peregrinis (vt designari solet Ecclesia Cathedralis) videntur Pastores ipsorum cõmunionem ibi postulare. Fundamentum primæ sententiæ soluitur ex dictis *n. 31* Adde, priuilegium illud videri concessum, non tam in fauorẽ Regulariũ, quã peregrinãtiũ ad illũ tẽplũ B. Virg., ac proinde non comprehẽdi sub generali communicatione priuilegiorũ.

CAP. XI. QVÆST. IV.

Vtrum qui Bullam habet Cruciatæ, possit Eucharistiam à quolibet Sacerdote recipere?

36 Affirmat prima sententia, quã tenet *Vazq. 3. p. disp. 219. c. 5. n. 47. & Diana p. 1. tr. 11. res. 20.* Probatur ex illis Bullæ verbis, vbi conceditur, *vt possit Eucharistiam, & alia Sacramẽta, præterquam in die Paschatis recipere*, quæ concessio non videtur ad tempus interdicti restringi; nam in Hispana Bulla dicitur. *Que puedan recebir el Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (saluo el dia de Pascua) aunque sea en tiempo de Entredicho.* Quæ verba non restringunt concessionem ad tempus interdicti, sed potius ampliant, vt quouis tempore possit eligi Minister, à quo sine consensu Parochi recipiatur Eucharistia, quamuis sit tempus interdicti, præterquam in die Paschatis.

Vnde confirmatur hæc sententia: Quia, si concessio non esset eligendi Ministrũ, frustra fieret exceptio diei Paschatis, siquidem tempore interdicti, si quis etiam in Oratorio priuato recipiat Eucharistiam à Parocho, vel cum eius licentia die Paschatis, sine dubio satisfacit præcepto communionis. Igitur hæc concessio præscindit à licentia Parochi, & ideò cõmunionem Paschalem excepit, sicut etiam excipitur in priuilegijs Regularium. Hanc doctrinam extendunt etiam ad Extremam vnctionem.

37 Secunda sententia probabilior negat, virtute Bullæ posse recipi cõmunionẽ à quolibet Sacerdote sine cõsensu Parochi saltem præsumpto. Sic docent *Suarez 3. p. to. 3. disp. 72. sec. 2. Manuel in Bulla p. 1. Addit. ad §. 5. n. 31. Car. de Lugo de Euch. disp. 18. n. 45. Quintanad. to. 1. tr. 5. sing. 3. n. 2. Nuñus 3. p. q. 82. a. 3. qui contrariam vocat improbabilẽ.* Probatur ex ipsis Bullæ verbis, quibus conceditur facultas *tempore interdicti celebrandi, vel audiendi sacrum simul cum suis familiaribus in Ecclesiis, monasterijs, vel Oratoriis priuatis ab ordinario designatis, et visitatis; et accipiendi Eucharistiam, et alia Sacramenta, dum tamen ipsi interdicto causam non dederint.* Vbi satis apparet, solum dari priuilegium quoad circumstantiam interdicti, non quoad circumstantiam Ministri.

38 Declaratur in particulari; Nam imprimis ibi non conceditur simpliciter facultas celebrandi, vel faciendi celebrare in oratorio priuato, sed solũ id faciendi tempore interdicti, supposita videlicet aliundè facultate legitima talis Oratorij. Quod constat ex praxi; nam postquam Paulus 5. prohibuit, ne concederent ordinarij facultatem celebrandi Missam in oratorijs domesticis, adhuc in Bulla ponuntur prædicta verba, nec tamen vllus, & si Bullam habeat, vtitur oratorio priuato sine facultate summi Pontificis. Deindè quoad cetera Sacramenta quæ concedit ibi, scilicet Pœnitentiam, & extremã vnctionem, certum videtur, non dari facultatem eligendi Ministrum, à quo Sacramentaliter absoluatur, cum non requirat approbationem ordinarij, quam expresse requirit infra, dum talem electionem concedit.

Similiter praxis ostẽdit, quamuis quis habeat Bullam, non posse citrà necessitatem recipere Sacramentum vnctionis, nisi à suo Parocho, vel de ipsius expresso consensu. Constat igitur, facultatem ibi non concedi circa Ministrum, sed circa tempus interdicti; nimirum vt concedatur ibi solum facultas recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis (scilicet a legitimis Ministris) non obstante interdicto locali.

39 Ad fundamentum oppositum respondetur, hæc esse verba Bullæ Hispanę. *Que puedan aun en tiempo de Entredicho oir Missa en las yglesias, y Monasterios; o en Oratorio particular señalado, y visitado por el Ordinario dezir Missa, y otros diuinos officios por sus personas, si fueren Presbyteros, o hazerlos celebrar a otros en su presencia, y de sus familiares, y parientes; y recebir el S. Sacr. de la Eucharistia, y los demas Sacramentos, saluo en el dia de la Pascua, con que ellos no ayan dado causa al tal Entredicho.* In quibus verbis illa priora, *aun en tiempo de Entredicho*, non significant, dari talem facultatem pro diebus alijs, & ad interdicti tempus extendi, sed solum dari pro tempore interdicti; Sicut si diceretur, concedimus, vt etiam diebus festis in tali opere laboretis, non est sensus, quod detur quoq; facultas pro diebus alijs, sed quod detur pro festis non obstante prohibitione.

40 Ad confirmationem respondetur, excipi diem Paschæ, nam in alijs diebus recipere possunt Eucharistiam à Regularibus, vt vidimus *q.3.n.23.* possunt etiam à Sacerdotibus secularibus cũ præsumpta facultate Pastoris, quæ communiter habetur, vt diximus, *q.2. n.18.* At in die Paschatis, siue formaliter pro communione Paschali requiritur expressius consensus Pastoris, vt habens Bullam accipiat à Regulari, vel seculari Sacerdote talem communionem etiam tempore interdicti.

41 De obligatione Ministrorum circa dispensationem Eucharistiæ, nimirum quis, & quando, & quanto discrimine; Quibus etiam debeant illam ministrare, vel denegare: diximus *lib.1.c.2.& 6.*

CAP. XI. QVÆST. V.

Vtrum aliquis aliquando possit communicare se ipsum?

42 NOn loquimur de Sacerdote celebrante, qui nõ solum potest, sed debet cõmunicare se ipsum, vt sacrificium sumat. Idẽ est de Sacerdote faciẽte sacrum officiũ in Parasceue iuxtà ritũ Ecclesiæ; nam licet tunc non consecret, verè perficit sacrificium diei præcedẽtis; quapropter illa non est cõmunio propriè laica, sed potius Sacerdotalis, vt bene notat *Cardin. de Lugo disp.*18. *num.*19. loquimur itaq; de communione laica, quæ fit extra Missam. Et conueniunt Doctores 1. extra casum necessitatis regulariter non licere; quoniam Ecclesiæ consuetudo præscribit, vt qui non celebrans communicat, de manu alterius Sacerdotis Eucharistiam accipiat. Ita *Suar. to.3. disp.72. sect.3. Filliuc. tr.4. n.285. Conink. q.82. n.24.* Tunc enim, etiamsi sit Sacerdos, gerit personam ouis, & subinde debet a suo Pastore, vel de ipsius licentia recipere pabulum istud.

43 Conueniunt 2. non extare ius vllum quod necessario requirat distinctionem inter ministrantem, & recipientem hoc Sacramentum. Patet, quia nec scriptum legitur, nec ex consuetudine colligitur, cum olim Fideles communicarent se ipsos. Imò cum hoc Sacramentum institutũ sit per modũ cibi, videtur eius institutioni consonum, vt sicut cibus à manducante sumitur, sic Eucharistia sumeretur ab ipso cõmunicante. Cęterum ex vi iuris dispensandi, quod non omnes habẽt, oritur cõmunis necessitas distinctionis inter dantem, & accipientem. Cum enim sumere sit dispensare, qui non habet ius Eucharistiam dispensandi, non potest sibi sumere. Quare nullus non Sacerdos, vel non habens facultatem ministrandi potest regulariter cõmunicare se ipsum: Sacerdotes vero, cum more laicorum com-

communicant vel in morbo, vel in alterius Sacerdotis Missa, moraliter necessarium est, vt ab alio recipiant communionē, & inde consuetudo manauit recipiendi regulariter Eucharistiam ab alio.

44 Conueniunt 3. posse Sacerdotem in necessitate communicare se ipsum, vt si iaceret moribundus, & posset ex sacrario consecratam hostiam sibi sumere, nec adesset alius, qui posset illam ministrare. *Sic Suarez., & FillIucius supra Coninch, n.25. Zambranus cap.3. dub.6. nu.6. Caietanus in summa verb. communionis minister. Villalobos to.1. tract.7. diffic.48. Vazquez 3.pa. disp.219. n.17. Fagund. Præcep. 3. lib.3. ca.3. n.7.* Rationem reddunt; quia Sacerdos est proprius Minister huius Sacramenti, nec in illo casu prohibetur vllo iure sibimet ministrare: Sicut ergo potest cuiuis alteri similiter indigenti, poterit sibimet Eucharistiam ministrare.

45 Verum hoc eget expositione; cum enim communio sacerdotis extra Missā laica sit, & ita vocetur in Concilijs, debet ad illam considerari sacerdos, ac si esset laicus; nec sacerdotium præcisè dat illi iurisdictionem necessariam ad Eucharistiā ministrandam sibi vel alijs, vt ostendimus *supr. nu.16.* Quare sacerdos extra Missam non minus dependet à suo Pastore quoad Eucharistiæ receptionem, quàm alij Fideles, ac proinde nō potest, nisi de manu, vel licentia Pastoris communicare. Quod indicat *Clement. Religiosi. de Priuilegijs,* vbi puniuntur Religiosi, qui sine Parochi consensu, *Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare præsumpserint.* Generalis quippè locutio clericos omnes comprehendit.

46 Adde, quamuis sufficiat præsumpta voluntas Parochi, vt sacerdos ex delegata iurisdictione ministret Eucharistiam alijs, vt diximus *sup. num.18.* at respectu sui non potest propriè iurisdictionem accipere; Potest tamen ex facultate sui Pastoris, vt instrumētum ipsius sumere sibimet Eucharistiam, vt rectè notat *Cardinal. de Lugo sup. nu.32.* Iam ergo dicimus, adesse talem facultatem, vt sacerdotes aliquando semetipsos communicent. Nam in *Concil. Nicæno. 1. can.14. iubentur Diaconi accipere secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero Sac. communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Cum autem omnes sacerdotes Diaconi sint; iam hinc habent facultatem, vt in absentia sacerdotis, qui ministrare possit, & velit possint communicare seipsos.

47 Iam sit dubium 1. An extra casum necessitatis extendatur hæc facultas? Negāt *Caiet. Filliuc. & Villal. sup.* Quia non præsumitur concessa, nisi pro mortis articulo, ne sacerdos, vel Diaconus sine viatico decedat, quando non potest illud ab alio recipere. Melius affirmant *Suar. Vazqu. Fagund. sup. Laym. lib.5. tr.4. cap.7. n.4. Manuel, Vivaldus, Possevin., & alij,* quos sequitur *Bonac. disp.4. q.5. punc.1. n.13. Sylvius, & Homobonus,* quos sequitur *Diana part. 2. tr.14. Resol.53. & par.3. tract.4. Resol.47.* dum non sit alius sacerdos, à quo recipi possit, nec sequatur scandalum, quod facilè vitari potest, si sacerdos id secreto faciat, vel moneat astantes, id sibi licere vel ratione festi solemnis, vel solius deuotionis. Probatur ex illo *Canone Conc. Nicæni,* qui non est reuocatus, & absolutè concedit facultatem sine restrictione ad articulum mortis vel ad similem necessitatem.

48 Quare pariter Diaconus in absentia sacerdotis poterit cômunicare seipsum, non solum in articulo mortis, ne sine viatico decedat, vt asserunt *Bonacin. sup. Coninch. n.26. Sà verb. Eucharistia. nu.32.* Sed etiam extra talem articulum, vt notat *Vazquez.* Nam ille canon Diaconis concedit facultatem communicandi seipsos, nec illam limitat ad mortis articulum; secluso tamen scandalo iuxta præscriptum iuris naturalis; & supposita necessitate, quæ sufficiat, vt Diaconus in absentia Parochi possit Eucharistiam ministrare, raroque continget, vt dixi *numer.7.*

49 Sit dubium 2. An præsente Diacono possit Sacerdos communicare se ipsum? Negant *Vazquez, et Fagundez sup.* quia

debemus, vt scilicet nullus non Sacerdos sine commissione sacerdotis vsurpare possit hoc munus.

4 Quare ius diuinū non prohibet sacerdotes, quin possint aliis administrationē Eucharistiæ committere; quod sumitur ex institutione Christi sic declarata per praxim Ecclesiæ. Scimus n. olim Diaconos solitos fuisse distribuere Calicē, vt ex Patribus colligit *Suar. & constat ex verb. S. Laur.* quæ refert *S. Amb. li. 1. de offic. c. 41.* Quin etiam Eucharistiā ministrasse, testatur *Iust. Mart. Apol. 2. circa fin. Conc. Nic. 1. can. 14. & Carthag 4. can. 38.* habetur, *c. Præsente dist. 93.* Addit *Euseb. li. 6. Hist. ca. 36.* Missam fuisse nonnumquam Eucharistiam ad infirmum per Laicum.

5 Itaq; dupliciter potest aliquis Eucharistiam dispensare. 1. potestatiue, nimirū per potestatem sibi competētē, quo modo sacerdotes omnes dispensant; namhabent ordinis potestatem, & solū deest illis iurisdictio, per quam dentur subditi, circa quos exerceatur talis potestas. 2. ministerialiter, nimirū vt merum instrumentū alterius, quo modo ministrāt Eucharistiam Diaconus, & omnes ipso inferiores, vt colligitur ex *Clem. Rom. li. 8. const. c. 28. alias 34. & ex Conc. Nic. atq. Carth. supr.* cū hoc tamen discrimine, quod Diaconus in ordinatione sua consecratur peculiariter in Ministrū immediatum sacerdotis, hoc est supremū inter Ministros, & per consequens ad illi ministrandū in reb. superiorib. quarū præcipua est Eucharistiæ dispēsatio. Subdiaconus, & alij ordinantur ad ministrādum in inferioribus. Habet ergo Diaconus ex ordinatione sua legitimum esse ministrum, cuius opera possit vti sacerdos in Eucharistię dispēsatione magis aptè, quàm inferiorum ministerio.

6 Ideo nunc etiam secundū præsentem statum Ecclesię posse sacerdotem in casu necessitatis Eucharistiæ dispensationem cōmittere Diacono, docent communiter DD. & notat *Suar. disp. 72. sect. 1.* non requiri necessitatem extremam, sed moralem; videl. quod sacerdos sit infirmus, vel debilis, vel impeditus, nec adsint alij Sacerdotes, qui ministrare possint, & velint. Quia *textus eo cap. Præsente,* generaliter loquitur, & non est reuocatus, licet nō sit in vsu, quoniam eiusmodi necessitas non occurrit; cum rarò reperiatur Diaconus, vbi non sit sacerdos.

7 Potest etiam Diaconus absente sacerdote, deferre viaticum moribundo, ne sine viatico decedat, vel ex præsūpta voluntate Pastoris, vel ex cōcessione iuris in *Conc. Nic. 1. can. 14. & in Epist. 1. Gelas. 1. c. 9.* & 10. At extra mortis articulum raro suberit necessitas sufficiens, vt Diaconus ministret Eucharistiam sine iussu Pastoris expresso. Sic tenent *S. Thom. & Suar. sup. Vazq. n. 10. Zambr. c. 3. dub. 7. nu. 6. Laym. li. 5. tr. 4. c. 7 n. 2.* qui citant alios.

8 Si Pastor adsit, & iniquè deneget facultatem Diacono, censet *Sylv. ver. Diac. n. 4.* non posse diaconum Euchar. stiā ministrare; quia Diaconus discutere non debet, an sacerdos rectè prohibeat, necne; sed obedire. Melius affirmant posse, *Suar. Zamb. Laym sup. Vazq. n. 12. Valent. to. 4. disp. 6. q. 10. punc. 1.* Quia præsentia Pastoris abutētis sua potestate, censetur nulla; subindeq; recurrendū est ad præsumptam voluntatē superioris, vel Episcopi, vel Papæ, vel ad ius cōmune talem facultatem concedens, vt vidimus *n. 7.* Cauēdum tamen est, ne sequatur scandalum, aut rixa: constare quoque debet iniquitas denegationis; nam in dubio parendum erit.

9 Maior difficultas est. An vrgente necessitate, possit sacerdos administrationē Eucharistiæ committere Clericis inferioribus, vel etiam laicis? Prima sentētia cōmunis negat. Ita *S. Th. Palud. Sylu. Henr. Sa, Vict. Possev. Viuald.* quos sequitur *Bon. disp. 4. qu. 5. p. 1. n. 6. Fagund. Præcep. 3. li. 3. c. 1. & 3. Præpos. Hurt. Faust. Ochag. Tann. apud Dian. p. 5. tr. 3. Resol. 47.* Probat. 1. ex *c. Peruenit. de consecr. dist. 2.* Vbi carpūtur acriter presbyteri, qui per laicos mittebant Eucharistiam ad infirmos. Sed hic textus necessario videtur intelligēdus extra necessitatem; nam alioqui probaret, nec in necessitate posse Diaconis hoc munus committi; cum grauiter ibi præcipiatur, *vt omnimodo presbyter per se ipsum infirmum communicet.*

10 Probatur 2. Nam Ecclesiæ cōsuetudo videtur repugnare. Sed nec hoc cōuincit; quia

quia legimus, olim viros sanctos in necessitate misisse viaticũ per laicos, vt referunt *Euseb. l.6.c.36. Niceph. li.6.c.6. & Bellar. de Euch l.4.c.4.* Nec cõtraria consuetudo præsens potuit vim legis obtinere; non.n. inducta fuit, quoniã id reputetur illicitũ; sed quia rarissimè necessitas talis occurrit. Forsan etiã factum est nostro seculo, sed non innotuit; forsan etiam Parochus nõ erat satis peritus Theologiæ moralis. Probatur 3. quia non est tanta necessitas Eucharistiæ, vt qui non est Sacerdos, vel Diaconus, possit ob indigentiã moribũdi viaticũ ministrare contra commune Ecclesię ritũ: Habenda siquidẽ est maior ratio reuerentiæ Sacramento debitæ, quàm fructus infirmorũ, quib. sic impeditis sufficiet spiritualis cõio. Confirmatur, quia min⁹ est sine planeta celebrare; nec tamẽ id Ecclesia permittit ad dandũ moribundo viaticũ. Igitur à fortiori nõ permittet, quod laicus deferat moribũdo viaticum.

11 Affirmat 2. sententia, quã etsi Sotus intolerabilẽ appellet, *Valent. sup.* dicit nec improbabilem, nec contemnendã sibi videri, multiq; reputant probabilem, & nõ pauci sequuntur, nempè *Suar. disp.72. sec. 1. fin. Laym. li.5. tr.4.c.7. Merc. q.82. art.3. n.3. Chapeau. de Euch. q.6. Regin. l.29. n.93. Quintan. to.1. tr.4. sing.8. Auersa de Euch. q.10. sec.4. Anto. de Escob. in Theol. Mor. tr.7. exam.6.c.5. n.62. Gran.3. p. controu.6. tr.12. disp.1. n.4. Diana p.3. tr.4. Res.47. & p.5. tr.3. Resol.47. & me relato p.8. tr.1. Resol.48.* Probatur: nam si cui moribũdo iudicaretur hic, & nunc valdè necessaria cõmunio, præsertim dum aliud Sacramentũ recipere nõ potest, nec adest sacerdos, aut Diaconus, qui deferre possit Eucharistiã: non est ex natura rei malũ, nec cõtra Sacramenti reuerentiam, vt laicus ministret illi viaticũ, à quo forsan pendet ęterna salus morientis: Vel. n. esset malum propter contactũ; & hoc non; nam olim Sacerdos dabat Eucharistiã in manus Fidelium, qui domum etiam illam portabant manè sumendam, vt refert *Baron. to.1. pag.472.* Et quãuis nunc sit prohibitũ, Eucharistiam à laicis tangi, tamẽ hæc prohibitio non extenditur ad casũ necessitatis, alias non liceret laico lapsam Eucharistiã à terra leuare, vel ẽt sumere, ne tractetur indignè: quod tamen *S. Th. & omnes cũ illo fatentur.* Vel esset malum propter vsum Sacramẽti, & hoc non: quia supponitur ex parte recipientis dispositio sufficiẽs, & ex parte dantis reuerentia debita, subestq. necessitas, quia nullus est alius, qui ministret. Vel esset malum, quia prohibitum, & hoc nõ: quia nec apparet ius diuinum talẽ dispensationem vetans: nec iura Canonica, quæ generaliter prohibent Eucharistiæ distributionẽ per laicos, hunc casũ necessitatis vel extremę, vel valdè grauis cõprehẽdere censentur, vt *n.9.* dicebamus. Ergo talis dispensatio nulla ex parte vitiatur, si caueatur scãdalum pusillorum, quando suberit.

12 Vnde soluitur 3. fundamẽtum primæ sententiæ, quod soluendum restabat. Et n. necessitas communionis, à qua potest in eo casu pendere salus morientis, si solum sit attritus, sufficiens quidem est, vt laicus ministret Eucharistiam contra ritum nõ obligantem in tali euentu, & sine præiudicio reuerentiæ debitæ. Ad confirmationem diximus *sup. ca.6. n.39.* Ecclesiam iustissima de causa vetasse, ne Missa celebretur vnquam sine vestibus sacris, & apparatu decenti: non verò sic strictè cunctis præceptis obligare: nec in præsenti datur præceptum obligans.

13 Hinc etiam fit, quod *Laym. & Diana magis exprimunt*, in absentia Pastoris, vrgente summa necessitate communionis, posse laicum, dũ non adest, qui ministret, & abest scandalum, ministrare viaticum moribundo, nimirũ ex præsumpta voluntate Pastoris vel immediati, vel saltẽ mediati. Nam hic etiã habet vim fundamentum secundæ sententiæ. Replicãt Aduersarij consuetudinem contrariã in hoc casu præualere: cum non sit rarus in oppidis habentibus vnicum Sacerdotem, vbi non rarò contingit, mori nonnullos sine viatico propter absentiam Parochi, quibus si posset Æditũus deferre viaticum, deberet vtique deferre: nec tamen à multis sæculis id factum audiuimus, nec vllus consuluit, vt fieret.

14 Respondetur, casũ non esse cũ circũstantijs requisitis adeo frequentẽ, vt inducere potuerit obligationẽ grauẽ. Etenim sæpe

sæpe, dum abest Parochus, abest etiã Æditiuus, qui clauẽ habet Ecclesiæ; licet adsit Æditiuus, sæpe non habet clauem custodiæ, sæpe timebit scandalum, sępius est ignarus huius opinionis: Forsan etiam alicubi factum est consulente viro docto, nõ tamen euulgatum. Quin addit *Suarez*, quãuis introducta fuisset alicubi consuetudo, cũ solam habeat vim legis humanę, non complecti casum sũmæ necessitatis.

CAP. XI. QVÆST. II.

Vtrum omnes Sacerdotes possint Eucharistiam ministrare?

15 Affirmat *Vincent. Marzil. in Memoriali pro frequenti communione*. Probat. 1. ex *Hymno Ecclesiæ, cuius officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris*. Igitur omnes sicut habent ius sumẽdi, dum celebrant, habent etiã ius distribuendi cæteris Eucharistiam. Probat. 2. quia Trid. optat, vt omnes fideles cõmunicent in omnibus Missis priuatis. Ergo supponit, omnes sacerdotes posse ministrare communionem; alioquin optaret Concilium, vt Fideles acciperent Eucharistiam ab eo, qui dare non potest.

16 Negat communis, & vera sententia, quam tenent *Henriq. cum multis l. 8. c. 55. nu. 1. Suar. disp. 72. sect. 2. Vazqu. disp. 219. c. 2.* qui referunt, & expendunt testimonia Conciliorum, & Patrum, *Laym. lib. 5. tr. 4. c 7. n. 3. Consinc. q. 82. n. 28. Fill. tr. 4. n. 259. Bonac. cum alijs disp. 4. q. 5. pun. 1. n. 6.* Probatur 1. ratione generali: nã omnis Sacramentorum administratio requirit iurisdictionem, vt licitè fiat, quod ostendimus *li. 1. ca. 2. n. 5.* Ergo quamuis omnes Sacerdotes habeãt potestatem ordinis, sicut ad cõficiendam, sic etiam ad dispensandam Eucharistiam, vlterius requirũt potestatẽ iurisdictionis, vt licitè ministrent illã, quapropter vel esse debẽt ordinarij Pastores, vel ab ordinario commissionem habere vel expressam, vel saltem præsumptam.

Probatur 2. in particulari, nam de Sacramento Eucharistiæ sic decernũt *Conc. Carth. 1. c. 7. & Milevit. c. 8.* quod Ecclesiæ praxis confirmat innixa iure naturali dictante, ne quis vsurpet ius alienũ; Et quidẽ ius est proprium Pastorũ Ecclesiæ pascere Sacramentis oues suas, & isto præcipuè, quod est cibus spiritualis animarum.

17 Ad 1. fundamentum oppositum respondetur, ibi sermonem esse de potestate ordinis, non de potestate iurisdictionis, quę pręterea requiritur. Sicut quamuis dixerit *Iacob. inducat presbyt.* requiritur ad licitè ministrandum Sacramentum Vnctionis præter Sacerdotium iurisdictio.

Ad 2. respondetur, Trid desiderium supponere terminos habiles, vt rationabile sit, nimirum vt qui Missam audiunt, non communicauerint eodem die, non comederint, vt absoluti fuerint à proprio Sacerdote, ab eodemque facultatem habeant communicandi.

18 Sufficit autem præsumpta vel interpretatiua voluntas Pastoris, aut probabilis spes consensus ab ipso pręstandi, quæ prudenter habetur iuxta præsentem praxim dum non constat contraria voluntas eiusdem. Ita *notant Doctores relati*. Si quis tamen sine licẽtia saltem præsumpta ministrat Eucharistiam alienis ouibus, grauiter peccat: Quod si non sit Sacerdos, fit irregularis; nam exercet actum Ordinis, quem non habet; Siquidem auctoritate propria dispensare Sacramẽtum illud est actus ordinis sacerdotalis. Si sit religiosus, incurrit excommunicationem latam in *Clem. Relig. de Priu.* Videatur *Fagund. Præcep. 3. li. 1. c. 5. & l. 3. c. 2.*

19 An vero deficiente Parocho, vel inique denegante viaticum indigenti, possit quiuis sacerdos illud ministrare? Negant *Nauar. c. 21. nu. 52. & c. 27. nu. 102. Sylnest. excom. 7. S. Anton. par. 3. tit. 24. c 54. Toletus li. 1. c. 36. n. 2.* Quia cum Eucharistia nõ sit Sacramentum simpliciter necessariũ, non pręsumitur voluntas Pastoris circa talem commissionem. Melius affirmãt *Suar. sup. Henriq. n. 2. Conin. n. 32. Fillinc. n. 266. Bonac. n. 10. Diana par. 5. tr. 3. resol. 47 & 51 qui citant alios*. Probatur, quia præsumitur rationabilis consensus Pastoris saltem mediati. Solent etiam Pontifices maioris claritatis gratia, quoties in priuilegijs excipiunt viaticum, declarare

talem

talem exceptionem non intelligi, quādo propter absentiam Parochi, vel ob similem causam esset necessitas. Iuuat ius naturale, quo tenemur Fidelibus subuenire, præsertim in spiritualibus, quando necessitas vrget; necessitas autem huius Sacramenti, licet non sit extrema, tamen est valdè grauis. & interdum pendet ab illo salus æterna morientis. Vnde soluitur fundamentum contrarium.

20 Hinc fit 1. non solum posse, sed etiam teneri quemlibet Sacerdotem vel secularem, vel regularem in eo casu ministrare viaticum morienti, qui non potest aliud recipere Sacramentum, ne morientem exponat periculo damnationis. Ita *Zambranus sup. cap. 3. dub. 7. n. 7. Diana ea Ref. 51.* Fit 2. in tali casu, si non adsit alius Sacerdos, posse recipi viaticum à Sacerdote, quāuis excommunicatus vitandus, vel hæreticus, secluso tamen scādalo, & iniuria Religionis. Ita *Zamb. sup. n. 2. Dian. resol. 49. Laym. lib. 5. tract. 4. c. 7.* Nam quando non potest aliud Sacramētum recipi, vel quia Sacerdos est mutus, vel quia moribundus non petijt confessionem vllo modo, summa subest necessitas; cum non ita facilè contritionem eliciant, qui dediti non sunt spiritualibus exercitijs Ergo tūc ministrandum est viaticum etiam à Ministris alias prohibitis. Consonant *Suarez disp. 72. sect. 4. fine, & Petrus de Ledesma de extr. vnct. c. 5. dub. vl.* qui colligunt ex cap. *Quod in te. de Panit. & remiss.* generalem vtiq; concessionem, vt quicunq; Sacerdos potens in articulo mortis absoluere Sacramentaliter, possit etiam ministrare viaticum; & hoc nō in fauorem talium Ministrorum, sed solum Fidelium indigentium. Sic enim censuræ latæ sunt in odium iniquorum, vt non cedant in grauissimum detrimentum bonorum.

21 Fit 3. in communione Paschali non vrgere tantam necessitatem, vt absente Parocho, possit Eucharistia recipi à quouis alio Sacerdote (nisi quis extra Parochiam peregrinetur) quippè facilè potest expectari Parochus, & interim, si quis egeat communione, poterit ex deuotione communicare, rursusq; cōmunicare postea de manu Parochi ad satisfaciendum communioni Paschali. Sic *Fillïu. sup. Suarez. sect. 2. Fagund. Precept. 3. lib. 3. ca. 1. n. 21. Card. de Lugo disp. 18. n. 53.*

CAP. XI. QVÆST. III.

Vtrum Regulares possint Eucharistiam ministrare?

22 Certum est, iure communi non posse iuxtà superius dicta *n. 16.* Quin imò Regulares Eucharistiam, vel Extremam vnctionem ministrantes sine licentia Parochi prçter casus expressos in iure, incurrunt excommunicationē ipso iure latam in Clem. *Religiosi, de Priuil. & Papæ reseruatam.* Quæ censura comprehendit 1 Religiosos, *qui præsumpserint*, non verò, qui putent ex ignorantia, sibi licere tale ministerium, 2. qui ministrant laicis, aut clericis secularibus, nō verò, qui ministrant alijs Religiosis, 3. qui ministrāt non solum per modum viatici (vt aliqui limitant) sed quomodolibet; quia verba legis generalia sunt, vt notant *Suar. to. 3. disp. 72. sect. 2. Coninch q. 82. n. 19. Fagundez Precep. 3. lib. 3. c. 2.*

23 Post prædictam Clementinā habent Regulares plurima priuilegia Pontificū, vt Eucharistiæ Sacramētum omnibus fidelibus in suis Ecclesijs excepto die Paschatis, & articulo mortis, ministrare possint, licentia Pastorum minimè requisita. Videatur *Bullar. Manuelis, & ipse Manuel to. 1. Regular. q. 76. ar. 2. Miranda to. 1. q. 42. art. 2. Portel verb. Sacramentorum administratio, n. 8.* nostrum compendium verb. *Eucharistia, Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. c. 3. Iulius 2.* sine Paschatis exceptione concessit minimis, vt in suis Ecclesijs, quoties opus fuerit, possint Eucharistiam ministrare. Verum *Suarez* cēset, per generalia verba non comprehendi communionem annuam, aut articuli mortis; quia casus tam specialis non cōprehenditur generali clausula.

24 Hinc fit 1. posse Religiosos in suis Ecclesijs saltem extra tempus præcepti

 mini-

P. Lugo de Sacramentis.

ministrare Fidelibus Eucharistiam; nam id expressè Pontifices concedunt. Ita *Suarez supra Coninch, & alii*. Fit 2. posse Sacerdotes seculares in Ecclesijs Regularium Eucharistiam ministrare quibuscunque personis de licentia Regularium. Ita *Coninch, numero 31. Manuel artic. 3. Miranda, artic. 4. Ioannes de Cruce in Epitome lib. 2. cap. 5. dub. 3. Henriquez lib. 8. cap. 55. numero 1. lit. C.* Compendium nostrum *verb. Eucharistia, numero 4.* Addunt *Manuel, & Henriquez*, sufficere licentiam Æditui; & hoc etiam licere tempore interdicti, si seculares habeant facultatem communicandi tali tempore.

25 Fit 3. posse Religiosos vel prædicto priuilegio etiam in alienis Ecclesijs, dum ibi concionantur. Sic enim Societati Iesu concessit *Paulus 3. Bulla 5.* & notat *Henriquez sup.* Quin etiam *Ioan de Cruce sup. cap. 6. dub. 5.* simpliciter asserit, posse Religiosos etiam extra suos Conuentus Eucharistiam ministrare. Quia secundum Abbatem in cap. *Tuam, & in cap. cum Capella, de Priuil.* quando datur exceptio ratione personæ, comitatur personam; & priuilegia concessa Regularibus ad Sacramenta ministranda non dantur ratione loci, sed ratione personæ. Confirmat; quia *Pius 4. Bulla 3. & Pius 5. Bulla 7.* concedunt Religiosis, possint vbilibet etiam extra conuentum ministrare fidelibus Pœnitentiam, & Eucharistiam. At expedit (inquit *Henriquez*) in aliena Ecclesia non fieri sine licentia Parochi, quod nobis præscribit N. P. Claudius in nostro compendio, *verb. Eucharistia, post §. secundum.*

26 Iam dubitatur 1. Quid per Pascha, siue per diem Paschatis intelligendum sit in prædictis priuilegijs? Prima sententia docet, intelligi diem Paschatis materialiter, in illo non possint Regulares Eucharistiam ministrare secularibus, siue communicent ad præceptum implendum, siue solum ex deuotione. Sic censent *Nauarrus cap. 21. numero 52. Henriquez lib. 8. cap. 55. numero 1. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 41. quæst. 7.* Probatur; quia, licet *Nicolaus 5.* exceperit festum Resurrectionis, vbi totum tempus Paschale videtur includi, tamen *Sixtus 4. & Leo 10.* diem Resurrectionis dumtaxat excipiunt, & generaliter loquuntur de communione talis diei. Consonat *P. Claudius in nostro comp. verb. Eucharistia, num. 2.* cum annotatione. *Fauent declarationes super Trid. sess. 13. can. 9.*

Secunda sententia communior, & probabilior asserit, mentem Pontificum fuisse communionem Paschalem excipere non materialiter, sed formaliter, idest illam, qua præcepto satisfiat, quandocunq; fiat. Ita *Suar. to. 3. disp. 72. sect. 2. & de Relig. to. 4. trac. 10. lib. 9. cap. 3. Coninch, q. 82. n. 31. Vazq. 3. p. disp. 219. c. 4. Bonac. disp. 4. q. 5. punct. 1. n. 12. Manuel to. 1. Regul. q. 56. art. 3. Layman lib. 5. trac. 4. c. 7. n. 4.* & alij communiter. Probatur; quia cum hæc exceptio facta sit in fauorem Parochorum, sine dubio respexit præceptum annuæ communionis, cui volunt Pontifices in Parochia satisfieri, non alibi. Confirmatur; nam alias sequeretur, eum, qui Dominica Palmarum in Ecclesijs Regularium communicauit, impleuisse præceptum nec teneri die Paschatis in Parochia communicare, si nolit eo die communionem accipere, quod aduersarij non admittent. Sequeretur etiam, eum, qui die Iouis communicauit in Parochia, si velit in Pascha rursus communicare, debere Parochiam adire, vel communionem omittere, quod est durum, & contra praxim. Nec attendendus est materialis sonus verborum, sed intentio Pontificum. Hanc sententiam sequuntur nostræ *constitutiones p. 7. c. 4. lit. D.* ex illaq; colligunt, posse die Paschatis in nostris Ecclesijs illos communicare, qui iam suis Parochijs satisfecerint.

28 Dubitatur 2. An etiam in Paschate possint Regulares ministrare Fidelibus Eucharistiam ad præceptum annuæ communionis implendum? Affirmat prima sententia, quam tenent *Manuel supra Bria in respons. part. 4. casu 4. Ioannes de Cruce lib. 2. cap. 5. dub. 4. Hieron. Rodriguez in comp. resol. 127. num. 3. Serbus in comp. Priuilegiorum, verb. communicare.*

Diana

Diana p.2. tr.14. reſol.73. Probabilem reputat Fagundez lib.1.c.5. n.16. Precept.3. qui n.13 dicit, ita fuiſſe iudicatum in luſitania contra Parochum expoſtulantem cum Minoribus de hac re. Probatur; nã, vt habetur in *comp.Priuil. S.Hieronymi*, *§.2.& 6. Nicolaus 5. anno 1458. conceſſit, quod deputati, vel pro tempore deputandi confeſſores in Monaſterio. B. Mariæ de Guadalupe Sacramentum Euchariſtiæ quibuſcunque perſonis ad prædictum Monaſterium confluentibus, etiam in die Paſchatis miniſtrare liberè, & licitè poſſint; Diœceſanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requiſita*. Quod confirmauit Paulus 3. Et vt teſtatur Antonius Cardin. viuæ vocis oraculo declarauit; *quod ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, non obſtantibus contrarijs quibuſcunq;*. Hanc autem, & alias conceſſiones vni Monaſterio *S.Hieronymi factas Pius 4. per Bullã*, quam expediuit Pius 5. fecit communes omnibus eiuſdem ordinis Monaſterijs, vt aſſerit *Manuel ſup.* Qua propter alijs etiã ordinibus communicari cenſentur.

29 Hinc inferunt *Manuel, & Ioannes de Cruce*, poſſe Regulares in articulo mortis miniſtrari viaticum; nam conceſſio communionis Paſchalis ad omnem obligatoriam extendenda videtur. Addit *Manuel ea q.56. art.6.* Peregrinos, & aduenas, & vagamundos iuxta ſententiam iſtam poſſe recipere à Regularibus communionem Paſchalem, per quam ſatisfaciant præcepto.

30 Independenter ab iſto priuilegio loqui videntur noſtræ *conſtit.p.7. c.4. lit. D.* quatenus aſſerunt, ad implendum præceptum communionis Paſchalis poſſe à noſtris communicari tam illos, qui facultatem haberent, quam peregrinos, & reliquos, quos ius excipit. *Henriq.li.8. c.55. n.1. lit.G. & Fagund.Præcep.3. lib.1. c.5. n. 10.* dicunt, peregrinos, & vagabundos, qui nullam habẽt Parochiam propriam, poſſe recipere communionem à Regularibus etiam ad præceptum implendum; nã in his ceſſat ratio prohibitionis, nimirum vt Paſtor cognoſcat ſuas oues, & oues cognoſcant ſuum Paſtorem; hi vero cum non habeant Parochiam ſtabilem, non cenſentur habere Parochum propriũ, quem recognoſcere teneantur.

31 Secunda ſententia negat, quãm tenent *Suar. de Relig. tom.4. trac.10. li. 9. c.3. num.6. & 8. Portel in dubijs tom.1. verb. Sacramentorum adminiſtratio. num. 5. Villalobos tom.1. tr.7. diffic 47. nu.4. Nuñus 3.p. qu.83. art.4. concl.5. Bonac. de Sacr. diſp.4. q.5. punc.1. nu.12. Fagund. ſup. nu.16. & alij communiter*. Probatur 1. nam *declaratio Cardin. 4.p. fol.* 151 cenſet, ſeculares etiam in Regularium monaſterijs ſeruientes nõ ſatisfacere huic præcepto, niſi communicent in ſua Parochia: *Farinac. ſuper Trid. ſeſ.13. can.9.* refert, *declaraſſe Cardinales anno 1586. die 23. Ianuarij*, communicãtes de manu Regularium tempore Paſchali non ſatisfacere præcepto, quod equidem obligat, vt omnis Fidelis à proprio Parocho recipiat communionem annuam.

Probatur 2. quia Pontifices ſæpè declararunt, mẽtem eſſe ſuam, vt ius Parochorum quoad communionem obligatoriã ſeruetur illæſum. Quapropter illa conceſſionis extenſio tam ampla per duplicem cõmunicationem generalem ſ. ad omnia Monaſteria talis ordinis, & poſtmodũ ad omnes Religiones in tãtum præiudicium Parochorum aliena prorſus videtur ab intentione Pontificũ; ac eſſe talis, vt ſub generali clauſula communicationum comprehendẽda non ſit ob ſpecialem rei difficultatem. Vnde prudenter ortum eſt, vt aliæ Religiones non auſæ fuerint vti tali priuilegio; nec conſtat, reliqua Monaſteria S.Hieronymi eodem vti, niſi pro ſuis familiaribus, aut alijs ita ſibi coniunctis, vt difficile poſſint in Parochia forſan diſtante communicare.

32 Suppono 1. poſſe Regulares miniſtrare communionem etiam obligatoriam ſuis familiaribus, vt dixi *ſup. cap.10. nu.13.* Suppono 2. poſſe pariter aliis ſecularibus miniſtrare talem communionem, ſi prudenter præſumitur voluntas Paſtoris, vt ibi dixi *nu.10.* Suppono 3. Regulares, qui ſunt Parochi, poſſe miniſtrare ſuis ouibus Euchariſtiam ad præceptum implendum, ſicut alios Parochos, vt eſt notum, & no-

tat *Fagundez sup. n.* 12. Suppono 4. posse Regulares ministrare communionẽ Paschalem sæcularibus ad præceptum implendum, si necessitas vrgeat; hanc enim limitationem adhibet *Paulus* 3. quando communionem obligatoriam excipit à priuilegio concesso societati Iesu. Censebitur autem vrgere necessitas, quoties aliquis est impotens ad communicandum in sua Parochia, & ad petendam facultatem à suo Parocho; tunc enim non potest iste præceptum implere, nisi communionem accipiat ab alio Sacerdote sæculari, vel Regulari. Debebit autem in eo casu Fidelis satisfacere postea sub Parocho, qui, si de necessitate, quæ occurrit, & de communione recepta sufficiens acceperit testimonium, non poterit cogere subditum ad iterum communicandum. Ita *Suar. sup. num.* 8.

33 His suppositis censeo; primam sententiam, & si forsan probabilis sit speculatiuè, nõ posse prudenter ad praxim deduci propter maximã offensionẽ Pastorũ Ecclesiæ, quæ communiter inde sequeretur. Ita fatentur ipsiusmet Authores. Manuel illo art. 3. sic inquit: *licet supradicta sint verb. Religiosi tamen non debent publicare, se habere licentiam generalem ad communicandum Fideles in die paschatis: Cum curati hoc ægrè ferant, & Episcopi maximè contradicant. Debent igitur dictis priuilegiis vti non passim, sed prudenter, & cautè.* Idem asserit *Hieron. Rod. supra Diana* quoq; sic ait. *Ex dictis remanet satis probabilis ista sententia, sed ego consulerem, vt Regulares in tali casu faueant parochis, & talem sententiam in praxim non deducant.* *Fagundez* postquam asseruit, vtramq; sententiam esse probabilem, addit, standum esse sententiæ neganti; nec fundamenta contrariæ, nec Authores illius tantum habere roboris, vt illos possimus securè sequi.

34 Itaq; proferenda est secunda sententia, & in praxi tenenda prorsus. Ideò Sostrum compendium nullam illius priuilegij mentionem fecit; imò Regula 27. Sacerdotum iubetur confessarius nostræ societatis, vt moneat pœnitentes suos tẽpore Paschali debere semel in sua Parochia communicare. Iuxta sententiam istam dicit *Manuel tom. 1. q. 56. art. 6.* peregrinos, & aduenas non posse communionem Paschalem à Regularib. accipere, sed à Parochis locorum, vbi tali tempore reperiuntur, iuxta *constitut Eugenii* 4. Consonat 4. *Alex. Peregrin. in scholiis ad priuilegia Theatinor. p.* 1 *tit. communicare* §. 1. Et quidem quoad vagabundos, qui nullibi fixum habent domiciliũ, videtur hoc certum; cum enim non habeant alium proprium Pastorem, verè subditi sunt illi Parocho, in cuius Parochia tali tempore commorantur, & per consequens ibi debent implere præceptum: Nam ibi censentur habere domicilium eo modo, quo sunt illius capaces. Ita notat *Suar. eo n.* 8.

35 Peregrinos verò, qui fixum domicilium habent alibi, propriumq; Parochũ, cui postea satisfacere tenẽtur, probabile reputat *Suar. nu.* 9. posse recipere cõmunionem ab illis, qui possunt alijs tẽporib. Eucharistiam administrare. Quippe propter excusationem illud tempus tãquam liberum reputatur; Consonat *Zambrano c. 3. dub. 7. n.* 5. Verum *cum Eugenius 4. declarauerit* (vt testantur *Manuel, & Suar. sup.*) peregrinantem, qui fuerit in aliena Parochia tempore Paschatis, illius incolam censeri, quoad receptionẽ Sacramẽtorum; iam isti Parochum habent, à quo tunc debeant recipere cõmunionem, & non ab alio, quod probabilius reputat *Suar. n.* 10. Verum *Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 23. n.* 7. dicit, *Eugen.* id concessisse in fauorem peregrinorũ ad tollendos scrupulos, nec illos obligasse, vt talibus Parochis subijcerentur; citat *Manuel. & Henriqu.* qui certè non id sentiunt; sequuntur autem istas doctrinam *Fagund. Precept.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 5. *Tamburin.*, *& Portel*, quos sequitur *Diana p. 3. tr. 2. res.* 22. Aliis vero talis sententia non arridet, sed sentiunt *cum Suario*.

Quia tamen Parochi talis loci non solent multum curare de peregrinis, seu vagabundis, præsertim si citò discessuri sint, facilè præsumi potest Parochi con-

cōsensus, vt aduenæ, seu viatores recipiāt communionē, à quo maluerint; & ita poterunt Regulares his ministrare communionem Paschalem ex hac prudenti præsumptione. Quod videtur amplecti nostra societas: Siquidem *7.p.cōst.c.4.lit. D.* admittit peregrinos in nostris Ecclesijs ad communionem Paschalem. Ego tamen attenderem consuetudinem loci; nam hæc post tacitum consensū Pastorū indicare, si peregrinorum communionē non curent. Si verò designent specialem Parochiam pro peregrinis (vt designari solet Ecclesia Cathedralis) videntur Pastores ipsorum cōmunionem ibi postulare. Fundamentum primæ sententiæ soluitur ex dictis *n.31*. Adde, priuilegium illud videri concessum, non tam in fauorē Regulariū, quā peregrinātiū ad illū tēplū B.Virg., ac proindè non comprehēdi sub generali communicatione priuilegiorū.

CAP. XI. QVÆST. IV.

Vtrum qui Bullam habet Cruciatæ, possit Eucharistiam à quolibet Sacerdote recipere?

36 Affirmat prima sententia, quā tenēt *Vazq.3.p.disp.219.c.5.n.47. & Diana p.1.tr.11.ref.20.* Probatur ex illis Bullæ verbis, vbi conceditur, *vt possit Eucharistiam, & alia Sacramēta, præterquam in die Paschatis recipere*, quæ concessio non videtur ad tempus interdicti restringi; nam in Hispana Bulla dicitur. *Que puedan recebir el Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (saluo el dia de Pascua) aunque sea en tiempo de Entredicho*. Quæ verba non restringunt concessionem ad tempus interdicti, sed potius ampliant, vt quouis tempore possit eligi Minister, à quo sine consensu Parochi recipiatur Eucharistia, quamuis sit tempus interdicti, præterquam in die Paschatis.

Vnde confirmatur hęc sententia: Quia, si concessio non esset eligendi Ministrū, frustra fieret exceptio diei Paschatis, siquidem tempore interdicti, si quis etiam in Oratorio priuato recipiat Eucharistiam à Parocho, vel cum eius licentia die Paschatis, sine dubio satisfacit præcepto communionis. Igitur hæc concessio præscindit à licentia Parochi, & ideò cōmunionem Paschalem excepit, sicut etiam excipitur in priuilegijs Regularium. Hanc doctrinam extendunt etiam ad Extremam vnctionem.

37 Secunda sententia probabilior negat, virtute Bullæ posse recipi cōmunionē à quolibet Sacerdote sine cōsensu Parochi saltem præsumpto. Sic docent *Suarez 3.p.to.3.disp.72.sec.2. Manuel in Bulla p.1. Addit.ad §.5.n.31. Car. de Lugo de Euch. disp.18.n.45. Quint. anad. to.1 tr.5. sing.3.n.2. Nuñus 3.p.q.82.a.3. qui contrariam vocat improbabilē*. Probatur ex ipsis Bullæ verbis, quibus conceditur facultas *tempore interdicti celebrandi, vel audiendi sacrum simul cum suis familiaribus in Ecclesijs, monasterijs, vel Oratorijs priuatis ab ordinario designatis, et visitatis, et accipiendi Eucharistiam, et alia Sacramenta, dum tamen ipsi interdicto causam non dederint*. Vbi satis apparet, solum dari priuilegium quoad circumstantiam interdicti, non quoad circumstantiam Ministri.

38 Declaratur in particulari; Nam imprimis ibi non conceditur simpliciter facultas celebrandi, vel faciendi celebrare in oratorio priuato, sed solū id faciendi tempore interdicti, supposita videlicet aliundè facultate legitima talis Oratorij. Quod constat ex praxi; nam postquam Paulus 5. prohibuit, ne concederent ordinarij facultatem celebrandi Missam in oratorijs domesticis, adhuc in Bulla ponuntur prædicta verba, nec tamen vllus, & si Bullam habeat, vtitur oratorio priuato sine facultate summi Pontificis. Deindè quoad cętera Sacramenta quæ concedit ibi, scilicet Pęnitentiam, & extremā vnctionem, certum videtur, non dari facultatem eligendi Ministrum, à quo Sacramentaliter absoluatur, cum non requirat approbationem ordinarij, quam expresse requirit infra, dum talem electionem concedit.

Similiter praxis ostēdit, quamuis quis habeat Bullam, non posse citrà necessitatem recipere Sacramentum vnctionis, nisi à suo Parocho, vel de ipsius expresso consensu. Constat igitur, facultatem ibi non concedi circa Ministrum, sed circa tempus interdicti; nimirum vt concedatur ibi solum facultas recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis (scilicet a legitimis Ministris) non obstante interdicto locali.

39 Ad fundamentum oppositum respondetur, hæc esse verba Bullæ Hispanę. *Que puedan aun en tiempo de Entredicho oir Missa en las yglesias, y Monasterios; o en Oratorio particular señalado, y visitado por el Ordinario dezir Missa, y otros diuinos officios por sus personas, si fueren Presbyteros, o hazerlos celebrar a otros en su presencia, y de sus familiares, y parientes; y recebir el S. Sacr. de la Eucharistia, y los demas Sacramentos, saluo en el dia de la Pascua, conque ellos no ayan dado causa al tal Entredicho.* In quibus verbis illa priora, *a vn en tiempo de Entredicho*, non significant dari talem facultatem pro diebus alijs, & ad interdicti tempus extendi, sed solum dari pro tempore interdicti; Sicut si diceretur, concedimus, vt etiam diebus festis in tali opere laboretis, non est sensus, quod detur quoq; facultas pro diebus alijs, sed quod detur pro festis non obstante prohibitione.

40 Ad confirmationem respondetur, excipi diem Paschæ, nam in alijs diebus recipere possunt Eucharistiam à Regularibus, vt vidimus *q.3.n.23.* possunt etiam à Sacerdotibus secularibus cū præsumpta facultate Pastoris, quæ communiter habetur, vt diximus, *q.2. n.18.* At in die Paschatis, siue formaliter pro communione Paschali requiritur expressus consensus Pastoris, vt habens Bullam accipiat à Regulari, vel sęculari Sacerdote talem communionem etiam tempore interdicti.

41 De obligatione Ministrorum circa dispensationem Eucharistiæ, nimirum quis, & quando, & quanto discrimine; Quibus etiam debeant illam ministrare, vel denegare: diximus *lib.1.c.2. & 6.*

CAP. XI. QVÆST. V.

Vtrum aliquis aliquando possit communicare se ipsum?

42 Non loquimur de Sacerdote celebrante, qui nō solum potest, sed debet cōmunicare se ipsum, vt sacrificium sumat. Idē est de Sacerdote faciēte sacrum officiū in Parasceue iuxtà ritū Ecclesiæ; nam licet tunc non consecret, verè perficit sacrificium diei præcedētis; quapropter illa non est cōmunio propriè laica, sed potius Sacerdotalis, vt bene notat *Cardin. de Lugo disp.18. num. 29.* loquimur itaq; de communione laica, quæ fit extra Missam. Et conueniunt Doctores 1. extra casum necessitatis regulariter non licere; quoniam Ecclesiæ consuetudo præscribit, vt qui non celebrans communicat, de manu alterius Sacerdotis Eucharistiam accipiat. Ita *Suar. to.3. disp.72. sect.3. Filliuc. tr.4. n.285. Coninch. q.82. n.24.* Tunc enim, etiamsi sit Sacerdos, gerit personam ouis, & subindè debet a suo Pastore, vel de ipsius licentia recipere pabulum istud.

43 Conueniunt 2. non extare ius vllum quod necessario requirat distinctionem inter ministrantem, & recipientem hoc Sacramentum. Patet, quia nec scriptum legitur, nec ex consuetudine colligitur, cum olim Fideles communicarent se ipsos. Imò cum hoc Sacramentum institutū sit per modū cibi, videtur eius institutioni consonum, vt sicut cibus à manducante sumitur, sic Eucharistia sumeretur ab ipso cōmunicante. Cęterum ex vi iuris dispensandi, quod non omnes habēt, oritur cōmunis necessitas distinctionis inter dantem, & accipientem. Cum enim sumere sit dispensare, qui non habet ius Eucharistiam dispensandi, non potest sibi sumere. Quare nullus non Sacerdos, vel non habens facultatem ministrandi potest regulariter cōmunicare se ipsum: Sacerdotes vero, cum more laicorum com-

communicant vel in morbo, vel in alterius Sacerdotis Missa, moraliter necessarium est, vt ab alio recipiant communionē, & inde consuetudo manauit recipiendi regulariter Eucharistiam ab alio.

44 Conueniunt 3. posse Sacerdotem in necessitate communicare se ipsum, vt si iaceret moribundus, & posset ex sacrario consecratam hostiam sibi sumere, nec adesset alius, qui posset illam ministrare. *Sic Suarez, & Fillinciusſupra Coninch, n.25. Zambranus cap.3.dub.6.nu.6. Caietanus in summa verb. communionis minister Villalobos to.1.tract.7.diffic.48. Vazquez 3.pa.disp.219.n.17. Fagund. Præcep. 3.lib.3.ca.3.n.7.* Rationem reddunt; quia Sacerdos est proprius Minister huius Sacramenti, nec in illo casu prohibetur vllo iure sibimet ministrare: Sicut ergo potest cuiuis alteri similiter indigenti, poterit sibimet Eucharistiam ministrare.

45 Verum hoc eget expositione; cum enim communio sacerdotis extra Missā laica sit, & ita vocetur in Concilijs, debet ad illam considerari sacerdos, ac si esset laicus; nec sacerdotium præcisè dat illi iurisdictionem necessariam ad Eucharistiā ministrandam sibi vel alijs, vt ostendimus *supr. nu.16.* Quare sacerdos extra Missam non minus dependet à suo Pastore quoad Eucharistiæ receptionem, quàm alij Fideles, ac proindè nō potest, nisi de manu, vel licentia Pastoris communicare. Quod indicat *Clement. Religiosi. de Priuilegijs*, vbi puniuntur Religiosi, qui sine Parochi consensu, *Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare præsumpserint.* Generalis quippè locutio clericos omnes comprehendit.

46 Adde, quamuis sufficiat præsumpta voluntas Parochi, vt sacerdos ex delegata iurisdictione ministret Eucharistiam alijs, vt diximus *sup. num.18.* at respectu sui non potest propriè iurisdictionem accipere; Potest tamen ex facultate sui Pastoris, vt instrumētum ipsius sumere sibimet Eucharistiam, vt rectè notat *Cardinal. de Lugo sup. nu.32.* Iam ergo dicimus, adesse talem facultatem, vt sacerdotes aliquando semetipsos communicent. Nam in *Concil. Nicano.1.can.14. iubentur Diaconi accipere secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero Sac. communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Cum autem omnes sacerdotes Diaconi sint; iam hinc habent facultatem, vt in absentia sacerdotis, qui ministrare possit, & velit possint communicare seipsos.

47 Iam sit dubium 1. An extra casum necessitatis extendatur hæc facultas? Negāt *Caiet. Filliuc. & Villal. sup.* Quia non præsumitur concessa, nisi pro mortis articulo, ne sacerdos, vel Diaconus sine viatico decedat, quando non potest illud ab alio recipere. Melius affirmant *Suar. Vazqu. Fagund. sup. Laym. lib.5.tr.4.cap.7.n.4. Manuel, Viualdus, Possevin., & alij*, quos sequitur *Bonac. disp.4.q.5.punc.1.n.13. Sylvius, & Homobonus*, quos sequitur *Diana part. 2.tr.14. Resol.53. & par.3.tract.4. Resol.47.* dum non sit alius sacerdos, à quo recipi possit, nec sequatur scandalum, quod facilè vitari potest, si sacerdos id secreto faciat, vel moneat astantes, id sibi licere vel ratione festi solemnis, vel solius deuotionis. Probatur ex illo *Canone Conc. Nicæni*, qui non est reuocatus, & absolutè concedit facultatem sine restrictione ad articulum mortis vel ad similem necessitatem.

48 Quare pariter Diaconus in absentia sacerdotis poterit cōmunicare seipsum, non solum in articulo mortis, ne sine viatico decedat, vt asserunt *Bonacin. sup. Coninch. n.26. Sà verb. Eucharistia. nu.32.* Sed etiam extra talem articulum, vt notat *Vazquez.* Nam ille canon Diaconis concedit facultatem communicandi seipsos, nec illam limitat ad mortis articulum; secluso tamen scandalo iuxta præscriptum iuris naturalis; & supposita necessitate, quæ sufficiat, vt Diaconus in absentia Parochi possit Eucharistiam ministrare, raroque continget, vt dixi *numer.7.*

49 Sit dubium 2. An præsente Diacono possit Sacerdos communicare se ipsum? Negant *Vazquez, et Fagundez sup.* quia

cum in eo caſu Diaconus ſit legitimus Miniſter, & Sacerdos communicet, vt laicus, debet Euchariſtiam de manu Diaconi recipere. Per oppoſitum *Durandus in 4.diſt.13.quæſt.4.num.7.*docet, ſi Sacerdos ægrotet, & non adſit niſi Diaconus, qui Sacramentum deferat, debere Sacerdotem proprijs manibus communicare ſe ipſum. Nam in præſentia Sacerdotis non poteſt Diaconus Euchariſtiam miniſtrare, quod ſequuntur *Suarez,& Fillincius ſup.*

Ego cenſeo cum *Præpoſito 3.p.q.82.ar.3.dub.1. num.11. Ochagauia tract.3. de Euchar. q.4. num. 6.* poſſe Diaconum Sacerdoti moribũdo proprijs manibus Euchariſtiam miniſtrare. Quoniam in eo caſu verè Miniſter eſt ſufficiẽs, vt dixi *n.7.* & præſentia Sacerdotis volentis Euchariſtiam miniſtrare impedit Diaconũ reſpectu aliorum, non reſpectu ipſiuſmet Sacerdotis communicaturi. Congruum etiam eſt, vt Sacerdos moribundus, dum communicat more laicorum, de manu Diaconi communionem accipiat; nec proprijs manibus, quæ ſolent ex morbo debiles eſſe, vel immundæ, ſacram hoſtiam contrectet. Quando vero Sacerdos ſanus communicare vult ex deuotione, nec adeſt alius Sacerdos, ſed Diaconus, melius faciet, ſi de manu Diaconi recipiat communionem; nam hoc eſt magis conforme praxi communi. Verum non video, cur ad id obligandus ſit, cum canon Concilij Nicæni ſolam abſentiam Presbyteri requirat. Similiter Diaconus, de quo canon ille loquitur, dum adeſt alius Diaconus, melius faciet, ſi recipiat ab illo communionem; quamuis poſſit ipſe communicare ſe ipſum.

50 Sit dubium 3: An laici, vel Clerici Diacono inferiores poſſint aliquãdo cõmunicare ſeipſos; Prima ſentẽtia negat, quam tenent *Præpoſitus ſup. Ochagauia n.7. Vazquez num.18. Zambranus num. 6. Hurtado de Euch.diſp.11. diffic.3. Tannerus tom.4.diſp.5.q.8.dub.8. n.182. Sylueſter, Henriquez, Armilla, Tabienna, Ledeſma, Sotus, Catherinus,* quos ſequitur *Fagund.ſup.n.8. Sà, Victoria, Poſſeuinus, Chamerota, Vinaldus,* quos ſequitur *Bonacina ſup.num.6.* Probatur 1. *ex cap. Præſente, diſt.93.* vbi cum in caſu neceſſitatis ſoli Diacono concedatur facultas Euchariſtiam miniſtrandi; videtur etiam in eo caſu cęteris denegari. Probatur 2. quia neceſſitas Euchariſtiæ non eſt tanta, vt laicus, aut Clericus inferior Diacono poſſit in articulo mortis Euchariſtiam ſibi ſumere, non ſeruato communi ritu Eccleſiæ.

51 Probatur 3. quia nemo poteſt Euchariſtiam ſibi ſumere, niſi de voluntate ſaltem præſumpta Paſtoris, vel Eccleſiæ. Sed hæc volũtas nec habetur expreſsè, vt conſtat; nec poteſt prudenter præſumi, cum nunquam vel minimum indicium dederint talis voluntatis, vel laudando, vel approbando factum, vel oſtendendo propenſionem, vt fiat, ſicut illam oſtẽdit circa communionem moribundi non ieiuni. Non ergo poteſt laicus ſibi ſumere viaticum. Confirmatur; quia conſuetudo tot ſeculorum arguit, id non licere; quãuis enim caſus rarus ſit, aliquando vero contingit, vt abſente Sacerdote quiſpiam vel infectus peſte, vel in periculo mortis conſtitutus ob imminens prælium, aut hoſtium incurſionem, vel ſimile diſcrimen, Euchariſtiam accipere poſſit è ſacrario; quod tamen in tot ſeculis neſcimus factum fuiſſe.

52 Secunda ſententia per oppoſitum affirmat. Ita *Caietanus Matth.26. Suarez to.3.diſp.72.ſect.3. Valentia to 4.diſp.6.q.10.punct.1. Fillиuc.tr.4.n.285. Granado, 3.p.contrоu.6.tr.12.diſp.1.n.4. Layman l.5. tract.4.cap.7.n.4. Mercerus q.82.a.3.n.3. Chapeauilla de Euch.q.6. Diana p.3.tr.4. reſol.47. & p.5.tract.3. reſol.47. & p.8.tr.1.reſol.48. vbi me citat, et alios; Inclinat Reginaldus lib.29.nu.93.* Probabilem eſſe dicunt *Coninch, q.82.n.27. Cardin. de Lugo, diſp.18.num.23.* Probatur; quia nullo iure diuino prohibetur; Canonicum autem in *c. Peruenit de cõſec.diſt.2.* loquitur extra neceſſitatem, in cap. *Præſente, diſt.93.* non ſolam neceſſitatem grauiſſimam, ſed quamlibet moralem ſufficere decernit, vt Diaconus à Paſtore iuſſus

mini-

ministret Eucharistiam, vt diximus *num. 6.* Ergo non est, cur laicus nequeat communicare se ipsum, quoties in articulo mortis vrget præceptum diuinum communionis; & salus eius æterna forsan à communione pendet, si sit solum attritus, & nequeat aliud Sacramentum recipere. Fauet exemplum Reginæ Scotiæ, quę martyrium subitura prius Eucharistiam, quàm apud se habebat, proprijs manibus sumpsit cum omnium laude; quamuis enim forsan habuerit Pontificis priuilegium, sine illo tamen piè, sanctèq; fecisset, vt inquit *Suar. sup.*

53 Dico 1. Certum est, ad euitandam irreuerentiam Eucharistiæ, quæ sit alioquin calcanda, vel comburenda, posse laicum, vel etiam fœminā accipere proprijs manibus Eucharistiam; quia tunc prę ualet prę ceptum vitandi tanti Sacramenti contemptum, & opprobrium. Ita *Cardin. de Lugo sup. nu. 25. & Nos cap. 6. n. 16. & ca. 7. n. 65.* diximus cum alijs Doctoribus, ob eandem causam posse laicū etiam non ieiunum, & in peccato sumere Dominicum corpus, & sanguinem. At quoad solam rationem sumendi viaticū. Dico 2. Prima sententia communior est, verum secunda sufficientem habet probabilitatem, vt tutò possit in praxim reduci consequenter ad ea, quæ *supr. tradidimus nu. 11. et seqq.* Vnde fundamenta primæ sententiæ solui possunt.

54 Ad primum diximus *num. praecedenti.* Ad secundum respondetur, summam esse posse necessitatem viatici, à quo pēdeat æterna salus. Ad tertium subindè dicimus, prę sumi prudenter voluntatem Pastoris, vel immediati, vel saltem mediati; Cum autem id rarissimè contingat, non est mirum, si nec Ecclesia, nec Pastores factum approbent, vel improbent. Et quidem Authores factum Reginæ Scotiæ satis approbant, & commendant, & quodlibet simile pariter commendarent: nec ideo carpuntur ab Ecclesia, nec carperentur, qui sub debitis circumstantijs, scandalo secluso moribundi communicarent seipsos.

Ad confirmationem respōdetur, sicut in simili diximus *supr. num. 13.* rarissimè futurum, vt aliquis laicus huius doctrinæ gnarus sit, & in articulo, vel periculo mortis constitutus, ritèque dispositus ad communionem habeat promptam Eucharistiam, quàm sumat, & nullus adsit, qui ritè ministret; Forsan interdum contigit, & quod in Scotiæ Regina propter eius dignitatem notum, & euulgatum fuit, in alijs minoris notæ vel non innotuit, vel non euulgatur. Nec consuetudo negatiua prę ualere potest contra tātum antidotum tantæ necessitatis.

CAPVT XII.

De ritu Communionis.

1 
QVa corporis dispositione, compositione, ac externa circumspectione debeant communicare Fideles, diximus *supra ca. 7. num. 2. & 3.* & 4. Quo tempore, ac loco, diximus *c. 9. q. 4. dub. 5.* Quam frequenter, diximus *ibi dub. 6. et q. 5.* Iam vero sit.

CAP. XII. QVÆST. I.

An laici debeant, vel possint sub vtraque specie communicare?

2 VTrumque volunt Hæretici, quoniam vtraq; species pertinet ad integritatem, & perfectionē Sacramenti: Vtraq; videtur sub illo præcepto comprehendi. *Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22.* Vnde quidam etiam Catholici putant, initio latum fuisse prę ceptum à Christo communicandi sub vtraq; specie, durasseq; per aliquod tempus, sed iam Ecclesiam vel declarasse, cessauisse præceptum, vel in illo iustis de causis dispensasse. Sic *Claudius de Saintes Repetit. 10. cap. 4.* Probatur primò. Nam scripturæ verba, quib. probauimus

cap.

cap.9.q.1. neceſſitatem Euchariſtiæ, pariter probare videntur neceſſitatē ſumendi vtramque ſpeciem; ſiquidem de vtraque dixit Chriſtus *Ioan.6. Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo vel concedendum eſt præceptum vtriuſque ſpeciei, vel negandum eſt præceptum communicandi.

Probatur ſecundò. Nam vt vidimus *cap.8.num.*18.& 33. hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, ſeu nutrimenti, vt intelligeremus, eſſe neceſſarium ad conſeruandam vitam ſpiritualem, ſicut corporale nutrimentum ad vitam materialem; Sed ad conſeruandam vitam materialem non minus neceſſarius eſt potus, quàm cibus, & vterque ſimul requiritur. Ergo ſimiliter ad conſeruandam vitam ſpiritualem vtraque ſimul ſpecies requiritur, nec ſufficit vna ſine altera.

3. Suppono primò. Celebrantem debere ſemper vtramque ſpeciem ſumere propter integritatem ſacrificij. Sic *Sanctus Thom.3.par.quæſt.*80.*art.*12.*& communiter Doctores*. Vt videbimus *libro* 5. *cap.2.quæſ.4.*

Suppono ſecundò. Communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe per ſe malam, nec iure diuino prohibitam. Quippè non eſt contra præceptum naturale; Cum Euchariſtiæ inſtitutione ſuppoſita, vtriuſque ſpeciei ſumptio ſit actio ſacra, quę fieri poſſit reuerenter; nec contra diuinum pręceptum inductus olim fuiſſet vſus Eccleſiæ, quo frequenter populus ſpeciem vtramque ſumebat, vt conſtat *ex cap.Sacerdotes.*1.*quæſ.*1. latèque probant *Suarez tom.*3. *diſputat.*71.*ſectio.*1. *Fillinc.tract.*4. *num.*200. *Fagundez Præcept.*3. *libro tertio capite quarto cum alijs.*

4 Dico primò. Non eſt per ſe malum, nec iure diuino vetitum vnam ſpeciem accipere ſine altera. Sic *Bellarminus de Euchariſt. libro quarto capite* 20. *& ſequentibus. Suarez, & Fagundez ſupr.* Probatur quoad ius naturale. Nam res contenta tota ſubeſt ſingulis ſpeciebus; ſignificatio quoque ſcil. vnio membrorum cum Chriſto, vel inter ſe ſufficiēter repræſentatur per vnicam ſpeciem; demum effectus integer confertur ſaltē quoad ſubſtantiam per ſingulas ſpecies. Ergo non eſt contra ius naturale ſumere dumtaxat vnam.

Quod autem non ſit contra ius diuinum. Probatur, quia Chriſtus Dominus aliquando ſub ſpecie ſolius panis præbuit Euchariſtiam, nimirum diſcipulis in Emaus, *Luc.*24. vt docet *Toletus in Ioan. cap.6.* Et in Eccleſia primitiua ſub ſola panis ſpecie communicabant Fideles. *Actor.2.num.*42. ibi. *Erant autem perſeuerantes in communicatione fractionis panis.* Vbi *Lyra, & vtraque Gloſſa communionem intelligunt, & fuiſſe ſub vna panis ſpecie,* probat latè *Coninch.qu.*80. *nu.*115.*& ſequentibus.* Notat etiam *Henriquez lib.*8. *cap.*44.*num.*2. *litt.G.* numquam fuiſſe generalem Eccleſiæ morem miniſtrandi laicis vtramque ſpeciem, ſed in quibuſdam tantum locis, aut Prouincijs. *Paulus item* 1.*Corint.*10. dixit: *Vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus, & cap.*11. *ſub disiunctione protulit. Quicumque manducauerit, vel biberit, &c.* Quare nec diuinum præceptum obligat ad alteram ſpeciem determinatè ſumendam, ſed confusè ſolum, vt docent *Bellarminus ſupr.cap.*27. *ad.*8. *Suarez ſect.*2. *Fagundez numer.*14. *&* 17.

5 Dico ſecundò. Nullum eſt præceptum diuinum obligans laicos ad communicandum aliquando ſub vtraq; ſpecie. Sic docent *S.Thomas 3.p.q.*80.*artic.* 12. *Vazquez 3.par.diſp.*216.*c.*2. *&* 3. *Valentia tom.*4.*diſp.*6.*q.*6.*punc.*5. *Bellarminus ſup.cap.*24. *Coninch.num.*112. Definitur *in Concil.Conſtantienſi ſeſs.*13. & potiſſimum *in Tridentino ſeſs.*21.*ca.*1. Vbi probat noſtram concluſionem ex ſcriptura, & ex Eccleſiæ ſenſu, ac praxi.

6 Dico tertiò. Semper habuit Eccleſia poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua ipſorum ſubſtantia vel ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum Sacramentorum

venerationi pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire iudicaret. Sic definit *Tridentinum sess.21.c.2.* & probat ex *Paulo 1.Corint.4.& 6.& 11.* Vtens igitur hac potestate, validè, prudenterque prohibuit vsum Calicis omnibus extra sacrificium communicantibus. Sic *Conc.Constantiense sup.* præcipit sub excommunicationis pœna, ne vllus sacerdos communicet populū sub vtraque specie. Sic *Tridentinum supra cap.2. & can.2.* consuetudinem, ac legem, qua tàm Laici, quàm Clerici quoque non celebrātes sub specie solius panis communicare solent, approbat, & seruandam esse decreuit, dicens iustis de causis ad id adductam Ecclesiam fuisse.

Prima fuit ad vitandas hæreses, de qua latè *Bellarminus cap.28.*

Secunda propter effusionis periculum, dum ministratur, & periculum corruptionis, dum seruatur.

Tertia propter vsum vini difficilem in Regionibus septemtrionalibus.

Quarta propter abstemios. Quinta, vt sacerdotes in hoc laicis excellerent; si non fructu iuxta superius dicta *ca.4.q.2.* saltem ratione significationis magis expressæ Dominicæ passionis. Et quamuis aliquo gratiæ augmento priuarentur laici, meritò potuit Ecclesia magis prospicere reuerentiæ Sacramenti, quam vtilitati sumentium.

7 Potest autem Ecclesia dispensare in hac prohibitione, cum sit solius iuris Ecclesiastici; validè quidem sine causa, licitè verò, si causa subsit. Sic *Clemens 6. dispensauit cum Rege Galliæ, Paulus 3. cum Bohemis,* si retractarent errorem. Sic Romæ Diaconus ministrans in Missa solemni Summo Pontifici sub vtraq; specie communicat, & similem consuetudinem refert *Claudius Sainctes Repetition.10.ca.2. seruari Parisijs in Conuentu Cluniacensi.* Sic Imperator dum coronatur, vtramque speciem recipit. Rex Galliæ tum in coronatione, tum in mortis articulo; Græci communiter; nec ideo reprehenduntur, nam id faciunt ex Ecclesiæ consensu saltem præsumpto. Videantur *Henriqu.lib.8.cap.44. Suarez 3. par.disp.71 sect.3. Vazquez 3. par. disp. 216.cap.4.& alij Recentiores.*

8 Sine tali dispensatione significant *Sotus in 4.dist.13.q.2. ar.6.ad 1.& Toletus lib.2.cap.9.* numquam posse laicum sumere sanguinis speciem; quamuis species vini corrumpenda sit. Melius tamen *Suarez, & Vazquez supra, Coninch.q.83. num.271. Filliucius trac.4.n.203. Fagundez Precept.3.lib.3. cap.4. Diana par.5. trac.3. Resol.34.* docent, sine dispensatione posse laicum sumere sanguinem ob euitandam irreuerentiam Sacramenti, nimirum si sacerdos post consecratum, & ante sumptum Calicem deficiat, nec adsit alius sacerdos, à quo possit sumi, sed prudenter timeatur, species vini consecrati vel deuenturas in infidelium potestatem, vel effundendas, vel corrumpendas: Quia præceptum Ecclesiasticum ob maiorem Sacramenti reuerentiam inductum non obligat cum manifesto periculo maioris irreuerentiæ, qualis reputatur vel infidelium irrisio, vel specierum consumptio: Quare Nos hanc sententiam secuti sumus *cap. 7. quæstione 7. numero 64.*

Similiter si sanguis Dominicus cadat in terram, nec adsit sacerdos, qui velit illum lambere, potest lambere laicus, vt contra nonnullos tenent *Suarez, & Filliucius, & Fagundez supra,* monent autem in his casibus, esse cauendum scandalum, & curandum, vt reuerenter admodum sanguis recipiatur.

9 Ad primum fundamentum oppositum respondetur ex *Tridentino sess.21. cap.1.* quamuis Christus Dominus in vltima Cœna Sacramentum illud instituit, & Apostolis tradidit sub duplici specie, non ideo voluisse Fideles omnes ad vtramque recipiendam obligare.

Quapropter illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem* ad omnes quidem Fideles diriguntur, non tamen eodem modo, sed iuxta munus singulorum, videlicet, vt illam actionem, prout ad singulos spectat, singuli præstent; Sacerdotes offerendo, consecrando, sumendo

ministrare Fidelibus Eucharistiam; nam id expressè Pontifices concedunt. Ita *Suarez supra Coninch, & alii*. Fit 2. posse Sacerdotes seculares in Ecclesijs Regularium Eucharistiam ministrare quibuscunque personis de licentia Regularium. Ita *Coninch, numero* 31. *Manuel artic.* 3. *Miranda, artic.* 4. *Ioannes de Cruce in Epitome lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 3. *Henriquez lib.* 8. *cap.* 55. *numero* 1. *lit.* C. Compendium nostrum *verb. Eucharistia, numero* 4. Addunt *Manuel, & Henriquez*; sufficere licentiam Æditui; & hoc etiam licere tempore interdicti, si seculares habeant facultatem communicandi tali tempore.

25 Fit 3. posse Religiosos vti prædicto priuilegio etiam in alienis Ecclesijs, dum ibi concionantur. Sic enim Societati Iesu concessit *Paulus* 3. *Bulla* 5. & notat *Henriquez sup.* Quin etiam *Ioan de Cruce sup. cap.* 6. *dub.* 5. simpliciter asserit, posse Religiosos etiam extra suos Conuentus Eucharistiam ministrare. Quia secundum Abbatem in cap. *Tuam, & in cap. cum Capella, de Priuil.* quando datur exceptio ratione personæ, comitatur personam; & priuilegia concessa Regularibus ad Sacramenta ministranda non dantur ratione loci, sed ratione personæ. Confirmat; quia *Pius* 4. *Bulla* 3. & *Pius* 5. *Bulla* 7. concedunt Religiosis, possint vbilibet etiam extra conuentum ministrare fidelibus Pœnitentiam, & Eucharistiam. At expedit (inquit *Henriquez*) in aliena Ecclesia non fieri sine licentia Parochi, quod nobis præscribit N. P. Claudius in nostro compendio, *verb. Eucharistia, post §. secundum*.

26 Iam dubitatur 1. Quid per Pascha, siue per diem Paschatis intelligendum sit in prædictis priuilegijs? Prima sententia docet, intelligi diem Paschatis materialiter; in illo non possint Regulares Eucharistiam ministrare secularibus, siue communicent ad præceptum implendum, siue solum ex deuotione. Sic censent *Nauarrus cap.* 21. *numero* 52. *Henriquez lib.* 8. *cap.* 55. *numero* 1. *Azor tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *quæst.* 7. Probatur; quia, licet *Nicolaus* 5. exceperit festum Resurrectionis, vbi totum tempus Paschale videtur includi, tamen *Sixtus* 4. & *Leo* 10. diem Resurrectionis dumtaxat excipiũt, & generaliter loquuntur de communione talis diei. Consonat *P. Claudius in nostro comp. verb. Eucharistia, num.* 2. cum annotatione. *Fauent declarationes super Trid. sess.* 13. *can.* 9.

Secunda sententia communior, & probabilior asserit, mentem Pontificum fuisse communionem Paschalem excipere non materialiter, sed formaliter, idest illam, qua præcepto satisfiat, quandocũq; fiat. Ita *Suar. to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 2. & *de Relig. to.* 4. *trac.* 10. *lib* 9. *cap.* 3. *Coninch, q.* 82. *n.* 31. *Vazq.* 3. *p. disp.* 219. *c.* 4. *Bonac. disp.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 12. *Manuel to.* 1. *Regul. q.* 56. *art.* 3. *Layman lib.* 5. *trac.* 4. *c.* 7. *n.* 4. & alij communiter. Probatur; quia cum hęc exceptio facta sit in fauorem Parochorũ, sine dubio respexit præceptum annuæ communionis, cui volunt Pontifices in Parochia satisfieri, non alibi. Confirmatur; nam alias sequeretur, eũ, qui Dominica Palmarum in Ecclesijs Regularium communicauit, impleuisse præceptũ nec teneri die Paschatis in Parochia cómunicare, si nolit eo die communionem accipere, quod aduersarij non admittẽt. Sequeretur etiam, eum, qui die Iouis cómunicauit in Parochia, si velit in Pascha rursus communicare, debere Parochiã adire, vel cũmunionẽ omittere, quod est durũ, & contra praxim. Nec attendendus est materialis sonus verborum, sed intentio Pontificum. Hanc sententiam sequuntur nostræ *constitutiones p.* 7. *c.* 4. *lit.* D. ex illaq; colligunt, posse die Paschatis in nostris Ecclesijs illos cõmunicare, qui iam suis Parochijs satisfecerint.

28 Dubitatur 2. An etiam in Paschate possint Regulares ministrare Fidelibus Eucharistiam ad præceptum annuæ cõmunionis implendum? Affirmat prima sententia, quam tenent *Manuel supra Reia in respons. part.* 4. *casu* 4. *Ioannes de Cruce lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 4. *Rodriguez in comp. resol.* 127. *num.* 3. *Sorbus in comp. Priuilegiorum, verb. communicare.*

Diana

Diana p.2.tr.14.resol.73. Probabilem reputat Fagundez lib.1.c.5.n.16. Precept.3. qui n.13.dicit, ita fuisse iudicatum in lusitania contra Parochum expostulantem cum Minoribus de hac re. Probatur; nã, vt habetur in *comp.Priuil. S.Hieronymi*, §.2.& 6. *Nicolaus* 5. *anno* 1458. *concessit, quod deputati, vel pro tempore deputandi confessores in Monasterio B. Mariæ de Guadalupe Sacramentum Eucharistiæ quibuscunque personis ad prædictum Monasterium confluentibus, etiam in die Paschatis ministrare liberè, & licitè possint; Diœcesanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requisita.* Quod confirmauit Paulus 3. Et vt testatur Antonius Cardin. viuæ vocis oraculo declarauit; *quod sic præcepto Ecclesiæ satisfaciant, non obstantibus contrarijs quibuscunq;*. Hanc autem, & alias concessiones vni Monasterio *S.Hieronymi factas Pius 4.per Bullã*, quam expediuit Pius 5. fecit communes omnibus eiusdem ordinis Monasterijs, vt asserit *Manuel sup.* Qua propter alijs etiã ordinibus communicari censentur.

29 Hinc inferunt *Manuel*, & *Ioannes de Cruce*, posse Regulares in articulo mortis ministrare viaticum; nam concessio communionis Paschalis ad omnem obligatoriam extendenda videtur. Addit *Manuel ea q.56.art.6.* Peregrinos, & aduenas, & vagamundos iuxta sententiam istam posse recipere à Regularibus communionem Paschalem, per quam satisfaciant præcepto.

30 Independenter ab isto priuilegio loqui videntur nostræ *constit.p.7. c.4. lit. D.* quatenus asserunt, ad implendum præceptum communionis Paschalis posse à nostris communicari tam illos, qui facultatem haberent, quam peregrinos, & reliquos, quos ius excipit. *Henriq.l.8.c.55. n.1.lit.G.& Fagund.Præcep.3.lib.1. c.5.n. 10.* dicunt, peregrinos, & vagabundos, qui nullam habet Parochiam propriam, posse recipere communionem à Regularibus etiam ad præceptum implendum; nã in his cessat ratio prohibitionis, nimirum vt Pastor cognoscat suas oues, & oues cognoscant suum Pastorem; hi vero cum non habeant Parochiam stabilem, non censentur habere Parochum propriũ, quem recognoscere teneantur.

31 Secunda sententia negat, quam tenent *Suar.de Relig.tom.4.trac.10.li 9. c.3. num.6.& 8. Portel.in dubijs tom.1.verb.Sacramentorum administratio.num. 5. Villalobos tom.1.tr.7.diffic 47.nu.4. Nuñus 3.p. qu.83.art.4.concl.5. Bonac. de Sacr.disp.4. q.5. punc.1.nu.12. Fagund.sup.nu.16.& alij communiter*. Probatur 1. nam *declaratio Cardin.4.p.fol.* 151 censet, seculares etiam in Regularium monasterijs seruientes nõ satisfacere huic præcepto, nisi communicent in sua Parochia: *Farinac.super Trid. sess.13.can.9.* refert, *declarasse Cardinales anno* 1586.*die* 23. *Ianuarij*, communicãtes de manu Regularium tempore Paschali non satisfacere precepto, quod equidem obligat, vt omnis Fidelis à proprio Parocho recipiat communionem annuam.

Probatur 2. quia Pontifices sæpè declararunt, mẽtem esse suam, vt ius Parochorum quoad communionem obligatoriã seruetur illæsum. Quapropter illa concessionis extensio tam ampla per duplicem cõmunicationem generalem s.ad omnia Monasteria talis ordinis, & postmodũ ad omnes Religiones in tãtum præiudicium Parochorum aliena prorsus videtur ab intentione Pontificũ; ac esse talis, vt sub generali clausula communicationum comprehendẽda non sit ob specialem rei difficultatem. Vnde prudenter ortum est, vt aliæ Religiones non ausæ fuerint vti tali priuilegio; nec constat, reliqua Monasteria S.Hieronymi eodem vti, nisi pro suis familiaribus, aut alijs ita sibi coniunctis, vt difficile possint in Parochia forsan distante communicare.

31 Suppono 1. posse Regulares ministrare communionem etiam obligatoriam suis familiaribus, vt dixi *sup.cap.10.nu.13.* Suppono 2. posse pariter aliis secularibus ministrare talem communionem, si prudenter præsumitur voluntas Pastoris, vt ibi dixi *nu.10.* Suppono 3. Regulares, qui sunt Parochi, posse ministrare suis ouibus Eucharistiam ad præceptum implendum, sicut alios Parochos, vt est notum, & no-

tat *Fagundez sup. n.* 12. Suppono 4. posse Regulares ministrare communionē Paschalem sæcularibus ad præceptum implendum, si necessitas vrgeat; hanc enim limitationem adhibet *Paulus* 3. quando communionem obligatoriam excipit à priuilegio concesso societati Iesu. Censebitur autem vrgere necessitas, quoties aliquis est impotens ad communicandum in sua Parochia, & ad petendam facultatem à suo Parocho; tunc enim non potest iste præceptum implere, nisi communionem accipiat ab alio Sacerdote sæculari, vel Regulari. Debebit autem in eo casu Fidelis satisfacere postea suo Parocho, qui, si de necessitate, quæ occurrit, & de communione recepta sufficiens acceperit testimonium, non poterit cogere subditum ad iterum communicandum. Ita *Suar. sup. num.* 8.

33 His suppositis censeo; primam sententiam, & si forsan probabilis sit speculatiuè, nō posse prudenter ad praxim deduci propter maximā offensionē Pastorū Ecclesiæ, quæ communiter inde sequeretur. Ita fatentur ipsiusmet Authores. Manuel illo art. 3. sic inquit: *licet supradicta sint verb. Religiosi tamen non debent publicare, se habere licentiam generalem ad communicandum Fideles in die paschatis: Cum curati hoc agrè ferant, & Episcopi maximè contradicant. Debent igitur dictis priuilegiis vti non passim, sed prudenter, & cautè.* Idem asserit *Hieron. Rod. supra Diana quoq;* sic ait. *Ex dictis remanet satis probabilis ista sententia, sed ego consulerem, vt Regulares in tali casu faueant parochis, & talem sententiam in praxim non deducant.* *Fagundez* postquam asseruit, vtramq; sententiam esse probabilem, addit, standum esse sententiæ neganti; nec fundamenta contrariæ, nec Authores illius tantum habere roboris, vt illos possimus securè sequi.

34 Itaq; proferenda est secunda sententia, & in praxi tenenda prorsus. Ideò Sostrum compendium nullam illius priuilegij mentionem fecit; imò Regula 27. Sacerdotum iubetur confessarius nostræ societatis, vt moneat pœnitentes suos tēpore Paschali debere semel in sua Parochia communicare. Iuxta sententiam istam dicit *Manuel tom. 1. q. 56. art. 6.* peregrinos, & aduenas non posse communionem Paschalem à Regularib. accipere, sed à Parochis locorum, vbi tali tempore reperiuntur, iuxta *constitut Eugenii* 4. Consonat 4. *Alex. Peregrin. in scholiis ad priuilegia Theatinor. p. 1. tit. communicare* §. 2. Et quidem quoad vagabundos, qui nullibi fixum habent domiciliū, videtur hoc certum; cum enim non habeant alium proprium Pastorem, verè subditi sunt illi Parocho, in cuius Parochia tali tempore commorantur, & per consequens ibi debent implere præceptum: Nam ibi censentur habere domicilium eo modo, quo sunt illius capaces. Ita notat *Suar. eo n.* 8.

35 Peregrinos vero, qui fixum domicilium habent alibi, propriumq; Parochū, cui postea satisfacere tenētur, probabile reputat *Suar. nu.* 9. posse recipere cōmunionem ab illis, qui possunt aliis tēporib. Eucharistiam administrare. Quippe propter excusationem illud tempus tāquam liberum reputatur; Consonat *Zambrano c. 3. dub. 7. n.* 5. Verum *cum Eugenius 4. declarauerit* (vt testantur *Manuel, & Suar. sup.*) peregrinantem, qui fuerit in aliena Parochia tempore Paschatis, illius incolam censeri, quoad receptionē Sacramētorum; iam isti Parochum habent, à quo tunc debeant recipere cōmunionem, & non ab alio, quod probabilius reputat *Suar. n.* 10. Verum *Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 23. n.* 7. dicit, *Eugen.* id concessisse in fauorem peregrinorū ad tollendos scrupulos, nec illos obligasse, vt talibus Parochis subiicerentur; citat *Manuel. & Henriqu.* qui certè non id sentiunt; sequuntur autem istas doctrinam *Fagund. Precept. 1. lib. 1. cap. 8. nu. 5. Tamburin., & Portel,* quos sequitur *Diana p. 3. tr. 2. ref.* 22. Aliis vero talis sententia non arridet, sed sentiunt *cum Suario*.

Quia tamen Parochi talis loci non solent multum curare de peregrinis, seu vagabundis, præsertim si citò discessuri sint; facilè præsumi potest Parochi con-

cõsensus, vt aduenæ, seu viatores recipiãt communionẽ, à quo maluerint; & ita poterunt Regulares his ministrare communionem Paschalem ex hac prudenti præsumptione. Quod videtur amplecti nostra societas: Siquidem *7.p.cõst.c.4.lit.D.* admittit peregrinos in nostris Ecclesijs ad communionem Paschalem. Ego tamen attenderem consuetudinem loci; nam hæc post tacitum consensũ Pastorũ indicare, si peregrinorum communionẽ non curent. Si verò designent specialem Parochiam pro peregrinis (vt designari solet Ecclesia Cathedralis) videntur Pastores ipsorum cõmunionem ibi postulare. Fundamentum primæ sententiæ soluitur ex dictis *n.31.* Adde, priuilegium illud videri concessum, non tam in fauorẽ Regulariũ, quã peregrinãtiũ ad illũ tẽplũ B. Virg., ac proinde non comprehẽdi sub generali communicatione priuilegiorũ.

CAP. XI. QVÆST. IV.

Verum qui Bullam habet Cruciatæ, possit Eucharistiam à quolibet Sacerdote recipere?

36 AFfirmat prima sententia, quã tenẽt *Vazq.3.p.disp.219.c.5.n.47. & Diana p.1.tr.11.ref.20.* Probatur ex illis Bullæ verbis, vbi conceditur, *vt possit Eucharistiam, & alia Sacramẽta, præterquam in die Paschatis recipere*, quæ concessio non videtur ad tempus interdicti restringi; nam in Hispana Bulla dicitur. *Que puedan recebir el Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (saluo el dia de Pascua) aunque sea en tiempo de Entredicho.* Quæ verba non restringunt concessionem ad tempus interdicti, sed potius ampliant, vt quouis tempore possit eligi Minister, à quo sine consensu Parochi recipiatur Eucharistia, quamuis sit tempus interdicti, præterquam in die Paschatis.

Vnde confirmatur hæc sententia: Quia, si concessio non esset eligendi Ministrũ, frustra fieret exceptio diei Paschatis, siquidem tempore interdicti, si quis etiam in Oratorio priuato recipiat Eucharistiam à Parocho, vel cum eius licentia, die Paschatis, sine dubio satisfacit præcepto communionis. Igitur hæc concessio præscindit à licentia Parochi, & ideò cõmunionem Paschalem excepit, sicut etiam excipitur in priuilegijs Regularium. Hanc doctrinam extendunt etiam ad Extremam vnctionem.

37 Secunda sententia probabilior negat, virtute Bullæ posse recipi cõmunionẽ à quolibet Sacerdote sine cõsensu Parochi saltem præsumpto. Sic docent *Suarez 3.p.to.3.disp.72.sec.2. Manuel in Bulla p.1. Addit.ad §.5.n.31. Car. de Lugo de Euch. disp.18.n.45. Quintanad. to.1.tr.5. sing.3.n.2. Nuñus 3.p.q.82.a.3. qui contrariam vocat improbabilẽ.* Probatur ex ipsis Bullæ verbis, quibus conceditur facultas *tempore interdicti celebrandi, vel audiendi sacrum simul cum suis familiaribus in Ecclesijs, monasterijs, vel Oratorijs priuatis ab ordinario designatis, et visitatis, et accipiendi Eucharistiam, et alia Sacramenta, dum tamen ipsi interdicto causam non dederint.* Vbi satis apparet, solum dari priuilegium quoad circumstantiam interdicti, non quoad circumstantiam Ministri.

38 Declaratur in particulari; Nam imprimis ibi non conceditur simpliciter facultas celebrandi, vel faciendi celebrare in oratorio priuato, sed solũ id faciendi tempore interdicti, supposita videlicet aliundè facultate legitima talis Oratorij. Quod constat ex praxi; nam postquam Paulus 5. prohibuit, ne concederent ordinarij facultatem celebrandi Missam in oratorijs domesticis, adhuc in Bulla ponuntur prædicta verba, nec tamen vllus, & si Bullam habeat, vtitur oratorio priuato sine facultate summi Pontificis. Deindè quoad cætera Sacramenta quæ concedit ibi, scilicet Pœnitentiam, & extremã vnctionem, certum videtur, non dari facultatem eligendi Ministrum, à quo Sacramentaliter absoluatur, cum non requirat approbationem ordinarij, quam expresse requirit infra, dum talem electionem concedit.

Similiter praxis ostẽdit, quamuis quis habeat Bullam, non posse citra necessitatem recipere Sacramentum vnctionis, nisi à suo Parocho, vel de ipsius expresso consensu. Constat igitur, facultatem ibi non concedi circa Ministrum, sed circa tempus interdicti; nimirum vt concedatur ibi solum facultas recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis (scilicet a legitimis Ministris) non obstante interdicto locali.

39 Ad fundamentum oppositum respondetur, hæc esse verba Bullæ Hispanę. *Que puedan aun en tiempo de Entredicho oir Missa en las yglesias, y Monasterios; o en Oratorio particular señalado, y visitado por el Ordinario dezir Missa, y otros diuinos officios por sus personas, si fueren Presbyteros, o hazerlos celebrar a otros en su presencia, y de sus familiares, y parientes; y recebir el S. Sacr. de la Eucharistia, y los demas Sacramentos, saluo en el dia de la Pascua, conque ellos no ayan dado causa al tal Entredicho.* In quibus verbis illa priora, *a vn en tiempo de Entredicho*, non significant dari talem facultatem pro diebus alijs, & ad interdicti tempus extendi, sed solum dari pro tempore interdicti; Sicut si diceretur, concedimus, vt etiam diebus festis in tali opere laboretis, non est sensus, quod detur quoq; facultas pro diebus alijs, sed quod detur pro festis non obstante prohibitione.

40 Ad confirmationem respondetur, excipi diem Paschæ, nam in alijs diebus recipere possunt Eucharistiam à Regularibus, vt vidimus *q.3.n.23.* possunt etiam à Sacerdotibus secularibus cũ præsumpta facultate Pastoris, quæ communiter habetur, vt diximus, *q.2. n.18.* At in die Paschatis, siue formaliter pro communione Paschali requiritur expressus consensus Pastoris, vt habens Bullam accipiat à Regulari, vel sęculari Sacerdote talem communionem etiam tempore interdicti.

41 De obligatione Ministrorum circa dispensationem Eucharistiæ, nimirum quis, & quando, & quanto discrimine; Quibus etiam debeant illam ministrare, vel denegare: diximus *lib.1.c.2.& 6.*

CAP. XI. QVÆST. V.

Vtrum aliquis aliquando possit communicare se ipsum?

42 NOn loquimur de Sacerdote celebrante, qui nõ solum potest, sed debet cõmunicare se ipsum, vt sacrificium sumat. Idẽ est de Sacerdote faciẽte sacrum officiũ in Parasceue iuxta ritũ Ecclesiæ; nam licet tunc non consecret, verè perficit sacrificium diei præcedẽtis; quapropter illa non est cõmunio propriè laica, sed potius Sacerdotalis, vt bene notat *Cardin. de Lugo disp.18. num. 29.* loquimur itaq; de communione laica, quæ fit extra Missam. Et conueniunt Doctores 1. extra casum necessitatis regulariter non licere; quoniam Ecclesiæ consuetudo præscribit, vt qui non celebrans communicat, de manu alterius Sacerdotis Eucharistiam accipiat. Ita *Suar. to.3. disp.72. sect.3. Filliuc.tr.4.n.285. Coninch. q.82.n.24.* Tunc enim, etiamsi sit Sacerdos, gerit personam ouis, & subindè debet a suo Pastore, vel de ipsius licentia recipere pabulum istud.

43 Conueniunt 2. non extare ius vllum quod necessario requirat distinctionem inter ministrantem, & recipientem hoc Sacramentum. Patet, quia nec scriptum legitur, nec ex consuetudine colligitur, cum olim Fideles communicarent se ipsos. Imò cum hoc Sacramentum institutũ sit per modũ cibi, videtur eius institutioni consonum, vt sicut cibus à manducante sumitur, sic Eucharistia sumeretur ab ipso cõmunicante. Cęterum ex vi iuris dispensandi, quod non omnes habẽt, oritur cõmunis necessitas distinctionis inter dantem, & accipientem. Cum enim sumere sit dispensare, qui non habet ius Eucharistiam dispensandi, non potest sibi sumere. Quare nullus non Sacerdos, vel non habens facultatem ministrandi potest regulariter cõmunicare se ipsum: Sacerdotes vero, cum more laicorum

com-

communicant vel in morbo, vel in alterius Sacerdotis Missa, moraliter necessarium est, vt ab alio recipiant communionē, & inde consuetudo manauit recipiendi regulariter Eucharistiam ab alio.

44 Conueniunt 3. posse Sacerdotem in necessitate communicare se ipsum, vt si iaceret moribundus, & posset ex sacrario consecratam hostiam sibi sumere, nec adesset alius, qui posset illam ministrare. *Sic Suarez, & Filliucius supra Coninch, n.25. Zambranus cap.3.dub.6.nu.6. Caietanus in summa verb. communionis minister Villalobos to.1.tract.7.diffic.48. Vazquez 3.pa.disp.219.n.17. Fagund. Præcep. 3.lib.3.ca.3.n.7.* Rationem reddunt; quia Sacerdos est proprius Minister huius Sacramenti, nec in illo casu prohibetur vllo iure sibimet ministrare: Sicut ergo potest cuiuis alteri similiter indigenti, poterit sibimet Eucharistiam ministrare.

45 Verum hoc eget expositione; cum enim communio sacerdotis extra Missā laica sit, & ita vocetur in Concilijs, debet ad illam considerari sacerdos, ac si esset laicus; nec sacerdotium præcisè dat illi iurisdictionem necessariam ad Eucharistiā ministrandam sibi vel alijs, vt ostendimus *supr.nu.16.* Quare sacerdos extra Missam non minus dependet à suo Pastore quoad Eucharistiæ receptionem, quàm alij Fideles, ac proinde nō potest, nisi de manu, vel licentia Pastoris communicare. Quod indicat *Clement. Religiosi. de Priuilegijs*, vbi puniuntur Religiosi, qui sine Parochi consensu, *Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare præsumpserint.* Generalis quippè locutio clericos omnes comprehendit.

46 Adde, quamuis sufficiat præsumpta voluntas Parochi, vt sacerdos ex delegata iurisdictione ministret Eucharistiam alijs, vt diximus *sup.num.18.* at respectu sui non potest propriè iurisdictionem accipere; Potest tamen ex facultate sui Pastoris, vt instrumētum ipsius sumere sibimet Eucharistiam, vt rectè notat *Cardinal. de Lugo sup.nu.32.* Iam ergo dicimus, adesse talem facultatem, vt sacerdotes aliquando semetipsos communicent. Nam in *Concil. Nicæno.1.can.14. iubentur Diaconi accipere secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero Sac. communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Cum autem omnes sacerdotes Diaconi sint; iam hinc habent facultatem, vt in absentia sacerdotis, qui ministrare possit, & velit possint communicare seipsos.

47 Iam sit dubium 1. An extra casum necessitatis extendatur hæc facultas? Negāt *Caiet. Filliuc. & Villal. sup.* Quia non præsumitur concessa, nisi pro mortis articulo, ne sacerdos, vel Diaconus sine viatico decedat, quando non potest illud ab alio recipere. Melius affirmant *Suar. Vazqu. Fagund. sup. Laym. lib.5.tr.4.cap.7.n.4. Manuel, Vinaldus, Possenin., & alij*, quos sequitur *Bonac. disp.4.q.5.punc.1.n.13. Syluius, & Homobonus*, quos sequitur *Diana part. 2.tr.14.Resol.53. & par.3.tract.4.Resol.47.* dum non sit alius sacerdos, à quo recipi possit, nec sequatur scandalum, quod facilè vitari potest, si sacerdos id secreto faciat, vel moneat astantes, id sibi licere vel ratione festi solemnis, vel solius deuotionis. Probatur ex illo *Canone Conc. Nicæni*, qui non est reuocatus, & absolutè concedit facultatem sine restrictione ad articulum mortis vel ad similem necessitatem.

48 Quare pariter Diaconus in absentia sacerdotis poterit cōmunicare seipsum, non solum in articulo mortis, ne sine viatico decedat, vt asserunt *Bonacin. sup. Coninchn.26. Sà verb. Eucharistia nu.32.* Sed etiam extra talem articulum, vt notat *Vazquez.* Nam ille ca non Diaconis concedit facultatem communicandi seipsos, nec illam limitat ad mortis articulum; secluso tamen scandalo iuxta præscriptum iuris naturalis; & supposita necessitate, quæ sufficiat, vt Diaconus in absentia Parochi possit Eucharistiam ministrare, raroque continget, vt dixi *numer.7.*

49 Sit dubium 2. An præsente Diacono possit Sacerdos communicare se ipsum? Negant *Vazquez, et Fagundez sup.* quia

cum in eo casu Diaconus sit legitimus Minister, & Sacerdos communicet, vt laicus, debet Eucharistiam de manu Diaconi recipere. Per oppositum *Durandus in 4.dist.13.quæst.4.num.7.* docet, si Sacerdos ægrotet, & non adsit nisi Diaconus, qui Sacramentum deferat, debere Sacerdotem proprijs manibus communicare se ipsum. Nam in præsentia Sacerdotis non potest Diaconus Eucharistiam ministrare, quod sequuntur *Suarez, & Fillincius sup.*

Ego censeo cum *Præposito 3.p.q.82.ar.3.dub.1. num.11. Ochagauia tract.3. de Euchar. q.4. num. 6.* posse Diaconum Sacerdoti moribūdo proprijs manibus Eucharistiam ministrare. Quoniam in eo casu verè Minister est sufficiēs, vt dixi *n.7.* & præsentia Sacerdotis volentis Eucharistiam ministrare impedit Diaconū respectu aliorum, non respectu ipsiusmet Sacerdotis communicaturi. Congruum etiam est, vt Sacerdos moribundus, dum communicat more laicorum, de manu Diaconi communionem accipiat; nec proprijs manibus, quæ solent ex morbo debiles esse, vel immundæ, sacram hostiam contrectet. Quando vero Sacerdos sanus communicare vult ex deuotione, nec adest alius Sacerdos, sed Diaconus, melius faciet, si de manu Diaconi recipiat communionem; nam hoc est magis conforme praxi communi. Verum non video, cur ad id obligandus sit, cum canon Concilij Nicæni solam absentiam Presbyteri requirat. Similiter Diaconus, de quo canon ille loquitur, dum adest alius Diaconus, melius faciet, si recipiat ab illo communionem; quamuis possit ipse communicare se ipsum.

50 Sit dubium 3. An laici, vel Clerici Diacono inferiores possint aliquādo cōmunicare seipsos; Prima sententia negat, quam tenent *Præpositus sup. Ochagauia n.7. Vazquez num.18. Zambranus num. 6. Hurtado de Euch. disp. 11. diffic.3. Tannerus tom.4. disp.5.q.8.dub.8. n.182. Sylnester, Henriquez, Armilla, Tabienna, Ledesma, Sotus, Catherinus*, quos sequitur *Fagund. sup. n.8. Sà, Victoria, Posseuinus, Chamerota, Viualdus*, quos sequitur *Bonacina sup. num.6.* Probatur 1. *ex cap. Præsente, dist.93.* vbi cum in casu necessitatis soli Diacono concedatur facultas Eucharistiam ministrandi; videtur etiam in eo casu cęteris denegari. Probatur 2. quia necessitas Eucharistiæ non est tanta, vt laicus, aut Clericus inferior Diacono possit in articulo mortis Eucharistiam sibi sumere, non seruato communi ritu Ecclesiæ.

51 Probatur 3. quia nemo potest Eucharistiam sibi sumere, nisi de voluntate saltem præsumpta Pastoris, vel Ecclesiæ. Sed hæc volūtas nec habetur expressè, vt constat; nec potest prudenter præsumi, cum nunquam vel minimum indicium dederint talis voluntatis, vel laudando, vel approbando factum, vel ostendendo propensionem, vt fiat, sicut illam ostēdit circa communionem moribundi non ieiuni. Non ergo potest laicus sibi sumere viaticum. Confirmatur; quia consuetudo tot seculorum arguit, id non licere; quāuis enim casus rarus sit, aliquando vero contingit, vt absente Sacerdote quispiam vel infectus peste, vel in periculo mortis constitutus ob imminens prælium, aut hostium incursionem, vel simile discrimen, Eucharistiam accipere possit è sacrario; quod tamen in tot seculis nescimus factum fuisse.

52 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita *Caietanus Matth.26. Suarez to.3. disp.72. sect.3. Valentia to 4. disp.6.q.10. punct.1. Fillius.tr.4.n.285. Granado, 3.p. controu.6.tr.12. disp.1. n.4. Layman l.5. tract.4. cap.7.n.4. Mercerus q.82.a.3.n.3. Chapeauilla de Euch.q.6. Diana p.3.tr.4. resol.47. & p.5. tract.3. resol.47. & p.8.tr.1. resol.48. vbi me citat, et alios; Inclinat Reginaldus lib.29.nu.93.* Probabilem esse dicunt *Coninch, q.82.n.27. Cardin. de Lugo, disp.18. num.23.* Probatur, quia nullo iure diuino prohibetur; Canonicum autem in *c. Peruenit de cōsec. dist.2.* loquitur extra necessitatem, in cap. *Præsente, dist. 93.* non solam necessitatem grauissimam, sed quamlibet moralem sufficere decernit, vt Diaconus à Pastore iussus mini-

ministret Eucharistiam,vt diximus *num. 6.* Ergo non est,cur laicus nequeat communicare se ipsum, quoties in articulo mortis vrget præceptum diuinum communionis; & salus eius æterna forsan à communione pendet, si sit solum attritus,& nequeat aliud Sacramentum recipere. Fauet exemplum Reginæ Scotiæ, quę martyrium subitura prius Eucharistiam, quàm apud se habebat, proprijs manibus sumpsit cum omnium laude; quamuis enim forsan habuerit Pontificis priuilegium,sine illo tamen piè, sanctéq; fecisset,vt inquit *Suar.sup.*

53 Dico 1. Certum est, ad euitandam irreuerentiam Eucharistiæ, quæ sit alioquin calcanda, vel comburenda, posse laicum, vel etiam fœminā accipere proprijs manibus Eucharistiam; quia tunc pręualet pręceptum vitandi tanti Sacramenti contemptum,& opprobrium. Ita *Cardin.de Lugo sup. nu.25. & Nos cap.6. n.16.& ca.7.n.65.*diximus cum alijs Doctoribus,ob eandem causam posse laicū etiam non ieiunum, & in peccato sumere Dominicum corpus,& sanguinem. At quoad solam rationem sumendi viaticū. Dico 2. Prima sententia communior est, verum secunda sufficientem habet probabilitatem, vt tutò possit in praxim reduci consequenter ad ea,quæ *supr.tradidimus nu.11.et seqq.* Vnde fundamenta primæ sententiæ solui possunt.

54 Ad primum diximus *num.praecedenti.* Ad secundum respondetur, summam esse posse necessitatem viatici, à quo pēdeat æterna salus. Ad tertium subindè dicimus,pręsumi prudenter voluntatem Pastoris, vel immediati, vel saltem mediati; Cum autem id rarissimè contingat, non est mirum, si nec Ecclesia, nec Pastores factum approbent, vel improbent.Et quidem Authores factum Reginæ Scotiæ satis approbant, & commendant, & quodlibet simile pariter commendarent: nec ideo carpuntur ab Ecclesia, nec carperentur, qui sub debitis circumstantijs, scandalo secluso moribundi communicarent seipsos.

Ad confirmationem respōdetur, sicut in simili diximus *supr. num.13.* rarissimè futurum,vt aliquis laicus huius doctrinæ gnarus sit, & in articulo, vel periculo mortis constitutus, ritéque dispositus ad communionem habeat promptam Eucharistiam,quàm sumat, & nullus adsit, qui ritè ministret; Forsan interdum contigit, & quod in Scotiæ Regina propter eius dignitatem notum, & euulgatum fuit, in alijs minoris notæ vel non innotuit,vel non euulgatur. Nec consuetudo negatiua pręualere potest contra tātum antidotum tantæ necessitatis.

CAPVT XII.

De ritu Communionis.

1  Va corporis dispositione, compositione, ac externa circumspectione debeant communicāre Fideles, diximus *supra ca.7.num.2.& 3. & 4.* Quo tempore,ac loco, diximus *c.9. q.4.dub.5.* Quam frequenter, diximus *ibi dub.6.et q.5.* Iam vero sit.

CAP. XII. QVÆST. I.

An laici debeant, vel possint sub vtraque specie communicare?

2 VTrumque volunt Hæretici, quoniam vtraq; species pertinet ad integritatem, & perfectionē Sacramenti:Vtraq; videtur sub illo præcepto comprehendi. *Hoc facite in meam commemorationem. Luc.22.* Vnde quidam etiam Catholici putant,initio latum fuisse preceptum à Christo communicandi sub vtraq; specie,durasseq; per aliquod tempus, sed iam Ecclesiam vel declarasse, cessauisse præceptum, vel in illo iustis de causis dispensasse. Sic *Claudius de Sainctes Repetit.10. cap.* 4. Probatur primò. Nam scripturæ verba, quib.probauimus

cap.

cap.9.q.1. necessitatem Eucharistiæ, pariter probare videntur necessitatem sumendi vtramque speciem; siquidem de vtraque dixit Christus *Ioan.6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo vel concedendum est præceptum vtriusque speciei, vel negandum est præceptum communicandi.

Probatur secundò. Nam vt vidimus *cap.8.num.*18.& 33. hoc Sacramentum institutum est per modum cibi, seu nutrimenti, vt intelligeremus, esse necessarium ad conseruandam vitam spiritualem, sicut corporale nutrimentum ad vitam materialem; Sed ad conseruandam vitam materialem non minus necessarius est potus, quàm cibus, & vterque simul requiritur. Ergo similiter ad conseruandam vitam spiritualem vtraque simul species requiritur, nec sufficit vna sine altera.

3. Suppono primò. Celebrantem debere semper vtramque speciem sumere propter integritatem sacrificij. Sic *Sanctus Thom.3.par.quæst.*80.*art.*12.*& communiter Doctores.* Vt videbimus *libro* 5. *cap.*2.*quæst.*4.

Suppono secundò. Communionem sub vtraque specie non esse per se malam, nec iure diuino prohibitam. Quippè non est contra præceptum naturale; Cum Eucharistiæ institutione supposita, vtriusque speciei sumptio sit actio sacra, quę fieri possit reuerenter; nec contra diuinum pręceptum inductus olim fuisset vsus Ecclesiæ, quo frequenter populus speciem vtramque sumebat, vt constat *ex cap.Sacerdotes,*1.*quæst.*1. latèque probant *Suarez tom.*3. *disputat.*71.*sectio.*1. *Filliuc.tract.*4. *num.*200. *Fagundez Præcept.* 3. *libro tertio capite quarto cum alijs.*

4 Dico primò. Non est per se malum, nec iure diuino vetitum vnam speciem accipere sine altera. Sic *Bellarminus de Eucharist. libro quarto capite* 20. *& sequentibus. Suarez, & Fagundez supr.* Probatur quoad ius naturale. Nam res contenta tota subest singulis speciebus; significatio quoque scil. vnio membrorum cum Christo, vel inter se sufficienter repræsentatur per vnicam speciem; demum effectus integer confertur saltē quoad substantiam per singulas species. Ergo non est contra ius naturale sumere dumtaxat vnam.

Quod autem non sit contra ius diuinum. Probatur, quia Christus Dominus aliquando sub specie solius panis præbuit Eucharistiam, nimirum discipulis in Emaus, *Luc.*24. vt docet *Toletus in Ioan. cap.*6. Et in Ecclesia primitiua sub sola panis specie communicabant Fideles. *Actor.*2.*num.*42. ibi. *Erant autem perseuerantes in communicatione fractionis panis.* Vbi *Lyra, & vtraque Glossa communionem intelligunt, & fuisse sub vna panis specie,* probat latè *Coninch.qu.*80. *nu.*115.*& sequentibus.* Notat etiam *Henriquez lib.*8. *cap.*44.*num.*2. *litt.G.* numquam fuisse generalem Ecclesiæ morem ministrandi laicis vtramque speciem, sed in quibusdam tantum locis, aut Prouincijs. *Paulus item* 1.*Corint.*10. dixit: *Vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus, & cap.*11. *sub disiunctione protulit. Quicumque manducauerit, vel biberit, &c.* Quare nec diuinum præceptum obligat ad alteram speciem determinatè sumendam, sed confusè solum, vt docent *Bellarminus supr.cap.*27. *ad.*8.*Suarez sect.*2. *Fagundez numer.*14. *&* 17.

5 Dico secundò. Nullum est præceptum diuinum obligans laicos ad communicandum aliquando sub vtraq; specie. Sic docent *S.Thomas* 3.*p.q.*80.*artic.*12.*Vazquez* 3.*par.disp.*216.*c.*2. *&* 3.*Valentia tom.*4.*disp.*6.*q.*6.*punc.*5. *Bellarminus sup.cap.*24.*Coninch.num.*112. Definitur *in Concil.Constantiensi sess.*13. & potissimum *in Tridentino sess.*21.*ca.*1. Vbi probat nostram conclusionem ex scriptura, & ex Ecclesiæ sensu, ac praxi.

6 Dico tertiò. Semper habuit Ecclesia potestatem, vt in Sacramentorum dispensatione, salua ipsorum substantia vel statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, vel ipsorum Sacramentorum

venerationi pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire iudicaret. Sic definit *Tridentinum sess.21.c.2.* & probat ex *Paulo 1.Corint.4.& 6.& 11.* Vtens igitur hac potestate, validè, prudenterque prohibuit vsum Calicis omnibus extra sacrificium communicantibus. Sic *Conc.Constantiense sup.* præcipit sub excommunicationis pœna, ne vllus sacerdos communicet populũ sub vtraque specie. Sic *Tridentinum supra cap.2. & can.2.* consuetudinem, ac legem, qua tàm Laici, quàm Clerici quoque non celebrãtes sub specie solius panis communicare solent, approbat, & seruandam esse, decernit, dicens iustis de causis ad id adductam Ecclesiam fuisse.

Prima fuit ad vitandas hæreses, de qua latè *Bellarminus cap.28.*

Secunda propter effusionis periculum, dum ministratur, & periculum corruptionis, dum seruatur.

Tertia propter vsum vini difficilem in Regionibus septemtrionalibus.

Quarta propter abstemios. Quinta, vt sacerdotes in hoc laicis excellerent; si non fructu iuxta superius dicta *ca.4.q.2.* saltem ratione significationis magis expressæ Dominicæ passionis. Et quamuis aliquo gratiæ augmento priuarentur laici, meritò potuit Ecclesia magis prospicere reuerentiæ Sacramenti, quam vtilitati sumentium.

7 Potest autem Ecclesia dispensare in hac prohibitione, cum sit solius iuris Ecclesiastici; validè quidem sine causa, licitè verò, si causa subsit. Sic *Clemens 6. dispensauit cum Rege Galliæ*, *Paulus 3. cum Bohemis*, si retractarent errorem. Sic Romæ Diaconus ministrans in Missa solemni Summo Pontifici sub vtraq; specie communicat, & similem consuetudinem refert *Claudius Sainctes Repetition.10.ca.2. seruari Parisijs in Conuentu Cluniacensi.* Sic Imperator dum coronatur, vtramque speciem recipit. Rex Galliæ tum in coronatione, tum in mortis articulo; Græci communiter; nec ideo reprehenduntur, nam id faciunt ex Ecclesiæ consensu saltem præsumpto. Videantur *Henriqu.lib.8.cap.44. Suarez 3. par.disp.71. sect.3. Vazquez 3. par. disp. 216.cap.4.& alij Recentiores.*

8 Sine tali dispensatione significant *Sotus in 4.dist.13.q.2. ar.6.ad 1.& Toletus lib.2.cap.9.* numquam posse laicum sumere sanguinis speciem; quamuis species vini corrumpenda sit. Melius tamen *Suarez, & Vazquez supra, Coninch.q.83. num.271. Filliucius trac.4.n.203. Fagundez Precept.3.lib.3. cap.4. Diana par.5. trac.3. Resol.34.* docent, sine dispensatione posse laicum sumere sanguinem ob euitandam irreuerentiam Sacramenti, nimirum si sacerdos post consecratum, & ante sumptum Calicem deficiat, nec adsit alius sacerdos, à quo possit sumi, sed prudenter timeatur, species vini consecrati vel deuenturas in infidelium potestatem, vel effundendas, vel corrumpendas: Quia præceptum Ecclesiasticum ob maiorem Sacramenti reuerentiam inductum non obligat cum manifesto periculo maioris irreuerentiæ, qualis reputatur vel infidelium irrisio, vel specierum consumptio: Quare Nos hanc sententiam secuti sumus *cap. 7. quæstione 7. numero 64.*

Similiter si sanguis Dominicus cadat in terram, nec adsit sacerdos, qui velit illum lambere, potest lambere laicus, vt contra nonnullos tenent *Suarez, & Filliucius, & Fagundez supra*, monent autem in his casibus, esse cauendum scandalum, & curandum, vt reuerenter admodum sanguis recipiatur.

9 Ad primum fundamentum oppositum respondetur ex *Tridentino sess.21. cap.1.* quamuis Christus Dominus in vltima Cœna Sacramentum illud instituit, & Apostolis tradidit sub duplici specie, non ideo voluisse Fideles omnes ad vtramque recipiendam obligare.

Quapropter illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem* ad omnes quidem Fideles diriguntur, non tamen eodem modo, sed iuxta munus singulorum, videlicet, vt illam actionem, prout ad singulos spectat, singuli præstent; Sacerdotes offerendo, consecrando, sumendo

do vtramque speciem; Laici vero sumẽdo, vel vnam, vel vtramque iuxta determinationem Ecclesiæ. Nec ex *Ioan.6.* in illis, vel similibus verbis species vtramq; complectentibus colligitur diuinũ præceptum communionis sub vtraque specie. Cum sępius etiam afferat de solo pane Christus Dominus. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* & iterum. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vt expendit *Trident. sup.*

10 Ad secundum respondetur, illam proportionem cibi materialis cum spirituali debito modo conceptam, vtique probare; sicut ad materialem vitam nutrimentum aliquod necessarium est ex lege naturæ, sic esse necessarium ad vitã spiritualem ex institutione diuina. Verum sicut in cibis materialibus videmus, esse nonnullos ita humidos, vt pro cibo, & potu supplere possint, & aliquas esse potiones tales, vt sine alio cibo possint diu vitam alere; sic, & potiori iure fatendum est, cibum spiritualem, vbi continetur etiam sanguis, per se sufficere, pariterque potum, vbi caro continetur, sufficienter nutrire.

CAP. XII. QVÆST. II.

Vtrum Sacerdos diuidere possit Hostiam consecratam ad communicandum Laicum?

11 PRima sententia negat absolutè, docens id solum licere, quando moribundus non potest aliter communicare. Sic tenent *Graffis par.1. lib.2. cap. 33. num.31. Zambrano cap.3. dub.6. num. 7. Zanardus part.1. de Eucharist. cap.9. num.15.* Probatur, quia sacerdos consumere debet totum sacrificium, quod sibi destinauit sumendum. Ergo solum ob morientis necessitatem poterit hostiæ partem communicanti prębere.

Antecedens colligitur ex c. *Relatum*, & cap. *Comperimus. de consecr. dist. 2.* Vbi sacerdotes iubentur integra Sacramenta percipere. Fauet *Rubrica Missalis de Defectibus Missæ* §.10. *num.3.*

12 Secunda sententia docet, cum non suppetit alia forma consecrata, dari posse partem hostiæ laico communicare volenti solum ex deuotione. Sic tenent *S. Antonin. Syluest. Angelus, Paludanus,* quos sequitur *Henriq. lib.8. cap.46. num. 2. litt.E. Bonacin. disput.4. quæst.5. pun.1. num.14. Sà verb. Eucharistia numero 15. Possevinus, Antonius de litteratis, Ochagauia, Granado, Scorza, Homobon.*, quos sequitur *Diana par.2. tract.14. Resol.37. part.3. trac.4. Resol.34 part.5. tract.3. Resol.54.* Probatur, quia sacrificium non desinit esse perfectum propter talis particulæ dispensationem, nec irrogatur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, si participes fiant astantes fructus realis hostiæ, partem eius realem suscipiendo, sicut participant fructum spiritualem ipsius. Et hæc sententia probabilior mihi videtur.

13 Ad fundamentum oppositum respondetur negando antecedens, nec aptè colligitur ex illis textibus. Nam cap. *Relatum* loquitur contra sacrificantes, qui nihil sacrificij recipiebant in aliquibus Missis. Caput *Comperimus* loquitur contra sacrificantes, qui sumebant speciem panis, & non speciem vini; quod vtrumque repugnat integritati sacrificij. Rubrica Missalis solum requirit, vt non suppetat alia hostia consecrata, qua communicari possit infirmus; de sano nihil dicit.

Et quamuis Synodus Toletana, quę celebrata fuit anno 1622. absolutè prohibeat, ex hostia diuidi particulam ad laici communionem, intelligi debet, quando possunt aliæ formulæ consecrari. Quod enim quidam asserunt, etiam in eo casu nullam subesse culpam, cum nullum pręceptum vetet, ex hostia diuidi particulam; falsum equidem est.

Quippè Rubrica pręscribens, vt infirmo detur pars hostiæ, si non sit alia consecrata, satis apertè prohibet, ne detur hostiæ pars infirmo; nec à fortiori sanis, quan-

quando suppetit alia consecrata, vel facilè consecrari potest. Ideo *Sà, Granado, Diana sup.* cum alijs ad diuidendam hostiam pro communione laicorum requirunt, vt non suppetat alia.

CAP. XII. QVÆST. III.

An Sacerdos communicans gestare debeat stolam?

14 Loquimur, quādo Sacerdos communicat more laicorum, & affirmat prima sententia, quām tenēt *Angelus verb. Sacerdos num. 4. Naldus verb. Missa n. 6. Homobonus tr. 4. par. 1. cap. 11. q. 106.* Probatur *ex cap. Ecclesiast. dist. 23.* Vbi præscribitur, *vt, cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario vtroque humero circumseptus, ita vt de vno, eodemque Orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo appareat pectore crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiacebit.* Vnde colligunt, obligationem esse grauem, si quidem imponitur excommunicationis pœna.

15 Secunda sententia negat omnem obligationem. Quia textum illum capit de Sacerdote communicante, dum celebrat; quod indè colligit, quia loquitur de sumente corpus, & sanguinem Domini; cum Sacerdos communicans more laicorum, non sumat sanguinem sub specie vini, ac subindè non comprehendatur hoc præcepto, nec peccet sic communicans sine stola. Sic sentiunt *Syluester verb. Sacerdos, numero quarto. Nauarrus capit. 21. num. 54. Graffis lib. 2. cap. 40. num. 2. Fagundez Precept. 3. lib. 3. cap. 6. num. 1.*

16 Dico primò. Verè textus ille loquitur de communione sacerdotis extra celebrationem. Nam id videtur magis consonum eius verbis sub disiunctione referentibus sacerdotem, vel celebrantem, vel communicantem. Nec obstat Aduersariorum coniectura; nam olim etiam extra sacrificium sub vtraque specie communicabant Fideles. Ita *Glossa, & Turrecremata ibi, Suar. 3. part. tom. 3. disp. 68. sect. 1. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 28. q. 12. Reginaldus, lib. 29. nu. 112. Bonacina de Sacramentis disp. 4. qu. 6. puncto 2. nu. 2. Pitigianus in 4. tomo primo dist. 13. quæst. 2. art. 5. Diana par. 2. tractat. 14. resolut. 20.*

17 Dico secundò. Teneri subindè sacerdotes communicantes extra celebrationem stolam gerere super humeros, nam hæc ceremonia dimanans ex iure, receptaque praxi communi obligationem aliquam inducit. Ita significant ferè Doctores citati, dum grauem solum obligationem sub mortali secludunt. Consonat *Andreas Piscara in Praxi Cærem. li. 2. sect. 14. cap. 7. numero 5.* dicens. *Sacerdotes accedunt* (scilicet ad communicandum) *super superpelliceum habentes stolam coloris tempori conuenientis.* Idem asserit *Gauantus in Rubrica tomo primo part. 4. tit. 8. numero septimo.* Et addit, omissionem huius cæremoniȩ non esse mortale peccatum: Quod ego quoque sentio cum Authoribus adductis numero præcedenti. Quia res non est admodum grauis, nec vsu communi tam grauis obligatio videtur recepta; sicut nec obligatio gerendi superpelliceum, seu formandi cum stola crucem in pectore: Siquidem hæc à viris timoratis omittuntur. Et in hoc sensu verum erit, quod dicunt *Azor, Pitigianus, & Diana*, decretum illud esse iam abrogatum vsu contrario: intellige, quoad obligationem sub mortali, vel quoad alias circumstantias.

18 Si petas, an laici decenter accedant ad Sacramenta recipienda ense, pugione neque præcincti? Quidam Recentiores affirmat de Religiosis militaribus: Nam hi portant arma tamquam habitum suæ Religionis in protestationem, & defensionem Dei.

Quare non debent ea deponere, cum maximè fidem profitentur, recipiendo Confirmationem, vel Eucharistiam; imò nec in receptione Pœnitentiæ, cum illud tribunal non sit contentiosum, sicut tribunalia politica. Sic censet *Ioan. Sanchez disputatio 45 numero tertio, et numero sexto.* Id extendit ad omnes laicos; quia putat, ibi nullam irreuerentiam contineri. Consonat *Diana par. 3. tractat. 2. resolut.* 30. dum tamen non sequatur scandalum, quod existimat in tali casu ferè semper ad futurum.

19 Equidem in stationibus militaribus, in portubus, in locis militiæ deditis solent omnes armis accincti recipere Sacramenta: Cœteri vero Fideles communiter arma deponunt, cum ad Sacramentum Eucharistiæ, vel Confirmationis, vel Pœnitentiæ recipiendum accedunt in signum supplicis venerationis.

Non video tamen aliquod ius positiuum talem cæremoniam præcipiens: An autem præscribatur iure naturali, multum pendet à consuetudine, ac modo concipiendi genus aliquod irreuerentiæ in accessu cum armis; sicut etiam cum chirotecis, vel habitu quopiam nimis profano, minusue decenti.

20 Rituale Romanum *tit. de Eucharistia* §. 6. sic ait, *lampades coram eo* (scilicet hoc Sacramento) *plures, vel saltem vna die, noctuque perpetuo colluceat.* Quod etiam iniungunt *Barbosa de officio Parochi cap. 20. numero 27. & Possevinus capite 12. numero 68.* dicentes, ante Sacramentum Eucharistiæ lampadem arsuram esse semper tum propter Sacramenti reuerentiam, ob quam etiam Missa dici non potest sine lumine; tum item, vt ingredientes templum, sciant, vbi primum adorare debeant præsentiam Saluatoris. Hinc infert *Quintanadueñas tomo primo trac. 4. singul.* 1. hoc præceptum obligare sub peccato, quod erit veniale, si paruo tempore lumen ibi non adsit: Si vero per integrum diem, aut per tres, vel quatuor noctes voluntariè relinquatur Eucharistia sine lumine, peccare mortaliter illum, cui munus incumbit conseruandi lumen illud. Cui sanè consentio, quoties nulla subest excusatio vel inopiæ, vel contrariæ praxis receptæ, vel similis, quæ legitima sit.

CAP. XII. QVÆST. IV.

Quid requiratur ad licitam administrationem Eucharistiæ.

21 Ex supradictis constat, ex parte Sacramenti requiri, vt ministretur sub specie panis ritè consecrati, nec sub vtraque specie, nec sub specie sola vini. Ex parte recipientium requiritur, vt sint capaces, ritèque dispositi. Ex parte ministrantis requiritur, vt habeat potestatem ordinis, & iurisdictionis, debitamque dispositionem, de qua diximus *lib. 1. cap. 2. qu. 5.* Quomodo vero Sacramentum istud non sit ministrandum indignis, nec recipiendum ab indignis, diximus *ibi cap. 5. & 6.*

22 Quoad ritum externum communionis diximus, qua compositione communicandum sit superius in hoc *libro 4. capite septimo numero 2. 3. & 4.* Nunc addimus, esse seruandas omnes communionis circumstantias, quas recepta consuetudo, vel Ecclesiasticæ leges præscribunt.

Sic peccat grauiter sacerdos, qui vel tempore per Ecclesiam interdicto, vel in loco prohibito sine debita facultate ministrauerit Eucharistiam. Item si ministret sine debito cultu, nempè si non sit indutus saltem superpelliceo, & stola, vt notant *Graffis lib. 2. capite 40. Fagundez Precept. 3. lib. 3. cap. 3. num. 9. Bonac. disp. 4. quæstione quinta punct. 2. numer. 8. Suarez tom. 3. disput. 72. sectio. 4.* qui dicunt, hæc esse necessaria sub mortali. Nam ad decentiam tanto Sacramento debitam pertinent, & districtè præcipiuntur in *cap. Sanè, de celebr. Missar.*

23 Ve-

23 Verum nota 1. Quamuis soleat lumen accendi, & confessio generalis præmitti cum quibusdam precibus, quæ non possunt omitti sine rationabili causa; nam aliqualem irreuerentiam contineret omissio voluntaria talium Rituum, quos Ecclesia præscribit. At *Suarez, & Fagundez supra censent*, hæc non ita rigorosè præcipi, vt ipsorum omissio secluso tum scandalo, tum contemptu sit mortale peccatum, sed solum veniale. Certè quod lumen precedat, quoties Eucharistia defertur ad Infirmos, expressè præcipit illud *cap. Sanè iubens*, grauiter puniri transgressorem; vbi grauis culpa supponi videtur. Rituale quoque Romanum præcipit Eucharistiam deferri cum lumine.

Cœterum quando longiùs, & difficiliùs iter obeundum est, & forsan etiam equitandum, præscribit, vt vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, & ad collum appensa sic includatur, & ad pectus alligetur, vt nec decidere, nec è pyxide Sacramentum excuti nequeat. De lumine, vel habitu, vel reliquo ritu pro tali casu nihil decidit. Synodus *Hispalensis tit. de custod. Euch. cap.* 1. præcipit, vt Parochus in eo casu via recta vadat ad infirmum deuotè recitans hymnos, & psalmos, & portet illas formulas consecratas dumtaxat, quæ dādæ sunt infirmis, itaut redeat sine Sacramento, quod approbat *Quintanad. supra singul.* 8.

24 Ego censeo cum *Possevino capite* 8. *num.* 4. & *Barbosa sup. cap.* 2. *num.* 51. quoad ea quæ non præcipiuntur expressè, seruandam esse consuetudinem vbique receptam; & curandum esse, vt lumen vel ex cera, vel ex oleo saltem intra laternam inclusum integro itinere deferatur accensum quoad fieri possit. Item si nō expediat, per longam viam indutum incedere superpelliceo, & stola, saltem hæc deferat secum, vt in infirmi domo ipsis induatur ad Eucharistiam ministrādam. Quod enim asserunt *Possevinus, & Syluester*, quos sequitur *Bonacina supra*. Nempè non posse Parochum Eucharistiam ad infirmum deferre, quoties eam deferri nequit cum stola, & superpelliceo præcedente lumine iuxta prædictum ca. *Sanè*. debet intelligi, quando distantia, vel qualitas viæ patitur talem ritum: secus si non patiatur illum. Quoniam necessitas, vel vtilitas communionis præsertim in articulo mortis preferenda videtur obseruantiæ talis ritus.

25 Similiter quando Parochus non poterit Eucharistiam ministrare morienti, nisi valdè festinanter currat, vt illum viuum reperiat. *Bonac. sup. nu.* 9. & *Barbosa cap.* 20. *num.* 46. dicunt, non esse deferendam ob irreuerentiam Sacramēti, Ministrique simul indecentiam, & irrisionem ex tali festinatione prouēturam, quæ satis excusare videtur à tale viatico ministrando. *Quintanad. verò tract.* 4. *sing.* 8. censet, deferendam esse, nisi prudenter timeatur, vel Eucharistiam fore pro lapsuram in terram, vel scandalum graue secuturum: Quod equidem rarissimè continget; quippe viri cordati videntes Eucharistiam veloci cursu deferri, prudenter iudicabunt, esse periculum in mora: Quod autem Parochus ab insipientibus irrideatur, non illam excusat ab obligatione ministrandi tali tempore Sacramentum, cuius irreuerentia prouenieus ex festinatione postponi debet vtilitati recipientis, ob quām Eucharistia quasi cedit iuri suo.

26 In hac re prudenter conferendę sunt irreuerentia Sacramenti, & irrisio sacerdotis cum necessitate vel vtilitate recipientis, vt appareat, quid rationabilius sit. Certè quoties Parochus ministraturus Baptismum, vel Pœnitentiam, vel Extremam Vnctionem, probabilitatimet, proximum in peccato mortali decessurum, nisi festinet, & currat; fatentur Doctores, illum debere currere festinanter, etsi nondum integrè sit indutus, aut ingruat pluuia, vel pruina, vel æstus, aut sacerdos sit irridendus, vt fatuus; Tenetur .n. non solum honorem, & famam, sed etiam vitā exponere pro salute suarum ouium, quando versantur in extrema necessitate spirituali.

27 Vn-

27 Vnde colligo 1. quoties infirmus nequit aliud Sacramentum præter Eucharistiam recipere, prudenterque timetur eius damnatio, nisi recipiat viaticum; hoc esse ministrandum, etsi sacerdos debeat currere festinanter, & omittere ritus accidentales communionis; quia tunc necessitas morientis præponderat reuerentiæ Sacramenti. Secus verò, si non vrgeat talis necessitas; quippe sola communionis vtilitas non præponderat Eucharistiæ venerationi.

Colligo secundò; Viaticum non esse deferendum ad infirmum, vt adoretur dumtaxat; nam est aliqualis irreuerentia tanti Domini, sic docet *Sá verb. Eucharistia num. 6.* sic præscribunt Rituale Romanum, & Congregatio Cardinalium.

28 Colligo tertiò. Sacerdotem, qui propter chiragram, vel aliam infirmitatem non potest Eucharistiam Indice, ac pollice ministrare, non posse licitè illam alijs digitis conferre; licet enim tota manus sit consecrata; consuetudo fert, vt Sacramenta, quæ non sunt absolutè necessaria quoad realem receptionem, conferantur indice, ac pollice; nec ab vsu communi recedendum est. Ita *Bonacina sup. num.* 10. Intellige tamen, nisi necessitas spiritualis vrgeat vel extrema, vel grauissima; tunc enim quibuslibet digitis ministrari debet.

Dum vero potest sacerdos propria manu ministrare viaticum infectis, non esse vtendum instrumento quopiam, diximus hoc *libro quarto capite 9. quæstione 4.*

LIBER

LIBER QVINTVS.

DE MISSA.

NOMEN Missa, quamuis non habeatur in scriptura, satis antiquum est in Ecclesia, vt constat ex *Ambrosio libr. 5. epist. 33. & Aug. serm. 91. de tempore*. Quidam putant, esse vocem Hebraicam, & significare oblationem; haberique *Deuter. 16. ver.* 10. Verum, si vox esset Hebrea, retenta fuisset in omnibus aliis linguis, sicut vox *Alleluia. Osanna, & similes*. Alij volunt, esse nomen latinum adiectiuum, cuius substantiuum oblatio, vel hostia subintelligatur. At melius alii sentiunt, esse nomen substantiuum promissione, seu dimissione sumptum, sicut repulsa sumitur pro repulsione, collecta pro collectione, peccati remissa pro remissione apud *Tertullianum, & Cyprianum*. Quo sensu dicit Diaconus. *Ite Missa est*. Idest, iam est dimissio Congregationis, abire licet; & quoniam olim etiam ante primam oblationem solebant dimitti Catechumeni, prima illa pars officii fuit appellata Missa Catechumenorum. Videantur *Vazquez 3. par. disput. 221. cap. 1. Coninch. qu. 83. num. 47. Martinon tom. 4. disp. 38 sect. 1. num. 1.*

Addunt *Henriquez lib. 9. cap. 10. num. 3. Suar. disput. 74. sect. 3. Bonacina de Sacram. disput. 4. quaest. vlt. punct. 1. num. 1.* nostrum sacrificium dici quoque *Missam*, quia Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificii, quam nos ad ipsum in oblatione remittimus. Quia vero Missa continet rationem sacrificii, haec prius erit examinanda.

CAPVT I.

De sacrificio in communi.

1 S. *Th. 2. 2. q. 85.* inter actus Religionis enumerat oblationem sacrificij quod offertur soli Deo in signũ nostrae subiectionis, & diuinae potestatis. Et quidẽ sacrificium impropriè, latèq; sumptum significare solet in scriptura qualibet opera bona. Sic sacrificium appellatur contritio *ps. 50. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus. Laus Dei ps. 46. Sacrificiũ laudis honorificabit me.* Eleemosyna. *Hebr. 13. Talibus. n. hostijs promeretur Deus.* Martyriũ *Sap. 3. Quasi holocausti hostiam accepit eos.* Mortificatio. *Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem.* Haec analogicè, seu metaforicè dicuntur sacrificia, vt notant communiter Doctores. & contra Nonatores asserentes opus bonum habere veram rationem sacrificij, latè probant *Bellarm. de Euchar. lib. 5. c. 2. Vazq. disp. 220. c. 1. Coninch. qu. 83. n. 2. & seqq. Martinon tom. 4. disp. 38. sect. 1. n. 2.*

2 Sacrificiũ apud Catholicos propriè significat actionem sensibilem, qua res offertur Deo cum immutatione aliqua per competentem ministrum in signum nostrae subiectionis, & diuinae potestatis, seu supremi dominij rerum omnium, sic in scriptura distinguitur ab aliis operib. bonis, .s ab actu misericordiae. Oseae 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, ab actu obedientiae, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victimae*; ab actibus aliarum virtutum Hebr. 5. vbi Pontifex constitui dicitur, *vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; cum actus aliarũ virtutum à singulis fidelibus exerceri possint.

*cap.9.q.1.*neceſſitatem Euchariſtiæ, pariter probare videntur neceſſitatē ſumendi vtramque ſpeciem; ſiquidem de vtraque dixit Chriſtus *Ioan.6. Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo vel concedendum eſt præceptum vtriuſque ſpeciei, vel negandum eſt præceptum communicandi.

Probatur ſecundò. Nam vt vidimus *cap.8.num.*18.& 33. hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, ſeu nutrimenti, vt intelligeremus, eſſe neceſſarium ad conſeruandam vitam ſpiritualem, ſicut corporale nutrimentum ad vitam materialem; Sed ad conſeruandam vitam materialem non minus neceſſarius eſt potus, quàm cibus, & vterque ſimul requiritur. Ergo ſimiliter ad conſeruandam vitam ſpiritualem vtraque ſimul ſpecies requiritur, nec ſufficit vna ſine altera.

3 Suppono primò. Celebrantem debere ſemper vtramque ſpeciem ſumere propter integritatem ſacrificij. Sic *Sanctus Thom.3.par.quæſt.*80.*art.*12.*& communiter Doctores.* Vt videbimus *libro* 5. *cap.*2.*quæſ.*4.

Suppono ſecundò. Communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe per ſe malam, nec iure diuino prohibitam. Quippè non eſt contra præceptum naturale; Cum Euchariſtiæ inſtitutione ſuppoſita, vtriuſque ſpeciei ſumptio ſit actio ſacra, quę fieri poſſit reuerenter; nec contra diuinum pręceptum inductus olim fuiſſet vſus Eccleſiæ, quo frequenter populus ſpeciem vtramque ſumebat: vt conſtat *ex cap.Sacerdotes,*1.*quæſ.*1. latèque probant *Suarez tom.*3. *diſputat.*71.*ſectio.*1. *Fillinc.tract.*4.*num.*200. *Fagundez Præcept.* 3. *libro tertio capite quarto cum alijs.*

4 Dico primò. Non eſt per ſe malum, nec iure diuino vetitum vnam ſpeciem accipere ſine altera. Sic *Bellarminus de Euchariſt. libro quarto capite* 20. *& ſequentibus. Suarez, & Fagundez ſupr.* Probatur quoad ius naturale. Nam res contenta tota ſubeſt ſingulis ſpeciebus; ſignificatio quoque ſcil. vnio membrorum cum Chriſto, vel inter ſe ſufficiēter repræſentatur per vnicam ſpeciem; demum effectus integer confertur ſaltē quoad ſubſtantiam per ſingulas ſpecies. Ergo non eſt contra ius naturale ſumere dumtaxat vnam.

Quod autem non ſit contra ius diuinum. Probatur, quia Chriſtus Dominus aliquando ſub ſpecie ſolius panis præbuit Euchariſtiam, nimirum diſcipulis in Emaus, *Luc.*24. vt docet *Toletus in Ioan. cap.*6. Et in Eccleſia primitiua ſub ſola panis ſpecie communicabant Fideles. *Actor.*2.*num.*42. ibi. *Erant autem perſeuerantes in communicatione fractionis panis.* Vbi *Lyra, & vtraque Gloſſa communionem intelligunt, & fuiſſe ſub vna panis ſpecie*, probat latè *Coninch.qu.*80. *nu.*115.*& ſequentibus.* Notat etiam *Henriquez lib.*8. *cap.*44.*num.*2. *litt.G.* numquam fuiſſe generalem Eccleſiæ morem miniſtrandi laicis vtramque ſpeciem, ſed in quibuſdam tantum locis, aut Prouincijs. *Paulus item* 1.*Corint.*10. dixit: *Vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus, & cap.*11. *ſub disiunctione protulit. Quicumque manducauerit, vel biberit, &c.* Quare nec diuinum præceptum obligat ad alteram ſpeciem determinatè ſumendam, ſed confusè ſolum, vt docent *Bellarminus ſupr.cap.*27. *ad.*8. *Suarez ſect.*2. *Fagundez numer.*14. *&* 17.

5 Dico ſecundò. Nullum eſt præceptum diuinum obligans laicos ad communicandum aliquando ſub vtraq; ſpecie. Sic docent *S.Thomas* 3.*p.q.*80.*artic.*12. *Vazquez* 3.*par.diſp.*216.*c.*2. & 3. *Valentia tom.*4.*diſp.*6.*q.*6.*punc.*5. *Bellarminus ſup.cap.*24. *Coninch.num.*112. Definitur *in Concil.Conſtantienſi ſeſſ.*13. & potiſſimum *in Tridentino ſeſſ.*21.*ca.*1. Vbi probat noſtram concluſionem ex ſcriptura, & ex Eccleſiæ ſenſu, ac praxi.

6 Dico tertiò. Semper habuit Eccleſia poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua ipſorum ſubſtantia vel. ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum Sacramentorum

venerationi pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire iudicaret. Sic definit *Tridentinum sess. 21. c. 2.* & probat ex *Paulo 1. Corint. 4. & 6. & 11.* Vtens igitur hac potestate, validè, prudenterque prohibuit vsum Calicis omnibus extra sacrificium communicantibus. Sic *Conc. Constantiense sup.* præcipit sub excommunicationis pœna, ne vllus sacerdos communicet populū sub vtraque specie. Sic *Tridentinum supra cap. 2. & can. 2.* consuetudinem, ac legem, quā tam Laici, quam Clerici quoque non celebrātes sub specie solius panis communicare solent, approbat, & seruandam esse, decreuit, dicens iustis de causis ad id adductam Ecclesiam fuisse.

Prima fuit ad vitandas hæreses, de qua latè *Bellarminus cap. 28.*

Secunda propter effusionis periculum, dum ministratur, & periculum corruptionis, dum seruatur.

Tertia propter vsum vini difficilem in Regionibus septemtrionalibus.

Quarta propter abstemios. Quinta, vt sacerdotes in hoc laicis excellerent; si non fructu iuxta superius dicta *ca. 4. q. 2.* saltem ratione significationis magis expressæ Dominicæ passionis. Et quamuis aliquo gratiæ augmento priuarentur laici, meritò potuit Ecclesia magis prospicere reuerentiæ Sacramenti, quam vtilitati sumentium.

7 Potest autem Ecclesia dispensare in hac prohibitione, cum sit solius iuris Ecclesiastici; validè quidem sine causa, licitè verò, si causa subsit. Sic *Clemens 6. dispensauit cum Rege Galliæ, Paulus 3. cum Bohemis,* si retractarent errorem. Sic Romæ Diaconus ministrans in Missa solemni Summo Pontifici sub vtraq; specie communicat, & similem consuetudinem refert *Claudius Sainctes Repetition. 10. ca. 2. seruari Parisijs in Conuentu Cluniacensi.* Sic Imperator dum coronatur, vtramque speciem recipit. Rex Galliæ tum in coronatione, tum in mortis articulo; Græci communiter; nec ideo reprehenduntur, nam id faciunt ex Ecclesiæ consensu saltem præsumpto. Videantur *Henriqu. lib. 8. cap. 44. Suarez 3. par. disp. 71. sect. 3. Vazquez 3. par. disp. 216. cap. 4. & alij Recentiores.*

8 Sine tali dispensatione significant *Sotus in 4. dist. 13. q. 2. ar. 6. ad 1. & Toletus lib. 2. cap. 9.* numquam posse laicum sumere sanguinis speciem; quamuis species vini corrumpenda sit. Melius tamen *Suarez, & Vazquez supra, Coninch. q. 83. num. 271. Filliucius trac. 4. n. 103. Fagundez Precept. 3. lib. 3. cap. 4. Diana par. 5. trac. 3. Resol. 34.* docent, sine dispensatione posse laicum sumere sanguinem ob euitandam irreuerentiam Sacramenti, nimirum si sacerdos post consecratum & ante sumptum Calicem deficiat, nec adsit alius sacerdos, a quo possit sumi, sed prudenter timeatur, species vini consecrati vel deuenturas in infidelium potestatem, vel effundendas, vel corrumpendas: Quia præceptum Ecclesiasticum ob maiorem Sacramenti reuerentiam inductum non obligat cum manifesto periculo maioris irreuerentiæ, qualis reputatur vel infidelium irrisio, vel specierum consumptio: Quare Nos hanc sententiam secuti sumus *cap. 7. quæstione 7. numero 64.*

Similiter si sanguis Dominicus cadat in terram, nec adsit sacerdos, qui velit illum lambere, potest lambere laicus, vt contra nonnullos tenent *Suarez, & Filliucius, & Fagundez supra,* monent autem in his casibus, esse cauendum scandalum, & curandum, vt reuerenter admodum sanguis recipiatur.

9 Ad primum fundamentum oppositum respondetur ex *Tridentino sess. 21. cap. 1.* quamuis Christus Dominus in vltima Cœna Sacramentum illud instituit, & Apostolis tradidit sub duplici specie, non ideo voluisse Fideles omnes ad vtramque recipiendam obligare.

Quapropter illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem* ad omnes quidem Fideles diriguntur, non tamen eodem modo, sed iuxta munus singulorum, videlicet, vt illam actionem, prout ad singulos spectat, singuli præstent; Sacerdotes offerendo, consecrando, sumendo

do vtramque speciem; Laici vero sumēdo, vel vnam, vel vtramque iuxta determinationem Ecclesiæ. Nec ex *Ioan.6.* in illis, vel similibus verbis species vtramq; complectentibus colligitur diuinū præceptum communionis sub vtraque specie. Cum sæpius etiam afferat de solo pane Christus Dominus. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* & iterum. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vt expendit *Trident. sup.*

10 Ad secundum respondetur, illam proportionem cibi materialis cum spirituali debito modo conceptam, vtique probare; sicut ad materialem vitam nutrimentum aliquod necessarium est ex lege naturæ, sic esse necessarium ad vitā spiritualem ex institutione diuina. Verum sicut in cibis materialibus videmus, esse nonnullos ita humidos, vt pro cibo, & potu supplere possint, & aliquas esse potiones tales, vt sine alio cibo possint diu vitam alere; sic, & potiori iure fatendum est, cibum spiritualem, vbi continetur etiam sanguis, per se sufficere, pariterque potum, vbi caro continetur, sufficienter nutrire.

CAP. XII. QVÆST. II.

Vtrum Sacerdos diuidere possit Hostiam consecratam ad communicandum Laicum?

11 PRima sententia negat absolutè, docens id solum licere, quando moribundus non potest aliter communicare. Sic tenent *Graffis par.1. lib.2. cap. 33. num.31. Zambrano cap.3. dub.6. num. 7. Zanardus part.1. de Eucharist. cap.9. num.15.* Probatur, quia sacerdos consumere debet totum sacrificium, quod sibi destinauit sumendum. Ergo solum ob morientis necessitatem poterit hostiæ partem communicanti præbere.

Antecedens colligitur ex c. *Relatum*, & cap. *Comperimus. de consecr. dist. 2.* Vbi sacerdotes iubentur integra Sacramenta percipere. Fauet *Rubrica Missalis de Defectibus Missæ* §.10. *num.3.*

12 Secunda sententia docet, cum non suppetit alia forma consecrata, dari posse partem hostiæ laico communicare volenti solum ex deuotione. Sic tenent *S. Antonin. Syluest. Angelus, Paludanus,* quos sequitur *Henriq. lib.8. cap.46. num. 2. litt. E. Bonacin. disput.4. quæst.5. pun.1. num.14. Sà verb. Eucharistia numero 15. Posseuinus, Antonius de litteratis, Ochagauia, Granado, Scorza, Homobon.*, quos sequitur *Diana par.2. tract.14. Resol.37. part.3. trac.4. Resol.34 part.5. tract.3. Resol.54.* Probatur, quia sacrificium non desinit esse perfectum propter talis particulæ dispensationem, nec irrogatur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, si participes fiant astantes fructus realis hostiæ, partem eius realem suscipiendo, sicut participant fructum spiritualem ipsius. Et hæc sententia probabilior mihi videtur.

13 Ad fundamentum oppositum respondetur negando antecedens, nec aptè colligitur ex illis textibus. Nam cap. *Relatum* loquitur contra sacrificantes, qui nihil sacrificij recipiebant in aliquibus Missis. Caput *Comperimus* loquitur contra sacrificantes, qui sumebant speciem panis, & non speciem vini; quod vtrumque repugnat integritati sacrificij. Rubrica Missalis solum requirit, vt non suppetat alia hostia consecrata, qua communicari possit infirmus; de sano nihil dicit.

Et quamuis Synodus Toletana, quæ celebrata fuit anno 1622. absolutè prohibeat, ex hostia diuidi particulam ad laici communionem, intelligi debet, quando possunt aliæ formulæ consecrari. Quod enim quidam asserunt, etiam in eo casu nullam subesse culpam, cum nullum præceptum vetet, ex hostia diuidi particulam; falsum equidem est.

Quippè Rubrica præscribens, vt infirmo detur pars hostiæ, si non sit alia consecrata, satis apertè prohibet, ne detur hostiæ pars infirmo; nec à fortiori sanis, quan-

quando ſuppetit alia conſecrata, vel facilè conſecrari poteſt. Ideo *Sà, Granado, Diana ſup.* cum alijs ad diuidendam hoſtiam pro communione laicorum requirunt, vt non ſuppetat alia.

CAP. XII. QVÆST. III.

An Sacerdos communicans geſtare debeat ſtolam?

14 Loquimur, quãdo Sacerdos communicat more laicorum, & affirmat prima ſententia, quàm tenet *Angelus verb. Sacerdos num. 4. Naldus verb. Miſſa n. 6. Homobonus tr. 4. par. 1. cap. 11. q. 106.* Probatur *ex cap. Eccleſiaſt. diſt. 23.* Vbi præſcribitur, *vt, cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm Orario vtroque humero circumſeptus, ita vt de vno, eodemque Orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens ſignum in ſuo appareat pectore crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubiacebit.* Vnde colligunt, obligationem eſſe grauem, ſi quidem imponitur excommunicationis pœna.

15 Secunda ſententia negat omnem obligationem. Quia textum illum capit de Sacerdote communicante, dum celebrat; quod indè colligit, quia loquitur de ſumente corpus, & ſanguinem Domini; cum Sacerdos communicans more laicorum, non ſumat ſanguinem ſub ſpecie vini, ac ſubindè non comprehendatur hoc præcepto, nec peccet ſic communicans ſine ſtola. Sic ſentiunt *Syluester verb. Sacerdos, numero quarto. Nauarrus capit. 21. num. 54. Graffis lib. 2. cap. 40. num. 2. Fagundez Præcept. 3. lib. 3. cap. 6. num. 1.*

16 Dico primò. Verè textus ille loquitur de communione ſacerdotis extra celebrationem. Nam id videtur magis conſonum eius verbis ſub diſiunctione referentibus ſacerdotem, vel celebrantem, vel communicantem. Nec obſtat Aduerſariorum coniectura; nam olim etiam extra ſacrificium ſub vtraque ſpecie communicabant Fideles. Ita *Gloſſa, & Turrecremata ibi, Suar. 3. part. tom. 3. diſp. 68. ſect. 1. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 28. q. 12. Reginaldus, lib. 29. nu. 112. Bonacina de Sacramentis diſp. 4. qu. 6. puncto 2. nu. 2. Pitigianus in 4. tomo primo diſt. 13. quæſ. 2. art. 5. Diana par. 2. tractat. 14. reſolut. 20.*

17 Dico ſecundò. Teneri ſubindè ſacerdotes communicantes extra celebrationem ſtolam gerere ſuper humeros, nam hæc ceremonia dimanans ex iure, receptaque praxi communi obligationem aliquam inducit. Ita ſignificant ferè Doctores citati, dum grauem ſolum obligationem ſub mortali ſecludunt. Conſonat *Andreas Piſcara in Praxi Cærem. li. 2. ſect. 14. cap. 7. numero 5.* dicens. *Sacerdotes accedunt* (ſcilicet ad communicandum) *ſuper ſuperpelliceum habentes ſtolam coloris tempori conuenientis.* Idem aſſerit *Gauantus in Rubrica tomo primo part. 4. tit. 8. numero ſeptimo.* Et addit, omiſſionem huius cæremoniæ non eſſe mortale peccatum: Quod ego quoque ſentio cum Authoribus adductis numero præcedenti. Quia res non eſt admodum grauis, nec vſu communi tam grauis obligatio videtur recepta; ſicut nec obligatio gerendi ſuperpelliceum, ſeu formandi cum ſtola crucem in pectore: Siquidem hæc à viris timoratis omittuntur. Et in hoc ſenſu verum erit, quod dicunt *Azor, Pitigianus, & Diana*, decretum illud eſſe iam abrogatum vſu contrario: intellige, quoad obligationem ſub mortali, vel quoad alias circumſtantias.

18 Si petas, an laici decenter accedant ad Sacramenta recipienda enſe, pugioneque præcincti? Quidam Recentiores affirmat de Religioſis militaribus: Nam hi portant arma tamquam habitum ſuæ Religionis in proteſtationem, & defenſionem Dei.

Qua-

Quare non debent ea deponere, cum maximè fidem profitentur, recipiendo Confirmationem, vel Eucharistiam; imò nec in receptione Pœnitentiæ, cum illud tribunal non sit contentiosum, sicut tribunalia politica. Sic censet *Ioan. Sanchez disputatio.45 numero tertio, et numero sexto.* Id extendit ad omnes laicos; quia putat, ibi nullam irreuerentiam contineri. Consonat *Diana par.3. tractat.2.resolut.*30. dum tamen non sequatur scandalum, quod existimat in tali casu ferè semper ad futurum.

19 Equidem in stationibus militaribus, in portubus, in locis militiæ deditis solent omnes armis accincti recipere Sacramenta: Cœteri vero Fideles communiter arma deponunt, cum ad Sacramentum Eucharistiæ, vel Confirmationis, vel Pœnitentiæ recipiendum accedunt in signum supplicis venerationis.

Non video tamen aliquod ius positiuum talem cæremoniam præcipiens: An autem præscribatur iure naturali, multum pendet à consuetudine, ac modo concipiendi genus aliquod irreuerentiæ in accessu cum armis; sicut etiam cum chirotecis, vel habitu quopiam nimis profano, minusue decenti.

20 Rituale Romanum *tit. de Eucharistia §.6.* sic ait, *lampades coram eo* (scilicet hoc Sacramento) *plures, vel saltem vna die, noctuque perpetuo colluceat.* Quod etiam iniungunt *Barbosa de officio Parochi cap.20. numero 27. & Possevinus capite 12. numero* 68. dicentes, ante Sacramentum Eucharistiæ lampadem arsuram esse semper tum propter Sacramenti reuerentiam, ob quam etiam Missa dici non potest sine lumine; tum item, vt ingredientes templum, sciant, vbi primum adorare debeant præsentiam Saluatoris. Hinc infert *Quintanadueñas tomo primo trac.4. singul.*1. hoc præceptum obligare sub peccato, quod erit veniale, si paruo tempore lumen ibi non adsit: Si vero per integrum diem, aut per tres, vel quatuor noctes voluntariè relinquatur Eucharistia sine lumine, peccare mortaliter illum, cui munus incumbit conseruandi lumen illud. Cui sanè consentio, quoties nulla subest excusatio vel inopiæ, vel contrariæ praxis receptæ, vel similis, quæ legitima sit.

CAP. XII. QVÆST. IV.

Quid requiratur ad licitam administrationem Eucharistiæ.

21 EX supradictis constat, ex parte Sacramenti requiri, vt ministretur sub specie panis ritè consecrati, nec sub vtraq; specie, nec sub specie sola vini. Ex parte recipientium requiritur, vt sint capaces, ritèque dispositi. Ex parte ministrantis requiritur, vt habeat potestatem ordinis, & iurisdictionis, debitamque dispositionem, de qua diximus *lib.1.cap.2.qu.5.* Quomodo vero Sacramentum istud non sit ministrandum indignis, nec recipiendum ab indignis, diximus *ibi cap.5.& 6.*

22 Quoad ritum externum communionis diximus, qua compositione communicandum sit, superius in hoc *libro 4. capite septimo numero 2.3. &* 4. Nunc addimus, esse seruandas omnes communionis circumstantias, quas recepta consuetudo, vel Ecclesiasticæ leges præscribunt.

Sic peccat grauiter sacerdos, qui vel tempore per Ecclesiam interdicto, vel in loco prohibito sine debita facultate ministrauerit Euchariam. Item si ministret sine debito cultu, nempè si non sit indutus saltem superpelliceo, & stola, vt notant *Graffis lib.2.capite* 40. *Fagundez Precept.3.lib.3.cap.3.num.9. Bonac. disp. 4.quæstione quinta punct.2.numer.8. Suarez tom.3.disput.72.sectio.4.* qui dicunt, hæc esse necessaria sub mortali. Nam ad decentiam tanto Sacramento debitam pertinent, & districtè præcipiuntur in *cap. Sanè, de celebr. Missar.*

23 Ve-

23 Verum nota 1. Quamuis soleat lumen accendi,& confessio generalis præmitti cum quibusdam precibus, quæ non possunt omitti sine rationabili causa; nam aliqualem irreuerentiam continet omissio voluntaria talium Rituum, quos Ecclesia præscribit. At *Suarez, & Fagundez supra censent*, hæc non ita rigorosè præcipi, vt ipsorum omissio seclusio tum scandalo, tum contemptu sit mortale peccatum, sed solum veniale. Certè quod lumen præcedat, quoties Eucharistia defertur ad Infirmos, expressè præcipit illud *cap. Sanè iubens*, grauiter puniri transgressorem; vbi grauis culpa supponi videtur. Rituale quoque Romanum præcipit Eucharistiam deferri cum lumine.

Cœterum quando longiùs, & difficiliùs iter obeundum est, & forsan etiam equitandum, prescribit, vt vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, & ad collum appensa sic includatur, & ad pectus alligetur, vt nec decidere, nec è pyxide Sacramentum excuti nequeat. De lumine, vel habitu, vel reliquo ritu pro tali casu nihil decidit. Synodus *Hispalensis tit. de custod. Euch. cap. 1.* præcipit, vt Parochus in eo casu via recta vadat ad infirmum deuotè recitans hymnos, & psalmos, & portet illas formulas consecratas dumtaxat, quæ dādæ sunt infirmis, itaut redeat sine Sacramento, quod approbat *Quintanad. supra singul. 8.*

24 Ego censeo cum *Posseuino capite 8. num. 4. & Barbosa sup. cap. 2. num. 51.* quoad ea quæ non præcipiuntur expressè, seruandam esse consuetudinem vbique receptam; & curandum esse, vt lumen vel ex cera, vel ex oleo saltem intra laternam inclusum integro itinere deferatur accensum quoad fieri possit. Item si nō expediat, per longam viam indutum incedere superpelliceo, & stola, saltem hæc deferat secum, vt in infirmi domo ipsis induatur ad Eucharistiam ministrādam. Quod enim asserunt *Posseuinus, & Sylvester*, quos sequitur *Bonacina supra*. Nempè non posse Parochum Eucharistiam ad infirmum deferre, quoties eam deferri nequit cum stola, & superpelliceo præcedente lumine iuxta prædictum *cap. Sanè*. debet intelligi, quando distantia, vel qualitas viæ patitur talem ritum: secus si non patiatur illum. Quoniam necessitas, vel vtilitas communionis præsertim in articulo mortis preferenda videtur obseruantiæ talis ritus.

25 Similiter quando Parochus non poterit Eucharistiam ministrare morienti, nisi valdè festinanter currat, vt illum viuum reperiat. *Bonac. sup. nu. 9. & Barbosa cap. 20. num. 46.* dicunt, non esse deferendam ob irreuerentiam Sacramēti, Ministrique simul indecentiam, & irrisionem ex tali festinatione prouēturam, quæ satis excusare videtur à tale viatico ministrando. *Quintanad. verò tractat. 4. sing. 8.* censet, deferendam esse, nisi prudenter timeatur, vel Eucharistiam fore pro lapsuram in terram, vel scandalum graue secuturum: Quod equidem rarissimè contingет; quippe viri cordati videntes Eucharistiam veloci cursu deferri, prudenter iudicabunt, esse periculum in mora: Quod autem Parochus ab insipientibus irrideatur, non illam excusat ab obligatione ministrandi tali tempore Sacramentum, cuius irreuerentia prouenïens ex festinatione postponi debet vtilitati recipientis, ob quam Eucharistia quasi cedit iuri suo.

26 In hac re prudenter conferendę sunt irreuerentia Sacramenti, & irrisio sacerdotis cum necessitate vel vtilitate recipientis, vt appareat, quid rarionabilius sit. Certè quoties Parochus ministraturus Baptismum, vel Pœnitentiam, vel Extremam Vnctionem, probabilitatimet, proximum in peccato mortali decessurum, nisi festinet, & currat; fatentur Doctores, illum debere currere festinanter, etsi nondum integrè sit indutus, aut ingruat pluuia, vel pruina, vel æstus, aut sacerdos sit irridendus, vt fatuus; Tenetur .n. non solum honorem, & famam, sed etiam vitā exponere pro salute suarum ouium, quando versantur in extrema necessitate spirituali.

LIBER QVINTVS.

DE MISSA.




NOMEN Missa, quamuis non habeatur in scriptura, satis antiquum est in Ecclesia, vt constat ex *Ambrosio libr. 5. epist. 33. & Aug. ferm. 91. de tempore*. Quidam putant, esse vocem Hebraicam, & significare oblationem, haberique *Deuter. 16. ver. 10.* Verum, si vox esset Hebręa, retenta fuisset in omnibus aliis linguis, sicut vox *Alleluia. Osanna, & similes*. Alij volunt, esse nomen latinum adiectiuum, cuius substantiuum, oblatio, vel hostia subintelligatur. At melius alii sentiunt, esse nomen substantiuum promissione, seu dimissione sumptum, sicut repulsa sumitur pro repulsione, collecta pro collectione, peccati remissa pro remissione apud *Tertullianum, & Cyprianum*. Quo sensu dicit Diaconus. *Ite Missa est*. Idest, iam est dimissio Congregationis, abire licet; & quoniam olim etiam ante primam oblationem solebant dimitti Catechumeni, prima illa pars officii fuit appellata Missa Catechumenorum. Videantur *Vazquez 3. par. disput. 221. cap. 1. Coninck. qu. 83. num. 47. Martinon tom. 4. disp. 38 sect. 1. num. 1.*

Addunt *Henriquez lib. 9. cap. 10. num. 3. Suar. disput. 74 sect. 3. Bonacina de Sacram. disput. 4. quaest. vlt. punct. 1. num. 1.* nostrum sacrificium dici quoque *Missam*, quia Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificii, quam nos ad ipsum in oblatione remittimus. Quia vero Missa continet rationem sacrificii, hæc prius erit examinanda.

CAPVT I.

De sacrificio in communi.

1 

S. *Th. 2. 2. q. 85.* inter actus Religionis enumerat oblationem sacrificij quod offertur soli Deo in signū nostræ subiectionis, & diuinæ potestatis. Et quidē sacrificium impropriè, latéq; sumptum significare solet in scriptura quælibet opera bona. Sic sacrificium appellatur contritio *ps. 50. Sacrificiū Deo spiritus contribulatus. Laus Dei ps. 46. Sacrificiū laudis honorificabit me.* Eleemosyna. *Hebr. 13. Talibus, n. hostijs promeretur Deus.* Martyriū *Sap. 3. Quasi holocausti hostiam accepit eos.* Mortificatio. *Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*. Hæc analogicè, seu metaforicè dicuntur sacrificia, vt notant communiter Doctores, & contra Nouatores asserentes opus bonum habere veram rationem sacrificij, latè probant *Bellarm. de Euchar. lib. 5. c. 2. Vazq. disp. 220. c. 1. Coninch. qu. 83 n. 2 & seqq. Martinon tom. 4. disp. 38. sect. 1. n. 2.*

2 Sacrificiū apud Catholicos propriè significat actionem sensibilem, quâ res offertur Deo cum immutatione aliqua per competentem ministrum in signum nostræ subiectionis, & diuinæ potestatis, seu supremi dominij rerum omnium, sic in scriptura distinguitur ab aliis operib. bonis, .s. ab actu misericordiæ. Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, ab actu obedientiæ, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victimæ*; ab actibus aliarum virtutum Hebr. 5. vbi Pontifex constitui dicitur, *vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; cum actus aliarū virtutum à singulis fidelibus exerceri possint.

3 Hinc habemus, sacrificium esse simul oblationem, & sacrum signum, quatenus oblatio conuenit cum alijs oblationibus, quę non sunt sacrificia, qualis est oblatio Calicis, vel cerei, vel pecunię, vel alterius rei. Quatenus signum sacrum conuenit cum Sacramentis, quæ regulariter non sunt sacrificia, sed signa gratiæ; conuenit etiam cum alijs actibus religiosis, qui significant nostram submissionem ad Deum, & cultum diuini numinis, qualis est genuflexio, pectoris tunsio, & similes.

4 Vt autem sacrificium ab omnibus alijs oblationibus, & signis, quæ propriè sacrificia non sunt, omnino discernatur, varij varias constituunt sacrificij definitiones, seu descriptiones, quas varij vicissim refellunt. Ego suppono primò, cum *Eusebio li.1. de demonst. c. vlt.* hominem debere vitam suam Deo, non solum dicare totam, sed etiam sacrificare: quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ fuisse introductum, vt proprium sacrificium vitæ propriæ commutaretur in sacrificium animalis, vel aliquid eiusmodi. Quare proprium sacrificium est signum externum, quo profitemur, nos habere totum esse nostrum à Deo, & ideo dignum esse Deum in cuius honorem, & esse nostrum, & vita nostra consumatur offerendo loco propriæ vitæ, (quàm regulariter non licet destruere) vitam, vel entitatem alterius rei, simulque protestando nos eodem modo libenter oblaturos fore nostram vitam, si liceret, & oporteret. Quæ significatio, & oblatio, & protestatio valdè conformis est lumini naturali, & ideo cunctis ferè nationibus communibus ad Deum verum, vel putatiuum supremo cultu venerandum.

5 Hinc suppono secundò, cum *Suar. tom.3. disp.73. sect.1. & alijs communiter,* sacrificium esse signum ad placitū, qualia ferè sunt omnia, quibus homo rationalem mentem exponit, cum enim nihil sit, quod naturaliter exprimat existimationem, quàm habemus de Deo, nostramque submissionem ad ipsum, impositio requiritur talium signorum ad placitum alicuius. De quo sit.

CAP. I. QVÆST. V.

An sacrificium debeat esse signum institutum à Deo?

6 Ex natura rei certum est, ad essentiam sacrificij non requiri diuinam institutionem, quia, sicut lumine naturali cognoscere possumus summam excellentiam, & efficientiam Dei, & omnimodam dependentiam, quàm habemus ab illo, sic solo dictamine rationis possumus protestari nostram submissionem Deo debitam, & nostrimet oblationem per hoc, vel illud signum à nobis impositum ad hoc significandum. Quippè sacrificium non minus est de iure naturæ, quam oratio, vel adoratio, vel votum, vel iuramentum, & similes actus Religionis, vt docet *S. Thom. 2.2. quæst. 85. art.1.* Quare verisimile, fit in lege naturali fuisse sacrificia nonnulla per homines instituta.

7 Nec obstat, Sacramenta institui non posse ab alio, quàm à Deo, discrimen enim est, quia Sacramentum est signum efficax gratiæ, quàm homines producere nequeunt, & consequenter efficere non possunt, vt aliquid efficaciter causet gratiam, quam significat.

At sacrificium, non est necesse, quod operetur gratiam, sed quod significet prædictam submissionem, & protestationem hominis erga Deum, quàm significationem habere potest ab hominum institutione. Fatendum tamen est, non potuisse Missę sacrificium institui ab alio, quàm à Deo: nam illa mirabilis conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Dominicū est opus solius Dei, qui solus potuit vim efficiendi conuersionem illam alligare signis sensibilibus.

8 Suppono secundò, potuisse Deum, vt Principem supremum reseruare sibi sacrificiorum institutionem, & ita de facto reseruasse tam in lege veteri, quàm in noua.

Dum

Dum enim tam Iudæis, quàm Christianis certa sacrificia præscripsit, quibus coli vellet, censetur, cętera prohibuisse. Quare conueniunt Authores, cętera non esse licita, nec legitima. Cęterum, an sint valida, seu vera sacrificia, dissentiunt nonnihil. Affirmare quippè videtur *Martinon tom. 4. disp. 38. num. 13. & 26.* Quia Deus non potest immutare rerum essentias, sed sacrificium ab hominib. institutum retinet veram essentiam sacrificij, cum hæc per se non requirat institutionem diuinam; ergo, quamuis posita prohibitione diuina reddatur illicitum, & illegitimum, adhuc est verum essentialiter sacrificium.

Vnde colligit, si quis nunc vsurparet aliud sacrificium præter Eucharisticum, fore nihilominus illud verum sacrificiũ, quamuis illicitum, & illegitimum. Confirmatur, quia sacrificia, quæ falsis Dijs offeruntur ab Ethnicis, habent veram, & essentialem rationem sacrificij sumpti latius, quàm pro vero religionis actu, licet sacrilega sint, vt docent *Vazqu. disput. 220. cap. 3. fine. Lessius libro secundo cap. 38. num. 20. & 28. Cardinalis de Lugo disputat. 19. num. 13.* Ergo similiter sacrificium nunc ab hominibus institutum contra diuinam prohibitionem, quamuis illicitum sit, habebit veram, & essentialem rationem sacrificij.

9 Negare videntur *Suarez disputat. 73. sectione tertia, & Coninch quæstione 83. numero 14. Lessius supra, numero 27.* Quia Deus eo ipso, quod noluit alijs sacrificijs coli, præter illa, quæ tam in lege veteri, quàm in noua per se met instituit, censetur non solum reliqua vetare, sed etiam auferre talibus populis facultatem, seu potestatem aliud sacrificium instituendi. Ergo nullus vmquam alterutri legi subiectus potuit, aut potest aliquod verum sacrificium instituere.

Antecedens probatur, quia sic ostenditur maior amor Dei erga suum populum, quem nolit vti posse sacrificijs, nisi diuinitus institutis; magis etiam commendatur excellentia sacrificiorum diuinorum, cum quib. non patiatur Deus alia humana posse misceri. Et hęc pars mihi videtur probabilior.

10 Ad fundamentum oppositum negatur minor. Licet enim sacrificium non requirat essentialiter institutionem diuinam, at requirit institutionem legitimam, nimirum à legitima potestate factam: hanc autem potestatem auferre potest Deus hominibus, & reseruare sibi, cum sit supremus Dominus; & ita creditur reseruasse de facto. Quapropter homines nec legitimè, nec per consequens validè possunt instituere vera sacrificia post illam reseruationem soli Deo factam.

Ad confirmationem fateor, illos Authores ita sentire. Negat vero *Coninch. quæstio. 83. num. 30.* dicens oblationem essentialem sacrificio debere fieri vero Deo, quia si cui alteri fiat, magis est sacrilegium, quàm sacrificium. Ego sic distinguerem, si solam legem naturalem attendamus, existimo, verum esse sacrificium, quod offertur Deo non vero, sed putatiuo cum vera submissione, ac protestatione sacrificantis circa tale numen existimatum, sicut vera pariter est adoratio illius, quod bene probant illi Doctores: at si diuina prohibitio, & reseruatio fuit ita vniuersalis, vt non solum populos fideles, sed etiam infideles comprehenderit, non erit verum sacrificium Ethnicorum ex defectu potestatis instituentis; sin vero prohibitio diuina non comprehendit infideles, vt illi Doctores sentire videntur, erunt vera sacrificia veritate transcendentali, & essentiali, quia veram habent rationem signi, non veritate formali, quia non adest reuera in falso Deo suprema potestas, quæ significatur; & hoc mihi videtur vero similius.

CAP. I. QVÆST. II.

An sacrificium institui debeat authoritate publica?

11 SVpponimus, institutionem, quãuis nihil physicè ponat in re instituta, sed sit extrinseca denominatio dumtaxat ab instituentis impositione prouentiens, moraliter equidem sic immutare rem institutam, vt hæc iam ob institutionem sit aliter æstimabilis in ordine ad vsum moralem, & fiat efficax causa mutationis moralis, indèque sortiatur nomen, & rationem vel signi, vel Sacramenti, vel sacrificij, vel causę moralis potentis significare, vel efficere moraliter apud agens intellectuale.

Quare, dum inquirimus, qualis institutio requiratur ad veram rationem sacrificij, sanè naturam ipsius inuestigamus, quæ moralis est potius, quàm physica.

12 Prima sententia docet, non requiri publicam authoritatem, sed sufficere priuatam ad verum, & proprium sacrificium instituendum. Ita *Vazquez disputat. 220. numero 19. & Martinon disputat. 38. num. 12.* Probatur, quia sacrificium est de iure naturæ, sicut adoratio diuini numinis, & alij religionis actus: Ergo, sicut potest quilibet authoritate priuata designare sibi signum aliquod exhibendi Deo cultum latriæ, videlicet genuflexionem, capitis demissionem, vel quid simile: sic poterit (seclusa prohibitione) præscribere sibi signum illius oblationis, & protestationis, per quam sacrificium constituitur, ac subindè priuatim sacrificare, præsertim, si solitariè degat; Vnde fit, nec requiri ministrum peculiariter deputatum auctoritate publica: Sed singulos sacrificare validè posse, quia naturaliter habent ius sacrificandi, sicut orandi, vel adorandi; & id licitè præstarent, seclusa prohibitione, sicut licitè sacrificarunt in lege naturæ Cain, & Abel, nec apparet, illa sacrificia fuisse per auctoritatem publicam instituta, nec illos fuisse sacerdotes, aut ministros peculiariter deputatos, & in lege Moysis agnus Paschalis à singulis familijs immolabatur. *Exod. 12.*

13 Secunda sententia probabilior requirit ad essentiam sacrificij signum, & ministrum auctoritate publica constitutum. Ita *Suarez disput. 73. sect. 4. Conin. ch. quæstio. 83. numero 11. & 19. Lessius libro secundo capite 38. numero 11. & 12. Cardinalis de Lugo disputat. 19. numero 11. & 12.*

Probatur, quia sacrificiũ propriè sumptum significat publicum, & communem Dei cultum nomine populi totius oblatum: sicut enim hominum natura postulat, vt in vnum politicum corpus Reipublicę congregetur, sic etiam exigit, vt hoc corpus politicum potissimum ad Dei cultum ordinetur, & Deum communi nomine protestetur supremum Authorem, & Dominum, per sacrificium scilicet institutum auctoritate publica; ergo sacrificium essentialiter exigit signum politicum toti populo commune, quod subindè non potest imponi authoritate priuata, sicut nec voces, quæ pertinent ad commercium humanum, imponi possunt ad significandum auctoritate priuata.

14 Hinc rectè colligitur, essentialiter requiri ministrum auctoritate publica deputatum ad propriam, & veram rationem sacrificij, sicut non oportet, aliquem esse cultum externum, quo non tam singuli seorsim, quàm tota Respublica simul, velut vnum corpus politicum imbutum, eadem Religione Deum veneretur, eiusque summum principatum, & suam subiectionem profiteatur, sic etiam oportet, vt sint aliquæ personæ publico nomine destinatæ tali ministerio, quæ Sacerdotes dicuntur. Vnde semper apud omnes gentes aliqui fuerunt deputati peculiariter, vt numen, quod sibi delegerunt, publico nomine colerent, nempè sacrificium offerentes.

Vtrum-

Vtrumque satis exprimit Apostolus ad *Hebraeos 5 numero primo*, vt expendit *Suar. supra*.

15 Ad fundamentum oppositum respondetur, sacrificium esse de iure naturæ, quatenus naturali dictamine rationis ducimur ad assumenda signa congrua sacrificijs, sicut naturæ lumine mouemur ad instituendas voces. Quibus in humano commercio nostros conceptus explicemus: vtraque tamen institutio fieri debet authoritate publica.

Quare si quis degeret solitarius in Sylvis, licet vti posset aliquib. signis submissionis erga Deum, scilicet genuflexione, demissione capitis, & similibus, quæ naturaliter, vel quasi naturaliter significant internam submissionem, non vero posset offerre verum, & proprium sacrificium, quia non posset instituere signum congruum sacrificij proprié dicti, sicut nec possit instituere voces, quæ proprium idioma commune simpliciter constituerent.

16 Hinc etiam negamus, habere singulos naturaliter ius sacrificandi, sicut enim naturæ lumen inclinat ad constituendam hominum Rempublicam, sic etiam dictat communia Reipublicæ munera (quale merito censetur sacerdotium) non nisi per Ministros communi nomine deputatos exercenda fore. Sic in lege naturę docent *S. Hieron. Eucher. Perer. & alij*, quos refert *Less. supra*, primogenitos omnes fuisse Sacerdotes. Sic Cain offerre potuit sacrificium, qnod Adamus authoritate publica instituisset. Alij volunt, quemlibet Patrem familias, sicut habebat authoritatem quasi regiā in suos, sic etiam habuisse sacerdotalem; ideo Iob pro filijs suis sacrificabat *Iob. 1.* Quidā interdum instinctu Dei peculiari sacrificarunt, vt Abel, Abraham, Iacob, & similes, qui hoc ipso constituti fuerunt sacerdotes, quo potestatem sacrificandi receperunt. Agnum Paschalem dicit *Iosephus de Bello Iudaico li. 7. c. 7.* cædi solitum à sacerdotibus. Alij censent à patribus familias immolari, quia cum hoc sacrificium institutum fuerit ante legem scriptam, & ante Leuiticum sacerdotiū, cōcessit Deus, vt quoad hoc sacrificium retinerent Patresfamilias sacerdotalem potestatem, quam olim habuerant, videantur *Suar. Coninch, & Lessius supra*.

CAP. I. QVÆST. III.

Qualis actio debeat imponi ad significandum in sacrificio?

17 Suppono primo in omni signo ad placitum Deo posse considerari, materiale, quod est actio, vel res ad significandum imposita, & formale, quod est ipsa significatio. Cum hæc autem ad modum relationis explicetur, à fundamento proximo, quod est impositio, & a termino, seù re significata dependet. Qualis impositio requiratur ad sacrificium diximus quæstionibus præcedentibus. Res vero significata potest esse duplex, vel interna submissio mentis ad diuinam potestatem, & huius dicitur significatio moralis; vel aliquod mysterium fidei, scilicet Christi passio, & huius dicitur significatio mystica. Verum ad rationem formalem sacrificij sola pertinet significatio moralis, quia sacrificium externum semper est signum internæ submissionis ad supremam Dei potestatem significatio mystica, quamuis sæpè fuerit adiūcta sacrificijs præsertim antiquis, nam omnia ferè repræsentabant Christum, non est tamen de essentia sacrificij, siquidem sacrificium mortis Christi perfectissimum fuit, & significauit quidem internam Christi submissionem erga Deum, non vero mysterium aliquod, vt notant *Suar. disp. 73. sect. 2. Filliuc. tract. 5 num. 5.*

18 Suppono secundò materiale sacrificij duo completi, videlicet rem, quæ offertur Deo, & actionem, per quam offertur. Res debet esse permanens, quæ per aliquam consecrationem, aut sacram immutationem transferatur in cultum diuinum. Actio proindè debet esse aliquo modo con-

ſecratiua, quæ propriè vocatur ſacrificium, ideſt factio ſacri, licet æquiuocè nomen extendatur etiam ad rem oblatam, vt conſtat *Hebr.*10.*num.*10.14.18. 22.notantque *Suar.ſupra ſect.*5.*Filliuc. num.*7.*cum S.Thoma* 2.2.*qu.* 85.*artic.*3. *ad* 3. Et quidem ſacrificium ſumptum pro re oblata, ſupponit pro re, quæ ſacrificatur, connotatur, quod immutetur, aut immutata fuerit ad proteſtandam ſupremam Dei poteſtatem. Sumptum vero pro actione ſacrificandi ſupponit pro actione quidem externa immutatiua, ſed connotando, per ipſam immutari rem oblatam ad proteſtandam diuinam poteſtatem, & ſubmiſſionem ſacrificantis.

19 Reſtat difficultas: Qualis immutatio requiratur ad eſſentiam ſacrificij? Prima ſententia docet, ſufficere ſacram immutationẽ, qua res phyſicè nec producatur, nec deſtruatur, ſed vel attollatur ad proteſtandam eminentiam Dei ſupra res alias, vel aliter immutetur ad Dei laudem. Sic iudicat *Suar.tom.*3.*diſput.*73 *ſect.*5.§.*ex his ergo*: Et tenent quidam iuniores apud *Martinon tom.*4. *diſput.*38.*ſeſſ.*1. Probatur, quia Leuit.23. panes primitiarum, & duo agni ſacrificari dicuntur, & tamen ſolum eleuabantur à Sacerdote, poſteaque cedebant in eius vſum. Similiter ſacrificium hirci, qui mittebatur viuus in deſertum Leuit. 16. *num.*20. fiebat ſine phyſica ipſius immutatione. Demum in ſacrificio Melchiſedech, & in panibus propoſitionis nulla dicitur immutatio phyſica facta fuiſſe.

20 Secunda ſententia diſtinguit inter ſacrificium abſolutum, & commemoratiuum: Abſolutum vocat, quod independenter ab alio ſacrificio veram habet ſacrificij rationem, & ad huius eſſentiam exigit phyſicam immutationem, ſeu deſtructionem, ac ſi denuò deſtrueretur in proteſtatione diuinæ poteſtatis, & ad huius eſſentiam non requirit phyſicam immutationem rei oblatæ, ſed ſolam repræſentationem ipſius. Ita *Vazq.*3.*part. diſp.*220.*num.*26.& *diſp.*222.*cap.*7.& 8. qui putat, hunc ſolam rationem ſacrificij commemoratiui ſoli Miſſæ conuenire. Probat, nam eſſentia ſacrificij conſiſtit in ſignificatione diuinæ poteſtatis circa rerum omnium immutationem. Sed ſacrificium commemoratiuum ſine phyſica immutatione rei oblatę ſignificat proteſtationem illam diuinæ poteſtatis: ergo continet veram, & propriam rationem ſacrificij.

Minor probatur, quia Miſſa v.g continens Chriſtum Dominum præſentem ex peculiari modo ponendi corpus eius, & ſanguinem ſub diuerſis ſpeciebus panis, & vini ſic repræſentat cruentam mortem noſtri Saluatoris, vt ea repræſentatione ſatis denotet ſupremam Dei poteſtatem, & quamuis Chriſtus non dicatur in Miſſa mori, vel occidi, realiter immolati dicatur, & in ſacrificium offerri. Confirmat ex Patribus, quos latè perpendit.

21 Tertia ſententia requirit ſemper immutationem phyſicam, nõ vero ſemper deſtructiuam rei oblatæ, talemque regulam aſſignat. Quoties id, quod deſtruitur in ſacrificio, principalius eſt, & nobilius; illud equidem eſt, quod principaliter offertur; ſecus vero, quoties id, quod deſtruitur, ignobilius eſt, & in aliquod nobilius conuertitur; tunc enim hoc principaliter ſacrificatur. Ideo quoties animal occiditur, hoc offertur principaliter, non cadaber, quod indè producitur.

At in combuſtione thuris nobilior eſt ſuffitus, qui reſultat, quam ipſum thus deſtructum, ideo ſuffitus eſt res principaliter oblata. Sic indicat *Suar.diſp.*75. *ſect.*4.§.*video*, & Ad ſecundam rationem tenent *Leſſius lib.*1.*ca.*38.*num.*14.& 15. *Coninc.queſt.*83.*num.*16. Probatur, quia ſicut peremptio rei, ſic etiam eiuſdem productio ſufficienter conducit ad proteſtandam ſummam Dei poteſtatem circa totum eſſe creaturarum, vel producendum, vel conſeruandum, vel deſtruendum: ergo poteſt productio rei nobilioris ex ignobiliori per actionem conuerſinam eſſe ſignum talis proteſtationis, & per conſequens eſſe verum, & proprium

ſacri-

ſacrificium, quatenus ponitur talis terminus, ad quem deſtructo tali termino à quo, & offeruntur Deo per legitimum miniſtrum.

22 Quarta ſententia probabilior aſſerit in omni ſacrificio proprio dandam eſſe deſtructionem aliquam rei oblatæ. Sic docent *S. Thom. 2.2. quæſt. 86. artic. 1. Bellarm. lib. 1. de ſacrificio cap. 2. Henriq. Alan. Victoria*, quos ſequitur *Malderus 2.2. tit. 10. cap. 3. de ſacrificio dub. 1. Card. de Lugo diſp. 19. num. 7. Martinon tom. 4. diſput. 38. num. 6.* Probatur, quia licet ex natura rei nulla ſit actio, quæ præſeferat ſignificationem ſacrificio neceſſariam, ſed libera voluntate inſtituentis imponenda fuerit; quædam tamen ſunt alijs ad hanc ſignificationem aptiores; ſicut in Sacramentis quoque fatentur Theologi. Sed per ſacrificium, vt dicebamus *n. 4* colimus Deum, vt authorem, & conſeruatorem rerum omnium, & ſubindè profitemur, illum eſſe dignum, vt in eius honorem vita noſtra conſumatur: ergo requiritur actio rem oblatã aliquo modo deſtruens, per quam explicemus affectum noſtræ deſtructionis, ſi liceret, vel conduceret ad Dei cultum.

Probatur conſequentia, nam in vocibus, vt imponantur ad ſignificandum, nulla prærequiritur ipſarum analogia cum re ſignificata. Verùm in rebus, vt etiam ad placitum (aptè tamen) imponantur, prærequiritur aliqua ſimilitudo, vel Analogia ſigni cum ſignificato, vt oſtendunt *Vazq. diſp. 223. cap. 4. num. 34. Cardin. de Lugo diſp. 19. num. 2.* Sed ſine deſtructione rei oblatæ non apparet in ſacrificio proportio peculiaris ad ſignificandam illam ſupremam Dei poteſtatem, & dignitatem, cui noſtra met deſtructio debeatur: ergo dari debet actio deſtructiua rei oblatæ, per quam aptè ſignificemus, eodem modo noſtram vitam nos oblaturos, & deſtructuros, ſi liceret, & expediret diuino cultui.

23 Confirmatur primò, nam ideo videmus, in omnibus veterum ſacrificijs tã ſacris, quàm profanis interueniſſe deſtructionem aliquam rei oblatæ; ſiquidem animalia, vel homines occidebantur. Quapropter idem erat mactare, ac ſacrificare. Res inanimæ ſiccæ, nempè thus, ſal, ſimila, vel ſimilia comburebantur; res liquidæ ſcilicet ſanguis, oleum, & vinum effundebantur, quæ libatio dicebatur, nec vmquam reperietur ſacrificiũ propriũ ſine aliqua deſtructione rei oblatæ. Sẽper ergo pertinuit ad eſſentiam ſacrificij proprij deſtructio rei ſacrificatæ.

Confirmatur ſecundò, nam per hoc diſtinguuntur adoratio, ſimplex oblatio, & ſacrificium, quod adoratio latriæ ſit nota ſubmiſſionis ad Deum, vt habentem ſupremam eminentiam ſupra res omnes; oblatio ſimplex ſit nota recognoſcentis Deum, vt ſupremum Dominum Dominantium, ſacrificium verò ſit nota ſubmiſſionis ad Deum, vt ſupremum authorem omnium creaturarum, à quo totum noſtrum eſſe iugiter dependeat, & in cuius honorem debeat totum impendi, ſeu conſumi. Videantur *Chryſoſtomus, et Theophilactus in epiſ. ad Hebr.* generaliter aſſerentes ad rationem ſacrificij requiri deſtructionem rei ſacrificatæ, per hocque diſtingui ſacrificium ab oblatione, ac alijs religionis actibus, qui ſacrificia non ſunt.

24 Confirmatur tertiò, nam aliæ ſententiæ non plenè ſaluant propriam rationem ſacrificii. Prima quippe non aſſignat propriam ſacrificij differentiam ab alijs actibus religionis, ſi quidem iuxta illam conſecratio ſacerdotis, vel aræ, per quam talis perſona, vel res conſecratur, & Deo dedicatur, eſſet proprium ſacrificium, quod nemo concedet. Secunda ſententia voluntariè conſtituit illam rationem ſacrificij commemoratiui ſine deſtructione rei oblatę; verum enim, & proprium ſacrificium verum, & propriam rei ſacrificatæ deſtructionem requirit.

Igitur, vbi non eſt vera deſtructio, ſed imago dũtaxat deſtructionis, nõ dabitur verũ ſacrificium, ſed ſola imago ſacrificij, v. g. ſi quis in tragædia repræſentaret thurificationem, quam ipſemet olim exhibuit.

hibuit Deo, sumptumque thuribulum, sed sine igne moueret, verè non thurificaret, sed ageret personam repræsentantis thurificationem, vt latius ostendit *Cardin. de Lugo num. 54. 57. & sequentibus*.

Tertia sententia contra communem concipiendi modum asserit, rem aliquam, quando producitur, sacrificari, potuisseque consequenter offerri sacrificium proprium Deo generando filios, vel applicando causas naturales, ad similes productiones. Vnde pariter constructio templi, vel altaris, vel alterius rei similis in Dei cultum esset proprium sacrificium, quod non est dicendum. Et quidem ratio propria sacrificij satis refellit tres illas sententias. Quia sacrificiũ (vt diximus) non solum eo tendit, vt significet Deum esse summa veneratione dignum, vel esse principium totius esse creati, sed vt protestemus nos ei debere destructionem totius esse nostri, & significemus officium destruendi nos ipsos in eius cultum, si liceret, & expediret, sicut destruimus rem oblatam. Hoc autem non aptè repræsentatur per quamlibet sacram immutationem, nec per cõmemorationẽ destructionis olim factæ, nec per productionem alicuius rei, vel per actionem aliter immutatione, quàm verè destruendo rem oblatam.

25 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur nullum fuisse verum sacrificium sine vera destructione rei sacrificatæ saltem quo ad partem ipsius, vbi vero nihil destruebatur, erat oblatio, sed non sacrificium, vt ostendit *Azor. tomo 1. lib. 10. cap. 17. quæst. 2. & 3.* Quare vero similius est, panes propositionis non fuisse sacrificatos, sed oblatos, vt sentiunt *Azor ibi, Cardin. de Lugo numero 9. Malder. 2. 2. tit. 10. cap. 3. de sacrificio dubio primo*. Decimæ pariter, & primitiæ non erant sacrificia, nisi quando manipuli aliqui cremabantur; duo agni post necem cedebant in vsum sacerdotis, & ideo sacrificabantur.

Pro peccato populi sumebantur duo hirci, quorum vnus cædebatur, & per consequens eius oblatio sacrificium erat, alter offerebatur, & mittebatur in desertum, cuius oblatio dici potest sacrificium, quatenus fuit oblatio binarij, cuius vna pars destructa fuit. In sacrificio Melchisedech *Cornelius à lapide Gen. 14. Martinon num. 20. & alij dicunt*, aliquid panis super altare crematum fuisse, partem etiam vini per libamen effusam, quod scriptura non explicuit, forsan nam adeo notum erat, non posse sacrificari sine destructionem saltem alicuius partis, vt in oblatione sacrificij satis intelligatur referri.

26 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur in primis, Patres solum asserere, Missam esse sacrificium commemoratiuum sacrificij Crucis, quod nemo negat, non vero dicunt, ideo præcisè conuenire Missæ propriam sacrificij rationem, imò satis insinuant oppositum, vt ex ipsorum verbis ostendit *Cardin. de Lugo num. 54.* Ad argumentum in forma negatur minor, & ad huius probationem negatur antecedens, quia licet illa repræsentatio significenter sufficienter sacrificium præteritum, non tamẽ per hoc præcisè significat immediatè submissionem illam, & affectum consumendi totum esse proprium in cultum Dei, quem immediatè significabat sacrificium præteritum. Est enim signum quasi reflexum significans aliud sacrificium, quod erat signum directum talis submissionis, & affectus. Signum autem reflexum per hoc præcisè, quod significet aliud signum, non participat essentiam illius signi directi, quod per ipsum significatur, vt constare potest inductionem faciendo per alia signa directa, & reflexa.

27 Ad fundamentum tertiæ sententiæ negatur antecedens, quia non aptè significatur noster affectus destruendi nos ipsos in Dei cultum per productionem, sed per destructionem rei oblatæ iuxta superius dicta.

Quapropter in oblatione thuris, vel thymiamatis, vel similis rei crematæ non sacrificabatur odor, vel suffitus, qui pro-

producebatur, sed res ipsa, quæ cremabatur, & destruebatur.

Quin etiam cum sacrificium esse debeat rei permanentis, & ille suffitus sit valdè transieris, erit quidem aptus ad colendum Deum, non tamen vt sit congrua materia sacrificij.

28 Notandum tamen est, quando requirimus ad rationem proprij sacrificij destructionem hostiæ realem, non semper intelligi physicam corruptionem substantialem hostię, sed destructionem, vel physicam, vel humanam, ita vt hostia prout est in termino sacrificationis, ex vi talis actionis habeat statum aliquem decliniorem ineptum ad suos vsus naturales, & tendentem ad interitum; quod enim in tali statu constituitur, desinere, vel destrui dicitur humano modo.

Sic apud veteres effusio liquoris erat sacrificium libaminis, & tamen tunc non aderat eius physica destructio. Sic etiam animalia sacrificabantur, quando iugulabantur, & tamen non simul moriebantur; ergo sufficit humana destructio ad propriam rationem sacrificij. Sic *Cardin. de Lugo numer. 65. & 66. Martinon num. 7.*

CAP. I. QVÆST. IV.

Quid, & quotuplex sit sacrificium?

29 Ex dictis possumus definire sacrificium in communi, vel ex parte materialis actionis, vel ex parte formalis significationis, vel per genus oblationis, & differenti appropriam.

Ex parte materialis actionis sacrificium est actio sensibilis aliquo modo destructiua rei sacrificatæ, qua res sensibilis offertur soli Deo per legitimum ministrum instituta legitimè ad significandum submissionem nostram erga diuinam potestatem circa totum esse creatum. Ex parte formalis significationis sacrificium est signum commune legitimum protestationis internæ, qua fatemur habere nos totum esse nostrum à Deo, qui subindè dignus est, in cuius honorem totum illud consumatur, & dum nostri destructio non licet, offerimus loco nostræ vitæ vitam, vel entitatem alterius rei, profitendo similiter nostram vitam à nobis offerendam, si liceret, & oporteret.

Demum intra genus oblationis sacræ *sacrificium est oblatio facta Deo rei alicuius sensibilis, quam aliquo modo legitimus Minister destruit ad protestandum Deum esse supremum authorem omnium creaturarum, cui subindè totum esse nostrum impendi debeat, & ad significandum affectum nostra destructionis, si conduceret ad cultum Dei.*

30 Dicitur *oblatio facta Deo*, quia sacrificium offerendum est soli Deo vero, vel putatiuo, iuxta superius dicta *numero 50. rei alicuius sensibilis*, nam aliter sacrificium humano vsui non aptaretur, ideoque sacrifitio debet esse Religionis actus externus non purè mentalis. Vt docet *Tridentinum sessione 22. capite primo, & quinto*, *quam aliquo modo legitimus Minister destruit*. Quia sacrificium essentialiter requirit signum, & Ministrum authoritate publica constitutum, vt ostendimus *quæstione secunda*, requirit etiam aliqualem destructionem realem rei sacrificatæ iuxta dicta *quæstione tertia ad protestandum Deum, &c.* Nam hæc exterior protestatio nostræ submissionis ad supremam Dei potestatem super totum esse creatum, & hæc significatio nostri affectus ad nos ipsos destruendos, si conduceret ad honorem diuini numinis, constituunt vltimam, & proprissimam differentiam essentialem sacrificij, iuxta superius dicta *numero quarto 23. & 24.*

31 Sacrificium diuidi potest quadrupliciter, primò ratione temporis, vel efficientis in sacrificium legis naturalis, vel scriptæ, vel Euangelicæ. Secundò ratione materiæ, quæ triplex erat, scilicet animalia, quæ mon-

stra-

strabantur, & dicebantur hostiæ, seu victimæ: Fructus terræ, nempè triticum, simila, thus, &c. & dicebantur immolationes à mola, qua far oblatum conterebatur; Denique liquores, qui fundebantur, & dicebantur libamina, seu libamenta. Tertiò ratione formæ, vel actionis, sic dicebatur holocaustum, cum tota res igne cremabatur; vel hostia pro peccato, cum partim comburebatur, partim reseruabatur in vsum Sacerdotum; vel hostia pacifica, quæ partim igne, partim sacerdorum, partim sacrificantium vsu consumebatur. Huc pertinet diuisio ratione modi, quo sacrificium, vel est cruetum, vel incruentum. Quartò diuiditur ratione finis: vel enim offerebatur ad Deum præcisè venerandum, eiusque potestatem profitendam, & sic dicebatur holocaustum, vel ad expiationem peccatorum, & sic dicebatur hostia pro peccato, vel in gratiarum actionem, & dicebatur hostia pacifica, seu sacrificium laudis, vel ad impetranda beneficia, quod appellabatur impetratorium. Et hæ rationes omnes conueniunt nostro Missæ sacrificio, de quo dicemus *cap. sequenti*.

32 Petes primò, an detur naturale præceptum sacrificandi? Quippe de præcepto diuino positiuo satis constat ex lege veteri, & *ex Tridentino sess. 22. cap. 1. & canon. 2.* Constat etiam, externum Dei cultum esse Iure naturali præceptum vt ostendit *S. Thom. 2. 2. quæst. 85. artic. 1. & Suar. 3. par. disp. 73. sect. 8. fine.* Nam homo debet Deo, tamquam Authori suo supremo, non solum amorem, sed etiam honorem, & cum naturale sit homini mentem suam sensibilibus signis exprimere, tenetur etiam sensibili cultu venerari Deum, à quo non solam animam habet, sed etiam corpus, & cætera bona. Nec item est dubium, quin externum sacrificium sit satis accommodatum ad hanc obligationem implendam. An autem in rigore sit iure naturali præceptum.

33 Affirmant *Henriqu. lib. 9. c. 5. nu. 2. & Ioan. Præpositus 3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 1. Fauet S. Thomas supradicens, sacrificij determinationem esse de iure positiuo.* Tamen vsum illius esse de iure naturali, sic ipsum exponunt, & sequuntur *Caietanus, & Sotus ibi.* Fauent *Eusebius verbis relatis supra num. 4. Clem. libro 6. constit. cap. 20. Cassianus collatione 8. cap. 23. dicentes.* Antiquos Patres naturali lege monitos sacrificasse. Ratione probatur. Quia sicut ratio naturalis dictat, totum esse nostrum à Deo fuisse receptũ, & ab eodem iugiter conseruari, sic eadẽ præscribit, debere nos exhibere sensibilem sacrificij protestationem in signũ nostræ submissionis ad diuinam potestatem, à cuius liberali totum esse nostrum procedit, & pendet.

34 Negant *Suar. supra, & Lessius libro 2. cap. 38. num. 28.* Fauet *Anacletus Papa epist. 2. dicens.* Antiquos Patres spontanea voluntate sacrificium obtulisse. Probatur, quia licet actus sacrificandi sit rationi naturali conformis, & sufficiens ad complendam obligationem colẽdi Deũ exterius; sunt adhuc actus alij Religionis externi sufficienter etiam huic muneri, nimirum adoratio latriæ, laus Dei, gratiarum actio vocalis, & similes, nec apparet naturale dictamen determinatè præscribens, oblationem sacrificij prorsus esse necessariam ad morum honestatem.

35 Vtraque sententia probabilis est, illud vero certum, rationem naturalem dictare, valdè consentaneum esse naturæ humanæ, proprium sacrificium offerre Deo nostro, nec amplius forsan Patres adducti pro prima sententia contẽdunt. Quod singuli teneantur offerre sacrificium, minus est verisimile. Quod saltem communitas teneretur lege naturali sacrificare, satis indicant *S. Thom. & Caietan. supra,* fatetur etiam *Lessius eo num. 28.* deberent tamen materia sacrificij, modus, & actio, tempus etiam obligationis aliquo præcepto positiuo determinari. Ministri quoque designandi forent authoritate publica, vt illud naturale præceptum determinatè cogeret, & ritè posset impleri.

36 Pe-

36 Petes secundò. Quomodò sacrificium Crucis fuerit verum, & proprium. Ratio dubitandi potest esse. Nam iuxta *dicta quæst.3.* verum, & proprium sacrificium requirit realem hostiæ destructionem à Sacerdote factam: sed in Cruce Christus Dominus fuit Sacerdos, & victima simul, & tamen non semetipsum interemit; ergo non destruxit realiter victimam, & per consequens non obtulit verum, & proprium sacrificium. Pro decisione suppono, rationem essentialē sacrificij proprij sic esse protestationem illius diuinæ potestatis, ob quam debemus ipsi destructionem nostræ vitæ, paratique sumus ad ipsam destruendam, si liceret; vt quando licet, & expedit, melius, & verius fiat hæc protestatio per destructionem propriæ vitæ, quam alterius rei.

Quare Christus Dominus ex hac parte magis verum, & proprium sacrificium obtulit in Cruce per destructionē, & mortem propriam, qua diuinam illam potestatem, & suum affectum ad Dei cultum proptissimè protestatus est, quàm si rem aliam destrueret in signum talis protestationis.

37 At quoniam ex alia parte videtur obstare ratio dubitandi. *Martinen tom. 4. disp 38. num.25.* censet, Christum actiuè concurrisse ad suam mortem actione sensibili, quando inclinato capite sensibiliter in signum subiectionis tradidit spiritum. *Ioan.19. num.30.* cum voce magna. *Luc.23.37.* cum lachrymis, & clamore valido. Ad *Hebr.5.7.* quasi tradiderit propria vi spiritum: & non solum permittendo, vt per tormenta sibi tolleretur. Consonat *Gabriel lect.81. in Canon. littera D.* dicens, Christum anteuertisse tempus naturalis mortis, vt euidentius constaret, sua voluntate mori. Fauet *S.Th.3.part. quæst.47. art.1. ad 2.* dicens. *Fuit etiam mirabile, in Christi morte, quod velocius mortuus fuit alijs, qui simili pœna afficiebantur.* Et subdit infra rationem. *Sicut enim eius voluntate natura corporalis conseruata est in suo rigore vsque ad extremum; sic etiam quando voluit, subitò cessit nocumento illato.* Fauet item *Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, dicens de Christo; crucifixus præuento carnificis offitio spiritum sponte dimisit. Idem indicat Orig. lib.2. contra Celsum. Et hæc sit prima sententia.*

38 Probatur ex illis Christi verbis *Ioan.10. Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso.* Quasi dicat Christus Dominus, tormenta, & tortores animam mihi non auferent, sed ego ponam illam à meipso. Nam opponit hæc duo inter se; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, idest pono vitam eo modo, quo tolleret alius illam à me, si posset: actiuè nimirum in Dei cultum impendendo vi propria vitam meam.

Confirmatur ex *Luc.15.37. Iesus autem emissa voce magna expirauit. Videns autem Centurio, quia sic clamans expirasset,* ait: *Verè hic homo filius Dei erat.* Nam, si Christus esset in naturali dispositione morti proxima, non posset edere tātum clamorem. Ergo signum est emisisse spiritum, dum adhuc robur corporis haberet, ac proindè prius, quàm naturalis necessitas postularet, quod indicant *Hieronym. Matth.26. & Marc.15. Chrysost. homil.89. in Matth. Athanas. quæst.77. ad Antiochum, & alij.*

39 Secunda sententia sit Christum miraculosè conseruasse vitam, vltra quàm posset naturaliter conseruari, posteaque voluntariè cessisse tormentis, vt ex ipsorum vi moreretur. Hanc videtur tenere *S.Thom. quodlib.1. artic.3.* dicens. *Erat subiectum voluntati Christi, quod natura resisteret nocumento illato, & quandoque cederet. Vnde eo volente natura restitit nociuo illato vsque ad finem, plusquam in alijs hominibus possit, itaque in fine post multam sanguinis effusionem quasi integer viribus clamauit voce magna, & statim eo volente natura cessit, & tradidit spiritum, vt se Dominum naturæ, & vitæ, & mortis ostenderet.* Consonat *Eusebius lib.4. de demonstrat. cap.12.* dum ait. *Cum altius vocem emisisset, solutus à corpo-*

pore abiit, neutiquam expectans, dum mors ad ipsum accederet, sed illam cunctantem, ac veluti cessantem, & fugitantem ipse à tergo insequitur. Probatur, quia vix credibile fit, corpus temperatissimum post tot, & tantos cruciatus, cum tanta sanguinis effusione potuisse tamdiu resistere morti naturaliter.

Confirmatur ex verbis Matthæi 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Vbi *Caietanus, & alij censent*, illam tristitiam fuisse sufficientem ad extinguendam vitã, nisi diuinitus impediretur, & vsque ad mortem perdurasse. Diuinitus ergo Christus retinuit vitam, donec spõtè sua cessit tormentis, & quando voluit, emisit spiritum, & hæc sententia probabilis est.

40 Tertia sententia probabilior asserit, Christum Dominum obijsse, quando tormenta, & vulnera naturaliter potuerunt causare mortem ipsius, inducta nimirum tali dispositione, cum qua non poterat anima naturaliter informare corpus. Ita *Suar. 3. par. tom. 2. disput. 38. sect. 1. Syluius 3. par. qu. 47. art. 1. Auersa tom. 3. quæst. 46. sect. 5. Lessius lib. 2. cap. 38. num. 17. & alii communiter*. Probatur contra primam sententiam, quia prædicens Christus suam mortem. *Matthæi* 17. & *Luc.* 18. dixit. *Occident eum*, scilicet gentes; Non autem occidissent exterius, si verè mors non sequuta fuit ex vi naturali cruciatuum, sed ex voluntate Christi emittentis spiritum pro libito, prius quàm dispositio naturalis corporis postularet emitti, vt latius expendit *Suar. supr.* Contra secundam sententiam probatur, nam illud miraculum retinendi vitam aliquamdiu post inductas sufficiẽtes dispositiones mortis nec apparet necessarium, nec satis in scriptura fundatum, vt magis constabit ex solutione argumentorum.

41 Ad rationem dubitandi, positam *num. 36.* respondetur, Christum Dominum, & si semetipsum directè non occiderit, sed vi naturali tormentorum obierit, verè tamen fuisse causam indirectã, & voluntariam suæ mortis, quatenus in eius erat voluntate vitare mortem; si vellet, & tamen spontè corpus suum cruciatibus obiecit, & tamdiu tormenta sustinuit, donec naturaliter necem inferrent. Hoc enim satis est, vt talis mors sit libera Christo tanquam causæ passum applicanti: sicut qui thus admoret igni, verè dicitur causa suffitus, quem ignis naturaliter causat; & talis causandi modus ad propriam sacrificij rationẽ omnino sufficiens est, vt apertè constat in holocaustis.

42 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, *S. Thomam, & Patres voluisse dumtaxat*, Christum potuisse mortem arcere, vel differre, si vellet non cedere tormentis; & ita verba Io. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me*. Sic capiunt communiter interpretes. Sponte vitam offero, nemo tollit à me inuito. Fatemur verò miraculum fuisse; quia exhaustis iam viribus morti proximus voce magna clamauit; Vnde bene collegit Centurio diuinam virtutem, vbi deficiebat humana, & merito Patres, & *S. Tho. quodlib. 1. art. 3.* dicunt, isto miraculo declarasse Christum, se Dominũ esse mortis, & vitæ. Sicut enim potuit superare debilitatem corporis ad sic clamandum, ita potuisset morti resistere, si vellet. Nec obstat dispositio naturalis morti proxima miraculoso clamori.

43 Ad fundamentum secundæ sententiæ iam patet ex dictis sensus Patruum, & S. Thomæ. Ad rationem dicimus, tale fuisse corporis Christi temperamentum, vt illo tempore retinere potuerit connaturaliter sufficientem vitæ dispositionem. Tristitiam vero voluntariè suscepit Christus illam, quæ vehementer torqueret animum, non autem dissolueret necessariam corporis dispositionem conseruationi vitæ. Durauit ille mœror vsque ad mortem, & fuit similis agoniæ mortali, & in alio corpore minus bene composito posset causare mortem, quod illis verbis vsque ad mortem intelligi potest, non tamen habuit naturalem vim inferendi Christo necem.

44 Mar-

44 Martyres vero, qui posuerunt animas suas pro defensione veritatis, & pro cultu veri Dei, non obtulerunt proprium sacrificium morientes. Quia nec ipsorum mors fuit instituta per publicam authoritatem ad protestandam supremam Dei potestatem, nec ipsi martyres instituti fuerunt legitimi Sacerdotes ad tale sacrificium offerendum.

45 Mors autem Christi per diuinam institutionem significauit protestationem diuinæ potestatis, & Christus constitutus fuit a Deo sacerdos, vt per proprium sanguinem introiret semel in sancta, & semetipsum offerret immaculatum. *Hebr. 9.* Fuit ergo proprijssimum sacrificium mors Christi numeris omnibus absolutissimum. Videatur *Bellarmin. libro primo de Missa capite 3.*

CAPVT II.

De sacrificio nouæ legis.

1 SVPPONO primò, in Ecclesia Christi dari verum, proprium, ac visibile sacrificium, quo populus Christianus colit Deum. Et de fide certum, vt contra nouatores ostendunt *Suarez tomo tertio disputat. 74. sectio. prima, Bellarmin. libro primo de Missa, Valentia tomo quarto disput. 6. quæst. 11.* & Catholici communiter. Probatur ex scriptura, Danielis 12. prædicitur, Antichristi tempore cessaturum iuge sacrificium, ergo vsque ad illud tempus duraturum est in Ecclesia sacrificium aliquod, Isai. 19. dicitur. *Cognoscent Aegyptij Dominum, & colent eum hostijs.* Vbi vocatio gentium ad fidem, & verus Dei cultus per verum sacrificium præsignatur, vt exponunt *Hieronym. ibi, & Tertullian. lib. contra Iudæos cap. 5. Malach. 1.* dicitur, *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quem locum de reprobatione Iudæorum, cessatione legalium, & mundissima nouæ legis oblatione communi cunctis locis, & gentibus capiunt Patres communiter, & cum illis *Tridentinum sessio. 22. capite 1.* Confirmatur, *nam vt supra vidimus cap. primo num. 35.* Ratio naturalis vel præcipit, vel saltem suadet oblationem sacrificij, veluti valdè conformem humanæ naturæ. Quare nulla vnquam gens, quamuis Barbara, caruit sacrificio, quo numen illud coleret verum, vel fictum, quod sibi venerandum assumpserat. Sic etiam in Ecclesia lex naturalis, & lex scripta veris, & proprijs sacrificiis vsæ sunt ad colendum Deum, ergo lex Euangelica, quæ cætera omnes perfectione superat, & valdè conformis est rationi naturali, debuit habere sacrificium visibile, quo Deum corpore simul, & animo colat.

2 Suppono secundò, in Missa dari verum, & proprium sacrificium. Hoc negant Hæretici nostri temporis contra id, quod omnibus sæculis vniuersi Catholici tenuerunt, & prædicarunt. Et quidam Episcopus Bitontinus in Tridentino tentauit defendere, Christum in nocte Cœnæ, dum Eucharistiam instituit, non obtulisse sacrificium. Alij volebant, saltem non obtulisse sacrificium propitiatorium. Vtrumque meritò reprobat *Tridentinum sessio. 22. ca. 1.* docens, Christum Dominum in vltima Cœna, dum panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum consecrando conuertit, non solum Sacramentum, sed etiam sacrificium instituisse, seq; sacerdotem secundum ordinem Melchisedec in æternum constitutum declarasse, atq; corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse, verum scilicet, & proprijssimum sacrificium, etiam propitiatorium, & tradidisse

disse potestatem Apostolis, & ipsorum in Sacerdotio successoribus ad illudmet in Ecclesia iugiter offerendum illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem*. Vt Ecclesia Catholica semper intellexit, & docuit. Etenim Assertor noster, condens nouam legem, debuit vtique nouum instituere Sacerdotium, nouumque sacrificium, quæ sunt de substantia nouæ legis, vt Paulus ostendit ad *Hebr.7.* & latius confirmant *Valentia supra, Bellarminus cap.6. & 7. Suar.sect. 2. Coninch.3.p.ar.qu.83. art.1 .dub.2. Præpositus ibi dub.3.*

3 Quod vero Missa, prout de facto celebratur in Ecclesia, contineat hoc verum, & proprium legis Euangelicæ sacrificium, probant apud prædictos Authores, & alios iuniores scripturæ tam veteris, quàm noui testamenti. Definiũt Concilia Nicænum 1. *Canon.13. Laodicenum canon.19. & 58. Toletanum 1. can. 5. Antisiod.ca.8. Brachar.3. canon.1. Later.* relatum in *cap. Firmiter de Summa Trinitate. Constantiense in Bulla Martini 5. Trident. sess.22. cap.1* & 2. & *can.1.* & 2. Contestantur Patres ab initio nascentis Ecclesiæ, ac eiusdem perpetua traditio, cum Missam ab Apostolorum tẽpore semper hoc ritu celebrarit, protestando scilicet in illa, proprium offerri Deo sacrificium, vt constat ex omnibus liturgijs Græcis, Hebræis, Syris, Chaldæis, Latinis, & cęteris omnibus, in quibus frequenter inuenitur oblatio, applicatio, commemoratio sacrificij. Quare vel concedendum est, Ecclesiam totam in hoc puncto semper errasse turpissimè, vel fatendum est, offerri Deo verum, & proprium sacrificium, dum Missa ritu Catholico celebratur.

4 Accedit ratio, nam in Missa datur oblatio, & immutatio rei permanentis in Dei cultum, vt ex dicendis constabit, qua protestamur supremam Dei potestatem, & nostrum affectum consumendi nos ipsos in eius honorem, si liceret, & expediret. Fit item per legitimum Ministrum specialiter deputatum ad hoc munus, & instituta fuit per legitimam authoritatem, nimirum à Christo Domino, qui caput est, & legislator Ecclesiæ, continet ergo Missa, quicquid requiritur ad essentialem rationem proprij sacrificij.

5 Suppono tertiò Missæ sacrificium esse vnicum in lege noua; sic enim est excelsum, & infinitè superans quæuis alia, quæ vel oblata sint, vel offerri possint, vt simul cum illo nullum aliud fuerit admittendum. Non defuit, qui de facto concederet, alia sacrificia dari, probans *ex Canone* 3. & 4. Apostolorum. Vbi permittitur oblatio sola thymiamatis, olei, spicarum, & similium in Altari; tales autem oblationes in lege veteri erant sacrificia. Verum ibi non est sermo de proprio sacrificio, sed de oblatione simplici, qualis fieri potest etiam Beatæ Virgini, vel alijs sanctis, quibus tamen sacrificium offerri non potest. Afferũtur etiam illa verba, quæ dicuntur in benedictione cerei Paschalis. *Suscipe Sancte Pater incensi huius sacrificium vespertinum*. At satis constat, *sacrificium* ibi latè sumi, nõ propriè, nam incensum illud tunc non consumitur, sed etiam consumpto cereo, cui affigitur, manet integrum in quinque granis toto tempore Paschali. Quare certissimum esse debet, in lege noua, nullum aliud sacrificium institutũ fuisse, vel à Christo Domino, vel ab Ecclesia, sed nec ab Ecclesia institui posse, diximus *cap.1. num.9.* docentque *Suar. disp.74. sect.4. Vazquez disp.223. cap.6. Cardin. de Lugo disput.19. num.35.* Ideo *Tridentinum in Proemio sessio.22.* vocat Eucharistiam verum, & singulare sacrificium. Nam ex eo, quod Christus istud sacerdotium, & istud sacrificium instituit, satis colligitur ademisse facultatem ad aliud instituendum validè propter congruentias superius indicatas.

6 Nota primò, quamuis sint duę consecrationes corporis, & sanguinis, ambas ordinari simul ad consumandum vnum signum, & vnicam immolationem, & per consequens vnicum sacrificium.

Nota secundò, Missam institutam fuisse

fuisse quoad substantiam à Christo Domino, iuxta superius *dicta numero* 2. Verum quoad actionem totam, vt includit ritus, ac cæremonias omnes, institutam fuisse per Ecclesiam, vt docet *Tridentinum sess.* 22. *ca.* 4. *&* 5. Nota tertiò, si quis sacerdos vel ex ignorantia, vel ex malitia vellet conficere Sacramentum, & non sacrificium, & hæc posterior intentio non sacrificandi prævaleret, neutrum esse facturum. Sic enim vtrumque fuit institutum, vt nemo possit valide consecrare, nisi sacrificando, nec possit sacrificare, nisi consecrando. Sic docet *Auers. de Euchar. quæst.* 11. *sect.* 1. *Coninch quæst.* 83. *num.* 98. *Suar. tom.* 3. *disp.* 43. *sect.* 3. *§. Dico primo. Cardin. de Lugo de Euchar. disput.* 19. *num.* 103. *&* 104. Sic nos in simili ferè docuimus *lib.* 1. *quæst.* 13. *num.* 99. de contractu, & Sacramento matrimonij.

CAP. II. QVÆST. I.

In quanam actione Missæ sacrificium essentialiter consistat?

7 MIrum est, in hac quæstione quã diffideant Authores, quam varié sentiant, quam parum sibi nonnulli constare videantur, nunc in vnam, nunc in aliam sententiam inclinantes. Referam illas, quam potuerim, breuiter, & dilucidè, postmodum aperiam meum sensum.

Prima sententia ponit in Missa duo sacrificia realiter distincta, quorum primum constet oblatione panis, & vini ante consecrationem facta. Probatur, quia multi Patres dicunt, in Missa panẽ, & vinum offerri. Referuntur per multa capita *de consecrat. distinct.* 2. Sic etiam Ecclesia loquitur in offertorio, sic in quadam Antiphona dicit. *Sacerdos in æternum Christus Dominus panem, & vinum obtulit.* Secundum vero sacrificium constet consecratione, vel etiam sumptione, quo Christi corpus, & sanguis offerantur. Addit tamen hæc sententia, primum sacrificium ordinari ad secundum, ac subindè cũ eo moraliter vnum constituere: Quoniam, vbi est vnum propter aliud, ibi moraliter est vnum tantũ. Ita *Ruard. art.* 16. *contra Lutherum. Cassalius de Missa lib.* 2. *cap.* 25. indicat *Scotus in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2.

8 Hanc sententiam reijciunt *Suarez tom.* 3. *disp.* 75. *sect.* 1. *Coninch quæstio.* 83. *num.* 71. *Auers. de Euchar. quæst.* 11. *sec.* 3. *fine. Martinon disp.* 38. *num.* 50. Et nonnulli vocant illam improbabilem. Tum quoniam est contra communem Theologorum, & Patrum, imò contra *Trid. sess.* 22 qui simpliciter asserunt, vnicum esse nouæ legis sacrificium, cuius hostia sit ipse Christus. Tum etiam, quoniam illa cæremonialis oblatio, quæ circa panem, & vinum antecedit in Missa, non est ex institutione Christi, cum aliquæ liturgiæ reperiantur sine illa: nec sola verbalis oblatio sine reali quapiam immutatione sufficit ad propriam rationem sacrificij.

9 Secunda sententia ponit vnicum sacrificium ad cuius essentiam plures actiones existimat pertinere, videlicet oblationem factam tam ante, quàm post consecrationem, fractionem specierum, commixtionem ipsarum, consecrationem, & sumptionem. Ita ferè *Canus lib.* 12. *de locis cap.* 13. licet confusè loquatur, & præcipuam sacrificij rationem fractioni tribuere videatur. Alij quatuor, alij tres actiones, alij duas, quidam has, quidam illas requirunt. Ita *Sotus in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *Henriquez lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 1. *Azor tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 19. *quæst.* 1. *Bonac. disput.* 4. *quæst. vlt. puncto* 2. *qui referunt alios.* Probatur generaliter, nam omnis actio, qua fit aliquid sacrum circa rem oblatam, pertinet essentialiter ad sacrificium Sed per singulas istas actiones fit aliquid sacrum in speciebus. Ergo pertinent ad essentialem rationem sacrificij. Specialiter ostẽditur, quia sacrificium essentialiter est oblatio, sed oblatio, quæ fit post consecrationem, versatur circa corpus Christi iam positum sub speciebus. Ergo pertinet ad essentiam huius sacrificij. Rursus

sus fractio specierū signat mysticè Christi mortem per separationem partis. Ergo continet propriam sacrificij orationem. Demum sumptio Sacramenti satis exprimit Christi mortem, & sepulturam iuxta id 1. *Corinth.* 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Ergo pertinet ad rationem sacrificij commemoratiui, quale censetur incruentum Missæ sacrificium.

10 Hanc sententiam cæteri Theologi communiter reijciunt Primò, quia ratio sacrificii constitui debet in illis actionibus, quibus Christus Dominus sacrificauit. Sed non omnes actiones illæ factæ sunt à Christo sacrificante, nam oblatio verbalis, nec ante, nec post consecrationem facta legitur; nec ab ipso facta fuit fractio Sacramenti, quæ posset habere rationem sacrificii. Nam quæ legitur à Christo Domino facta, vel præcessit consecrationem (vt multi putat) vel, si fuit post consecrationem, non fuit ceremonialis, sed necessaria quidem, vt suam cuique partem distribueret: ea vero fractio, quam nunc vsurpamus, est ceremonialis circa species panis: at species vini non diuiduntur, etsi non minus sacrificetur sanguis, quam corpus. Demum, quamuis Christus dispensauerit Eucharistiam discipulis, id fecit post peractum sacrificium. Quare sumptio laicalis pertinere non potest ad rationem sacrificij. De sumptione sacerdotis dicemus infra.

11 Reiiciunt secundo, quia totam rationem essentialem huius sacrificij Christus instituit, & eamdem Ecclesia semper retinuit. Sed actiones illas instituit Ecclesia solū, sicut, & alias ceremonias, nec semper eodē modo fuerunt in tota Ecclesia receptæ, vt constat ex variis liturgijs. Imò testatur *Sanctus Gregorius lib.* 7. *indictione secunda Epist.* 63. Apostolos ad consecrationem solam orationem Dominicam adhibuisse. Nunc etiam sæpissimè Sacerdotes celebrant, & non distribuunt laicis, quod approbat *Tridentinum sess.* 22. *cap.* 6. & *canon.* 8.

Reiiciunt tertiò, nam, quamuis omittantur actiones illæ, sacrificium est perfectum, nec suppleri debent: nimirum, si verbalis oblatio vel ante, vel post consecrationem omittatur, vel hostia decidat in Calicem, & infundatur, non debet frangi iuxta Rubricas Missalis. Igitur tales actiones, & aliæ similes sunt ceremoniæ per Ecclesiam inductæ, vel ad significandum aliquod mysterium, vel ad maiorem tanti sacrificii decentiam, nō tamen pertinent ad ipsius essentiam, vel integritatem.

12 Tertia sententia consecrationem, & sumptionem Sacerdotis putat ad essentiam sacrificii pertinere. Sic docent *Bellarmin. lib. de Missa cap.* 27. *propositione* 7. & 8. *Fagundez precept.* 1. *libro* 3. *cap.* 4. *num.* 8. & 25. *Scortia de Missa lib.* 1. *cap.* 5. *Cardinal. de Lugo de Eucharistia disputat.* 19. *sect.* 5. *Auers. de Eucharistia quæst.* 11. *sect.* 2. qui referunt alios. Fauet *S. Thom. quatenus* 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 12. *ad tertium*, *ait Sacerdos in persona omnium sanguinem offert*, & *sumit*, & *quæst.* 83. *artic.* 6. *ad tertium dicit*, si post consecrationem species vini non possint sumi, debere aliud vinum consecrari, & sumi, ne maneat sacrificium imperfectum; sentit ergo, perfici sacrificium Missæ consecratione simul, & sumptione.

13 Probatur primò ex scriptura. Nam in Euangelio satis exprimitur actio cōsecrandi, de qua præcipuè dixit Christus. *Hoc facite*. Quod etiam Christus sumpserit Sacramentum, & si non habeatur expressum in Euangelio, satis colligitur ex illis verbis. Lucę 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*. Et rursus. *Non bibam amodo de genimine vitis, donec regnum Dei veniat*. Quæ non solum de Paschate legali, sed etiam de nouo capiunt *Eusebius*, *Emissenus*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, quos refert *Fagundez supra*. Quare *Sanctus Thomas quæst.* 81. *artic.* 1. docet, Christum sumpsisse suum corpus, & sanguinem, *Vazquez ibi in Commentaria*, *Suarez ibi*, & *disputat.* 75. *sectio.* 2. *circa finem*

finem asserunt, ita sentire communiter Patres, & Theologos, quos abundè referunt.

14 Probatur secundò ex Patribus, qui sæpè dicunt, consecratione Missæ sacrificium celebrari, offerri, fieri, vt expendit *Cardinalis de Lugo supra num.41. & sequentibus*, at requirunt etiam, vt Sacerdos sumat species consecratas ad sacrificium complendum. *S. Augustinus libro 17. de Ciuitate cap.5.* dixit. *Manducare panem, qui est in nouo testamento sacrificium Christianorum*. *Petrus Cluniacensis lib. primo Epistolarum inquit.* Dicitur Christus immolari: cum licet inuiolabiliter in Altari frangitur, diuiditur, comeditur, cum his, & quibusdam alijs signis, in quantum fieri potest mors Domini maximè repræsentatur.

15 Probatur tertiò. Nam Christus Dominus in consecratione sufficienter immutatur ad veram, & propriam rationem sacrificij, quatenus sub speciebus mortuo quodam, & indiuisibili modo ponitur ad protestādam Dei supremam potestatem, & ad sacrificium Crucis repræsentandum, vt inferius exponetur. In sumptione destruitur omnino, quatenus amittit totum esse Sacramentale in Dei honorem factus perfectissimum holocaustum. Ergo tam consecratio, quàm sumptio Sacerdotis constituunt essentialiter perfectissimum Missæ sacrificium.

16 Probatur quartò, quia Sacerdos in ordinatione sua solum accipit potestatem ad offerendum sacrificium, non enim, illi dicitur. Accipe potestatem consecrandi, vel sumendi, sed offerendi sacrificium; ergo sub potestate offerendi continetur tum potestas consecrandi, tum etiam sumendi nomine totius Ecclesiæ. Nam alioqui non appareret, vbi datur ei principalis potestas Sacerdotalis consecrandi Christi corpus, & illud sumendi nomine publico.

17 Probatur quintò, quia si sumptio Sacerdotis non pertineret essentialiter ad sacrificij complementum, non apparet, cur sit obligatio tam stricta sumendi, quoties consecratur, itaut si fortè deficiat Sacerdos post consecrationem, & adsit alius, quamuis non ieiunus, debeat hic sumere iuxta regulam Iuris *cap. Illud & cap. Nihil 7. quæstio. 1. cap. Relatum de consecrat. distinct. 2.* & iuxta Rubricam Missalis præscribentem etiam, vt si species vini post consecrationem effundantur, aliæ consecrari debeant, & sumi. Quo casu si fuisset ante sumptionem sacrificium peractum, illa noua consecratio potius esset sacrificatio noua, quam complementum præcedentis: ergo sumptio simul cum consecratione constituit essentialiter veram, & perfectam sacrificij Missæ rationem, & essentiam.

18 Quarta sententia docet, solam consecrationem esse sacrificium essentialiter. Ita *Toletanus, Cassalius, Turrianus, Alanus, Ruardus*, quos sequitur. *Vazquez disp. 222. cap. 5. Suar. disput. 75. conclus. 3. Coninch quæst. 83. num. 96. Fillucius tract. 5. num. 23. Martinon tom. 4. disputat. 38 sect. 4. num. 43. Maratius de Eucharist. disputat. 36. sect. 4.* qui referunt alios. Fauet *S. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 4. ad primum dicens*, Eucharistiæ consecrationem esse sacrificium, & *art. 10.* inquit, *consecratione huius Sacramenti sacrificium offertur, & ad primum*, ait. *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione, in qua sacrificium Deo offertur, & quæst. 83. ad 4.* dicit Sacerdotem petere post consecrationem, vt sacrificium iam peractum sit acceptum Deo.

Consonant plures Patres à prædictis Doctoribus relati, qui sæpè dicunt, consecratione fieri sacrificium, & immolationem. Accedunt tam Patres, quàm Doctores asserentes, in feria sexta maioris hebdomadæ non sacrificari, quia non consecratur, videatur *Cardinalis de Lugo num. 44.*

19 Probatur primò. Nam Euangelistæ solum exprimunt, Christum Dominum consecrasse panem, & vinū, & dedisse discipulis suis; Vnde colligūt Patres, illum sacrificasse, sed distributio, cum sit vsus Sacramenti, non est pars essentialis sacrificij. Sacrificauit ergo Dominus cōsecrando;

crando: Quare consecrationem iniunxit Apostolis, dum dixit. *Hoc facite in meã commemorationem*. Nec verisimile fit, Euangelistas omisisse potissimum actum sacrificandi, quem Christus Apostolis præcepit, cum tamen nullus Euangelista referat clarè, Christum ipsum consecrasse.

20 Probatur secundò. Nam solam consecrationem efficit Sacerdos in persona Christi, dum profert verba consecrationis, & ita Christus est nunc principaliter offerens vnà cum Sacerdote. Non sumit autem Christus corpus suum per Sacerdotem, sicut consecrat illud verbis Sacerdotis. Ergo Sacerdos non offert, quãdo sumit, sed quando consecrat. Probatur tertiò, quia præcipuum munus Sacerdotum nouæ legis est consecrare Christi corpus, & Sanguinem, præcipuaque potestas Sacerdotibus confertur ad consecrandum. Quippè forma constituens essentialiter Sacerdotem nouę legis est character, hic autem per se primò principaliter est consecrandi potestas, vt docet *Tridentin. sess. 23. c. 1. & 4.* Igitur in consecratione sola consistit sacrificium, quod principaliter intenditur per Sacerdotium.

21 Quinta sententia docet, solam sumptionem esse formaliter sacrificium, cõsecrationem vero prærequiri tamquam actionem præuiam, & præparationem victimæ. Sic *Martinus de Ledesma 1. quarti quæstio. 23. articulo quarto circa finem*, alios refert *Henriquez lib. 9. cap. 8 num. 5. Fagundez præcept. 1. lib. 3. capite quarto num. 22.* partim consentit *Nuñus 3. part. quæstio. 83. articulo primo 2. part. difficult. 2.* Fauet *Sanctus Thom. 3. part. quæstio. 83. articulo secundo ad secundum dicens*, in Parasceue sumi corpus Christi pridie consecratum à Sacerdote, ne careat Ecclesia tali die fructu passionis Christi. Sed certè non nisi per sacrificium dicitur Ecclesia participare fructum Dominicę passionis; ergo supponit Sanctus Doctor in sola sumptione, qua peragitur illo die, veram inueniri sacrificij rationem.

22 Vnde probatur primò, nam in feria sexta Parasceue apud Latinos, & in ferijs quadragesimę apud Gręcos, quando celebrant ex præconsecratis, datur verum sacrificium, & tamen non datur consecratio, sed sola sumptio Sacramẽti prius consecrati; ergo sola sumptio constituit essentialiter sacrificium. Minor est certa. Maior probatur, nam Ecclesia Latina vocat officium, & ministerium illius diei sacrificium, dicens. *Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus*, & rursus inquit Sacerdos *orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificiũ acceptabile fiat*. Apud Græcos *consil. Laodic. c. 49. & Sexta Synodus canon. 52.* præscribunt, *vt in omnibus Sanctæ Quadragesimæ ieiunii diebus præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die fiat sacrum præ sanctificatorum ministerium*. Vbi satis iudicat, tunc etiam fieri sacrificium sine consecratione, nam facere sacrum, & sacrificare videntur coincidere.

23 Probatur secundò, quia per solam sumptionem fit destructio rei oblatæ, quippè consecratio potius est adductio, vel productio victimę, quãm eius destructio. Sacrificium verò fit formaliter, & essentialiter per destructionem, qua res oblata destruitur in Dei cultũ, vt ostendimus *c. 1. q. 3.* Non ergo consistit sacrificium istud in consecratione, sed in sola sumptione, imò, quia non desinit esse Christus sub speciebus, quando sumitur, sed quando species in stomacho corrumpuntur, nonnulli dixerunt, hoc sacrificium consumari, non præcisè sumptione, sed corruptione specierum, vt testatur *Auersa de Eucharistia quæst. 11 sec. 4.* initio. Probatur tertiò, quia si sacrificium consisteret in consecratione, frustra post consecrationem applicaretur eius fructus alicui, cum fructus sacrificij non possit manere suspensus, sed hoc est contra morem Ecclesiæ, quæ post consecrationem applicat sacrificium pro defunctis, ergo supponit Ecclesia, nondum esse positam essentiam sacrifici-

Hu-

Hucusque respondimus ad quæstionem ex aliorum sententijs, vt nostram apernamus iure tam graui, quàm controuersa, statuimus expendere prius, quod sit sentiendū de possibili, postmodum quid sit asserendum de facto: sic enim distinctius, & clarius res tota percipietur.

CAP. II. QVÆST. II.

Quæ actio Missæ possint essentialiter constituere sacrificium.

24 SVppono primò ex *dictis cap.* 1. sacrificium essentialiter esse signum ad placitum legitimè impositum ad significandam protestationem diuinæ potestatis, cui totum esse referamus acceptum, & totum deberi fateamur. Suppono secundò, quamuis voces imponi *possint* ad significandum sine vocis Analogia cum re significata, si quidem vox Leo secundum se non habet maiorem Analogiam cum Leone, quam cum equo, vel vitulo tamen rem, vt etiam ad placitum (aptè scilicet) imponatur ad aliquid significandum, habere debere similitudinem, aut Analogiam aliquam cum re significata. Quippe non imponeretur aptè, vel ad significandam vitam fax extincta, vel ad significandam mortem fax accensa: nec ad significandam submissionem inferioris ad superiorem esset aptum signum, quod superior genuflecteret, & inclinaret caput coram inferiore sedente.

Quærimus itaque, quænam actio Missę sit talis, qualem apta significatio, vel impositio sacrificij requirit; nec enim credēdum est, Deum imposuisse signum ineptum pro Missæ sacrificio. Videantur *Vazquez disp.* 223. *cap.* 4. *num.* 34. *Card. de Lugo disp.* 19. *num.* 2.

25 Iam petes primò, An consecratio sola possit essentialiter constituere Missę sacrificium? Negant authores quintæ sententiæ, ac probant primò. Nā in Missa sacrificatur ipse Christus, qui fuit oblatus in Cruce, vt definit *Tridentinum sessio.* 22. *cap.* 1. & 2. Sed Christus non destruitur per consecrationem, imò potius producitur, vel adducitur. Ergo consecratio non potest esse signum aptum ad constituendum essentialiter sacrificium Christi Domini.

Consequentia probatur, quia sacrificium debet esse signum nostrę submissionis erga Deum, quem profitemur esse dignum, vt in eius honorem vita nostra consumatur, ac subindè necessariò requirit actionem destructiuam realiter rei sacrificatæ, vt *ostensum est ca.* 1 *n.* 22. Sed consecratio realiter destruit solum panem, & vinum, Christum vero neutiquam. Ergo solum esse potest sacrificium panis, & vini, non vero Christi Domini.

Probatur secundò, nec panis, & vini sacrificium esse posse. Quia sacrificium esse debet immutatio sensibilis rei sacrificatæ, sed conuersio panis in corpus Christi, quæ fit per consecrationem, non est sensibilis, & consequenter nec destructio panis, nec productio, vel adductio Christi sensibilis est. Ergo non potest habere propriam rationem sacrificij, quo Christus, vel panis offeratur. Idem est de vino proportionaliter.

26 Affirmant Authores tertię, ac quartæ sententiæ, sed varijs modis explicant, quomodo sola consecratio possit esse Missę sacrificium; nec enim est facilis solutio fundamenti contrarij. Primus modus iuxta superius *dicta cap.* 1. *n.* 20. distinguit sacrificium absolutum, & commemoratiuum, & asserit, Missæ sacrificium esse solum commemoratiuum, quod non requirit realem immutationem victimæ, sed solam ipsius repræsentationem, dum ipsam victimam contineat realiter. Quare cum Missa contineat realiter Christum, & repræsentet eius sacrificium cruentum, quatenus consecratio separat ex vi verborum corpus à sanguine (quippè licet per concomitantiam sit idem sub vtraque specie, tamen hoc est per accidens, si quidem verba, quantum est de se, separant

vtrumque, subindéque sacramentaliter mactant illud, & proprijssimè repræsentant in altari tamquam victimam occisam,& sacrificatam.) Consecratio quidem est aptum signum ad cōstituendum essentialiter Missæ sacrificium commemoratiuum, quod habeat veram, & propriam sacrificij rationem. Ita *Vazquez disp.222.cap.7. & 8.disput. 223.num.7.Lessius de perfectionib.diuin. lib.12.num.95.Maratius 3.part. tract.de Eucharist.disp.36.sect.4.& 7.partim. Fagund.præcep.1.lib.3.c.4.n.9.*10.24. & 25. nā licet in sumptione fateatur, dari realem Christi destructionē,& in consecratione solam admittit mysticā, & repræsentatiuam per illā verbalē separationē.

27 Hunc dicendi modum refellunt. *Bellarmin.libro primo de Missa cap.2. et cap.27.post octauam propositionem. Suar. tom.3.disput.75.sect.5.§. Secunda ratio. Cardinal.de Lugo disputat.* 19. *num.*54. *et* 61. *Martinon de Eucharistia disp.*38. *num.*57.*&* 58.*Auersa de Euchar.quæstio.* 11.*sect.*4.dicentes, acceptionem sacrificij pro commemoratiuo dumtaxat arbitrariam, & confictam esse. Nam nec scriptura, nec Patres sacrificium appellant id,quod est solum figura, vel commemoratio sacrificij. Sic loquitur *Bellarmin.eo capite secundo*. Vide pariter, quæ nos diximus *supra capite primo numero* 24. Nec quicquam confert illa separatio verbalis: Quia verum, & reale sacrificium veram, & realem destructionem rei sacrificatæ requirit; consecratio vero non veram, & realem Christi destructionem, sed mysticam tantum efficit etiam in ipsorum sententia. Quippè quomodocunque vera mors impediatur, aut destructio victimæ, tollitur vera ratio sacrificij. Quare si Sacerdos in lege veteri pecudem immolaturus ictum adhiberet mactationi sufficientem, at naturali, vel miraculoso modo mors impedita fuisset, non diceretur sacrificasse realiter, sed sola voluntate. Sic Abraham non sacrificauit realiter suum filium, quia licet ad fuit voluntas efficax, defuit executio.

28 Adde concomitantiam corporis & sanguinis Christi Domini non esse per accidens, nec miraculosam, sed debitam connaturaliter, ex vi connexionis talium partium secundum præsentem statum, vt definit *Tridentin.sess.*13. *cap.*3.quare consecratio dici non potest separare (nec quantum est ex se) hic, & nunc corpus à sanguine, vel è contra. Nam aliud est ex vi verborum non poni cum corpore sanguinem, aliud vero, quod verba petant, ne ponatur ibi sanguis, illud prius verum est,hoc posterius falsum; quamuis verba non significent sanguinem, non tamen significant, nec petunt negationem sanguinis, imò ponendo corpus, quod hic, & nunc viuum est, quasi consequenter petunt, vt ponatur ibi sanguis ex vi concomitantiæ naturalis. Nulla igitur apparet ibi destructio Christi, nisi repræsentata. Nec iuuat præsentia Christi quondam in cruce litati, & in consecratione repræsentati; nam ad verum Christi sacrificium præsens non solum requiritur præsens ipse Christus, sed præsens ipsius immutatio realis. Sicut si quis antea fuisset vulneratus, & postea repræsentaret in scæna talem euentum, non diceretur nunc realiter, sed solum repræsentatiuè vulnerari.

29 Itaque fatendum est, Missam, & specialiter consecrationem esse commemorationem, & repræsentationem passionis Domini, & eius sacrificij cruenti. Sic enim scriptura testatur *Luc.*22. *&* 1. *Corinth.*11. Sic definit *Trident.sess.*22. *cap.*1. Sic tradunt Patres, quos *Vazquez* pro se refert: simul tamen asserendum est,aliundè consecrationem habere propriam sacrificij rationem. Etenim sicut vetera sacrificia non eo præcisè veram habebant sacrificij rationem, quia repræsentarent futurum crucis sacrificium, sed simul cum ea repræsentatione retinebant suam propriam, & veram sacrificij rationem iuxta superius dicta *capite primo quæstio.* 3. sic etiam sacrificium Missæ non amittit suam propriam, & veram sacrificij rationem,

quia

quia simul sit alterius sacrificij commemorariuum, vt ostendit *Bellarmin supra cap.* 12. contra Nouatores, qui solam repræsentationem sacrificij Crucis in Eucharistia concedunt, vt negent in illa veram rationem sacrificij.

30 Quapropter cum *Magister in 4. distinctione* 12. *& S.Th. m. in 3. par. quæstio.* 83. *articulo primo* dicunt, Missam vocari sacrificium, vel immolationem, quoniam est repræsentatio, vel imago immolationis in Cruce factæ, similiter Patres aliqui, dum asserunt, Christum semel tantum verè immolatum fuisse, ac Eucharistiam esse repræsentationem illius immolationis, loquuntur equidem de sacrificio cruento, cui sæpè nomen immolationis attribuunt, vt notat *Bellarmin. supra cap.* 15. §. *alter modus*. Ideo *Malderus tractat.* 10. *de Religio. capite tertio dub.* 1. docuit, in Missa dari verum, & proprium sacrificium (*scilicet* incruentum) immolationem vero (scilicet cruentam) non nisi mysticam in propriè loquendo, nam immolatio cruenta semel tantum verè facta fuit, nunc autem non propriè, sed per repræsentationem agitur. Sic capiendi sunt. *Ambrosius, Chrysostomus, Theophilactus in cap.* 50. *ad Hebr. Augustin. Epistol.* 23. *& alibi*. Semper itaque retinendum est, consecrationem sic esse repræsentationem sacrificij cruenti, vt simul sit verum, & proprium sacrificium, quatenus est aptum signum nostræ submissionis ad supremam Dei potestatem supra totum esse creatum.

31 Secundus dicendi modus admittit, in omni vero sacrificio requiri realem immutationem rei sacrificatæ, sed addit sufficere, vel destructiuam, vel productiuam ipsius iuxta regulam supra positam *capite primo numero* 21. & consequenter asserit, in Missa consecrationem habere propriam sacrificij rationem, quatenus per illam res ignobilior, nempè panis, & vinum conuertitur in rem nobiliorem, nempè corpus, & sanguinem Christi, qui non existens antea sacramentaliter sub his speciebus, ex vi consecrationis fit ibi denuò præsens Sacramentaliter in honorem Dei, cuius supremam potestatem supra totum esse creatum illa Sacramentalis productio mirificè protestatur. Ita *Suarez disputat.* 75. *sect.* 4. §. *Video. Lessius de Iustitia libro secundo capite* 38. *numero* 14. *&* 15. *Coninch quæstio.* 83. *numer.* 15. 16. 96. *Auersa de Eucharistia quæst.* 11. *sectio.* 4.

32 Hunc dicendi modum meritò refellunt *Vazquez disputatio.* 222. *numero* 47. *&* 49. *Cardinal. de Lugo disputat.* 19. *num.* 53. *Nos supra cap.* 1. *num.* 24. Quoniam, cum sacrificium essentialiter esse debeat signum, quo protestemur, nos debere Deo destructionem totius esse nostri, & significemus affectum destruendi nos ipsos in eius cultum, si liceret, sicut destruimus rem oblatam, vt ostendimus *capite primo quæst.* 3. non potest esse signum aptum talis protestationis, & affectus productio rei sacrificatæ, sed sola destructio realis ipsius. Admittit *Auersa illa sectione quarta circa finem*, ad rationem sacrificij non sufficere productionem rei solam, benè tamen ordinatam ad eiusdem destructionem, ita vt coniunctim talis immutatio rei, qua prius producatur, & postea destruatur in honorem Dei, sit adæquata forma sacrificij, & sic posse consecrationem simul, cum sumptionem constituere sacrificium Missæ. Sed hinc in primis iam habemus, consecrationem solam, de qua nunc quærimus, non posse constituere Missæ sacrificium, quod opponitur affirmatiuæ decisioni, quam propugnamus.

Deinde, si consecratio per se præcisè, signum aptum sacrificij non est; quia non potest aptè significare affectum internum destruendi nostrum esse, si conduceret ad diuinum honorem: quamuis ordinetur ad sumptionem, & coniungatur cum ipsa, nec inadæquatè poterit internum sacrificium aptè significare, nam illa ordinatio, vel coniunctio externa non dat ipsi aptitudinem internam, ac subindè, licet coniungatur

cum sumptione, sola sumptio signum erit aptum, non verò consecratio iuxta modum istum dicendi.

33 Tertius modus dicendi recurrit ad destructionem panis, & vini, quæ per cõsecrationem destruuntur in honorem Dei, dum in corpus, & sanguinem Christi conuertuntur. Hunc modum referunt, & refellunt *Bellarmin. lib. 1. cap. 27. propositione* 8. *Vazquez disput. 222. num.* 51. *Fagund. supra num.* 25. *Cardinal. de Lugo num.* 51. Nam iuxta modum istum dicendi propriè dumtaxat panis, & vinum sacrificarentur in Missa, cum illa solum vi consecrationis destruantur, nõ verò corpus, & sanguis Christi, & per consequens haberet Ecclesia nunc sacrificium inanimum, & multò vilius, quam habuerint olim Hebræi. Nec esset idem Missæ sacrificium, & Crucis quoad rem oblatam, contra communem doctrinam Patrum, & *Tridentini sessio.* 22. *cap.* 2.

34 Quartus dicendi modus probabilior asserit institui posse solam consecrationem insignum aptum ad constituendum essentialiter Missę sacrificium. Nam ad veram rationem sacrifici sufficit destructio rei sacrificatæ realis humano modo, qua transferatur in statum decliuiorem ineptum ad suos vsus naturales, & tendentem ad interitum, vt diximus *cap.* 1. *numer.* 28. Sed Christus Dominus per consecrationem, etsi non destruatur substantialiter, destruitur tamen humano modo realiter, quatenus accipit statum decliuiorem, quo redditur ineptus ad vsus naturales humani corporis, & aptus ad alios diuersos vsus per modum cibi; quare moraliter idem est, ac si fieret verus panis, & condiretur in cibum, quæ mutatio sufficiens est ad verum sacrificium instituendum, nõ minor quàm effusio liquoris, quæ constituebat sacrificium libaminis. Ita censent *Cardinal. Bellarmin. lib. 1. de Missa cap. 27. propos.* 8. §. *Tertio per consecrationem. Cardin. de Lugo disp.* 19. *sect.* 5. *Martinon disput.* 38. *num.* 43. & 63. *Satis insinuit Gregor. Nyssen. orat.* 1. *de Christi resurrectione co. lumn.* 6. Vbi probat, Christum obtulisse semetipsum in sacrificium antequam se dedisset Apostolis edendum his verbis. *Tunc apertè declarauit, agni sacrificium iam esse perfectum; nam victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium per agentis potestati collibuerat.* Satis enim significat Nyssenus, ante manducationem immolatum fuisse Christi corpus, quando redditum fuit aptum, vt comederetur: nam illa fuit destructio corporis realis humano modo, quam constat consecratione fuisse factam.

35 Dices, hanc rationem fore firmam, si Christus per consecrationem ita trãsferretur in hunc statum, & vsum Sacramentalem, vt amitteret statum suum naturalem, & ita verè decideret in hunc alium decliuiorem; tamen dum adhuc retinet statum suum naturalem, nihil deperdit per hunc alium, sed potius adquirit nouum modum essendi, quem non habebat. Quare non subit mutationem deperditiuam, & destructiuam, sed potius adquisitiuam noui status licet deterioris sine amissione prioris sibi magis connaturalis. Sic enim liquor, quando fundebatur in terram, si maneret adhuc in vase, non diceretur subire mutationem destructionem, & per consequens nec verè sacrificari, sed potius adquirere nouum locum, & statum licet deteriorem sine deperditione prioris sibi magis accommodati.

36 Respondetur, siue Christus per consecrationem producatur, siue solum ponatur sub speciebus ex vi connexionis cum illis, semper distingui posse, vel ex natura rei, vel saltem ratione nostra positionem illius corporis in pluribus locis quasi priorem, & positionem ipsius tali modo connexi cum speciebus quasi posteriorem; nam sine dubio distinctum miraculum est, ponere corpus idem in pluribus locis distantibus; & ponere corpus humanum viuum, & quantum ita con-

connexum cum speciebus panis, vt sit totum sub singulis partibus, & totum sub cunctis, nec possit ab illis seiungi, nec alium vsum habere nisi cibi, seu panis; Igitur argumentum ad summum probat, primum miraculum potius adquisitiuum esse quam destructiuum; de secundo verò non conuincit, nam corpori Christi supposito primo miraculo, debebatur connaturaliter in omnib. locis extensio quantitati suæ proportionata, & præsentia independens ab alienis accidentibus, capax etiam humanarum functionum. Dum ergo colligatur, & coarctatur ad species panis, & ad solum vsum cibi comextibilis, & comedendi, planè secundum esse sacramentale decidit in statum decliuiorem, & destruitur humano modo realiter iuxta doctrinam suprapositam.

37 Petes secundò, an sola sumptio specierum possit essentialiter constituere Missæ sacrificium? Negant *Vazquez disput.222.num.23.& 27.Coninch. quæst. 83.num.96.& alij forsan ex relatis supra num.18.*

Probatur primò, quia per sacrificium aliquid est offerendum Deo, cum omne sacrificium essentialiter sit oblatio, sed per sumptionem specierum nihil offerimus Deo, quin ab illo potius aliquid accipimus, tamquam eius conuiuæ mensæ cælestis participes effecti: Ergo sola sumptio non potest habere rationem sacrificij.

Probatur secundò, quia sacrificium essentialiter requirit destructionem realem rei sacrificatæ, sed per sumptionem specierum ante corruptionem ipsarum non desinit esse Christus sub speciebus, solum enim mutatur cum illis secūdum locum. Ergo sola sumptio non potest habere propriam rationem sacrificij, sicut nec sola mutatio localis victimæ.

Probatur tertiò. Nam etiam corruptis speciebus nulla fit in Christo Domino mutatio realis secundum eius esse, sed solum secundum modum existendi sub speciebus, quem amittit, sed hæc mutatio cum accidentalis sit, non est aptum signum affectus interni destruendi nostram substantiam in Dei cultum: ergo non est aptum signum ad constituendum essentialiter sacrificium, quo talis affectus significandus est. Confirmatur; nam si sola consumptio, vel corruptio specierū sufficeret ad constituendum proprium sacrificium; quodlibet aliud genus corruptionis specierum, vel per ignem, vel per quid simile posset essentialiter constituere sacrificium, quod videtur absurdum.

38 Melius affirmant *Suar. disput.75. sect.4.§. Dico tamen, & sectio.5 conclus.1. Fagund. præcept.1.lib.3.cap.4. numero 7, Auers. quæst.11 sect.4.5. At immutatur.* Fauent *Authores tertiæ, ac quintæ sententiæ relatæ supra num.12.& 21.* Probatur, quia licet Christus per sumptionem specierum non destruatur quoad suum esse simpliciter, destruitur tamen, quoad esse sacramentale, qualecumq; sit illud. Non enim sacrificatur Christus, prout est in cœlo, nam vt sic non attingitur, nec immutatur per actionem sacrificandi; sed solum sacrificatur, prout ex vi verborum constituitur sub speciebus sacramentalibus; & hoc esse sacramentale realiter amittit per sumptionem humano modo: Quippe licet non sequatur destructio, donec species corrumpantur, at omne pabulum humano modo destrui dicitur, & consumi, quando comeditur, quia iam tunc ponitur in statu proximo destructionis. Et ipse *Vazquez disp.223.nu.37.* fatetur sacrificium ouis, quamuis exigat destructionem, non tamen fieri, quando moritur ouis, sed quādo iugulatur, vel percutitur, quia tunc datur actio voluntaria sacerdotis, qua iam humano modo censetur ouis destructa, vel occisa.

Pariter ergo sumptio specierum humano modo destruit esse sacramentale Christi Domini, quatenus ponit illud in statu proximo destructionis, & per consequens esse potest aptum signum interni sacrificij voluntariè tendens ad Dei cultum; nam deinceps digestio, vel corruptio specierum potius est actio ne-

necessaria potentiæ vegetatiuæ.

39 Petes tertiò. An consecratio, & sumptio simul institui possint, vt essentialiter constituant Missæ sacrificium? Negat *Vazq. disp. 221. ca. 4. nu. 27. 28. 29.* Probatur, quia, si sola consecratio per se potest essentialiter constituere Missæ sacrificium, & similiter sola sumptio per se iuxta superius dicta, certè si simul institueretur vtraq; ad constituendum Missæ sacrificium, non vnum, sed duplex sacrificium esset; Quælibet enim adæquatè significaret sacrificium internum, ac subindè non posset vnicum externum cõstituere; Quia sicut ex duobus signis adæquatis conflari non potest vnicum; sic ex duabus significationibus adæquatis nequit vnũ conflari, quæ constituat essentialiter vnicum sacrificium.

40 Melius affirmant Doctores tertiæ sententiæ relati *supra num. 12.* & specialiter *Suar. disput. 75. sect. 2. conclus. 2. Fagundez supra num. 7.* & 8. Probatur, quia consecratio, & sumptio simul magis expressè significant totalem victimę destructionem. Nec repugnat, aliquam victimam in vno, & eodem sacrificio duplicem destructionem subire; nam in holocausto necessarium erat, victimam occidi prius, & adhuc postea magis destrui per totalem combustionem; & in alijs sacrificijs, quamuis non combureretur tota victima, tamen post occisionem adolebatur in igne aliqua pars illius, & cum occisio per se sola sufficeret, & combustio sola pariter esset sufficiens ad constituendum sacrificium, vt in thure, simila, vel similibus, nonnumquam tamen ab instituente iungebantur, quia noluit Deus vnum sine alio, sed vtrumque simul imponere ad tale, vel tale sacrificium constituendum in ratione talis signi. Cum n. sacrificium sit signum ad placitum, ex instituentis voluntate dependet, quod ex rebus aptis tali significationi, vel vnam dumtaxat, vel duas simul ad hoc, vel illud sacrificij genus imponat.

41 Itaque quęstioni principali respondemus, aptam esse consecrationem solam, & sumptionem solam, & vtramque simul coniunctam, vt imponantur, vel sigillatim, vel coniunctim ad constituendum essentialiter Missę sacrificium, & ad significandum aptissimè, quod per tale sacrificium iuxta Patrum, & Doctorum sensum significatur. Quid autem de facto sit institutum, dicemus *qu. sequenti.*

CAP. II. QVÆST. III.

Quænam actio Missæ de facto constituat essentialiter sacrificium.

42 SVppono, quod tetigi *supra cap. 1. num. 31.* sacrificium in lege veteri fuisse multiplex; Primum holocaustum, idest totum incensum, quia totum cremabatur in honorem, & laudem Dei, secundum pro peccato, quod vocatur expiatorium, cuius vna pars cremabatur, aliam sacerdos in atrio templi manducabat, tertium pacificum, quod offerebatur, vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad impetrandum nouum beneficium à Deo, cuius vna pars cremabatur, aliam manducabant Sacerdotes, aliam offerentes, qui donauerant victimam. Primum perfectionis gradum obtinet holocaustum. Secundum sacrificium expiatorium. Tertium pacificum pro beneficijs acceptis. Quartum pacificum quo recipiendis. Nam obligamur Deo maximè propter eius maiestatem. Secundò propter offensam commissam. Tertiò propter beneficia recepta. Quartò propter recipienda, quę petimus, & speramus. Ita *S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 4. Scortia libro primo de Missa cap. 8.* His omnibus in lege gratiæ successit sacrificium Missæ, quod mirificè complectitur antiquorum sacrificiorum differentias, vt agnoscit Ecclesia dicens in oratione Dominicæ sextæ post Pentecosten. *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti, & S. Thom. 3. part. quæstio. 22. art. 2.* inquit. *Christus Dominus in quantum*

rum homo, non solum fuit Sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, & hostia pacifica, & holocaustum.

43 Itaque dicendum est cum tertia sententia posita supra *numero* 12. de facto consecrationem, simul, & sumptionem Sacerdotis impositas à Christo fuisse ad constituendum adæquatum signum Eucharistiæ significationis, oblationis, & immolationis. Hoc tenent Authores eius sententiæ. Hoc etiam eius fundamenta confirmant. Sic enim hoc sacrificium institutum fuisse de facto colligitur à posteriori ex obligatione sumendi tam stricta, vt in nullo casu quantæcumque necessitatis liceat relinquere consecrationē sine sumptione, vt expendimus *num.* 17.

44 Pro maiori declaratione distinguimus in sacrificio Missæ tres compositiones diuersas. Prima complectitur consecrationem duplicis speciei, nempè panis, & vini, de qua diximus *capite primo quæstione prima, & secunda.* Secunda fit ex partibus homogeneis specierum, quæ consecrantur, vel sumuntur. Sacrificium enim tot habet partes integrantes homogeneas, quot sunt partes hostiæ, quæ consecratur, vel sumitur; sicut homo habet partes homogeneas carnis, quę licet augeantur per nutritionem non variant absolutam hominis integritatem. Tertia resultat ex consecratione, atque sumptione simul, iuxta nostram sententiam tamquam ex partibus integrantibus æthe-rogeneis, sicut homo constat capite, manibus, pedibus, tamquam partibus necessariò requisitis ad eius substantialem integritatem. Sed in his adhuc quędam sunt partes necessariæ simpliciter ad existentiam totius videlicet hominis; quædam sicut necessariæ secundum quid: nimirum homo sine manibus, vel pedibus, essentialiter, & simpliciter est homo, sed incompletus: at sine capite, vel sine corde, vel sine iecore, non existet simpliciter, nam istę partes sunt necessariæ simpliciter ad eius existentiam.

45 Sic ergo dicunt Authores tertiæ sententię, consecrationem, & sumptionem Sacerdotis esse partes ætherogeneas huius sacrificij, quod per consecrationem habeat absolutè suam essentiam existentem, & possit simpliciter vocari sacrificium, sed adhuc incompletum, donec integretur, & compleatur per sumptionem, sicut homo sine manibus est essentialiter, & simpliciter homo; non tamen integer, & completus. Afferunt etiam exemplum holocausti magis ad rem. Nam occisio victimæ iam ante combustionem erat essentialiter sacrificium, quatenus significabat protestationem diuinæ potestatis, & affectum destruendi propriam vitam in eius honorem, at erat incompletum, & imperfectum, donec per combustionem compleretur, & perficeretur. Ita proportionaliter consecratio constituit essentialiter Missæ sacrificium, quatenus destruit Christum humano modo realiter in Dei cultum, vt diximus *numero* 34. incompletum tamen, & imperfectum integraliter, donec sumptione compleatur, tamquam parte integrali substantiali, ac ætherogenea.

46 Addi potest, sicut occisio victimæ constituebat essentialiter sacrificium ante combustionem, non tamen è contra, nam, si vitulus morbo peremptus combureretur, non esset essentialiter sacrificium etiam incompletum; ita consecrationem ante sumptionem essentialiter constituere Missæ sacrificium, non tamen sumptionem sine consecratione, nec partialiter. Item consecrationem essentialiter constituere Missæ sacrificium, quatenus propitiatorium est, vt definit *Tridentin. sessione* 22. *cap.* 2. non vero quatenus holocaustum est, nam sub hac ratione requirit essentialiter totalem victimæ destructionem. Quoad possit (humano modo saltem) destrui realiter, ita ut sumptio Sacerdotis respectu Missæ, quatenus est sacrificium propitiatorium, sit pars integralis, necessaria secun-

secundum quid, sicut manus, aut brachium in homine, tamen quatenus est holocaustum, fit pars necessaria simpliciter, sicut cor, aut caput in homine, sine quo non potest absolutè consistere. Sic conciliantur Authores, qui dicunt sumptionem esse partem integralem huius sacrificij, cum his, qui putant ad essentialem eius constitutionem requiri, nam priores capi possunt de Missa, quatenus sacrificium propitiatorium est. Posteriores de Missa, quatenus holocaustum est.

47 Habemus exemplum accommodatum in ordinatione Sacerdotis, in qua prius confertur potestas consecrandi, quæ constituit Sacerdotium essentialiter, sed incompletum, postea confertur potestas absoluendi, quæ complet Sacramentum Sacerdotij, & prima potestas valet sine secunda, non econtra, vt docent *Vazqu.3.par.disput.239.cap.5.& 6.Sanchez in consil.lib.7.ca.1.dub.12.nu. 20.Coninch disp.20.nu.61.cum communi Doctorum*. Quod si Sacerdos consecretur Episcopus, additur illi character partialis, qui Sacerdotalem auget intrinsecè, nec sine illo potest consistere. Vt cum multis tenent *Layman lib.5.tract.9. cap. 4. Vazquez disp.240. cap.4. Sanch. supra dub.9. Coninch num.43.* Itaque potestas absoluendi est pars etherogenea sacerdotij necessaria secũdum quid, nimirum non ad essentiam ipsius, sed ad complementum integrale, sicut manus ad integritatem hominis. At consecratio Episcopi est pars sacerdotij necessaria simpliciter ad constitutionem Episcopatus, sicut caput requiritur ad cõstitutionem hominis, quia prior ordinatio nec essentialiter constituit Episcopatum. Ita sumptio sacerdotis complet Missæ sacrificium, quatenus propitiatorium est tanquam pars necessaria secundum quid, sicut potestas absoluendi complet sacerdotium in ratione sacerdotij. Cæterum eadem sumptio complet Missæ sacrificium, quatenus holocaustum est, tamquam pars necessaria simpliciter, sicut Episcopi consecratio complet sacerdotium, quatenus constituit Episcopatum. Quia consecratio panis, & vini constituit Missæ sacrificium essentialiter, sed incompletè, quatenus propitiatorium est, at quatenus holocaustum est, nec essentialiter constituitur per solam consecrationem.

48 Sic verissimè dicunt Patres, consecratione sacrificari, quatenus per illam essentialiter constituitur Missæ sacrificium propitiatorium, quamuis non integrum. Verissimè quoque dicunt, manducare panem esse sacrificium christianorum, quia per sumptionem Sacerdotis completur integraliter, quatenus propitiatorium est, & essentialiter quatenus holocaustum est. Sic etiam *Concilium Toletan.12.c.5.* quod habetur *cap. Relatum de consecratione distinct. 2.* reprehendens quosdam Sacerdotes, qui non toties sumebant corpus, & sanguinem Domini, quoties sacrificabant, inquit. *Nam quale sacrificium erit, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et mox præcipit, vt quoties sacrificans Domini corpus, & sanguinem immolat, toties eadem sumat. Vbi palam supponit immolari consecratione, debere tamen omnino sacrificium perfici sumptione. Quale siquidem erit, nisi sumatur, nimirum incompletum, & imperfectũ. Confirmatur ex *Luc.22. vbi dicitur. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Primo Corinth.11. dicitur, quod pro vobis traditur. Hic est calix, qui pro vobis funditur.* Alij legũt iuxta textum Græcum. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frãgitur. Hic est calix in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Vbi noster *Maldonatus Matth.cap.26.num.26.& 28.* probat, verè sensum esse temporis præsentis, nec esse referendum ad Christi passionem, vbi corpus Christi fractum non fuit, vt notat *Ioann.cap.19.num.36.* nec vllus calix effusus, sed ad sacrificium incruentum, quod offerebatur in Cœna, *quasi frangitur, & funditur*, idem sit, ac offertur, seu sacrificatur pro vobis. Hoc posito possumus in illis verbis *Hoc est corpus meum*, intelligere consecrationem, quæ pars est prior, & potior huius sacrificij,

qua-

quatenus mactat humano modo realiter esse Sacramentale Christi Domini, sicut eius esse physicum mactatum fuit humano modo, quando fuit affixum Cruci vulneribus acceptis lethalibus; at in illis verbis, *quod frangitur*, intelligere sumptionem Sacerdotis; Vbi totum esse Sacramentale consumitur, sicut totum esse physicum per mortem consumptū fuit. Et idem est proportionaliter de consecratione, atque sumptione Calicis diuidendo verba relata.

CAP. II. QVÆST. IV.

Vtrum sumptio Sacerdotis præcepta sit iure diuino?

49 SVarez tom. 3. disp. 75. sect. 5. §. *Vna vero*, reputat incertum, ac præceptum communicandi celebrantibus impositum sit iuris diuini. Quia *Tridentin. sess. 13. cap. 8.* solum asserit, Ecclesiæ morem fuisse, vt Sacerdotes celebrantes se ipsos communicent, & hunc morem tāquam ex Apostolica traditione descendentem meritò retineri debere. Cœterum, nec ex Apostolica traditione necessariò colligitur ius diuinum, nec antiqui canones tale ius præferunt. *Coninch vero quæst. 82. num. 95.* censet, difficile probari posse præceptum diuinum talis communionis superadditum institutioni huius sacrificij. Ceterum tale præceptum consequi connaturaliter ipsam institutionem sacrificij, non quatenus habet rationem sacrificij, sed quatenus est Sacramenti confectio, & spiritualis conuiuij præparatio, cuius ille, qui præparat, particeps esse debet, ne cibū, quem alijs in persona Christi præparat, ipse fastidiosus reijciat, quod magnam indecentiam inuoluit. *Martinon disput. 38. nu. 48. & 69.* Pro pendet in hanc partem, sed tandem sub disiunctione concludit, esse præceptum Christi, vel Ecclesiæ.

50 Dicendum tamen est, sumptionem Sacerdotis esse præceptam iure diuino. Sic *censere debent Authores tertia sententiæ*. Nam diuino iure tenemur hoc sacrificium essentialiter, & integraliter perficere: Sed iuxta sententiam istam sumptio pertinet ad constitutionem essentialem, vel saltem integralem huius sacrificij. Ergo sacrificans iure diuino tenetur sumere species consecratas. Sic expresśe docent. *Fagundez Præcep. 1. li. 3. cap. 5. num. 20. Auersa quæst. 11. sect. 2. §. Quarto etiam*, & satis indicat *Cardin. de Lugo disput. 19. num. 76.* Placet vero, *quod Coninch superius notabat*, hoc præceptum non esse merè positiuum superadditum institutioni, sed ex illa sequi connaturaliter, non solum quatenus est institutio Sacramenti, vt *voluit Coninch*, sed etiam vt est institutio sacrificij propter rationem adductam.

51 Petes primò, an requiratur sumptio hostiæ tunc consecratæ? Negant *Henriquez lib. 9. cap. 9. § 2. Fagundez supra, & cap. 4. num. 26. Bonacina de Sacrament. disp. 4. quæst. vltima punct. 2. num. 5.* Probant, quia licet essentia nostri sacrificij requirat nouam consecrationem, & sumptionem specierum, non tamen requirit, vt vtraque fiat ab eodem Sacerdote. Quippe cum Sacerdos post consecrationem deficit, & alius sumit species consecratas, vnum fit sacrificium verū, & proprium, & tamen sacerdos non sumit species à se consecratas, sed ab alio. Confirmant, quia multi Parochi, dum renouant Eucharistiam consumunt hostiam ab alio consecratam, eam vero, quam ipsi consecrant, in sacrario reponunt, nec ideo criminis arguuntur.

52 Communis, & vera sententia per oppositum affirmat. Ita supponit *Hurtado de Eucharistia disput. 6. difficultate 9. fine.* Docet *Ioannes Præpositus 3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 7. num. 50.* qui vocat oppositam sententiam improbabilem. *Cardin. de Lugo disput. 19. num. 76. Martinon. disp. 38. nu. 69. Auersa sup. §. sexto sumptio. Gauachaus, & alij*, quos sequitur *Diana par. 5. tractat. 13. resolut 96.* Probatur a priori, nam eadem victima, quæ per consecrationem immolata fuit partialiter, debet saltem secūdum aliquam

sui

sui partem sumi, ne sacrificium ipsius maneat imperfectum; maneret enim hæc immolatio incompleta, dum eadem sui consumatione non completur. Quod autem alia prorsus diuersa hostia sumatur ad hoc numero sacrificium nō pertinens, nihil confert ad huius numero sacrificij complementum. Probatur à posteriori. Quia rubrica Missalis Sacerdoti præscribit, vt si forsan hostia, quam ipse consecrarit, disparear, aut dispereat, vel deprehendatur venenata, consecret, & sumat aliam hostiam ad proficiēdum sacrificium, quod non esset necessarium, si sufficeret hostiam ab alio consecratā, aut in sacrario reseruatam consumere. Quin esset sacrilegium, denuò consecrare, si posset sacrificium sine noua consecratione compleri, sumptione videlicet hostiæ præconsecratæ.

53 Certum tamen est, non esse necessarium, vt sumantur omnes species consecratæ, si quidem sæpè reseruantur formulæ consecratæ pro communione laicorum, solum ergo requiritur, vt sacrificans sumat aliquid Sacramenti tunc à se confecti, sic enim sufficienter perficitur sacrificium, cum in qualibet particula contineatur totus Christus, qui subindè deperdit totum esse Sacramentale, quod ipse totus habebat ibi. Quare sufficeret ad sacrificij perfectionem, si Sacerdos consecrando simul hostiam consuetam, & vnam, vel plures particulas, sumeret particulam à se tunc consecratam, & reponeret hostiam in Sacrario; vel si sumeret solam hostiæ partem, & reliquum reponeret.

Quod autem fecit quidam Sacerdos, qui non habens hostiam magnam consecrauit formulam, & aliam maiorem ex præconsecratis eleuauit, vt adoraretur à plebe, non approbant *Marchantius in resolut. pastoral. tractat. 4. cap. 5. quæst. 3. fine, Diana, & Auersa supr.* nam hostia nunc consecrata, & immolata proponi debet astantibus adoranda. Potuisset equidem vtramque simul eleuare, sic enim satisfaceret astantibus, qui non aduertebant defectum, & simul cæremoniæ Missalis præscribentis, vt hostia nunc consecrata proponatur adoranda.

54 Ad fundamentum contrarium respondetur, integritatem sacrificij, & essentiam holocausti requirere prorsus, vt hostia nunc consecrata saltem secūdum aliquam sui partem sumatur, vt vidimus *num. 52.* Quando vero sumi non potest ab ipso consecrante, sumitur ab alio supplente defectum consecrantis, & fit vnum sacrificium, nam est eadem victima, solusque minister variatur, ne sacrificium maneat imperfectum, cum ea victima nondum immolata fuerit completè; at in casu contrariæ sententiæ iam hostia præconsecrata fuerat immolata completè secundum partem sui, quando consecrans illam sumpsit aliam simul à se consecratam, ac per consequens in illa non potest compleri sacrificium: in hostia nunc consecrata non completur, dum ipsa non sumitur à consecrante, qui subindè suum sacrificium relinquit imperfectum, & alienum non perficit. Vnde respondetur ad confirmationem, illos Parochos malefacere, atque vel culpæ, vel ignorantiæ conuincendos fore, si talis abusus à prudentibus Prælatis deprehendatur.

55 Petes secundò; An vtriusque speciei sumptio præcipiatur iure diuino? *Contrach quæst. 83. num. 102.* dicit probabilem esse partem affirmatiuam, nam ipse probabile reputat *num. 95.* sumptionem Sacerdotis præcipi iure diuino consequenter ad institutionem huius sacrificij præsentem. Absolutè affirmat *Auersa de Eucharistia quæst. 11. sect. 5. §. adhuc autem,* & affirmare debent, quotquot censent, sumptionem Sacerdotis esse iure diuino præceptam, vt vidimus *supr. n. 50.* simulque sentiunt, esse iuris diuini præceptum, vt vtraque species simul consecretur, vt ostendimus *lib. 4. cap. 1. nu. 15.* Bene si quidem infertur: iubetur sacrificans vtramque simul speciem consecrare iure diuino; iubetur eodem iure sumere victimam consecratam. Ergo pariter iure diuino iubetur, vtramque simul speciem

ciem sumere. Nec apparet firma ratio, cur teneatur sacrificans vtramque speciem consecrare; atque sumere vnam, & non vtramque, cum tam vtriusque sumptio, quam vtriusque consecratio pertineat ad absolutum huius sacrificij complementum. Vnde sicut non potest Papa dispensare in præcepto consecrandi simul vtramque speciem, iuxta superius dicta *libro quarto capite primo numero* 23. sic etiam dispensare non potest, vt sacrificans sumat vnam speciem, & non alteram; nam eadem est vtriusque præcepti ratio, nimirum præsens institutio huius sacrificij cum tali constitutione, vel essentiali, vel integrali. Dices de facto Sacerdotes concelebrantes cum Episcopo non sumunt Calicem. Ergo non est præceptum diuini iuris, vt omnis sacrificans sumat vtramque speciem.

Respondetur, quando plures simul concelebrant, & offerunt idem sacrificium: sufficere, vt vnus sumat vtramque speciem, & perficiat, etiam integraliter illud sacrificium, sicut quando consecrauit vnus, & sumpsit alius, sacrificium equidem est completum, licet non vterque sacrificans sumat. Ita censet *Auersa supra.*

CAP. II. QVÆST. V.

Quomodo soluenda sint argumenta contraria?

56 AD primum primæ sententiæ positum *numero* 7. Respondetur, verè panem, & vinum in Missa sacrificari, sed secundariò tamquam terminum à quo mirabilis conuersionis, per quam Christus Dominus ponitur sub speciebus, & in hoc sensu loquuntur Patres, & Ecclesia; non tamen hoc sufficit ad constituendum distinctum sacrificium; cum terminus à quo, & terminus ad quem, & terminus communis vtrique pertineant ad vnam, & eamdem conuersionem, & per consequens eadem consecratio versatur primariò circa Christum; secundariò circa panem, & vinum, & species, vt dicemus *quæstione sequenti.*

57 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, non omnem actionem, qua fit aliquid sacrum circa rem oblatam constituere sacrificium essentialiter, sed illam dumtaxat, quæ fit cum destructione reali victimæ, qualis est consecratio, & sumptio, non cœteræ, vt in superioribus ostendimus.

58 Ad primum quartæ sententiæ respondetur, quamuis Euangelistę non exprimant, Christum communicasse, sicut exprimunt, ipsum consecrasse, tamen satis esse certum ex Scriptura, Patribus, & Theologis, vt ostendimus *numero* 13. Nec nos defendimus tertiam sententiam, vt omninò certam, sed vt probabiliorem, qua probabilitate credimus, Christum pariter sacrificasse per consecrationem, & sumptionem. Ad secundum respondetur etiam sumptionem quodammodo tribui Christo, nam ipse se tradit sumendum in Altari, sicut olim in cruce non semetipsum occidit, sed præbuit occidendum, & tamen ibi Christus fuit principalis offerens illud sacrificium cruentum, imò magis propriè dici potest principalis offerens in Altari, dum sumitur, nam occisio fuit permissa solum, at sumptio fit etiam ex eius præcepto.

59 Dices, vsus Sacramenti non est sacrificium, sed sumptio Sacerdotis est vsus Sacramenti; Ergo non est formaliter sacrificium, ideo communis est etiam laicis, quibus non conuenit sacrificare. Confirmatur, quia sacrificium incruentum debet repræsentare cruentum, vt nos diximus *supra numero* 29. sed sumptio non repræsentat mortem, sed potius sepulturam Christi, non ergo repræsentat sacrificium cruentum, quod in morte consumatum fuit. Respondetur sumptionem Sacerdotis esse simul vsum Sacramenti, quatenus refertur ad sanctificationem sumentis, & partem sacrificij, quatenus refertur ad cultum Dei.

Con-

Conuenit vero laicis, non sub ratione sacrificij, sed solum quatenus est vsus Sacramenti, quia laici nec consecrant, nec deputati sunt ad sacrificandum. Adhuc laici verè participant de sacrificio Missæ, nam illæ formulæ consecratæ, quas sumunt, fuerunt sacrificatæ completè, quãdo Sacerdos sumpsit hostiam, quam simul cum illis consecrauerat. Nam, sicut olim vna parte liquoris effusa, totus liquor censebatur sacrificatus, sic, dum Sacerdos sumit vnam hostiam consecratam, omnes simul ab ipso consecratæ manent completè sacrificatæ, vt dicebamus *supra num.* 53. & 54.

Ad confirmationem respõdetur, sumptionem Sacerdotis, non solum repræsentare Christi sepulturam, sed etiam eius mortem partialiter; quia sicut in cruce Christus destructus fuit vsque ad separatiõnem corporis ab anima, sic in Altari per sumptionem destruitur vsque ad recessum ab omnibus vsibus humanis. Quare *Tridentin. sess.* 13. *ca.* 2. docet, præcepisse Christum, vt huius Sacramenti sumptione coleremus eius memoriam, & annuntiaremus eius mortem.

60 Ad tertium argumentum concedimus totum antecedens, indè tamen non infertur, solam consecrationem constituere formaliter sacrificium, sed illud constituere magis principaliter, quod fatemur. Quia consecratio magis exprimitur in Euangelio; magis expresse repræsentat Christi mortem, magis præsefert potestatem Sacerdotalem: constituit essentialiter sacrificium, quatenus propitiatorium est, & concurrit particulariter ad constituendum illud, quatenus holocaustum est.

Verum hæc omnia non tollunt, quod etiam sumptio, licet minus principaliter, constituat hoc sacrificium integraliter, & essentialiter, vt explicui *q.* 3.

61 Ad primum argumentum quintæ sententię respondetur, feria sexta Parasceues in Ecclesia Latina non offerri sacrificium, nec in Ecclesia Græca, quando non consecratur. Quoniam, vt sæpè diximus, sumptio sine consecratione nequit constituere sacrificium, etiam partialiter. Vocatur autem sacrificium, quatenus hoc nomen significat etiam (etsi minus propriè) rem oblatam, quæ pridie sacrificata fuerat, vt asserit communis sententia contra *Nuñum* 3. *part. quest.* 83. *artic.* 1. asserentem, eo die sacrificium ita celebrari ex peculiari dispensatione Christi. Nec enim apparet talis dispensatio, nec est necessaria. *Quia non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Vt inquit. *Hugo Victorinus lib.* 3. *Miscellan. cap.* 43. *Videantur Suar. tom.* 3. *disp.* 75. *sect.* 4. *fine. Fagundez Præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. *Diana par.* 2. *tractat.* 14. *resolut.* 62. Qui referunt plurimos, & indè colligunt, si festum incidat in eam feriam, non teneri fideles audire Missam, quia non dicitur, nec officium eius diei, quia præceptum Ecclesiasticum obligat ad audiendam Missam, & non id, quod succedit loco Missæ.

62 *Sanctus Thomas* 3. *part. quest.* 83. *art.* 2. *ad secundum docet*, ea die non consecrari Sacramentum, ne tamen Ecclesia maneat sine fructu passionis, sumi tunc corpus Christi præcedenti die consecratum. Vnde nonnulli colligunt, ea die compleri sacrificium inchoatum die præcedenti, & participari fructum ipsius. Ego censeo, sacrificium diei præcedentis omninò fuisse completũ per sumptionem vtriusque speciei tunc adhibitam iuxta proximè dicta *n.* 59. nec amplius compleri posse. Nam vna consecratio non nisi per vnam sumptionem compleri debet in ratione sacrificij. Et probabilius reputo, sacrificium vna die inchoatum non posse compleri die sequenti, quia non continuatur moraliter. Quapropter officium Parasceues nec est sacrificium, nec complementum sacrificij. Nihilominus habet maiorem quamdam vim ad impetrandum, qualem Ecclesia conferre potest precib. suo nomine factis, præsertim, quando recolitur memoria Dominicæ Passionis, & de hoc fructu capiendus est Sanctus Thomas.

63 Ad secundum argumentum constat ex supradictis *nu.*34. & *sequentibus*, quomodo Christus per consecrationem destruatur realiter humano modo, quatenus corpus humanum viuum, & quãtum ita connectitur speciebus panis, vt nullum vsum habere possit, nisi cibi comextibilis. Dices, in triduo mortis non ponebatur corpus Christi viuum sub speciebus per consecrationem, cum supponeretur mortuum. Ergo non destruebatur per illam, sed supponebatur destructum.

Respondetur, quamuis in triduo supponebatur Christus mortuus, adhuc dici posse, quod Christus tunc erat homo mortuus, vt docet *S.Thom.3.part. quæst.*50.*art.*4. dum igitur hic homo mortuus per consecrationem reducebatur ad statum Sacramentalem ineptum vsib. humanis, etiam hominis mortui, & aptum vsui cibi comextibilis, & consumptibilis, destruebatur equidem humano modo sufficienter, vt talis consecratio constitueret verum, & proprium sacrificium, si petas. Quis esset tunc principalis offerens: non est facilè dictu: Quia Christus, vt Deus non est Sacerdos, & anima separata non est propriè Sacerdos. Vnde *S.Bonauent. in 3.dist.*22. *quæstio.*1. dixit Christum in triduo non fuisse Sacerdotem. At *S.Thom.3.par. quæst* 50.*artic.*4. *ad tertium*, docet, Christum in triduo retinuisse Sacerdotium in anima, quoniã erat origo totius Sacerdotij. Propter istam ergo excellentiam sacerdotalem posset etiam tunc saltem per secundanos Sacerdotes ministros suos istud sacrificium offerre.

64 Ad tertium respondet *Martinon disputat.*38.*num.*68. in secundo Memento non applicari sacrificium, quod supponitur applicatum ante consecrationẽ, sed fieri solam maiorem expressionem applicationis, aut simplicem orationem pro defunctis. Magis consequenter ad nostram sententiam respondet *Cardin. de Lugo num.*72. posse post consecrationem applicari fructum sacrificij, cum duret vsq; ad sumptionem sacrificatio. Cœterum tutius erit ob diuersitatem opinionum applicare sacrificium ante consecrationem, & quoties applicandum est pro viuis, ita præscribitur in Missali.

65 Restant argumenta secundæ quæstionis, quæ nobis obstant. Primum positum *num.*25. soluitur ex dictis *num.*34.& 35. Ad secundum respondetur, sacrificiũ non futurum esse magis sensibile, quam Sacramentum. Quare sicut hoc fit sensibile sufficienter per species Sacramentales, & verba formæ, sic etiam sacrificium, & verbis, & speciebus, & sumptione fit sensibile sufficienter.

66 Fundamentum primi modi dicendi positum *num.*26. soluitur ex eius impugnatione posita *nu.*27. *& sequentibus*. Fundamentum secundi modi dicendi positum *numer.*31. satis diruitur ex eius impugnatione posita *num.* 32. *& cap.* 1. *num.* 27. Fundamentum tertij modi dicẽdi dissoluitur pariter ex eius impugnatione *num.* 33. *in* 2. *quæstiunc.* primum fundamentum oppositum, quod habetur *num.*37. soluitur ex dictis *numero* 59. licet enim sacrificans recipiat Sacramẽtum Eucharistiæ, quasi conuiua Christi ad sui sanctificationem, simul vero mactat sacramentaliter Christum in maximum cultum Dei, cui gratissima fit talis sacrificatio completa sumptione Sacerdotis. Secundum argumentum soluitur ex dictis *numero* 38. satis enim destruitur humano modo Christus sumptione, quo ad esse Sacramentale, dum ponitur in statu proximo destructionis, & omnino subtrahitur cuilibet vsui voluntario.

67 Ad tertium argumentum positum eo *num.*37. respondetur in primis ad sacrificium, etiam holocausti non requiri destructionem omnium partium rei sacrificatæ, satis enim est destrui totum quoad rationem totius, vt singulę partes dicantur etiam sacrificatæ. Sicut in holocausto pecudum nõ destruebatur materia prima; quod si quis homo sacrificaretur, nec destrueretur materia, nec anima rationalis, & in cruce fuit oblatũ perfectissimum holocaustum, cum nec

Christi

Christi corpus, nec anima fuerit destructa, sed vnio sola constituens humanitatem, & tamen partes omnes propriissimę dicitur sacrificatæ. Sic igitur in præsenti res oblata est panis cælestis constans ex corpore Christi, & speciebus, & hic panis manifestè destruitur per sumptionem, sicut omnis alius cibus consumitur per comestionem, quod sufficit, vt Christus etiam in eo contentus propriè dicatur sacrificari.

Deindè non vtcumq; destruitur illud totum, sed itaut substantia ipsius eximatur humanis vsibus, quibus prius erat idonea, quod sufficit, vt ea quoque substantia sacrificari dicatur in holocausto; cuius essentialem rationem in hoc consistere dicit *Coninch num.99.* quod hostia tota tandem in Dei cultum offeratur, melius inquit *Cardin. de Lugo num.75.* & 78. vt in honorem Dei tota hostia consumatur, nimirum humano modo, sicut omne pabulum consumi dicitur, quando comeditur. Verum est in nostra sententia ponente conuersionem substantialem, qua verè producatur denuò substantia Christi sub speciebus, vt diximus *lib.4.cap.3.num.39.* & 40. magis propriè saluari destructionem substantialē Christi Domini per eius sumptionem; nam destructis speciebus amittit Christus totum esse sacramentale substātiale, quod per illam actionem substantialem receperat, & recipiebat.

68 Ad confirmationē potest concessa maiori negari minor, nam sicut in lege veteri panis, & vinum sacrificabantur Deo per combustionem, vel effusionem saltem alicuius partis in honorem Dei factam, ita decernente Deo, sic etiam si nunc instituisset, vt panis, & vinum consecratum in eius honorem cremaretur, aut effunderetur, esset propriissimum sacrificium. Addit vero *Cardinal. de Lugo num.74.* non fore decens, vt destructio panis, & vini sacramentalis fieret per combustionem, vel effusionem propter reuerentiam talis alimenti, sed solum per comestionem & potum, qui modus erat nobis vtilior, & magis conueniens tanto Sacramento, talique sacrificio. Fateor quoad factum. At dubito de possibili, forsan enim Deus videt æquiualentem conuenientiam in alio modo destructionis.

69 *Id tertia quæstiuncula num.39.* fundamentum valeret, si sacrificium essentialiter non requireret institutionem publicam, quamuis enim consecratio per se sit apta significationi sacrificij, dum non instituitur per se solam ad illud constituendum, non potest illud constituere. At qui de facto non fuit instituta per se solam, sed simul cum sumptione, nec sumptio sine consecratione, vt ostendimus *quæstio.3.* & per consequens neutra per se solam potest adæquatè significare sacrificium internum, nec externum constituere, sed vtraque debet coniungi, vt sit adæquatum signum, & sacrificium, vt vidimus *num.40.*

CAP. II. QVÆST. VI.

Quid propriè sacrificetur in Missa?

70 Discussimus actionem sacrificādi, quæ propriè dicitur sacrificium, nunc inquirimus rem in Missa sacrificatam, quæ minus propriè sacrificium vocatur. Et suppono primo, quod supra dixi *num.56.* panem, & vinum in Missa sacrificari secundariò, & minus principaliter: Vero quippè destruuntur in honorem Dei, non tamen principaliter intenditur Dei cultus per eorum destructionem. In hoc sensu dicitur in Missa. *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, et offerimus tibi Domine Calicem salutaris.* Nam licet illa oblatio panis, & vini non sit immolatio, saltem iudicatur his verbis, id quod tunc offertur, esse materiam sacrificij. Sic etiā capiendi sunt *Hyrenæus, Cyprianus, Gregorius, et alii Patres*, quos refert *Bellarminus lib.1. de Missa c.27. proposit.1.* dum asserunt in Missa offerri, vel immolari panem, & vinum. Consonant *Suar. tom. 3. disput.75. sect.1. Coninch. qu.83. nu.87. Cardin. de Lugo disp.19. num.99. Martinon*

tinon tom.4.disp.38.nu.42. Auersa quæst. 11.sect.3.

71 Suppono secundò, Christum Dominum esse rem principaliter, & primariò sacrificatam in Missa, quod *Bellarminus supra proposit.2.* dicit esse certissimum. Consonant *Suarez, Martinon, & Auersa supra, Coninch num.75. Henriqu. lib.9.cap.8.num.1.* & omnes Catholici. Hoc sonant verba *Lucæ 22.* iuxta lectionem, & expositionem positam *supra numero 48.* Hoc significat *Paulus 1. Corinthi.10.* dum ait, *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hoc docent Patres, dum sæpè repetunt, in Missa Christum ipsum, & eius sanguinem offerri, immolari, sacrificari. Præcipuè. *Tridentin.sess 22.cap.1.* de Christo dicens. *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit. Nouū instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.*

72 Probatur primò. Nam in Missa, vt docet *Trid supra cap.2. idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit.* Sed in Cruce verè Christus sacrificatus fuit. Ergo pariter in Missa principalis est victima.

Probatur secundò. Nam vt vidimus, *quæstio.3.* Christus in Missa destruitur in honorem Dei, quoad totum esse Sacramentale, quod erat principaliter in antiquis sacrificijs adumbratum, & nunc in Ecclesia potissimum immolatur, & mirificè congruit perfectioni nouæ legis, vt Ecclesia Christiana sacrificet Deo, quod in ea maius, & excellentius est, nimirum ipsum Christum sub speciebus constitutum modo quodam inepto functionibus suis naturalibus, & ordinato per modum cibi, & potus ad cōsumptionem, vt corruptis speciebus desinat ibi conseruari. Et quidem cum totus Christus sit in singulis specieb., totus etiam ipse realiter in singulis immolatur, quamuis dici possit formaliter ex vi verborum sub specie panis immolari corpus, & sub specie vini sanguinem. Videatur *Suar. sup.*

73 Circa species Sacramentales est non nullum dissidium, forsan magis de modo loquendi, quam de re. Quidam enim dicunt victimam esse solum Christum cum ordine tamen ad species tamquam ad id, sub quo Christus offertur, & per quod sacrificium fit sensibile. Cęterum ipsas species, nec esse partem internam victimæ, nec verè sacrificari. Sic *Lessius de perfect. diuin. lib.12. nu.96. Coninch supra num.77. Martinon num.42. & 51. & 53.*

Probatur primò, nam species sunt res infimę, nec subindè dignæ, quæ simul offerantur in tanto sacrificio, tanquam pars hostiæ summè dignæ.

Probatur secundò, quia iam aliquid immolaretur in Missa, quod non fuit immolatum in Cruce contra communem sententiam Patrum, & Tridentini supra dicentis. *Vna enim eademque est Hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola ratione offerendi diuersa.*

74 Communior, & probabilior sententia docet, species Sacramentales etiā sacrificari, vt partem rei sacrificatæ. Sic *Henriquez lib.9.cap.3.num.7. & c.7.n.1. Suar. disp.75.sect. 1. Cardin. de Lugo numer.97. & 98. Auersa supr.* Probatur primò, quia *Tridentin. supra cap.1.* dixit, Christum se ipsum sub signis visibilibus immolandum instituisse, nimirum sub speciebus panis, & vini. Pariter *Augustin. in cap. Hoc est de consecrat. distinctio. 2.* docet, constare Missæ sacrificium duobus, videlicet visibili Sacramentorum specie, & inuisibili Christi carne, & sanguine. Quo etiam modo loquuntur alij Patres, & satis indicant aliquo vero sensu species sacrificari, quatenus immolatur verè sacrificium visibile, quale postulat humana natura.

75 Probatur secundò ratione, nam in primis sicut panis, & vinum sacrificantur secundariò, vt diximus *num.70.* sic ipsorum accidentia pariter immolantur,

quatenus destruitur compositum ex illis substantijs, & ipsorum accidentibus, & fit nouum compositum sacramentale, scilicet ex Christo, & speciebus, vt dicebat Augustinus.

Rursus istud sacramentale compositum consecratione constitutum, sumptione sacerdotis consumitur, & holocaustum completur. Ergo partes illius verè sacrificantur. Habemus instantiam in antiquis holocaustis, quando mactabatur agnus, simul eius accidentia sacrificabantur, etsi pleraque manerent in materia: quando postea cadauer cremabatur, etiam immolabantur eius accidentia. Pariter species sacramentales per consecrationem immolantur secundariò, quatenus immolantur panis, & vinum, quorum erant accidentia, quatenus verò sunt terminus sub quo conuersionis sacramentalis, non immolantur propriè, sed extrinsecè requiruntur ad sacrificium Christi, nam conseruari sine subiecto non est in decliuiorem statum labi, per sumptionem autem ferè prorsus destruuntur, & ideo sacrificari dicuntur.

76 Ad primum in oppositum respondetur, Christus dignatur constitui Sacramentaliter sub speciebus, vt sit cibus, & holocaustum, ita dignari simul cum eisdem speciebus, quamuis infimis immolari, quoniam sunt accidentia tali Sacramento, talique sacrificio proportionata.

Ad secundum respondetur eandem Hostiam esse primariò, & principaliter in Missa, & Cruce sacrificatam, videlicet eumdem Christum Dominum, quod intendit Tridentinum: Verum eo ipso, quod est ratio sacrificandi diuersa, concurrere debent accidentia diuersa; Christus enim in Cruce habuit extensionem localem, quam non habet in Eucharistia, & in hac habet præsentiam Sacramentalem, quam non habuit in Cruce. Quid ergo mirum, quòd habeat in Missa connexas species in ratione victimæ, quas sacrificium cruentum non exigebat? Non variatur itaque sacrificium propter adiuncta, quæ secundariò sacrificantur. Sicut eadem erat holocausti victima, quamuis prius mactaretur agnus, & postea cremaretur cadauer cum diuersa forma substantiali, & accidentibus nonnullis diuersis.

77 Itaque Missa conuenit cum sacrificio Crucis in re principaliter oblata, nam vtrobique Christus est, differt in actione sacrificandi, nam ibi fuit cruenta, nunc est incruenta; differt etiam in nonnullis accidentibus, nam in Cruce fuit extensus, passibilis, & patiens, in Missa sacrificatur impassibilis, & connexus cum speciebus Sacramentalibus. Conuenit etiam Missa cum sacrificio, quod Christus obtulit in Cœna, quoniam vtrumque est incruentum, & habet eandem rem principaliter oblatam, sed differt accidentaliter, nam in Cœna Christus fuit mortalis, & significabat suam passionem futuram. In Missa tamen offertur immortalis, & significatur eius passio præterita. Videatur *Suarez disputat. 78. Vazquez disputat. 224. Fillucius tractat. 5. num. 26. & sequentibus*. Missa differt à sacrificio Cœnæ numericè, nam actiones ipsæ non distinguuntur, & hæc sacrificia consistunt in actione. Verum à sacrificio cruento videtur missa specificè differre, quoad rationem signi sensibilis, quæ iuxta diuersitatem actionis externæ variatur, & si quoad rationem virtutis ob idem motiuum diuini cultus vtrumque sacrificium pertineat ad eandem virtutis religionis speciem. Ita *Suarez supra sectio. prima*, qui *sectio. 2.* & 3. varias comparationes huius sacrificij prosequitur.

)·(

CAPVT III.

De offerentibus Missæ sacrificium.

1 TRes offerẽtes communiter distinguuntur in Missa. Primus, & principalis est Christus Dominus, qui sacrificium incruentum sui corporis, & sanguinis offert quotidie Patri ministerio Sacerdotum. Secundus offerens est Ecclesia Catholica, quæ tamquam communitas quædam, & congregatio fidelium hanc victimam offert Deo per Sacerdotes tamquam per idoneos ministros ab ipsa deputatos, & consecratos. Tertius offerens est ipse Sacerdos: Item omnes adstantes huic sacrificio, vel eidem inseruientes in Altari, vel in choro, vel illud procurantes, vel ad illud specialiter eo operantes.

2 Conueniunt Catholici Christum Dominum, qui semetipsum immolauit in Cruce, se iugiter immolare ministerio Sacerdotum in Missa. Sic definiunt *Concil. Lateranense in cap. Firmiter de Summa Trinit. Florent. in decret. de Sacram. Trident. sess. 22. c. 2.* Sic docent Patres, & Theologi, quos referunt *Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 4. Suarez tom. 3. disp. 77. sect. 1. Layman lib. 5. trac. 5. ca. 1.* Sic dicitur *Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum.* Idest toto sæculi decursu sempiternum habens sacerdotium gerit officium sacerdotis perpetui, dũ eius verbis, & eius nomine Sacerdotes dicunt *hoc est corpus meum, hic est Calix sanguinis mei.* Rectè *S. Augustinus in Psal. 38.* ait *ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Sic demum dignitati sacrificij dignitas offerentis respondet. Quomodo vero concurrat nunc Christus ad istud sacrificium discutiendum est.

CAP. III. QVÆST. I.

An Christus offerat nunc immediatè?

3 PRima sententia negat. Ita *Corduba, Gabriel, Scotus,* quos sequitur *Vazquez 3. part. disput. 225. cap. 3. Fagundez Precept. 1. lib. 3. cap. 6. num. 3. & 4. Auersa de Eucharist. quæstio. 11. sectio. 9. fine.* Probatur primò, quia si Christus proximè, vel immediatè sacrificaret nunc, nunc etiam mereretur; sed nunc non est in statu merendi. Ergo nec est in statu sacrificandi immediatè.

Probatur secundò, quia si Christus immediatè Missam offerret, etiam nunc oraret, cum vterque sit actus religionis, & proprium sit offerentis orare, vt sacrificium acceptetur. Sed Christus nunc in cœlo non orat, vt latè probat *Vazqu. 3. par. disputat. 82. cap. 2. & 3.* Ergo non offert immediatè. Probatur tertiò, quia Sacerdos offert hoc sacrificium immediatè repræsentans personam Christi. Ergo Christus mediatè solum sacrificat, sicut herus mediatè largitur eleemosynam, quam eius nomine dat famulus immediatè.

4 Affirmat secunda sententia. Tenent *Suarez disputat. 77. sectio. 1. Filliuc. tractat. 5. num. 31. & 32. Coninch quæstio. 83. num. 107. & 108.* indicant Patres, & Concilia, quatenus simpliciter asserunt, Christum principaliter offerre. Magis fauet *Chrysostomus*, dum *homil. 83. in Matth.* inquit: *Qui tunc in cœna confecit, ipse nunc etiam operatur.* Et homil. de proditione Iudæ dixit. *Cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* Probatur, quia Christus secundum multorum opinionem, quam docet *Suarez 3. part. tomo primo disputat. 45. sectio. 2.* nunc orat in cœlo pro nobis. Ergo similiter offert istud sacrificium immediatè pro nobis, vtrobique scilicet eliciendo religionis actum erga patrem. Sic enim magis

propriè, magisque perfectè munus mediatoris, & Sacerdotis exercebit. Confirmatur, nam Christus per potentiam obedientialem actiuam immediatè cócurrit ad transubstantiationem, in qua ratio sacrificij consistit. Nec concurrit, vt instrumentum innanime, sed sciens, & volens in singulis his actionibus colere Deum, & intercedere pro nobis. Ergo tam per internam voluntatem, quàm per externam operationem verè sacrificat immediatè cum omnibus Sacerdotibus.

5 Pro decisione suppono, vt Christus propriè dicatur offerens principalis in Missa, non sufficere, quod instituerit istud sacrificium, nam institutio sola non facit, vt qui munus aliquod instituit, dicatur deinceps exercere tale munus per ministros. Quinimò Deus instituit vetera sacrificia, nec tamen erat offerens principalis in illis. Nec item sufficit, quod Christus applicuerit merita suæ passionis huic sacrificio pręcipiens, vt deinceps in sui memoriam offeratur. Nam applicatio meritorum solum præstat huic sacrificio summum valorem apud Deum, & commemoratio passionis reddit hoc sacrificium repręsentatiuum illius, quod in Cruce Christus obtulit, neutra tamen denominat verè Christum denuò actualiter offerentem. Itaque requiritur, Christum instituisse sacrificium istud ipsius nomine iugiter immolandum, delegans vtique sibi ministros, per quorum manus ipse manens Sacerdos in æternum suum sempiternũ sacerdotium exequatur. Sic notant *Cardin. de Lugo disput. 19. sectio. 7. Auersa quæst. 11. sect. 8.*

6 Iam dico primò, probabilis est prima sententia, sic intellecta, vt Christus instituens hoc sacrificium, voluerit offerri suo nomine, nec hanc voluntatem retractauerit; Nam hoc sufficit, vt Christus verè moraliter sacrificet nunc, etsi mediatè; sicut reuerentia, quam Legatus Regius exhibet Pontifici nomine sui Regis, est moraliter reuerentia Regis erga Pontificem, etsi mediatè procedat à Rege. Sufficit etiam, vt Missæ sacrificium, quamuis offeratur ab indigno ministro, semper sit acceptissimum Deo; quia Christus semper offerens, & cuius nomine cęteri Sacerdotes offerunt, est gratissimus Deo. Sicut munus missum à Principe per famulum acceptatur iuxta dignitatem mittentis, & non iuxta famuli conditionem; & eleemosynam datam ab hero per manus iniqui serui Deus acceptat intuitu dantis. Conueniunt in hoc vtriusque sententiæ Doctores.

7 Dico secundò, quoad factum verisimilius est, Christum offerre nunc Missæ sacrificium, non solum moraliter, & mediatè, sed etiam Physicè, ac immediatè, vt asserit secunda sententia, quia fundamenta quibus nititur, Orantis nunc Christi, & potentiæ obedientialis actiuæ probabilissima reputo: Atque factum ipsum non parum conducit, vt Patres, & Concilia magis propriè capiantur, dum asserunt eumdem offerre nunc in Missa, qui sacrificium obtulit in Cœna, vel in Cruce, siquidem tam in Cęna, quàm in Cruce Christus obtulit immediatè: valdè quoque conducit ad huius sacrificij dignitatem, & valorem, vt in omnibus, & singulis Missis actu velit Christus per singulas illas sacrificationes colere Deum, & interpellare pro nobis.

Etenim talis oblatio Christi præsens, talis eius oratio, quamuis non valeat ad satisfaciendum denuò, quia Christus in cœlo non est in statu merendi, vel satisfaciendi, valet tamen ad impetrandum denuò: nam adhuc est Christus in statu impetrandi. Vndè facilè soluuntur fundamenta primæ sententię, colligitur etiam Christum offerri quidem, vt existit sub speciebus, offerre tamen principaliter, vt existit in cęlo.

ÇA-

CAP. III. QVÆST. II.

Vtrum omnis, & solus Sacerdos sacrificium Missæ conficiat?

8 ECclesia dicitur offerre Missæ sacrificium per Sacerdotes, tamquam per Ministros à se deputatos, vt docent *S. Thom. 3. part. quæst. 82. artic. 6. Henriquez lib. 9. cap. 17. nu. 1. & 3. Filliucius tractat. 5. num. 37.* Probat id *S. Augustinus in quæstionib. veteris testamenti quæstio. 46.* Nam ille dicitur offerre, cuius nomine Sacerdos agit, sed agit in Altari ministerium illud Ecclesiæ nomine, quę Deum adit per suum legatum, & multas Missæ cæremonias instituit, & preces, quæ vim specialem indè participant, quatenus exhibentur Ecclesiæ nomine semper gratissimæ Deo, de quo dicemus etiam inferius.

9 Circa Sacerdotes Lutherus, & alij Nouatores asserunt, quoslibet fideles habere potestatem offerẽdi sacrificium istud, saltem si per populum, aut Magistratus deputentur ad hoc ministerium. Hunc errorem refellunt *Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 16. Suar. tom. 3. disput. 77. sect. 1. Vazquez 3. part. disp. 226. cap. 1.* Docentes tamquam de fide certum, solum sacerdotem ritè ordinatum posse validè sacrificium istud offerre, sicur solus ipse potest consecrare. Sic *S. Thom. supra articulo primo*. Et Theologi Catholici capiunt illa verba Christi. *Hoc facite. Hæc quotiescumque feceritis.* Sic definiunt Concilia præsertim *Tridentinum sessio. 22. capite primo, & Can. 2. et sessio. 23. capite primo, et quarto, & Canon. 1.* docet, Sacerdotibus concedi potestatem conficiendi, & offerendi Dominicum corpus, & sanguinem; rationemque reddit, quoniam determinatum sacrificium requirit determinatum Sacerdotium, cum hæc sint iuxta diuinam ordinationem coniuncta.

10 Alij per extremum oppositum aiunt, non omnes Sacerdotes validè sacrificare. *Magister in 4. distinct. 13. capite primo. Parisiens. in tractat. de Sacrament. Ordin. Gratianus in cap. Quod quidam 1. quæstio. prima.* Putarunt Sacerdotes Hæreticos, vel schismaticos, vel degradatos, nec consecrare, nec sacrificare validè.

Probatur quibusdam iuribus asserentibus, consecrationes ab illis factas irritas esse. Certum tamen est omnes Sacerdotes, etiam Hęreticos, & schismaticos, & quomodolibet ab Ecclesia præcisos validè consecrare, atque sacrificare posse. Nam Sacerdotij character indelebilis est, ideo *Tridentin. sessio. 23. cap. 4. damnat eorum sententiam, qui asserunt, noui testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, et semel ritè ordinatos, iterum laicos effici posse.* Videantur *S. Thom. 3. par. qu. 82. art. 5. 7. & 8. et ibi Recentiores.* Iura vero in contrarium adducta solum affirmant, non posse licitè fieri consecrationem, vel sacrificationem à talib. Ministris præcisis, ac etiam ordinatos à talibus Episcopis manere suspensos ab exercitio, ideo vocant talem consecrationem, vel ordinationem irritam, vt explicat *Sanct. Thom.*

11 *Scotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. §. Ad quæstionem, et Gabriel ibi quæst. 2. articulo tertio dub. 2. in fine*, velle videntur, Sacerdotem ab Ecclesia præcisum validè consecrare, non tamen sacrificare. Quia sacrificium constituunt in oblatione verbali post consecrationem sequuta, quam dicunt esse faciendam Ecclesiæ nomine.

Quare, cum illi sint ab Ecclesia præcisi, nec offerre possunt Ecclesiæ nomine, nec subindè sacrificare. Horum fundamentum satis reiecimus *cap. præcedenti*, vbi ostendimus, consecrationem esse principaliter sacrificationem, nec posse ab inuicem separari. Reijciunt etiam Theologi communiter.

12 Itaque dicendum est, omnes nouæ legis Sacerdotes, quamuis sint peccatores, vel præcisi, vel etiam Hæretici, validè Missæ sacrificium offerre, si legitimam formam, & ritum essen-

essentialem adhibeant. Ita *S.Thom.sup. Suar.Vazqu.& aly*. Definit *Trident.locis adductis*. Verum est Sacerdotes præcisos offerre non posse tamquam Ecclesiæ Ministros,quoad præces, & cæremonias, in quibus Ecclesia non vult illos operari suo nomine. Quo sensu locuti sunt forsan. *Scotus, & Gabriel supra*,vt notat *Suar.ea sect.2*. Quapropter Sacerdos præcisus, & non toleratus, si dicat Missam, validè sacrificat, & Missa proderit quoad valorem, quem habet ex parte Christi principaliter offerentis. Nam,vt rectè dixit *Trident.sess.22. ca.1. Hæc illa munda oblatio est, quæ nulla in dignitate,aut malitia offerentium inquinari potest*. At non proderit quoad valorem prouenientem ex parte Ecclesiæ;nihilominus si quis Sacerdos peccator, & præcisus, & non toleratus accepto stipēdio celebrat pro aliquo, satisfacit obligationi iustitiæ, nam applicat illum fructum,quem, vt Christi minister applicare tenetur.Ita *S.Thom.quæst.82.art.6.Coninch.ibi.Suar.disp.86.sect.1.fine, Bonac. cum aliis disput.4.quæst.vlt.punct.6.nu.5.& sequentibus*.

13 Sacerdos præcisus, & toleratus offert etiam Ecclesiæ nomine, quæ dum illum tolerat,non irritat eius acta, licet grauiter peccet excōmunicatus,si spontè se diuinis ingerat. Ita *Bonac.supra nu.7*.Similiter si Sacerdos sit indignus, non vero præcisus,peccat sacrificans; & eius sacrificium habet suum valorem,quatenus fit nomine Christi, & Ecclesiæ, non tamen habet valorem respondentem eius precibus, vt personæ particularis. Quia peccatores orationes priuatæ non sunt fructuosæ, vt docet *S.Thom.3.part. quæst.82.art.2*.& probat ex illo *Prouerb. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem oratio eius erit execrabilis*. Quod intellige, quoties ipsamet oratio peccaminosa est,vt contingit in peccatore sacrificante.Nam alioquin orationes peccatorum,quando debitis conditionibus fiunt, exaudiuntur, non exorantis meritò, sed ex misericordia Dei, vt docet *S.Th.2.2.qu.83.art.16*.

14 Hinc deciditur illa quæstio, quam proponit *S.Thom.3.par.qu.82,art.6*. An scilicet Missa mali Sacerdotis minus valeat, quam Missa Sacerdotis boni, & respondet cum distinctione, nimirū quantum ad valorem sacrificij prouenietem ex Christi meritis, & quoad fructum orationis, quatenus à Sacerdote profertur in persona Christi,vel Ecclesiæ,cuius minister est parem esse Missam vtriusque: at quoad valorem orationi prouenientem ex deuotione Sacerdotis orantis,excedere Missam boni Sacerdotis,& quo Sacerdos fuerit melior eo fructuosiorem fore Missam illius,sicut,& in alijs orationibus priuatis fatendum est. Quo sensu dicitur in *cap.ipsi Sacerdotes 1.q.1. Sacerdotes quanto digniores fuerint,tanto facilius in necessitatibus, pro quib.clamant,exaudiuntur*. Consonant *Suarez, Vazquez, et Coninch.eo artic.6.Bonacin. supra num.3. Auers.quæstio.11.section.8. initio*.

15 Præter Sacerdotem celebrantem dicuntur etiam offerre,qui sacrificationi ministrant, vt Diaconus, & Subdiaconus,& alij,vel in Altari,vel in Choro seruientes. Item,qui petunt, vel procurant offerri sacrificium, qui stipendant Sacerdoti,vel illum ad celebrandum inducunt, vel alio modo concurrunt ad celebrationem.Nam in moralibus,qui cooperatur aliquo ex prædictis modis actioni, potest, & solet ab illa denominari. Demum etiam ad stantes, nam hoc ipsum est humano modo concurrere consentiendo,& communicando tali actioni,sicut dicuntur moraliter ad actionem concurrere,qui comitantur, vel assistunt operanti. Colligitur id ex verbis Missæ. Nam Diaconus simul cum celebrante dicit in oblatione Calicis, *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*, &c. Sacerdos ipse sæpè loquitur in plurali; Dicit enim. *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem,quam tibi offerimus*, & rursus. *Orate fratres, vt meum ac vestrum sacrificium*. Et de circunstantibus dicit, *qui tibi offerunt*.

16 Confirmatur primò Nam offerre sacri-

sacrificium est actus religionis, quo colitur Deus, hic autem cultus non exhibetur à solo Sacerdote, sed ab omnibus alijs, qui per oblationem sacrificij protestantur, esse Deum authorem ritè, ac mortis. Igitur omnes offerunt sacrificiū. Confirmatur secundò. Nam qui volunt audire Missam, non solum volunt audire materialiter illas voces, & videre, quæ fiunt; alioquin cæcus, & surdus non obligarentur illo præcepto. Nec item volūt adesse solū corporaliter in templo, possunt enim adesse sine intentione audiēdi Missam, sed ex alio fine. Volunt igitur offerre sacrificium illud simul cum Sacerdote. Nec equidem apparet, ad quid aliud tendat, aut terminetur intentio audiendi Missam. Sic loquuntur Patres, quos referunt, & sequuntur *Suarez. tom. 3. disp. 77. sect. 3. Fagundez. precept. 1. lib. 3. cap. 6. nu. 3. & 16. Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 4.* Sic sentiunt communiter Doctores. *Vazqu. 3. par. disp. 216. cap. 2. Coninch. quæst. 83. num. 108. Cardin. de Lugo disputat. 19. num. 230. Auers. quæstio. 11. sect. 9. & alij.*

17 Quidam vlterius generali quadam ratione volunt, fideles omnes offerre sacrificium istud, quoties aliquis Sacerdos celebrat. Colligunt id ex illis verbis canonis. *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed, & cunctæ familiæ tuæ.* Rursus. *Vnde memores Domine nos serui tui, sed, & plebs tua Sancta offerimus præclarè maiestati tuæ.* Sic asserunt *Vazqu. Fagund. Coninch, & alij.* Non tamen apparet, quomodo possit hoc verificari de quopiam actuali concursu circa singulas Missas, sed certè verificatur per denominationem moralem nimis latam, quatenus Sacerdos quando fuit ad Ecclesiæ Pastoribus ordinatus, simul fuit constitutus, vt tamquam mediator inter Deum, & populum offerret sacrificium nomine totius communitatis, cuius omnes fideles sicut membra Sic *Suarez, & Auersa supra.*

CAP. III. QVÆST. III.

Vtrum ad applicandum sacrificium præualeat intentio celebrantis contra Superioris intentionem.

18 Supponó primò, quamuis Præpositiuus relatus *à S. Thoma in 4. distinct. 45.* dixerit ex intentione Christi Missæ fructum applicari cunctis fidelib. pro dispositione singulorum independenter à voluntate celebrantis: oppositum esse conforme sensui fidelium, qui iuxta Præpositiui sententiam frustra curarent Missas pro se dici, vel pro suis defunctis. Cum igitur ex Ecclesiæ praxi constet, aliquem Missæ fructum alijs applicari posse: nec Christum hanc applicationem suo voluntati reseruare, conueniens institutionis modus, & Ecclesiæ traditioni conformis est, vt hic effectus detur illi, cui Sacerdos offerrens tāquam dispensator mysteriorum ipsum applicuerit. Ita *S. Thomas supra, Coninch qu. 83. num. 155. Suar. tom. 3. disp. 79. sect. 9. Filliucius trac. 5. num. 73. Auers. quæst. 11. sect. 10. & alii communiter.*

19 Suppono secundò, debere Sacerdotem specialiter applicare sacrificium pro determinata persona, vt ipsi conferat specialem fructum tam satisfactionis, quàm impetrationis. Nam hic est modus communicandi talem effectum. Potest autem offerre pro pluribus, sed determinatis, inter quos integer fructus diuidatur iuxta distributionem assignatam ab offerente: nam hoc totum ab eius intentione dependent. Hanc intentionem requiri, vel actualem, vel saltem virtualem contendunt. *Vazqu. 3. part. disp. 138. num. 74. Granado 3. part. controuers. 3. tr. 5. disp. 4. sec. 2. num. 14.* Indicant *Fraxinellus de obligat. Sacerd. sect. 4. §. 7. Beia par. 1. casu 23.* dicentes debere Sacerdotem in Memento Missam applicare, quibus voluerit. Probant, quia sicut ad conficiendum Sacramentum videlicet Eucharistiæ non sufficit intentio habitualis, sed requiritur actualis, aut vir-

tualis; ita pariter ad applicationem Missæ: Nam vtrique communis est ratio, quod humanus, & moralis actus procedere debet ex intentione in illum influente, qualis non est habitualis sola.

20 Communis, & vera sententia docet, habitualem applicationem celebrãtis sufficere, nimirum intentionem offerendi pro tali persona, quæ præcesserit, & retractata non sit. Quia voluntas applicandi Missæ fructum nomine mouere debet ad aliquid vlterius operandum, sed solum mouere diuinam voluntatem, vt statim ac sacrificium offeratur, eius fructum applicet alteri. Secus est in Sacramentis, vbi voluntas conficiendi me mouere debet ad faciendam externam actionem, ad quam concurrere non possum moraliter, & humano modo, nisi perseueret intentio, vel actualis, vel saltem virtualis, vt diximus *libro primo capite secundo quæst.* 10. Nec ad applicationem Missæ requiritur certa propinquitas temporis, quo talis applicatio præcesserit, quia dum non retractatur, censetur permanere moraliter, & habitualiter, & per consequens sufficienter. Ita docent *Suarez tom.* 3. *disputat.* 13. *sect.* 3. *& disput.* 79. *sectio.* 9. *Coninch. quæst.* 64. *num.* 76. *Bonac. disput.* 1. *quæstio.* 3. *punct. secundo* §. 3. *numero* 11. *Cardinal. de Lugo de Sacrament. disput.* 8. *numero* 93. *Auersa supra, Diana part.* 2. *tractat.* 14. *resolutio.* 47. *& parte quinta tractat.* 14. *resolut.* 65. *qui citant alios.* Fundamentum oppositum diruitur ex dictis.

21 Restat difficultas; An Deus attendat ad celebrantis intentionem habitam, an ad debitam: hoc est, an ad illam, quam iuxta Prælati præceptum, vel aliam obligationem habere debebat: an ad illam, quam habet de facto. Prima sententia generaliter docet, quoties celebrans tenetur Missam applicare Petro v.g. vel ex Iustitia, vel ex fidelitate, vel ex obedientia, sacrificium applicari iuxta celebrantis obligationem, non iuxta voluntatem ipsius. Ita significant *Scotus quodlib.* 20. *Gabriel, lect.* 26. *in Canonem dicentes*, ita forsan esse, quia Christus non applicat fructum suum per iniuriosam actionem. Quoad obligationem obedientiæ præsertim inter Regulares, in quibus est maior subiectio, consentiunt *Ledesma* 1. 4. *qu.* 16. *art.* 14. *Manuel in Sum. tom.* 1. *cap.* 250. *num.* 10. *Honcala de valore Missæ art.* 2. *Corduba, Fraxinellus, Barb. Bordonus, & alii*, quos refert *Auers. supr.* Probabileque reputãt *Fagund. pr. æcep.* 1. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 3. *fine. Diana par.* 2. *trac.* 14. *resolut.* 72.

22 Confirmatur primò. Nam Ecclesiastica potestas subditorum voluntatem reddit inhabilem ad contractum, ad matrimonium, & professionem, & similia, itaut actio secuta non valeat; imò quicumq; per potestatem dominatiuam potest irritare vota subditorum iam facta, potest antecedenter inhabiles reddere subditos ad vouendum validè, vt docent *Suarez de voto libro tertio capite tertio num.* 15. *fine. Sanchez lib.* 4. *decalog. cap.* 74. *numero* 49. quia neutrum excedit potestatem illam. Ergo potest similiter inhabilem reddere subditum ad applicandum validè sacrificium contra Superioris applicationem; præsertim, quando Superior ita iubet Missam applicari pro Petro v.gr. vt aliter factam applicationem annullet, in quo casu loquitur *Corduba supra.*

23 Confirmatur secundò, quoad Religiosos in particulari, quia Religiosus non habet velle, seu nolle diuersum à Prælato, cum totam suam voluntatem in arbitrium Superioris retulerit. Ergo sicut ideo votum Religiosi factum contra voluntatem Superioris est nullum: sic applicatio Missæ per Religiosum facta contra voluntatem Superioris non valebit. Confirmatur tertiò, quia datur quasi mutuus contractus inter Religionem, & Religiosum, vt Prælatus teneatur præstare Religioso, quasi seruo, seu quasi filio victum, & vestitum, & vicissim Religiosus teneatur opera sua præstare Superioribus, ac subindè Missas offerre pro fundatoribus, & pro his, qui monasterio dederunt stipendium sub expres-

so, vel tacito Missarum onere, quando Superior offerri iubet, & hæc obligatio videtur grauis, ne fraudentur alioqui fundatores, & benefactores, qui sub spe Missarum, & orationum bona sua monasterijs attribuunt.

24 Secunda sententia probabilior asserit, præualere celebrantis intentionem, quamuis aliquando peccet contra iustitiam, vel obedientiam, vel fidelitatem. Ita *Syluester, Armilla, Gerson*, quos sequitur *Henriquez lib. 9. cap. 21. numer. 6. Suar. tom. 3. disput. 79. sect. 9. Vazquez 3. part. disp. 231. cap. 6. Coninch. qu. 83. num. 169. Fagund. precept. 1. lib. 3. ca. 10. num. 4. Cardin. de Lugo de Euchar. disput. 19. nu. 211. Villalobos tom. 1. tract. 8. difficult. 10. num. 2. & 3. Auersa quæst. 11. sect. 10. cum alijs.* Probatur, nam hæc applicatio est actus potestatis ordinis, & immediatè fit in persona Christi, quare non pendet ab Ecclesiæ, vel Superioris intentione, sed à libera voluntate celebrantis. Sic enim instituit Christus ob liberum exercitium consecrationis, & celebrationis, vt applicatio Missæ fiat immediatè suo nomine (sicut effectio Sacramentorum,) & per consequens, quantumuis superior conetur applicare Missæ fructū alicui, nihil efficiet, si celebrans eum non applicet.

25 Confirmatur, & declaratur. Nam etiam in humanis, quoties Prælatus aliquis supremus aliquid subdito committit, quod eius nomine faciat, vel aliquid subdito concedit, non pendet subditus in vsu talis commissionis, vel facultatis à voluntate Superioris immediati, qui subindè nec impedire, nec irritare potest gesta per subditū quoad illam causam, nam quoad illam immediatè subditus operatur auctoritate Prælati supremi. Cum ergo Christus Princeps supremus sibi ministros alleget, vt immediatè nomine suo Sacramenta conficiant, sacrificium offerant, & applicent, planè sequitur, Sacerdotem quoad valorem cōsecrationis, & oblationis, & applicationis ab inferiorum Prælatorum voluntate non pendere. Nam hæc omnia facit ex immediata Christi potestate, quam in ordinatione sua recepit illis verbis. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* Ergo non minus quoad applicationem, quam quoad cōsecrationem, seu sacrificationem operatur, vt Christi minister per potestatem immediatè receptam ab ipso, & per cōsequens independenter à voluntate, vel applicatione Prælatorum inferiorum.

26 Circa praxim huius sententiæ nota primò. Si liberaliter promisi Missam offerre pro Petro, postea vero fructum eius applicem Paulo, valere posteriorem applicationem iuxta communiorem sententiam, me tamen peccare contra fidelitatem. Hoc autem peccatum. *Nauarr. cap. 25. num. 92. Nauarra, de restitut. lib. 2. cap. 2. dub. 7. numer. 32. 9. Cordub. lib. 1. quæst. 3. opinion. 6.* dicunt esse mortale: quoniam hæc materia grauis est, & promissio acceptata grauiter obligat. *Melius Sanchez de matrimon. lib. 1. disput. 5. num. 25. Portel. verb. Missa num. 10. Hieronym. Rodrig. in Compend. resolut. 25. num. 23. & Fagund. supra cap. 8. num. 11.* dicunt esse veniale. Tum quia promissio simplex iuxta probabilē sententiam non obligat sub mortali; tum etiam, nam intra genus rerum spiritualium leuem materiam reputant vnius sacri promissionem, ac per consequens insufficientem, vt obliget sub mortali. Si tamen accepto stipendio pactus sum, Missam offerre pro Petro, pecco contra iustitiam offerendo pro populo, teneorque subindè, vel stipendium restituere, vel alteram Missam offerre pro Petro.

27 An vero sufficiat in hoc casu ad mortale peccatum vnicam amittere Missam? Affirmant *Nauarra, Aragon. Alfons. de Leone*, quos sequitur *Auersa quæstio. 11. sectio. 18. circa initium. Bonacin. de Sacrament. disputat. quarta quæstio. vltim. punct. 7. §. 2. numero sexto.* Quia, licet damnum pecuniæ non sit graue; tamen damnum spirituale per priuationem debiti fructus satis graue censetur.

Nec obstat, quod num. præced. diximus,

mus, etiam in sententia sentientium promissionem acceptatā obligare grauiter, promissionem vnius Missę reputari materiam leuem intra genus quoque rerum spiritualium. Nam vt notat *Sanchez ea disp.5.nu.24.* Vt materia sit grauis respectu simplicis promissionis, requiritur quantitas quadruplo maior, quam respectu furti, quia minor est obligatio fidelitatis, seu latæ iustitiæ, quàm strictæ. Hinc igitur omittere Missam vnam respectu promissionis simplicis est materia leuis, at respectu pacti stipendio recepto, quod pertinet ad strictam iustitiam, est materia grauis. Addit bene *Bonacin.* Si quis largitus stipendium Petro v.g. nouit illum non obtulisse Missam pro largitore, subindèq; commendauit Ioanni celebrationem illam, cessare Dominum spirituale, atque per consequens Petrum teneri solum ad restituendam pecuniam acceptā sub mortali, vel veniali iuxta grauem, vel modicam solius pecuniæ quantitatem. Vide *infra c.11. n.3.*

28 Si Superior subdito præcipiat, vt offerat Missam pro tali persona, tenetur subditus obedire: quamuis enim Sacerdos in applicandis Missis operetur, vt Christi Minister, cuius intentio censetur eadem cum intentione celebrantis, & ideo quoad hoc intentio sacerdotis non subdatur Ecclesiæ, vel Superiori cuipiā, à quo possit irritari, subditur vero quoad obligationem offerendi, vel non offerendi, quæ potest esse grauis. Vnde quando Superiores pręcipiunt subditis, vt Missas offerant pro his, qui dederunt stipendium, vel pro fundatoribus, aut benefactoribus, qui saltem virtualiter contraxisse censeantur cum Religione, cui sua bona tribuerint intuitu Missarum, & orationum, quæ solent in illa fieri pro fundatoribus, & benefactoribus, peccare mortaliter contra votum, & contra contractum virtualem Religiosos, qui Missas non applicant iuxta pręceptum Superioris, docet *Fagund. precept. 1. lib. 3. cap. 10. num. 4. & 6.* citat *Henriquez, & Suarium*, qui non satis exprimunt, ibi committi mortale peccatum, quamuis id insinuent.

Quando vero Superiores præcipiunt, pro deuotis amicis, Prælatis, Principib. vel quo conuersione Gentilium, aut hæreticorum, vel pro communibus necessitatibus Missas offerri, non teneri subditos obedire sub mortali. Docet *Fagund. eo num. 6.* Quia nec Superiores intendūt obligare subditos in hoc casu sub mortali, cum illas potiùs commendent, quā præcipiant. Nec apparet iuxta ratio cogendi sub mortali subditos ad has Missas dicendas nisi forsan pro aliquo Principe, à quo Respublica Christiana maximè pendeat, & est doctrina probabilis.

29 Noto secūdò etiam iuxta primam sententiam (quam in Religiosis fatemur esse probabilem) non sufficere præceptū superioris ad irritandam applicationem subditi, nisi simul exprimat, irritare se quamlibet applicationem aliter factam à subditis, vt dicebat *Corduua relatus num. 22.* Quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. cap. *Ad Apostolicam de Regul.* Sicut enim potest Prælatus Regularis subditum nimis propensum ad vota emittenda reddere inhabilem ad vouendum, explicans se subditi consensum irritare quoad hunc effectū, & tamen si Superior solum actum vouendi prohibeat, nihil circa materiam voti disponens, votum subditi valet, quamuis illicitè sit emissum, vt docent *Suarez de voto lib. 3. cap. 2. num. 12. & ca. 6. num. 25. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 24. num. 52.* Sic in nostro casu quamuis Superior iuxta primam sententiam irritare possit applicationem subditi, dum non explicat animum irritandi, sed solum præcipit; valebit applicatio subditi licet fuerit illicita.

30 Noto tertiò etiam iuxta primam sententiam, quamuis Superior subdito pręcipiens, vt applicet suam Missam Petro v.g. possit irritare subditi applicationem aliter factam, non tamen efficere posse, vt applicetur efficaciter Petro, si subditus illam Petro non applicat. Nam

id

id videmus in alijs materijs. Etenim potest Ecclesia reddere quempiam inhabilem ad contrahendum matrimonium, nequit tamen efficere, vt quis validè cōtrahat matrimonium cum determinata persona, quin ipse consentiat, vt docet *Sanch. de matrimonio lib. 2. disput. 27.* Similiter potest Superior Regularis reddere subditum inhabilem ad validè vouēdum, nequit tamen efficere, vt subditus valide ligetur aliquo voto, quod iubetur emittere, quin ipse velit ligari. Sic ergo, quando Superior præcipit subdito, vt Missam suam applicet Petro irritans applicationem alteri factam, & subditus applicat illam Paulo, non valet hæc applicatio propter irritationem superioris, at nec applicatur verè Petro, nisi subditus applicet ipsi. Nam applicatio Missæ sic est actio propria sacerdotis, vt nequeat superior reddere subditum applicantem pro Petro, nec applicationem à se factam pro Petro validam, dum subditus non vult applicare suam Missam Petro, sed Paulo. Ratio generalis esse potest. Nam aliud est irritare volūtatem subditi, ne sortiatur effectum, quod in nonnullis materijs aliqui Doctores superioribus concedunt. Aliud est efficaciter dirigere subditi voluntatem, vt habeat effectum non volitum à subdito, quod excedit planè Superioris potestatem, vt docet *Cardinal. de Lugo disput. 19. num. 217.*

31 Ad fundamentum primæ sententię respondetur; licet Christus nolit iniuriosam actionem, permittere tamen illam; & inde bonum elicere proueniens non ipsi peccanti, sed alijs; Sicut per prauam Sacramentorum administrationem cōfertur gratia recipientibus.

Ad primam confirmationem concesso antecedenti negatur consequentia, nam in contractibus, & in votis, & similibus operatur subditus, vt persona principalis, in Missæ vero celebratione, ac applicatione quilibet Sacerdos operatur, vt immediatus Christi minister independens ab omni humana potestate; Vnde soluitur etiam secunda confirmatio, nam status Religiosus non tollit a Sacerdote potestatem immediatam à Christo receptam.

Ad tertiam respondetur indè colligi, teneri Religiosos obedire Prælato iuxta præcipienti, proindèque peccare, si non obediant, vt diximus *num. 28.* non vero colligi celebrantis applicationem irritari. Cum hæc fiat superiori potestate Christi Domini, cui non possunt humani Prælati præiudicare.

CAP. III. QVÆST. IV.

Vtrum possit celebrans intentionem suam ad futurum referre, vel anticipate Missas offerre.

32 QVando sacerdos non habet de præsenti, pro quo teneatur offerre Missam, posse celebrare pro eo, quem Deus nouit postea daturum stipendium, quod licitè deinceps petere possit, & recipere. Docet prima sententia, quam tenent *Henriquez lib. 9. ca. 21. num. 2. Nauarra de Restitut. lib. 2. cap. 2. num. 373. Vega tom. 2. cap. 41. casu 5. Aragon. 2 2. quæst. 85. art. 3. Manuel in Sum. tom. 1. cap. 250. vel 252. nu. 9. Moure part. 3. cap. 5. §. 9. num. 5. Fraxinellus de oblig. Sacerdot. sect. 3. prænot. 5. §. 5. num. 1. Bonacin. de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 5. num. 3.* dicens sic sensisse Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanensis, dum persona, pro qua Missa dicitur, certa sit in mente diuina, & capax satisfactionis, puta si sit anima iam existens in Purgatorio. Tunc enim non suspenditur effectus Missæ, sed mox applicatur. Vnde probatur hęc sententia Quia cum Sacerdos referat applicationem suam ad præscientiam Dei, qui mox tribuat fructum Missarum illis, quos certo præuidet stipendium datur os, certam habet applicationem fructus, sicut scientia diuina certa est. Nec anticipata oblatio displicebit daturis stipendium, qui virtualiter sanè consentient in rem sibimet vtilem, & in anticipatam solutionem.

33 Se-

33 Secunda sententia communis, & vera negat, licere Sacerdotibus sic anticipare Missas, & pro iam dictis stipendia recipere. Ita *Suar. tom. 3. disputat. 79. sect. 9. Caned. in quaestionib. can. quaest. 38. num. 1. Fagund. praecept. 1. lib. 3. ca. 9. num. 10. Coninch. quaest. 83. num. 168. Corduba, Granado, Riccius, quos sequitur Auersa quaestio. 11. sect. 18. Homobonus, Barbosa, Ioannes dela Cruz, Filliucius, Molfesius, Reginaldus, quos sequitur Diana part. 2. tractat. 14. Resolut. 15. Cardinal. de Lugo disput. 19. num. 109. Dimas Serpi lib. de Purgatorio cap. 59. subdens,* teneri Sacerdotem ad restitutionem harum Missarum. Remissiones *Tridentini sess. 22.* ante primum caput deferunt declarationẽ Cardinalium de mandato Pontificis factam 15. Nouembris 1605. improbantium, & condemnantium praxim primę sententiae, tamquam plurib. nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, ac ab Ecclesiae more nimium abhorrentem.

34 Probatur haec sententia primò, quia nec fructus talis Missae reseruatur in futurum dandus, scilicet, quando Missa petatur, & stipendium detur, nec datur statim de praesenti. Ergo nullo modo valet talis applicatio. Primam partem antecedentis tenent ferè cuncti Doctores, & oppositum reputat improbabile *Vazqu. 3. par. disput. 234. num. 22.* Quippè non est in potestate sacerdotis effectum sacrificij suspendere. Sicut enim omnia Sacramenta simul ac perficiuntur, suum habẽt effectum ex opere operato, quem non potest Minister suspendere, vel in futurum reseruare, Sic Missa suum habet effectum ex opere operato, quem non potest celebrans sua voluntate suspendere, vel in futurum reseruare, donec sibi tradatur stipendium: alioqui possemus applicare peccatori Missae satisfactionem, vt ei prosit, quando resurgat à peccato, vel applicare non indigenti, vt ipsi prosit, quando peccet, & resipiscat, quod esset, dare licentiam impunè peccandi, vel permanendi diutius in peccato. Videantur *Auctores citati.*

35 Secundam partem antecedentis probo. Quia Deus sicut, nec pęnam, nec pręmium confert ob delicta, vel merita futura regulariter, ita non tribuit Sacramentorum, aut sacrificij fructum ex his, quae praeuidet futura, sed iuxta praesentẽ hominis intentionem, & dispositionem, & certè, qui Missam postulat, suo modo concurrit ad sacrificium, vt *dicebamus supra num. 15.* non autem concurrit ad Missam antea dictam. Indigentia quoque, pro qua postulat, tunc occurrere solet, quando postulat, vel ad impetrandũ, vel ad satisfaciendum, cui certè non succurritur per Missam antedictam. Confirmatur, nam haec applicatio Missę fieri debet modo nobis accommodato, & per consequens non per recursum ad diuinam scientiam nobis ignotam. Alioquin ex opposito sequeretur, Petro v. gr. iam esse remissam aliquam poenam, & collatum aliquem fauorem dependentem ab actu liberè postmodum futuro, quem subindè Petrus possit elicere, vel non elicere post acceptum fructum ipsius. Hoc autem videtur alienum à communi Dei prouidentia.

36 Remissiones Concilij supra duos casus excipiunt. Primus est, quando Sacerdos tenetur in posterum pro certa intentione dicere Missas, has enim anticipare potest. V. gr. Si Cappellanus debeat singulis Hebdomadis dicere pro fundatore tres Missas, vel singulis mensib. quindecim, poterit hac hebdomada dicere sex, & hoc mense dicere triginta pro praesenti, & sequenti. Sic authores secundae sententiae, quos sequuntur *Diana supra resolut. 16. Fagund. num. 1. Bonac. disput. 4. quaest. vltim. punct. 7. §. 5. num. 4. Cardinal. de Lugo disputat. 21. num. 44.* Nam in hoc casu valet fundamentum primae sententiae, cum anticipata solutio sit vtilis illis, pro quibus Missae debent offerri.

37 Excipe, quando fundator sic Missas distribuit ob aliquam specialem causã, quia scilicet ad deuotionem populi, vel ad honorem talis Capella pertinet, vt singulis mensibus, vel Hebdomadis ibi cele-

celebretur, & tunc, etsi sacerdos peccet anticipando. (Leuiter, vt plurimum, nisi nimis frequenter fiat) non tamen tenetur ad restitutionem pro Missis anticipatè dictis, vt docet *Bonac. sup.* quia satisfecit quoad substantiam sacrificij sola variata circumstantia temporis, quæ communiter non inducit graue nocumentum contra iustitiam. Item quoties anticipatio redundat in alterius præiudicium, non licebit, vt si sacerdos debeat celebrare singulis hebdomadis, vel mẽsib. pro defunctis huius populi, vel communitatis, tunc enim ex anticipatione, sequitur, vt qui moriuntur hoc mense, vel hac hebdomada post Missas anticipatè dictas fraudentur illo subsidio mẽse, vel hebdomada sequente; cum tamen fundator voluerit omnib. successiuè subuenire. Sic notat *Cardin. de Lugo sup.* Similiter quãdo sacerdos iubetur celebrare pro viuis, anticipationem non licere, docet *Monre par. 3. ca. 5. §. 9. num. 5.* Tunc enim Missa dicitur pro satisfactione pęnæ debitæ: si vero contingat nunc totam pęnam esse remissam, Missæ fructus non prodest, prodesset tamen, si fieret hebdomada sequenti, quando nouum adesset debitum. Ita *Bonac. & Dian. sup. Nauar. Ledesma*, quos sequitur, *Auersa quæst. 11. sect. 18. § Septimo.*

38 Secundus casus est, quando Sacerdos certò nouit, Missas aliquas ab aliquo sibi commẽdandas, tunc anticipare posse. Docent Doctores primæ sententiæ Consentiunt *Auersa sup. Fagund. nu. 8. Vazq. n. 23.* quando certæ Missæ sunt ab alio commendandæ, cuius intentionem determinatè prænoscit Sacerdos, nec illi anticipationem præiudicare, videlicet, quia dicendæ sunt pro persona iam defuncta. Tunc enim offertur Missa pro certa persona nota, & eadem aderat capacitas, & in diligentia, quando Missa dicta fuit, imò maior, quam quando postulatur. Quare casuum istorũ exceptionem approbo. Nec amplius probat fundamentum primæ sententiæ, quod non sit dissolutum ex dictis.

CAP. IV. QVÆST. V.

Cui prosit Missæ fructus, quem nulli celebrans applicat, vel incapaci?

39 Quidam putant, illum celebranti conferri iuxta id *Ps. 34. Oratio mea in sinum meum reuertetur.* Quia Sacerdos dum alteri Missæ fructum nõ applicat, censetur implicitè velle, sibi conferri saltem per generalem voluntatem, qua quisq; semper intendit sibi prodesse, quantum possit, vt notat *Coninch. qu. 83. num. 166.* Addunt alij, talem intentionem confusam satis contineri verbis illis. Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis.

At *Henriquez lib. 9. cap. 18. nu. 7. Vazquez disp. 231. nu. 11. Suar. disp. 79. sect. 9. Bonac. disp. 4. quæst. vlt. punc. 5. nu. 12.* dicunt, remanere tunc in thesauro talem fructum; Vnde deberet extrahi, si Missa validè fuisset applicata. Quia Deus sine celebrantis intentione non confert Missæ fructum, sicut nec Sacramentorũ valorem. Consentit *Auersa quæst. 11. sect. 10.* quando celebrans ex aduertentia non vult vnquam, nec sibi fructum applicare; si tamen per inaduertẽtiam omittat applicationem formalem, aut explicitam, putat subesse tacitam, aut implicitam.

40 Ego censeo rem esse dubiam, & per consequens dubium fore fructum Missæ, quæ non applicatur formaliter personæ capaci: ita vt dũ celebratur, maneat applicatio saltem habitualis circa personã sub alia proprietate designatam. Vnde prudẽs consilium erit, substituere secundam, & tertiam, vel etiam plures intentiones, donec deueniatur ad aliquã, quæ deficere non possit, v. gr. quando ponitur vltimo loco, vel anima Purgatorij Sanctior, vel proximior egressui, vel magis indigens, vel magis destituta suffragijs. Et hanc credo iam esse receptam praxim multorum.

41 Hinc fit primò, si Sacerdos referat intentionem suam ad applicationem alterius, qui nondum applicuit Missam, quando dicebatur, frustrari Missam effectu suo, cum hic non possit manere suspen-

spensus, nisi celebrans apposuerit secundam, vel tertiam applicationem, quæ sortiatur effectum. Fit secundò, debere Sacerdotem, dum celebrat habere saltem habitualem applicationem, vt diximus *supra num.*20. quia post Missam dictam non potest illam applicare. Non enim potest Missæ fructum applicare, nisi dum gerit Christi personam, vt eius nomine dispenset, sed non gerit Christi personam, nisi dum celebrat. Ergo tunc solùm potest Missæ fructum applicare. Ita *Coninch.num.*167.

42 In ipsa celebratione, qui putant sacrificium sola consecratione perfici, cõsequenter asserunt, ante consecrationem applicandum esse fructum, & postea non valere applicationem. Ita *Bonac.cum alijs disp.*4.*quæst.vltim.punct.*5. *num.*12. Qui vero censent, sumptione quoque perfici sacrificium, vel essentialiter, vel saltem integraliter, consequenter aiunt, non conferri Missæ fructum, nisi post sumptionem, & ita dum applicatio fiat ante sumptionem, valere. Sic *Henriq.lib.*9.*cap.*9.*num.*4. *Fagund.Præcept.*1.*lib.*3.*cap.*4.*num.*29. *Aversa.qu.*11. *sect.*6.§.*Iuxta prædicta*. Quod ego reputo probabilius, sed ob diuersitatem opinionum monui *sup.ca.*2.*n.*64. fore tutius applicare Missam ante consecratioñé.

CAPVT IV.

De Missæ fructu.

1 SVppono primò, contra Nouatores Missæ sacrificium non solum esse honorarium, & Eucharisticum, (quod ipsi fatentur) sed etiam esse propitiatorium, & impetratorium; Sic enim institutum fuit ad Dei cultum, & honorem, vt etiam conduceret ad vtilitatem nostram. Sicut enim in lege veteri fuerunt sacrificia non solum ad colendum Deum, & ad agendas illi gratias pro beneficijs acceptis, sed etiam pro peccatis ad placandum Deum, quæ propitiatoria dicebantur; & ad impetranda beneficia, quæ dicebantur impetratoria, sic potiori iure sacrificiũ istud, quod successit omnibus veteribus, tamquam vnicum sufficiens prò cunctis, & eminenter omnium vim continens, debuit esse non solum honorarium ad cultum Dei, & Eucharisticum ad augendas gratias, sed etiam propitiatorium ad placandum Deum offensum, & impetratorium ad impetranda denuò beneficia diuina. Ita definit *Trident.sess.*22.*cap.*2. & *canon.*3. *Bellarmin.lib.*2. *de Missa cap.* 2. & *sequentibus*. *Baldus Iunius super controuers. Bellarmini part.*1. *lib.*4. *cap.* 5. *Layman.lib.*5. *tractat.* 5. *cap.* 1. *num.*4. & *alij*.

2 Suppono secundò in hoc sacrificio reperiri posse meritum, satisfactionem, & impetrationem saltem ex opere operantis, sicut in alijs actionibus studiosis. Cum enim sit actus verè virtutis, eosdem effectus habere potest, quos habent aliæ virtutis actiones. Et certè meritum non habet hoc sacrificium prout offertur à Christo, qui iam non est in statu merendi, licet applicet per hoc sacrificium, sicut per Sacramenta sua merita præterita. Item Ecclesia quamuis sit offerens, non meretur propriè, quando sacrificium istud offertur, licet enim voluntas, qua Sacerdotem designauit, vt eius nomine sacrificaret, honesta fuerit, & meritoria, nunc vero non existit nisi solùm habitualiter, nemoque meretur actu, nisi dũ actu aliter operatur. At Sacerdos celebrans, & alij simul offerentes merẽtur de cõdigno, si cęteræ conditiones adsint, & satisfaciunt ex opere operantis, & impetrant, si sacrificium ordinent ad hunc finem. Nam hoc est omnibus operibus bonis commune. Sic notat *Card. de Lugo disp.*19.*num.*122.

3 Suppono tertiò, non posse celebrãtem meritum suum alteri communicare, quod ex materia de merito. Supponunt *Suar.*3.*part.tom.*3.*disp.*79.*sect.*2. & *Filliuc.tract.*5.*n.*58. satisfactionem vero sibi

sibi correspondentem ex opere operantis potest alijs applicare, sicut in cæteris operibus bonis; vt notant ijdem, & idem est, quo ad impetrationem, quæ potest offerri pro alijs. Nam actio sacrificandi, quatenus opus operantis est, habet vim communem alijs actionibus virtutis meritorijs, satisfactorijs, & impetratorijs, quando diriguntur ad aliquid impetrandum sibi, vel alijs. Meritum de congruo, quoties applicatur alijs videtur coincidere cùm impetratione. Sic enim Doctores vsurpant non rarò. Videatur *Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 4. & sit.*

CAP. IV. QVÆST. I.

An Missæ sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato.

4 Negare dicuntur *Scotus, & Caietanus apud Sotum de Iustitia li. 9. quæst. 2. art. 2.* Quia nulla promissio legitur huic Sacrificio facta, quatenus sacrificium est, sed solùm quatenus est sacramentum, siquidem manducantibus, & bibentibus corpus, & sanguinem Domini promittitur æterna vita. Nonnulli per oppositum indicant, hoc sacrificiũ velut vniuersalem causam ex opere operato concurrere ad omnes effectus gratiæ, quos Christus per suam passionem nobis promeruit. Cum sit æquale sacrificio crucis, tàm ex parte principalis offerentis, quàm rei oblatæ.

5 Dicendum tamẽ est, habere Missam aliquem effectum ex opere operato, vt causam particularem, & proximã illius, idest, vim sacrificij præter omne meritum operantis aliquid infallibiter conferri non ponentibus obicem, quod aliqui vocant per modum infallibilis impetrationis, alij per modum solutionis ex thesauro Christi. Probatur ex antiquissimo, & communissimo Ecclesiæ tam vsu, quàm sensu, quo cuncti fideles offerunt Missam ad obtinendam remissionem suorum peccatorum, vel etiam alienorum, & ad subueniendum humanis indigentijs, & sibi persuadent, non pendere Missæ fructum à Sanctitate Ministri, sed independenter ab eius merito vi sacrificij nobis aliquem fructum applicari redemptionis Christi. Satis indicat *Tridentin. sess. 22. cap. 1. & 2.* docens, Christum instituisse Missæ sacrificium, vt virtus sacrificij Crucis in remissionem nostrorum peccatorum quotidie nobis applicaretur. Quod si applicatur ex institutione Christi, non ergo per opus operantis, & consequenter ex opere operato. Sic docent *S. Thomas 3. part. quæst. 79. art. 5. & q. 82. art. 1. Suarez cum alijs disp. 79. sess. 1. Vazquez 3. part. disp. 229. cap. 2. Coninch. quæst. 83. num. 116. Bonac. de sacram. disputat. 4. quæst. vltim. punct. 4. numer. 7.*

6 Nec oppositum docuerunt *Scotus, & Caietanus, vt ostendit Vazquez supra cap. 1.* solùm enim requirunt ad hunc effectum Missæ dispositionem eius pro quo sacrificium offertur; quod non est contra rationem operis operati, vt constat in omnibus sacramentis; sufficit enim, vt opus vi sua conferat talem effectum non ponentibus obicem. Nec obstat fundamentum primæ sententiæ; quamuis enim in scriptura non inueniatur expressa talis promissio, sufficit Ecclesiæ traditio, communisque sensus catholicorum, & aliquid insinuat *Apostolus ad Heb. 5. & 7.* aliaque loca Doctores expendunt. Fundamentum secũdæ sententiæ non conuincit. Nam sacrificium Crucis ordinatum fuit ad nostrã salutem, quo ad sufficientiam, quæ quidem omnes homines, & omnia media salutis comprehendit. Missa verò tendit ad efficacem applicationem illius sufficientiæ. Quare nec vniuersaliter, nec tam latè procedit quo ad vim operis operati, sed proximè sigillatim, & efficaciter operatur, iuxta mensuram institutionis Christi, quod satis indicat *Trid. sup.* Latiusque discutit *Coninch. supra n. 124.* & sequentibus, *Fagundez precept. 1. lib. 4. cap. 1. n. 7. 8. & 9.*

7 In particulari certum est, Missam habere

habere vim specialem ad impetrandos eos effectus, pro quibus obtinẽdis offertur. Sic ex Patribus traditCathechismus Romanus tractat. de sacrificio circa finem. *Suarez sup.sect.2. Coninch.nu.*118. Probatur ex Ecclesiæ praxi recepta, qua semper obseruatum est, vt celebrans oret in Missa pro viuis, & defunctis,& pro communibus, & particularibus hominũ necessitatibus, pro quibus etiam in Missali propriæ quædam orationes habentur, quia nimirum semper creditum est, plurimum valere Missam ad conferendam his precibus vim impetrandi,quod satis indicat *Tridentinum sess.2.cap.2.* Confirmatur ratione. Nam impetratio propriè fit per orationem, per alia vero virtutis opera fit,quatenus orationi iunguntur in eum finem relata permouendi Deum,vt postulata concedat, sed hoc sacrificium est Deo gratissimum, & adiungi potest alicui petitioni, vel desiderio beneficium aliquod impetrandi: ergo de se plurimum valet ad impetrandum.

8 Hæc impetratio considerari potest in ordine ad proximè offerentes, vel ad Ecclesiã, quæ remotè offert,vel ad Christum, qui principaliter offert per suum Ministrum. Nec est dubium, quin offerentes proximè si ritè sacrificent, vel offerant (vt diximus *cap.3. quæst.2.*) per Missam, sicut per alia opera bona possint impetrare. Rursus Ecclesia,quatenus offert mediatè sacrificium per Sacerdotem, sic per eundem, quasi per legatum à se destinatum ad Deum orat, & impetrat, quin obstet malitia Ministrorum, vt aliqua ratione semper exaudiatur,& bonum aliquod semper Ecclesiæ, saltem in cõmuni proueniat ex hoc sacrificio,nisi sacerdos sit præcisus, & vitandus, per quem sicut Ecclesia nõ vult offerre, sic nec orare,nec impetrare. *Ita Suar.& Vasq.sup.Coninch.n.*122. Vtrum hic effectus dicendus sit ex opere operato, vel operantis, quæstio videtur de nomine: respectu celebrantis, videtur ex opere operato,siquidem non nititur bonitate,nec meritis ipsius; at respectu Ecclesiæ, videtur ex opere operantis, siquidem non excedit valorem operis ab Ecclesia exhibiti, & sic illum vocant *Vasq. & Card.de Lugo disp.19.nu.*125.

9 Denique Christus,quatenus principaliter per suos Ministros offert hoc sacrificium, vt diximus *c.3.nu.6.* & 7.confert Missæ magnã vim impetrandi, quicquid à Deo postuletur, independenter à meritis celebrantis, vel Ecclesiæ, sed ob solam dignitatem Christi, quem Sacerdos in Missa repræsentat. Quippè satis credibile fit Christum intẽtione directa sacrificium illud instituisse, vt specialem vim precibus nostris conferret,quamuis per indignos Ministros, & ab Ecclesia præcisos offerretur, ideoque voluisse per quoslibet Sacerdotes ita semper in sua persona, suisque verbis offerri validum, vt per ipsum facilius à Deo, quælis impetraremus. Nam alias ob nostram indignitatem facilè tulissemus repulsam, & populus Christianus meritò dubitaret de plurium Sacerdotum sacrificijs, an isto valore frustrentur, cum nullius dignitas possit nobis certo constare. Nec de futurum erat in lege noua sacrificiũ ex institutione sua impetratorium, cum in veteri fuerit institutum, vt expendit *Cardin.de Lugo num.*129.

10 Quamuis mihi vero similius sit, vt dixi *ca.3.num.*7. Christum actualiter ordinare sacrificia celebrãtium adDei cultum, & per consequens postulare simul à Patre,quæ postulant offerentes,si iudicet expedire. Verum quia non constat, Christum in cęlis coniungere suam orationem cum omnibus Missis, vel eas ad aliquid impetrandum ordinare, cum nõ stet manifesta talis orationis promissio: censeo, ad hunc effectum impetrationis sufficere supradictam institutionem,nec infallibilem illum esse. Sicut enim oratio, quoties habet omnes conditiones requisitas:infallibiliter impetrat ex diuina promissione, secus vero quando caret aliqua conditione, quamuis bonis operibus adiungatur. Ita Christus instituit,vt quoties Sacerdos ipsius nomine petit in Missa, quod est iuxta Christi volun-

luntatem, id impetret infallibiliter. Secus vero quod est contra voluntatem Christi. Nec expediebat illam facultatem hominibus dari sine debita limitatione. Quia sæpè partim ex ignorantia, partim ex affectu in ordinato vellet impetrare nomine Christi, quæ iuxta regulam diuinę sapientiæ concedi non deberent Ita *Suar. supra, & Cardin. de Lugo num.* 132.

11 Addit *Coninch. num.* 120. nunquam nos ita frustrari hoc effectu, quin, etsi non concedatur, quod petitur, aliquid tamen aliud detur, prout Deus hic, & nunc iudicat expedire. Decet enim Christi Domini dignitatem, vt non frustretur omnino petitio, quam hic, & nunc Sacerdos eius nomine profert, & sacrificio sui pretiosi corporis, & sanguinis annectit. Ferè consonat *Cardin. de Lugo num.* 156. An autem hic effectus dicendus sit ex opere operato? *Suar. negat*, quia non datur ex infallibili promissione. *Vazqu. affirmat num.* 12. quia datur independenter ab operationis nostræ bonitate, quādo dari contingit. *Coninc. n.* 118. vocat illum quasi medium. Mihi videtur magis accedere ad opus operatum.

CAP. IV. QVÆST. II.

Vtrum Missa conferat remissionem pœnę.

12 Certum etiam est, Missæ sacrificium iuxta nam directam institutionem ex opere operato remittere pęnam aliquam temporalem immediate, quatenus Christus externæ sacrificationi certam portionem suorum meritorum annexuit ad certum remissionis effectum infallibiliter conferendum ijs, pro quibus offertur, nisi ponant obicem. Hunc effectum meritò vocamus ex opere operato, quia ponitur independenter à dignitate, vel deuotione ministrantis, & vltra meritum recipientis ex promissione Dei certa, quam probat communis Ecclesiæ consensus, & *Trident. sess.* 22. *cap.* 2. *& can.* 3. Tradunt *communiter: P. Lugo de Sacramentis. Doctores S. Th.* 3. *par. q.* 79 *art.* 5. *Vazqu. disp.* 228. *c.* 4. *Suar. disp.* 79. *sec.* 6. *Bellarm. lib.* 2. *de Missa cap.* 4. *&* 7. *Henriq. li.* 9. *ca.* 13. *n.* 1. *qui citant plurimos.*

13 Confirmatur ex proportione veterum sacrificiorum, quæ propitiatoria dicebantur, & valebant ad eluendas legales quasdam maculas iuxta ritum illius legis: imò secundo *Machab. cap.* 12. iussit Iudas sacrificium offerri pro peccatis mortuorum, vt soluerentur à pœna peccatis condonatis debita, quasi ratio sacrificij iam tunc ad remissionem pęnæ temporalis ex culpis remissis relictæ valuerit. Cum enim hic affectus nullam requirat actualem dispositionem recipientis, sed per externam condonationem præstetur, aptissimus est, qui per causam externam, qualis est oblatio sacrificij, conferatur illis, pro quibus offertur. Et quidem cum certum sit contra Nouatores, Missam pro defunctis offerri posse, quod latè probant *Bellarm in supr. Vazquez cap.* 3. *& Valentia tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. *§.* 19. nec illis alio modo prodesse queat, quam remittendo pęnam temporalem, vt patet, certum etiam erit, pęnam illis ex opere operato remittere. Quod si defunctis hoc modo prodest, viuis etiam eodem modo prodesse fatendum est, siquidem *Tridentin. expressè de vtrisque loquitur sup.* pariter etiam in ordinatione Sacerdotis dicitur. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.*

14 An vero remissio pęnæ temporalis vi Missæ, semper certa lege conferatur. Circa viuos conueniunt Doctores conferri: circa defunctos negant *Sotus in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *Cano de locis lib.* 12. *c.* 13. *Cordub. lib.* 1. *qu.* 3. *dub.* 1. *opinione* 4. docentes animabus Purgatorij prodesse Missam solum per modum suffragij; quatenus sicut orationes viuorum (inquiūt) defunctis profunt dumtaxat, prout Deo placuerit illas acceptare sine certa lege remittendi semper pęnas propter tales orationes, sic etiam Missa profit defunctis iuxta diuinum beneplacitum. Probant, nam indulgentias defunctis con-

cessas existimant nõ habere tam certum effectum, sicut concessas viuis: Ergo similiter de Missa credendum est.

15 Communis tamen, & certa sententia docet remissionem pęnarum virtute Missæ tàm defunctis, quàm viuis semper certa lege concedi. Sic *Henriquez lib. 9. cap. 13. num. 1. & cap. 16. num. 1. & ca. 18. num. 7.* referens multos *Suar. supra. Vazquez cap. 4. Cardinal. de Lugo disput. 19. num. 153. & sequentibus. Martinon. disp. 39. num. 3. Auersa quæst. 11. sect. 6. §. Tertio ergo, & sect. 11. §. Quarto ergo.* Probatur, quia *Tridentinum supra* pariter loquitur quoad hoc de viuis, & defunctis, *& sess. 25. initio definit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuuari.* Certum autem est, per fidelium eleemosynas, ieiunia, vigilias, & similia suffragia certa lege iuuari defunctos, quatenus satisfactio talibus operibus correspondens iuxta volunta tem operantium illis infallibiliter applicatur. Hanc enim mutuam satisfactionis communicationem inter iustos apertè tradit Catechismus Romanus titulo de Sacramento pœnitentiæ *numero* 61. dum inquit: *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persoluere. Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est.* Ergo votum etiam erit, Missam prodesse defunctis per modum mediatæ solutionis, & applicationis infallibilis, ideo *Suar. supra dicit*, magnam fore temeritatem ab isto cõmuni sensu Theologorum discedere.

16 Ad fundamentum oppositũ respondetur in primis, multo probabilius esse, indulgentias pro defunctis concessas infallibiliter illis prodesse, vt docent *Suar. tom. 4. disp. 53. sec. 3. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 20. pun. 5. Coninc. disp. 12. dub. 10. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 27. sec. 5. cum alys.* Vnde Missa quoque proderit infallibiliter. Deinde responderi potest, quamuis indulgentiæ non haberent circa defunctos certum effectum, quia circa defunctos nulla polleret Ecclesia iurisdictione, qualem circa viuentes habet, tamen in Missa nullum apparet discrimen, cum instituta fuerit à Christo, qui parem habet in vtrosque potestatem, & quoad remissionem pœnarum tàm pro defunctis, quàm pro viuis Missam instituerit, vt ex *Tridentino visum est.* Igitur prodest vtrisque certa lege.

17 Rursus præter illam partem pœnæ, quæ condonatur ex vi satisfactionis applicatæ per Missam, conducere quoq; sacrificium istud ad impetrandum remissionem alterius partis pęnarum. Docent communiter Doctores, cũ Missæ sit per se sufficiens ad impetrandum quodlibet bonum, præsertim spirituale, cuiusmodi censetur remissio pęnæ temporalis. Ita *Suar. tom. 3. disp. 79. sec. 6. Fillinc. tract. 5. n. 68. Fagund. Præcep. 1. lib. 4. ca. 1. nu. 11. Card. de Lugo de Euch. disp. 19. nu. 158. & de Pœnit. disp. 24. num. 20. & sequentibus.* Hic autem effectus præstari potest dupliciter, scilicet mediatè, vel immediatè; Mediatè fit quatenus Missæ sacrificium impetrat gratias præuenientes, & vires spirituales ad opera Pœnitentiæ præstãda, quibus Deo satisfaciamus pro pœnis peccatorum nostrorum, vel alienorum, etiam, quoties alijs applicamus satisfactionem nostram, & hunc modum impetrationis dari de facto censent Doctores relati, & *Auersa de Eucharistia quæstio. 11. sectio. 11. fine, atque de pœnit. q. 3. sect. 3. circa finem.*

18 Immediatè fieret, si per Missam orationi coniunctam impetraretur remissio pœnæ debitæ peccatis illorũ, pro quibus oratur, nihil illis interim operantibus. An autem hic modus impetrationis detur de facto? quæstio cõmunis est omnibus orationibus. In qua prima sententia negat. Tenet *Fagund. sup. n. 12. Auersa sup. Suar. 3. p. tom. 4. disp. 37. sec. 10.* docens, nominẽ posse pro se ipso sic pœnæ remissionem impetrare, *disp. 48. sec. 2.* docet nec pro alio viatore *sect. 5,* docet, nec pro defunctis. Probatur 1. nam ordo diuinæ iustitiæ possit, vt non remittatur pęna debita nisi per modũ solutionis exhibendæ, quę fieri debet omnino per viã satis-

satisfactionis recompensantis pœnam. Probatur 2. quia nec habitualis gratia, nec eius augmentum vnquam immediatè datur ob solam impetrationem sed semper per ordinaria media, videlicet, vel ex opere operato per Sacramēta, vel ex opere operantis per contritionem, vel merita. Probatur tertiò. Nam alioqui Sancti degentes in cęlo possent impetrare animabus Purgatorij remissionem pęnarum, & ipsemet animæ Purgatorij sibimet deposcerent, & impetrarent talem remissionem, vnde citissimè liberarentur, & iustitię diuinæ punitiuæ non parum detraheretur. Non enim videtur huic iustitiæ consonum, vt peccata maneant impunita.

19 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita *Durand. Caiet. Nauarr.* quos refert *Suar. tom. 4. disp. 48. sect. 5. nu. 4. vbi num. 5.* Subdit, eam sententiam esse piam, & probabilem, & loquendo de Missa sacrificio, sic etiam censet *tom. 3. disput. 79. sect. 6.* Tenet absolutè *Card. de Lugo supr. Layman lib. 5 tract. 5. cap. 2. n. 5.* Probatur primò. Nam hæc remissio pœnæ per se non confert sanctitatem, nec interuam animę perfectionem, sed ad commodum naturæ quodammodo pertinet, vnde dicipotest temporale benefitium, & externum. Sed alia beneficia temporalia, & externa possunt immediatè per orationem impetrari. Ergo pariter illud, præsertim adiuncto Missæ sacrificio, quę confert orationi maiorem efficaciam, & vim impetrandi.

Probatur secundò. Nam Ecclesia sæpius in Missis, & in officio defunctorum petit, vt Deus condonet pœnas debitas animabus Purgatorij. Sacerdos etiam Ecclesiæ nomine petit, vt defuncti pœnis illis soluantur. Hæc autem oratio frustra fieret, si nihil vltra mensuram satisfactionis impetraret.

Probatur tertiò, quia Christus Dominus descendens ad inferos liberauit plures animas è Purgatorio, quæ nondum plenè debitas pęnas ex soluerant, vt tradunt communiter Theologi cum *S. Th. 3. par. qu. 52. artic. 8.* vbi consentit *Suar. in Commentario, & tom. 2. disp. 43. sec. 3. fine.* Similiter Beatissima Virgo, & alij Sancti pro defunctis orant, & Ecclesia sæpè petit, vt Beata Virgine intercedente cum omnibus Sanctis suorum delictorum veniam consequantur. Iuuant reuelationes affirmantes Beatam Virginem, & alios Sanctos interdum liberare suos deuotos è Purgatorii pœnis. Cum enim Beati satisfacere nequeant, impetratione sola liberare censendi sunt.

20 In hac quæstione certum est primò, talem modum impetrationis esse possibilem, nulla siquidem apparet in illo repugnantia, quin potius videtur conforme diuinæ liberalitati, & generalibus promissionib. orationi prę stitis, quod Deus interdum exoratus à iustis remittat pęnas debitas peccatis iam remissis. Nec hoc negant Authores primæ sententiæ. Quoad factum vero certum est secundò, non concedi talem remissionem sine applicatione alicuius satisfactionis, saltem alienæ. Cum enim quilibet iustus habeat opera pęnalia satisfactoria, quæ possit pro se, vel pro aliis offerre, immeritò postulat gratuitam omninò remissionem, & quasi dispensationem in lege iustitiæ, quando non vrget sufficiens ratio misericordiæ.

Confirmatur, nam ipse Christus non obtinuit nobis remissionem pęnæ, nisi sustinendo pęnam, & ita pro nobis satisfaciendo. Nunc etiam, quoties remittitur nobis aliqua pęna temporalis propter Christum, id fit per applicationem satisfactionis ipsius Christi. Sic etiam censent Authores secundæ sententiæ. Tertiò certum est, si quando detur talis modus impetrationis, non tamen fore semper infallibilem, quoniam ostendi non potest aliqua promissio diuina, qua talis infallibilitas fundetur. In hoc etiam conueniūt vtriusque partis Doctores.

21 Restat ergo difficultas, an possit iustus (præsertim adiuncto Missæ sacrificio) nonnumquam impetrare à Christo Domino, vt de sua satisfactione partem aliquam applicet, vel ipsimet petenti, vel alteri viuo, vel defuncto, pro quo petit. In

hac difficultate censeo secundam sententiam esse piam, & probabilem, sed dubiã, & incertam, vt asserit sæpè suam. Quamuis enim aliquando forsan rarissimè contingat talis modus impetrationis. At secundum ordinariam legem diuinæ prouidentiæ, nec Deus, nec Christus Dominus exaudiunt talem petitionem, nec applicatur Christi satisfactio, nisi per media iam statuta, scilicet per sacramenta, sacrificia, vel indulgentias: Sic.n. lex iustitiæ seruatur, & misericordia suum habet locum, dum talib. medijs alligantur communiter; & rarò nonnumquam sine medijs iam statutis impetratur per orationem remissio personarum. Nec amplius conuincunt vtriusq; partis fundamenta.

22 Nam ad primum primæ sententiæ respondetur, satis seruari diuinam iustitiam applicando satisfactionem Christi pro pœna, quam aliquis viuus, vel defunctus sustinere debebat, quæ quidem applicatio sicut fit ordinariè per indulgentias, vel alia media, sic interdum impetretur per orationem adiuncto Missæ sacrificio.

Ad secundum respondetur, cum gratia sit immediata mensura gloriæ fuisse conueniens hanc mensuram esse certam, & proprijs dumtaxat singulorum meritis respondere, vel certis medijs diuinis constitutis, ne forsan haberet maiorem gloriam, qui minorem meruisset, vel per infallibilem Sacramentorum influxum obtinuisset. Pertinet enim ad principem æqualem se cunctis exhibere in distributione præmiorum; ideo cunctis proposuit Deus communem regulam obtinendi, vel augendi gratiam, merita scilicet, & Sacramenta, minora vero beneficia potest interdum Princeps propter preces donare prohibito.

Ad tertium respondetur, Sanctos in cœlo degentes non petere remissionem pœnarum nisi iuxta communem legem diuinæ prouidentiæ, cui sunt omninò conformes, vt latè tradit *Suar. tom.4. disputat.48. sect.5 num.6. & sequentibus*, animas etiam Purgatorii, cum sint valdè conformes diuinæ voluntati, non petituros, nisi, quod fuerit communi legi magis consonum; imò cum sint in statu punitionis, quamuis aliquando peterent, parum, aut nihil sibi possent impetrare.

23 Ad primum secundæ sententiæ respondetur, remissionem pœnæ debitæ talegenus esse beneficii quamuis temporalis, vt communiter non obtineatur immediatè per impetrationem solam, sicut alia benefitia temporalia solent obtineri, sed per debitam compensationem, aut per applicationem alienæ satisfactionis mediis legitimis applicatæ.

Ad secundum respondetur orationes Ecclesiæ prodesse communiter defunctis mediatè, sicut etiam quo sunt orationes Beatorum, impetrando nimirum, vt fiant à viatoribus opera satisfactoria, quæ defunctis applicata minuant, vel extinguãt ipsorum debitum.

Ad tertium respondetur, incertum esse an Christus immediatè concesserit talem remissionem, vt apparet *in Sancto Thoma, & Doctoribus ibi*, & licet admittatur, pertinebit ad rarissimos euentus. Orationes Sanctissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum communiter proderũt mediatè. Reuelationes forsan erunt de casu quopiam rarissimo. Nonnumquam etiam orationes Sanctorum impetrabunt, vt diuturnitas Purgatorii compensetur intensione cruciatus; hoc enim commutationis genus, quamuis aliquam gratiam continere videatur, non tamen omninò secludit æquitatem iustitiæ communi lege præscriptam.

CAP. IV. QVÆST. III.

Vtrum Missa per se conferat primam gratiam, & remissionem peccati mortalis?

24 SVppono Missæ sacrificium, quatenus propitiatorium est, conferre primam gratiam, & remittere peccata mortalia saltem aliquo modo, quod ita certum est apud Catholicos, vt oppositũ censeatur erroneum. Videantur *Bellarm. li.5. de Mis. c.2. Henriq. l.9. c.15. n.1. Suar. tom.3. disp.79. sect.3. Vazqu.3.p. disp.228. cap.*

c.1. *Bonac. de Sacr. disp. 4. qu. vlt. punct. 3. n. 2. Fagund. Præcep. 1. li. 4. c. 2. nu. 12. Coninc. q. 83. n. 137. Martin. de Euchar. disp. 39. num. 1. & 2.* Nam hoc significant illa verba consecrationis. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ meritò multi Doctores, & Patres intelligunt de sacrificio incruẽto, nam in Cruce nullus Calix effusus est. Quare *Concil. Bracharens. 3. c. 1. & Vvormarchx cap. 4. & Iulius Papa in cap. omne crimen de consecrat. distinctione secunda* dicunt, omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificijs deleri. Rursus sæpè Patres, & Liturgiæ repetunt apud Authores citatos, hoc sacrificium pro peccatis offerri, vel vt nostra peccata dimittantur, vt vita nobis donetur, & mors effugetur. *Et Tridentin. sessio. 12. cap. 2.* docet, hac oblatione placatum Dominum gratiam nobis concedere, criminaque simul, licet ingentia dimittere, quæ palam discernit à pęnis peccatorum, dum asserit offerri Missam quo fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus. Iuuat vsus Ecclesiæ, quæ Missam offert non solum pro remissione, pęnæ, sed etiam pro iustificatione peccatoris, vt in Missa pro peccatis, & ad schisma tollendum, in collectis pro remissione peccatorum, & pro petitione lachrymarum. Fatetur etiam in Canone, sacrificium istud offerri quo redemptione nostrarum animarum, & interdum precatur, vt hoc sacrificium sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit omnium remissio delictorum. Ergo potest aliquo modo conducere Missæ sacrificium ad remissionem criminum etiam mortalium, & ad iustificationem peccatoris, alioquin imprudenter offertur ad id obtinendum, quod nullo modo per Missam obtineri potest.

25 Propter hæc, prima sententia docet, Missam immediatè conferre primam gratiam, & remissionem mortalium, non habentibus obicem, sed attritionem sufficientem. Ita nonnulli recentiores apud *Vazquum supra*, probabilem, censet *Cassalius de sacrificio Missæ lib. 2.* Fauet *S. Thom. in 4. distin. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad quartum*, partim consentit *Valentia tom. 4. disput. 6. quæst. 11. punc. 1. §. 22. circa finem*, dicens, quamuis Missa primario non instituta fuerit ad tollenda peccata mortalia, tamen per accidens, & secundariò conferre remissionem illorum, & primam gratiam peccatoribus, pro quibus offertur, habentibus attritionem, & bonam fidem, sicut etiam contingit recipientibus Eucharistiam. Probatur, quia sic magis propriè capiuntur Concilia, Scriptura, & Patres relati, præsertim *Tridentinum supra*, dum astruit sacrificium istud verè propitiatorium esse, redditq; rationem, *quia nimirum huius oblatione placatus Dominus ingentia quoq; peccata, & crimina dimittit.* Vis autem huius rationis fundatur in eo, quod propitiatio propriè referatur ad remittẽda peccata. Cõfirmatur, quia sacrificium, quod cõsistit in oblatione perfectius est sacramento, quod refertur ad vsum, sed sacramenta nouæ legis vim habent remittendi mortalia, conferendiq; primam gratiam attritis saltem per accidens ex opere operato. Ergo sacrificium pariter habet eandem vim præsertim cum ex se sit magis ordinatum ad remissionem peccatorum, vt colligitur ex ipsis verbis consecrationis.

26 Secunda sententia communis, & vera docet, Missam per se non conferre primam gratiam immediatè, vel remissionem peccati mortalis ex opere operato, quia non habemus promissionem diuinam circa talem effectum conducere tamen ad remissionem peccatorum, & ad iustificationem peccatoris mediatè, quatenus Deus eius intuitu tribuit auxilia gratiæ præuenientis ad eliciendã contritionem, vel ad ritè recipiendum Sacramentum. Hoc intendit S. Thom. supra; cum enim dixisset, hoc sacrificium in peccatoribus mortalia delere, subdit statim delendi modum his verbis, *non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Ita docent *Henriq. Suar. Coninch. supra. Vazquez cap. 2. Bonac. num. 3. Fagundez num. 13. Martinon. num. 4. Auers. qu. 11. sect. 6. Cardin. de Lugo disp. 19. num. 137. & communiter Doctores.* Probatur palam ex *Tridentino sess. 22. ca. 2.* docente, *Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno; huius quippè oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.* Vbi modum explicat, quo per Missam remittuntur peccata, dum contritis, & pœnitentibus, scilicet imperfectè, oblatione Missę placatus Deus concedit auxilium opportunum, & gratiam excitantem, qua perfectam contritionem elicientes, aut Sacramentum recipientes pœnitentiæ donum, & fructum, nimirum misericordiam remissionis, & gratiam iustificationis inueniant, qui peccatis etiam ingentibus tenebantur.

27 Confirmatur, nam, si peccator attritus, pro quo Missa dicitur, ex opere operato iustificaretur, iam non esset pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto simpliciter necessarium ad remissionem mortalium. Item posset peccator cum attritione nota dumtaxat, oblata pro se Missa, recipere quæuis Sacramenta, saltem præter Eucharistiam, & omnia ministrare, posset celebrans pro se, quamuis recordetur peccati mortalis, quando nequit confiteri, cum attritione nota prosequi, nec conteri teneretur. Item quoties moribundus confiteri non potest, nec vllum Sacramentum recipere, deberemus ipsi Missam applicare, cuius virtute, si sit attritus, iustificetur. Quæ tamen planè sunt contra communem sensum Doctorum, & fidelium.

28 Addit *Cardin. de Lugo sup. nu. 140.* Missæ sacrificium vltra vim impetrandi gratiam prouenientem, habere vim placandi Deum, & propter hanc dici propitiatorium, distinctum ab impetratorio. Nam aliud est mouere Deum, vt bona nobis largiatur, aliud est illum placare, ne nobis inferat mala; quæ duo videtur distinguere *Tridentinum supra*, dum prius dicit, placari Deum, postea concedere gratiam excitantem, & pœnitentię donum, & enim Missa prius placat Deum mouendo clementiam ipsius, ne propter peccatum indignatus (vt solet) auxilia deneget vberiora, nec auertat orationem petentis: postmodum indignationis obice remoto, impetrat à diuina liberalitate gratiam excitantem vberiorem, & frequētiorem, quam Deus non placatus non concederet. Probatur, nam sola vis impetrandi non satis explicat virtutem, quam Sancti Patres, & Tridentinum Missæ tribuunt ad remissionem non solum pœnarum, sed etiam peccatorum mortalium, respectu quorum sit etiam propriè propitiatorium. Consonat *Auersa supra §. Rursus admittit.*

29 Ad fundamentum primæ sententię respondetur, Scripturam, Concilia, & Patres sufficienter intelligi de remissione mediata peccatorum, circa quæ Missæ sacrificium non solum sit impetratorium, sed etiam propriè propitiatorium modo proximè dicto.

Ad confirmationem respondetur, siue perfectus sit sacrificium, siue Sacramentum, certè diuersam esse institutionem illorum, & ad diuersos fines. Nam Sacramenta, quæ potissimum in receptione consistunt, & ferè semper in adultis requirunt actualem dispositionem recipientis, congruè tendunt ad conferendā per se gratiam. Sacrificium vero, quod in actione consistit, nec requirit actualem voluntatem illius, pro quo offertur, per se non tendit ad remissionem peccati, vel ad iustificationem peccatoris. Vnde non valet illatio.

30 Petes primò. Vtrum impetratio talium auxiliorum sit infallibilis? Negant *Durandus, Cano, Cordoba,* quos sequitur *Suar. disp. 79. sect. 3.* circa finem. *Filliuc. trac. 5. num. 61. Martinon tom. 4. disp. 39. num. 5. Vazquez supra num. 21.* Probant expe-

experientia, qua sæpè videmus, nec conuerti, nec specialiter ad pœnitentiam excitari peccatorem, pro cuius conuersione Missam offerimus.

Confirmatur primò, nam effectus infallibilis solet esse determinatus quoad numerum, & perfectionem, & certam dispositionem recipientis præ requirere, sed hic effectus non est huiusmodi, nam interdum vni datur, interdum multis, si Missa pro pluribus offeratur, interdum maius, interdum minus, interdum datur obstinatissimo peccatori, cum minus peccanti denegetur. Igitur his effectus non est infallibilis.

Confirmatur secundò, nam hæc infallibilitas fundari deberet in promissione, sed hæc non constat, nec Tridentinum promissione nititur, sed sola dignitate sacrificij. Loquitur ergo de impetratione communi, quæ non semper infallibilis est.

31 Affirmant *Henriquez lib.9.cap.15. num.1.Fagund.Præcep.1.lib.4.ca.2.num. 19.Bellarm. lib.2. de Missa cap.4. circa finem.Coninck.quæst.83.nu. 138. Auersa supra §.dicique potest*, probabile dicunt *Meratius disputat.37.sect.10 de Martinon.sup.* Probant, quia sacrificans, etiam si sit peccator, offert hoc sacrificium nomine Christi, qui semper exauditur pro sua reuerentia iuxta Paulum Hebr.5. Sic ergo valet Missæ sacrificium apud Patrem, vt propter Christi dignitatem, & meritum ibidem applicatum concedat peccatoribus, pro quibus offertur, aliquas speciales gratias præuenientes, si sint illarum capaces, quibus si correspondeant, remissionem peccatorum obtineant.

32 Dico primò, effectum huius sacrificij, quatenus placat Deum, & eius indignationem auertit, infallibilem esse tali mensura, qualem Deus in eius institutione designauit. Probatur, nam effectus, quem Missæ sacrificium habet, vt propitiatorium est, quoad remissionem pœnæ iuxta mensuram institutionis suæ, semper est infallibilis, si non detur obex, vt fatentur Theologi communiter. Ergo pariter erit infallibilis quoad placandum Deum in ordine ad remissionem culpæ, cum vterque procedat effectus ab eadem virtute propitiandi. Sic *Cardin.de Lugo supra num.143.*

33 Dico secundò, Missæ sacrificium, quatenus impetratorium est, habere semper effectum aliquem infallibilem in subiecto capaci. Sic censent Doctores secundæ sententiæ. Et quidem, si peccator oret, & Missam faciat offerri pro sua conuersione, nec opponat impedimentum, impetrationem specialium auxiliorum infallibilem fore, saltem ex promissione precibus facta. Fatentur *Suar.& Filliuc.supra*, vbi consequenter admittere debent effectum infallibilem, qui non sit determinatus, nec certam dispositionem recipiētis præ requirat. Nec niti potest sola promissione precibus facta, nam oratio debet esse iusti, cum hic oret, & offerat peccator.

34 Vnde fit vlterius, sicut orationi cū certis conditionibus factæ promissa est infallibilis impetratio *Luc.11.* Sic Missæ pro peccatoribus oblatæ (quamuis ipsi non orent, nec sacrificium faciant offerri) promitti collationem specialium auxiliorum excitantium ad ipsorum conuersionem. *Luca 22.& Matth.26.* Nam dicens Christus Dominus fundi sanguinem suum, etiam sacramentaliter pro remissionem peccatorum, satis polliceri videtur, per Missæ sacrificium, vt oblatum nomine suo, remittenda fore peccata illorum, pro quibus offeratur, si non obsint auxilijs recipiendis, & receptis liberè consentiant: obex erit receptionis, si peccator dormiat, vel ita sit intentus alijs rebus, vt moraliter nequeat de sua conuersione cogitare, vel habeat actualem dispositionem talis vocatio in contrariam, vt dicebamus in simili *lib.1. ca. 3.numero 4.*

35 Ad fundamentum primæ sententię respondetur, non esse necessarium, vt auxilia dentur eodem tempore, quo sacrificium offertur, sed quando Deus pro sua prouidentia commodam reputauerit ipsorum collationem, quod satis in-

nuit Tridentinum dicens, conferri per Missam auxilium opportunum. Addo, sæpè non excitari peccatorem, quia per actualem distractionem, vel affectum contrarium est ineptus talibus auxiliis recipiendis, vnde nihil experientia côuincit. Ad 1. confirmationem dicimus effectum infallibilem esse posse, quamuis non sit determinatus quoad quantitatê, vel perfectionem, vt nuper dicebamûs *n.33.* forsan etiam ex parte sacrificii determinatur quantitas, vel perfectio talis auxilii; variatio vero prouenit, vel ab indispositione subiecti, vel à liberalitate Dei, sicut in gratia Sacramentali.

Ad secundam confirmationem dicimus, ex Christi verbis satis colligi promissionem absolutam huius effectus posita capacitate recipientis: & quidem *Trid. eo c.2.* nititur etiā oblatione, quatenus à Christo procedit offerente per Ministros, qui cū semper sit gratissimus Patri, semper impetrat hæc auxilia.

36 *Suarez, & Fillius sup. iuxta suam sententiam negant*, hunc effectum esse dicendum ex opere operato. Probant, nam opus operatum nititur sola promissione, vel pacto, nec requirit orationem adiunctam, sed solam operis externi exhibitionem. Hic autem effectus obtinetur per modum impetrationis, nec nititur absoluta promissione soli sacrificio facta. Affirmant verò *Bellarminus de Miss. lib.2. cap.4. propositione 3. Henriqu. supra cum aliis, Vazqu. disput. 229. num. 12. Coninch. Auersa supra*, quia datur vltra meritum recipientis, & offerentis proximi, nititurque promissione Dei, nec impeditur, nisi per indispositionem recipientis. Ego censeo, tam effectum placandi Deum, quam impetrandi gratiam excitantem specialem esse dicendum ex opere operato propter fundamentum nuper adductum. Etenim dari citra meritum recipientis, & offerentis proximi, fatentur omnes; Infallibilem esse, sufficienter nuper ostendimus. Nec obstat impediri non raro propter indispositionem recipientis: nam etiam effectus Sacramentorum impeditur non rarò, præsertim quoad gratiam sacramentalem, quamuis verè sit ex opere operato. Quod autem quoad impetrationem sit orationi coniunctus, non tollit denominationem operis operati saltem latè dicti. Neq; reor esse necessariam orationem formalem, sed sufficere virtualem, qualis in applicatione Missę continetur; nam qui Missam offert pro peccatorib., quibus satisfactio nequit applicari, virtualiter petit gratias prouenientes, quibus excitentur ad pęnitentiam, & forsan in hoc sensu *Coninc. qu.83. n.137. & 138.* fecernit hunc effectum ab impetratione, solique sacrificio tribuit, & *Bellarm. sup. dicit*, sacrificium esse quandam orationem realem, non verbalem, & per hanc impetrare.

37 Petes secundò, an auxilia, quæ conferuntur propter Missam, sint efficacia? Videtur affirmare *Trident. sess.22. ca.2.* dicens, per Missam conferri peccatorib. auxilium opportunum, & pęnitentię donum. Nam auxilium opportunum idem esse videtur cum efficaci; pęnitentiæque donum inuoluit auxilium adiuuās, quod semper sortitur effectum. Negant tamē communiter Doctores. *Suar. disput.79. sec.3. circa finem. Fagund. Pręcep.1. lib.4. c.2. n.18. Bonac. disp.4. qu. vlt. punc.3. n.4. Coninch. sup. num.140 cum aliis.* Quia sicut sufficit, vt gratia sacramētalis inducat auxilia sufficientia, sic etiā sufficiet, vt Missa pro peccatoribus oblata causet auxilia sufficientia. Nec expediebat, impetrationem auxiliorum efficacium infallibilem esse, vt semper cū timore, ac timore nostram salutem operemur.

38 Igitur ob Missæ sacrificiū illa semper auxilia confert Deus, quibus, quantum est ex se, sincerè cupit conuertere peccatorem, & peccator côuerti potest, si velit. Vnde nos licitè Missā offerimus ad impetrādum auxilium efficax, & frequenter illud impetramus, interdum vero datur in efficax secundum consilium diuinæ voluntatis. Censeo tamē propter Missam dari semper auxilium validius, & efficacius quoad actiuitatem internā, quam sine Missa daretur eidē peccatori.

Sic.n.decet tanti sacrificii dignitatem.

39 Petes tertiò. Vtrum Missa conferat ex opere operato gratiæ sanctificantis augmentum illis iustis, pro quibus offertur? Negant communiter Doctores, & probant primò. Nam *Tridentin. sess. 7. in proemio docet*, omnem iustitiam, seu gratiam sanctificantem à Sacramentis incipere, vel iam cæptam ab illis augeri. Non ergo confertur ex opere operato per sacrificium. Probant secundò, nam alioquin vtiliter offerremus Missam pro paruulis, amentibus, aut phreneticis ad augendam ipsorum gratiam ex opere operato, quod tamen est contra sensum, & praxim fidelium, & valdè temerarium vocat *Suar. disp. 79 sec. 4.* Verùm quamuis Missa non impetret immediatè augmentum gratię, mediatè potest illud impetrare, dum offertur pro iustis, vt illis conferatur auxilium excitans ad eliciēdos actus virtutis, quibus augeant meritoriè suam gratiā. Quippè si Missa peccatorib. impetrat auxilium excitans ad conuersionem, cur non pariter iustis impetrabit auxilium ad augendam meritoriè gratiam frequenter efficax, interdum inefficax, semper tamen valldius quoad internam actiuitatem, quam sine Missa concederetur? Videatur *Suarez sup. Vaz. qu. disp. 228. c. 3. Coninc. quæst. 83. n. 131. & 137.*

CAP. IV. QVÆST. IV.

Vtrum Missa conferat ex opere operato remissionem venialium immediatè?

40 SVppono primo, conducere Missam ad remissionem venialium saltē mediatè, sicut de remissione mortalium diximus *quæst. præced.* scilicet per impetrationem auxiliorum, quibus eliciantur actus disponentes ad venialium expiationem. Quod saltem astruunt textus *in cap. iteratus, & c. Quid sit sanguis de consecr. dist. 2.* Vbi dicitur, hoc sacrificium offerri quotidie, quia quotidie peccamus, nempè venialiter, quod satis expressit *Trident. sess. 22. ca. 2.* dicens, per Missam applicari virtutem passionis in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum. Ita *Suar. tom. 3. disp. 79. sect. 5. Vaz. qu. 3. part. disp. 228. c. 3. Fagund. Præcep. 1. lib. 4. c. 4. n. 1. Coninc. q. 83. n. 136. Bonac. disp. 4. qu. vlt. punc. 3. n. 5.*

41 Suppono secundò, secluso quouis actu, quo peccatum veniale formaliter, aut virtualiter detestemur, posse nobis remitti sine mutatione nostra Physica, qua vel gratiam habitualem, vel donum aliud recipiamus, vel eliciamus aliquem actum. Cum enim veniale peccatum non relinquat propriam maculam, quæ priuationem includat alicuius doni, sed solam deordinationem habitualem respectu Dei displicentis in homine propter actum præteritum: potest Deus tollere maculam venialem, dum non detur obex actualis, aut habitualis complacentiæ, per moralem condonationē externam sine Physica mutatione illius, qui venialiter peccauit. Ita fatētur *Suar. & Coninch sup. Fagund. num. 5.*

42 Restat quæstio de facto. Videlicet vtrum Missæ sacrificium immediatè, ac ex opere operato peccata venialia iustis dimittat, dum ipsi non complaceant actualiter in obiectis venialiter prauis. Affirmant *Corduba, Paludan., Canus, & alii*, quos sequitur *Henriqu. lib. 9. cap. 13. num. 2. Nuñus 3. par. qu. 83. art. 1. concl. 6. Diana part. 3. tract. 4. resol. 39* Probatur, quia non minus prodest Missæ sacrificium ex opere operato venialiū remissioni, quam Sacramentalia, quæ talem habent efficaciam, vt cum aliis docent *Bellarm. de Sacram. lib. 2. c. 31. proposit. 3. Henriq. lib. 4. c. 15. n. 8. Diana sup. resolut. 61.* Nimirum si leuioribus animæ morbis adhibeantur leuiora remedia, quæ leuem, vel nullam requirunt dispositionem illius, cui vel aqua benedicta, vel Episcopi benedictio datur, vel Missæ sacrificium applicatur, & hęc sententia probabilis est, & fauorabilis, vt sentiunt *Fagundez supra num. 4. & alii.*

43 Cōmunior, & probabilior sētētia negat.

gat. Tenent *Suarez, Vazquez, Coninch, Bonacina, Fagundez supra. Cardinal. de Lugo disput. 19. num. 151. Martinon disput. 39. sect. 1. num. 4. Auersa qu. 11. sec. 6. §. communior tamen cum alijs.* Probatur, quia culpa venialis transacta præter reatum pœnæ relinquit in anima maculam aliquam libera voluntate contractam, quæ subindè, quamuis absolutè possit tolli per extrinsecam condonationem, non ita tamen congruentes naturæ rationali, quæ postulare videtur, vt qui liberè peccauit, liberè retractet peccatū, & vt maculæ per modum alicuius positiui fœdātes animam; Etiam per aliquid positiuū quodammodo contrarium tollantur. Igitur, vt modo proportionato venialia remittantur, oportet, vt homo resipiscat per aliquem actum virtutis tali culpæ contrarium, vel intrinsecus perficiatur per aliquod augmentum gratiæ iustificantis, quæ virtualiter includit repugnantiam cum veniali peccato.

Quia tamen non est denegandū Missæ, quod conceditur sacramentalibus, & valdè probabile fit, quod tradunt *Nuñus supra art. 3. difficult. 2. Diana par. 3. tractat. 4. resolut. 61. Auersa de pœnitentia quæst. 4. sect. 7. circa finem*, & satis indicat, *S. Thom. 3. part. quæst. 87. art. 3. videlicet*, posita dispositione nostra, quæ per se non sufficeret ad obtinendam remissionem venialium, per sacramentalia conferri; valdè quoque verisimile fit, oblationem Missæ pro remissione venialium, illam conferre, saltem præuia dispositione, quæ foret alioquin insufficiēs, & hoc saltem conuincere fundamētum primæ sententiæ. Nec obstat fundamentum secundæ, quandoquidem iam præsupponitur retractatio libera peccati siue formalis, siue virtualis, cuius tamen insufficientiam, & imperfectionem suppleat oblatio Missæ potiori iure, quam eamdem supplent sacramentalia.

44 Denique Missa valet ad impetranda bona temporalia, quatenus spiritualibus deseruiunt. Ita censent communiter Doctores, & satis indicat *Tridentin. sess. 22. cap. 2. et canon. 3.* docens, Missam non solum pro peccatis, & pœnis, sed etiam pro alijs necessitatibus offerri. Consonat Ecclesia, quæ Missam offert pro fructibus terræ, pro pace, pro infirmis, & in Canone dicit offerri pro spe salutis, & incolumitatis, & peculiariter adhibet orationes in Missa pro bonis temporalibus ad petendam pluuiam, & serenitatem, ad depellendam famem, tempestatem, pestem, &c. supponens vtique posse talia bona per Missam obtineri, quæ petitionem omnem reddit efficaciorem, & omnium bonorum impetrationem faciliorem, non tamen infallibilem, vt supra diximus *nu.* 10. Nam hæc bona non debent absolutè peti, sed solum, quatenus Deus viderit expedire. Fitque satis credibile, quando celebrans debitè petit, numquam omninò sua petitione frustrari, quin aliquid impetret magis expediens iuxta diuinæ voluntatis consilium, vt cum *Coninch, & Cardinali de Lugo dixi num. 11.*

CAP. IV. QVÆST. V.

Vtrum Missa conferat ex opere operato fructum aliquem omnibus offerentibus?

45 Svppono primò, duplicem distingui personarum habitudinem ad hoc sacrificium, scilicet offerentium, & illarum, pro quibus offertur, nam possunt hæ rationes separari, quod, si non numquam coincidant in eamdem personam, adhuc habitudines ad oblationem sunt diuersæ. Quare sigillatim videndum est, quid singulis sub proprijs rationibus correspondeat.

Suppono secundò, quæstionem procedere de fructu satisfactionis, nam quoad impetrationem non est dubium, quin omnis offerens, eo modo, quo Missam offert, impetrare possit, quantum est ex parte oblationis, cum de se fit actio dignissima, quæ magnam vim, & efficaciā addit precibus offerentium.

46 Suppono tertiò, iuxta superius dicta *ca. 3. num. 1.* dari tres, vel quatuor ordines

dines offerentium. Primus est Christus Dominus. Secundus est Ecclesia,& omnes fideles,quatenus eius membra sunt. Tertius Sacerdos celebrans. Quartus comprehendit omnes alios cum Sacerdote concurrentes ad offerendum.

Circa primum aliqui volunt, Missæ, quatenus offertur à Christo præcisè, respõdere fructum, quem pro libito Christus Dominus applicet alicui. Citatur *Scotus quodlib.* 20. Sed nec Scotus hoc asserit, nec asseri potest cum fundamento. Sicut enim Christus iam per se nullum sacrificium offert, ita nec huius fructum per se cuipiam applicat, sed per Ecclesiæ ministros: nec habet fructum distinctum ab eo, qui respondet oblationi Sacerdotis. Ita *Suar. tom.3.disp.79. sect.8 Filliuc.tractat.5.num.72. Coninch. quæst.83.num.*149.

47 Circa secũdum aliqui censent, Missam ex opere operato prodesse, quoad aliquam satisfactionẽ singulis fidelium ab Ecclesia non præcisis, quatenus omnes, vt Ecclesiæ membra Missam offerunt aliqua ratione per Sacerdotem. Indicat *Scotus supra.* Tenent *Henriquez lib.9.cap.17.num.3.& cap.18.num.3. Fagund.præcep.1.lib.3.cap.6.num.*17. & 24. Verum licet hæc sententia quamdam speciem pietatis præseferat, solido caret fundamento. Quoniam omnes fideles, quatenus præcisè sunt Ecclesiæ membra, valdè remotè concurrunt ad Missas, & per remotissimam habitudinem extrinsecam, quę non sufficit ad percipiendum fructum satisfactionis, sed solum illum generalem impetrationis, qua commune totius Ecclesiæ bonum, & præcipuè præcipuorum membrorum, nimirum Summi Pontificis, Antistitis, Imperatoris, aut Regis, qui nominantur in Canone, solet obtineri. Sic *Suar. supr. Coninch num.156.& 164. Cardin.de Lugo disp.19 num.237. Auersa de Eucharis. qu.11.sect.9.§.non videtur.*

48 Circa tertium conueniunt Doctores, oblationi, quam Sacerdos exhibet in persona Christi, respondere fructum satisfactionis ex opere operato, de quo diximus *supra quæst.*2. & loquitur *Sanct. Thom.3.par.qu.79.artic.*5. & 7. An vero, quatenus Sacerdos Missam offert, vt persona principalis, & cęteri cooperantes, & coofferentes, qui pertinent ad quartum genus; participent aliquem fructum satisfactionis ex opere operato? Negant *Vazquez 3.par.disp.231.ca.3. Coninch supra num.162. Cardin. de Lugo num.233.* Probatur; Nam illi dumtaxat sacrificio respondet fructus satisfactionis ex opere operato, cui Deus illum promisit, sed soli sacrificio, quod offert Sacerdos in persona Christi, promisit Deus talem fructum, nam ibi solum applicantur merita Christi Domini tamquam principalis offerentis, vt significat *Trident.sess.22.cap.*2. Ergo Missa solum, vt offertur in persona Christi, confert hunc fructum, non autem, vt offertur à persona particulari Sacerdotis, vel ab alijs eo offerentibus,& est sententia valdè probabilis.

49 Opposita vero probabilis etiã est, & pia, iuuans ad accendendum studium audiendi, procurandique Missas. Tenent illam *Caietanus, et Syluester,* quos sequitur *Suar. supra. Henriqu.lib.9.c.20.num.2. Bonac.disp.4.quæst.vltim.punct.4.nu.2. & 6. Layman lib.5.trac.5.cap.2. num.*18. *Filliuc.trac.5.num.72. Auersa supra §. & hæc pars,* qui citant alios. Videtur *palam docere S.Thomas 3.par.quæst.79.artic.*5. Vbi distinguẽs in Eucharistia rationem Sacramenti, quatenus sumitur, & rationem sacrificij, quatenus offertur, subdit. *Et ideo effectum Sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum autem sacrificij in eo, qui offert, vel in iis, pro quibus offertur.* Et in fine corporis concludit, hanc oblationem fieri satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. Ecce palam loquitur de fructu satisfactionis, & discernit fructum prouenientem ad offerentes,& fructum prouenientẽ ad eos, pro quibus offertur.

Vnde probatur primò. Quia, sicut Sacramentum confert fructum ex opere operato ratione sumptionis, ita sacrificium ratione oblationis; sed Sacramentum

tum confert ex opere operato suum effectum omnibus sumentibus. Ergo pariter sacrificium omnibus offerentibus.

Probatur secundò. Nam Christus potuit hanc vim Missæ tribuere, videturque conueniens attribui; tum, vt omnes excitarentur ad deuotiùs suo modo Missam offerendam, tum, vt audiens deuotè Missam, plus indè fructus percipiat ex opere operato, quam non audiens, pro quo Missa dicitur, in vtroque casu, non solum quoad impetrandum, vt omnes fatentur, sed etiam quoad satisfaciendum. Ergo verisimile fit, Christum hanc vim Missæ tribuisse.

50 Addunt huius sententiæ Doctores primò, hunc effectum requirere gratiam habitualem offerentium, & secundum ipsorum dispositionem, & deuotionem maiorem, vel minorem crescere, quod planè tradit *supra S.Thom.* & est commune recipientibus pœnæ remissionem ex opere operato. Quare cum offerentes isti recipiant hunc fructum, consequenter egent debita dispositione. Addunt secundò *Suar. supra*, *Granado 3. par. tract. 14. disp. 8. num. 5. Fraxin. sec. 3. prænotat. 3. §. 2. num. 4. & alii*. Sic istum effectum offerentibus impendi, vt alijs applicari nequeat. Nam hæc est conditio fructus ex opere operato prouenientis, vt sit veluti beneficium personale proueniens illi tantum, cui datum est. At *Caietan. in opusc. tom. 2. tract. 3. qu. 2. & Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1.* cum alijs, quorum sententiam dicit esse probabilem. *Diana par. 2. tract. 14. resol. 14. Nauar. ca. 25. num. 92. Filliuc. trac. 5. num. 181. Nuñus, Molfesius, Bordon.* quos sequitur *Auersa sup. §. dicendum tamen*, censent, alijs applicari posse, nam in Canone Missæ circumstantes dicuntur offerre sacrificium pro se, suisque omnibus. Ergo tàm aliis, quàm sibi possunt applicare, sicut Missæ fructum, quatenus offertur in persona Christi, potest Sacerdos sibi, vel alijs applicare. Maneat igitur vtraque pars probabilis, & studeant omnes frequenter Missis assistere, vel etiam cooperari. An vero possit Sacerdos hoc titulo duplex stipendium accipere? Dicemus *infra c. 12. qu. 4.*

CAP. IV. QVÆST. VI.

Pro quibus Missa possit offerri?

51 SVppono primò, principalem offerentem (quem diximus *ca. 3.* esse Christum) offerre non posse pro se ipso. Nam, vt inquit Apostolus *Hebr. 7.* non habet vllam necessitatem (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre: Ceteros vero Sacerdotes offerre posse pro semetipsis, cum egeant, & ipsi fructu sacrificij: posse quoque pro alijs offerre, vt constat ex *Paulo Hebr. 5. & ex Can. Missæ*, & ex ipsa natura sacrificij, quod pro alijs etiam institutum est. Quapropter in ordinatione datur sacerdoti potestas offerendi pro viuis, & defunctis, & hoc idem suo modo competit aliis coofferentibus, vt numero præcedenti visum est.

52 Suppono secundò, Sacerdotem, non solum posse, sed etiam debere Missam offerre pro tota Ecclesia Militante, ac omnibus eius membris, præcipuè pro præcipuis, quæ nominari solent. Debet enim Sacerdos se conformare Canoni Missæ, vbi dicitur sacrificium offerri pro Ecclesia Sancta Catholica, pro Papa, pro Antistite, vel etiam Rege, & omnibus Orthodoxis. Vbi noto istam obligationem non esse iuris diuini, nam ex illo nō habetur, sed ab Ecclesia imponi, dum illa verba præscribit. Quare Sacerdos, quatenus offert Ecclesiæ nomine, nec licitè, nec validè potest aliquem ab hoc generali fructu secludere, quia non potest intentionem Ecclesiæ mutare. Sic docent *Layman lib. 5. tract. 5 cap. 2. num. 16. Suar. tom. 3. disput. 78. sect. 2. Bonacin. disput. 4. quæst. vltim. punct. 5. num. 2. & 3. cum alys.*

53 An autem debeat Sacerdos non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem omnibus Ecclesiæ membris applicare? Videntur affirmare, quotquot triplicem fructum Missæ distinguunt.

Pri-

Primus est generalis, quem celebrans applicare debent cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, & Deus singulis distribuat iuxta proportionem sibi notam. Secundus est specialissimus proprius celebrantis, quem non tenetur alijs applicare, nec potest secundum aliquos, quãuis secundum alios possit, vt vidimus supra *num.*50. Tertius est medius, vel specialis, & competit eis, pro quibus Sacerdos offert Missam. Ita censent *Scotus, Adrianus, Sotus, Paludanus, Maior, & alij, quos sequitur Henriquez lib.*9.*c.*17. *num.*2.*cap.*18.*num.*3.*cap.*21.*num.*3.*Nauarr.cap.*25.*num.*92.*&* 111. *Azor tom.*1. *lib.*10.*cap.*20. *quæst.*9.*fine. Valent.tom.*4. *disp.*6.*quæst.*11.*punct.*1.§.25.*Fagund.præcept.*4.*lib.*7. *cap.*6. *n.*23. *Bonac.cum alijs supra punct.*4.*num.*2.*&* 9. Probatur nam commune sacrificium Ecclesiæ debet omnibus eius membris prodesse, sicut cibus in communem stomachum ingestus prodest omnibus corporis membris. Et quidem *Trident.sess.*22.*cap.*6. Missas illas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, probat, & communes censeri definit, quoniam à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro cunctis fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent, celebrantur. Partim consonat *Vazquez* 3. *part. disp.* 231.*cap* 6. *nu.*35. *& sequentibus*, quamuis enim illam communem diuisionem non omninò probet, putat, quo ad impetrationem, & satisfactionem offerri Missam pro cunctis, quia non potest vnus effectus, ab alio separari, si Missa simul applicatus.

54 Negant verò generalem istam applicationem, vel obligationem illius. *Suarez tom.*3.*disput.*79.*sect.*9. *Fillucius tractat.*5. *num.*77. *Coninch. quæstione* 83. *num.*156. *&* 169. *Cardinal de Lugo disputat.*19.*num.*221. *& alij Recensiores*. Probatur, nam ille fructus generalis satisfactionis omnibus, & singulis fidelibus ex singulis Missas proueniens nullo nititur fundamento firmo, nec enim colligitur ex iure diuino, nec ex verbis Missę; nam hæc solum significant orationem Ecclesiæ nomine faciendam pro cunctis, & oblationem generalem pro fidelibus vniuersis quó ad impetrationem. Confirmatur. Nam alias animæ defunctorum breuissime liberarentur omnes à Purgatorio, quin etiam viui, qui gratiam aliquandiu conseruassent, vix haberent pœnæ reatum, si fructum aliquem satisfactionis ex omnibus Missis reciperent.

Quare licet prima sententia sit pia, secunda videtur solidior, & probabilior, iuxta quam illa diuisio triplicis fructus capi debet de fructu in communi, vel impetrationis, quæ sola continetur in primo membro, vel satisfactionis quæ pertinet ad secundum, & tertium simul cum impetratione. Debet igitur celebrare orare pro cunctis Ecclesiæ membris, vt adiuncto sacrificio precibus, impetret efficacius omnibus, non solum alia bona, sed etiam pœnæ debitæ remissionem, saltem mediatè, iuxta superius dicta *n.*17.

55 Iam quæres primo. An possit Missa pro infidelibus offerri? Suppono dupliciter posse Missam offerri pro infidelibus. Primò scilicet indirectè, quando Missa dicitur pro dilatatione fidei, vel augmento Ecclesiæ, quod fit per infidelium conuersionem; & hic modus nõ solum est licitus, sed etiã vsitatus ab initio nascentis Ecclesiæ. Sic habetur ex antiquis liturgiis, & in nostro Missali ponitur Missa pro tollendo schismate. Secundò directè, cum Missa dicitur pro bono ipsorum infidelium, vel spirituali, vel temporali, vel in communi vel in particulari huius, vel illius prouinciæ, vel personę, de quo procedit quæstio.

Prima sententia negat; quia Missę sacrificium pro sola Ecclesia fuit institutum. Infidelis autem non sunt Ecclesię membra. Sic *Sotus in* 4.*distinct.*11.*quæst.* 2.*artic.*7. *Azor tomo primo lib.*10.*capite* 22.*quæst.*1.*Vazqu.*3.*part. quæst.*227.*ca.*3. *num.*224. Fauet *August.tom.*7. *lib.*1. *de origine animæ cap.*9. dicens. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt mẽbri Christi?* Secunda sententia negat quoad

satis-

satisfactionem cuius infideles incapaces sunt, & hoc probat fundamentum primæ sententiæ dumtaxat, affirmat vero quoad impetrationem. Ita *Bellarm. de Missa lib.2.cap.6. Suar. disp.78. sect.2. Coninch. quæst.83. num.160. Layman lib. 5. trac.5. ca.1. num.9. Boniac. cum aliis disp.4. quæst. vltim. punct.5. num.4.*

Probatur primò, quia nec est malum ex natura rei velle per Missam impetrare conuersionem infidelium, vel illa bona etiam temporalia, quæ conducant ad ipsorum salutem æternam, nec est à Deo prohibitum, vt patet, nec seclusis censuris hæreticorum, extat Ecclesiæ prohibitio.

Probatur secundò, ex vsu, nam in lege veteri solebant offerri sacrificia pro Gẽtilibus 1. *Esdræ 6. pro salute Darii* 1. *Machab.12. pro Spartiatis lib.2. cap.3. pro salute Heliodori*, & in lege 1. *ad Timoth.* 2. Præcipit Apostolus fieri obsecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt (quales tunc Gentiles erant) quem locum de precibus etiam, quæ Missæ cõiunctæ sunt, intelligere videntur Patres, vt expendunt *Suarez, et Layman.* Item in oblatione Calicis precamur diuinam clementiam, vt in conspectu diuinæ maiestatis pro nostra, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat. Totus autem mundus etiam infideles comprehendit.

56 Hanc secundam sententiam amplector, quam etiam confirmat praxis piorum, qui versantur inter Infideles, & orant pro ipsorum conuersione, collectæque communi addunt Sacerdotes in America. *Gentes Indorum gratia tua illuminentur*: quæ verba per Ecclesiam approbata sunt publico ritu, & praxi. Similiter in nostra Societate singulis mensibus facimus ex præscripto Superiorum vnum Sacrum pro cõuersione gentium, & Indorum, alterum pro reductione hæreticorum, & pro regionibus Septentrionalibus. Et quamuis tutius sit directè semper attendere Fidei dilatationẽ, vt notant *Bellarmin. & Fagund.* satis tutum est directè precari bonum spirituale infidelium, & etiam temporale, quod non ad oppugnationem Ecclesiæ, sed ad ipsorum infidelium salutem spiritualem conducat, vt fatentur Authores secundæ sententiæ. Videatur etiam *Fillinc. tract. 5. num.48.*

57 Quæres secundò. An quo Catechumenis possit offerri Missa? Prima sententia simpliciter negat. Ita *Bellarmin. tom. 2. controu.3. lib.2. de Purgatorio ca.18. ad tertium Azor tom.1. lib.10. cap.22. qu.2. Vazquez 3. part. disp.227. ca.3.* Probatur, quia Missæ sacrificium est proprium fidelium. Fideles autem propriè dicuntur, qui portas Ecclesiæ per baptismum intrarunt, & Christi corpori sunt visibiliter annexi. Non ergo potest Missa pro Catechumenis offerri nondum baptizatis, qui nondum sunt visibiliter membra Christi. Quo sensu dixit *August. post verba supra relata numer.55. Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* Ideo *Chrysostomus homil.3. in Epistol. ad Philiph.* docet Cathecumenos non iuuari Missæ sacrificio, & *Concil. Brachar.1. cap.35.* decernit, vt Catechumenis, nec oblationis Sanctæ commemoratio, nec psallendi impendatur officium.

58 Secunda sententia fatetur, Missam Catechumenis non prodesse quoad satisfactionem, & hoc solum conuinci fundamento primæ sententiæ, nam cum hic sit infallibilis Missæ fructus dumtaxat, quib. fructus satisfactionis ex opere operato denegatur, solet absolutè denegari fructus Missæ: verum illis pro prodesse quoad impetrationem, quam etiã vocamus ex opere operato, & nuper diximus, infidelibus esse communem. Sic *Henriquez cum aliis lib.9. ca.15. num.5. Suar. tom.3. disp.78. sect.2. Fillinc. tract.5. num.45. Cardin. de Lugo disp.9. num.166. & 137. Laym. supra num.8. Auersa quæst. 11. sect.10. §. Dicendum tamen est.*

Probatur primò. Nam Ecclesia solebat olim sacrificare Cathecumenis, vt ex Patribus, & ordine Romano colligit *Suarez.*

Pro-

Probatur secundò, quia licèt Catechumeni non sint Ecclesiæ membra per baptismum, & characterem coniuncta, tamen vniuntur Ecclesiæ per fidem, & fortè viuunt per charitatem. Ergo licet non subdantur Ecclesiæ quoad vim coactiuam, pertinent ad Ecclesiam quoad fauores, qui semper ampliādi sunt. Quare dum Ecclesia Missam offert pro cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, videtur hos etiam Catechumenos pietate materna comprehendere.

Pro decisione suppono, Catechumenos alios esse competentes, qui sic petunt baptismum, vt per ipsos non stet illicò baptizari, alios vero incompetentes, qui fidem audiunt, & discunt, sed ex mera negligentia baptismum non petunt, aut non recipiunt. Sic ex Patribus distinguunt *Bellarmin. lib. de baptis. cap. 25. Fagund. præcept. 1. lib. 3. cap. 12. num. 28. et sequentibus*. Itaque certum est primò, impetrationem, quatenus prouenit ab ipso celebrante, vel alijs coofferentibus ex opere operantis prodesse cunctis Catechumenis, cum talis oratio, vel impetratio neminem excludat. Ita fatetur etiam *Vazquez supra nu. 33.* docet *Cardin. de Lugo num. 165*. Certum est mihi secundò, pariter impetrationem Missæ, quam vocamus ex opere operato, prodesse posse cunctis Catechumenis, sicut asserit secunda sententia, & probat sufficienter.

Satisfactionem Missæ negant applicari posse Catechumenis. *Suarez, Layman, Auersa, Cardin. de Lugo sup. nu. 166.* Quia fructus infallibilis signorum visibilium, qualia sunt sacrificium, & Sacramenta, non communicatur nisi membris Ecclesiæ visibilis nimirum per baptismum visibilem constitutæ.

Confirmatur, nam ideo non prodesse Catechumenis indulgentias, docent *Suar. tom. 5. disp. 53. sectio. 4. num. 8. Coninch. disput. 12. dub. 10. fine. Fillsuc. tr. 8. num. 214. Bonac. disp. 6. qu. 1. pun. 5. nu. 2.* quia nemo censetur capax remissionis pœnæ, seu satisfactionis ex opere operato, nisi susceperit baptismum, & est sententia communis, valdèque probabilis.

Alii quoad Catechumenos defunctos distinguunt, & pro Catechumenis incompetentibus, qui culpa sua sine baptismo discedunt, asserunt non posse Missas offerri. Nam hi præsumuntur in mortali decessisse, meritòque prohibet Ecclesia pro his Missas offerri. Sic intelligit *Sixtus Senensis libr. 6. Biblioth. annotat. 331. Canonem Concilii Bracharensis, et Chrysostomum pro prima sententia relatos*, dicit enim Ecclesiam eo tempore denegasse Missas, & orationes publicas defunctis Catechumenis, negligentes essent in recipiendo baptismum, neve differrunt illum ad vitæ finem. At pro Catechumenis competentibus in gratia defunctis offerri posse Missas, quæ prosint eisdem quoad satisfactionem etiam operis operati; nam Ecclesia pro cunctis fidelibus defunctis concedit offerri Missas, & in Canone meminit omnium, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, vel in Christo requiescunt. Ita docent *Henriquez lib. 9. cap. 15. num. 5. Fagund. supra num. 29. & 30.*

60 Confirmatur primò. Nam *Innocentius Tertius in cap. Apostolicam de Presbytero non baptizato, iussit hostias, & preces offerri pro non baptizato*, & *Ambro. in oratione de obitu Valentiniani Catechumeni hortatur, vt pro eius anima sacrificia offerantur*.

Confirmatur secundò, nam indulgentiæ possunt applicari Catechumenis, vt docent *Nauarrus, & Manuel*, quos sequitur *Fagund. supra Henriqu. lib. 7. cap. 18. num. 3. Sà verb. Indulgentia n. 2.* Ergo Missæ pariter poterunt applicari, cum par sit vtrobique ratio. Quare probabilis videtur hac pars, etiam quoad Catechumenos viuentes, vt indicat *Fagundez, & quoad indulgentiam citati Doctores*; eadem siquidem in illis militat ratio, nimirum quia sunt membra Christi viua, & eandem cum cæteris membris vitam fidei formatæ participant.

61 Quæ-

61 Quæres tertiò, an Missa possit offerri pro excommunicatis? Prima sententia negat. Ita *S. Thomas, Sotus, Couarru.* quos sequitur *Suarez tom. 3. disput. 78. sect. 2 fine ac tom. 5. disput. 9. sect. 2. num. 3. & 17. Filliuc. tractat. 5. numero 49. & tractat. 12. numero 40. Vazquez tomo 4. tractat. de excommunicatione dub. 2. num. 3. Bonac. de Sacrament. disput. 4. quæst. vltima punct. 5. num. 2. & de cens. disp. 2. quæst. 2. punct. 1. §. 1. num. 1. & §. 3. num. 5. Azor tom. 1. libr. 10. cap. 22. qu. 3. fine.* Probatur, nam standum est antiquo iuri, dum oppositum in nouo non decernitur. Sed ius antiquum omnes excommunicatos priuat communibus Ecclesiæ suffragijs in *cap. A nobis* 28. & *ca. Sacris* 38. de sententia excommunicationis, nec contrarium apparet iure nouo dispositum quoad toleratos: nam extrauagans *Ad euitanda*, nullum fauorem concedit excommunicatis: maximus autem illorum fauor esset, si cæteris fideles possent Missas toleratis applicare. Confirmatur, nam alias destrueretur excommunicationis essentia consistens in hoc, quod excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragijs.

62 Secunda sententia docet, pro toleratis offerri posse Missam. Quia post extrauagantem *Ad euitanda* tam in diuinis, quàm in humanis possumus cum ipsis communicare, ministrosque Missæ ipsos adhibere, vnde tanquam astantes, & coofferentes participent Missæ fructum; possumus illos in loco sacro sepelire; officium vero sepulturæ comitantur preces, & Missa portali defuncto. Sic censent *Nauarr. Henriqu. Vgolin. Grassius*, quos sequitur *Cardin. de Lugo num. 187. Conninc. disp. 14. num. 40. Reginaldus lib. 32. num. 79. Auersa quæst. 11. sect. 10. §. Decimo tandem.*

In hac quæstione certum est primò, posse Missam offerri pro quibuslibet excommunicatis indirectè, quatenus offertur directè pro Prouincijs infectis hæresi, vel pro viris Apostolicis, qui procurant reductionem excommunicatorum. Hoc enim nullibi prohibetur.

Certum est secundò, posse celebrantem suo nomine tanquam personam priuatam orare, vel etiam offerre Missam pro quolibet excommunicato, etiā non tolerato, quatenus actio sacrificandi est opus operantis habens, vt sic vim impetrandi, vel etiam satisfaciēdi. Quoniam hoc non est prohibitum ab Ecclesia, sed solum publicum sacrificium, vt offertur nomine Christi, vel Ecclesiæ, cum communibus Ecclesiæ suffragijs. Conueniunt in his vtriusque partis Doctores.

Certum est tertiò, pro non toleratis non licere Missam offerre, quoniam grauiter præscribit Ecclesia, ne Sacerdos in nomine Christi, vel Ecclesiæ Missam offerat pro illis. In hoc etiam conueniunt Doctores, & communiter addunt. Si Sacerdos de facto celebret pro non toleratis, vt Ecclesiæ personam gerit, applicationem Missæ non valere, vt autem gerit Christi personam, applicationem (quamuis illicitam) valere, si subiectum sit capax.

Nam Ecclesia sua prohibitione tollit omnem fructum sacrificij, qui suo nomine prouenire posset non toleratis; non vero potest tollere fructū nomine Christi prouenientem, nam hic pendet solum ab applicatione celebrantis in persona Christi. Quoad toleratos secunda sentētia probabilis est ob authoritatem tantorum virorum, & ob speciem pietatis, quam præsefert. Verum cum extrauagans *Ad euitanda* solum attendat fauorem fidelium, qui nimirum possint sine periculo peccandi communicare cum toleratis, quando sibi fuerit opus, respicere videtur potius communicationem externam, quàm internam, videlicet quoad auditionem Missæ, receptionem Sacramentorum, recitationem officij diuini, vel similia, cum quib., quia sæpè miscentur preces communes, extendetur concessio ad orandum, & impetrandum pro toleratis; Cæterum quoad applicandam ipsis satisfactionē Missæ nomine Christi, vel Ecclesiæ, non video quomodo possit extendi, nec quod illa

illa satisfactio conducat ad vitanda pericula fideliũ. Quare per intrinseca principia magis adhæreo primæ sententiæ, quoad fructum satisfactionis.

63 Pro peccatoribus etiam publicis potest offerri Missa quoad impetrationem bonorum spiritualium, vel etiam temporalium, quæ conferant ad animæ salutem. Sic in Missali peculiariter orationes habentur pro peccatorum expiatione, nimirum, vt virtute Missæ conferantur peccatoribus auxilia gratiæ peculiaria tàm ad conuersionem, quàm ad euitanda noua peccata per obseruantiã præceptorum, vt simul etiam excitentur Angeli custodes ad orandum Deum pro suis alumnis, vt impediatur Diabolus, ne plus nimio noceat, vel tentet, neve ligatos teneat homines in continuò criminis affectu. Quoad satisfactionem non prodest illis, quia non sunt capaces. Ita *Suar. tom. 3. disp. 71. sect. 2. Henriquez lib. 9. cap. 15. num. 2. Vazqu. disp. 227. nu. 4. & 25. Auersa qu. 11. sect. 10. §. 7. multo, & communiter Doctores.*

Infantes quoque, licet sint incapaces satisfactionis, possunt ex Missa recipere fructum impetrationis. Ideo *Clemens Roman. lib. 8. constit. ca. 10. alias 13. circa finem*, iubet, in Missarum solemnijs orare pro infantibus, vt eos Dominus perfectos in timore suo reddat, & ad mensuram ætatis perducat. Energumeni, si sint adulti, & iusti, fructum etiam satisfactionis percipient. *Concilium Elsberitanum ca. 29.* Solum prohibet, Energumenos Missæ ministrare, vel eorum nomen ad Altare cum oblatione recitari, qui propter publica peccata traditi fuerant potestati Dæmonis, nã de cœteris energumenis fidelibus *cap. 37.* decernit, non esse negandam ipsis communionem, nõ igitur denegandus erit fructus satisfactionis ex Missa proueniens. Ita *Suarez supra Fillinc. tract. 5. num. 44. Laym. n. 6.* & alij communiter.

64 Pro defunctis existentibus in Purgatorio posse Missam offerri, definit *Trid. sess. 22. c. 2. & Canon. 3.* Consentiunt Patres, & Doctores Catholici contra Nouatores. Videatur *Bellarmin. tom. 3. li. 2. de Missa c. 7.* Confirmat consuetudo totius Ecclesiæ per inuiolatam traditionẽ ab Apostolis deriuata. Cõprobat ratio. Nam animæ Purgatorij sunt membra viua corporis Ecclesiæ, torquentur pœnis pro reatu peccatorum. Ergo iuuari possunt sacrificijs, quorum fructus satisfactionis ipsis applicetur infallibili lege, iuxta superius *dicta q. 2. n. 15.*

Pro defunctis damnatis non potest offerri Missa, cum enim sint extra salutis statum, & incapaces omnis beneficij gratuiti, nec satisfactionem, nec impetrationem missæ participare possunt. Ita *S. Thom. 3. par. quæst. 52. art. 3. Bellarm. supra cap 6. Vazquez disp. 227. cap. 5. & omnes communiter.* Impropriè dicitur, interdum offerri Missa pro Sanctis beatis, non quoad satisfactionem, qua non egent, nec directè quoad impetrationem gloriæ accidentalis inter me: nam hæc habet in singulis beatis determinatam legem, quæ directè non pendet ab orationibus nostris, sed quoad agendas gratias Deo pro beneficiis in beatos collatis, & ad ipsos Sanctos honorandos, & inuocandos. Ita *Vazq. sup. Bellarmin. cap. 8. Fagund. precep. 1. lib. 3. ca. 11. cum communi sententia.*

CAP. IV. QVÆST. VII.

Quid requiritur in ijs, pro quibus Missa dicitur, vt eius fructum percipiant?

65 QVatuor communiter requirũtur, scilicet, capacitas, status, indigentia, dispositio. Capacitas confertur communiter per Baptismum, sed iã vidimus *qu. preced.* quoad impetrationem prodesse non baptizatis, & infidelib., & forsan etiam quoad satisfactionem Catechumenis cõpetentibus. Status requiritur viatoris, quo nomine comprehenduntur etiã animæ Purgatorii, quia nondum ad vltimum gloriæ terminum peruenerunt, vt vidimus *nu. preced.* & ostendit latè *Suar. disp. 79. sect. 10.*

Tertiò requiritur indigẽtia, videlicet, vt illi pro quibus sacrificium offertur, habeant aliquem reatum pœnæ temporalis ex culpa remissa relictum, vt Missæ satisfactionem participent. Quia si culpa nondum sit remissa, non remittitur pœna talis culpæ. Nec enim institutioni Missæ, nec rationi consonum est, vt stante culpa remittatur eius pœna. *Sic Suar. supra Fagund. precept. 1. libr. 4. capit. 1. num. 19.*

66 Si verò non solum culpa, sed etiam tota pœna remissa sit, ita vt nullum habeat reatum ille, pro quo Missa dicitur, Iudicant aliqui, prodesse nihilominus illi Missam, quo ad satisfactionem, quę maneat in acceptatione diuina eidem applicata pro tempore futuro, quo fuerit necessaria, sicut satisfactio, quam Christus Dominus exhibuit per sacrificium cruẽtum, acceptata fuit à Deo pro peccatis omnibus in posterum committendis. Certum tamen est, non prodesse, nec in futurum reseruari, nam ex communi diuinæ prouidentiæ modo per ordinaria media, quamuis diuinitus instituta, non reseruatur ante commissam culpam remissio pœnæ, qua satisfiat pro futuris culpis, alioquin impunè postea peccare possemus ex certitudine satisfactionis applicandæ. Idem est in satisfactione, quam Sacramenta conferunt ex opere operato, & in satisfactionibus ex opere operantis, quæ non reseruantur in futurum, si tunc necessariæ non sint. Singulare fuit in Passione Christi, vt acceptaretur pro futuris peccatis, quia valor passionis infinitus erat, & Christus semel tantum pati debuit, vt opus redemptionis perficeret. *Ita Suar. supra. Vazq. 3. part. disput. 231. numer. 51. fine. Fagund. cum alijs eo num. 19. Filliuc. tractat. 5. nu. 83. Bonac. disput. 4. quæst. 2. lit. punct 5. n. 5. Cardinal. de Lugo disp. 19. nu. 209. Auersa quæst. 11. sect. 10. §. Nono si.*

67 Quare prouidum consilium est, vt celebrans pro aliquo determinatè, consequenter intendat, vt si talis non indiget, vel non sit capax, satisfactio proueniat in alium, & alium, ita vt nunquam frustretur. Impetratio verò Missæ prodesse poterit etiam pro necessitatibus futuris, pro quibus orare possumus, & orabat Dauid Psalm. 70. dicens. *Ne projcias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Similiter ergo poterimus offerre sacrificium hodiernum ad impetrandum diuinum auxilium pro futuris necessitatibus. Ita docent *Cardinal. de Lugo, & Auersa supra.*

68 Hic quæri potest: An expediat alicui, dum viuit, facere sibi celebrare Missam, & Officium Defunctorum. Affirmant *Lucas Pinellus de Miss. part. 2. cap. 7. dub. 3.* qui testatur, sic esse praxi receptum in Lotharingia. Sic etiam fecisse Carolum Quintum, & alios narrant historiæ. Consonant *Bartholomeus à Sancto Fausto. Laurent. de Peyrinis. Nauarrus. Homobonus, & alij, quos refert Diana part. 5. tract. 13. resolut. 2.* Probant, nam hæredes sæpè negligentes sunt in his suffragijs faciendis, ac proindè securior videtur esse fructus, si alia suffragia præmittantur ante mortem. Dicendum tamen est, nullatenus id expedire, nec talem morem vllibi permittendum esse. Sic censent *Diana supra. Auers. quæst. 11. sect. 12 §. imo. Layman lib. 5. cap. 2. nu. 15. Francisco de Nigro in addition. ad Ruiz part. 2. regul. 3. quæst. 5.* refert pro hac sententia *Puteum, & Trimarchium.* Probatur primò, nam dicere Missam, vel Officium Defunctorum pro viuis, verè dissonat ritibus Ecclesiæ Romanæ; nec possunt illæ preces, nisi nimis impropriè viuis applicari, nec potest Sacerdos intentione sua principali mutare intentionem Ecclesię, quę Missam de Requiem, & Officium funebre pro Mortuis instituit, & pro ipsis dũtaxat præscribit dicendum; nec vult offerri pro viuis, vt ex collectis, & cæteris verbis adhibitis satis constat. Probatur secundò, nam Missæ fructus quo ad impetranda diuina beneficia, vel auxilia viuentibus necessaria, maior, & securior viuis proueniet ex Missis, quæ pro talibus necessitatibus spiritualibus, aut temporalibus institutæ sunt, quam ex

Missis

Missis defunctorum; quoad satisfactionem pro peccatis solum proderit ad remissionem pęnę debitę iam antea commissis, & remissis, & hic fructus pariter habebitur per aliam Missam, nulla vero proderit pro remissione pœnæ, quę debebitur peccatis postea committendis, pro quibus, si manet aliquis reatus tempore mortis, erunt sanè necessaria sacrificia, & suffragia post mortem applicanda. Quare semper nocebit hæredum negligentia, quamuis à viuente præmissum sit officium funebre cum Missa defunctorum.

69 Quartò requiritur dispositio, sed certum est, quoad impetrationem prodesse Missam etiam peccatoribus, vt *diximus num. 630. quoad satisfactionem, Scotus, & alij apud Vazquium 1.2. disput. 141.* qui censent, pœnam debitam peccatis condonatis posse remitti peccatori, quamuis habeat mortale peccatum habituale, vel etiam actuale, consequenter asserunt, idem per oblationem, & applicationem Missæ contingere, nec vllâ dispositionem ad hunc effectum requiri. Communis vero sententia docet requiri gratiam habitualem in illo, cui remissio pęnæ temporalis ex opere operato conferenda sit. Nam existens in mortali nō est capax satisfactionis, quæ solū est beneficium amicorum, nec est, cur ad inimicos extendatur. Ita *S. Tho. 3. part. qu. 79. art. 7. ad 2. & cum illo Thomistę. Suar. tom. 3. disp. 79. sect. 10. Fillluc. tract. 5. nu. 83. Vazq. 3. par. disp. 231. num. 43. Coninc. quæst. 83. n. 145. & 165. Cardinal. de Lugo num. 194.* Non tamen obest veniale peccatum, cum nō impediat gratiam habitualem, nec per consequēs remissionem pœnæ temporalis alijs peccatis remissis respondentis. Ita *Suar. supr. Filliuc. num. 84. Vazqu. num. 45.*

70 Petes primò. Vtrum hic effectus detur recedente fictione, quando per obicem peccati fuit impeditus? Affirmant *Nauarrus tractat. de oratione cap. 19. num. 74. Henriqu. lib. 9. cap. 13. num. 1. cap. 15. num. 2. cap. 18. num. 7. Fagundez Præcept. 3. Ecclesiæ lib. 3. cap. 12. num. 17.* Probatur à simili Sacramentorum, quæ recedente fictione recipientium conferunt suum effectum. Igitur idem Missæ tribuendum est in maiorem ipsius commendationem. Communis, & vera sententia, negat *Suarez supra Vazqu. num. 51. Coninch. num. 165. Bonac. de Sacram. disput. 4. quæst. vlt. punct. 5. num. 5. Cardinal. de Lugo num. 195. Fagundez mutans sententiam lib. 4. cap. 1. num. 25.* Probatur, nam id est singulare priuilegium Sacramentorum nouę legis, quod sine fundamento non debet ad Missam extēdi; Cum enim Missę sacrificiū oblatum pro iustis, qui tunc non egent satisfactione, nō illis referuet remissionis fructum pro tempore, quo post modum indiguerint, vt ostendimus *n. 66.* multò minus reseruabit hunc fructum peccatoribus pro tempore, quo resipuerint. Per quod soluitur fundamentum contrarium.

71 Petes secundò An requiratur peculiaris intentio, vel acceptatio illius, pro quo Missa dicitur, vt recipiat eius fructum. Conueniunt DD. non requiri formalem consensum, nec actualem intentionem, vel attētionem, vel acceptationem, vel deuotionem illius, cui remissio pęnæ temporalis applicatur. Vnde quāuis dormiat, aut ignoret, aut non aduertat, obtinebit hunc effectum, sicut cū applicatur satisfactio iustorum ex opere operantis. Fit. n. talis applicatio non per aliquam actionem recipiētis, sed per solam intentionē externam applicantis.

Adhuc *Suar. sup.* videtur requirere cōsensum, saltem virtualem, aut interpretatibus recipientis, qui nulli deest, vt ipse putat. At infertur indè, si quis positiuè dissentiat, & actualiter nolit recipere pęnæ remissionem, non recepturum illā. Cuius oppositum docent, *Card. de Lugo n. 196. Martin. to. 4. disp. 39. n. 27. Auersa q. 11. sec. 10. §. Quinto nec*, dicētes, quamuis is, pro quo sacrum fit, positiuè nolit, remitti sibi pęnam, nihilominus remittendum esse, quia non possunt homines priuare Missam effectu suo, sicut nec baptismum, nec martyriū, dum cętera requisita subsistant.. Et hoc etiam certissimum

simum est quo ad impetrationem, quippè pro recusantibus iuuari precibus, & sacrificijs possumus vtiliter deprecari Deum, vt illos emolliat, & ad viam salutis virtute Missæ reducat, quantumuis rebelles, & reluctantes.

CAP. IV. QVÆST. VIII.

Vtrum effectus Missæ crescat ex meliori dispositione recipientis?

72 NEgat absolutè *Suar. to.3. disp.79. sect.*10. & probat, nã hic effectus totus pẽdet ex intẽtione Sacerdotis applicantis Missam. Ergo tantũ est, quantum vult Sacerdos, & non pendet ex dispositione recipientis, nam is habet se quasi donatarius; donatio verò mensuratur ex sola voluntate donantis, non ex dispositione donatarij. Cõfirmatur, nam quoties vnus applicat alteri satisfactione sui ieiunij, talis satisfactio mensuratur solum ex applicante, non ex illius dispositione, cui applicatur. Consonat *Coninch. q.83. n.*171. quo ad fructum satisfactionis. Quia, cum remissio pœnæ fiat per solam externam condonationem, nec conferat aliquid positiuum intrinsicè perficiens recipientem, non pręrequirit dispositiones aliquas, quarum vna sit alia melior: secus est de Sacramẽtis, quæ cõferunt gratiam habitualem, ad quam prærequiritur dispositio, quæ potest esse maior in vno, quàm in altero. At *nu.*172. subdit, quo ad impetrationem gratiæ præuenientis, satis esse probabile, communiter hunc effectum esse maiorem in melius dispositis. Quippè, licet Deus magis indispositos interdum maioribus auxilijs præueniat ad ostensionem misericordiæ suæ, communiter in conferendis auxilijs attendit recipientis dispositionem, & illũ potius, & efficacius excitat, quem videt hic, & nunc ad pietatem aptiorem.

73 Absolutè negant cum *Suario Filiuc. tract.5. nu.*84. *Fagund. pracep.*1. *lib.*4. *c.*1. *nu.*22. citant pro se *S. Thom. in.4. dist.*45. *q.*2. *art.*4. *quæstiu.*1. dicentem, suffragium, quod alicui prodest ex alterius applicatione, pendere totum ex applicantis intentione, nõ ex dispositione recipientis, nisi quo ad hoc solum, vt obex non ponatur. Vndè formatur alia ratio. Quia, quoties dispositio requiritur solum, vt remouens prohibens, nihil refert ad effectum maior, vel minor dispositio, dummodo quælibet illarum totum impedimentum auferat.

74 Probabilius est quoad impetrationem, & satisfactionẽ effectum Missę crescere, vel decrescere iuxta maiorem, vel minorem dispositionem illius, pro quo Missa dicitur. Etenim quoad impetrationem, qui melius est dispositus, cęteris paribus aptior est, vt, quod pro illo petitur, impetretur. Quo ad satisfactionem verisimilius est, & pietati magis consentaneum, vt plus pęnæ temporalis remittatur ei, qui cæteris paribus melius dispositus est. Sicut Sacramenta melius agunt in melius dispositis, non solum quoad infusionem gratiæ iustificantis, sed etiam quo ad remissionem pœnæ temporalis. Non enim apparet sufficiens diuersitas inter effectum Sacramentorum, & sacrificij, cum vterque detur ex opere operato per applicationem meritorum, & satisfactionis Christi, quæ possunt inæqualiter appplicari secundum dispositionem recipientis. Ita censent *Syluester. Sotus. Corduba*, quos sequitur *Auersa qu.* 11. *sect.*10. §. *octauo stante. Cardin. de Lugo disp.*19. *n.*200. *Martinon. to.*4. *disp.*39. *nu.*28. *& videtur aperta sententia S. Thom. qui* 3. *p. q.*78. *ar.*5. docet, Missam esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem deuotionis, *& art.*7. *ad* 2. inquit. *Illis tamen prodest plus, vel minus secundum modum deuotionis eorum.*

75 Nec oppositum docuit *Angelicus Doctor in* 4. *dist.*45. (vt putant aduersarij) nam ibi loquitur de satisfactione, quæ prouenit ex opere operantis, & applicatur alteri: nec habet maiorem valorem pro meliori dispositione illius, cui applicatur. Totum enim valorem suum accipit ab honestate operantis, quę cum

sit

sit finita, non potest dare maiorem, & maiorem effectum sine termino. At Missæ valor, pro vt Christo respondet, non habet hunc limitem, sed applicari potest ad maiorem,& maiorem effectum;& ita creditur applicatus ad effectum quidem finitum, determinandum tamen iuxta dispositionem illius,cui confertur. Vnde facile soluuntur opposita fundamenta. Nam hæc donatio satisfactionis tam in Missa, quàm in Sacramētis fit secundum applicationē Christi Domini proportionatam dispositioni recipientis, & quamuis sit extrinseca condonatio, potuit sic commensurari,sicut commensuratur remissio pœnę collata per Sacramentum ex opere operato. Quare dispositio recipientis nec in Sacramentis, nec in Sacrificio requiritur solum, vt remouens prohibens, sed simul,vt aptans recipientem ad tantam, vel tantam pœnæ remissionem.

CAP. IV. QVÆST. IX.

Vtrum Missæ valor sit infinitus?

76 SVppono primò, distingui valorem ab effectu, nam valor significat dignitatem moralem huius oblationis, vt sufficere possit ad meritum, satisfactionem,& impetrationem,si iuxta diuinam institutionem ad aliquod horum referatur. Effectus autem est id,quod de facto datur,vel dari potest iuxta diuinam institutionem,quę completā vim proximam producendi talem fructum tali sacrificio contulerit. Et quidem valor Missæ,quatenus est opus operātis proximi (nempè Sacerdotis, vel aliorum cooﬀerentium) finitus est,sicut aliorum operum. Nam vt docet *Sanct. Thom. 3. part. quæst. 79. articul. 5.* in hac oblatione magis attenditur offerentis dignitas, & deuotio, quæ finitæ sunt in hoc casu, quam dignitas-seu quātitas rei oblatæ. Alioquin oblatio, qua B. Virgo suum Filium obtulit in templo,valorē habuisset infinitum, vt expendit *Cardinal. de Lugo num. 254. V. Lugo de Sacramentis.*

Rursus ab Ecclesia non accipit Missa valorem ad merendum, vel satisfaciendum, nam Ecclesia non exercet libertatem actualem in singulis Missis, sed solum ad impetrandum: nam ad hoc sufficit manifestatio voluntatis mediata per ministrum,vel internuncium,& hic valor etiam est finitus, nam Ecclesiæ dignitas est finita. *Sic Suar. tom. 3. disput. 79. sect. 11. Filliuc. tractat. 5. numer. 83. & 87. & alij communiter.*

77 At valor Missæ, quatenus offertur à Christo principaliter, & à Sacerdote Christi personam gerente, valorem habet infinitum. Quia tunc tam res oblata, quàm primarius offerens est Christus Dominus habens infinitam dignitatem, & sanctitatem ob hypostasim diuinam, vnde sufficientem habet proportionem, vt institui possit ad infinitum effectum operandum. *ita Suar. supra Coninch. quæstion. 83. num. 179.* nec dissentiunt alij,qui confusè non nunquam loquuntur, quia non satis distinguunt valorem, & effectum Missæ, sed verè de valore non est quæstio, tota versatur circa fructum.

78 Et suppono secundò, fructum Missæ posse dici, vel infinitum intensiuè, vel extensiuè, vterque rursus sumi potest categorematicè, vel syncathegorematicè: fructus esset infinitus intensiuè cathegorematicè,si simul remitteretur debitum infinitæ pœnæ simpliciter, vel impetraretur aliquid infinitum simpliciter, sed neutrum vnquam contingit, & ideo conueniunt Doctores Missæ fructum esse intensiuè cathegorematicè finitum. Quia Deus noluit, conferri per Missam infinitum simpliciter effectum, sed finitum,& determinatum, quem ipse nouit, & nos colligimus ex Ecclesię praxi, plures Missas applicantis eidem, quia scilicet sentit vnicam, non semper conferre totius pœnæ remissionem, vel totius petitionis impetrationem. Ita *S. Thom. in 4. distinct. 45. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncul. tertia ad secundam*, dixit, non valere Missam vnicam ad liberandum quemlibet à Purgatorio, licet contineat rem infinitam, quoniam habet effectū deter-

minatum, congruè vero sic factum est, vt magis homines allicerentur ad Missas frequentandas. Consonant *Suar. supra Filliuc. num.* 85. *Coninc. num.* 191. *Bonac. cum aliis disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 4.

79 Dici potest hic fructus infinitus intensiuè syncathegorematicè, quatenus crescere potest quoad satisfactionem iuxta dispositionem eorum, quibus applicatur, vt diximus *sup. num.* 47. & sicut dispositio crescere potest sine termino; sic pariter remissio pœnæ crescere potest in infinitum. Similiter quoad impetrationem crescere potest in infinitum, quatenus numquam possumus aliquid petere, quo non possimus petere, ac impetrare maius aliquid, si nimirum offerentium deuotio, vel multitudo crescat, siquidem singulis coofferentibus correspondet particularis fructus impetrationis, & satisfactionis minor, vel maior secundum minorem, vel maiorem ipsorum dispositionem, vt dicebamus *supra quæst.* 5. Ita *Vazquez* 3. *par. disp.* 230. *nu.* 15. *Coninch. quæst.* 83. *num.* 187. *Cardin. de Lugo num.* 242. *Auers. quæst.* 11. *sect.* 9. §. Et intelligitur.

80 Extensiuè diceretur infinitus Cathegorematicè fructus Missæ, si videlicet simul infinitis hominibus pœna finita remittatur, vel bonum aliquod infinitum impetretur, & cum numquam dentur infiniti homines simul, certum est non dari Missæ fructum extensiuè Cathegorematicè infinitum. Restat difficultas, an Missæ fructus sit infinitus extensiuè syncathegorematicè, videlicet an oblata Missa pro multis, ita singulis prosit, ac si pro singulis offerretur, propter infinitatem extensiuam syncathegorematicam, quam habet?

Affirmat prima sententia, quam tenet *Caietanus in opusc. tom.* 2. *tractat.* 3. *quæst.* 2. *& 3. par. quæst.* 79. *art.* 5. *Sylvester, Canus, Sotus, & alii*, quos refert, & sequitur *Vazqu. disp.* 231. *cap.* 2. *&* 3. *Hurtado de Missa disp.* 3. *difficult.* 8. *Nauarra lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 268. Probatur, nam res oblata est infinita, principalis etiam offerens est infinitæ dignitatis, cui congrue re videtur, vt oblationis suæ fructus sine limite multiplicetur in omnibus, quibus applicatur.

Confirmatur primò, quia multiplicatis his, qui Missam audiunt, non minus Missa prodest singulis, quam si singuli solum ad essent; Ergo similiter quoties offertur pro multis, non minus singulis prodest, quam si pro singulis offerretur; cum eadem sit vtrobique ratio.

Confirmatur secundò. Nam iuxta ritum Ecclesiæ possunt Sacerdotes in Memento viuorum, & mortuorum sine limite commemorare plures, & plures, vt scilicet Missæ fructum participent sine detrimento cœterorum, alioquin illorum tantum esset facienda commemoratio, pro quibus specialiter sacrificium offertur, cum tamen communis praxis ad alios etiam extendatur.

Confirmatur tertiò, nam absonum apparet, vt quando Parochus offert Missam pro sua plebe, quo plures iusti sunt, & indigente tali fructu, minor singulis proueniat.

81 Secunda sententia negat. Ita *Sanctus Thomas, Scotus, Gabriel, & alij*, quos sequitur *Suar. disp.* 79 *sect.* 12. *Henriquez lib.* 9. *cap.* 19. *num.* 5. *Coninc. supra n.* 191. *Bonac. disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 4. *numer.* 6. *Cardinal. de Lugo num.* 246. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 196. *& par.* 5. *tractat.* 14. *resol.* 81. *Bellarmin. Valentia, Mercerus, Azor. Arcudius*, quos sequitur *Auersa quæst.* 11. *sect.* 7. Probatur. Nam oblatio Missæ, quatenus à Christo fit hic, & nunc, nec est actio meritoria, nec satisfactoria, cum Christus iam nunc, nec mereatur, nec satisfaciat, solum habet annexas satisfactiones ipsius Christi præteritas, quarum valor, etsi sit infinitus, applicatur tamen ad effectum finitum, & limitatum remittendi pœnam determinatā ex institutione diuina, & per consequens applicatus multis, minor erit in singulis. Hæc autem institutio diuina colligitur ex Ecclesiæ praxi, sensuque communi, cum ab initio nascentis Ecclesiæ receptum sit, vt Sacerdotes pro certis personis determinatè Missas applicent, & te-

neri

fieri se putent ad applicandas singulas singulis, à quibus integrum stipendium acceperint, nec licere quidem vnicam Missam dicere pro multis, qui singulis dederint integram stipem. Quod equidem in opposita sententia licitum reputandum esset. Huic argumento varias solutiones adhibet *Vasquez*, quas refellit *Cardinal. de Lugo.*

82 Dico primò, quando plures offerentes, seu coofferentes concurrunt ad idem numero sacrificium, singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum (qualem discussimus *supra quæst.* 5.) non minorem, quam si daretur vnicus offerēs. Vnde talis fructus dici potest syncathegorematicè infinitus extensiuè. Concurrunt in hoc ferè cūcti Doctores. *Suar.* supr. dicit, quoad hoc verificari primam sententiā, nec ab vllo negari. Consonant *Bonac. supra. Coninch. num.* 189. *Filliuc. tracta.* 5. *nu.* 86. *Cardinal. de Lugo nu.* 252. *Auers. quæst.* 11. *sect.* 9. §. *& intelligitur*. Probatur, nam hic fructus adscribitur offerentibus, quatenus cum debita dispositione cooperātur ad oblationem tanti sacrificij; sed multiplicatis offerentibus, multiplicantur dispositiones, & oblationes. Ergo multiplicari debet fructus ad numerum offerentium. Vnde fit plures Sacerdotes cōsecrātes eandē hostiā, vt cōtingit in ordinatione sacerdotū referre singulos integrū fructum, quem quilibet applicare potest, ac si solus sacrificaret, quia quilibet offert integrum sacrificium oblatione distincta. *Sic Suar. & Filliuc. supra Vasq. n.* 40. *Meratius to.* 3. *de Euch. disp.* 38. *sect.* 8. *nu.* 4. *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 112.

83 Dico secundò Missæ fructus, quoad impetrationē est infinitus extensiuè syncathegorematicè, quatenus Missa pro multis oblata, nō minus impetrat singulis, quam si pro vno tantum offerretur. *Ita S. Thom in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *quæstio.* 2. *Suar. & Bonac. supra, Filliuc. num.* 91. *Auers. sect.* 7. Doctoresque communiter, & *Vasq. cap.* 2. fatetur, plures Authores primæ sententiæ loqui solum de fructu impetrationis, vel de fructu correspondente coofferentibus. Probatur, nam impetratio sola misericordia Dei nititur, & respicit meram ipsius liberalitatem: Ad hanc autem alliciendam Missæ sacrificium est infinitè Deo gratū tam ex parte principalis offerentis, quam ex parte rei oblatæ, cuius valor sēper excedit quemlibet beneficiorum numerum. Igitur ex se sufficiens est ad impetrandam quamlibet multitudinem beneficiorum.

84 Dices, oratio cæteris paribus est efficacior ad impetrandum, quod vni tantum petitur, quam quod multis. Ergo similiter Missa, quæ non applicatur ad impetrandum, nisi prout orationi coniungitur, erit efficacior ad impetrandum, quod petitur pro vno, quam, quod petitur pro pluribus. Respondetur in primis, antecedens esse dubium, nam quidam asserunt orationem factam pro multis æque prodesse singulis; cum enim impetratio non sit infallibilis regulariter, ad dispositionem diuinæ prouidentiæ refertur, cuius non est abbreuiata manus in paucis, vel in multis, nec impeditur multitudine largitionum, & aliundè crescit valor effectus, cum orantis charitas ad plures extenditur. Ita *Nauar. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 258. *& seqq.* Alij negant, quos sequitur *Suar. de Relig. to.* 2. *tract.* 4. *lib.* 1. *c.* 27. quia licet oratio respiciat Dei misericordiā, & orantis fidē, quæ non minuuntur cum oramus pro multis, etiam ipsamet oratio respicitur à Deo, quasi moraliter influens in effectum impetrandum. Cum igitur valor orationis sit finitus, si pro pluribus postulet, minorem efficaciam habet in singulis. *Azor. to.* 1. *lib.* 10. *c.* 21. *q.* 2. conciliat has sententias distinguens vim impetrandi consideratam ex liberalitate Dei, quem oramus; & rursus ex orantis affectu, qui finitus est: in priori sensu dicit esse veram primam sententiam, in posteriori secundam.

85 Deinde respondetur, quicquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Nam aliud est loqui de impetratione Missæ, quatenus offertur Ecclesiæ nomine, vel Ministri quoad opus operātis, vbi forsan dubius sit æqualis fructus in mul-

tis,ac in paucis; aliud de impetratione Missæ, quatenus prouenit à Christo Domino, prout offerente principali, præsertim, si rogat actualiter pro cunctis, quib. sacerdos applicat impetrationem Missæ iuxta superius *d.nu.7.* nam hæc impetratio æquè prodest multis, ac paucis, vel vni, cũ oratio Christi singulos æquè comprehendit. Fatetur item *Suar.sup.* si quis simul oret pro multis per plures actus terminatos ad singulos, æquè prodesse singulis, ac si pro quolibet dũtaxat oraret, quia concomitantia precum nõ minuit ipsarum efficaciã, & vbi plures sunt actus, multiplicantur orationes singulæ singulis specialiter applicatæ. Consequẽter docet *Coninc.nu.190.* quando Sacerdos in suo Memento Deo commendat multos nominatim, pro quib. in sua persona Missam offert, tantum prodesse singulis impetrationem, ac si solum vnum commendaret, quia iam sunt plures orationes, quibus adiungitur Missæ valor ad impetrandum. Verum tamen omnis impetratio personalis Ministri nimis accidentalis est impetrationi substantiali Missæ, vt notat *Card.de Lugo n.253.*

86 Dico tertiò; Missæ fructus quoad satisfactionem, quæ correspondet illis, pro quib. Missa dicitur, est finitus extensiuè, quare si pro multis offeratur, minuitur in singulis proportione seruata. Sic docent *Authores secundæ sententiæ*, cuius fundamentis hæc conclusio munitur. Ratione à priori sumimus ex institutione diuina, quæ sic facta censetur, vt cuilibet oblationi respondeat determinatus effectus, qui totus applicari possit vni, vel multis, non autẽ in singulis multiplicari, sed diuidi iuxta numerum ipsorum. Institutionem istam colligimus ex cõmuni praxi, iam cõfirmata decretis Apostolicis, quibus iubentur sacerdotes vni soli Missam applicare, non plurib., cum ab vno recipiunt stipendium; esset autẽ contra charitatem cœteros omnes fraudare fructu Missæ, si pariter omnib. prodesset. Quippè charitas obligat ad præstandum omnibus auxilium, quod possumus sine nostro detrimento.

87 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, quãuis valor satisfactionis Christi sit infinitus, noluisse tamen illum applicari huic effectui, nisi cũ limitatione, vt Missæ repetantur, & multiplicẽtur, dum singuli curant, sibi sigillatim applicari. Ad 1 confirmationem concesso antecedenti negatur consequẽtia, nam qui Missam audiunt, sunt offerentes, & ipsis multiplicatis multiplicantur oblationes, quib. sigillatim correspondet suus fructus, vt dicebamus *n.82.* Ad multiplicationem autem illorum, pro quib. præcisè Missa dicitur, non multiplicantur oblationes, sed eadẽ omnino diuiditur inter omnes. Ad 2. confirmationem dicimus, in vtroq; Memento præsertim applicari fructum impetrationis, qui nõ minuitur in singulis, vt diximus *n 86.* Ad 3. confirmationem negamus, id absonum esse. Quin potius conducit, vt singuli procurent pro se sigillatim Missas offerri, nec contenti sint illo sacrificio communi.

88 Notat pro coronyde *Card.de Lugo n.259.* quamuis prima sententia dicatur esse probabilis, nullatenus vero probabile censendũ esse, quod Sacerdos possit vna Missa satisfacere multis, à quib. stipendium accepit, quia quicquid sit de bonitate consequentiæ, Doctores tamẽ illius sententiæ nolunt admittere sequelam, vt illos legenti constabit. Non vero sufficit esse probabile principium, ex quo probabiliter aliquid infertur, vt sit etiã probabile consequens, si Doctores, qui concedunt antecedens, negãt nihilominus consequentiam. Addit *n.257.* adhuc prudenter facturum Sacerdotem, si post applicationem specialem satisfactionis Missæ pro determinata persona, conditionaliter applicet etiam multis, vel omnibus, vt si prima sententia sit vera, valeat applicatio generalis, quantum valere possit. Ego non satis percipio probabilitatem practicam sententiæ primæ. Vide *infra cap. 12, numero 26.*

CAPVT V.

De tempore celebrandi.

1 S. Thomas 3. part. quæstio 83. artic. secundo, dicit primò, cum egeamus quotidie fructu Dominicæ passionis propter defectus quotidianos, ideo quotidie regulariter in Ecclesia celebrari Missam.

Dicit secundò, quia Dominus passus est ab hora tertia vsque ad nonam, ideo regulariter in hac parte diei celebratur hoc sacrificium in Ecclesia. Quibus conclusionibus explicat Angelicus Doctor tempus, quo solet Missæ sacrificium offerri. De obligatione vero, vel hoc, vel illo tempore celebrandi nihil definit. Hanc nos ex professo disquirimus.

CAP. V. QVÆST. I.

Vtrum teneantur Sacerdotes aliquando celebrare?

2 Loquimur ex vi solius ordinationis, secluso munere Parochi, vel Beneficiati, vel merè Capellaniæ, vel similis; & prima sententia communis affirmat, ita *Sanct. Th. supr. art.* 10. vocans oppositam irrationabilem, & *in 4. distinctio. 13. quæstio. prima articulo secundo quæstiunc. prima ad 2. Sanctus Antoninus, Durandus, Richardus, vterque Sotus, Gabriel, Nauarrus, Ledesma, quos sequitur Vazquez 3. part. disputat. 232. capite primo. Suarez tom. 3. disputat. 82. sect. 2. Bonacin. disputat. 4. quæstio. vltima punct. 7. numero primo, Coninch. quæstio. 83. num. 206. Layman libro quinto tract. 5. cap. 3. numero primo. Reginald. lib. 29. num. 166. Toletus libro secundo capite 3. numero 1. Martinon tom. 4. disp. 40. num. 2. Syluester, Azor, Graffis, Miranda, Villalobos, Homobonus, Ioannes de la Cruz, Chamerota, Nuñus, Valentia, quos sequitur Auersa de Eucharistia quæst. 10. sect. prima §. asserendum tamen est. Glossa cum Iuristis in cap. Dolentes de celebrat. Missar. & fauet ille textus*, dum inter alia peccata quorundã Sacerdotum enumerat, quod vix quater in anno celebrabant.

3 Sed vrgentius probatur primò, quia datur præceptum positiuum diuinum desumptum ex verbis Christi Domini. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus (inquit *Tridentin. sess. 22. capite primo.*) Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit, vti semper Ecclesia intellexit, & docuit. Quod idem definit *Canon.* 2. Cum autem omnes, & singuli Sacerdotes sint Apostolorum successores in Sacerdotio, dirigi videtur istud præceptum ad omnes, & singulos.

Probatur secundò, quia datur præceptum naturale non recipiendi gratiam Dei, seu caracterem Sacerdotalem in vacuum, vt monet *Apostolus 2. Corinth.* 6 Et quidem per ordinationem non solum datur Sacerdotibus potestas, sed iniungitur etiam officium celebrandi iuxta *Paulum Heb.* 5. Quare 2. *Machab.* 4. deploratur tanta temporis illius infelicitas, vt Sacerdotes Altaris ministeria negligerent. Ergo tenetur Sacerdos aliquoties offerre Missæ sacrificium.

4 Dissentiunt autem isti Doctores primò circa grauitatem huius peccati. *Victoria, Ledesma, Raymundus*, quos sequitur *Ludouicus de S. Iuan in summa part. prima tractat. de Eucharistia quæst. quinta fine*, putant esse veniale peccatum, quatenus Sacerdos numquam celebrans fraudat Ecclesiam suo sacrificio, subindèque peccat contra feruorem charitatis peccato negligentiæ veniali, seu contra debitum vsum suæ potestatis, quo posset Ecclesiæ valdè prodesse. Idem docuit *Caietan. 3. part. quæst. 82. artic.* 10. Cuius sententia in editione Romana fuit ex puncta: probabilem tamen reputat illam. *Azor. tom. 1. l.* 10. *ca. 24 quæst.* 1. & ferè consentit *Ioan. Sanch. disp. 7. num.* 18.

5 Cœ-

5 Cæteri communiter dicunt esse mortale. Nam posito præcepto, cum materia sit grauis, non minus erit mortale peccatum Sacerdotis numquam celebrantis, quam laici non communicantis in Pascha. Quare *Vazquez supra dicit*, non loqui consequenter eos, qui negant hic mortale peccatum, & admittunt veniale: vel enim nullum erit, vel mortale propter grauitatem materiæ. Sed hanc doctrinam reiecimus in simili *lib. 1. ca. 2. quæst. 6. num. 46.* quia non omne præceptum etiam circa materiam grauem obligat grauiter. Sic comedens sæpius in die ieiunij sine necessitate peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiastici ieiunij, verum alio die peccat venialiter contra temperantiam, cuius præceptum non ita grauiter obligat, ac præceptum ieiunii. Sic ergo posset Sacerdos non celebrando reus esse prodigalitatis spiritualis, & desidiæ vitiosæ nō vtendo talento sibi dato, nec eius lucrū adquirendo. Quod non excedit culpam venialem, quamuis materia sit apta secundum se ad obligationem grauem, si grauiter præcipiatur.

6 Dissentiunt secundò circa tempus, pro quo tale præceptum obliget. Quidam Iuristæ dixerunt, singulis diebus obligari Sacerdotem ad celebrandum; sed sine fundamento: quare meritò refelluntillos *S. Antoninus, Syluester, & Vazquez supra. S. Thomas, & plures dicunt, teneri saltem in festis præcipuis.* Vnde colligit *Nuñus debere duodecies in anno celebrare. Filliuc. tract. 5. num. 97. & 99.* dicit sufficere decies. *Maior putat sexies. Paludanus quinquies, Sotus, Nauarrus, Henriquez, Layman, & Azor supra cum alijs,* dicunt, teneri ter, aut quater in anno celebrare. Nam olim fideles toties tenebantur communicare. Nec restringi prædictam obligationem ad certos dies, sed quibuslibet, vel continuis, vel interruptis sufficere docent *Azor. Bonac. & Auersa.* dum absit scandalum, vel contemptus.

7 Secunda sententia simpliciter negat, peccare Sacerdotem secluso scandalo, vel contemptu, quamuis nunquam celebret. Ita docent *S. Bonauent. in 4. dist. 12. part. 2. art. 2. quæst. 1. Alensis 4. par. quæst. 11. membr. 2. artic. 4. §. 1. Rosella Euchar. 3. num. 36* qui loquuntur, quando Sacerdos ob Sacramenti reuerentiā, & indignitatis propriæ ponderationem semper abstineret. Pro pendent in hanc partem *Nicolaus de Orbellis in 4. disput. 12. quæst. 2. fine. Ioannes Sanchez disp. 7. num. 16. Manuel in Summa part. 1. cap. 247. de Missa num. 4 Cardinal. de Lugo de Euchar. disput. 20. sect. 1.* Probabilem illam vocant *Suar. sect. 1. Diana part. 2. tractat. 14. resolut. 19* Consonant *Fillius. num. 96. Bonac. Coninch, Layman. & alij,* quatenus solum dicunt oppositum esse probabilius, *Martinon supr. num. 3.* dicit in praxi posse sustineri.

8 Probatur, quia nullum datur præceptum obligans singulos Sacerdotes ad celebrandum: Ergo non tenentur, ac subinde non peccāt, quamuis numquam celebrent. Antecedens probatur, quia si daretur præceptum, vel esset naturale, vel positiuum diuinum, aut humanum, sed nullum istorum reperitur: Ergo nullum datur. Minor ostenditur, soluendo fundamenta contraria. Nam in primis non colligitur præceptum humanum ex cap. *Dolentes,* vt fatetur ipse *Vazq.* quia non constat an de curatis, aut beneficiatis solum accipiendum sit; imò videtur dirigi dumtaxat ad Prælatos Ecclesiarum, de quibus dixerat, esse nonnullos, qui vix quater in anno celebrabant, & quod deterius est, nec intererant. Nec ad singulos simplices potest extendi, si quidem numquam apparet præceptum pluries, quam quater in anno celebrandi singulis impositum, & ibi carpuntur, qui vix quater in anno celebrabant.

9 Rursus non colligitur præceptum positiuum diuinum ex verbis *Luc. 22. & Tridentini sess. 22. cap. 1.* Nam manifestè constat, latius patere potestatem ibi datam, quam præceptum impositum. Quippè singulis Sacerdotibus data fuit potestas offerendi singulis diebus, & tamen non iubentur singuli celebrare singulis

gulis diebus. Ergo solum præcipitur, vt Ecclesiæ communitas frequenter colat Deum celebratione Missarum, sicut decet Rempublicam Christianam, ita prudenter, ac religiosè constitutam. Nec aliter esset vtile præceptum, cum sit affirmatiuum, & ex ipso non constet, pro quo tempore determinatè liget; nec Ecclesia tale tempus determinauerit, sicut in præceptis confessionis, & communionis determinauit, & inobseruatione festorum.

10 Denique non datur naturale præceptum ex officio Sacerdotis proueniēs, quoniam ex potestate quidquam faciēdi non oritur naturale præceptum id ipsum agendi citra casum vrgentis necessitatis. Sic in lege naturæ omnes Primogeniti Sacerdotes erant, & tamen non constat, omnes fuisse obligatos ad offerendum sacrificium; in lege scripta omnes filij Aaron erant Sacerdotes, & reliqui ex tribu Leui erant Leuitæ; qui tamē non omnes sacrificabant; cum enim essent dispersi per omnes tribus, & solum in Ierusalem sacrificandum esset; credibile fit plures eorum non sacrificare, sed alijs cedere vices suas, ne iter facere cogerentur. Item apud nos Sacerdos approbatus constituitur minister ad absoluendum, & tamen non obligatur, quoties alij non indigent eius opera, nec ex pacto, vel contractu tenetur. Similiter Diaconis datur potestas ad cantandum Euangelium. Doctoribus datur potestas ad interpretandas sacras litteras, vel iura, nō tamen obligantur. Nec verba *Pauli 2. Corinth. 6. & Hebr. 5.* vel similia sonant rigorosum præceptum, sed solum consilium, vt ipsemet *Vazqu.* interpretatur.

11 Ex dictis apparet, speculatiuè quidem vtramque sententiam esse probabilem. Pro praxi dico primò. Qui post ordinationem Sacerdotis per annum non celebrat, non peccat. Quia licet detur præceptum celebrandi, non ita videtur vrgere post Sacerdotium susceptum, vt mox debeat nouus Sacerdos celebrare: requiritur ergo congruum temporis spatium ad ritus, & ceremonias addiscendas, & multò magis ad animæ præparationem, & ad deuotionis fomentum. Sic abstinuisse N. Sanctum Patrem Ignatium, narrat in eius vita. *Riua de neyra lib. 2. cap. 11.* Sic notat *Filliuc. tract. 5. num. 95.*

12 Dico secundò, si detur causa iusta non celebrandi per diuturnum tempus, non erit peccatum abstinere. Sic *Filliuc. supra num. 96. Suarez, & reliqui Doctor.* etiam primæ sententiæ, qui non damnāt peccari, nisi Sacerdotem abstinentem à celebratione per longum tempus sine iusta causa, vel impedimento. Quamuis enim sit impositum Sacerdotibus celebrandi præceptum, hoc habebit, sicut alia suas iuxtas excusationes. Addo, cum hoc præceptum sit dubium, & multò magis in certum tempus obligationis ipsius, minorem causam fore sufficientem ad eius excusationem, quam aliorum, scilicet, vel infirmitatem non valdè grauem, vel difficultatem adeundi locum celebrationi congruum, vel scrupulorum stimulos, vel quid simile. Non verò satis excusat impedimentum ab impediti voluntate dependens, nimirum frequens peccati lapsus, quem vitare deberet; censura, vel irregularitas, quam facilè tollere posset. Hoc enim non tam est impediri, quàm nolle expediri.

13 Dico tertiò. Si sine iusta causa Sacerdos abstineat à celebratione per diuturnum tempus, regulariter committet mortale peccatum. Quia quicquid sit de principijs intrinsecis obligationis celebrandi, quæ forsan non conuincunt, extrinseca principia satis illam suadent. Nam Sacerdos numquam, vel rarissimè celebrans, communiter incurrit spirituale detrimentum, periculum peccandi liberius, & aliorum scandalum. Nec moraliter hæc omnia simul vitari possunt à numquam, vel rarissimè celebrante. Sic notant *Manuel supra, & Cardin. de Lugo num. 13.* Sic prudenter monet *Suarez sect. 1. fine*, non tam ex intrinsecis principiis, quàm ex extrinsecis circum-

stantijs, videlicet ex aliorum scandalo, vel speciali necessitate Sacerdotis, vel ex motiuis abstinendi metiendum esse, quanta, vel qualis omissio celebrandi sit peccatum mortale, vel veniale; quantave frequentia requiratur ad vitandam culpam mortalem, vel etiam venialem. Ferè nunquam excusabitur à veniali, qui sine causa iusta celebrationem omittit, quia ferè semper deficiet intentio recta. Nec moraliter loquendo vitabit Sacerdos aliorum scandalum, vel proprium spirituale detrimētum, & periculum labendi liberius, nisi sæpius celebret, quam ter, aut quater in anno, & saltem pigritiæ satis vitiosæ reus erit, qui tale talentum abscondit. Quod autem iniungit *Tridentinum sess.* 13. *cap.* 14. *de reformat.* vt curent Episcopi, quod Sacerdotes, saltem Dominicis, & Festis solemnioribus celebrent, sicut si præcipiatur ab Episcopo, poterit obligare grauiter, quod de Mediolanensi diæcesi tradit *Bonac. supra nu.* 3. ita secluso præcepto non sonat obligationem sub mortali, sed Episcopos admonet sui muneris, vt id curent suadendo scilicet, & suauiter inducendo, non pœnis afficiendo transgressores, velut obligatos ex præcepto. Parochus autem ex officio tenetur singulis diebus festis, quibus populus debet audire sacrum, vel per se celebrare, vel alium prouidere, qui celebret in Parochia. Nec vlterius tenetur, diebus etiam ferialibus celebrare, nisi vel ex peculiari præcepto suæ Diœcesis, vt in eadem Mediolanensi, testatur *Bonac.* teneri saltem ter in hebdomada præter dies festos, vel ex alio peculiari onere, vel more. Quo teneri solent etiam alij Beneficiati, vel Cappellani iuxta debitū singulorū. *Vasq.* sup. contendit, debere per se metipsū celebrare. Sed contrariū docet *Suar. sect.* 2. Vult etiam *Vazq.* obligari Parochum ad celebrandum diebus pro festis, si Parochiani velint audire sacrum. Sed id refellit *Fagundez Præcep.* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 8. Videantur etiam *Coninc. quæst.* 83. *num.* 202. *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 2. *Dian. part.* 3. *tract.* 14. *resolut.* 26.

15 Petes primò, An simplex Sacerdos die festo (quando non est alius, qui celebret) teneatur sub mortali facere sacrū, quod Laici possint audire ad præceptum implendum. Censeo teneri. Quia charitas obligat ad succurrendum necessitati præsertim spirituali proximorum, quoties commodè possumus, sed ille Sacerdos tunc potest succurrere tali necessitati Fidelium; Ergo tenetur. Datur autem vera necessitas, quia licet populus non peccaret non audiens tunc sacrum, priuaretur tamen spirituali fructu, quem ex auditione sacri perciperet pluribus forsan necessarium ad reparandas animæ vires. Forsan etiam, si non fiat ibi Sacrum, multi debebunt alibi quærere Missam, & aliqui non satisfacient obligationi suæ.

Denique rarissimè Sacerdos in festo relinquet populum sine Missa, quin incurrat aliquam infamiæ notam, quam ex charitate propria tenetur euitare. Sic docent *Manuel in Summ. tom.* 1. *capite* 147. *numero* 6. *Moure part.* 3. *cap.* 5. §. 8. *num.* 1.

16 Petes secundò. An in festo, quando non est aliud sacrum, quod audiri possit, debeat sacerdos facere sacrum, vt ipsemet adimpleat audiendi præceptum. videtur affirmare *Man. sup.* & probatur; quia Sacerdos debet tunc audire sacrū, & potest audire, si velit dicere Missam. Ergo tenetur dicere. Negat *Moure sup. n.* 2. Nam illud præceptum per se solum obligat ad audiendam Missam, quando copia subest audiendi; non autem ad dicendam illam, cum hoc sit grauius onus, maiorem præcepti vim requirens, vt censeatur impositum. Ego censeo, si nullum adsit impedimentum celebrandi teneri, quia tunc celebratio non est tantum onus, vt subiri non debeat ad preceptum auditionis implendum.

CA-

CAP. V. QVÆST. II.

Vtrum singulis Ecclesiis sit impositum præceptum quotidiani sacrificij?

17 SVppono primò, iure diuino, nec singulis Sacerdotibus, nec singulis Ecclesiis, nec toti Ecclesiæ præcipi, nec prohiberi quotidianum sacrificium. Ita *Suar. tom. 3. disp. 82. sect. 2. cum communi Doctorum*. Quia nullibi reperitur talis determinatio temporis iure diuino facta. Suppono 2. Cathedralib. Ecclesijs obligationem inesse quotidianæ celebrationis. Quare debent Episcopi, vel Præfecti talium Ecclesiarum curare, ne desit vlla die sacrificium in illis. Sic enim fiet, vt in vniuersa Ecclesia, non solum vnum, vel aliud, sed plurima Sacra quotidie fiant. Probatur ex *cap. iteratur de Consecrat. distinct. 2. cap. cum creatura de celebrat. Missar.* Iuuat Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis habet, & communis sensus Fidelium, qui grauiter scandalizarentur, si sine iusta causa sacrum mitteretur in his Ecclesijs. Quare censendũ est, his stipendia dari cum hac obligatione. Sic docent *Suar. supra. Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 2. Vazq. 3. part. disp. 232. num. 13. Filliuc. tr. 5. n.* 104. *Coninch. qu. 83. num.* 203. *Azor tom. 1. lib. 10. c. 24. qu. 2. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 5. & communiter Doctores.*

18 Hoc extendunt eisdem rationibus ad Ecclesias Collegiatas *Sotus, Azor, Vazq. Filliuc. Laym.* Si sufficientem habeant numerum Sacerdotum; Item ad Conuentus, vbi mediocris sit saltem Sacerdotum numerus. Quin etiam *Suarez Filliuc. & Fagund. præcept. 1. lib. 3. ca. 15. num. 9.* id extendunt ad Ecclesias Parochiales, quibus suppetit competens numerus Sacerdotum. Sed in his attendi debet consuetudo, seu constitutiones synodales cuiusque Diœcesis, vt notant *Vazq. sup Conin. b n. 205. Laym. n. 2.*

19 Petes primò. An sit mortale peccatum Missam quotidianam, seù conuentualem in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesijs omitti? Negat *Victor. in Sum. n. 95.* quia forsan existimat, consuetudinem non ita rigorosè fuisse receptam. Nec videntur dissentire *Diana par. 2. tr. 14. resol. 76. fine*. Affirmant vero *Sotus, Suar. Filliuc. Fagund. Præcep. 1. lib. 3. c. 15. n. 9. Manuel tom. 1. Regul. qu. 43 art. 14.* Quia res grauis est, magniq; referens ad commune bonũ Fidelium; nec omitteretur sine graui scandalo, nec proindè sine graui culpa: nisi forsan ob vrgentem, & rationabilem causam, quæ nonnumquam subesse potest, sicut in aliis præceptis positiuis. Excipiunt etiam *Sotus, & Layman sup.* nisi valdè sit exiguus sacerdotum numerus; tunc enim semel, aut iterum in hebdomada sacrum omittere, vel nullum, vel saltem non mortale peccatum erit.

20 Petes secundò. An in Ecclesiis regularibus omitti quotidianam Missam sit mortale peccatum? Affirmant *Sotus Layman, & Manuel supra*, quando mediocris est Sacerdotum numerus. Nam hoc maximè pertinet ad commune bonum Fidelium, & ad consolationem spiritualem fratrum, & ad Religionis decorem. Quin etiam *Peregrin. in Comment. ad constit. Theatinorum par. 1. ca. 1. lit. E.* sic ait. In Ecclesiis nostris, in quibus solet diebus festis Missa cani solemniter, si omitteretur ex negligentia, Superior, vel qui causa principalis esset huius omissionis, mortaliter peccaret, non solum ob scandalum, si quod oriretur apud seculares, sed etiam secluso scandalo. Quia, cum ista consuetudo conformis sit Sacris Canonibus, & praxi communi totius Ecclesię circa materiam grauem, transgressio illius ex negligentia mortale peccatum est.

21 Cæterum *Ganant. in Rubr. Missal, tom. 1. part. 3. tit. 11. numero 4. sic inquit*. Collegiatæ regulares (quę tamen minus Collegiatæ dicuntur) tenentur ad Missam in choro ex vi regulæ tantũ, & consuetudinis interpretantis regulam. Vnde colligit *Diana part. 3. tr. 2. resol. 8. contra Peregrin.* non esse mortale peccatum, in suis Ecclesijs omitti Missam solemnem.

Quia

Quia regula, seu constitutio sua præscribens, Missam solemnem diebus festiuis celebrari, non obligat sub peccato mortali. Ergo nec consuetudo regulam interpretans, & ex illa dimanans. Non enim verisimile fit, inductam fuisse cum intentione ligandi se grauiùs, quam per ipsam regulam ligarentur; sed consuetudo inducta sine intentione grauis obligationis non obligat grauiter, vt tradūt communiter Doctores *in tract. de legib.* Ergo talis consuetudo, quamuis sit conformis Canonibus, & Ecclesiastico mori, non inducit grauem obligationem.

22 Hinc infero primò, in reliquis religionibus, vbi regulæ, seu constitutiones non obligant ad mortale, si nulla detur obligatio canendi Missam solemnem, nisi regulæ præscribentis, vel consuetudinis indè prouenientis, non committi mortale peccatum, quamuis talis Missa solita cantari, vel diebus omnibus, vel festis interdum omittatur, etiam ex negligentia. Sicubi tamen regula præscribens, talem Missam, obliget sub mortali, iure damnabitur peccati lethalis Prælatus, qui per negligentiam omiserit. Infero secundò in nostra Societate Iesu, vbi nec regula obligat sub peccato, nec viget consuetudo generalis dicēdi quotidie, vel omnibus festis Missam solemnem, nullam obligationem esse celebrandi solemniter.

23 Petes tertiò. An in Ecclesijs cathedralibus, & Collegiatis, quando casus occurrit, debeant cantari duæ Missæ, de festo scilicet, & de feria. Negat *Andreas Castaldus in praxi ceremonial. lib. 2. sect. 6. ca. 3. num.* 20. forsan, quia putat Rubricam Missalis in hac parte non strictè obligare. Affirmat vero *Gauantus in comment. ad Rubric. Missal. tom. 1. part. 3. tit. 10. num. 8. & num. 11. refert.* Ita declarasse Congregationem Rituum his verbis. Tamquam de re grauissima statuit Sac. Congregatio, Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus omittendam esse, sed omninò astantibus Canonicis, & assignata distributionum portione, cantandam esse post Nonam, non obstante quacumque consuetudine contraria, quam eadem Sac. Congregatio sustulit, & in posterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pij V. quę preceptum continet. *Diana par. 2. tractat. 14. resolut. 76.* indicat, de prædicta Cardinalium declaratione non constare satis authenticè; nec proprio iudicio decidit; quæ sententiarum istarum tenenda sit.

24 An vero iuxta *Gauanti sententiam* debeant prædictis diebus in Ecclesijs regularium duæ Missæ cantari? Affirmant *Zamora in suo Caremonial. lib. 1. glos. 4. Alcozer tractat. 1. glos. 3. Portel in dubijs Regular. verbo Missa num. 7. Zipaus in consultationibus lib. 3. consultat. 2.* Probatur. Nam Ecclesiæ Regularium Collegiatæ vocantur, & reputantur iuxta Romanum responsum, & morem; Sed omnes Ecclesię Collegiatę iuxta Rubricam Missalis, & declarationem Cardinalium supradictam tenentur ad duas Missas illis diebus decantandas, Ergo tenentur pariter Ecclesiæ Regularium. Negant tamen *Manuel tom. 1. Regul. quęst. 43. ar. 12. Villalobos tom. 1. tract. 8. difficult. 19. num. 4. Hieron. Rodriguez resol. 25. num. 10. Diana par. 2. tractat. 14. resolut. 76. & par. 6. trac. 8. resol. 11. cum alijs.* Probatur, quia Rubrica Missalis, & declaratio Cardinalium supra relata loquuntur de collegiatis Ecclesijs simpliciter, & Ecclesiæ Regularium, nec vocantur, nec reputantur collegiatæ simpliciter, saltem in onerosis, vt declarat *Caremoniale Minorum editum authoritate Congregationis Toletanæ.* Sicut enim Ecclesiasticorum nomine Religiosi non comprehenduntur in odiosis, sic Ecclesiarum collegiatarum nomine quoad hoc onus monasteria non veniunt. Res est vtrimque probabilis, & praxis præferentiur attendenda videtur.

CA-

CAP. V. QVÆST. III.

Vtrum in triduo maioris hebdomadæ liceat omnibus Sacerdotibus celebrare?

25 IN reliquis anni diebus sine dubio celebrare licet,nisi forsan obstet interdictum alicubi, vel cessatio à diuinis,quæ pertinet ad tractatum de censuris; & vt distinctiùs procedamus. Petes primò. An liceat in feria quinta? Negat *Marcellus Francolinus lib.de Horis Canon.cap.30.*nixus Ecclesiæ consuetudine, cuius meminit ordo Romanus in officio de Cœna Domini,& *Alcuinus lib.de diuin.offic.cap. de Cœna Domini.* Solent enim ab antiquis temporib.omnes Presbyteri cuiuslibet Ecclesiæ de manu sui Pastoris Eucharistiam recipere; quia Christus Dominus primam eo die Missam celebrauit, & Apostolis Eucharistiam distribuit. Ideo *Layman lib.5.tract.5.ca.4.num.9.& Azor tom.1.lib.10.cap.24.quæst.5.*dicunt,talem consuetudinem esse seruandam,quia videtur obtinuisse vim legis, præsertim in aliquibus Conuentibus. Et *Persicus de officio Sacerdotis lib.1.dub.6.num.*40.testatur,Sac. Congregationem Rituum decreuisse, quod eo die celebretur vnicum sacrificium in singulis Ecclesijs.

26 Cœteri Doctores communiter affirmant, *Sotus, Angles,Nauarrus,* quos sequuntur *Suar.tom. 3. disput. 80. sect.2. Vazquez 3.par.disput.232.cap.2.Filliuc. tract.5.num.105.Henriq.lib.9.cap.24.nu.3.Coninch.quæst.83.num.210. Fagundez Præcep.1.lib.3.cap.15.num.14.Cardinal. de Lugo disp.20.num.14. Martinon tom. 4.disp.40.nu.5.Dian.par.6.trac.6.resolut.19.*Probatur. Nam id nullo præcepto prohibetur, nec vlla ratio cogit ad prohibendum. Et quidem præceptum scriptum non dari,fatetur ipse *Francolinus.* Consuetudo vero non obligat; nam in primis, vt consuetudo vim habeat legis, oportet, vt sit omnium, & non solum aliquorum,vt notat *Suarez.* Hæc autem consuetudo nō est vniuersalis,licet enim multi Sacerdotes eo die non celebrent, alij tamen plures docti, pijque sine scrupulo celebrant, vt testantur relati Doctores, vnde colligit *Diana*, decretum illud Congregationis Rituum non fuisse receptum, siquidem viget contraria praxis,quam approbat nouissimè *Marchinus de Ordine tractat.2. part.3. cap.8.* Ac si quando consuetudo non celebrandi tali die viguisset in Ecclesia,tanquam lex non scripta,iamdiù fuisset abrogata, per contrariam praxim multorum.

27 Deindè, vt consuetudo sortiatur vim legis, induci debet cum obligationis intentione, vt tradunt *communiter Doctores in materia de legibus:* Sed hæc consuetudo non fuit inducta cum obligationis intentione, sed vel ob occupationem Sacerdotum, aut quia nudantur Altaria,vel quia causa maioris deuotionis volunt Sacerdotes in Missa solemni de manu celebrantis accipere communionem ad exemplum Apostolorum, quod Doctores asseuerant,& vsus Fidelium confirmat. Quippè communiter censetur,id fieri potius consilio Prælatorum,quam rigorosa prohibitione. Nota vero, licere quidem eo die priuatim celebrare ,saltem antequam ligentur campanæ, vt inquit *Filliuc.* vel antequam Missa solemnis finiatur, & corpus Christi recondatur in loco designato. Nam postea iam incipit officium Parasceue, quo celebrare non licet.

28 An autem ad celebrandum eo die requiratur licentia Prælati.Affirmat *Sotus in 4 distinct.43.quæst.2.art.2.*Nam id saltem obtinuisse videtur consuetudo. Negant *Vazquez supra,Guttierez lib.1. Canonic.quæst.cap.30. num.36.* quia cum celebratio nullo iure vetetur,non est cur licentia requiratur ad celebrandum. *Suarez, Filliucius, & Fagundez* requirunt, vt secludatur scandalum, sicubi detur, vel propter pusillorum ignorātiam, vel propter aliquam consuetudinem. Ego censeo, licentiam iure communi non requiri: Cœterum ex peculiari dispositione alicuius Ecclesiæ præsertim regularis poterit esse necessaria. Raro,

vero

vero (ni fallor) imponetur præceptum rigorosum, vel consuetudo sub obligatione præcepti circa rem istam vrgebit; attendendus tamen erit cuiusque Religionis stylus. Raro quoque sequetur scandalum graue, si praxis recepta seruetur. Neapoli (teste *Fillincio*) summo mane celebrant omnes apertis ianuis. Romæ tamen, & in Hetruria ianuis clausis, apud religiosos communiter in priuaris Capellis. Itaque quoad publicum, vel secretum celebrationis modum seruetur loci consuetudo, ne qua suboriatur offensio.

29 Petes secundò. An feria sexta, & Sabbato maioris hebdomadę liceat celebrare? Suppono primò, feria sexta non licere. Sic enim declarauit. *Innocent. primus cap. Sabbato de consecrat. distinct. 3.* dicens. *Traditio Ecclesia habet, isto viduo Sacramenta penitus non celebrari.* Quare Sacerdos in officio solemni Parasceues non consecrat, sed hostiam pridie consecratam, & asseruatam consumit sine sanguine sub speciebus vini, quæ consuetudo generalis, & vetus inuiolabilis vsque ad hæc tempora perseuerat. Rationem reddit *S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 2. ad 2* quia, cum Ecclesia recolat eo die realem Christi passionē, & cruentum sacrificium, non repræsentat mysticè, nec immolat incruentè. Consonant Doctores communiter.

30 Suppono secundò, Sabbato Sancto similiter olim prohibitum fuisse celebrare, vt constat ex prædicto textu; nam Ecclesia per totum etiam illum diem in ieiunio, luctu, & repræsentatione mortis Dominicæ perseuerabat, Missamque Resurrectionis ipsa nocte celebrabat. Postea vero Missa Resurrectionis anticipata fuit ad tempus ante meridianum Sabbati, vnde controuersia Doctorum orta fuit. Vtrum ante meridiem nunc liceat, non tantum vnam Missam solemnem, sed etiam plures priuatas celebrare; sicut olim licebat in nocte Resurrectionis, vt testantur. *Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 8. & Coninch. quæstio. 83. numero 211.*

31 Prima sententia negat. Ita *Francolinus supra num. 8. & 9. Vazquez eo cap. 2. Nauar. cap. 25. num.* 88. Probatur primò, quia ius prohibens celebrationem in Sabbato Sancto non est contraria consuetudine reuocatum, nisi quoad Missam solemnem. Ergo quoad alias Missas adhuc obligat. Probatur secundò, quia pro Missis priuatis non habetur introitus, sicut habetur in Vigilia Pentecostes. Ergo signum est, noluisse Pontificem eo die Missas priuatas celebrari, sed solam solemnem, cui prophetiæ deseruiunt pro introitu. Probat tertiò *Vazquez*. Nam olim in nocte Resurrectionis vna tātum Missa solemnis dicebatur in quauis Ecclesia; secus enim, si reliqui Sacerdotes priuatas Missas dicerent ante lucem, vel nullus posset in die Resurrectionis dicere Missam illius, vel ipsis liceret duas Missas eo die dicere, primam in aurora, secundam orto iam Sole, quod est inauditum.

32 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita *Sotus, Sylvius, Mercerus, Hurtado, Fagundez*, quos sequitur *Auersa de Eucharistia quæst. 11. sect. 15. Suar. Fillıuc. Guttierez, Martin. Coninch. Cardinal. de Lugo supra. Scortia de Eucharistia lib 2. cap. 6. Diana part. 2. tractat. 4. resolut. 21. & par. 4. tractat. 2. resolut. 237. sine cum alijs.* Probatur, quia ratio, cur olim prohibitum fuerit, eo die celebrare dicto ca. *Sabbato*, cessauit iam omninò, non solum in particulari, sed etiam in generali. Quoties autem ita cessat finis, & ratio legis, cessat pariter eius obligatio, vt constat in materia de legibus. Ergo cessauit iam talis prohibitio. Maior declaratur, nam olim per totum Sabbatum Ecclesia repræsentabat Christum mortuum, & sepultum mærens, ac lugens, ideoque non fiebat sacrum vsq; ad initium noctis. Etenim quamuis *Suar., Vazquez, & Fagundez*, putarint, Missam solitam fuisse dici post mediam noctem, vere dicebatur per Solis occasum ad initium noctis, vt docent *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 2. ad 4. Ordo Romanus, Rabanus, Maurus, Hugo, Victorinus, Micrologus,*

loguus, ex quibus *Cardinal. de Lugo palam ostendit supra numer. 16. & sequentibus*, initio noctis finiri prohibitionem, & non solam Missam solemnem, sed alias priuatas potuisse celebrari. Sed iam nunc Missa solemnis fit ante meridiem, & incipit celebritas Resurrectionis. Ergo, sicut olim licebat priuatim celebrare post initium noctis, quando Domini Resurrectio celebrari cœperat, vt palam habetur in *Micrologo cap. 53.* Sic etiam nunc licebit, quia tota ratio prohibitionis ex tunc incipit cessare.

33 Confirmatur praxi recepta, quam relati Doctores in diuersis Regionibus scribentes vniformes affirmant, vbique videntibus, nec contradicentibus Ecclesiæ Prælatis, esse receptam. Quare videtur contraria consuetudo, iam penitus abrogata. Respondet *Vazquez*, celebrandi praxim esse occultam, & ignotam Pastoribus, & Principibus, sed equidem vix credi potest, ignorare Summum Pontificem, & Ecclesiæ Pastores praxim illam, quam innumeri auctores in lucem editi, qui manibus omnium teruntur, testatur esse receptam, & defendunt esse licitam.

34 Ego censeo, prohibitionem quidem iuris cessasse saltem post inceptam Missam solemnem, & cymbala pulsata, quia iam tunc cessat tempus mœroris; adhuc tamen attendendam esse singulorum locorũ cõsuetudinẽ. Et certè generali more receptum est, ne plures Missæ solemnes in eadem Ecclesia tali die celebrentur, vt notat *Coninch*. Item, ne Missæ priuatæ publicè dicantur in Ecclesia, vt notat *Layman*. Quod, si festum incidat in Sabbathum Sanctum, negant, Missas publicè dicendas esse. *Vazq. supr. Henriqu. lib. 9. c. 24. n. 3. lit. B. Villalobos lib. 1. tract. 8. dub. 2. nu. 4.* dicens anno 1606. Festum Annunciationis incidisse in Sabbathum Sanctum, & consultos Doctores Salmãticæ, ac Pinciæ, vbi tunc erat Curia Regia, decidisse, non fore publicè permittendas Missas priuatas, etiam si populus nõ posset commodè Missam solemnem audire, subindèque non fuisse permissas ibi, nec alibi, quod innotuerit. Et sanè qui putant prohibitionem iuris adhuc durare, consequenter deciderunt; quia ius præuiderat hunc euentum, & non exceperat.

35 Affirmant *Sylvius 3. part. quæst. 83. art. 2. Molfesius in summa tom. 1. tract. 3. cap. 17. num. 41. Petrus de Ledesma in Sum. to. 1. tractat. de Euch. cap. 19. concl. 5. Moure 3. par. cap. 5. §. 5. num. 2. Diana part. 2. tractat. 14. resolut. 21. Ioannes de la Cruz indirect. part. 2. de Missa quæst. 2. dub. 2.* referens anno 1617. Festum Annunciationis incidisse in Sabbathum Sanctum, & plures Missas fuisse celebratas in singulis Ecclesijs Diœcesis Toletanæ. Qui satis consequenter procedunt negãdo prohibitionem Ecclesiæ, solamque consuetudinem attendendo, quæ pro tali casu non obligat. Adhuc tutius erit consulere Superiorem. Cuius erit, perpensis circumstantijs prudenter decernere, quod magis expediat, vt monet *Azorius tom. 1. libro 10. capit. 24. quæst. 4.*

36 An verò Missa dici possit ante solemnem? negant *Azor. supra*, nam adhuc durat tempus mœroris, & nondum incepit solemnitas Resurrectionis, ob quam prohibitio cessat, & hoc idem indicant alij. Affirmant verò *Hurtado de Missa disp. 4. difficult. 3. Diana part. 4. tractat. 4. resolut. 237. fine. Martinon disp. 40. nu. 5. Cardinal. de Lugo num. 23.* Probatur, quia postquam anticipata fuit Missa, quæ dicebatur olim initio noctis, ad horam solitam aliorum dierum ieiunij, quibus Missa cantatur post Nonam, eadem videtur esse ratio de hac Missa, ac de cæteris; nam in Missali solum dicitur, quod post Nonam Missa cantetur. Igitur, sicut alijs diebus Missa priuata dici potest ante Nonam, dici poterit Sabbatho Sancto, saltem ex causa, nimirum, vt qui non possunt expectare Missam solemnem, audiant priuatam. Confirmatur ex vsu piorum virorum, qui priuatim absque scrupulo celebrant summo mane, vt testatur *Filliuc. & Cardinal. de Lugo*, & in Italia vide-

videmus, in singulis Monasterijs eo die celebrari primò mane Missam priuatam pro domesticis Officialibus. Episcopi quoque, vt conferant ordines, & postea possint interesse Missę solemni, celebrant in sacello primo mane.

37 Equidem hæc tota res multum pendet à consuetudine, quæ non est vbique prorsus eadem, vt constat ex Doctoribus, & tamen maximè debet attendi, ne sequatur scandalum, quod difficilè vitatur violando mores receptos. Iuxta consuetudinem autem, quam Ego vidi per annos quadraginta tam in America, quàm in Hispania, & Italia, censeo, publicè posse celebrari Missas priuatas de consensu Superioris, quando festum incidit in Sabbathum Sanctum; nam id factum est aliquando, & causa suppetit sufficiens faciendi, nec consuetudo contraria præualere potuit in euentu tam raro. Rursus posse Missam priuatam ante solemnem dici, vbi causa suppetit, & talis consuetudo viget, nullus negare potest, qui nolit tot viros pios, & doctos culpæ, vel ignorantiæ damnare; causa sufficiens est, vt detur viaticum moribundo, & etiam, vt audiant sacrum, qui non possunt adesse solemni. Demum seclusa causa particulari, solum ex deuotione celebrantis vnum, vel alterum Sacerdotem post pulsata cymbala in sacello secreto celebrare, vbique ferè receptum esse, fatetur ipse *Vazquez*, & fundamentum secundæ sententiæ conuincit licere. Cæterùm receptum non est, ea die passim, & copiosè Missas celebrari sicut alijs diebus.

38 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, negando antecedens. Constat enim ex dictis cessasse prorsus prohibitionem celebrandi. Ad secundum respondetur introitum non haberi; nam olim Missæ priuatæ, quæ dicebantur initio noctis, incipiebāt à litania, vt constat ex *Micrologo*, *cap.* 53. Nunc verò quidam docent, posse dici Missam votiuam, quod Ego non probo. Nam à tota hebdomada maiori secluduntur Missæ votiuæ, ac multò magis ab illo triduo, & quamuis incidat festum in hoc Sabbathum, non potest dici Missa de illo, sic docet *Grauantus in Rubr. Missal.to.1.par.4 tit.10.nu.*43. Nonnulli volunt, & vsus recepit, vt dicatur introitus diei sequentis. *Gauantus supra*, & *Gemma lib.3.cap* 118 dicunt, Officium huius missæ inchoari per Kyrie eleison, & ideo finita confessione dicendum esse Kyrie eleison. Ad tertium negatur antecedens, nam vt constat ex supradictis *n.*32. Missa solemnis incipiente nocte dicebatur, & tunc dici poterant Missæ priuatæ: credibile tamen fit, paucos Sacerdotes vsos fuisse tali facultate, tum propter occupationem baptizandi Cathecumenos, & breuitatem temporis, tum etiā propter onus ieiunij, quod à prandio diei præcedentis, vsque ad Dominicam ferè seruare debuissent. Vnde forsan consuetudo manauit, vt etiam anticipato tempore celebrationis, pauci, vel ferè nullus priuatim celebraret, donec occupatione baptismi cessante, celebratio priuata magis inualuit, vt ostensum est.

CAP. V. QVÆST. IV.

Vtrum liceat eodem die sæpius celebrare.

39 SVppono primò, quamuis id iure naturali, vel diuino vetitum non sit, iure tamen canonico prohiberi. *cap. sufficit de consecrat. distinct.*1. *cap. consuluisti, cap. Te referente de celebrat. Missarum.* Ita *S.Thom.3 p.quæst.83.art.2.ad* 5. & Doctores communiter. Quia, licet non omnes isti textus æquè conuincant prohibitionem, vt expendit *Vazq.3.par. disp.*232. *c.*5. Tandem in tertio ponitur verb. *Mandamus*, quod clarè preceptum significat iam Ecclesiastica cōsuetudine praxiq; firmatū Indicatur in illis duplex huius prohibitionis ratio, prima mystica scilicet ad repræsentādam sufficientiam vnici sacrificij cruenti Christi Domini. Secunda moralis, quia vix potest homo se dignè præparare singulis diebus ad vni-

vnicam Missam. Constat etiam, non esse prohibitionem antiquam, siquidem Alexander Secundus, qui primus illam induxisse fertur, in prædicto *cap. Sufficit. creatus est Pontifex anno* 1061. Quapropter *Valfridus Strabo*, qui dicitur *obiisse anno* 849.*lib.de rebus Ecclesiasticis ca.*21. testatur, tunc licuisse cuilibet Sacerdoti, plures Missas eodem die celebrare, simulque refert *Leonem Papam, & Bonifacium Archiepiscopum septem, aut nouem Missas eodem die dixisse*. Nunc autem post prohibitionem positam, graue delictum esset, sæpius in die celebrare, grauiterque puniretur delinquens arbitrio Iudicis, quamuis Ius non statuat certam pœnam, vt notat cum aliis *Bonac.disp.*4.*qu.vlt.punc.*7.§ 5.*fine*.

40 Suppono secundò, duas huius prohibitionis exceptiones in prædicto cap. *Consuluisti contineri*, primam Natiuitatis Dominicę, secundam occurrentis necessitatis. Circa primam *glos.ibi colligit ex Telesphoro Papa.* cap. *Nocte sancta de consec.dist.*1. tres Missas in Natali Domini fore dicendas, id tamen ibi non exprimitur. *Valfridus vero sup.refert*, ita Telesphorum statuisse, quod iam MissaleRoman. præscribit: rationem reddit *S.Th. eo ar.*2.*ad* 2. vt triplex Christi generatio, diuina, temporalis, & spiritualis indicetur. *Henriquez lib.*9.*ca.*30.*num.*6. docet, Parochum eo die teneri dicere tres Missas ordine præscripto, quod tanquam probabile, sequitur *Bonac.supra puncto* 11.*num.*10. & probat. Quia multi fideles volent audire tres Missas eo die, nec debent debitis suffragiis, ac deuotione fraudari. Consonat *Trullench lib.*3.*Decal.c.*1.*dub.*5.*n.*5.*Miranda in Man.par.* 1.*quæst.*40.*art.*8. *Auersa de Euchar.qu.*11. *sect.*19.§.*Quia rursus*. Verum nec officiũ Parochi, nec decimæ, quas à fidelib. accipit, obligare videntur ad illam trinam celebrationem, cum ipsi Parochiani nõ teneantur audire tres Missas. Quare dicendum est, secluso scandalo, & contemptu, non teneri Parochos eo die, nisi Missam vnicam celebrare, sicut, & reliquos Sacerdotes; quia priuilegium est omniũ Sacerdotum posse ter eo die celebrare; nullius tamen obligatio. Ita docent *Fagund.præcep.*3.*lib.*3.*c.*16.*n.*2. *Naldus ver. Missa n.*15. probabileque censent *Trullench, & Bonac.supra*. Cœteri Doctores simpliciter asserunt, nullum esse præceptum dicendi, vel audiendi tres Missas eo die. Quomodo Sacerdos, qui communicat extra Missam, in die Natalis non possit celebrare, diximus *supra ca.*9. *qu.*4.*num.*46.

41 Suppono tertiò, circa secundam exceptionem censeri sufficientem causam necessitatis, quando Parochus coadiutore carens duas Ecclesias habet, ne scilicet alteruter populus die festo Missa priuetur, cum habeat vterq; ius audiendi Missam in sua Parochia. Conueniunt in hoc *S. Antoninus, Sotus, Nauarr.* quos sequitur *Bonac.disp.*4.*qu.vlt.punct.*7.§.5. *nu.*9. *Suar.tom.*3.*disp.*80.*sect.*3. *Vazq* 3.*p. disp.*232.*ca.*5. *Azor tom.*1.*lib.*10. *cap.*24. *qu.*8. *Laym.lib.*5.*tract.*5.*c.*4.*n.*6. *Fagund. præcep.*1.*lib.*3.*cap.*16. *Coninch. quæst.*83. *num.*212. *& alij communiter*. Colligitur ex *cap.Vnio* 10.*quæst.*3.*cap.qui plures* 21. *qu.*1.*ca.Audum de electione*.

Nota tamen primò, requiri, vt talis Parochus habeat diuersas Parochias in diuersis oppidis, & ob ipsarum tenuitatem nequeat habere coadiutorem. Ita censent *Azor, & Vazquez supra, Laym.* dicens, tales debere concurrere circumstantias, vt plures Sacerdotes haberi non possint. *Fagundez* postulans, vt non sit alius Sacerdos, qui possit in aliqua talium Ecclesiarum dicere Missam. Vnde fit, si vel Ecclesiæ sint intra idem opidum, (quo casu possunt vtriusque Parochiani in alterutram coire (vel Parochus ex redditibus Ecclesiarum possit alere coadiutorem, vel quomodolibet adsit Sacerdos, qui celebret in alterutra, cessare causam necessitatis. Quia tamen *Scotus, Suarez, Bonacin. Coninch. & alij*, hoc adeo non premunt, sed absolutè docent, Parochum habentem plures Parochias, in illis posse die festo celebrare; non auderem damnare peccati mortalis illum, qui de consensu Prælati tales habet Ec-

clesias cum facultate sæpè celebrandi, quamuis alium Sacerdotem non substituat, quoties possit.

42 Nota secundò, licet ob nullam necessitatem sæpius, quam bis in die celebrari permittant. *Paludan. in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 2. Durandus de Ritibus lib. 2. c. 7. Syluest. Missa primo qu. 7. Henriqu. lib. 9. c. 30. num. 7. Fagund. supra*, quia Pontifex *in cap. Consuluisti de celebr. Missar.* binam dumtaxat Missam in eodem die concedere videtur, debile fundamentum id esse. Quoniam consultus Papa; Vtrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare, (vt constat ex integra decretali) respondet, quod excepto die Natiuitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die celebrare; Vbi sanè non negat, sæpius quam bis celebrare licere, quoties par necessitas vrgeat sæpius celebrandi. Nimirum si Parochus, cuius coadiutores subitò morbo correpti sunt, tres Ecclesias habeat, in quib. omnibus Missa dicenda sit.

43 Quare dicendum est, sæpius, quam bis in die celebrare licere, si causa necessitatis suadeat. Quippè iura de pluralitate loquuntur indifferenter vrgēte necessitate, ac per consequens eadem proportionalis necessitas, quæ sufficeret ad secundam Missam dicendam, sufficiet ad tertiam, cum lex, & exceptio sit eadem: communiter tamen non occurret ita facilè necessitas dicendi tertiam Missam, sicut secundam. Ita *Suar. & Laym. supr. Coninc. n. 213. Bonac. n. 10. Philiarchus de officio Sacerd. lib. 2. ca. 5. Filliuc. tr. 5. num. 109. Manuel in Sum. tom. 1. c. 247. num. 5. Auers. quæst. 11. sect. 15. §. Excipitur. Cardin. de Lugo disp. 20. num. 47.*

44 An vero diebus etiam profestis, possit Parochus, qui duas habet Ecclesias, dicere duas Missas? Negant *Villalobos tom. 1. tract. 8. diffic. 21. num. 5. Nuñus 3. part. tom. 1. qu. 83. artic. 2.* Significans, oppositam sententiam improbabilem esse. Nam, vt deuotioni populorum satisfiat, sufficere videtur, vt alternis dieb. pro festis Parochus in singulis Ecclesijs sacrificet. Affirmant *Suarez, & Manuel supra. Ioannes de la Cruz in Direct. par. 2. de Missa dub. 3. concl. 2. Hurtado de Missa disp. 4. diffic. 3. Martin. tom. 4. disp. 40. nu. 7.* quando suppetit in vtraque Parochia sufficiens populi multitudo, quæ velit illis diebus audire sacrum. Tunc. n. videtur subesse causa sufficiens celebrādi sæpè talibus diebus, ne .s. populus suo sacrificio priuetur, & opportunitate audiendi Missam etiam diebus profestis. Sed prudenter monent, attendendam esse cuiusq; Diocesis consuetudinem, & constitutiones synodales, quæ solēt dies aliquos etiam profestos assignare, quib. liceat talibus Parochis dicere duas Missas, aut consulendum esse Prælatum, sine cuius consensu non consulerem id fieri, quando nec adest consuetudo recepta, nec constitutio concedens; & multò minus, si vetet.

45 Nota tertiò. Parochum coadiutore carentem, & habentem duas Parochias feria quinta Cœnæ solum in Parochia principaliori fore celebraturum, & Eucharistiam in monumento reconditurū, ne cogatur feria sexta, si velit in vtraque officium peragere, particulam immissam vino sumere, subindéque non ieiunus in secunda communicare. Quod etsi quidam admittant, ne alterutra Parochia priuetur officio illius diei, nullum ius petitur, nec authoritas probat. Quare, si Sacerdos non præuidens impedimentum in vtroque loco celebrauit, & Eucharistiam reposuit in monumento, poterit non sumere vinū in officio priori, nec illud in Calice mittere, sed solam particulam hostiæ, nam illa ceremonia non est adeo essentialis; si vero iam sumpsit vinum, non peragat officium in altera Parochia, sed recondat Eucharistiam in Sacrario: Sic docent *Suarez, Manuel, & Martinon supra.*

CAP. V. QVÆST. V.

Quæ sit alia necessitas sufficiens ad sæpè celebrandum eodem die?

Varij casus numerantur à Doctoribus, præter duos supra positos, quos sigillatim percurremus. Primus fit ob sacrificij perfectionem; nimirum, si Sacerdos post hostiæ consecrationem recordetur, se dixisse iam eo die Missam, non solum potest, sed etiam debet consecrare Calicem, & perficere sacrificium. Similiter si Sacerdos post hostiæ consecrationem deficiat, nec adsit alius, nisi qui iam Missam dixerit, & ablutionem, ac fortè cibos alios sumpserit, potest, & debet iterum celebrare, ne maneat sacrificium imperfectum, vt diximus *supra lib. 4. cap. 7. quæst. 8. num. 84.* & docet *Auersf. de Eucharist. q. 11. sect. 15. § Verum ex his.*

47 Secundus fit, ne moribundus sine viatico decedat, tunc enim omnes ferè conueniunt, posse dici secundam Missam, quia verè magna necessitas est communionis in articulo mortis. Ita *Sylueſter, Henriquez, Nauarrus, Toletus, Chamerota, Graffis, Azor*, quos sequitur *Bonacina disput. 4. quæstion. vltim. punct. 7. §. 5. num. 10. Coninch. quæst. 83. nu. 215. Fagund. præcept. 1. lib. 3. cap. 16. num. 8. Cardinal. de Lugo disput. 20. num. 44. Layman. lib. 5. tractat. 5. cap. 4. num. 6. Martinon. disput. 40. numer. 12. Auersf. supra*. Notant verò quidam istorum. Si Sacerdos moneatur de necessitate moribundi consecrata iam hostia, sed nondum sumpta; debere partem hostiæ reseruare; si iam sumpsit hostiam, & ablutionem, non posse non ieiunum dicere secundam Missam, vnde colligunt, rarissimè casum hunc euenturum, quia rarissimè continget, vt post sumptam hostiam, & ante sumptam ablutionem moneatur Sacerdos de tali necessitate prius ignota, nec sint aliæ particulæ consecratæ, nec Sacerdos, qui consecrare possit.

48 Ego certè per intrinseca principia non video, cur non sit probabile, posse Sacerdotem etiam post sumptam ablutionem dicere secundam Missam ad communicandum moribundum. Nam, vt vidimus *lib. 4. cap. 7. quæst. 7. num. 80.* probabilis est aliquorum sententia dicentium, posse Sacerdotem celebrare non ieiunum ad communicandum moribundum. Aliunde certum est, vt constat ex *numero præcedenti*, posse dicere secundam Missam ob eandem causam. Cur ergo Sacerdos, qui Missam dixit, & non est ieiunus, non possit dicere secundam Missam ad communicandum moribundum, saltem quando non potest æger aliud Sacramentum recipere, sibindèque nequit, si sit in peccato mortali, cum attritione alio medio saluari. Quia Missa dicta per se non obest, nec violatio ieiunij per se se. Concurrentia verò vtriusque simul non videtur præponderare saluti vnius animæ, quæ forsan sumpto viatico saluabitur, non sumpto damnabitur. Ego nihil definio propter extrinsecam Doctorum auctoritatem. In contingentia facti perpendat doctus Sacerdos, quid suggerat prudens charitas.

49 Tertius fit penuria Sacerdotum in aliqua regione, qui nequeant omnibus fidelibus satisfacere, nisi sæpè celebrent in eodem die, vt contingit in Anglia, in Hibernia, vel alijs Prouincijs hæreticorum. In Indijs Orientalibus, & Occidentalibus. Ita *Layman supra Fagund. num. 5. Henriquez lib. 9. cap. 30. numer. 7. lit. D. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 6. fine cum alijs*. Probatur, quia, cum in iure decernitur aliquid indeterminatum, determinatio relinquitur arbitrio viri prudentis. *leg. 1. ff. de iure delib. cap. de causis de officio delegati*. Sed in *cap. consuluisti de celebrat. Miss.* non determinatur, quæ necessitas sufficiat ad licitè celebrandum sæpius in die. Relinquitur ergo determinandum arbitrio prudentis. Et quidem *Gloss. ibi.* & alij Doctores censent, sufficere necessitatẽ, vel vtilitatẽ non dicentis, sed audientium. Quilibet autem prudens facilè iudicabit, vbi pro numero, vel dispositione Fidelium pauci suppetunt Sacerdotes, iustam occurrere necessitatem sæpius in die celebrandi.

Quod ad dies etiam profestos extendi poterit iuxta superius *dicta nu.*44. quando magna deuotio, & vtilitas audientium ita postulauerit, vt notat *Layman. supra.*

50 Quartus casus fit propter defuncti funus, quod cum Missa de Requiem fieri solet. In quo *Paludanus in 4.dist.*12.*qu.* 1.*art.*4 censet, posse Sacerdotem vnam Missam de die, alteram pro defuncto celebrare; imò secundum Raymūdum, ex eo solum, quod Parochianus petat Missam pro defuncto, & *Glos.in cap.consuluisti de celebrat.Missar.*id colligit ex *cap.sufficit de consecrat.dist.*1.vbi conceditur, vnam Missam fieri de die, alteram pro defunctis, si necesse fuerit.

Dicendum tamen est, solam petitionem Parochiani non sufficere, vt post Missam diei dicatur Missa pro defunctis, Quia Pontifex etiam in *cap.sufficit*, requirit necessitatem, dicens, si necesse fuerit. Et multò magis in dicto *cap. Consuluisti*. Sola vero petitio Parochiani non inducit necessitatem. Ita *Suar.tom.* 3.*disp.*80.*sectio.*3.*Vazqu.*3.*par. disp.*232. *cap.*5.*Bonac.Layman. Coninch. Fagund. supra.Diana par.*2.*tract.*14.*resolut.*56.*& Doctores communiter*. Si vero funus occurrat, in primis, quando præuisum fuit ante primam Missam, debuit Parochus non celebrare, sed expectare cadauer, vt semel celebrando satisfaciat funeri. Deinde, si dicta prima Missa, nec dum ablutione sumpta repente nuntietur, vel adducatur cadauer, vbi consuetudo, vel constitutio synodalis habet, ne quis sepelliatur sine Missa. *Ledesma* 2.4.*quæst.* 24.*art.*2.*Tabienna verbo Missa num.*42, *Henriquez*, *& Fagundez supra dicunt*, posse secundò celebrari, dum non adsit alius, qui celebret, & probabile censet *Filliuc.trac.*5.*num.*110.

51 Sed equidem rarissimè continget euentus cum his omnibus circumstantijs, & quamuis contingat, ipsimet Doctores fatentur, non esse secundò celebrandum, vbi non vrget consuetudo, vel constitutio synodalis ad coniungendam funeri Missam. Iam vero ferè nullibi vget (quod sciamus) imò sæpè fiunt funera post prandium sine sacro; non igitur cogit necessitas ad bis celebrandum eodem die ratione funeris. Ita *Suar.Vazquez, Martinon disp.*40. *num.*10. *Cardinal.de Lugo num.*45.*& communiter Recentiores*.

52 Quintus fit, quando nuptiæ benedicendæ sunt, & Parochus iam fecit Sacrum. Hunc casum admittunt *Sanctus Antoninus part.*3.*titulo* 13.*cap.*6.§.4. *Paludanus, & Henriquez supra*. Cœteri vero Doctores communiter illum reijciunt. Nam, vt notat *Coninch.quæst.*83. *num.*214. ferè numquam contingit, ita subitò nuptias contrahi, quin Parochus antea moneatur. Quod si demus, interdum contingere, nec posse in sequentem diem differri, cur illa Missa nuptialis non poterit sola populo quoque deseruire? nec benedictio nuptialis tanti refert, vt tam graui præcepto præponderet.

53 Sextus casus fit, quando templum exiguum in festo solemni semel non capit populi multitudinem. Tunc *Leo Papa Epistola* 81.*cap.*2, dicit posse sæpè celebrari, Sequuntur *Durantus lib.*2.*de ritibus cap.*7.*Moure part.*3.*cap.*5.§.7.*num.* 5 *Layman supra*. *Coninch.numero* 216. *Martinon num.*8. probabile dicunt *Suarez*, *& Filliuc.* quia necessitas videtur sufficiens, & accedit authoritas Pontificis Leonis. Adhuc negat *Manuel in Summ.tomo primo capite* 247.*num.quinto fine*.

Probatur primò: Quia Pontifex forsan non loquitur de eodem Sacerdote, vt notat *Suarez*. Probatur secundò. Nam quod multi non audiant sacrum, videtur esse minoris momenti, quam sit violatio legis, quæ iam tam strictè seruatur; Siquidem in multis pagis frequenter diebus festis contingit, vt multi nequeant audire sacrum, eo quod vnica Missa dicatur, cui cuncti simul interesse non possunt, & tamen Prælati malunt, hoc permittere, quam concedere, vt Parochi bis eodem die celebrent.

54 Iste

54 Iste casus in praxi rarissimus erit, nã in his solemnitatibus cõmuniter est copia Sacerdotum. Si verò desit, & vnicus adsit, celebrari solet ad ostiũ templi super aram portatilem, vt omnes audire possint. Quod si commodè nequeat fieri sacrum extra templum, ob auctoritatem Leonis Papæ poterimus in praxi sequi partem affirmatiuam. Nam verè Leo loquitur de pluribus Missis ab eodem Sacerdote dicendis. Quippè de pluribus dicendis à multis non erat dubitãdi ratio; nec ad id requiritur populi multitudo, quod demum concedit *Manuel supra.*

55 Septimus fit, quoties in die festo post factam consecrationẽ, & ante sumptam ablutionem superuenit peregrinorum copia, vel etiam Antistites, aut Magnates, qui non habent alium Sacerdotem, à quo Missa audiant, tunc ablutione non sumpta, posse dici secundam, cẽsent *Toletus lib.2.c.3.n.4. Henriq.lib.9.c.30.n.7. Fagund.precep.1.lib.3.c.16.nu.6.* At verò *Coninch. quæst.83.n.215.* distinguit. Si sit exigua Peregrinorum multitudo, nullam habendam esse rationem illorum. Nec enim tam incommodum est, paucos aliquos non audire sacrum etiam die festo, quam violare generalem Ecclesiæ consuetudinem non celebrandi bis. Secus forsan esse, si sit ingens multitudo, quæ sacro carebit.

56 Absolutè refellunt hunc casum, *Salzedus in Pract.cap.42. pag.128. Manuel in sum.to.1.cap.247.conclus.7. Martinon disp.40.num.13. Cardinal. de Lugo disp. 20.nu.45. Suar. Vazquez, Bonac. Filliuc. supra cum alijs*, quod reputo probabilius. Quia parui refert, eo die sine Missa manere, siue Principem, siue Peregrinos, qui tam serò venerunt, ita vt ipsis imputetur ad culpam, si se tali periculo probabiliter exposuerunt; quamuis postea Missam audiant, vel sine culpa sint; si prudenter existimarunt, se opportunè peruenturos. Nec Episcopi deuotio, vel congruentia Missam audiendi præponderat tanto præcepto.

57 Octauus casus fit, si concurrant eodem die duę Missæ dicendę, vna de festo, altera de vigilia, vel Rogationibus, vel defunctis, & non sit, nisi vnicus Sacerdos. Tunc admittunt, dici posse duas Missas ab eodem Sacerdote, *Sanct. Antoninus, & Tabienna*, quos sequitur *Henriquez supra.* Fauet *S. Thom.3.par.quæst.83.art. 2.ad 2.* Et quidem *Suar.tom.3.disput.80. sect.3. & Filliuc.tractat.5. num.110.* putant id licere, si sit dies Paschæ, vel similis, in quo dici debeat Missa pro Defunctis, & vnicus adsit Sacerdos. Quia nullus esse potest casus maioris necessitatis moralis, de quo capiatur *textus in cap. sufficit de consec. distinct.1.* dicens, in casu necessitatis licere facere Missam vnam pro Defunctis, & alteram de die.

Meritò tamen absolutè refellũt istum casum, *Vazquez 3.part. disput.232. num. 49. Layman.lib.5.tractat.5.cap.4.num.6. Coninch.quæst.83. numer.216. Auersa de Missa quæst.11.sect.15.§. Plures autem. Fagund. supra num.10. Martinon. num. 11. Cardinal. de Lugo num.45.* Quoniam insufficientem reputant istam causam ad iteratam celebrationem; cum enim vnicus adest Sacerdos, sufficiet Missã celebrari iuxta maiorem obligationem, minorem verò, vel omitti, vel differri. Quod si dies festus sit valdè celebris, non decet fieri sacrum de Requiem, sed in sequentem diem erit differendum. Si verò dies festus non sit ita celebris, nullum est inconueniens, non fieri sacrum de festo, præsertim in tanta penuria Sacerdotum. Quare *textus in cap. sufficit*, si de tali casu loquatur, repugnat (vt inquit *Coninch.*) modernæ praxi Ecclesiæ. Vel ergo diuersus est casu illius capitis, vt indicant illa verba, si necesse fuerit, & forsan ad quartum casum referri possunt, vel olim erat facilior permissio sæpiùs in die celebrandi, quam modò, vt notat *Victoria de Eucharist. quæstion.96.* Quapropter iuxta præsentem Ecclesiæ morem hic casus non est admittendus.

58 Aliqui numerant nonum casum,

quando mos est in vna Parochia bis celebrandi, & alter Sacerdos ęgrotat, item decimum, ob paupertatem Sacerdotis. Sed hos casus meritò reijciunt Doctores communiter. Nec enim consuetudo particularis Ecclesiæ debet tanto præcepto, & communi totius Ecclesiæ consuetudini derogare. Nec paupertas Sacerdotum iterata celebratione subleuari debet, præsertim cum *Alexander Secundus in dicto cap. Sufficit*, expressè prohibeat, iteratam celebrationem pro pecunia fieri. Videatur *Manuel in Summ. tom. 1. cap. 247. conclus. 5.*

Notant primò *Sotus in 4. distinct. 13. quæstio. 2. artic. 2. Azor tomo primo libro 10. cap. 24. quæst. 6. Fagund. præcep. 1. libro 3. cap. 16. num. 12. Bonac. cum alijs disput. 4. quæstio. vltima punct. 7. §. 3. numero 10. Diana cum multis par. 2. tractat. 14. resolut. 56.* prædictos casus olim ferè fuisse receptos, vt in plurimum ob paucitatem Sacerdotum, nunc autem ob eorundem copiam in desuetudinem abijsse. Quare sicubi nunc etiam daretur tanta raritas Sacerdotum, vt in casibus, quos diximus, esse sufficientis necessitatis, nullus alius Sacerdos suppetat, licebit pariter iterata celebratio iuxta morem regionis, & de consensu Prælati, si possit obtineri.

Notant secundò *Syluester Missa 1. qu. septima. Nauarrus capit. 25. numero 87. Henriquez libro nono cap. 30. numero 7. Coninch, & Layman supr.* licere pariter sæpius in die celebrare, quoties occurrat iusta necessitas etiam extrinseca; videlicet populi perturbatio, multorum quærimonia, vel scandalum, nisi rursus celebretur. Nam in cap. *Consuluisti de celebra. Missar.* generaliter petitur iusta necessitas, & quia iure non determinatur, relinquitur arbitrio prudentis.

CAP. V. QVÆST. VI.

Qua hora liceat celebrare?

59 Cap. *Nocte Sancta de consecrat. distinct. 1. præcipitur, vt hora tertia Missa celebretur; sed hoc vel intelligitur de Missa solemni, vel quoad Missas priuatas iam abrogatum est.* Et Regula Missalis sic ait. Missa priuata quacumque hora ab Aurora vsque ad meridiem dici potest, & *Concilium Toletanum anni* 1583. dicit, Nullus ante auroram, vel post meridiem celebret. Sic etiam docent *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 2. ad 4. & Doctor. communiter.* Ratio redditur, quia sic receptum fuit in praxi, quam Regula Missalis confirmauit.

60 Auroræ nomine non intelligitur ortus solis, sed eius irradiatio prima, quam alii vocant primam aeris illuminationem, vel initium lucis, aut crepusculi, quod equidem præcedit solis ortum per vnam, aut duas horas pro varietate tēporum. Nam circa æquinoctia præcedit per horam, & quadrans; circa solstitia præcedit per duas horas, & quadrans; circa media tempora plus, minusue, prout magis accedit ad hunc, vel illum terminum. Ita *Card. de Lugo disp. 20. nu. 31. Auers. qu. 11. sect. 5. §. Quarto intra.*

61 An autem expectandum sit initium auroræ ad inchoandam Missam. Affirmat *Vazquez 3. part. disp. 232. num. 27.* Nam terminus incipiendi Missam est aurora. Non ergo poterit prius inchoari sine priuilegio, vel iusta causa. Negant verò *Victoria num. 97. Reginald. libro 29. num. 173. Bonac. disput. 4. quæstio. vltima punct. 9. num. 2. Henriquez libro nono ca. 24. num. 5. Suarez tom. 3. disput. 80. sectio. 4. Cardinal. de Lugo num. 33. Auersa supra.* Quia res moralis non est mathematicè mensuranda. Quare sufficit, vt pars aliqua Missę dicatur post auroram. Etsi per semihoram antea fuerit inchoata; sicut etiam sufficit, vt Missa inchoetur ante meridiem, etsi maior illius

pars

pars dicatur post meridiem, vt fatetur ipse *Vazquez*. Sic igitur assignantur isti duo termini, scilicet aurora, & meridies, vt non tota Missa, sed aliquid illius debeat intra illos contineri.

61 Conueniunt *Sanctus Thomas supra. Sylvester Missa 1. quæstione sexta. Angelus verbo Missa numero 42. Moure part. 3. capit. quinto §. 14. num. secundo. Fagundez præcept. 1. libro tertio cap. 17. numero sexto. Azor. tomo primo lib. 10. cap. 25. quæstione sexta, & alij communiter*, peccare mortaliter celebrantem ante, vel post horam debitam notabiliter.

Vbi satis innuunt (quod expressit *Auersa*) si non sit notabile tempus, quo tota Missa scienter, & sine iusta causa, vel anteponatur, vel postponatur termino debito, committi culpam solum venialem ob leuitatem materiæ. Nam hæc res non est adeò grauis, nec respicit punctum indiuisibile, sicut ieiunij præceptum, respicit punctum mediæ noctis. Quota vero pars temporis sit notabilis, ac subinde sufficiens ad mortale peccatum? *Azor supra* dicit, esse tertiam horæ partem. *Fagundez* requirit dimidiam. *Bonacina eo puncto nono numero septimo*, requirit spatium trium quadrantium, aut vnius horæ. Mihi videtur, arbitrio prudenti dijudicandum id esse, sicut in aliis præceptis materiæ grauitas, & leuitas, præcognitis iudiciis Doctorum, & circumstantiis occurrentibus, prudenti tandem arbitrio decernitur.

63 Ab hac regula excipitur primò dies Natalis Domini, in qua conueniunt Doctores, primam Missam dici posse mox post mediam noctem, & sic seruat praxis Ecclesiæ. Nam hoc saltem conceditur in cap. *Nocte Sancta, de consecrat. distinctione prima*. Sed petes primò. An omnes tres Missæ noctu dici possint? Negant *Sylvester, Angelus, Armill. Tabien. verbo Missa. Sotus, Nauarrus, Richardus*, quos sequuntur *Henriquez libro nono cap. 24. numero quinto. Fagundez præcept. 1. libro tertio cap. 16 numero tertio, & cap. 17. numero secundo. Petrus de Ledesma tomo primo Summ. ca. 19. conclus. 9. Miranda prima part. quæstio. 40. articulo octauo conclus. 2. Moure part. 3. cap. quinto §. 7. num. tertio. Villalobos part. 1. tractat. 8. difficult. 22. numero tertio. Hugolinus de potestat. Episcop. cap. 16. numero 5. Ioannes de la Cruz in direct. part. 2. de Missa, quæstio. secunda dub. 1. A costa in expositione Bulla quæstio. 32. Squillante de obligationibus Cleric. part. 1. Bonac. disput. quarta quæstio. vltima punct. 9. numero quinto. Nugnus 3. part. quæstio. 83. articulo 2.* Vocans oppositam sententiam improbabilem.

Probatur primò, nam Rubricæ Missalis præscribunt, vt prima Missa dicatur in nocte, secunda in aurora, tertia in die.

Probatur secundò, nam in ipso Canone Missæ dicitur. Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes pro prima Missa, pro aliis vero duabus dicitur, & diem sacratissimum celebrantes.

64 Affirmant vero *Suar. 3. part. tom. 3. disputat. 80. sect. 4. Vazquez 3. part. disputat. 232. num. 31. Layman libro quinto tractat. 5. cap. 4. numero 2. Reginald. libro 29. numero 174. Coninch. quæstio. 83. numero 218. Puteanus 3. part. quæst. 83. art. 2. Sylvius ibi. Manuel tom. 1. Summ. cap. 247 conclusio. 5. Molfesius tom. 1. Summ. tractac. 3. cap. 10. numer. 22. Zenardus in director. part. 1. de Eucharist. cap. 9. quæstio. 7. Scortia de Missa lib. 2. cap. 15. numero 5. Cardinal. de Lugo disputatio. 20. numer. 25. Auersa supra §. Admittitur. Diana part. secunda tractat. 14. Resolutio. 35. & part. 4. tractat. 4. resolut. 236.* Probatur, quoniam in iure non prohibetur celebratio talium Missarum noctu, quin potius *Thelesphorus Papa in eo capitulo. Nocte Sancta* dicit in plurali. Nocte Sancta Natiuitatis Missas celebrent Presbyteri, quod non solum referri potest ad plures Sacerdotes, qui singuli possint vnam Missam celebrare, sed etiam ad singulos,

gialos, vt quilibet possit celebrare Missas, & *Platina in vita Thelesphori*, sic ait. *Statuit, vt in Natali Iesu Christi noctu tres Missæ celebrentur*. Confirmatur primò, ex consuetudine sic iam recepta tam in Vrbe sub oculis Summi Pontificis, quam in toto ferè orbe, vt non possit de huius sententię veritate nunc temporis prudenter dubitari. Confirmatur secundò, ex congruentia. Nam in tanta multitudine Sacerdotũ vix possent omnes celebrare ter in die, quę tunc est breuissima, nisi per noctem etiam, quæ longior est, plures Missæ celebrentur à multis.

65 Ad primum in oppositum respondetur. Rubricam Missalis intelligendam esse de Missis solemnibus, seu conuentualibus, ad quas præcipuè respicit ea temporum, vel horarum distributio. At in Missis priuatis, nec magni refert, nec necessarium est seruari talem horarum distributionem. Quod in alijs horis, vel officiis Ecclesiasticis similiter ferè contingit.

Ad secundum respondetur eam verborum diuersitatem nihil obstare; nam in officiis diuinis verba non semper referuntur ad tempus, in quo dicuntur, sed ad tempus, pro quo repræsentandò dicuntur. Vnde, quamuis in prima Missa dicatur, noctem sacratissimam venerantes, nemo negat, quin ea Missa priuata dici possit in plena diei luce. Similiter ergo fieri poterit è conuerso. Quapropter immeritò vocat *Nuñus* nostram sententiam improbabilem, vt notat *Diana supra*.

66 Petes secundò. Quam Missam dicturus sit Sacerdos, qui velit vnicam in Natiuitate celebrare? *Gauantus in Rubricas Missalis tom.1.part.4.tract.3.n.6.* censet, si celebrare velit in die dicendam esse primam, vel potius tertiam, cuius oratio cum officio concordat. Si verò celebrare velit in nocte Doctores *supra relati num.63.* consequenter dicunt, primam omninò dicendam esse. Cęterum siue noctu, siue diù celebret, potest Sacerdos dicere, quã maluerit, aliis omissis. Quia facultas dicendi tres Missas in illo festo non limitatur ad hanc, vel illam seligendam. Ita *Suarez, Manuel, Zanardus, Hugolinus, Petrus de Ledesma Villalobos supra, Diana part.2.tract.14. resolut.39.*

67 Excipitur secundò necessitas, ratione cuius conueniunt Doctores, posse fieri sacrum ante lucem, quoties id necessarium esset ad communicandum infirmum alioqui forsan sine Viatico moriturum. Quia nec consuetudo, nec præceptum Missalis obligare censetur cum tanto rigore, vt non sit maioris momẽti succurrere moribundo, quàm expectare lucem ad celebrandum. Et quidem id de licentia Superioris, vel Episcopi fieri posse, docent *Alexander, Angelus, Syluester apud Vazquium 3.part. disp.232.num.29.* Addunt *Nauarr. c.25. num.85. Moure part.3.cap.5.§.14.num.1. Manuel tom.1. Summ.cap.248. num.1. Azor tom.1.lib.10.cap.25.quæst.7.* Etiam sine licentia Superioris absentis, scilicet per Epikijam argumento *cap. Quod non est de Regulis Iuris.* At *S. Antoninus, Paludan. & Gabriel.* quos sequitur *Vazquez supra*, nulla facta mentione licentiæ Superioris ob solam moribundi necessitatem id fieri posse concedunt, & *Henriqu. li.9.cap.24. num.5.* dixit, expresse sine licentia Episcopi licere. Nam ipsa necessitas moribundi per se satis excusat.

68 Limitant hoc, vt non liceat statim post mediam noctem, sed parum ante lucem. *Azor. Henriquez supra. Fagund. Precep 1.lib.3.cap.17.num.15. Zambranus cap.3.dub.6.num.8. Bonacin. disput.4. quæst.vltim.punct.9. num.3.* Absolutè dicunt, nocte, vel ante lucem in hoc casu posse celebrari. *Syluester Miss.1. quæst. 6. Nauarrus, & Moure sup.* addunt *Manuel tom.4. Summa verb. Missa cap.51. conclus.17. & Cardin. de Lugo disput.20. nu.26.* limitationem illam reijciendam esse, quia nulla ratione fundatur. Ideo posse media nocte propter moribundi communionem celebrari, docent *Layman lib.5.tract.5.cap.4.num.2. & Diana par.2.tract.14.resolut.33.fine.* Tunc enim etiam

etiam præponderat moribundi necessitas, qui, si diutius expectet, forsan sine viatico discedet.

69 Huc etiam pertinet necessitas iter faciendi. Et quidem inter Episcopi prærogatiuas numeratur, quod itineris causa, vel ipse, vel alius coram ipso possit ante lucem celebrare. Sic docet *Gloss. in cap. final. de priuileg. in 6. quam communiter recipiunt Doctores: & Suar. tom. 3. disp. 80. sect. 4.* dicit, hoc forsan non esse tàm ex priuilegio, quàm ex ordinaria Episcopi potestate. Nam *Doctores communiter affirmant*, Episcopum posse concedere facultatem aliis celebrandi ante lucem, vel ordinario iure, vel consuetudine recepta. *Vazquez vero supra* putat, Episcopos ordinaria potestate non posse circa celebrationis horam dispensare, vel vniuersale priuilegium concedere, quoniam hanc potestatem in leges Pontificias non habent, sed ob aliquam iustam causam in aliquo casu dispensare posse, nimirum ex interpretatiua concessione Pontificis. Mihi videtur Episcopus itineris causa, vel alius coram ipso posse finire Missam, antequam incipiat aurora; cum aliis autem in hoc præcepto dispensare posse, vel ex consuetudine recepta, vel ex ordinaria potestate dispensandi, sicut in aliis præceptis.

70 Posse quemlibet Sacerdotem ob necessitatem iter faciendi, vel similem ante debitam horam celebrare, docet *Henriquez supra, & Sà verbo Missa nu. 27.* sic ait. Ante auroram celebrare licet ob necessitatem, aut vrgentem causam, vt obiter faciendum. At in editione correcta dicitur. Non licet ante auroram notabiliter, aut post meridiem celebrare, sine dispensatione. Meritò quidem, quia non solum repugnat Rubrica Missalis, sed etiam consuetudo, sola quippè commoditas itineris non videtur excusare, nec timorati Sacerdotes id faciunt sine priuilegio. Sic docent *Fagund. supra num. 18. Layman num. 3.* qui tamen excipit cum *Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. artic. 2.* nisi modica sit anticipatio, cuius in materia morali ratio non habetur, vel nisi causa publica sit, verbi gratia, quia Populus peregrinationem institutūrus est; adde pariter, nisi consuetudine sit inductum, vt quando dies breuissimi sunt, longè ante lucem pro famulis, operariis, & viatoribus sacra fiant, quod in Germania, Belgio, & Aquitania receptum esse, testantur *Gabriel lect. 14. in Canonem, Nauarrus, & Vazqu. & Laym. supra. Fagundez num. 17. Coninch. qu. 83. num. 217.* talem morem approbantes, quoniam alioquin in illis locis vix illi famuli possent vnquam audire Missam.

71 Excipitur tertiò priuilegium, quale dicuntur habere Cardinales, vt quamuis iter non faciant, celebrent ante lucem. Ita testantur *Henriquez, & Vazquez supra, Diana part. 6. tractat. 8. resolut. 40.* Item omnibus ferè Regularibus concessum est, vt ante lucem, vel post meridiem ex causa celebrare possint. At notant primò *Francolinus tractat. de temporibus horarum cap. 39. num. 21. Azor supra quæst. 5. Fagund. num. 4.* tale priuilegium, etsi concedatur absolutè, per horam dumtaxat intelligendum esse, nam id sæpè solent Pontifices exprimere; Si vero maius spatium exprimatur, valebit. Sic refert *Manuel in Bullario Regularium per Bullam 13. Alexandri 6.* posse Benedictinos facere sacrum duab horis post mediam noctem; nam quamuis id concessum fuerit soli conuentui de Monte ferrato, postea *Clemens VIII. in Bulla 22. eiusdem Bullarij*, facultates illius conuentus extendit ad totam Congregationem, & consequenter ad omnes, qui participant eius priuilegia.

72 Notant secundò *Azor supra. Fagundez num. 3. Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 6. priuilegia circa hoc ante Tridentinum concessa*, fuisse idem Concilium reuocata *sess. 22.* decreto *de obseruandis, &c.* vbi præscribit inter alia, *ne Sacerdotes alijs, quam debitis horis celebrent*, & addit in fine *non obstantibus priuilegijs, & constitutionibus quibuscumque.* Melius vero *Manuel tomo 1. Regularium qu. 43. art. 5. Cardin. de Lugo num. 29. Auersa §.*

Dein-

Deinde censent, ea priuilegia non esse reuocata per Tridentinum. Nam Concilium ibi solum iniungit Episcopis, vt, quę præscribuntur eo capite, seruari curent. Igitur, vbi non repugnant Episcopi, licitus erit Regularibus vsus talium priuilegiorum, de quibus subindè tamquam de non reuocatis, loquuntur aliqui post *Tridentinum*, quos sequitur *Diana part. 2. tract. 14. resol. 33.* Postea *Gregor. XIII. concessit Congregationi S. Iustinæ*, vt in itinere possint celebrare Missam post mediam noctem, & ante lucem, & nostræ Societati concessit, vt per horam ante auroram, vel post meridiem celebrent, vel itineris, vel alterius impedimenti causa. Et quamuis *Sixtus V. anno 1587. Bullam edidit*, vbi præcipit, seruari *Tridentinum*, & derogat priuilegijs contrarijs, *Manuel tom. 1. Summ. cap. 248. num. 1.* dicit priuilegia valere, nam illa Bulla in multis Diœcesibus non fuit publicata, nec creditur, fuisse recepta saltem, quoad forum internum.

CAP. V. QVÆST. VII.

An liceat celebrare post meridiem?

73 Circa terminum istum *S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 2. ad 3.* docet, diebus festis celebrari Missam hora tertia, qua Christus crucifixus fuit linguis Iudæorum, diebus pro festis hora sexta, qua Crucifixus fuit manibus militum, diebus ieiunij hora nona, qua expirauit in Cruce. Quare prima sententia tempus celebrationis extendit vsque ad horam nonam, idest tertiam post meridiem, paulò magis, aut minus, nempè diuidendo tempus diurnum in duodecim horas. Ita *S. Antoninus, Scotus, Durandus, Durantus, Richardus, Paludanus, Pitigianus apud Auersam de Missa, q. 11. sect. 5. §. Quinto ex Salcedus in pract. cap. 26. num. 4 fine. Llamas in Methodo part. 3. cap. 5 §. 28.* Probatur primò, nam sacrificium incruentum debet respondere cruento, quod hora nona Christi morte consumatum fuit. Probatur secundò. Nam diebus ieiuniorum, Missarum solemnia celebrari debent circa vespertinas horas, vt habetur *cap. solent de consecrat. dist. 1.* Probatur tertiò, quia non est ratio, nec textus prohibens ieiuno (quando sine scandalo potest) facere sacrum circa nonam horam, & generalis Ecclesiæ consuetudo contraria, quam iam suo tempore Gabriel agnouit, non videtur, causa Religionis introducta fuisse, sed ob hominum fragilitatem non valentium tamdiù perferre ieiunium, quare non censeri debet obligationem induxisse, sed fauorem, cui quilibet renunciare possit, & hanc sententiam improbabilem non esse, dicit *Lessius 3. par. quæ. 83. num. 75.*

74 Secunda sententia negat, licere post meridiem celebrare. Sic docent *Maior. Scotus, Ioannes Andreas Francolinus*, quos sequitur *Fagundez precept. 1. lib. 3. cap. 17. Suarez tom. 3. disput. 80. sectio. 4. Vazquez 3. part. disp. 232. cap. 4. Coninch quæst. 83. num. 219. Henriquez lib. 9. c. 24. num. 6. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 4. nu. 3. Filliuc. tract. 5. num. 113. Bonac. disput. 4. quæst. vltima punct. 9. num. 1. & 7. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 25. quæstio. 2. cum alijs.* Probatur primò, quia licet nullus Canon expresse prohibeat celebrationem post meridiem, extat tamen generalis Ecclesiæ consuetudo confirmata Rubric. Missalis, & per consequens per Sum. Pontifices approbata. Consuetudo vero vim legis habet, quando sic approbatur, &, quamuis ex hominum infirmitate cæperit introduci, continet reuerentiam sacrificij, cuius decentiæ congruit, vt ante prandium offeratur, sic enim tàm ministrans, quàm audiens deuotius assistent; habet autem iam consuetudo communionis, vt prandium vltra meridiem non differatur, & ideo meritò receptum fuit, vt etiam Sacra circiter meridiem finiantur.

75 Probatur secundò. Nam *Tridentinum sess. 22. cap. de obseruand. &c.* dum præscribit, ne Missæ celebrentur, nisi debitis horis, planè per horas debitas intelligit eas, quas Missale præsignat, cum debea-

debeamus Missali conformari. Sic videtur intellexisse *Tridentini mentem Concilium Toletanum anni* 1583. *act.* 3. *c.* 42. dicens; *nullus ante auroram, aut post meridiem celebret.* Probatur tertiò, quia priuilegia concessa Regularibus ad celebrandum per horam post meridiē, satis indicant, id sine priuilegio non licere, non enim Regulariter conceduntur ad sedandos duntaxat scrupulos, sed ad aliquid operandum vltra ius commune. Frustra quippè precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *leg.* 1. *C. de thesaur. cap. si Papa. de priueleg. in sex.*

76 Equidem absolutè secunda sententia præferri debet, quam hodie Missalis approbat, & communis sensus fidelium. Adhuc tamen *Azor. supra dicit*, primam sententiam non esse admodum improbabilem, & *Henriquez*, sic eam refert eo *numero* 6. *littera Z.* vt approbare videatur.

Nec est omnino certum, consuetudinem non celebrandi post meridiem receptam esse cum obligatione graui; forsan enim sicut ob humanam fragilitatem introducta fuit, sic in eius leuamen conseruatur, aliquali tamen liberalitate retenta, ita vt latiùs accipiatur meridies, quam aurora, nec solum liceat inchoare Missam in meridie, quamuis ferè tota dicatur post illum, sed etiam aliquantò post meridiem inchoari possit. Ita *Cardinal. de Lugo disput.* 20. *nu.* 38. & 41. *Diana part.* 2. *tractat.* 14. *resolutio.* 34. & *part.* 5. *tractat.* 13. *resolut.* 7. *Auers. quæst.* 11. *section.* 15. §. *Attamen.* Quanto verò tempore post meridiem liceat inchoare Missam, variant Doctores. Quidam assignant tertiam horæ partem. Quidam dimidiam horam. Alij tres quadrantes. Alij horam. Authores refert *Diana*, & *Auersa supra*, qui subdit, attendendam esse locorum consuetudinem, & quidem apud plerosque magnates celebrari solet hora secunda pomeridiana, videntibus Prælatis & tacentibus.

77 Episcopus potest ob iustam causam dispēsare, sicut in alijs Ecclesiasticis præceptis; & sine dispensatione potest celebrari post meridiem ad communicandum moribundum. *Bonacina limitat ad mediam horam. Vazquez ad tres horas. Melius Auersa*, §. *Admittunt.* reijcit istam limitationem; & *Henriquez Layman, Fagundez sine limitatione loquuntur*: Vide supra dicta *numer.* 68. nam idem est de vtroque termino, quoad istam exceptionem. An autem Sacerdos debeat esse ieiunus, vt *Fagundez, & Auersa requirunt?* vide, quæ dixi *num.* 48. Similiter ob publicam causam, quoties in diebus festiuis Missa solemnis, aut concio finitur post meridiem, inchoari possunt Missæ priuatæ post illum, nam quamdiu durat officium Missæ solemnis, pro Missis priuatis idoneum tempus censetur. *Bonacina supra* censet, in hoc casu non posse Missam priuatam inchoari post finitam solemnem sine licentia Episcopi. Melius asserunt *Suarez*, & *Layman supra*, & *Manuel in Summa tomo primo capit.* 248. *numero secundo*, & *tomo primo Regularium quæstio.* 43. *articulo secundo.* Si Missa solemnis, & concio non finiantur vsque ad vnam, vel duas horas post meridiem, licere postea Missam priuatam inchoare, præsertim, si pars aliqua populi nullam audierit, & planè sic habet consuetudo timoratorum etiam, & Regularium; nec Episcopi licentia requiritur, cum ipsa necessitas sufficientem præbeat excusationem.

Pariter ob Principis funus posse Missam inchoari longè post meridiem, censent *Layman*, & *Fagundez communiter* tamen, si dicenda sit Missa, solet ante meridiem inchoari, quamuis finiatur longè post illum.

78 Ratione itineris Episcopos posse sicut per horam ante lucem, sic etiam post meridiem celebrare, vel audire celebrantem, docet cum alijs *Fagundez Precept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 16. De cœteris Sacerdotibus negat *num.* 18. quia nullibi constat, ipsos frui tali priuilegio, quod Episcoporum proprium est.

est. At ratione, vel itineris, vel similis necessitatis omnibus Sacerdotibus licere per horam, post meridiem celebrare. Censent *Henriquez, Suar. Filliuc. Laym. Auersa, Diana*, quia maior latitudo conceditur in hoc termino, quàm in matutino, vt diximus *sup. n. 76.* Quod si Doctores ibi relati moraliter extendunt meridiem vsque ad primam horam pomeridianam etiam non vrgente necessitate, Simpliciter enim loquuntur *Auersa, & Diana, & Philippus de Cruce trac. 10. §. 3. corollar. 2.* nihil mirum, Si ratione necessitatis extendatur: & quidem alij Doctores ad illam extensionem exigunt causam aliquam, qua subindè posita multò tutior erit celebratio per horam post meridiem.

79 Iuuant etiam priuilegia, & quidem Regularibus concessum est, vt vna hora post meridiem celebrare possint itineris, vel alterius impedimenti legitimi causa. Circa quod *Auersa supra*, sic ait: non propterea vbi consuetudine ampliatus est terminus post meridiem, debet priuilegium ampliari per horam post totum terminum consuetum; sed seruanda sunt verba priuilegij. Melius tamen *Suarez disput. 80 sectio. 4. Filliuc. tract. 5. num. 112. Bonac. disp. 4 quæst. vlt. punct. 9. num. 7. Cardin. de Lugo num. 32. & 33.* docent, priuilegium celebrandi per horam ante lucem, vel post meridiem intelligi (vt aliquid operetur) de hora, vel ante, vel post tempus illud, quo liceret iure communi celebrare. Quapropter quoties causa, vel necessitas, vel consuetudo concedunt horam pomeridianam celebrationi, poterit Religiosus post secundam horam celebrare: Magis amplum priuilegium concessit *Eugenius IV. in Bulla II. Bullary Regularium*, vt iusta de causa, vel itineris, vel simili celebrent vsque ad nonam, quod expendunt *Auers. Diana. Cardinal. de Lugo supra.*

CAPVT VI.

De loco celebrationis.

1 SVppono primò, conuenientissimum esse designare publica loca, in quibus singulariter colatur Deus, & populus cum Sacerdotibus conueniat ad Religionis opera præstanda. Sic templa fuerunt cunctis nationibus veneranda. Sic Ecclesias, seù basilicas habuerunt fideles ab Apostolorum tempore, quæ certis ritibus consecrentur, aut benedicantur, & ad conciliandam reuerentiam locis Sacris, & ad excitandam hominum deuotionem, vt contra Nouatores latè probat *Vualdensis tom. 2. tit. 17. & 18. & 22. Bellarmin. tom. 1. controuers. 7. lib. 3. de cultu Sanct. Suarez 3. par. tom. 3. disputat. 81. section. 1. & 2.*

2 Suppono secundò, iure communi non licere celebrare Missam extra templum, seu locum sacrum adhuc specialiter deputatum. Sic enim decernunt iura *cap. 1. cap. Sicut cap. Nullus presbyter, & alijs de consecrat. distinct. 1.* traduntque *Doctores in 4. distinc. 13 S. Thom. 3. part. quæst 83. art. 3. & eius commentatores ibi. Syluester, Angelus, & alij Thomistæ verbo Missa.* Ratio præcepti fuit, quia sic expedire visum est, tum ad debitam huius sacrificij reuerentiam, tum ad maiorem fidelium deuotionem. Et quamuis antiqua iura pollulent templum consecratum, vt constat ex capitibus relatis, iam vsus obtinuit, vt sufficiat locus benedictus, vel per Episcopum sigillatim ad diuinum cultum, & sacrificium offerendum designatus, quod constat ex *Tridentino sess. 22.* decreto de obseruandis, & euitandis in Missa, semper tamen requiritur, vt saltem Altare sit consecratum.

3 Et quidem in *ca. Missarum de consecrat. distinct. 1.* committitur Episcopo designatio locorum ad celebrandum

per

per hæc verba. *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse, censemus.* Vnde colligunt *Zerola part.1. praxis Episcoporum, verbo Missa num.1. Sylua tract.de benefic.par.1.quæst.6.num. vltimo. Fagund.præcep.1.lib.3.c.13.nu.5.* sufficere consensum Episcopi tacitum, idest quod Episcopus per se, vel per suos officiales sciat, Ecclesiam, aut Capellam fundari, ac in illa celebrari Missam, & non repugnet, quia textus iste solam Episcopi permissionem requirit.

4 Suppono tertiò, ab hoc iure communi quosdam excipi casus, quibus liceat extra locum sacrum celebrare, scilicet ob necessitatem, quam excipiunt *cap.1. & cap. Sicut non alij de consecrat. distinct.1.* vel ob facultatem à legitimo Superiore cõcessam, quam discutiemus. Et quidem ob necessitatem olim Apostoli per domos priuatas frangebant panem. *Actor.2.* & Pontifices tempore persecutionis in domo priuata, vel in cryptis celebrabant, in ipsisque carceribus sacrificia peracta fuisse, refert *Baronius Anno 303.num.39. Anno 377.fine Anno 404.num.19.* Videatur *Laym.libr. 5.trac.5.cap.5.num.3. Nunc in cap.concedimus de consecr. distinc.1.* duplex casus assignatur; primus, quando templa diruta sunt ab hostibus, vel qualicumque modo; possunt interim Missæ in Capellis cum tabula consecrata celebrari, donec templa restaurentur. Consonant *Coninc. q.83.n.124 & Layman supra.*

5 Secundus casus est, quoties in itinere positis Ecclesia defuerit, tunc enim subdio, vel in tentorijs, si tabula consecrata, cœteraque Sacra ministeria sacro peragendo necessaria non desint, Missarum solemnia celebrari cõceditur. *Suar. supra sect.3. F illinc.num.14. Cardinal.de Lugo disput.20. num.48.* colligunt indè, celebrari posse, tàm in Castris pro militibus, quàm in littore pro nautis intra triremes existentibus, vel pro multitudine nauigantium in alijs nauibus, vt die festo Missam audiant. *Suarez,* pro itinerantibus requirit, vt in multis diebus itineris non occurrat locus aptus ad celebrandum. *Coninch.& Cardinal.de Lugo postulant,* vt alias diù debeant Missa carere, non tamen assignant, quantum temporis exigatur, vt ratione, vel itineris, vel similis occasionis possimus celebrare subdio, vel extra locum sacrum. *Auersa quæst.11.sect.14.§. tertiò tamen* docet, sufficere necessitatem audiendi Missam in die festo. *Sà verbo Missa n.20.* Sic ait, *licet in necessitate extra Ecclesiã celebrare sine Episcopi licentia, vt, si quis sit in itinere, vel Ecclesia populum non capiat. Nec id prohibetur per Tridentin.* Ego censeo, saltem singulis festis licere cum *Auersa,* nec video, quomodo possit oppositum, vel ex textu, vel vrgenti ratione probari.

6 Ad necessitatem etiam pertinet, quoties in magno populi Conuentu, quem Ecclesia non capit, ad fores Ecclesiæ, vel etiam subdio decenti tamen loco celebrari solet. *Henriquez lib.nono cap.27.num.2. Suarez, Coninch, Fagund. Auers. Cardinal. de Lugo licentiam Episcopi requirunt,* quando patet facilis aditus ad ipsum, vel ad eius Vicarium in his casibus. Alii licentiæ non meminerunt. *Sà supra. Nauarrus cap.25.num.82. Vazquez 3.part.disput.233.cap.1.* & alii dicunt, expresse licentiam Episcopi non requiri, quasi sola necessitas in his casibus sufficiat. Quare talis licentia mihi videtur non ex obligatione, sed ex sola decentia postulari; tutius tamen erit, illam petere, quando facilè potest obtineri.

CAP. VI. QVÆST. I.

An liceat in mari, vel in fluuio celebrare?

7 Communis antiquorum sententia negat: quam etiam non pauci Recentiores amplectuntur. Tenent illam *S.Antoninus par.3.tit.13.cap.6.§.4. Syluester, Angelus, Armilla, Paludanus, Sotus, Turrecremata,* quos sequitur *Henriquez lib.9.cap.27 num.3. Tauienna,*

Nauarrus, Tannerus, Præpositus, Lezana Molfesius, Homobonus, Pitigianus, Chamerota, Ledesma, Faustus, & alij, quos refert *Diana par.5.tract.3.resol.40.Suarez tom.3.disputat.81. sectio.3. Azor tomo 1. lib.10.cap.26.quæst.6.fin. Vazquez 3.par. disput.232.num.5.Filliuc.tract.5.numero 116.Reginald.lib.29.num.168.Bonac. disputat.4.quæst.vltima punct.9 numer.11. Coninch.quæst.83.num.228.* Dicens, per nullum inferiorem Papę propter quamlibet necessitatem posse cuipiam concedi facultatem celebrandi, vel in mari, vel in flumine, nec per cōcessa hactenus priuilegia hoc vlli licere.

8 Probatur primò, quia licet non inueniatur præceptum scriptum, quod prohibeat talem celebrationem; Consuetudine tamen longi temporis introductum est. Confirmatur, quia *Nauarrus de oratione Miscell.*90.citat *Rituale quoddam approbatum à Leone X.in cuius* 1.*parte tract.4.c.35*.dicitur, in loco fluctuanti, vt in mari, & fluminibus celebrare non licet alicui.

Probatur secundò, nam huius sacrificij reuerentia postulat summam cautelam ad euitandum periculum fundendi sanguinis, quod tamen in aquæ motione tam facili, tamque frequenti vitari vix potest.

Probatur tertiò, quia Missa celebrari debet in Ecclesia consecrata, vel benedicta, sed in nauigio, vel triremi non datur locus sacer, nec designari potest locus honestus, in quo decenter celebrari possit. Numquam ergo licet, in mari, vel in flumine, vel in lacu celebrare.

9 Affirmant non ignobiles Doctores, *Maior in 4.dist.13.quæst.*4.docet, vbi caueretur periculum effundendi sanguinē, licere facere sacrum in mari; *Sà verbo Missa num.*19. Sic ait. Super mare, vel fluuium, si timetur sanguinis effusio, celebrare non licet, si non timetur, putarim licere. Addit ibi correcta, sed standum erit consuetudini receptæ. *Durantus in Rationali lib.4.cap.1.n.21*.inquit. Potest esse necessitas, vt Missa dicatur in Mari. *Scortia lib.2.de Eucharistia ca.*13.docet nunc in praxim esse deductum à Lusitanis, vt cessante periculo, Missam in mari celebrent. Consonant *Layman libro 5. trac.5.cap.5.num.6. Granado 3.part.controu.6.tract.14 disput.13.num.2. Gaspar Hurtado de Missa disputat.4. difficult.5. Fagundez.Præcep.1.lib.3.cap.10. Diana part.5.tractat.3. resolut.* 40. *Cardinal.de Lugo de Eucharistia disputat.20.sectio.3. Auersa quæst.11.sect.14.initio*, & paucis retrò annis consulti multi Doctores in celebrioribus Hispaniæ Academijs huic sententiæ subscripserunt, & cum illis *Pater Franciscus Suarez*, vt testatur *Cardinal.de Lugo supra*, & ego pariter libenter subscribo.

10 Probatur primò. Nam olim in mari celebrari consueuit. Sic *Sanctum Vualfrauum in mari celebrasse*, narrāt *Surius tom.2.die 20.Martij, & Baronius tom.8. anu.*700. Similiter Maximianum, & eius Socios, cum ex Græcia Romam nauigarent, nimia tempestate deprehensos, corpus, & sanguinem Redemptoris accepisse, mirabiliterque seruatos, refert *S.Gregorius lib.3.dialog.c.36*. vix autem posset haberi sanguis, nisi fuisset in naui celebratum. Fuit etiam olim vsus deferendi Sacram Eucharistiam in nauibus, vt testantur *S.Ambros.Oratione de obitu fratris Satyri, Metaphrastes in vita S.Theoctistis.Baronius tom.1.anno 57.& tom.5.anno* 401. Non fit autem credibile, non renouari Eucharistiam in longa nauigatione.

11 Probatur secundò. Quia celebrare Missam in mari non est contra ius naturale, vel diuinum; quod solum exigit debitam reuerentiam in celebratione. Potest autem in nauibus celebrari satis reuerenter, & decenter, vt experientia testatur. Ergo non est, cur ex hac parte non liceat. Nec est cōtra ius humanum, cum nullum reperiatur prohibens talem celebrationem. Nam illud *Rituale relatum à Nauarro, non constat approbatum à Leone X.fuisse*, sed ad summum cum licentia prodijt ferens doctrinam tunc magis communem, & receptam, vt expendit *Card.de Lugo sup.n.82.*

12 Pro-

12 Probatur 3. Nam iuxta communem sensum DD. in casu necessitatis celebrari potest extra locum sacrum cum Episcopi licentia, vel sine illa, vt vidimus *nu.* 5. & 6. dum debita reuerētia seruari possit, sed in hoc casu concurrūt necessitas, & reuerentia debita, nam in magnis nauib. plurimi sunt homines, qui per multos dies Missæ sacrificio priuari coguntur, si non celebretur in mari, priuarentur etiam Eucharistię communione diù, & morientes decederent sine viatico, nec impleri possent pręcepta sacrum audiendi, vel communionem recipiendi tempore debito. Reuerentia verò tanta seruari potest, & maior, quam in itinere terrestri, suppetit quippè communiter locus aptus, & decenter ornatus: & dum à peritis naucleris non præuidetur tempestas, numquam ita subitò fuerit, vt non prius Missa finiri queat; si verò præuideatur, monetur Sacerdos, ne Missam inchoet.

Adesse quoque solet alter Sacerdos, qui post consecrationem Calicem manuteneat, ne cadat, aut moueatur, quo periculum effusionis, aut irreuerentiæ prorsus cauetur, vsus etiam, experientiaque multorum iam annorum ostendit, nullum subesse tali celebrationi periculum ex eis, quæ timebantur, sed maxima quidem indè commoda prouenire.

13 *Coninch supra putat*, solum Papam concedere posse licentiam ad celebrandum in mari. *Auersa* requirit licentiam Summorum Pontificum, vel saltem Episcoporum. *Fagundez* testatur, præcessisse licentiam *Clementis Octaui, & Pauli Quinti*. Addit *Granado Cyrinensem Episcopum vidisse breue Summi Pontificis*, in quo declarabat, posse sine scrupulo Missam in mari celebrari. *Nuncius etiam, seu Collector Romani Pontificis in Lusitania dedit Indiæ Proregi facultatem, vt coram se faceret in mari celebrari*. Verisimileque fit, alios Episcopos tàm Lusitanis, quàm Castellanis eandem licentiam concessisse, nec sine sufficienti facultate talem vsum cæpisse. Rogatus vero Summus Pontifex, vt eandem facultatem concederet pro triremibus, illam negauit, & meritò, quia nec triremes ita sunt aptæ, sicut grandiores naues, nec ita indigent, cum frequenter accedant ad terram, vbi possint audire Missam, vt notat *Cardin. de Lugo num.* 89.

14 *Diana* videtur licentiam istam ad dies festos limitare; cœteri loquuntur absolutè, praxis etiam dies profestos comprehendit. Et ego sæpissimè in Occidentalium Indiarum nauigatione feci sacrum in naui diebus profestis, & in eadem naui singulis diebus tres, aut quatuor Missæ dicebantur. Congruentia potest esse, vt, & ipsi Sacerdotes dum nauigant, & quotidie celebrant, debitam conscientiæ puritatem retineant, & Laici vitent otium ex parte multorum ibi peccatorum radicem, à quibus non parum diuertere potest frequens auditio Missæ, cum deuotione debita tali cultui diuini Numinis.

15 Ad primum argumentum primæ sententiæ respondetur, illam consuetudinem potius inductam fuisse, vel ex tepiditate fidelium, qui non ita solliciti fuerint de maximis fructibus huius sacrificii, & Sacramenti; vel etiam quia non erant in vsu nauigationes tàm longæ, tàm diuturnæ, sicut post Indicas expeditiones vsurpantur. Nec ita longè discedebant à terra, vt non possent ad illam accedere frequenter, & in littore celebrare. Ad confirmationem constat ex dictis *num.* 11. quàm parum probet illud Rituale.

16 Ad secundum vidimus iam *numer.* 12. quam facilè periculum effusionis vitetur. Ideò pro nostra sententia retulimus *numero nono Patrem Sà, Maiorem, & Durantum*, quia docuerunt, licere celebrationem in mari, si præcaueatur effusionis periculum, quod iam experimur regulariter præcaueri: Nec ego vidi, nec audiui vnquam in tot Missis, per hos trigiuta, & plures annos super mare dictis, effusum fuisse Calicem consecratum.

Quare ferè DD. omnes primę sentētię cum

cum illam probent solo metu talis effusionis præcipuè, cognita cessatione talis periculi, nostram sententiam amplecterentur, vt fecit *Pater Suarez iuxta superius dicta num. 9.*

17 Ad tertium respondetur ex cap. *Concedimus de consecrat. distinct.* 1. posse Missam extra locum Sacrum in itinere celebrari ratione necessitatis; nec vlla ferè maior reperietur, quam in nauigatione. Quam autem decens locus in magnis nauibus celebrandis Missis aptetur, iam satis experientia docuit, & multorum attestatione, confirmat *Cardinal. de Lugo numer* 87. Addunt *Granado, & Diana*, licere Sacram Eucharistiam in nauigijs deferri, si suppetat locus decēs, & separatus, & quidem olim deferebatur; hodie tamen non est in vsu.

CAP. VI. QVÆST. II.

An extra locum sacrum celebrare sine causa sit mortale peccatum?

18 SOtus in quarto distinctio. 13. quæstio. 2. artic. 3. sic ait. Vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror posse contingere mortale peccatum per celebrationem extra Ecclesiam. Sequitur *Sà, etiam in editione correcta verbo Missa num.* 20. Ratio potest esse, quia dum habeatur Altare consecratum, & debita reuerentia seruetur, sicut quælibet honesta necessitas excusat sic celebrantem ab omni peccato: Sic etiam deuotio saltem excusabit a mortali, itaque videntur cum hac moderatione recepta.

19 Communis sententia docet, esse mortale peccatum. Ita *Gabriel, Alensis, Vualdensis, Bellarminus*, quos sequitur *Henriqu. lib. 9. cap. 17. num. 1. Villalobos, Homobonus, Syluius, Filliucius*, quos sequitur *Diana part. 2. tr. 14. resol. 34. Suar. tom. 3. disp. 81. sect. 3. Vazqu. 3. part. disp. 232. nu. 8. Azor tom. 1. lib. 10. ca. 25. qu. 8. Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 13. Manuel tom. 1. Regular. qu. 43. art. 4. Laym. lib. 5. cap. 5. n. 2. Coninch q. 83. num. 223. Bonac. cum alijs disp. 4. quest. vlt. punct. 9. num. 9.* Probatur, quia iure simpliciter prohibent talem celebrationem, & loquuntur tamquam de re graui, verèque materia secundum se grauis est, concernens reuerentiam tanto sacrificio debitam. Ideo in *cap. Nullus de consecrat. distin.* 1. prohibetur sub comminatione depositionis, quæ pœna, cum grauis sit, supponit vtique grauem culpam. Confirmatur, nam alias non esset mortale peccatum auctoritate propria, vel in oratorio priuato, vel in loco profano celebrare non ex contemptu, sed ex deuotione, non cum scandalo, sed secretò. Consequens autem est absurdum, & contra communem sensum totius Ecclesiæ. Nō ergo requiritur scandalum, vel contemptus, vt hoc peccatum sit graue; sed sufficit volūtaria transgressio præcepti grauis circa materiam grauem.

20 Fateor, hanc secundam sententiā esse cōmunem, & tutam, & veram, & omninò tenendam in praxi. Quod autem quidam oppositam notare velint, & nimis liberam, absurdāue compellent, non omninò probo, cum habeat pro se præter *Sot., & Sa viros planè doctos, & pios;* Magistrum etiam Sac. Palatij cum aliis DD. quorum opera correctus *Sà* retinuit adhuc illam sententiam, quam etiā *Azor* indicat probabilem, dum hanc secundam solum vocat probabiliorem. Plures item huius secundæ partis Auctores nullam notam inurunt primæ. Sanè, sicut rigor antiquorum Canonum moderatus fuit quoad tēplorum consecrationem, vt iam sufficiat templi benedictio, vel sola deputatio Prælati; Sic etiam videtur consuetudine temperari, quatenus non requiratur summa necessitas, sicut olim requirebatur *in cap. Sicut non alij de consec. dist.* 1. sed honesta commoditas sufficiat ad celebrandum extra locum sacrū, dum autem commoditas honestatur deuotione particulari frequenter celebrandi, vel audiēdi sacrum, quod aliter rarò fieret, prima sententia putat, excusari mortale peccatum, quod secunda sententia probabilior negat.

21 Addunt *Syluest. Missa 1. n. 5. Angelus ver. Missa n. 39. Henrsqu. & Fagund. supr.* eos, qui celebrant, vel celebrare faciunt extra locum sacrum illicitè, interdictos esse ipso facto ab ingressu Ecclesiæ. Probant ex *cap. Episcoporum de Priuileg. in sexto*. Verum illa pœna ibi tantum imponitur ijs, qui sine priuilegio, vel legitima causa celebrant, aut celebrare faciunt in loco interdicto. Quare dicendum est, de facto nullam censuram per huiusmodi peccatum incurri, quia nulla est in Iure satis expressa. Sic notant *Suar. Coninch, & Manuel supra*.

CAP. VI. QVÆST. III.

Quid possit Episcopus circa locum celebrationis?

22 SVppono, Episcopis iter facientibus speciali concedi *cap. fin. de priuileg.* vt super altari portatili celebrare possint, vel assistere sic celebranti, non solum in casu necessitatis, vt cœteri possunt, sed ob solam maiorem commoditatem, ac deuotionem. Ita *Suar. 3. part. disp. 81. sectio. 1. Coninch qu. 83. num. 224. Laym. lib. 5. tract. 5. ca. 5. num. 3. Limitat Sá verbo Episcopus nu.* 24. inquiens, Episcopus potest dicere vbique Missam in sua Diœcesi cum Altari portatili, & extra cum licentia Episcopi loci, vbi receptum est *Concilium Trident.* Cœterum Episcopum posse portare secum Altare viaticum, & in itinere, non solum in sua, sed etiam in aliena Diœcesi Missam celebrare, vel celebrari facere, Docent *Hugolin. de potestate Episcopi lib. 1. ca. 2. §. 2. nu. 4. Maurit. Alzedo in praxi Episcopi part. 2. ca. 13. num. 6. Venerus in examine lib. 4. c. 17. n. 14. Gauantus in Enchirid. verb. Episcopus nu. 8. & 9. Diana par. 4. tr. 4. resol. 15.* Nam hoc non est exercitium iurisdictionis contentiosæ, sed cuiusdam priuilegij personalis, quod vbiq; licitum est. Nec istam facultatem Episcopis auferri per Tridentinum censent *Vazquez 3. part. disputat. 233. num. 1. Fagundez precep. 1. lib. 3. cap. 13. numer. 19. Cardinal. de Lugo disput. 20 num. 49.*

23 Petes primò, an Episcopus in suo Palatio possit Oratorium erigere? Conueniunt Doctores intra suam Diœcesim posse, tum *ex cap. fin. de priuileg. in sexto*, tum ex recepta praxi. Rectè quippè notat *Cardinal. de Lugo cum alijs supra numer.* 50. Palatium Episcopi non reputari domum priuatam, ac proinde non esse sublatam Episcopis facultatem habendi Oratorium ad diuina deputatum, in quo celebrare possint, sicut ante Tridentin. in suis domibus. Consonat *Auersa quæst. 11. sectio. 14. §. Quintò poterant*.

24 Limitant hoc *Nauarrus consil. 5. & 16. de priuileg. & Beia part. 4. casu 33* ad propriam Diœcesim, ita vt in aliena, si non sit Episcopus per modum transitus, & itineris, sed diu permanens, nequeat extra locum sacrum celebrare, quia cessat ratio priuilegii, præcipuè, si Episcopus loci prohibuerit, ne quis in sua Diœcesi celebret extra loca sacra. Melius tamen *Portel in responf. regul. part. 5. casu 20. num. 7. & Diana part. 4. tractat. 4. resolutio. 15.* docent, etiam in aliena Diœcesi posse celebrare intra Palatium suū. Nam illud *ca. fin.* præcipuè concedit Episcopis istud priuilegium pro tempore, quo absunt á suis Ecclesijs. Ergo palam extenditur ad tempus, quo commorantur in alienis Diœcesibus. Confirmatur argumento supra facto. Quoniam Episcopum celebrare Missam in Oratorio domestico, non est exercere iurisdictionem contentiosam, vt patet, sed fauorabilem iuris concessionem, cuius exercitium aliena Diœcesis non vetat, vt docet *Sanchez de matrimon. lib. 3. disputat. 19. n. 7.* Excipit *Gauantus supra Romam*, vbi non conceditur Episcopis Oratorium domesticum.

25 Adhuc *Portel, & Diana supra* subdunt, in Oratorio Palatij Episcopalis posse quemlibet Sacerdotem celebrare, dum adsit Episcopus, ~~dum~~ vero, dum abest; nam illud priuilegium non est reale, id est illi loco concessum; sed est personale concessum, scilicet Episcopi personæ, cum celebrat, vel cum ibidem audit non

sacrum; Verumtamen oppositum docet *Cardinal. Brancatius*, quem refert, & approbat ipse *Diana part. 6. tractat. 8. resolutio. 40.*

Probatur primò, quia non solum Cardinales, & Episcopi, sed quicumque gratiam obtinens a Summo Pontifice, vt in Sacello, domestico celebrare possit, vel facere celebrari, possunt facere celebrari pro sua familia, quamuis ipsi non adsint in Sacello, imò nec in Vrbe, dū pars familiæ manet in domo, & hæc non locatur alteri, sic enim priuilegium extenditur ex intentione rationabili cōcedentis prudenter præsumpta. Probatur secundò, quia sic vsus interpretatur, priuilegium esse commune Domino, & familiaribus, & hoc admittunt confessarij docti, atque timorati, regulariterque videmus, in Capellis Cardinaliū, & Episcoporum celebrari sæpè, quamuis ipsi non intersint; imò plures Episcopi habent in suis Palatijs duas Capellas, in vna celebrant ipsi solum, in altera Capellani. Quare censeo, priuilegium istud esse mistum, personale scilicet, & locale, ac per consequens competere personæ, quamuis absit à loco, & competere loco, quamuis non assistat persona. Vide *Valerum de differ. vtriusq. fori verb. Missa differ. 2.*

26 Petes secundò. An Episcopus possit concedere facultatem suis subditis ad celebrandum extra locum sacrum? Equidem antiquo iure poterat ex cap. *Clericos*, cap. *Missarum*, cap. *Hic ergo de Consecratio. distinctio. 1.* vt notant *Nauarrus cap. 25. numero 82. Suarez tom. 3. disputatio. 81. sectio. 3. Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 13.* Nec requirebatur necessitas, sed sufficiebat mera gratia, & absoluta potestas Episcopi. At *Tridentinum sessio. 22.* decreto de obseruandis abstulit Episcopis facultatem concedendi licentiam ad celebrandum extra Ecclesiam, vel Oratoria dedicata tantum ad diuinum cultum, vt docent *Suarez, & Fagund supra. Coninch. qu æst. 83. num. 225. Azor tomo primo lib. 10. capit. 26. quæstio. 3. Layman lib. 5. tractat. 5. cap. 5. num. 4.* Sic etiam declarant Cardinales.

27 Non tamen abstulit Tridentinum Episcopis potestatem dandi licentiam, vt in casu necessitatis extra locum Sacrum, vel etiam specialiter dedicatum cultui diuino celebretur semel, aut iterum: Sicut enim in alijs huiusmodi legibus, poterit in ista iustis de causis dispensare pro casu particulari. Quippè Tridentinum ibi solum intendit, abusus celebrationis tollere, talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri. Quare non obstat Tridentin., quin possit Episcopus concedere prædictam facultatem non solum in casibus suprapositis *num. 5. & 6.* sed etiam, quando persona præsertim nobilis ratione senectutis, vel infirmitatis diù non communicauit, vel Missam audiuit, vel ob simile impedimentum Ecclesiam adire nequit, vt aliquando Missam audiat, & Eucharistiam recipiat. Ita *Suarez, Fagundez, Coninch. Layman supra. Vazquez 3. part. disputat. 233. cap. 1. Manuel in Summ. tom. 4. cap. 51. conclus. 7. Bonac. de Sacram. disput. 4. quæst. vltim. punct. 9. nu. 11. Reginald. libr. 29 num. 176. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 49. Auersa qu. 11. de Miss. sectio. 14. §. Multominus.* Quorum aliqui hoc confirmant ex vsu.

28 Nec abstulit Tridentinum Episcopis potestatem ad concedendam licentiam celebrandi Missam in Oratorijs etiam priuatis diuino cultui dumtaxat dedicatis, vt ex verbis Concilij colligunt citati Doctores. Addunt *Suarez, & Fagundez, per Tridentinum non tolli,* quin possint Episcopi talem licentiam concedere subditis, etiam sine causa, nimirum ex mera gratia, & absoluta potestate, sicut poterant ante Concilium, nam quoad huiusmodi loca, vel Oratoria diuino tantum cultui destinata, non fuit Episcoporum potestas immutata, vel imminuta. Fauentque nonnullæ declarationes Cardinalium.

29 Verum Paulus V. die decima Martij an. 1615. abstulit Episcopis, & Apostolicæ Sedi reseruauit potestatem concedendi

domi-

domibus priuatis Oratoria etiam dumtaxat dedicata celebrationi Missæ per Epistolam iussu Pontificis scriptam ad omnes Episcopos à *Cardinal Lancellotto*, quam referunt *Fagund. supra. Scortia de Missa cap. 13. num. 3. Gauantus in Rubrica Missal. part. 1. tit. 20. Cardinal. de Lugo, & Auersa*, & sic in praxi receptum est. At notat *Auersa §. Quintò poterant*, adhuc non tolli potestatem Episcopis concedendi quælibet oratoria publica; quamuis priuatis secularium ædibus adiuncta, dum scilicet habeant egressum patentem in publicam viam.

Notat etiam *Fagund.* nec Episcopis tolli potestatem dandi licentiam, vt in casu particularis necessitatis semel, aut iterum in domo priuata, vel etiam alibi celebretur. Quia nec Concilia, nec Pontifices vmquam volunt, in eiusmodi prohibitionibus comprehendere casum magnæ necessitatis, vt sentiunt *communiter Doctores, quos ibi refert*. Cum enim tales casus frequenter occurrant in talibus circumstantiis, vt recurri non possit ad Sedem Apostolicam, necessaria moraliter est Episcopis talis dispensandi facultas præsertim in regionibus ab Vrbe remotioribus. Vnde probabile fit etiam post Epistolam Pauli Quinti manere in Episcopis potestatem, quam diximus *supra num. 27.* in illis post Tridentinum mansisse.

CAP. VI. QVÆST. IV.

An priuilegia Regularium quoad hoc reuocata sint.

30 SVppono Pontificem *cap. in his de priuileg.* asserere, se concessisse Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, vt, vbicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio cum Altari viatico celebrare valeant, nec ad hoc requiri consensum Episcoporum. *Sixtus Quartus, & Alexander Sextus, & Innocentius Quartus, & alij Pontifices pleraque similia Regularibus concesserunt*, vt referunt *Manuel tom. 1. Regular. quæstio. 43. art. 4. P. Lugo de Sacramentis.* *Ioannes de la Cruz in Epitome lib. 2. cap. 5. dub. 6. & Hieronymus Rodriguez resol. 9. num. 4. citans Bullas in margine.*

31 Hæc omnia priuilegia derogata fuisse per illud decretum *Tridentini sess. 22. cap. de obseruandis, &c.* Consent *Nauarrus cap. 25. num. 82. Durandus lib. 2. de Ritibus cap. 6. num. 8. Azor tom. primo libro 10. cap. 26. qu. 7. Suarez tom. 3. disp. 81. sectio. 3. Coninch. quæstio. 83. num. 226. Layman libro quinto tractat. 5. cap. quinto num. 5. Fagundez Præcept. 1. lib. tertio ca. 13. num. 16.* Quia *Tridentinum in fine* decreti subdit. *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, & exemptionibus*. Et licet *Pius Quintus viuæ vocis oraculo prædicta priuilegia confirmauerit pro foro interno, quamuis esset Tridentino contraria.* Postea *Gregorius XIII. præfata priuilegia reuocauit, quatenus Tridentino repugnant*, vt notant *Petrus de Ledesma tom. 1. Summ. tract. de Eucharist. cap. 20. conclus. 2. dub. 4. & Miranda tom. 2. quæst. 40. art. 9.*

32 Nihilominus talia priuilegia non esse reuocata per Tridentinum, quamdiu Episcopus non contradicit, asserunt *Manuel tom. 1. Regular. quæst. 28. artic. 3. & quæst. 43. art. 5. Hieronym. Rodriquez resolut. 9. n. 4. Præpositus 3. part. quæstio. 83. art. 3. num. 151. Portel. in dubijs Regular. verbo Altare num. 1. Auersa quæstio. 11. sect. 14. §. Quartò videbitur. Diana par. 3. tractat. 2. Resol. 80. & par. 4. tract. 4. Resol. 106.* Probabile dicit *Cardin. de Lugo disp. 20. nu. 51.* Probatur, quia Tridentinum dumtaxat iniungit Ordinarijs, vt non obstantib. prędictis priuilegijs compellant Religiosos in externo foro, ne talibus facultatibus vtantur. Ergo dum ordinarius id non impedit, possunt sine scrupulo Regulares, vti prædictis priuilegiis. Confirmatur, quia saltem priuilegium contentum in *cap. In his de priuileg.* cum sit insertum iuri, non censetur derogari, nisi fiat expressa ipsius mentio, vt notat *Sotus in 4. distinct. 13. quæstio. 2. artic. 3. & Manuel supra cum communi Doctorum.* Vnde probabilis maneat vtraque pars.

33 Certùm tamen est, post *Tridentinum* concessisse *Gregorium XIII.* Societati nostrę, vt domibus nostris, oratorioque priuato per Prouincialem approbato Missæ dici possint sine alia Episcopi approbatione. Sic habetur in nostro cõpendio, verb. *Oratoria*. Rectéque notant *Suarez. Laym. & Mann. supra. Fagund. num.* 17. *Diana part.* 6. *tractat.* 8. *Resol.* 40. hoc priuilegium esse locale, ac subindè Sacerdotes omnes in his Oratorijs licitè celebrare. Rursus idẽ *Gregorius XIII.* nostræ Societati Iesu concessit, vt non obstãte decisione Tridentini possint nostri Presbyteris qui mittuntur à Superioribus admissiones, vbiq; celebrare cum Altari viatico. Sic habetur in nostro Compendio, verbo *Altare*. notantque *Suarez. Fagund. & Laym. vn. supra*, priuilegium illud esse personale: qua propter cæteri Sacerdotes, quamuis sint itineris socij, non poterunt illo vti. Notant etiam *Fagund. supra, & Vazquez 3. part. disp.* 233. *num.* 7. his priuilegijs vti posse cæteros Regulares, quibus post Tridentinum priuilegiorum cõmunicatio concessa sit. Additque *Coninch. quęst.* 83. *nu.* 226. plurimis post *Tridentinum* concessa fuisse per Pontifices eiusmodi priuilegia.

34 Cum aliquis Sacerdos ob homicidium irregularis impetrat dispensationem irregularitatis, solet apponi clausula, quod celebrare nequeat in loco commissi delicti, qui locus, si fuerit Vrbs aliqua, non poterit sic prohibitus intra muros Ciuitatis celebrare, benè tamen in suburbijs. Etenim licet in materia fauorabili, nomine ciuitatis comprendantur suburbia, in materia odiosa non comprehenduntur, nisi in casu interdicti propter *cap. Ciuitas de sentent. excommunicatìon. in Sextò*, vt notant *Ancharanus*, & *Valenzuela ibi. Megalius part.* 1. *lib.* 1c. 13. *numer.* 21. *Diana part.* 4. *tract.* 4. *Resolut.* 123.

CAP. VI. QVÆST. V.

Quomodo concedat Pontifex secularibus Oratoria domestica?

35 QVando seculares impetrant Breue Pontificium ad celebrandum in Oratorio domestico, seruare debent conditiones, & clausulas apposita in ipso Breui, quia sub his determinatur concessio Pontificis. At nota primò, quamuis in Breui dicatur, vt Petrus v.g. possit ad Missę celebrationem habere Oratorium in domo suę habitationis in tali loco, vel oppido sita, & de facto sit ibi coaptatum oratorium, & ab Episcopo constitutum, & approbatum; nihilominus si Petrus mutet domum habitationis, vel etiam Ciuitatem; posse rursus in hac aliã domo constituere suum Oratorium, quod visitatum, & approbatum ab Episcopo celebrationi deseruiat. Nam illa concessio fuit personalis, non localis, & per consequens sequitur persona, vbicunque sit. Ita *Nouarius in Summ. Bullar. tit. de Oratorijs priuatis, num.* 6. *Megalius to.* 2. *ref.* 67. *Dian. p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 208.

36 Dices. Rescriptum Pontificis concedit expressis verbis, vt celebrari possit in domo, quam Petrus habitat Hispali v.g. non ergo celebrari poterit in domo, quã habitat postea Cordubæ; nam aliàs prędicta verba nihil operarentur contra decisionem, *textus in cap. commissa, §. Porrò de Elect. in sexto*. Respondetur illa verba rescripti non esse posita dispositiuè, sed demonstratiuè: & verba, quæ tantum causa demonstrationis apponuntur, nihil operantur, cum solum demonstrent habitationem, vt aduertunt *Granetta consf.* 86. *numer.* 11. & *Diana supra*, qui subdit in dubio, verba capienda fore demonstratiuè, non autem taxatiuè, vel limitatiuè, vt Rota declarauit ex doctrina grauium Doctorum in vna *Squillacensi* 4. *May* 1616.

37 Nota secundò. Quamuis in Breui concedatur Petro facultas, vt in Oratorio domestico celebrari possit in sui, & familiæ suę pręsentia, sufficere, siquis

quis adsit de familia, licet non adsit ipse Petrus, cui principaliter conceditur facultas. Ita *Ludouicus de la Cruz disput. 1. cap. 5. dub. 3. num. 5. Diana supra resol. 13. Auers. de Eucharistia quæst. 11. sec. 14.* qui dicunt, sic in praxi seruari. Quoniam illa concessio disiunctiuè sumitur, & reddit hunc sensum, vt Petrus possit celebrari facere in præsentia sui, & possit celebrari facere in præsentia familiæ suæ. Quamuis enim particula, & communiter faciat sensum copulatiuum, aliquando tamen sumitur disiunctiuè pro *vel*, vt docent *Manuel tom. 3. Regularium qu. 17. art. 19. Comitol. in Responsion. moral. lib. 7. quæst. 9. nu. 4. Portell. in respons. part. 3. casu* 49 & sic sumendam esse in præsenti, constat, nam alias celebrari non posset in præsentia solius Petri, nisi simul adesset familia, quod nemo concedet prudenter. Sicut ergo celebrari potest in præsentia solius Domini, non obstante coniunctione copulatiua, &, Sic etiam poterit in præsentia solius familiæ, vel alicuius famuli. Nomine familiæ continentur vxor, filij, Nurus, gener, Parentes, propinqui, serui quoque Domi conuiuentes, & in domesticis ministerijs existentes. Decedente autem Domino, cui directè concessa fuit facultas, spirat simul concessio, quia facultas concessa fuit intuitu talis personæ, ac alij desinunt iam esse de illius familia.

38 Nota tertiò, posse Regulares habentes priuilegium ministrandi secularibus Eucharistiam extra suos Conuentus, in his Oratorijs illam ministrare communicare volentibus ex deuotione, quamuis id prohibeat Episcopus, nam hic non potest reuocare priuilegia Regularium, nec id illi conimisit Tridentinum circa ministrandam Eucharistiam extra Conuentum. Ita *Porrel supra casu 39. Diana resolutio. 14. Auers supra*, qui tamen prudenter monent, ne quid tale fiat contra voluntatem expressam Episcopi.

39 Si quis tamen habens Oratorium domesticum in die festo nequeat adire templum, non ideo tenetur facere, vt in Oratorio celebretur ad Missam audiendam, quamuis inueniat Sacerdotem, qui gratis celebrare velit. Nam hoc priuilegium est derogatorium iuris communis, & per consequens odiosum, quare nullus illo tenebitur vti. Sic *Suarez, Bonacina, Ledesma*, quos sequitur *Auersa supra, & Diana resolut.* 80. Secus esset, si Missa de facto diceretur in tali Oratorio; tunc enim, qui non potest Ecclesiam adire, bene tamen Oratorium, teneretur ibi Missam audire. Nam in illo non procedit ratio facta, sed potius vrget obligatio, vt aduertit *Auersa*.

CAP. VI. QVÆST. VI.

An liceat in Ecclesia violata celebrare?

40 Conueniunt Doctores non licere, sed esse mortale peccatum ex genere suo. Sic *Paludanus, Syluester, Sotus, Nauarrus*, quos sequitur *Henriqu. libr. 9. cap. 27. num. 5. & 6. Suarez tom. 3. disp. 81. sect. 4. Layman lib. 5 tract. 5. ca. 5. num. 6. Coninch. qu. 83. num. 227 Fagund. Precept. 1. libr. 3. cap. 14. Cardin. de Lugo disp. 20. num. 51.* Probatur. Nam Ecclesiam esse violatam, seu pollutam, nihil aliud est, quam ob aliquid in ea commissum eius sanctitati repugnans Ecclesiastico iure prohibitum esse, Missam ibi, vel officia diuina celebrari. Hoc autem præceptum, cum sit iustum, & in materia graui pertinens ad templorum reuerentiam, censendum est, obligare sub mortali.

41 An autem incurrat aliquam pœnã, qui celebrat in Ecclesia violata? nonnihil variant Doctores. *Hostiensis in* [illegible] *de consecrat.* Ecclesiæ sentit, irregularitatem contrahere; sed oppositum planè decernitur *in cap. is, qui de sententia excommunicationis in 6* & meritò, nam Ecclesiæ violatio non est propria censura, pro cuius violatione incurritur irregularitas, vt docent *Suarez, & Fagundez supra. Henriq. num. 7.* cum multis. *Diana par. 6. tract. 6. resolut. 28.* Rursus *Syluester consecratio. 1. quæst. 9. Azor tom. 1. lib. 10. c. 26.*

*quæst.*16. *Graffis lib.*2. *cap.*48. *numer.*28. *Naldus verb. Ecclesia, num.*15. dicunt, incurrere suspensionē ab ingressu Ecclesię, quare celebrans in ea post talem suspensionem contrahet irregularitatem. Probant ex *cap. Episcoporum de Priuileg. in sexto.* Sed certè text. iste non loquitur de celebrantibus in templo violato, sed in interdicto. Templum verò pollutum non est propriè interdictum. Quare nullam censuram, aut pœnam irregularitatis mediatè, vel immediatè contrahunt, qui celebrant in Ecclesia violata. Sic *Henriq. Suar. Fagund. Laym. Cardinal. de Lugo, Diana supra.* Vndè consequenter infert *Auila part.*5. *disputat.*7. *dub.*3. *cum alijs,* quando propter solemne festum iure suspenditur interdictum, non esse licitum, in Ecclesia violata celebrare, quia pollutio templi non est interdictum propriè, sed inhabilitas quædam diuersa.

42 *S. Thom.*3. *part. quæst.*83. *art.*3. *ad* 2. docet, Episcopū posse concedere facultatem, vt in Ecclesia violata celebretur ante reconciliationem. Nam in *capit. Missarum, & in cap. Hic ergo, de consecration. distinct.*1. simpliciter decernitur, fieri posse sacrum, vbi iusserit, vel permiserit Episcopus; qui subindè, sicut potest concedere licentiam faciendi sacrum in loco non sacro, sic etiam in templo violato; quamuis grauiorem causam ad hoc requirat *Auila supra,* quia magis repugnat iuri, ac reuerentiæ templorum, vt rectè perpendit, *Cardinal. de Lugo num.*63. Ideo *Suar. & Henriq. supra, Layman num.*13. *grauem causam exigunt,* vt Episcopus, vel eius Vicarius in hoc iustè dispenset. Videlicet, si distans Episcopus non possit ad reconciliandam Ecclesiam venire, de licentia Vicarij licebit in illa celebrare. Addunt *Suarez, Fagundez, & Cardinal. de Lugo supra,* tantam esse posse necessitatem, & tam difficilem aditum ad Episcopum, & ad eius Vicarium, vt etiam sine licentia ipsius celebrari possit in templo violato, quoniam Ecclesiasticum præceptum non obligat cum tantò rigore. Ponunt exemplum, si populus non habeat aliam Ecclesiam, in qua possit die festo Missam audire. Consonat *Auersa de Eucharist. quæst.*11. *sect.* 14. §. *Decimo tandem.*

CAP. VI. QVÆST. VII.

Quomodo polluatur locus sacer homicidio?

43 QVinque, vel sex modi numerantur, quibus Ecclesiam violari contingit. Primus est per homicidium voluntarium, & iniuriosum Ecclesiæ, *capit. Proposuisti. capit. si motum. de consecration. distinct.* 1. Secundus est per iniuriosam sanguinis effusionem, *capit. si Ecclesia de consecration. Ecclesiæ. capit. Ecclesia de consecrat. distinct.* 1. Tertius est per humani seminis effusionem voluntariam, si fiat illicitè, *capit. Significasti, de Adulterijs.* Quartus est, si sepeliatur ibi excommunicatus, *capit. Consuluisti, de consecrat. Ecclesiæ, cap.* 1. *eodem titulo in sexto.* Quintus est per sepulturam infidelis. *capit. Ecclesiam,* 1. & 2. *de consecration. distinct.* 1. Sextus est, quando parietes Ecclesię consecratæ comburuntur, aut destruuntur, ita vt integrè reędificandi sint, *ca. ligneis de consecrat. Ecclesiæ.*

44 Circa primum conueniunt Doctores, homicidium requiri, quod sit mortale peccatum. Quare si sit casuale, vel per amentiam factum, vel ob meram defensionem propriam, aut Reipublicæ; quando perturbator, aut seditiosus aliter capi, vel tolli non potest, non polluitur Ecclesia, quia non est homicidium culpabile. Item, si Petrum occidas volens occidere Paulum, nam exterior occisio talis personæ fuit inuoluntaria, vt notat *Fagundez præcepto* 2. *libro* 4. *capit.* 4. *numer.* 15. Idem est, quamuis aliundè causa sit culpa mortalis, vt si representando turpia in Ecclesia præter intentionem sequatur occisio, quia non est mortale peccatum in eo genere, vt notat *Cardinal. de Lugo disputat.* 20. *numer.* 54. Verùm si

Mar-

Martyr occidatur in Ecclesia, polluitur, nam iniustè necatur. Item, si Iudex ibi reum, aut aliquis semetipsum occidat, polluitur Ecclesia, nam vtraque nex grauem iniuriam irrogat loco sacro. Sic *Nauarrus capit. 27. numer. 256. Graffis libr. 2. capit. 48. numer. 28. Suar. tomo 3. disputat. 81. sectio 4. Coninch. quaest. 83. num. 327.*

45 Sufficit autem hominis occisio, licet sine sanguinis effusione, nimirum per suffocationem, aut contusionem; dum intra templum fiat, vel in eo detur causa mortis. Quare, si contusio, vel suffocatio fiat extra templum, in quod postea sic laesus ingrediatur, & ibi moriatur, non polluitur Ecclesia; quia peccatum externum homicidij tunc extra templum fuit commissum. Similiter, si quis existens in Ecclesia misso telo, vel explosa scopleta foris alium occidat, non polluit Ecclesiam, nam occisio foris consummatur. Secus è contra, si quis existens extra templum occidat existentem in loco sacro. Sic *Nauarrus, & Suar. supra. Graffis numer. 23. Fagundez praecepto primo, libro terzo, cap. 14. numer. 9.*

46 Dubium est, quando causa mortis culpabilis datur intra templum sine sanguinis effusione per contusionem, aut confractionem, aut veneni propinationem, & mors extra contingit; an Ecclesia violetur? Prima sententia negat, quia necessarium reputat ad Ecclesiae violationem seclusa sanguinis effusione, quod mors in Ecclesia sequatur, aliàs enim nô fiet homicidium in loco sacro, sed extra illum. Ita *Suar. supra, Reginaldus lib. 29. numer. 181. Praepositus 3. parte, quaestion. 83. articul. 3. dub. 2. numer. 152. Diana parte sexta, tractat. 6. resolut. 26.* fauet *Azor. tomo primo, libro 10. capit. 26. quaest. 13.*

47 Secunda sententia probabilior affirmat. Quia licet homicidium consummatum fuerit extra locum sacrum, at causa mortis, & completa malitia homicidij consummata fuit in illo, mors quippe post secuta naturaliter prouenit à tali causa, parumque refert ad irreuerentiam, ob quam violatur Ecclesia, quod anima separetur à corpore in loco sacro, vel extra illum; si verè posita fuit in illo tota causa culpabilis, & exterior illius necis. Ita *Nauarrus, & Coninch. supra. Cardinal. de Lugo numero 53. Layman libro quinto tractato quinto, capit. quinto, numero octauo Marchinus de ordine tract. terzo, par. 3. cap. 10. numero settimo.* Propendet *Fagundez supra num. 13.*

48 Requiritur autem, vt causa mortis, quae ponitur in loco sacro, sit physica, nec sufficit sola moralis. Quare non violatur Ecclesia, quamuis in illa fiat mandatum, vel feratur sententia mortis, vel detur consilium occidendi, vt notat *Cardinal. de Lugo.* Rursus causa physica debet esse talis, vt per se sufficiat inferre mortem, & adhuc non violatur Ecclesia, donec mors secuta fuerit, quia nondum datur homicidium externum; morte tamen secuta, quamuis extra templum, & post aliquot menses, Ecclesia censetur violata iuxta secundam sententiam propter eius fundamentum. Ita *Doctores relati.*

CAP. VI. QVAEST. VIII.

Quomodo per sanguinis effusionem Ecclesia polluatur?

49 Conueniunt Doctores, Ecclesiam pollui per voluntariam, & iniuriosam sanguinis effusionem in templo factam. Habetur *cap. 1. de Ecclesia consecrat. in sexto.* Docent *Paludanus, Sotus, Syluester, Nauarrus,* quos sequitur *Fagund. praecept. 1. libr. 3. capit. 14. num. 14. Henriq. libr. 9. capit. 27. numer. 5. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 26 quaest. 13. Suar. tom. 3. disp. 81 sect. 4. Bonac. de Matrim. quaest. 4. punct. vlt. nu. 20. Laym. lib. 5 trac. 5 cap. 5. num. 7. Coninch. quaest. 83. nu. 227. Auila de censur. part. 5. disput. 7. dub. 1.* Vbi requiritur primo actio voluntaria. Quare non polluitur Ecclesia per effusionem sanguinis naturalem, qualis fit inter-

interdum per nares, aut os, aut ex menstruo fœminarum, nec per vulnus inflictum ab amente, vel in fante carentibus vsu rationis, aut casu ruentibus lignis, vel saxis. Ita *Bonac.in supr. Fagundez nu. 15. & alij communiter.*

50 Requiritur secundò, vt sit actio grauiter culpabilis. Vnde non violatur Ecclesia, si quis ob sui defensionem iustam grauiter alium vulneret, aut, si chirurgus curationis gratia venam, aut tumorem incidens in Ecclesia, licitè sanguinem effundat. Sic citati Doctores. Similiter, dum parui pueri rixantes in Ecclesia cruorem sibi vicissim excutiunt ex naribus, non violant Ecclesiam, nam iniuria leuis est, & iura requirunt graue peccatum, cum imponant grauem pœnam. Quidam hoc extendunt etiam ad grandiores, qui percutiunt alterius nasum cum multi sanguinis effusione. Quia nasus est organum sanguinis, qui subindè facilè profluit ex naso copiose. Non ergo sufficit talis effusio ad violandam Ecclesiam, quamuis in illa fiat. Ita *Victoria de Euchar. st. nu. 99.* generaliter asserens, si pugno percussero aliquem in naribus, & fluat sanguis etiam in magna quantitate, non polluitur Ecclesia, quia non est grauis effusio. Consonant *Sà verbo Ecclesia num. 13. Graffis lib. 2. cap. 48. nu. 25. Sotus, & Capua,* quos sequitur *Fagund. Precept. 2. Eccles. lib. 4. cap. 4. nu. 18. Marchinus de ordine tract. 3. par. 3. cap. 11. nu. 8.* dicens. Excipitur effusio sanguinis etiã lethifera, seu grauis, & in magna quantitate, quæ de naso profluerer pugno, alapa, & similibus, quod absolutè sequitur *Diana par. 6. trac. 6. resol. 24.*

51 Ego censeo, deliberatam effusionẽ sanguinis etiam ex naso, quæ fiat in Ecclesia, & sit mortale peccatum formaliter, quatenus effusio sanguinis est, violare templum, quia ius nihil aliud requirit ad Ecclesiæ violationem. Ita *Syluius 3. part. quæst. 83. art. 3. Coninch. ubi nu. 228. Bonac. supra.* Cæterum notandum est primò, requiri sanguinis effusionem, quæ planè significat copiam effusi sanguinis, vnde, si parum sanguinis defluat, non violatur Ecclesia, vt docent communiter Doctores. Hęc autem quantitas proportionaliter sumi debet ad partem, vnde fluit; sunt enim partes corporis ex quibus inflicto leui vulnere, vel ictu facilè defluit multum sanguinis: ex aliis autem etiam inflicto graui vulnere vix parum erumpit. Ita *Nauarrus, Suar., Auila, Bonac. supr.* qui rectè docent, quando vulnus est leue, licet effundatur copia sanguinis, Ecclesiam non violari, quia talis percussio non continet mortale peccatum. & illa tanti sanguinis effusio, velut materialis, & casualis reputatur. *Layman supra num. 8.* ponit exemplum in homine, qui nonnihil indignatus cultello leuiter auriculam sibi, vel alteri vulnerauit cum non modica sanguinis effusione. Continget ergo sæpius, vt quantitas effusi sanguinis, quæ respectu alterius partis sufficeret ad constituendam mortalem culpam, & ad violãdam Ecclesiam, quia supponeret graue vulnus, respectu nasi, vel auriculę non sufficiat, quia manat ex vulneri leui. Hoc videntur intendisse *Victoria, Sa, Fagund. & Sotus num. præcedenti relati.* Quare perpendi debet ex circumstantiis, an percussio fuerit mortale, vel veniale peccatum in ratione percussionis, vt indè discernatur, an effusio sanguinis etiam ex naso fluentis violet Ecclesiam, necne.

52 Similiter, si vulnus fiat per iocum, non violat Ecclesiam, quia non est mortale peccatum. Ita *Suar. & Azor. supra. Fagund. precept. 1. lib. 3. cap. 14. num. 15. cum alijs.* Quare, si per actionem iocosam contingat, magnam copiam sanguinis effundi, perpendi debet ratio voluntarii. Quippè, si fuit actio prorsus inuoluntaria, vel semiplenè voluntaria, non violat Ecclesiam. Si tamen initio fuit iocus, & postmodum in veram rixã transijt, violatur Ecclesia. Quod si fuit actio iocosè culpabilis, nempè repræsentatio tragediæ turpis in templo, vnde contigit effundi sanguinem, etsi per accidens; nonnulli volunt Ecclesiam violari. Nam illa repræsentatio censetur iniuriosa templo, quod sufficit, vt sanguis

indè

indè fusus licet casualiter polluat Ecclesiam. At oppositum nobis asserendum est consequenter ad ea, quæ diximus in simili de homicidio, *num.* 44. Quia talis actio, nec ratione sui violat Ecclesiam, cum id nullo iure caueatur, nec ratione sanguinis effusi, cum talis effusio sit omninò casualis, & peccatum non augeat, nec per consequens iniuriam loci sacri. Sic *Suar.* & *Fagund. supra, Cardinal. de Lugo disput.* 20 *num.* 54.

Cæterùm, quamuis effusio sanguinis iniuriosa propriè non sit respectu læsi, seu percussi, si tamen in se contineat mortale peccatum, erit iniuriosa loco sacro, quē subindè violabit. v.g. si quis seipsum, vel alium consentientem per illicitam mutilationem, aut percussionem cædat, vel Iudex iubeat, reum in Ecclesia vulnerari, violatur Ecclesia. Secus si quis per honestam flagellationem fundat proprium, vel etiam alienum sanguinem, vel si Iudex licitè percutiat in Ecclesia perturbatorem Reipublicæ, quem aliter capere non potest. Sic *Henriquez lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 4. *Suar. Auila Coninch. supra Fagund. num.* 17.

54 Requiritur 3. vt effundatur sanguis hominis. Quarè non sufficit effundi sanguinē bruti, quamuis cum peccato mortali cōtingat animal in Ecclesia vulnerari, vel occidi. Sic *Fagund sup.* An autem sufficiat, cadauer hominis in Ecclesia illicitè vulnerari cum effusione sanguinis? Affirmant *Durandus in Ration. li.* 1. *cap.* 6. *num.* 41. *Bacconius in* 4. *distinctio.* 10. *quæst.* 2. *art.* 3. *Sà verbo Ecclesia num.* 13. Nam ille sanguis adhuc dicitur, & reputatur humanus. Melius tamen negant *Henriquez lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. *Fagundez supra. Diana part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 25. Nam Ecclesiæ violatio pœna est, quare restringi debet ad rigorosam proprietatem verborum. At homo mortuus propriè non est homo. Igitur eius sanguis non est propriè sanguis humanus, cuius effusionem iura postulant. Sed effundi debet sanguis hominis viuentis. Vnde non sufficit alapa, vel ictus, aut contusio grauis, dum nō inferat necem, aut sanguinis effusionē, vt notant *Auila, Bonac. Suar.* & *alij.*

55 Si quis autem in Ecclesia percussus non fudit in illa sanguinem, sed extra; non violari templum, indicat *Diana supra resol.* 47. Et probat, nam vt nuper dicebamus, & notat *Perficus de officio Sacerdotis lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 2. *nu.* 23. Ecclesiæ violatio pœna est, ac subindè strictè interpretanda. Sed Canones imponentes hanc pœnam exprimunt sanguinis effusionem quasi requisitam, vt incurratur. Sic habetur *cap. Ecclesiis semel de consecrat. dist.* 1. *c. si Ecclesia de consecrat. Ecclesiæ, cap. vnico eodem tit. in* 6. Ergo debent strictè capi de sanguinis effusione intra ipsam Ecclesiam facta, & per consequens non sufficit vulnus acceptum in Ecclesia, si sanguis extra fundatur. Confirmatur, nam vt vidimus *supra num.* 46. Nonnulli probabiliter affirmant, Ecclesiam non violari, quamuis in illa ponatur causa mortis, si mors extra sequatur. Ergo similiter non sufficiet, in Ecclesia poni causam effusionis, si sanguis extra fundatur, siquidē eadem videtur vtriusque ratio.

56 Communis vero sententia docet violari. Quoniam Ecclesia non tam polluitur per ipsum contactum sanguinis decidentis in pauimentum, (vt aliqui putant,) quam per actionem iniuriosam, qua causatur effusio, & omnis propria malitia formaliter cōtinetur. Quare, dum hæc tota ponatur in Ecclesia, quamuis sanguis colligatur in vase, vel percussus egrediatur exemplo, priusquā sanguis effluat, polluetur Ecclesia. Contra vero, si quis percussus extra locum sacrum ingrediatur illud, & in Ecclesia sanguinem mittat, non polluet illam. Nō enim attendendum est, vbi sanguis effluat, nam illa censetur effusio materialis, sed vtrum percussio fiat in loco Sacro, nam ista censetur effusio formalis. Ita tenent *Syluester, Nauarr. Azor, Suarez,* & *Graffis*, quos sequitur *Fagundez precept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 16. *Victoria,* & *Sà supra. Cardinal. de Lugo disp.* 20. *num.* 53. *Toletus, Auilà, Reginaldus,* &

Sayrus

Sayrus apud Diatam supra. Quod libenter amplector consequenter ad supradicta *num.*47.

57 Ad fundamentum oppositum, concessa maiori, negatur minor vniuersaliter sumpta. Nam in *cap. Proposuisti de Consecrat. Eccles.* dicitur, Ecclesiam violari per vulnera, nec mentio fit effusionis sanguinis. Vnde colligunt Doctores, cęteros Canones capiendos esse de sanguinis effusione formali, seu morali, cuius tota malitia formalis consistit in positione causæ Physicæ. deinceps enim materiale quid est effundi sanguinem intra, vel extra templum.

Ad confirmationē fateor, magis consequenter procedere Doctores illos, qui tam in homicidio, quàm in sanguinis effusione dicunt, sufficere causam fuisse datam in Ecclesia. Qui vero requirunt homicidium in Ecclesia consummari, non ita sanguinis effusionem, forsan ducuntur, quia cum hoc totum pendeat ab interpretatione iurium, & hæc præcipuè sumatur ex communi sensu Doctorum, hi certè circa sanguinis effusionem conueniunt, intelligi quoad culpabilem causæ positionem, non vero sic omnes consentiunt quoad solam positionem causæ necis. Vnde probabiliter dici possit, homicidium requiri consummatum in Ecclesia, non ita sanguinis effusionem.

CAP. VI. QVÆST. IX.

Quomodo violetur Ecclesia per humani seminis effusionem?

58 SVpponimus, Ecclesiam violari per copulam habitam in illa siue fornicariam, siue coniugalem extra casum necessitatis, & per voluntariam seminis effusionem extra copulam. Habetur *in iure cap. Ecclesijs semel, cap. Si motum de consecrat. distinct.*1. *cap. Proposuisti, cap. finali de consecrat. Eccles. & consentiunt Doctores*, qui requirunt mortale peccatum in genere luxuriç, ac subindè seminis effusionem plenè voluntariam. Quare *Syluester, Tabienna, Nauarrus, Henriquez, Finellus*, quos sequitur *Bonacin. de Matrim. quæstio.*4. *punct. vltim. num.*19. censent, Ecclesiam non pollui per pollutionem insomnijs contingentem, quamuis indirectè voluntaria fuerit in causa. Rationem reddit *Bonacin.* quia non est libera, & per consequens non habet adnexam irreuerentiam loci sacri, propter quam Ecclesia polluta censeatur. Mihi videtur indirectè voluntarium satis habere libertatis ad mortale peccatum, si legem violet. Sic homicidium commissum insomnijs, vel ebrietate, si fuit voluntarium in causa, quamuis indirectè dumtaxat, & mortale peccatum contra iustitiam; nam obligat iustitia, non solum ad non occidendum, sed etiam ad tollendam causam, vnde præuidetur homicidium secuturum. At castitas non obligat ad auertendam causam pollutionis in somnis euenturæ, quamuis illicitam in alio genere. Quare peccans mortaliter in nimio cibo, vel potu, non peccat contra castitatem, quamuis indè præuideat secuturam esse pollutionē in somnis præter intentionem, vt latè docent *Vazquez* 1.2. *disput.*115. *num.*9. *Sanchez de Matrimon. lib.*9. *disput.*45. *numer.*17. Igitur ideò non violatur Ecclesia per talem pollutionem, quia non est mortale peccatum in genere luxuriæ.

59 Difficultas est, an per copulam coniugalem in loco sacro ratione necessitatis habitam Ecclesia polluatur. Affirmant *S. Antoninus, Paludan. Caietanus, & alij*, quos refert *Sanchez supra disputat.*15. *num.*9. quia nullam reperiunt sufficientem necessitatem, vt talis actus habeatur in loco sacro. Communis tamen sententia negat. Quia non est credendum, Ecclesiam obligare coniuges ad abstinendum, cum vrget incontinentiæ periculum, vel similis necessitas. Ita *Sanchez supra num.*12. *cum multis. Suarez* 3. *part. tom.*3. *disput.*81. *sectio.*4. *Azor tom.*2. *lib.*9. *cap.*5. *Lessius lib.*4. *ca.*3. *num.*85. *Coninch. quæst.*83. *num.*231. *Bonacin. supra num.*6. *Toletus lib.*5. *ca.*12. *Fagundez præcept.*2. *lib.*4. *cap.*4. *num.*21. *Petrus de*

de Ledesma tom.1.tr. de Euchar. cap.20. Diana par.1.tractat.7.Resol.19.

60 Hanc necessitatem communiter assignant Doctores, quando coniuges diù manere coguntur intra templum, nec in cameram propinquã egredi possunt: diuturnumque tempus vocat *Sanchez vnum mensem. Fagundez, & Lessius quindecim dies. Ledes. & Dian. quatuor, aut quinque.* Alii præter hanc moram requirunt etiam incontinentiæ periculum in altero saltem. Vnde colligit *Tolet.* fore mortale peccatum, si sobolis, vel delectationis causa copulentur. At *Sanch. & Fagund.* dicũt, in casu diuturnæ inclusionis in loco sacro licere copulam coniugalem, sicut extra liceat, s. ad fouẽdum amorem coniugalem, ad procreandam prolem, ad sanitatem acquirendam, & per consequẽs ob delectationem solum esse veniale peccatum in templo, sicut extra; nam oppositum valdè foret scrupulis expositum. Addunt, quando cõstat ab initio, diuturnam fore coniugis inclusionem in loco sacro, posse mox haberi copulam ibi, quia iam datur causa præsens, & morale periculum, vt in plurimum incontinentiæ, valdè quippè durum esset cogere tunc coniuges expectare temporis tractum.

61 Si non sit inclusio diuturna, detur tamen vrgens incontinentiæ periculum in alio coniugum, non explicant DD. an liceat copula coniugalis. *Suar.* tradit hanc regulam. Quoties moraliter iuxta fragilitatem humanam vitari potest, aut in alio loco copula coniugalis haberi, mortale fore peccatum in loco sacro copulari; secus, quando necessitas, vel fragilitas humana compellit. Vnde colligit, si vna, vel altera nocte dumtaxat dormiant in templo, grauiter peccare coeundo, quia facilè se possunt continere, separareque torum, vt morale periculum incontinentiæ vitent.

62 Adhuc vrgeri potest, si tali breui tempore verè detur incontinentiæ periculum, an liceat? Negare videntur *Petrus de Ledesma, Lessius, & alij*; quin requirunt absolutè longam moram, rationem tamen reddunt, quia breui tempore facilè continere possunt. At partem affirmantem indicant *Sà verbo debitum coniug. nu.12.* dum absolutè docet, copulam coniugalem in loco sacro non esse mortale peccatum, si fiat ad vitandum periculum, aut alia iusta causa. *Bonacin. sup.* dicens, legitimam esse necessitatem coeundi, quando periculum est incontinentiæ in aliquo coniuge, nec alibi datur opportunitas coeundi, quod non videtur improbabile, dum periculum sit manifestum, & proximum. Nam hic etiã militat fundamentum communis sentẽtiæ, quod scilicet, Ecclesiæ præcepta non obligãt in casu magnæ necessitatis, qualis ista prudenter censetur. Quin etiam *Basil. Legion. de Matr. lib.10.c.10. nu.13.* cum alijs absolutè docet, copulam coniugalem in Ecclesia licere, nec Ecclesiã pollui per illam, quia nulla nullo iure prohibetur, de quo dicemus *lib.10.c.17. quæst.3.*

63 Hoc certum est, quoties effusio seminis in Ecclesia fuerit licita, vel solum venialis, Ecclesiam non violari. Sic docet *Suar. sup. Sà ver. Ecclesia n.14. Card. de Lugo n.55. & Doctores communiter, sic intelligunt dispositionem iuris.* Non est enim, cur actu licito, qui cum summa Dei reuerentia fieri potest, Ecclesia polluatur. Videatur *Sanch. de Matrim. li.9. disp.15. n.14.* qui rectè notat *num.12.* vix contingere casum huius necessitatis. Nã in Ecclesiis communiter sunt adhærentia cubicula, vel Sacristia, vel Turris, quæ nomine loci sacri non comprehendũtur quoad hunc effectum, ac subindè deseruire possunt ad actum coniugalem.

CAP. VI. QVÆST. X.

Quomodo violetur Ecclesia per excommunicati sepulturam?

64 Certum est, Ecclesiam pollui, si quis excommunicatus publicè sepeliatur in ea. Colligitur ex *cap. Consuluisti de consecrat. Ecclesiæ.* Additur in *capit. sacris de sepulturis*, tale cadauer exhu-

exhumādū esse, si discerni possit ab alijs, & ad extra proijciēdum, secus si discerni non possit, ne simul cum ossibus illius abijciantur ossa Fidelium non excommunicatorum. At dubitatur primò, vtrum post Concilium Constantiense, sit hoc limitandum ad excommunicatum vitandum? Negant *Abbas, & alij eo, cap. Consuluisti. Alterius lib. 1. disp. 14. cap. 1. col. 6.* Quia textus generaliter loquitur de quibuslibet excōmunicatis, & sic etiam loquitur *Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 26. q. 13.* nullam adhibens limitationem.

65 Melius affirmant *Victoria in summa num 97. Henriq. lib. 9. cap. 27. num. 5. Coninch. quæst. 83. nu. 232. Suar. tom. 3. disp. 81. sectio. 4. Filliuc. tractat. 5. numer. 117. Auila part. 5. disp. 7. dub. 1. Bonac. de Matrim. quæst. 4. punct. vlt. num. 22. Layman lib. 5. tractat. 5. cap. 5. num. 8. Scortia lib. 2. cap. 13. Cardinal. de Lugo disp. 20. nu. 56.* Quia post Concilium Constantiense non tenemur vitare toleratos. Ergo nec illos tenemur ab Ecclesiastica sepultura repellere, censentur enim (inquit *Suarez*) vt occulti excommunicati. Vnde rectè colligit, *Nauarrus lib. 5. Consil. tit. de Hæretic. consil. 10. Layman, & Cardinal. de Lugo supra*, per sepulturam Hæretici non denuntiati nominatim non violari locum sacrum.

66 At nota primò, quamuis fuerit excommunicatus denuntiatus, qui sepultus est in loco sacro, si mortuus est cum signis contritionis, absolui posse post mortem, & ita retineri post absolutionem in Ecclesiastica sepultura. Sic *Auila supra dub. 4.* Nota secundò, non violari templum per sepulturam hominis personaliter, & nominatim interdicti, nec subindè reconciliandum esse. Quoniam id nullo iure decernitur, nec pœnæ sunt extendendæ. Cæterum cadauer exhumandum est, nam expresſè priuatur Ecclesiastica sepultura, & *textus in cap. sacris de sepultur.* non solum excommunicatos; sed omnes ab Ecclesia præcisos præcipit è loco sacro depelli. Et quidem interdicti propriè dicuntur ab Ecclesia præcisi. Sic *Layman, & Cardinal. de Lugo supra. Suar. de Relig. tom. 1. tractat. 2. lib. 3. cap. 2. num. 11. & sequentibus.*

67 Dubitatur secundò. An Ecclesia violetur, si per Episcopum excommunicatum, non toleratum consecretur, aut benedicatur? Affirmant communiter Antiquiores. Nam Ecclesia polluitur per excommunicati non tolerati sepulturam, vt vidimus. Ergo violabitur etiam à fortiori, quando per Episcopum excōmunicatum non toleratum consecratur, aut benè dicitur; Ita tamen, vt consecrationem, aut benedictionem dicant valere, quia non requirit iurisdictionem, sed ordinis potestatem, quam excommunicatio non tollit; simul vero doceant egere reconciliatione. Sic tenent *S. Antoninus, & Tabienna,* quos sequitur *Auila supra dub. 1. Abbas, Ioannes Andreas, & Hostiensis in dicto capit. Consuluisti. Paludan. in 4. distinct. 18. quæst. 8. artic. 4. Syluester interdictum 4. quæst. 3. Nauarr. cap. 27. num. 258. Azor. & Bonac. supra.*

68 Dicendum tamen est, Ecclesiam sic consecratam, aut benedictam non solum validam retinere consecrationem, aut benedictionem, vt aduersarij fatentur, & significat, *cap. Ecclesijs semel de consecrat. distinct. 1.* subdens. *Si tamen fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui locum consecrauerunt.* Vnde colligit *Layman supra nu. 9.* Hæreticum Episcopum validè consecrare, seu benedicere templa, dum fidem Sanctissimæ Trinitatis teneat, sed etiam non egere reconciliatione, quia verè non est polluta. Probatur, quia nullo iure decernitur talis violatio, nec in legibus pœnalibus valet argumētum à paritate rationis; cum odia restringi debeant ad casum duntaxat expressum. Sic omnes fatentur, Ecclesiam non violari, quamuis excommunicatus non toleratus celebret in ea. Confirmatur, nam prius est, Ecclesiam consecrari, vel benedici, quam violari; non ergo potest ipsamet consecratione, vel benedictione violari. Sic censent *Suar. Coninch. Layman supra, Cardinal. de Lugo nu. 57. Fagund. præcept. 1. lib. 3. cap. 14. num. 56. Alterius lib. 1. disp. 10. cap. 6.*

CAP.

CAP. VI. QVÆST. XI.

Quomodo violetur Ecclesia per sepulturam infidelis, & per ædificij destructionem?

69 Ecclesiam pollui, si quis paganus, aut infidelis in ea sepeliatur, vel iaceat sepultus, habetur cap. *Ecclef. 1. & 2. de consecrat. distinct.* 1. & absolutè docent *Paludanus in 4. distin. 18. quæst. 8. art. 4. Henriqu. cum alijs lib. 9. ca. 27. num. 5. Azor tom. 1. lib. 10. ca. 20. qu. 13. Auila par. 5. disput. 7. dub. 1. Filliuc. tract. 5. num. 117. Cardin. de Lugo disput. 20. num. 57.* vbi nota primò, tres priores modos violandi locum sacrum requirere causam grauiter culpabilem, vt vidimus, tres verò posteriores non postulare causam culpabilem, sed sufficere factum, videlicet corpus excommunicati non tolerati, vel infidelis in loco sacro sepultum esse, vel Ecclesiam fuisse destructam; Sic aduertunt *Layman lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 8. & Cardin. de Lugo supra.* Nota secundò, non pollui locum sacrum, quando sepelitur in illo Catechumenus ante susceptum baptismum, quia præsumitur decessisse cum baptismo flaminis. Ita *Sayrus lib. 5. Thesauri cap. 16. num. 24. & Bonac. de Matrimon. q. 4. punct. vltimo num. 23.* Nec quamuis sepeliatur hæreticus, quia licet non habeat veram fidem, illam tamen professus est in Baptismo, & ideo sub nomine fidelium comprehenditur in cap. *omnis vtriusque sexus de pœniten. & remiss.* vt obseruat *Cardin. de Lugo supra cum Suario.*

70 Sit vero dubium primum. An infidelis nomine, veniant infantes, qui sine Baptismo decedunt? Affirmant *communiter Doctores de filijs infidelium.* Si sint filij fidelium, & in vtero matris moriantur, vnà cū matre fideli sepeliri possunt, quia mater cum fœtu, quasi corpus vnum censetur. Ita *Syluester consecr. 2. num. 5. Paludan. Layman, & Auila supr.* Notant *vero Bonac. supra num. 24. Suarez disput. 81. sect. 10. 4. Fagund. precep. 1. lib. 3. cap. 14. num. 58. Coninch. quæst. 83. num. 233.* hoc intelligi, quando puer moritur, antequam mater sepeliatur. Nam si viuat adhuc post mortem matris, hæc aperiri debet, vt infans baptizari possint, alioquin si mater sepeliatur adhuc viuente puero, violatur Ecclesia, quia tunc ille puer per sepulturam suffocatur. Fatentur verò, vix vnquam hoc euenturum moraliter, nisi ponamus fœminam prægnātem in ipso templo mori, moxque post obitum sepeliri, quod rarissimè continget.

71 Itē, quando mater moritur in partu simul cum filio nondum baptizato, sed iam edito, posse filium sepeliri cum matre, tum in honorem matris christianæ, tum quia censetur adhuc pars matris, affirmant *Hugolinus, & Goffredus,* quos sequitur *Sayrus in Thesauro lib. 5. ca. 16. num. 26.* At *Bonacina supra dicit,* oppositum esse consuetudine receptum, quia Filius iam editus in lucem potius reputatur persona distincta prorsus a matre. Denique *Sayrus supra num. 25.* censet, puerum à parentibus fidelibus natum, & sine baptismo decedentem, & si non debeat in Ecclesia sepeliri, si tamen in illa sepeliatur, Ecclesiam non polluere; quia licet hic infans propriè non sit fidelis, propriè non est gentilis, vel infidelis, quandoquidem nulli sectę infidelium deputatus est, sicut filius infidelium deputatus censetur, & non videtur hæc pars omninò improbabilis.

72 Communis tamen sententia docet, infantem iam editum, & non baptizatum, quamuis sit filius fidelium, si per se separatus in Ecclesia sepeliatur, illam violare. Quia talis puer negatiuè saltem est infidelis, cum non habeat fidem habitualem. Quare sub infidelis nomine in iuribus comprehendi censendus est. Ita *Suarez, Coninch. Cardinal. de Lugo supr. Fagundez num. 57. Bonac. num. 23. & iuniores communiter.*

73 Sit dubium secundum. Quando fuit infidelis in Ecclesia sepultus, an debeant templi parietes abradi? Affirmat *Ioan. Andreas in cap. proposuisti de consecrat. Eccles.* Probat ex ca. *Ecclesiam el secundo de consecrat. distinct.* 1. Sic palam de-

cer-

cemente. Melius tamen *Abbas in eodem cap. Azor, & Fagund. sup. negant*, quoties Ecclesia consecrata est, nam forma consecrationis tolleretur, si parietes abraderentur, at quoties consecrata non est, abradi debent, & ita capiendum est prędictum cap. *Ecclesiam*. Modus autem radendi parietes est illos dealbare iuxta *Glossa in prædicto ca. Ecclesiam, & Auilam sup. dub. 4. concl. 4.*

74 Sit dubium tertium. Quomodò violetur Ecclesia, per ædificij destructionem? Suppono primò, per ædificij destructionem non tam Ecclesiam violari, quàm eius consecrationem amitti; non ita benedictionem; nam hęc inhæret pauimento, quod non tollitur; consecratio potissimum inhæret parietibus, quare deficit consecratio, quando non manent moraliter ijdem parietes, quia, vel omnes, vel maxima pars eorum simul destruuntur. Secus, si manentibus parietibus, tectum, & ligna comburantur, aut diruantur, vel si parietes per minores partes paulatim deficiant, & reficiantur, itaut moraliter reputentur iidem, quamuis paulatim variati fuerint per successiuam restaurationem. Ita constat ex ca. *Ecclesiis semel. de consecra. dist. 1. & cap. ligneis de consecr. Ecclesiæ.* Consentiunt *S. Antoninus, Syluester, Tabien. Nauarr.* quos sequitur *Henriq. lib. 9. cap. 27. nu. 5. Suar. tom. 3. disp. 81. sectio. 4. Coninch. qu. 83. num. 235. Bonac. de Matrimon. qu. 4. punct. vltimo num. 24. Azor tom. libr. 10. cap. 26. quæst. 12. Fagund. Præcept. 1. Eccl. lib. 3. cap. 14. num. 59. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 15. & 16. Cardinal. de Lugo disp. 20. num. 64. & 65.*

75 Circa quod nota primò. Si parietes Ecclesiæ sic absumantur, vt omnis crusta, vel secundum maiorem partem auferatur, quamuis parietes non corruant, consecrationem amitti iuxta *Gloss. in cap. Proposuisti de consecr. Eccl. Abbatem ibi num. 7. Syluestrum consecr. 2. quæst. 3. Tabien. num. 5. Layman. supra*, quia consecratio potissimum consistit in externis crustis, cum fiat per cruces, & linitiones. Si tamen omnis crusta, vel maior eius pars renouationis causa per interualla temporū successiuè tollatur, non amittitur consecratio, quia semper partem minorem non consecratam ad se trahit pars maior consecrata iuxta textum in cap. *Quod in dubijs de consecr. Ecclesiæ.* Multò minus ob solam dealbationem internæ superficiei templum execrari censetur, cum consecratio sit in parietibus, & crusta, quæ permanent, vt aduertunt *Vazqu. 3. part. disput. 233. num. 34. & Laym. supra.*

76 Nota secundò. Si templum consecratum secundum longitudinem, vel amplitudinem extendatur, & pars denuò facta reliquum corpus magnitudine superet, nouam requiri consecrationem, si verò superetur, Episcopus aspergit illam aqua benedicta, iuxta *Glossam in dicto cap. Proposuisti, verbo Reconcil. & Layman. supra.* Cæterum, si totum templum, vel maior eius pars per temporum interualla corruat, & instauretur, amitti consecrationem, putant *Abbas supra num. 8. & Innocentius in Rubr. de consecrat. Eccles.* Nam in veritate non est eadem Ecclesia, licet talis moraliter censeatur, & in rebus spiritualib., potius rei veritas, quā iuris fictio consideratur. Nihilominus probabilius est, in hoc casu non amitti consecrationem, vt docēt *Doctores relati supra num. 74* Nam Ecclesia, quæ paulatim reficitur, sicut, & nauis, quæ reparatur, non solum iuris fictione, sed reuera censetur eadem, eò quod partes sibi succedunt, & sacrum, si maius sit, trahit ad se non sacrum iuxta legem, *Quod in rerum §. final. ff. de legatis primo, & gloss. in cap. Si motum ver. Altare de consecr. Ecclesiæ.*

77 Hanc sententiam amplectitur *Layman sup.* quando templi parietes (etiam omnes) per temporum interualla casu corruerunt, & instaurati sunt. Si tamen ex intentione renouandi, vel omnes, vel ferè omnes templi parietes vnus post alium, quasi continuatis operis diruatur, & reparetur, valdè probabilem reputat sententiam Abbatis, & Innocentij; quoniam in re morali multum valet operantis

rantis intentio. Verum alij Doctores vniuersaliter negant, requiri nouam cōsecrationem, nisi vel omnes parietes, vel maior ipsorum pars simul diruantur, & ideo *Cardin. de Lugo supra*, quamuis ad sit talis intentio, manere putat eamdem Ecclesiam; quia reuera ciuitas eadem est, quamuis ex intentione illam pulchriorem reddendi paulatim omnes ædes destruantur, & reædificentur.

78 Nota tertiò, in alijs casibus iure non expressis, licet Ecclesia non egeat reconciliatione, congruum esse, Sacerdotem lauare templi parietes aqua per ipsum exorcizata iussu Episcopi. Sic aduertunt *Abbas in dicto cap. Proposuisti num. 4. & Durant. in Rationali lib. 5. cap. 6. numero* 41. nimirum, si per rixam frangatur os alicuius in Ecclesia sine sanguinis effusione, vel reus ad Ecclesiam confugiens indè trahatur ad supplicium contra immunitatem, si templum diù sine ianuis, & tecto plenum fuisset stamine, vel alijs spurcitijs, & vsui vulgari, quasi diuersorium patuerit. Similiter obseruat *Layman supra*, si templum consecratum hæreticæ superstitioni deseruierit, & à Catholicis recipiatur, sufficere, quod Episcopus Altaria visitet, an fracta sint, ipsaque simul, & parietes aspergat aqua benedicta, vel hac simplici benedictione reconciliandam Ecclesiam Episcopus Presbytero committat. At priusquam Episcopus visitarit, si fuerit opus in tali templo celebrare, vtendum erit Altari portatili.

CAP. VI. QVÆST. XII.

An per occultam causam polluatur Ecclesia?

79 Plerique Doctores specialiter discutiunt occultam seminis effusionem, sed, quoniam eadem est ratio causarum omnium, quæ latere possunt, generaliter alij loquuntur, & omnes communiter requirunt violationis causam publicè notam, vt templum egeat reconciliatione, nimirum aut euidentiā facti, quia, vel publicum fuit, vel iuxta negotij qualitatem sufficiens eius notitia, dimanauit in plebem, vel in Parochiam, aut scientiam iuridicam per confessionem reorum, vel sufficientem probationem, vel morale testimonium, vel iudicia talia, quæ testibus æquiualeant, & moralem certitudinem inducant. Ita *Sanctus Antoninus, Paludanus, Adrianus, Tabienna, Gregorius Lopez, & alij*, quos sequitur *Sanchez de Matrim. libro 9. disputat. 15. num. 11. Syluester, Nauarrus, Sotus*, quos sequitur *Suarez tom. 3. disputat. 81. sectio. 4. Bonac. de Matrim. quæstio. 4. punct. vltimo num. 25. Fagund. Precep. 1. lib. 3. cap. 14. nūm. 31. & 32. Auila par. 5. disp. 7. dub. 3. Coninch. quæstio. 83. num. 230. Laym. lib. 5. tract. 5. ca. 5. nu. 8. Cardinal. de Lugo de Euchar. disputat. 20. num. 55. & alij communiter.*

80 Probatur primò ex *cap. Significasti de Adulterijs*, vbi templum ideo reconciliari iubetur, quoniam adultera publicè delictum confessa fuit. Vnde duo colliguntur, in quib. Doctores conueniunt, primum est ante publicam causæ notitiam non debere templum reconciliari. Secundū est, vbi primum causa sufficienter innotuit, reconciliandū est. Quapropter ob delictum factum coram duob., vel tribus, dum isti tacent, non eget Ecclesia reconciliatione. Tamen, si post aliquod tempus isti publicè produnt delictum, ex tunc eget templum reconciliatione, vt notat *Suar. cum alijs*. Probatur secundò ratione congruentiæ. Quia, sicut occulto crimini non congruit publica pœnitentia, ne peccans iniuriosè diffametur; ita nec templum ob occultam causam, egere debuit reconciliatione, quæ de se publica quidem est, cum fiat solemni ritu, ne similis diffamatio sequatur, si solus Parochus rem sciret: nec enim posset ante reconciliationem in eo templo celebrare, nisi pressus necessitate, nec posset abstinere sine turbatione, vel scandalo; nec posset procurare reconciliationem, quia nequiret probare causam, cū reus nō teneatur se prodere. Quapropter hæreret perplexus ferè sem-

per dubitans, an his, & nunc subsit necessitas sufficiens ad celebrandum in Ecclesia polluta. Conueniunt in his omnes.

81 Iam sit dubium primum. An locus sacer verè sit violatus per occultam causam ante causæ manifestationem. Negant *Vazquez 1.2.disp.98.num.6. & Basil.Legion.de Matrimon.lib.*10 *capit.*10. *num.*15. Fauent *Angles, Sotus, Vega, Manuel, Capua, Canedo, Lop.*, quos sequitur citat *Sanchez supra num.*10. dicentes, effusionem seminis occultam in loco Sacro non habere malitiam lethalem sacrilegij necessariò confitendam, quia per illam non violatur Ecclesia, quod tenet etiam *Basilius supra*, & satis esse probabile, docet *Vazqu.* Citantur item pro hac sententia. *Tolet. Victorell. Azor. Auila, Sà, Sayrus, Graffiis, Conimb*; quoniam absolutè dicunt, per crimen occultum Ecclesiam non violari, seu non censeri pollutam, & sic quoque loquuntur *Suar. Bonac. Fagund. & alij.*

82 Probatur, quia ius non exigit Ecclesiæ reconciliationem, dum causa violationis est occulta. Ergo non vult, Ecclesiam violari per causam occultam, alioquin vellet, vt in Ecclesia violata celebrarentur officia diuina, dum non manifestatur violatio, vel eius causa. Confirmatur, quia cum reuerentia debita sacris locis consistat in hominum opinione, non potest per istas causas violationis tolli, nisi notæ sint hominibus; sicut nemo sit per crimen infamis, nisi debitum innotescat.

83 Vt discernam in hoc dubio, quid de re, quidue de nomine possit subesse dissidij, Dico primò. Quęuis causa violationis Ecclesiæ grauiter culpabilis, licet occulta, præter propriam malitiam, habet etiam speciem sacrilegij mortalis contra reuerentiam debitam locis sacris, nimirum effusio seminis est luxuria sacrilega, effusio sanguinis est iniustitia sacrilega, & sic de alijs. Ita *Suarez de Relig. tom.1. tract.2. lib.3. cap.7. num.4. Raffael della Torre 2.2. quæstio.99. art.2. disputat.7. Sanchez de Matrimon. lib.9. disputat.15. num.11. Fagund. precept.2 lib.4 ca.4. num.24. Bonac. de Matrimon. quæst.4 punct. vltimo num.7. Cardinal. de Lugo de pœnitent. disp.16. nu.462. Lessius lib.4. cap.3. num.86. Trullench. lib.6. Dec. cap.1. dub.7. num.7. fin. Azor tom.3. lib.3. cap.31. quæst.6. Diana part.1. tractat.7. Resol.19. & 26.*

84 Probant primò *Suarez, & Raphael della Torre*, nam omne peccatum externum in Ecclesia factum (quamuis occultè) secluso iure positiuo continet malitiam sacrilegij contra reuerentiam locis sacris debitam iure naturali, cum enim actus externus ex natura sua dicat ordinem ad locum sensibilem, quando prauus est, aliquam continet irreuerentiam loci sacri, maiorem scilicet, aut minorem, prout maiorem, vel minorem repugnantiam dicit cum sanctitate loci. Quare meritò conqueritur Deus *Ierem.*11. *num.*15. *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* pro qua sententia refert *Suarez tomo 1. de Religione tractat.2. lib.3. cap.3. num.6. Sanct. Antoninum, Syluestrum, Medinam, & Cordubam.* Igitur homicidium, & effusio sanguinis, aut seminis in Ecclesia, quæ sunt causæ violationis culpabiles, quamuis occultè fiant, continent malitiam sacrilegij. Verum, quoniam attento solo iure naturali hæc irreuerentia loci sacri (subindè sacrilega) regulariter est venialis, quia non censetur grauis secundum prudens iudicium, vt docent *Syluest. confessio 1.q.10. Lessius lib.2. cap.45. dub.3. num.*14. *Suarez supra cap.7. num.9.*

85 Probatur secundò conclusio, quoniam Ecclesia prohibet, actus illos in Ecclesia fieri, qui violationem eius inducunt, sicut ob reuerentiam loci sacri prohibet ibi fieri furta, nundinas, actus iudiciales, vt docent *Suarez supra capit. 2. num.7. Lessius lib.4. cap.3 numero 86.* & fatetur *Basil. Legionen. de Matrimon. lib.*10. *capit.*10. *numero* 10. *&* 11. *& omnes ferè.* Vult enim immunitate talium operum loci sanctitatem, & honorem coli; nec effectus violationis est culpa,

sed

sed veluti pœna; quæ culpam supponit contra prohibitionem priorem iuris naturalis, vel saltem positiui. Quare licet textus de violatione templorum loquentes non contineant expresse talem prohibitionem, certè virtualiter illam inuoluunt, quatenus asserunt, ita violari locum sacrum per illos actus, vt egeat reconciliatione, quippè non induceretur talis effectus nisi, propter graue sacrilegium contra loci sanctitatem commissum, nec istud committeretur, nisi præcessisset grauis prohibitio talium actuum ob reuerentiam loci sacri ab Ecclesiastica potestate dimanans. At Ecclesia non solum prohibet actus illos in loco sacro fieri publicè, sed simpliciter prohibet ibi fieri, quamuis ad euitandos scrupulos, & molestias, noluit reconciliationem esse necessariam, nisi publicentur; Ergo quamuis occultè fiant, sunt grauiter culpabiles contra prohibitionem iuris Canonici, & per consequens continent malitiam sacrilegij grauis.

86 Confirmatur, quia licet talis actus, dum est occultus, non polluat actualiter Ecclesiam, at si postmodum innotescat, violatur Ecclesia, itaut egeat ex tunc reconciliatione. Nec illam sic violat publica notitia, sed actus præcedens; Ergo hic ab initio fuit ex se sufficiens violare templum, ac subindè culpabilis grauiter contra prohibitionem iuris canonici, siquidem culpa formalis actus interni pendere non potest à futura publicatione.

Quare talis actus formaliter non est culpabilis, quia polluit Ecclesiam per actualem obligationem abstinendi à diuinis in illa, sed potius ècontra, quia grauiter culpabilis est contra legem Ecclesiasticam, talem effectum, & quasi pœnam inducit, & quamuis violatio requirat conditionem notorietatis, prius tamen committitur peccatum sacrilegij grauis, quam effectus sequatur ex causa publicatione.

87 Dico secundò, post datam occultam causam violationis, antequam publicetur, verè dici potest Ecclesia violata; quamuis non egeat reconciliatione, nec a celebratione teneamur abstinere, dum causa manserit occulta. Sic tenent *Sanchez, Antoninus, Paludanus, Adrianus, Tabienna, Nauarrus*, quos sequitur *Sanchez supra. Sic Suarez, & alij supra relati num.* 83. dum asserunt, copulam etiam occultam in loco sacro sacrilegam esse grauiter, & à posteriori probant, nam vbi primum de tali causa constiterit, sine noua culpa, vel causa censetur locus violatus, & eget reconciliatione, sed non violatur per talem notitiam. Ergo supponitur violatus per occultam causam, & tunc eget reconciliatione, quando publicum scandalum debet publica satisfactione compensari. Sic inquit *Lessius lib. 4. cap. 3. numero 87. Etsi occulto actu non ita polluatur locus sacer, vt teneamur eo abstinere, tamen reuera polluitur, idest sanctitas eius violatur, adeò, vt simul atque res in notitiam, aut famam publicam venerit, egeat reconciliatione, vt colligitur ex cap. significasti de adulterijs. Sic Azor tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13.* dicit Ecclesiam occultè pollutam non egere reconciliatione, secus, quando violatio cœpit innotescere. Sic etiam loquitur *tom. 3. lib. 3. ca. 31. quæstio. 6. Sic Syluester consecratio. 2. quæstio. 5. Nauarr. cap. 27. num. 256. Sic Sotus, & Auila supra relati num. 81.* dicunt, per violationem secretam non vetari celebrationem; vbi planè supponunt, dari violationem secretam, quæ reconciliatione non egeat; & sic intelligendi sunt Doctores, qui simpliciter asserunt, per occultum crimen Ecclesiam non violari, seu non censeri pollutam; solum enim negare volunt, violationem actualem, quæ celebrationem impediat, & egeat reconciliatione, non verò negant violationem occultam, quæ dici potest habitualis.

88 Confirmatur. Nam quoties copula coniugalis licita est in loco sacro, non eget locus reconciliatione, quamuis copula prius occulta postea publicetur, quia

quia verè per talem copulam pollutus non fuit. Ergo similiter, si per causam occultam Ecclesia verè non polluitur, etiamsi causa publicetur, non egebit reconciliatione, si simul constet occultam fuisse causam. Dices, disparem esse rationem, nam effusio sanguinis, vel sanguinis licita nullo modo violat Ecclesiam, quamuis publicè constet; quia iura non loquuntur de talibus actibus.

At effusio talis illicita, sed occulta iuxta dispositionem iuris violat Ecclesiam sub conditione publicationis, quare posita conditione violatur locus sacer, & non antea: Sicut iuxta *superius dicta numero* 47. Si quis in templo dedit causam necis licitam, quamuis postea sequatur nex, vel extra, vel intra templum, hoc non violatur; at, si dedit causam illicitam, secuta postea nece, vel intra, vel extra templum, hoc violatur, non antea; quia nondum erat posita conditio à iure requisita.

89 Sed contra, nam in exemplo posito non potest reconciliari templum ante mortem secutam, quia verè nondum est pollutum; at post datam causam violationis occultam, dicunt graues Doctores, (vt infra videbimus *numero* 98.) si celebretur in templo, priusquam causa publicetur, manere reconciliatum, nec post publicationem causæ necessariam esse reconciliationem, dum publicè quoque constet celebratio. Supponunt ergo Doctores isti, veram ibi fuisse violationem, quæ verè celebratione tolleretur.

Ponamus autem independenter ab illa sententia post datam causam violationis occultam, antequam innotescat, Parochum præcauentem in futurum, occultè reconciliare templum, quod erat benedictum dumtaxat. Tunc, si causa publicè postea constat, & simul reconciliatio templi facta, nemo requiret (vt opinor) aliam reconciliationem. Ergo verè templum erat violatum, quod verè reconciliari potest. Quapropter aptius exemplum est excommunicati ob occultam Clerici percussionem, quem vitare non tenemur, etsi verè sit excommunicatus, donec delictum innotescat, si tamen absoluatur interim ab excommunicatione, quamuis postea percussio patefiat, non eget absolutione, sed sola manifestatione absolutionis receptæ. Sic in nostro casu, si post datam occultam causam violationis, occultè templum reconcilietur, sufficit post causæ publicationem, publicari pariter reconciliationem.

90 Ad fundamentum oppositum concesso antecedenti, negatur consequentia; Voluit enim Ecclesia, quamdiu causa violationis occulta manet, etsi grauiter contra loci sacri reuerentiam, & contra prohibitionem Ecclesiasticam posita sit, non vetari celebrationem in tali loco, quoniam eius loci sanctitas nondum in mentibus hominum læsa fuit, vnde non eget reconciliatione, quæ propter hominum apprehensionem est introducta; & per hæc patet ad confirmationem; nam reuerentia debita locis sacris non læditur in mentibus hominum per actus irreuerentiæ occultos; at coram Deo verè læditur per occultam irreuerentiam, vt fatetur idem *Basilius numero* 11. quoties actus fit in loci sacri contemptum; at etiam sine formali contemptu furtum occultum in loco sacro rei sub eius loci custodia depositæ, sine dubio graue sacrilegium est ex *cap. quisquis* 17. *quæstio.* 4. & suppetunt exempla similia. Ergo similiter occulta causa violationis verè lædit reuerentiam templo debitam corā Deo, veramq; rationem grauis sacrilegij continet sufficientis inducere violationem occultam.

91 Sit dubium secundum. An post Concilium Constantiense requiratur ad violationem publicam sententia iudicis declarans locum sacrum esse violatum? *Ioan. de la Peña 3. p. quæst.* 64. docuit requiri, quod probabile reputant *Suar. to. 3. disp.* 81. *sec.* 4. *Fagnan. Præcep.* 1. *li.* 3. *ca.* 14. *nu.* 34. *Diana par.* 6 *tract.* 6. *Resolut.* 27. Probatur.

batur. Nam Concilium Constantiense præscribit (teste *Suar.*) vt nemo teneatur abstinere à quibuscumque diuinis prætextu cuiuscumque sententiæ, vel censuræ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, donec in particulari, seu nominatim declaretur.

Ideò non tenemur interdictum seruare, donec per iudicem denuntietur. Sed hæc Ecclesiæ violatio, vel est quoddam interdictum, vt significant *Syluester Consecratio 2. quæstio. 9 fine, & interdictum 4. quæstio. 3. Paludanus in 4. distinctio. 18. quæstio. 8. articul. 4. Sayrus de censur. lib. 5. cap. 16. num.* 1. vel saltem est sententia quædam iure lata. Ergo meritò censeri potest sub illo decreto Constantiensis comprehensa.

92 Cęterum oppositum tenendum, est, quod probabilius censent *Suarez, & Fagundez supra. Cardinal. de Lugo de Eucharist. disputat.* 20. *num.* 55. & supponunt communiter Doctores, dum affecunt, vt vidimus *num.* 79. sufficere causam violationis innotescere notorietate facti, vel iuris, vt templum egeat reconciliatione. Probatur, nam vt diximus *supra numer.* 41. violatio loci Sacri non est interdictum propriè, nec intelligitur nomine interdicti, vel censuræ, quod docuit etiam *Suarez. tom. 5. disputat. 37. sect. 1. num.* 28. Quare decretum Concilij Constantiensis ad Ecclesię pollutionem non extenditur. Et *Cardinal de Lugo* testatur, esse Romæ praxi receptum, vt Ecclesiæ reconcilientur, etiam si violatio denuntiata non fuerit. Ego verò reor, eamdem esse praxim aliarum diœcesum. Vnde soluitur fundamentum contrarium, & certè verba Concilij Constantiensis aliter refert *Suarez eo to. 5. disputat. 9. section. 2.* ac retulerat *tom. 3. disput. 81. sectio.* 4. Videatur vtrobique.

93 Sit dubium tertium. An celebratio Missæ sufficiat ad reconciliandam Ecclesiam violatam? Suppono primò, quando violatur Ecclesia, vel cæmeterium, quæ solum erant benedicta, reconciliari posse per simplicem Sacerdotem cum aqua benedicta communi. Sic *P. Lugo de Sacramentis*, habetur *cap. Si Ecclesia, iuncta Gloss. de consecrat. Eccles.* Docent communiter Doctores *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3. ad 2. Sotus, & Nauarrus*, quos sequitur *Henriquez lib. 9 cap. 27. numero 6. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæstio. 14. Coninch. quæstio. 83. numer. 236. Suar. 3. part. tom. 3. disputat. 81. sectio. 4. Fagundez. Precep. 1. lib. 3. cap. 14. num. 7. & 60. Bonac. de Matrim. quæst. 4. punct. vltimo num. 27. Reginald. lib. 29. num. 179. Diana part. 2. tractat. 15. Resolut. 6. qui citant alios.* Rituale Romanum pręscribit huius reconciliationis ritum, atque requirit aspergillum de herba hyssopo factum.

94 An verò simplex Sacerdos ad huiusmodi reconciliationem egeat Episcopi facultate? Affirmat *Bonacin. supra*, sic esse praxi receptum in diœcesi Mediolanensi. Fauet Rituale Romanum dicens, Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum esse reconciliandam. At *Henriquez supra, & Layman lib. 5. tract. 5. nu.* 12. docent, expedire quidem, vt facultas ab Episcopo, vel ab eius Vicario, (si facilè potest) impetretur, & peti solere, non tamen esse necessariam. *Fagund. supra num. 60. & Auila part. 5. disput. 7. dub. 4. conclus.* 1. simpliciter asserunt non requiri licentiam Episcopi. Quia *textus in eo ca. Ecclesia id non exprimit*, imò contrarium indicat, quatenus inquit, protinus lauetur, quod præstari non posset, si facultas Episcopi foret expectanda. Ego monerem, in vnaquaq; diœcesi receptam praxim seruari.

95 Suppono secundò, si templum, vel cęmeterium erat ab Episcopo consecratum, reconciliari debere per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de licentia proprij cum aqua, quam ipse, vel alius Episcopus benedixerit, imò, & cinere mixtam. Habetur *cap. Proposuisti, cap. Aqua de consecrat. Eccles.* Sic Doctores relati, & addunt posse Papam committere simplici sacerdoti reconciliationē Ecclesiæ consecratæ. Quia per apicem potestatis Pontifi-

calis potest committere simplici Sacerdoti circa corpus Christi mysticum quędam, quæ pertinent ad potestatem Ordinis Pontificalis. An autem Episcopus possit simplici Sacerdoti concedere facultatem reconciliandi templum consecratum violatum? Affirmat *Victoria qu. 99. Sá verbo Ecclesia num. 20. Syluius 3. par. quæst. 83. art. 3.* qui dicit, sic esse praxi receptum, non contradicente, sed potius concedente Pontifice. Verum *Diana supra censet*, esse praxim contrariam, & communis sententia negat, Episcopum id posse. Sic *Henriquez, Azor, Suarez, & Layman supra. Fagundez num. 7. Auila conclus. 3. qui referunt alios, & probant ex eo cap. Aqua*, vbi consuetudo Bracharensis Ecclesiæ, qua solebant Episcopi simplicibus Sacerdotibus committere reconciliationem Ecclesiæ (scilicet consecratæ) corruptela vocatur, & ratio redditur. Quia, licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt, quæ tamen ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demãdare. Consonat *Rituale Romanum*, dicens. *Simplex Sacerdos tantum ex priuilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare, & tunc vtatur ritu in Pontificali præscripto, cum aqua per Episcopum ad hunc vsum benedicta.*

96 Ego censeo, sententiam istam communem præferendam esse, si verò contraria praxis alicubi vigeat, non erit dãnanda, quia forsan ibi consuetudo derogauit iuri cõmuni ex tacito consensu Pontificis, vt indicat *Sylu.* Hoc certũ est, posse Regulares ex priuilegio Pontificis templum, vel Altare post consecrationẽ pollutum reconciliare cum aqua (cui vinum simul, & cinis admiscetur) per Episcopum benedicta, vel per Prælatum Regularem, si distet Episcopus duabus dietis, idest quatuordecim leucis, vt testantur *Henriq. supra, & Manuel tom. 1. Regular. quæst. 19. art. 2. & tom. 2. Bullar. fol. 268. Ioan. de la Cruz in Epitome lib. 2. cap. 5. dub. 9.* qui citant concessionem *Leonis X. Bul. 6.* Videatur etiam nostrum Compendium *verbo Ecclesia nu. 2.* cuius priuilegium de reconciliatione templi, seu cæmeterij consecrati capiunt *Henriquez, & Auila supra, & meritò*. Nam *Leo X. ibi relatus* de tali reconciliatione locutus est. Consonat *Cardinal. de Lugo disput. 20. num. 61.*

97 Suppono tertiò, talem haberi Rubricam in Missali de defectibus §. 10. *nu. 2. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur*. Vnde colligunt *Sotus, & Graffis*, quos sequitur *Suar. Coninch. & Reginald. supra Laym. num. 13. Bonac. num. 24. Fagund. nu. 2. & cap. 18. num. 11.* Si nondum sit Canon inceptus, debere celebrantem abstinere, donec Ecclesia reconcilietur, vel ab ipso celebrante, si sit benedicta dumtaxat, & commodè possit illicò reconciliare, vel non possit exui debet vestibus sacris, & omittere Missam. Si verò Canon inceptus sit, prosequendum erit sacrificium, quippè, quod aliquo modo censetur inchoatum, cum hostia parata sit ad consecrationem, ideòque non deceat illud imperfectum relinquere.

98 Tunc autem insurgit difficultas; an per talem celebrationem, vel aliam similem, violatio tollatur, & Ecclesia reconcilietur? Affirmant *Castro de lege pœnali lib. 2. cap. vltimo post tertiam conclusionem Graffis in consil. titul. de Consecratione Ecclesiæ consil. 1. num. 10. Henriquez lib. 9 cap. 27. num. 5. & 6. Sá verbo Ecclesia num. 19. Auila part. 5. disput. 7. dub. 3. Bonacin. de Matrim. quæst. 4. punc. vltim. num. 27. Persicus de officio Sacerd. lib. 1. dub. 6. num. 61. Naldus verbo Ecclesia num. 24. Zerola in praxi Episcoporum par. 1. ver. Pollutio Ecclesiæ, notab. 5. Diana par. 2. tract. 14. Resol. 69. & par. 6. tract. 6. Resol. 28.* Quia dignitas tanti sacrificij, sanctitas talis immolationis, præsentia Dominici corporis, & sanguinis censetur esse sufficiens reconciliatio templi violati.

Limitant primò *Castro Naldus, & alij*, vt celebratio fiat bona fide, *Sá* dicit, etiamsi mala fide celebratum sit, quod am-

amplecti videtur *Diana*; nam efficacia celebrationis ad reconciliandam Ecclesiam pollutam non potest pendere ab ignorantia, vel bona fide celebrantis, quæ solum conducit ad excusandū eius peccatum, vt rectè notat *Layman supra.* Limitant secundò *Graffis, Auila, Bonac.* dum violatio sit occulta; tunc enim putant, ita tolli per celebrationem, vt quāuis innotescat postea violatio, non sit necessaria reconciliatio; si verò violatio sit notoria, censent requiri reconciliationem, nec sufficere Missæ celebrationem, quia publicum scandalum, publica satisfactione compensandum est. Sed nec ista limitatio videtur habere sufficiens fundamentum. Quia poterat Missa solemniter, & publicè celebrata de licentia ordinarij tollere publicum scandalum, si sufficeret, alioquin ex se tollere violationem ex dignitate sacrificij, ac præsentia Christi.

99 Melius negant *Layman lib.5. tract. 5.cap.5.num.13. Fagund. Precept.1.lib.3. cap.21.num.15. Cardin. de Lugo disp.20. num.61. Portel. in addit. ad dub. Regular. verbo Ecclesia num.5. Sayrus de cens. lib. 5.cap.16.num.11.* Fauent *Sanct. Thomas Suarez, & Auersa relati supra num.42. Victoria num.99. & alij*, qui docent Episcopum, vel eius Vicarium posse dare licentiam faciendi sacrum in Ecclesia violata, nimirum, donec reconcilietur; quare supponere videntur per illam celebrationem non reconciliari. Probant ab inconuenienti, nam eodem modo templum nondum consecratum, aut benedictum, semel ibi celebrata, Missa non egeret alia consecratione, seu benedictione, quia sicut Missæ dignitas æquiualet reconciliationi, pariter æquiualet, imò præponderat consecrationi, vel benedictioni.

Confirmatur, quia tam Ecclesiæ violatio, quàm eius reconciliatio iure Canonico fuit introducta, quare, sicut non violatur, nisi per causas ab Ecclesia designatas, ita nec reconciliari potest, nisi verbis, & ritibus ab Ecclesia præscriptis, sed nullum ius Canonicum tribuit Missæ vim reconciliandi templum violatum. Ergo simpliciter in nullo casu celebratio Missæ vim habet tollendi violationem. Quare sententiam affirmantem ego non auderem in praxi complecti, quia nō reputo illam probabilem per locum intrinsecū. An verò per locum extrinsecum tot Authores reddant illam tutam in praxi, iudicent alij. Videatur *Auersa qu.11. sect.14. fine.*

CAP. VI. QVÆST. XIII.

Quis sit locus sacer violationis capax?

100 Vppono primò, templum consecratum, aut benedictum esse capax violationis. Quippè iura per Ecclesias, quas violari decernunt, ex supradictis causis, intelligunt planè consecratas, aut benedictas. Ita *Sotus, Nauarrus, Angles, Graffis, Manuel, quos sequitur Sanchez de Matrimon. lib.9. disputat.15. num.24. Fagundez Precept.1.lib.3.ca.14. num.37. Suarez tom.3. disput.81. sectio.4. Henriqu. lib.9.cap.27.num.5. Auila part. 5.disp.7.dub.2.*

101 Suppono secundò, locum sacrum quoad hunc effectum recipiendi violationem non tam latè patere, sicut ad gaudendum immunitate. Nam omnia, vel Ecclesiarum, vel Hospitalium, vel Monasteriorum habitacula gaudent immunitate; non tamen omnia sunt capacia violationis, sed spatium pertinens ad interius templi corpus, scilicet, quidquid est intra tectum, & pauimentum, & inter aram summam, & parietem oppositum, vbi comprehenduntur Capellæ, quibus aditus est per ipsum templum, licet additæ sint post templi benedictionem. Item chorus, & locus organorum, nam hæc omnia faciunt vnum corpus cum templo. Comprehenduntur etiam cæmeterium benedictum, & claustra, si benedicta sint, & sepulturæ fidelium destinata. Sic *relati Doctores, & Cardin. de Lugo disput.20.num.58* Non vero comprehenduntur Cameræ templis adhærētes non deputatæ diuinis officijs, nec Sa-

cristia, nec turris, nec habitacula Religiosorum, nec officinæ, nec interiectum, idest illud spatium inter primum tectū, & supremum. Vulgò desuanes, nec locus exterior templi, vel supra tectum, vel sub pauimento, nisi sit ibi Capella, vel fornix ad sepulturam.

102 Si sanguinis, vel seminis effusio, vel homicidium in templi ianua contingat intra clausuram ostij versus templum, polluit illud, secus, si contingat extra clausuram ostij versus externam aream. Quod si fuerit ibi cęmeterium, hoc violabitur, non Ecclesia: ne minus dignum trahat ad se magis dignum, cum tamen Ecclesia violata cęmeterium illi contiguum violetur, & Ecclesia reconciliata, cæmeterium reconcilietur. Nam accessorium sequitur conditiones principalis, & non ècontra. Sic habetur *cap. vnico de consecrat. Eccles. in 6.* Notant *Auila sup. dub. 4. Sà verbo Ecclesia num. 22. Layman lib. 5. tract. 5. ca. 5. num. 11.* At vno cęmeterio polluto, non polluitur alterum, quando neutrum est accessoriū alterius. De confessonarijs distinguunt *Sanchez supra num. 54. & Fagund. num. 44.* Nam si sint intra concauum parietis interni templi, sunt partes illius, sicut Capellæ: si tamen à templo diuidantur, vel panno cerato, vel tabulato, solumque per crates, aut fenestellam confessiones excipiantur, & caussa violationis detur à parte templi, violabitur illud; si detur ab externa parte post parietem, vel tabulatū, non violatur templum, nam illa diuisione iam cellula confessarij manet, quasi locus à templo separatus.

103 Suppono tertiò. Oratoria propriè dicta, quæ vel in domibus priuatis habentur, vel in xenodochijs, vel sunt Eremitoria quædam auctoritate priuata constituta, nequaquam Ecclesiæ nomine comprehendi, quamuis ex Episcopi licentia celebretur in ipsis. Quia non sunt simpliciter loca sacra, cum possint prohibito fundatoris ad profanos vsus redire, nec subindè gaudent immunitate, nec alijs Ecclesiæ priuilegijs. Ita *Suar. & Henriq. supra. Sanchez nu. 39. Fagundez num. 45. Sà num. 13. Layman num. 2. Auila dub. 2. Coninch. qu. 83. num. 236.*

104 Dubium tamen est de quibusdam locis publicis ab Episcopo deputatis ad celebrandum, vt sunt Heremitoria quædam, Hospitalia, vel similia, quæ nec cōsecrata, nec benedicta sunt, nec in illis corpora Fidelium sepeliuntur, sed ab Episcopo deputantur ad publicam Missæ celebrationem. Prima sententia negat, esse capacia violationis talia loca. Sic *Henriqu. lib. 9. cap. 27. num. 5. Manuel in Sum. tom. 1. cap. 154. de Ecclesia polluta num. 13. Sa supra.* Probatur, nam hæc res est odiosa, & pœnalis, ac subindè restringi debet ad Ecclesiam propriè dictam, quoties iura dicunt, vel supponunt locum sacrum, aut Ecclesiam violari, sed Ecclesia propriè non dicitur, quæ non est consecrata, vel benedicta, & diuinis officijs destinata. Quare lex puniens delictum commissum in Ecclesia, non comprehendit delinquentem in basilica nō consecrata, vel benedicta, nam Ecclesia propriè non censetur, vt testantur *Abbat. in Rubric. de consecrat. Eccles. num. 3. Angelus verbo Ecclesia numero 3.* Ergo talis basilica non est capax violationis. Valdè fauent, huic sententiæ *Sot. in 4. distinct. 32. quæst. 1. art. 3. Nauarr. ca. 16. num. 32. Suar. tom. 3. disp. 81. sectio. 4. Graffis 1. part. lib. 1. ca. 20. num. 28. & lib. 2. cap. 83. num. 10. Coninch supra* generaliter asserentes, non esse capacia violationis oratoria, vel similia loca, quæ nec consecrata sunt, nec benedicta, quia sub Ecclesiæ nomine non comprehendūtur, vel ad hunc effectum violationis requirentes Ecclesiam consecratam, aut benedictam.

105 Secunda sententia per oppositum affirmat. Ita *Sanch. de Matr. lib. 9. disp. 15. nu. 39. Suar. (qui videtur mutasse sententiam) tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 3. cap. 9. n. 3. Card. de Lugo disp. 20. nu. 6.* Probatur primò, nam hæc loca gaudent immunitate tamquam sacra. Pariter ergo sunt capacia violationis. Antecedens docent *Abbas, Syluest. Angel. Couar. & plures apud Sanch. supr.* Probant *ex cap. Ecclesiæ*


de

de immun. Eccles. vbi ratio redditur, quæ nostro casui videtur communis, scilicet, nam Ecclesia nō consecrata, dum sit diuinis obsequijs dedicata, nullius est temerarijs ausibus profananda. Verum hæc ratio non est efficax, quoniam, vt *sup. vidimus n.* 101. Latius patet Ecclesię nomen quoad immunitatem, quā quoad violationem: odia siquidem restringuntur, & fauores ampliantur.

106 Quare probatur secundò. Nam Episcopi deputatio talem locum perpetuò cultui diuino, & Missarum celebrationi destinantis est veluti consecratio quædam supplens benedictionis effectū; Vnde iam dicitur locus religiosus, nec ad vsus profanos redire potest. Vt habetur cap. *Ad hæc de Religios. domib.* Fauet *Greg. VIII. cap. fin. de consecr. Eccles. generaliter asserens*, Ecclesiam non consecratam, si polluta fuerit sanguine, vel semine, debere reconciliari, & *Glossa ibi rationem reddit.* Quoniam ille locus authoritate Episcopi diuino cultui dicatus sit, itavt ad profanos vsus redire non debet. *Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. num.* 1. dicit hanc sententiam iure communi valdè probabilem apparere, contrariam verò nunc in praxi seruari. *Auersa de Euchar. quæst.* 11. *sect.* 14. §. *Decimò tandem*, Monet, seruandam esse Regionum consuetudinem, quod Ego pariter censeo. Sed quoniam in raris euentibus, sicut non potest praxis esse frequens, ita nec constās esse solet; Vbi non constiterit praxis recepta; Vtramq; sententiam reputo probabilem, & securam. Quod si dubium sit, an locus sacer fuerit Episcopi authoritate fundatus. *Sanchez supra* cum alijs asserit, si cymbalum habeat erectum super tectum, quod publicè pulsetur, vel ibi publicè celebretur omnib. indifferenter admissis ad officia diuina, præsumi deputationem Episcopi præcessisse. Secus, si neutrum habeat.

CAPVT VII.

De Altari, & eius ornatu.

1 Ltare vocamus locum, in quo sacrificium immolatur, dicitur Altare quasi alta ara, quia sacrificij locus in altū erigi solet propter reuerentiam, & significationem. Ara verò dicitur, vel à precatione, nam Græci precationes vocant aras; vel ab ardore, quoniam ibi victimæ solebant ardere. Videantur *Isidorus lib.* 15. *Origin. cap.* 4. *Macrobius lib.* 3. *Saturnal cap.* 3. *Strabo de rebus Eccles. lib.* 1. *cap.* 7.

2 Iam apud Ecclesiam Altare dupliciter sumitur, primò pro tota mensa, super quam integrè Missa celebratur, secundò magis propriè pro lapide consecrato, qui tali mensæ superponitur. Vnde duplex Altare distinguitur.

Primum dicitur fixum, quod aliquando non est consecratum, & impropriè dicitur Altare, nec in illo potest, nisi ara superaddita, celebrari: nonnumquam verò consecratum est, quando scilicet, lapis consecratus est connexus cum alijs lapidibus, cęmentis, seu lateribus, qui concurrunt ad erigendum Altare primo modo dictum, in quo subindè sine ara superposita celebrari potest, vt notat *Azor tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 27. *qu.* 1.

Secundum dicitur portatile, quando lapis consecratus dimoueri potest, & hinc, indè deferri, quia cum reliqua mensa, siue lignea sit, siue terrea, siue lapidea, non connectitur. Ideò ius vocat istud Altare viaticum *cap. fin. de priuileg. in sexto*. Vocat etiam tabulam Altaris consecratam *cap. Concedimus de consecrat. dist.* 1. dicitur communiter Ara sacra.

CAP. VII. QVÆST. I.

An Altare debeat esse consecratum?

3 Debet vtique propter reuerentiã, & mysticam significationem tanti mysterij. Sic habetur cap. *Altaria de consecrat. distinct.* 1. Sic tradunt *Patres apud Suarium tom. 3. disput.* 81. *sectio.* 5. Sic fatentur Doctores. An vero sit mortale peccatum sine Altari consecrato celebrare? Solus videtur negare *Victoria in Summ. num.* 98 Si non ex malitia, sed ex negligentia fiat. Atqui, si negligentia grauis sit, & plenè voluntaria, sine dubio mortale peccatum est ex genere suo. Quippè cum sit Iuris Canonici præceptum, & in materia graui, debet obligare grauiter. Ita plures, quos sequitur *Suar. supra. Vazquez 3. part. disput.* 233. *cap.* 2. *Fagundez præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 1. *cum alijs*. Nec Episcopus in hoc præcepto dispensare potest, vt constat *ex Ecclesiæ consuetudine perpetua*. Nec Summus Pontifex vmquam legitur dispensasse, quamuis ex graui causa posset (cũ hoc sit ius Ecclesiasticum.) Nec videtur, esse posse moraliter necessaria, vel conueniens talis dispensatio. Quare nullum extat priuilegium ad celebrandum sine Altari consecrato. Addit *Nuñus 3. part. quæst.* 83. *ar.* 3. *dub.* 3. post secundam conclusionem. Nec in casu grauissimæ necessitatis ob communicandum moribundum posse celebrari sine Altari consecrato, quoniam esset contra morem Ecclesiæ.

4 Solus Episcopus potest Altare consecrare cap. *Nullus Presbyter*. cap. *Concedimus de consecrat. dist.* 1. Nec Episcopus id potest simplici Sacerdoti committere, cum in ius commune non habeat authoritatem, & ius commune reseruet Episcopis consecrationem Altarium. *cap. Quamuis distinct.* 68. At Papa potest simplici Sacerdoti committere consecrationem Altarium. Vt notat *Auersa de Missa quæst.* 11. *sect.* 13. Addit *Henriq. lib.* 9. *ca.* 28. *num.* 1. Consecrationem aræ numquam Papam commisisse simplici Sacerdoti. Sed certè *Paulus III. Anno* 1549. *concessit Presbyteris Societatis Iesu*, qui missi fuerint in remotissimas infidelium terras, vt ibi possent Ecclesias erigere, vestes sacerdotales, palla, corporalia, Calices, Altaria, cæmeteria, (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit) benedicere *Manuel in Summ. tom.* 1. *cap.* 247. *conclus.* 15. dicit, idem Prædicatoribus, & Minoribus esse concessum, & *tom.* 1. *Regul. quæst.* 28. *art.* 2. *& in Bullario refert Bullam tertiam Leonis Decimi num.* 4. *& Bullam sextam Adriani VI. num.* 4. Consonant *Portel, & Villalob.* quos sequitur *Hieronymus Rodrigu. resolut.* 9. *nu.* 3. Demum *Ioannes de la Cruz in Epitome lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 8. *conclusio.* 3. dicit, Prælatos Regulares posse consecrare Ecclesias, & Altaria ex concessione *Innocentij VIII. & Vrbani II. quam etsi Leo X. videatur reuocasse*, confirmauit postea cum aliis *Paulus V.*

5 Super aram consecratam retinere debet Sacerdos hostiam, & Calicem à consecratione vsque ad sumptionem, nã vsque tunc non perficitur sacrificium. Quod, si præter suam hostiam consecrauit alias particulas, siue paruas hostias pro communione laicorum, debet illas pariter retinere super aram consecratã, quia verè pertinẽt ad idem sacrificium, vt benè probat *Cardin. de Lugo disp.* 20. *nu.* 69. Post sumptionem verò potest, vel illas distribuere communicantibus, vel in Sacrario reponere sine ara, quæ solum celebrationi deseruit. Etenim licet *Vazquez supra num.* 6. dicat, debere tunc pyxidem in Sacrario super aram seruari, quoniam id consuetudine receptum est ab omnibus, tamen *Auersa supra censet*, nec id esse consuetum, nec commodum, nec debitum, quod magis probo, quia talis praxis mihi constat, contraria si fuit vmquam, iam obsoleuit. Consonat *Azor tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *qu.* 7. *Cardin. de Lugo supra num.* 97. dicens, hoc esse vitium commune Scholasticis, vt consuetudinem iudicent ex eo, quod in sua Ciuitate, vel Prouincia fieri videnti

dent;cum nec Romæ,nec in multis alijs locis ponantur in Sacrario pyxides Eucharistiæ super aram consecratam.

6 Iam fit dubium primum. An pyxis debeat esse benedicta? Negant *Azor supra. Paludanus, Tabienna, Sotus, Sylvest.* quos sequitur *Henriquez lib. 9. capit. 28. num. 3. Fagund. supr. num. 14. Nuñus dub. 5. Vazquez nu. 36. Coninch. quæst. 83. num. 245. Bonacin. disputat. 4. quæst. vlt. punct. 9 num. 23. Diana part. 2. trac. 15. resolut.* 2. Probatur, quia nullo iure præcipitur talis benedictio. Nec sufficit, quod in Pontificali ponatur, nam plures ibi ponuntur benedictiones, pro cœteris ornamentis, pro vasis reliquiarum, pro campanis, cum tamen hæc omnia non sit necessarium benedici. Nec *rubrica Missalis vrgere videtur*, quia forsan non continet præceptum, sed consilium, aut instructionem ob decentiam, vt asseruit *Fagund. supra cap. 21. num. 32. de Regul. Missal* quæ non pertinet ad essentiam, vel quasi substantiam sacrificij.

7 Affirmant *Suarez tom. 3. disput. 81. sectio. 7. Reginald. lib. 29. num. 201. Moune part. 3. cap. 5. § 12. num. 9. Petrus de Ledesma in Summa. n. 1 trac. de Eucha. c. 21.* pro pendet *Pitigianus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. cum alys.*

Probatur, *quia tam Pontificale, quàm Missale Clementis VIII. ponunt specialem benedictionem pyxidis, & Rubrica Missalis de ritu celebrandi §. 2. numer. 3.* sic ait. *Si consecraturus est plures hostias pro communione facienda, locet eas super corporale, vel in aliquo Calice, aut vase mundo, consecrato.* Vbi per consecrationem benedictionem intelligit, quam in fine Missalis assignat.

8 Mihi certum est primò, valdè decere quidem, vt pyxis benedicatur, antequam recipiat Eucharistiam, nam ita fatentur vtriusque partis Doctores, & hoc saltem probat fundamẽtum partis affirmantis. Certum est secundò, de rigore iuris, non esse necessariam talem benedictionem, quia non extat ius illam præcipiens. Adde consuetudinem etiam post Missale Clementis VIII. non esse generalem, vt affirmat *Layman lib. 5. tr. 5. cap. 6. num. 32.* licet enim Clerici timorati, & exacti vtantur pyxide benedicta, qui minus curiosi sunt Sacrorum Rituũ, minus attendunt ad istam benedictionem. Ego monerem, Rubricam obseruari, quia meo iudicio saltem obligat sub veniali, vt magis ex professo dicam de Rubricis inferius. Ita tenet *Cardinal. de Lugo sup. num. 96.*

9 Addit *Vazqu. sup.* ex consuetudine requiri, vt intra pyxidem, in qua seruatur Eucharistia, sit vas aliquod ex lino, quod benedictione corporalium benedictum sit. Sicut enim, quamdiù celebratio Missæ durat, corpus Christi semper esse debet super palam corporalem benedictam, quæ Sindonem repræsentat, qua Christi corpus inuolutum fuit in sepulchro, sic etiam finita Missa seruari debet super linteum benedictum. Hoc tamen refellunt *Diana, Nuñus, Auersa supra. Cardin. de Lugo num. 97.* quia talis consuetudo non est communis, nec in his valet argumentum à paritate rationis. Etenim quamuis non sit sanctior confectio corporis Christi, quam ipsum corpus confectum, ius tamen plura requirit ad conficiendum, quam ad conseruandum. Certè multis in locis non adhibetur illud vas lineum, nec timorati curant illud adhibere. *Suar. vero supr.* decere putat, vas illud lineum intra pyxidem apponi, præsertim quando pyxis non est aurea, vel argentea.

10 Verè tamen necessarium est, vt pyxis continens corpus Domini deponatur super corporale, non solum in Altari, dum fit sacrum, sed intra sacrarium, vbi seruatur, sicut etiam illud vas, quod adhibetur ad exponendum publicè Sacramentum, & vocatur ostensorium, quando continet Christi corpus, non nisi super corporale, seu palam benedictam deponitur, quod totum vbique recepta consuetudine communiter obseruatur, vt notat *Auersa*. Nihil iura præscribunt circa materiam, & formam Pyxidis, vel ostensorij. Verum ex reuerentia debita tanto Sacramento metiẽda quidem erit

debita

debita decentia,& probata consuetudo. Forma debet esse ministerio conueniēs, materia, vel aurea, vel argentea, vel saltem stannea, sicut Calix. Ita *Suarez, & Auersa sup. Regin. lib. 29. n. 201.*

11 Sit dubium secundum. An in ara consecrata reponi debeant reliquię Sāctorum? Affirmant *Canonistæ in ca. Placuit 26. de conse. rat. dist. 1. Syluester verbo Altare qu. 1. fine. Armilla ibi numer. 5. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 27. qu. 8. Scortia lib. 2. cap. 14. num. 4.* Probatur, nam *in eo cap. Placuit, præcipit Concilium Africanum*, vt Altaria, quæ sine reliquiæ consecrata sunt, euertantur. Idem habetur in *Concilio Carthagin. 5. cap. 14.* Consonat *Concilium septimum generale*, quod est *Nicenum 2. Can. 7.* Accedit Ecclesiæ cōsuetudo, quam satis indicant illa verba Sacerdotis accedentis ad Altare post confessionem. *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt.* Addit *Azor supra citans Syluestrum, & Tabiennam*, ita reliquias Sanctorum ad substantiam consecrationis Altaris pertinere, vt sine reliquijs appositis consecratio non valeat; Censet autem, sufficere, si subtus Altare fixum reliquiæ Sanctorum conditæ sint.

12 Communis sententia negat, vel ad substantiam consecrationis, vel ad obseruantiam alicuius Ecclesiastici præcepti deberi reliquias in Altari consecrato reponi. Sic *Hugo, & Astensis apud Syluestrum sup.* fatentur de Altari portatili, & iura contraria dicunt loqui de fixo. *Angelus verbo Altare nu. 3.* sic ait. Quod non sint necessariæ reliquiæ, facit rubrica in Missalibus antiquis dicens: Quod si reliquiæ non fuerint, omittatur illa particula illius orationis, quæ dicitur post confessionem, scilicet quorum reliquiæ hic sunt. *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3. ad 2.* dicit, quandoque Altare consecrari cum reliquiis Sanctorum iuxta cap. *Placuit. Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3.* docet, illum canonem iam non esse seruandum, nisi vbi reliquiæ possunt haberi.

13 *Durantus in Rationali libr. 1. cap. 7. nu. 23.* docuit, requiri Reliquias, vel corpus Christi, quasi velit, cum desunt reliquiæ, partem hostiæ consecratæ fore reponendam in Altari; quod etiam dixit *Gloss. in eo cap. Placuit cum Ioanne quodam, & Abbas apud Syluestrum supra quæst. 4. refert D. Leonem dedisse partem corporalis, & Eucharistiæ ad consecrationem cuiusdam Ecclesiæ.* Hoc autem acriter refellunt tamquam nimis absurdum. *Syluester verbo Altare nu. 4. Suar. & Auersa supra. Vazquez num. 16. Azor quæst. 9. Cardin. de Lugo num. 75. Coninc. quæst. 83. num. 242. Fagund. precept. 1. lib. 3. cap. 22. num. 6.* Quoniam hoc esset contra institutionem Eucharistiæ, quæ solum instituta fuit in sacrificium, & cibum animarum, nec debet ob alium finem seruari, præsertim, quia corruptis speciebus, desineret ibi corpus Christi. Nec *D. Leo credendus est, id fecisse, sed solam partem corporalis dedisse.* Hac igitur explosa sententia.

14 Dico primò, Reliquiarum appositio non est de substantia consecrationis Altaris. Sic *Authores pro communi sententia relati*, & quidem etiam antiquiores admittunt validam Altaris consecrationem sine reliquijs appositis; magis apertè *Suar.* dixit, reliquias non esse de essentia huius consecrationis, vt ex vsu constat, & forsan numquam fuisse, quia Canones id non conuincunt, vt ex contextu Conciliorum deducit. Consonant *Vazquez supra. Coninch num. 241. Fagundez num. 8. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 6. nu. 8. Filliuc. tract. 5. num. 121. Bonac. de Sacram. disput. 4 quæstione vltima punct. 9. num. 14.*

15 Dico secundò. Si quod olim præceptum fuit apponendi reliquias in consecratione Altaris saltem fixi, vt *Astensis, & Hugo docuerunt*, & probabile censet *Vazquez supra*, certè iam illud cessauit per cōtrariam consuetudinem, quę præcipuè videtur inducta, quoniam in tanta templorum, & Altarium multitudine certæ Sanctorum reliquiæ vix possent omnibus adhiberi. Sic *censent Doctores nuper relati*. Nihilominus pertinet ad Ecclesiæ Prælatos prouidere, si commodè

dẽ possit, vt antiqua consuetudo reponendi sacras reliquias in singulis Altaribus perseueret, siquidem perseuerat illa Sacerdotis oratio, *per merita Sanctorũ, quorum reliquiæ hic sunt*. Quamuis enim sufficienter verificentur illa verba; quoniam aliquando, vel in altari, vel in templo verè reliquiæ sunt, etsi quandoque desint, vt aduertit *Fagundez supra*, tamen magis formaliter, & propriè verificabuntur, vbi reuera reliquiæ repositæ fuerint.

16 Sit dubium tertium: Quis possit Altare construere, vel destruere? Respondet *Azor supra quæst.6.* in Ecclesiis non consecratis quemlibet Presbyterum erigere, vel demoliri posse fixum Altare, quod consecratum non sit; imò quemlibet iure suo posse quæuis Altaria non consecrata destruere *iuxta gloss. in cap. Quamuis dist.68*. In Ecclesiis verò consecratis neminem altaria, vel erigere, vel demoliri posse sine consensu Episcopi. Sic habetur *cap. nullus Presbyter c.s. Ecclesiæ cap. Placuit de consecrat. dist.1.*

CAP. VII. QVÆST. II.

Qua materia constare debeat Altare?

17 PRimis Ecclesiæ temporib. quando fideles ob tyrannorum persecutionem in cryptis celebrare cogebantur, ligneis vtebantur Altaribus, quæ facilè deportari possent; & quidam Sancti leguntur vice altaris vsi fuisse pectore suo, vel manibus Diaconorum, vt ex alijs refert *Henriqu. lib.9. cap.27. num.3.* Primus Syluest Papa præcepit, ne Missę sacrificium offerretur sine Altari consecrato lapideo, nec ex alia materia consecraretur, quod deinceps confirmatum fuit, vt habetur *in cap. Altaria de consecrat. distinct.1.* Solum in Ecclesia Lateranensi nunc retinetur illud Altare ligneum, in quo *Sanctus Petrus olim, & aly Pontifices celebrarunt*. Rationem reddit *Sanct. Thom. 3. part. quæstione 83. artic.3. ad 5.* tum litteralem, quia lapis vulgatis est firmior, & aptior consecrationi retinendæ; tum mysticam, nam Altare repræsentat, vel Christum, qui petra vocatur ab Apostolo 1. Corinth 10. vel eius sepulchrum lapideum. Videantur *Suar. tom.3. disp.81. se t.5. Azor tom.1. lib.10. cap.27. qu.2. Coninc. qu.83. num.238. Fagund. præcep.1. lib.3 c.22. Laym. lib.5. trac.5. cap.6. Bonac. disp.4. quæs. vlt. punc.9. num.9.*

18 Nota primò, Altare quod non consecratur, posse quauis alia materia constare, vt inquit *Azor supra*. Sic in Altari fixo, non debet totum ædificium esse lapideum; potest.n. esse ligneum, vel terreum quoad partes remotiores, solum requiritur, vt mensa Superior sit lapidea. nam illa sola consecratur, vt aduertunt *Suarez, Coninch. & aly*. Altare portatile dixit *Moure par.3. cap.5. §.11. num.13.* esse posse ligneum, quod intelligo de mensa, vel tota structura, cui superponitur ara, nam hanc *num.6.* dicit, fore lapideam, & consecratam. Quod apertius dixerat *Sotus in 4. dist.13. qu.2. art.3. §. Quintò arguitur*, his verbis: Nomine Altaris, quod debet esse lapideum, intellige aram, nam reliqua structura ex ligno potest esse.

19 Nota secundò, solum Papã dispensare posse, vt ara consecretur ex auro, vel argento, vel ære, vel simili materia, nullum autem Episcopum posse, quia Papa solus est supra totum ius Canonicum plenitudine potestatis, quæ non cõpetit Episcopis. Sic aduertunt *Henriqu. lib.9. cap.28. num.1. Fagund. supr. num.2. cum alys.*

20 Si petas, quantæ magnitudinis esse debeat Altare consecratum? Conueniũt Doctores tantæ longitudinis, & latitudinis esse futurum, vt capere possit pedem Calicis, & Hostiam, seu Patenam; dum celebratur, scilicet quoad maiorem sui partem, dummodò firma sint super arã Calix, & Patena sine periculo labendi. Sic *Alens. Paludan. Syluest. Sot. Nauarr.* quos sequitur *Suarez, & Layman supra. Azor quæst.7. Coninch addit n.242.* quoties vtimur Altari portatili, quod in-

sertum est tabulę ligneę, fore curandum, vt tam Calix, quàm Hostia consecrata ponantur super lapidem consecratum maxima saltem ex parte; si tamen ex aliqua parte nitatur etiam tabulę ligneę, dum absit periculum lapsus, non esse scrupulosè curandum.

21 An autem Altare consecratum cõstare possit duobus lapidib. quouis modo colligatis, itaut in vno illorum Hostia, & in alio Calix consecretur, & collocetur? Negant communiter Doctores. *Syluester verbo Altare quest.3. Vazquez 3.part.disput.233.num.16. Fagundez nu. 9. Bonacin. supra numer.13. Cardinal. de Lugo disputat.20.num.67.* nisi Papa concedat specialem licentiam. Quoniam est cõtra communem Ecclesiæ morem, & contra mysterium. Nam Altare Christum significat, in quo datur vnica persona; & in isto casu, cum sit duplex Altare, sicut sunt duo lapides, duplex persona significaretur. Cum tamen omnes illi Doctores Altare solum portatile negent constare posse lapidibus colligatis, indicare videntur, Altare fixum etiam quoad Superiorem mensam, & quoad illud spatium, in quo Calix, & hostia collocanda sunt, posse constare pluribus lapidibus colligatis. Et quidem *Layman supra* dixit, in quibusdam Ecclesijs Altaria reperiri non ex lapide duro, sicuti decens esset, sed opere lateritio constructa, vel ex gypso admixto cæmento, cuiusmodi tamen mensæ citius fracturas adquirunt. Vbi loqui videtur *Layman* quoad Superiorem etiam mensam. At Ego nec in nostris Ecclesijs id vidi, nec reor quid tale reperiri, nec vllibi consentaneum erit iuri communi, saltem quoad opus lateritium.

22 Nota tertiò, si mensæ consecratæ noui lapidis additio fiat, Altare sic esse construendum, vt Calix, & Hostia non in additamento, sed in veteri lapide consistant. Nam etsi *Glossa cap. Quod in dubijs de consecrat. Eccles. & cap. Si motum verbo Altare de consecrat. distinc.1.* (Cuius sententiam vocat probabilem. *Layman lib.5.tract.5.ca.6.num.5.*) dicat, in hoc casu non sacrum, si minus principale sit, accessione ad sacrum sacrari, sicut pannus non sacer appositus sacræ vesti, murus non sacer adiectus Ecclesiæ sacratæ benedictionem participant. Id equidem satis incertum est. Quoniam Abbas in prædicto *cap. Quod in dubijs*, docet, non sacrum accessione ad sacrum sacrari solum in liquoribus. Addit *Layman supra*, etiam in artificialibus ijs, quarum partes seorsim rationem, & appellationem non retinent, vt sunt Ecclesia, Calix, casula, &c. Cum vero partes lapidis homogeneæ sint, minus obstat, vnam eius partem sacram, aliam non sacram esse. Sed certè non apparet ratio sufficiens, cur in liquoribus partes minores accessione ad maiores sacrentur, & non in lapidibus, quamuis omnes homogeneæ sint. Igitur ratio propria, cùr lapis additus Altari consecrato non sacretur, est, quoniam Altare, præsertim portatile, vnicus lapis debet esse, non duplex, vt dicebamus num. pręcedenti. Sed tamen admittamus, Altare fixum posse constare pluribus lapidibus gypso, vel calce connexis, quoties Altare reficitur additione lapidum, isti censebuntur sacrati, sicut quando paulatim reficitur Ecclesia consecrata, & in hoc sensu potest esse probabilis sententia glossæ.

CAP. VII. QVÆST. III.

Quot modis Altare consecrationem amittat.

23 SVppono primò, per notabilem fractionem Altaris portatilis amitti consecrationem illius, quando scilicet in neutra parte fracti lapidis possunt commodè Calix, & Hostia collocari quoad maiorem sui partem sine periculo labendi, tunc enim iam non est altare, nedum idem Altare, cum non consistet vnico lapide sufficiente. Sic *Angelus, Paludanus*, quos sequitur *Henriquez lib.9.cap.18. num.1. Suarez tom.3. disp.81. sect.5. Azor tom.1. lib.10. ca.27. quest.12. Laym. lib.5. tract.5. ca.6. num.3.*

Regi-

Reginald.lib.29.num.192. Vazqu.3.part. disput.233.num.13. Coninch.qu.83.num. 239. Bonac.disput.4. qu.vltima punct.9. num.15. Fagund.precept.1.lib.3.cap.22. num.4. Cardin.de Lugo disp.20.num.67. cum alijs. Si tamen altera pars maneat cum quantitate, quæ sufficiat pro sustinendis Calice, & Hostia quoad maiorem ipsorum partem, illa manebit consecrata. Nam hæc consecratio non requirit certam figuram in materia consecrata, sed solam magnitudinem sufficientem; & de hac intelligendi sunt Doctores, asserentes, Altare, quamdiù retinet suam formam, retinere pariter consecrationem, & hanc perdi per amissionem formæ. Videantur *ca.1.ca.Quod in dubijs, cap. Ligneis de consecrat. Ecclesiæ & Abbas ibi.*

24 Suppono secundò, Altare portatile clausum ligno non amittere consecrationem, per separationem à ligno, quid quid aliqui senserint in cõtrarium. Quia consecratio fit solius lapidis, non vnionis ad lignum, quod solum additur, vt lapis diutius conseruetur, & melius capiat Calicem, & Patenam. Ita *Doctores supra relati.* Cœterum, quoniam Altare viaticum, quando consecratur cum reliquijs, diuersimodè solet habere sepulchrum, & sigillum (sepulchrum dicitur paruus locellus, in quo reliquiæ conduntur, sigillum verò dicitur operimentum sepulchri) nam interdum lignum est sepulchrum, & lapis sigillum; interdum in ipso lapide ponitur sepulchrum, & sigillum, & tunc vel non additur lignum, vel additur solum ad conseruationem, & augmentum Altaris. Plures volunt, quoties in ligno fuerit sepulchrum, per amotionem lapidis à ligno tolli consecrationem ipsius. Ita *Sylnester verbo Altare num.6. Angelus ibi num.2. Armilla num. 11. Sà correctus num.1. Henriqu. Azor, Layman, Reginaldus supra.* Probatur *ex cap.1.& 3.de consecrat.Eccles.* confirmarique potest, nam isti Doctores forsan existimant, reliquiarum sepulchrum (saltem quando consecratur Altare cum reliquijs) esse de substantia consecrationis, vnde consequenter asserunt, quando sepulchrum est in ipso lapide, ac dimouetur ab ipso, perdi consecrationem, quamuis lapis non sit in ligno, vel non amoueatur à ligno. Consequenter etiam *Azor, Syluest. & Armilla* docent, Altare quoque fixum execrari, si frangatur, vel amoueatur sepulchrum, siue sit in ipsa mensa lapidea, siue subtus illam, vel in latere, vel ante mensam, nam quoad hoc eadem est ratio Altaris portatilis, & fixi.

25 Nobis tamen dicendum est, nec Altare portatile, nec fixum per solam amotionem, aut fractionem sepulchri, vel sigilli execrari, quia nec illud sepulchrum, vel sigillum est de substantia consecrationis Altaris, sicut nec appositio reliquiarum, vt vidimus *sup.num.14.* nec in eo forma consecrationis, vel Altaris cõsistit, nec vllo iure cauetur. Nam in capitibus relatis solum deciditur, Altare consecrationem amittere, si tabula ipsius, seu mensa, in qua est sigillum, frangatur; non quia sigillum frangitur (potest.n. ea fractio contingere, quamuis sigillum maneat illæsum) sed quia mensa, scilicet lapidea, frangitur, quę per se consecratur immediatè. Per quæ soluitur fundamentum cõtrarium cum sua confirmatione. Sic docet *Coninch q.83. num.240.* Consonant *Suarez, & alij,* qui simpliciter asserunt, per separationem lapidis à ligno non tolli consecrationem Altaris, nisi lapis ipse frangatur ipsemet, vt dictum est, videatur *Auersa quæst.11. sectio.13.*

26 Petes primò, quoties Altaris cornua, quæ solent vngi, franguntur, an consecratio perdatur? Affirmant *Syluester verbo Altare num.6.qu.8. Armilla ibi num.10.* quod sequuntur *Bonacina supr. & Henriquez littera K.* quoties omnia cornua mensæ, vel aræ sunt fracta. Probant, quoniam in cornibus aræ per vnctionem recipitur consecratio. Quare sublatis per fractionem, seu diminutionem cornibus deficiet consecratio. Meritò tamen *Layman supra num.5. & Cardin.de Lugo num.75.* refellunt hanc sen-

ten-

tentiam, quia nullo iure fulcitur. Quamuis enim vnctio fiat in omnibus, tota tamen mensa, vel ara consecratur, ideoq; dum debitæ quātitatis formam retinet, quæ scilicet capiendo Calici cum Patena sufficiat, consecrationem non amittit, cum adhuc maneat apta celebrationi. Præsertim, cum in dubio, nec execratio præsumi debeat, nec iteranda sit consecratio. Sic etiam sentire videntur *Suarez, Coninch. Fagundez, & alij*, qui nullam de cornibus aræ mentionem facientes, vniuersaliter asserunt, nō amitti consecrationem altaris per eius fractionem, quoties vna pars capit Calicem cum patena.

27 Petes secundò, an Altare fixum execretur per solam amotionem ab structura inferiori? Affirmant *Abbas Innoc. Hostiensis*, quos sequitur *Angelus verbo Altare num.2. Syluester ibi quæstione* 8. *Armilla num.*10. *Sà correctus numero* 1. *Paludanus, & Nauarrus*, quos sequitur *Manuel in Summ. tom.*1. *cap.* 247. *num.* 15. Probatur ex iure. Nam *cap.*1. *c. Quod in dubijs cap. ligneis de consecrat. Eccles. sub distinctione dicitur*, si altare motum, vel fractum fuerit, iterum esse consecrādum; & est sermo de Altari fixo, & de lapide consecrato. Item *in ca. Si motum de consecrat. distin.*1. dicitur, *Si motum fuerit Altare, denuò consecretur Ecclesia*, scilicet, quantum ad Altare, vt *in supra dicto cap.*1. declaratur, vbi *glos. rationem reddit. Nam consecratio præcipuè consistit in coniunctione, scilicet lapidis, & inferioris structuræ.* Ideò *Filliuc. tractat.*5. *num.*121. *Layman. supra num.*3. *Cardin. de Lugo num.*70. docent, Altare fixum execrari per remotionem ab alia structura, vel à pedibus, quibus sustinetur. At *Sà supra in Originali dicit*, quamdiù formam suam retinet Altare, non amittere consecrationem vlla, vel fractione, vel motione.

28 Dico primò, quando mensa lapidea prius per se consecratur, & posteà superponitur structuræ, cui sic agglutinatur, vt fiat Altare fixum, non amittitur consecratio, quamuis ille lapis consecratus amoueatur ab structura, quoniam tunc consecratio non pendet à coniunctione mensæ cum reliqua structura, siquidem præcessit ante talem coniunctionem. Ita *Tabienna verbo Altare* §.5. *& Suarez, supra*, qui subindè iura nuper adducta capiunt de Altari, quod per modum stabilis, & fixi consecratur, quatenus post copulatam mensam, cū structura inferiori per modum vnius recipit consecrationē, in hoc enim valet ratio, quam *Glossa reddidit numer. præcedenti*, non autem in nostro casu, cuius consecratio ferè se habet, sicut in Altari portatili.

29 Dico secundò, quamuis Altare fixum post totam copulam lapidis superioris cum stipite, totamq; completam Altaris structuram consecretur, vt stabile perseueret, si totum integrum transferretur in alium locum, non amittet consecrationem; Nam hæc non pendet à præsentia locali, nec tunc mensa lapidea remouetur ab stipite, vel à pedibus, sed totum simul Altaris ædificium mouetur. Ita *Suarez, & Auers. sup.* similiter non amittitur consecratio, si quid de lapidibus parietis, vel de ipso pariete, cui compaginatum sit altare, remoueatur. Etenim propter remotionem taliū lapidum, aut parietis, Altare manens immotum non execratur. Idem est de lapidibus stipitis non tangentibus mensam, vel tangentibus, sed non principalibus, nisi tot amoueantur, vt Altare formam debitæ magnitudinis amittat. Ita *Syluester, Armilla, Laym. sup. nu.*3.

30 Dico tertiò. Quoties Altare fixum prius erigitur, & postea per modū vnius consecratur, amittit consecrationem per amotionem à pedibus, vel à basi, cui fuit affixum. Tunc enim verè deficit subiectum immediatum consecrationis, cū Altaris structura, per modum stabilis consecrata, similiter dissoluatur. Quippè de ratione talis Altaris nō solum est tabula superior, sed etiam pedes, seu basis, & structura tota. Quare, si tot lapides, aut partes structuræ remoueantur, vt reliqua pars iustam magnitudinem non

reti-

retineat sacris Altaris vsibus sufficientē, sicut nō manet idem Altare, sic nec eius consecratio perseuerat. Hoc intendunt Doctores,& iura relata *num.27. Coninc. qu.83.num.239. Azor tom.1.lib.10.ca.27. quaest.12.*

31 Petes tertiò. Quomodo polluatur, & reconcilietur Altare? Conueniunt Doctores primò, posse templum consecratum amittere consecrationem, quin execrentur Altaria, nimirum, si parietes Ecclesiae consecratae comburantur, seu diruantur illaesis eius altaribus: Sicut é contra possunt Altaria per fractionem, vel dirutionem amittere consecrationē suam, quin execretur Ecclesia permanēs integra. Conueniunt secundò, quoties Ecclesia violatur, Altare quoq; fixum in illa contentum violari, & ècontrario. Rationem vtriusque reddunt, quoniam Ecclesiae consecratio consistit in parietibus, & ita separatur ab Altarium consecratione, quae singulis adhaeret. At violatio concernit totum Ecclesiae corpus, & quamlibet eius partem, ac subinde recō ciliata Ecclesia, censentur eius Altaria reconciliari. Sic *Abbas in cap. Proposuisti de consecrat. Eccles. Syluester verbo Altare qu.11. Armilla ibi num.12. Azor supra quaest.14.* qui subdunt, Ecclesia polluta, non pollui Altare, quod est extra illā, nisi sit in loco cum Ecclesia coniuncto. Excipiunt praedicti DD. Altare portatile, quasi violato templo non violetur, sed extractum indè possit alibi sacrificio deseruire. Notat verò *Laym. lib.5. tr.5. ca.6. n.10.* Altare portatile pollui per humani sanguinis, vel seminis effusionem, ita vt egeat Episcopali reconciliatione, sicut etiam corporale, Calix, & Patena.

32 Petes quartò. An simplex Sacerdos celebrari possit in Altari, vbi celebrarit Episcopus eodem die? Negant *Angelus verbo Altare num.8. Armilla ibi nu.12. Syluest. qu.7. Paludan. in 4. distin.13. qu.2. art.4. Henriq. lib.9. c.28. n.1. Bonac. disp.4. qu. vlt. punct.9. nu.16. Naldus verbo Episcopus n.31. Fagund. Praecept.1. lib.3. c.22. n.5. Azor tom.1. lib.10. c.27. q.10.* Probatur ex *ca. fin. de consecrat. dist.2.* sic dicente. *In Altari, in quo Episcopus Missam cantauit, Presbyter eodem die aliam celebrare non praesumat. Glossa inquit*, ob solam Episcopi reuerentiā. Omnes tamen excipiunt, nisi consensus adsit Episcopi, vel necessitas cogat, sacrificium ab Episcopo non completum perficere. Quin ex verbo, praesumat colligit *Fagund.* non esse mortale peccatum ex iusta causa celebrare, nam iusta causa tollit praesumptionem. Idem *Fagund sup. & Hugolin. de potestate Episcopi par.1. num.4.* Colligunt ex verbo cantauit, intelligendum esse Canonem de Missa solemni, seu Pōtificali, non verò de Missa particulari. Verum *Naldus verbo Episcopus nu.31. & Bonac. supra dicunt*, praxim accipere Canonem illum de quauis Episcopi Missa, & *Concil. Mediolan. tertium fol.200.* renouans istum Canonem pro *cantauit*, posuit, *celebrauit*. Monent verò *Layman & Azor supra, & Scortia lib.2. c.14. n.6.* id non vbique seruari, sed videri potius desuetudine derogatum.

CAP. VII. QVAEST. IV.

Quae, qualiave lintea sint in Altari ponenda.

33 SVppono primò, requiri corporale sic dictum, quasi Christi corporis indumentum, quod repraesentat Sindonem mundam, qua Christi corpus inuolutum fuit, & debet esse lineum, & benedictum, vt habetur *ca. consulto de consec. dist.1.* Non debet ornari serico, vel auro, saltem medio, qua parte Calicem, & hostiam tangit, vt habetur in Rubrica de defectibus in ministerio contingentibus circa principium. Nec amittit benedictionem per solam lotionem, sed quando, sic rumpitur, seu laceratur, vt nulla pars illius possit continere Calicem, & Patenam, ac subindè nulla sufficiet ad vsum sacrificij; essetq; mortale peccatū sine corporali celebrare, quia violaretur Ecclesiae praeceptum, & vsus communis in re graui, magnique ponderis ad sacrificij reuerentiam. Ita *S. Thom. 3. p. qu.83. art.3. ad 7. Syluester, Angelus, Armilla*,

Tabienna verbo Corporale. Sanct. Antoninus, Sotus, Graffis, quos sequitur *Bonacina disputatio 4. quæstione vltima punct. 9. num. 24. Suarez tom. 3. disputat. 81. sectio 6. Vazquez 3. part. disput. 233. cap. 4. Filliucius tractat. 5. numero 125. Henriquez lib. 9. cap. 28. num. 3. Layman lib. 5. tractat. 5. cap. 6. numero 11. Reginaldus libro 29. numero 195. Fagundez pracept. 1. lib. 3. cap. 21. numero 25. & ca. 22. numero 11. Azor tom. 1. lib. 10. capit. 28. quæstio. 8. Moure par. 3. capit. 5. § 11. numer. 8. & 10. Cardinal. de Lugo disput. 20. num. 76.*

34 Suppono secundò, requiri paruam pallam, seu filiolam, qua Calix cooperitur. Et quidem olim vnicum erat corporale longum, super quod Calix, & hostia collocabantur, & cuius residua parte cooperiebantur, quod etiam nunc in quibusdam Religionibus obseruatur. Iam vsus obtinuit, vt corporale diuisum fit in duas partes, quarum altera maior mappis Altaris superposita recipit Calicem, & Hostiam, retinetque nomen corporalis; altera verò minor (dicta parua palla, seu filiola) Calicem operit, *Sotus in 4. distinctio. 13. quæstio. 2. artic. 5. circa finem* putat, hanc pallam non esse de essentia ornamentorum Altaris, postque sericam esse. Consonant *Moure supra* §. 12. *num.* 10. & *Manuel in Summ. tom. 1. cap. 247. numero* 18. qui probant ex vsu faciendi paruas pallas elaboratas serico, vel auro, vel per modum retis; quem morem dicunt fuisse receptum, quia parua palla non tangit immediatè species consecratas, sicut corporale. Nec hi Doctores benedictionis huius pallæ meminerunt.

35 Dicendum tamen est, quandoquidem iuxta præsentem Ecclesiæ morem corporale non sufficit ad operiendum Calicem, hanc paruam pallam tam necessariam esse, quam ipsum corporale, subindeque futuram esse benedictam, & lineam saltem quoad interiorem partem, quæ Calicem tangit, nam in exteriori potest esse, vel auro, vel serico, vel in modum retis elaborata. Sic præscribit *Missale in ritu celebrandi* §. 1. Et probatur; Nam iuxta præsentem praxim communiorem parua palla pars est corporalis, & per consequens eamdem materiam, & benedictionem requirit, cuius omissio per consequens sit mortale peccatum ex suo genere, sicut omissio corporalis benedicti. Ita docent *Suarez*, & *Reginald. supra Filliucius num.* 125. & 127. *Fagund. cap. 21. num. 32. Vazq. nu.* 4. qui subdit, contrariam sententiam non esse probabilem. Ad eius fundamentum respondetur, vsum timoratorum semper interiori pallæ telam lineam apponere, sicubi sit contrarius vsus, erit potius abusus.

36 Suppono tertiò, requiri purificatorium ab abstergendum Calicem, & Patenã, & digitos Sacerdotis ablutos post contactum Sacramenti. Missale supra postulat, vt sit mundum, & nihil aliud. Vnde *Cardin. de Lugo supra. Bonac. nu.* 22. *Reginald. n.* 203. *Suar. sect.* 8. *Gauant. in Missal. par. 2. tit. 1. litt. I. Auers. quæst.* 11. *sect.* 13. censent, non debeti benedici. Quoniam id nullo iure cauetur, nec in Missali præcipitur, nec vllibi ponitur eius benedictio. Cœterum *Layman. sup. num.* 12. & *Fagund. cap.* 1. *nu.* 30. putant, purificatorium futurum esse mundum, & lineum, & benedictum. Quia, quod de corporalibus generaliter præscribitur, de Purificatorijs etiam capiendum est, scilicet ob ministerij puritatem; & quoniam, vt docet *S. Thom. 3. part. quæst. 82. artic. 3.* Eucharistia propter reuerentiam ipsi debitam à nulla re tangitur, quæ consecrata non sit. Vnde corporale, Calix, & manus Sacerdotis consectantur ad tangendum hoc Sacramentum, sed etiam Purificatorium interdum tangit illud, quando scilicet eius reliquiæ manent in Patena, vel in Calice, debet ergo benedici. Nec satis consequenter Missale præscriberet, benedici mappas Altaris, qui minus attingunt Eucharistiam, & nollet benedici Purificatorium. Vnde cum in fine Missalis ponitur benedictio tobalearum, siue linteaminum Altaris, recte ibi compre-

hendi

hedi purificatorium, quod primò cooperir Calicem, deinceps Patenam, & ipsis abstergendis deseruit. Quare tutius erit, illud benedici, sicut cętera linreamina.

37 Suppono quartò, super Altare linteum aliquod apponendum esse. Sic enim vsus habet, sic in iure supponitur, *cap. Altaris palla.c.a. Nemo per ignorantiam de consecrat. dist.* 1. Sic Concilia, sic Patres, & Doctores tradiderunt, qui vocare solent hæc lintea vestes Altaris, mappas, tobaleas, pallas, mantilia, velamina. De numero diffident Authores. Communis sententia docuit, duas mappas præter corporale requiri, quia sic vsus habebat, & sufficere vnam plicatam. Ita *Paludanus, & Innocentius*, quos sequitur *Syluester Missa* 1. *numer.* 2. *Armilla ibi num.* 6. *Henriquez*, & *Azor supra Suar. sectio.* 6. *Fillincius numer.* 124. *Laym. num.* 11. *Fagund. cap.* 22. *num.* 10. *Bonac. num.* 25.

38 Dicendum tamen est, iam nunc tres mappas præter corporale requiri. Sic olim habebatur *ex cap. Si per negligentiam de consecrat. distinc.* 2. Sic docuit *Angelus verbo Missa. num.* 35. Sic indicant *Pius Quintus in suo Missali*, *dum in* §. 10 *de defectibus occurrentib. in Missa*, numerat inter alios, *Si altare non sit tribus mappis ornatum*. Sic manifestè præscripsit *Clemens VIII. in suo Missali*, dicens *in Rubricis generalibus* §. 10. *Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, qua vsque ad terram pertingat, duabus alijs breuioribus, vel vna duplicata*. Quare iam non sufficient duę mappæ præter corporale, vt notant *Cardinal de Lugo, & Auersa supra*. Nam ista Rubrica saltem obligat sub veniali, sicut de talibus censent. *Suarez tomo* 3. *disput.* 83. *sect.* 3. & *disp.* 84. *sect.* 2. & *Diana par.* 2. *tract.* 14. *Resolut.* 55. Quare miror, Doctores aliquos scribentes post Clementem VIII. hanc obligationem non aduertisse.

39 Et quidem celebrare sine mappis esse mortale peccatum, docent *Syluester, Caietanus, Medina, Sotus, Nauarrus, & alij*, quos sequitur *Fagund. supra num.* 13. *Suar. disp.* 81. *sect.* 6. *Moure num.* 11. quoniam est contra communem totius Ecclesiæ consuetudinem grauiter conducentem ad huius sacrificij reuerentiam. Addunt *Angelus, Azor, Moure, Suar. & Fagund. supra*, si necessitas celebrandi vrgeat, & tres mappæ non suppetant. Vnam sufficere, vel saltem secluso contemptu, & scandalo non esse mortale. Quin *Moure* citra necessitatem dicit, esse veniale sine secundo linteo celebrare: quia res non est tam grauis. Certè, si qua necessitas adsit, excusatur mortale peccatum, vt asserunt *Suar. & Fagund.* Si nulla sit necessitas, & adhibeatur duplex mappa, forsan erit veniale: si ponatur vnica, forsan erit mortale. Non est equidem facilè discernere materiam grauem aleri circa singula præcepta.

40 Quæres primò, an hæc Altaris lintea debeant esse benedicta? Conueniunt Doctores, mappas, seu tobaleas Altaris futuras esse lineas. Colligunt *ex cap. consulto de consecrat. distinct.* 1. Quod generaliter præscribit, ne sacrificium Altaris celebretur in pãno serico, vel tincto, sed in puro linteo, retreno scilicet lino procreato, atque contexto. Quippè, licet hic textus de corporalibus præcipuè loquatur, extendi potest ad omnes has mappas, & quidem vsus communis habet, vt omnes lineæ sint, vt notat *Reginald. lib.* 29. *num.* 194. Vtrum autem esse debeant benedictæ? Negant *Suar. supra Fagund. num.* 10. & 13. *Filliuc. num.* 124. *Layman num.* 11. Quoniam id in iure non cauetur, & *Suarez* addit, nec consuetudine seruari. *Fillincius* verò fatetur, solere benedici, & *Layman* asserit, dicens, & consuetum esse benedici.

41 Dicendum est, Altaris mappas esse debere benedictas. Sic. n. expresse præscribit Missale, vt vidimus *nu.* 38. Sic docent *Card. de Lugo, & Auersa*. Sic etiam sentire videntur *Gabr. in Canon. lect.* 13. *Syluest. ver. benedictio. n.* 5. *Azor to.* 1. *lib.* 10. *c.* 28. *q.* 8. *Bonac. de Sacr. disp.* 4. *qu. vlt. pun.* 9. *n.* 25. *Regin. sup. Graffis par.* 1. *lib.* 2.

c.41.nu.2.qui tamen addunt in casu necessitatis, vt cum aliæ non habentur, adhiberi posse mappas laicorum, & deinde, sicut prius, vsibus profanis applicari, quia non fuerunt deputatæ sacro ministerio, nisi ad tempus. Ego non excusarem à peccato, citra necessitatem vllam adhibere mappas non benedictas, vel non curare benedictionem ipsarum; non tamen reor, hoc esse mortale peccatum; nam omissio talis benedictionis non habet coniunctam magnam irreuerentiam sacrificij, sicut nec omissionẽ similium ceremoniarum, quas Missale præscribit; si qua vero necessitas sub esset, nimirum celebrandi die festo (quin etiam pro festo) nec haberi possent mappæ benedictæ, videtur excusari veniale peccatum, ne sacrificium omittatur ob illum defectum. Mappas autem semel adhibitas celebrationi, non auderem deinceps profanis vsibus applicare, sed solius altaris ministerio, vt notat. *Fagund. eo num.13.fin.* Nam hoc decens, illud indecens apparet.

42 Quæres secundo. An corporale fieri possit ex cannabe? Negare videntur *Syluester. Suar. Fill. huc. & alij*, qui dicunt, ex lino puro corporalia futura. Fauet prædictum, *c.consulto*, quatenus purum lineum, vel linteum terreno lino procreatum exigit. Sed cannabes specie differt à lino iuxta peritorum existimationem: ergo corporale fieri non potest ex cannabe. Nihilominus melius affirmant. *Tabienna verbo Missa, nu.10. Armilla ibi n.6. Reginald. lib.29.nu.195. Azor supra Bonac. nu.24.* Probatur, quia, licet cannabis specie differat a lino, tamen vsus communis tam ex cannabe, quam ex lino conficit vestes etiam intimas, & albas, quæ quidem indifferenter reputantur vestes lineæ. Quin telæ byssinæ tenuissimæ (Hispane Olandas) fieri dicuntur ex cannabe. Quare *Reginald. & Azor*, vsu receptum esse, dicunt, vt altaris pallæ, vel etiam corporalia fiant ex cannabe. Cui praxi prædictum, *c. consulto*, non repugnat. Quoniam in antiqua lectione dicebat, *in puro lineo*, vel *linteo*, sub disiunctione, quasi significans sufficere, quodlibet linteum propriè dictum; & idem de mappis altaris à fortiori dicendũ est.

43 Quæres tertiò. An corporalia, vel mappæ fieri possint ex gossipio? *Negat Moure par.3. c.5. §.11. nu.8.* dicens, ex solo lino corporale saltem fieri posse, non ex serico, vel bysso indico. Nostrates vocant. *Algodoro*, (*Stali Cotone*,) quia non linum, *sed arborum lanugo est.* Affirmat *Azor supra*, quia *Plinius lib. 19. cap.1.* narrat ex gossipio, quod alij, *Xilion* vocant, fieri lina xylina, quibus nulla, vel in candore, vel in mollitia præferenda sint; & quidem tam in finis, quam in Philippinis Telasit Xylina, seu Gossipina, (*Sinabasa* vocant,) quæ vestibus etiam intimis deseruit: & Plinius indicat, alijque docent, gossipium esse lini genus candidissimi, ac mollissimi. Quare non videtur improbabilis. *Azor. sententia*, præsertim vbi praxis induci cœperit.

CAP. VII. QVÆST. V.

Vtrum requiratur lumen in celebratione?

44 Communis sententia Doctor. affirmat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, cuius frequenter Patres meminerunt, *& ex c.fi. de celebr. Miss.* vbi numeratur inter grauissimos cuiusdam Sacerdotis excessus sine lumine celebrasse; quod esse mortale peccatum, fatentur omnes, quia violatur Ecclesiæ præceptum in re graui significante realem præsentiam Christi, qui vera lux est. *Ita Palud. Durand. Sot. Nau. Sylu. & alij*, quos sequitur. *Suar. to.3.disp.81.sect.6.* Quod, si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi posse, relinquendam esse Missam, quãuis esset dies festus, vel aliquis moribundus communicandus, merito censent. *Fagund. infr. n.19. Card. de Lug. disp.20. n.77.* quia, nec præceptũ audiẽdi Sacrũ, nec cõmunicandi moribũdũ censentur obligare cum tãta irreuerẽtia sacrificij.

Post

post consecrationem perficiendum esse sacrificium.

45 *Missale Clementis Octaui in Rubricis* §. 20. duas saltem candelas accensas requirit. Vnam tamen in rigore sufficere, quamuis minus deceat, docent *Suarez supra Graffis lectio.2. capit. 43. numero 1. Filliucius tractat. 5. numero 126. Toletus, Chameroia, Coninch, Azor, Manuel*, quos sequitur *Bonacina disputat. 4. quæstio. vltima punct. 9. num. 31. Fagundez pracept. 1. lib. 3. cap. 22. numero 18. Moure part. 3. cap. 5. §. 12. numero 13.* quia non putant, dari præceptum rigorosè cogens ad adhibendas duas.

Ego censeo, satis obligare Rubricam Missalis iuxta subiectam materiam, & per consequens illum, qui sine causa candelam vnicam adhiberet, peccaturum esse venialiter, quod asseruit *Nuñus 3. part. quæstio. 83. artic. 3. dub. 3. fine*; ratione verò necessitatis, vel ob causam etiam non valdè grauem, nullam esse culpam, vt asserunt *Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. numero 17. Diana part. 2. tractat. 14. Resolut. 67. Auersa quæstione 11. sectio. 13.* quia verè violatur Rubrica Missalis, sed in re leui, quæ leui causa possit excusari.

46 Sit dubium primum. An liceat celebrare cum olei lumine? Communis sententia requirit candelas cereas propter consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, quam approbat Rubrica Missalis de defectibus occurrentibus *in Missa* § 10. *numero* 1. Vbi ponitur inter alios defectus, si non sint luminaria cerea. Quapropter *Henriquez libro 9. capit. 26. numero 3. & cap. 29 numero 7.* dicit, esse mortale peccatum sine lumine cereo celebrare contra vetustissimum Ecclesiæ morem. Vnde Acolythi ceroferarij dicti sunt. *ca. Cleros distinct. 21.* quod sequitur *Fagundez supra numero 17.* & indicat *Suarez supra*. Verum hi duo subdunt, in necessitate non esse mortale peccatum olei lumine celebrare, quod adhiberi solet coram Eucharistia, dum absit contemptus, & scandalum: si petas, qualis esse debeat necessitas? *Manuel in Summ. tom. 1. capit. 247. num. 12.* grauissimam requiri putat, vt violetur præceptum, quod ipse grauissimum arbitratur. *Suarez, & Fagundez supra. Reginald. lib. 29. numero 196.* sufficere sentiunt, quod cerea candela non possit haberi, quamuis Missa dicatur ex deuotione; sed addunt, hoc antequam fiat, non esse consulendum, tolerandum verò, si factum fuerit. Simpliciter in necessitate licere docent *Vazquez 3. part. disputatio. 233. numero 25. & 26. Bonacina, Diana, Nuñus, Cardinal. de Lugo, & Auersa supra cum alijs*, & hoc videtur tutum. Quoniam hæc Ecclesiæ consuetudo non censetur, in necessitate, quamuis non sit grauis, obligare.

47 Sit dubium secundum. An in necessitate liceat cum lumine sebaceo, vel ex adipe, vel ex simili materia celebrare? Negant *Suarez, Reginaldus, Fagundez, Vazquez supra. Moure numero 12. Filliucius tractat. 5. numero 126. Villalobos tom. 1. tractat. 8 difficultat. 26. numero 4. Molfesius tom. 1. tractat. 3. capit. 12. numero 57. & alij.* Quoniam id esset indecentissimum, & ab Ecclesiæ more prorsus alienum. Vnde significant, in quacumque necessitate fore mortale peccatum cum tali lumine celebrare.

Nihilominus probabiliter affirmant non pauci. Nam nec id iure vetatur, nec vsus Ecclesiæ videtur in necessitate obligare. Sic *Azor. Nuñus, Graffis, Bonacina, Cardinal de Lugo, & Auersa supra, Zanardus, Pitigianus, & Homobonus*, quos sequitur *Diana part. 2. tractat. 14. resol. 45.* Addit *Layman supra*, ob causam etiam non valdè grauem celebrari posse cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut sebo, modo scandalum absit.

.·.)†(.·.

CAP. VII. QVÆST. VI.

Vtrum Missale requiratur, & crux ad celebrationem?

48 RVbrica Missalis supra, sic ait. *Super Altare collocatur Crux in medio*, & infra. *Ad Crucis pedem ponatur tabella secretarum appellata. In cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali.* Sæpèque præscribit, caput inclinandũ esse Cruci super Altare positæ. Quare quidam apud *Fagund. præcep. 1. lib. 3. cap. 21. num. 32.* dicunt, esse mortale peccatum sine Cruce celebrare, quasi magnam contineat irreuerentiam talis omissio. Verum multi non agnoscunt ibi mortale peccatum, quia nec præcipitur in iure, nec res secundum se seclusio contemptu videtur esse grauis. Proindè sicut aliæ Rubricæ non inducunt in materia leui grauem obligationem, sic in præsenti solam admittere videntur obligationem sub veniali. Sic docent *Suarez. tom. 3. disp. 81. sect. 6. Regin. lib. 29. numer. 197. Filliuc. trac. 5. num. 127. Bonac. disp. 4. quæst. vltima punct. 9. num. 30. Vazq. 3. part. disp. 233. num. 27. Villalobos tom. 1. tract. 8. difficult. 26. num. 6. Homobonus in examine part. 1. tract. 4. ca. 15. quæst. 143. Dian. part. 2. tractat. 14. resolut. 45. cum alijs.*

49 Addit *Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 17.* licet necessitas magna non vrgeat, celebrari posse sine Crucifixo. *Fagund. supr. subdidit*, cum quælibet causa excuset à peccato veniali, numquam Sacerdotem venialiter peccaturum sine Cruce celebrando. Nam ipsa sola Missæ celebratio sufficit ad excusandum ab hoc veniali peccato, ne scilicet tanto sacrificio, & eius vtilitate priuetur Ecclesia. Quam doctrinam reputo probabilem, & posse pariter alijs ritibus deseruire, præsertim vbi sola Rubrica cogit sine iuris præcepto. Nonnulli volunt, non esse Rubricam Missalis intelligendam de Altari, vbi seruatur Eucharistia, quod probabile reputat *Cardin. de Lugo disp. 20. num. 79.* Verum *Gauantus in Rubric. Miss. part. 1. tit. 20* putat, ibi quoque requiri Crucẽ, quia non apparet sufficiens fundamentum exceptionis, & in hoc propendet *Auers. quæst. 11. sect. 13.* quoniam ita communiter obseruatur. Subdit verò, non requiri Crucem in Altari, vbi fit expositum publicè Sacramentum Eucharistiæ, quia sic est more receptum. Ego nec hic video sufficiens fundamentum exceptionis, nec vidi talem morem esse communem, quando fit sacrum in eodem Altari, quod Romæ fieri non solet communiter.

50 Requiri regulariter Missale, cuius pars est tabella secretarum ante Sacerdotis oculos exposita pro maiori commoditate celebrantis, communiter affirmant Doctores. Vndè colligunt, vbi subsit periculum errandi, præcipuè circa Canonem, qui sub stricta obligatione debet integrè recitari, peccatum esse mortale, sine Missali recitare. Sic *S. Antoninus, Syluester, Nauarrus, Graffis, & alij*, quos sequitur *Bonacina supra.* Consonant *Suarez, Vazquez, Filliuc. Regin. supra Fagund. num. 13. Henriqu. lib. 9. ca. 29. nu. 7.* dicens, nec vrgente festo licere celebrare sine Missali, qui saltem Canonem contineat. Probatur, nam hominũ memoria fragilis, nisi librum habeat præsentem, facilè labetur circa verba valdè celebrationi conducentia. Nec obstat, quod Canon Missæ memoriter dici possit præsente Missali, quia tunc, si quid erroris, aut perturbationis contingar, facilè suppleri potest, & emendari, non item absente Missali.

51 Quod si liber desit, & Sacerdos ita sit instructus, & de sua memoria confidat, vt moraliter non dubitet, se posse cuncta perfectè recitare sine libro, poterit ne licitè sine Missali celebrare? *Suarez* id aliorum iudicio remittit. Hinc enim repugnat Doctorum authoritas: illinc non apparet sufficiens ratio peccati, *Fagundez* verò negat, posse sine lethali culpa; quoniam in re tam graui non est ita memoriæ fidendum cum aliquo labendi periculo, quod pruden-

denter est semper formidandum. Et circa verba Canonis subire periculum obliuionis, aut omissionis, graue peccatum censetur. Consonat *Coninch quaestio.83 numero* 251. Verum *Moure supra numero* 14. putat, in tali casu secluso scandalo committi venialem peccatum. *Reginald.* verò docet de grauitate peccati, quod in omissione Missalis committitur, fore iudicandum ex magnitudine periculi quidquam omittendi iudicio prudentum notabile.

52 Alij licere dicunt, quando moraliter non subest errandi periculum, & abest contemptus, & scandalum. Ita *Layman*, *& Auersa supra. Vazquez numero 26. Villalobos numero 5. Diana resolutio. 46. Cardinal. de Lugo numero* 78. *Petrus de Ledesma in Summ. tom.* 1. *tractat. de Eucharistia cap.* 20. Quia tunc non fit irreuerentia sacrificio, nec subest irreuerentiae periculum. Vnde *Vazquez*, *& Cardinal. de Lugo* Sacerdotes illos excusant, qui, cum legere non possint ob debilitatem visus, adhuc celebrant Missam memoriter recitantes, & videntes quantum satis est ad reliquas actiones Missae ritè peragendas.

Nam his Missalis adest, ac si non adesset, aduertit *Diana*, si desit Missale, librum alium adhibendum esse loco Missalis propter astantes. Addit *Auersa*, facilius permitti posse celebrationem sine libro coram solo ministro, quam coram multis adstantibus, vbi timor ipse labendi constituit Sacerdotem in maiori periculo lapsus. Ego sententiam istam probabilem existimo, tum propter dicta, tum propter fundamentum supra positum *numero* 49. quod hic etiam videtur valere.

CAPVT VIII.

De vasis, & vestibus sacris.

1 Conueniunt Doctores, in Missa requiri Calicem, & Patenam; quia vinum in aliquo vase consecrādum fuit, Patena verò, seu patina deseruit ad recipiendum Christi corpus. Accedit mystica ratio; nam Calix significat Christi sepulchrum, patena verò lapidem sepulchro superpositum, vtrūque requiritur sub graui praecepto, cuius omissio subindè mortale peccatum erit, vt habetur cap. *Vasa de consecrat. dist.* 1. doceatque Doctores. *S. Thomas 3. part. quaest.83. art.3. ad 6. Suar. tom.3. disp.81. sectio.7. Henriquez lib.9. cap.28. num.2. & alij communiter*. Inter vasa sacra numerantur pyxis, & custodia, vel ostensorium, de quibus diximus *cap.7. num.5. & sequentib.* numerari quoque potest aurea fistula, qua Summus Pōtifex sumit Christi sanguinem, cum solemniter celebrat, quam *Suar. supr.* significat, esse benedicendam, sicut pyxidem. *Fillius tractat.* 5. *numero* 133. docet; quamuis de precepto non constet, securius esse, benedicere talem fistulam, (& ita consulendum esse) sicut, & pyxidem, & Calicem ministerialem, quo Christi sanguis olim propinabatur fidelibus, & nunc apud Graecos, nam haec omnia vasa tangunt immediatè species consecratas.

De caeteris vasis, quę deseruiunt Altari, scilicet ampullis, phyalis, scyphis, & similibus nihil iure cauetur quod ad moralem doctrinam spectet. Videantur *Rubricae Missalis, & Durantus lib.1. Rit.* Nos de Calice solum, & patena dicemus.

CAP. VIII. QVÆST. I.

Ex qua materia confici debeant Calix, & Patena?

QVondam fuerunt lignea, postea vitrea, deinceps argentea, vel aurea, vel saltem stannea, vt habetur, *cap. Vasa, & cap. vt Calix de consecrat. dist.* 1. vbi, dum imponitur præceptum affirmatiuum conficiendi Calicem, & Patenam ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno, generaliter omnis alia materia; prohibetur specialiter verò prohibetur æs, aut oricalchum, nam ob vini vigorem parit æruginem, quæ prouocat vomitum. Prohibetur lignum: quoniam est porosum, & vitrum, quia fragile. Quin etiam in illum, qui Calicem ligneum, aut non consacratum adhibuerit in celebratione, decernitur pœna depositionis ab officio, & beneficio, *capit. fin. de celebrat. Missar.* Petram etiam excludit *Sanctus Thomas supra*, quia licet aptior esset ad repræsentandum Christi Sepulchrum, at periculum subesset, vt vel frangatur, vel species consecratas per poros ebibat. Calix, in quo Christus consecrasse dicitur, est ex lapide, sed pretioso, qui Valentiæ seruatur, & visitur.

Nota primò, sufficere, si cuppa Calicis, quæ continet Christi sanguinem, sit ex auro, vel argento, vel stanno, quare pes fieri potest ex alia materia, scilicet ære, cupro, vel orichalco, quia textus, & rationes adductæ solum vrgent in cuppa: suffragaturque praxis, & sic tradunt *Suarez, & Henriquez supra. Coninch. quæst.* 83. *num.* 244. *Layman libr.* 5. *tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 12. *Reginald. lib.* 29. *num.* 198.

Nota secundò, ex *prædicto capit. vt Calix*, colligi, Calicem stanneum non permitti, nisi ratione paupertatis. Verùm, quia *S. Thom. supra*, simpliciter asserit, materiam Calicis esse debere, vel aurum, vel argentum, vel stannum; *Suarez* existimat, posse simpliciter stanneum Calicem fieri sine peccato. Certèiam *Rubrica Missalis Clementis VIII. tit. de Ritu*, §. 1. *numer.* 1. præscribit, Calicem esse debere vel aureum, vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul Patenam itidem inauratam. Quare diligentes Prælati iam tollunt calices stanneos, & Romæ nullum reperiri, testatur *Cardinal de Lugo de Eucharist. disp.* 20. *num.* 90.

4 Nota tertiò, quamuis *Astensis in Summa libro quarto, & Sà verbo Missa numero* 8. dicant, Calicem, & patenam ex plumbo fieri posse, quia putant, plumbum substanno contineri, quasi sit eiusdem rationis cum illo, contrarium esse tenendum: quia reuera plumbum non est stannum.

Imò sicut æs, aut cuprum, vigore vini recipit æruginem, & vomitum prouocat. Ita *Syluester verbo Calix. Suarez, Reginaldus, & Layman supra. Filliuc. numer.* 130. qui tamen addit Patenam ex aurichalco nonnunquam fieri, sed inaurato. *Fagundez Præcept.* 1. *lib.* 3. *capit.* 21. *numero* 10. testatur, se vidisse sæpè Calices ex ære, metallove confectos, sed inauratos, & limpidissimos, quorum vsum approbat pariter *Cardinal. de Lugo supra, & Auersa quæstio.* 11. *sect.* 13. dicunt, in multis Ecclesijs, & Romæ quoque reperiri plerosque Calices ex æretotos, aut cupro, (Italice *Rame*, Hispane *Cobre*.) sed inaurato, pluresque Patenas eiusmodi. Quare putant, vel capiti, vt Calix, derogatum esse per contrariam consuetudinem, vel in eo non vetari tales Calices, quando fiunt inaurati, nam inauratio tollit periculum æruginis; ac subindè vomitus.

5 Mihi videtur obligare, non solum ille Canon, sed etiam Rubrica Missalis, argenteam saltem cuppam, & Patenam inauratam postulantis, vnde sine causa non debet alia materia Calicibus, vel Patenis adhiberi, sub peccato saltem veniali, nisi forsan alicubi contraria consuetudo Rubricæ quoque derogarit, de quo Mihi non constat. *Granado* 3. *par. tractat.* 14. *de Eucharist. disput.* 12. *num.* 3.

Car-

Cardinal. de Lugo, *& Auersa supra* docent, obligationem inaurandi partem interiorem Calicis, & superiorem Patenæ non esse grauem, quando sunt ex argento, quia sic habet vsus. Vbi supponere videntur, si Calix, & Patena sint ex alia materia viliori, debere inaurari sub peccato mortali; si verò sint ex argento, saltem sub veniali. Quod ego probabile reputo.

CAP. VIII. QVÆST. II.

Vtrum Calix, & Patena consecrari debeant?

6 SVppono primò, Calicem, & Patenam debere consecrari per vnctionem chrismatis, & Episcopalem benedictionem, vt habetur in Pontificali, & refertur in *cap. vnico de Sacr. Vnctione §. final.* Quapropter in *cap. fin. de celebrat. Missar.* deponitur Sacerdos, qui sine consecrato Calice celebrarit. Videantur *Suar. tom. 3. disputat. 81. sectio. 7. Filliuc. tractat. 5. numer. 131.* Nec in hoc potest Episcopus dispensare, cum dispēsare nequeat in lege Superioris sine facultate sibi concessa, qualis hic non apparet, vt notat *Bonac. disput. 4. quæst. vlt. punct. 9. num. 17.*

7 Suppono secundò, solum Episcopum posse iure communi Calices, & Patenas consecrare propter Vnctionem chrismatis, quæ munus Episcopale concernit. Ita Iuristæ *cap. Abbates de Priuileg. in sexto*, *Syluester verbo Calix num. 2. Sà ibi num. 3. Henriquez libro 9. cap. 28. numer. 2. Reginald. lib. 29. numer. 198. Fagundez Præcept. 1. lib. 3. cap. 21. numero 14. Mouro part. 3. cap. 5. §. 12. numer. 4.* Quidam hanc potestatem extendunt ad Abbates, qui Pontificalibus vtuntur, saltem ex consuetudine, vel priuilegio. Sic *Armilla verbo Calix. num. 4. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 12. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 28. quæstio. 2. & tom. 2. lib. 9. cap. 7. quæstio. 2.* Quoad hoc consulatur praxis. Conueniunt tamen Doctores, Episcopum non posse talem consecrationem simplici Sacerdoti committere, sed solum Papam, qui Regularibus Abbatibus, & Prælatis aliqua concessit priuilegia circa consecrationem istam, de quibus agunt *Manuel tom. 1. Regular. quæstio. 18. & 19. Miranda tomo secundo quæstio. 40. Hieronym. Rodrig. resolut. 1. num. 7.*

8 Quæres primò: Si Sacerdos bona fide celebret in Calice, ac patena non consecratis: An eo ipso maneant consecrata? Prima sententia quorumdam affirmat. Probatur 1. nam Ecclesia polluta non eget alia reconciliatione, si quis in ea celebrauit, ergo Calix etiam, & Patena non egebit consecratione, vel benedictione, postquam in illis celebratum est.

Probatur secundò, quia per contactum sanguinis Christi sanctificatur calix, & patena sanctificatur per contactum corporis, ergo non indigent alia consecratione, seu benedictione, cum nulla possit æquiualere tali contactui, per quem iam non manet materia profana, sed Sacra. Quod proportionaliter extenditur ad corporalia, mappas, & vestes Sacras nondum benedictas, quæ consequenter, postquam aliquis Sacerdos bona fide cum illis celebrarit, non egebunt consecratione, seu benedictione, cum iam per illam celebrationem consecrata, seu benedicta remanserint. Ita tenent *Trimarchus*, *& Peyrin.* quos sequitur *Franciscus de Nigro in additio. ad Ruiz par. 6. animaduersio 8. numero 4. Celestin. in Compend. Theolog. tractat. 8. cap. 5. quæstio. 9. Diana part. 2. tractat. 14. resolut. 69. & part. 5. tractat. 13. resolut. 60.*

9 Secunda sententia probabilior negat, quia tam consecratio Calicis, & Patenæ, quam benedictio mapparū, corporalium, vestiumq; sacrarum fuit per Ecclesiam introducta, designatis videlicet certis ritib., & verbis per determinatas personas adhibēdis, ad hæc validè cōsecrandū, seu benedicendū: ergo, dum talis ritus, & talis forma verborū per idoneā personam non adhibentur, non erunt

verè

verè consecrata Calix,& Patena,nec validè benedicta corporalia, mappæ, vel vestes,quamuis cum illis celebratum sit. Quoniā Ecclesia non celebrationi Missæ,sed præscriptis à se ritibus, & verbis adscribit veram consecrationem, seu benedictionem, quam ipsamet requirit in vasis,linteis,& vestibus sacris. Ita *Fagund.supra num.*15.*Cardinal. de Lugo de Euchar.disp.*20.*nu* 91. & ita consequenter sentire debent *Doctores relati supra cap.6.num.99.* qui docent, Ecclesiam pollutam non reconciliari celebratione Missæ.

10 Vnde respondetur ad primum fundamentum contrarium, negandò antecedens; cuius contrarium eo *numero 99.* docuimus; imò possumus argumentum retorquere; Quia nullus asserit,templa nondum consecrata, per Missas in eis dictas consecrari; nam alioquin oratoria cuncta manerent consecrata, postquam in eis celebratur; Ergo nec asserendum est, Calicem non consecratum per celebrationem cōsecrari; plus enim requiritur ad consecrationem inducendam in materiam profanam, quam ad purgandam materiam iam semel consecratam.

Ad secundum negatur pariter antecedens, quamuis enim Calix, & Patena per illum contactum adquirāt aliquam dignitatem moralem, ob quam debeatur illis aliqua veneratio, non tamen adquirunt illam sanctificationem, seu consecrationem,quam Ecclesia requirit in illis, vt ritè deseruiant sacris ministerijs. Quare secundam sententiam reputo tutam in praxi, primam non ita per locum intrinsecum,de probabilitate per locum extrinsecum iudicent alij.

11 Quæres secundò; quando consecratio Calicis amittatur? certum est, tam Calicis, quàm patenæ consecrationem amitti, si notabiliter frangantur: itaut inepta maneant suo ministerio, sicut de Altari,& corporalibus censent communiter Doctores. At si Calix & patena deaurata sint,& per vsum amittatur deauratio. *Paludanus in 4.dist.13. quæst.4.* dixit, amitti consecrationem; quando tota deauratio simul tollitur, quia tollitur subiectum immediatum consecrationis,quod videtur amplecti *Azor tom. 1.lib.10.cap.28.quæst.6.* secus si paulatim aurum atteratur.

12 Absolutè tamen dicendum est,non amittit consecrationem. Ita censent *Angelus, Armilla, Tabiena, Syluester verbo Calix,Henriquez lib.9. cap.28.nu. 2.Suar.3.part.tom.3.disp.81.sect.7. Reginald.lib.29. num.199. Fillius.tract.5.nu. 132.Bonac.disp.4.quæst. vltima punct.9. num.19.Coninch quæst.83.n.245. Scortia lib.2. de Eucharistia cap.14. Laym.lib.5. tract.5.cap.6.num.6.Fagundez præcep.1. Eccles.lib.3,cap.21.num.24.* Quia non in auratio sola,sed totus Calix, & Patena consecrata censentur, quandò materia est apta consecrationi: licet extrema solum superficies vngatur. Vnde,quod extremæ partes paulatim atterantur, sicut etiam in vasis aureis contingit, non tollit ipsorum consecrationem,& sic habet praxis communis. Nec video, quomodo tota simul inauratio tolli possit vsu solo. Quare *Fagundez,& Henriquez supra,cum alijs explicant,Paludanum loqui*, cum antiqua deauratio tollitur per nouam inaurationem ab artifice factā, non verò quando per vsum atteritur.

13 An autem Calix argenteus, qui cōsecratur inauratus, si tota simul inauratio per artificem tollatur,relicto solo argento,consecrationem amittat? non exprimunt Doctores. Videtur tamen negandum iuxta rationem supra factam; quia manet idem Calix argenteus, & consequenter verè consecratus,cum verè sit capax retinendæ consecrationis, quam simul cum inauratione receperat, nec censetur absolutè variari per amissionem inaurationis. Ita significant Doctores nuper relati, quatenus asserunt, diuersam esse rationem,quando tollitur tota crusta templi consecrati,quod ideò reconsecrari debet; quia consecratio tēpli adhæret soli crustæ. Secus autem in Calice, cuius consecratio non inest soli superficiei. Quare,sicut manet idem absolutè,

Tolutè Calix, sic etiam retinet eamdem absolutè consecrationem.

14 Quod si Calix argenteus, vel stanneus (idem est in his omnibus de Patena) sine auro consecretur, & post consecrationem inauretur. Prima sententia docet, indigere noua consecratione. Sic *Angelus, Syluester, Armilla verbo Calix. Manuel in Sum.tom.1.cap.147. conclus.21. Moure par.3. ca.5.§.12.num. 7. Azor supra quæstio.4.* Qui secundum *Paludanum consecratio fit in superficie.* Quin, licet Calix iam inauratus consecretur, si paulatim vsu tollatur aurum, & iterum inauretur, amitti consecrationē, docent *Suarez, Reginald. Manuel, Moure, Fagundez, Scortia, Bonac. supra cum alijs. Pstigianus in 4. dist.13. quæst.1.art. 1. Molfesius in Summa tom.1. trac.3.ca. 12.num.53. Petrus de Ledesma in Summ. tom.1.tract.de Eucharistia ca.21.* qui dicunt, sic in praxi seruari. *Reginaldus addit*, sic seruandum esse, cum hæc doctrina sit tuta, contraria verò periculosa.

15 Probatur, nam horum vasorum consecratio præcipuè fit ob contactum Dominici corporis, & sanguinis, ac subindè præcipuè fieri censetur in superficie, secundum quam ille contactus fit, sed quando denuò inaurantur, qua parte corpus, & sanguinem Domini contingunt, additur noua superficies illi cōtactui proxima. Requiritur ergo noua consecratio. Quamuis enim consecratum, quando principalius est, trahat ad se non consecratum, vt diximus de parua parte superaddita templo consecrato: Principale tamen in hac materia, nō æstimatur ex materiæ quantitate, sed ex vsu rei consecratæ. Quare principale debet in præsenti censeri, quod instituitur ad corpus, & sanguinem Domini proximè continendum, & contingendum.

16 Secunda sententia docet, non amitti consecrationem Calicis, aut Patenæ, quando deaurantur etiam interius. Ita *Guillelmus, Durantus, in Ration. libro 1. cap.6.num.36. verbo Calix nu.2. Coninc. qu.83.num.246.& 247. Diana par.1.tractat.1. Miscel. resolut.3. Cardinal. de Lugo de Eucharistia disputat.20.numer.95.* Probabilem reputat *Layman lib.5.trac. 5.cap.6.num.7.* Fauet *Vazquez 3.par.disput.233.cap.3.nu.32* quatenus primam sententiam vocat probabiliorem. Probatur, quia, cum res semel consecrata numquam amittat consecrationem, quamdiù manet eadem, & integra, vt docet *S. Thom.3.part. qu.83.art.3. ad 3. & communiter Doctores*, difficile videtur, quod Calix consecrationem amittat per nouam inaurationem, si quidem nec frangitur, nec ita mutatur, quin absolutè maneat idem. Quare retinere debet suam consecrationem, sicut illam retinet Ecclesia, quando paulatim reficitur, in qua pars noua consecrata censetur hoc ipso, quod additur consecratæ. Confirmatur, quia, cum execratio Calicis, & similium odiosa sit, admitti non debet in casu dubio, vel sine textu manifesto.

17 Nec valet, quod aduersarij dicunt, superficiem internam, quæ per nouam inaurationem fit, esse partem principaliorem, quia continet, & contingit immediatè Dominicum corpus, & sanguinem. Nam indè sequeretur, Calicem recens inauratum quoad vsum sacrificij diuersum esse moraliter a præcedente, si quidem ideo nouam requirit consecrationem, vnde fieret vlterius, idem esse, cum inauratio Calicis consecrati deperditur, si quidem quoad vsum sacrificij principaliorem partem amittit, dum interius aurum immediatè contingens Dominicum sanguinem, omninò detritum est, ac subindè quando Calix, aut Patena consecrantur inaurata, postea perdunt inaurationem, amitterent consecrationem, quod est contra communē vsum Ecclesiæ, sensumque Doctorum: Quia nimirum præcipua pars permanere censetur. Similiter ergo, quamuis post consecrationem inaurentur, non egebūt noua consecratione, quia præcipua pars consecrata trahet ad se minus principalem superadditam. Sicut, si corporale laceratum reficiatur, & assuatur ipsi pars exigua, quamuis hæc forsan in tali loco sit, vt tangat Hostiam consecratam, non

eget

eget noua benedictione, sed benedicta manet ob coniunctionem cum corporali benedicto. Pariter igitur superficies aurea subtilissima, quæ per inaurationem additur, consecrata censetur ob coniunctionem cum Calice consecrato, cuius verè pars est minus principalis.

18 Si rationem attendamus, secunda sententia videtur mihi probabilior, vt quæ magis consequenter procedit, iuxta quam siue Calix, & Patena sine auro cõsecrentur in materia capaci, & post consecrationem inaurentur etiam interius; siue consecrentur inaurata, postea que tollatur aurum interius, vel simul ab Artifice, vel eius in curia, vel paulatim per vsum, sine denuò inaurentur, non amittunt consecrationem, quia semper inauratio reputatur pars minus principalis. Cæterum ob communem sensum Doctorum, & praxim Ecclesiæ non solum monerem, vt post profanum manuum contactum, & additionem nouæ materiæ, Calix aqua benedicta prius lauetur, quam ad sacrificandũ adhibeatur, quod honestũ esse, monet *Durandus, & Layman supra*; sed etiam, vt post nouam inaurationem internam denuò consecretur. Sic correctio *Patris Sà supra* dixit. *Si Calix denuò deauratur, solet iterum consecrari*, quasi magis vsus, quam efficax ratio, vel textus attendatur.

19 Quæres tertiò. An Calix per cuppæ separationem à pede consecrationem amittat? Affirmat prima sentẽtia, quam tenent *S. Antoninus part. 3. tit. 13. §. 5. ad medium. Paludanus in 4. distinc. 13. quæst. 2. artic. 5. conclus. 2. Barthol. ab Angelo de Missa dial. 5. §. 323. Syluester verbo Calix quæst. 2.* qui loquuntur etiam, quando iunctura cuppæ cum pede tornatilis est. Probatur, nam amitti videtur forma, seu figura Calicis, si quidem cuppa sine pede non est calix aptus ad sacrificium, & ideò consecrari non potest. Ergo nec retinere consecrationem ante receptã.

20 Secunda sententia probabilior negat, quando cuppa separari potest à pede sine fractione; quia scilicet iunctura tornatilis est. Ita docent *Armilla, & Sà verbo Calix. Henriqu. cum alijs lib. 9. ca. 28. num. 2. Suar. & Filliuc. supra Vaz. qu. num. 35. Bonac. num. 20. Moure numer. 8. Coninch. num. 28. Fagund. num. 17. Laym. num. 6. Reginald. num. 200. Cardin. de Lugo num. 93. Auersa de Euchar. quæst. 11. sect. 13 §. Debent hæc*. Probatur, quia per huiusmodi separationem Calix non frãgitur, sed solo nexu, seu vinculo soluitur, quo cum pede cohæret; ideoque fit tornatilis, vt scyphus separatus à pede melius detergatur, aut transportetur, nec ita fieret, si necessarium esset toties reconsecrare Calicem, quoties dissolueretur. Ratio tamen à priori videtur esse, quoniam artificialis forma non solum manet eadem, quamdiù partes retinent eamdem positionem localem Physicè, seu distantiam in ordine ad se (nam partes pilei plicati; vel explicati non retinẽt eamdem distantiam ad innicem) sed etiam quamdiu aptæ sunt ad retinendam eamdem distantiam absque nouo artificio. Quapropter arte facta, quorum partis nexu tornati coniunguntur, eadem semper manere censentur, & idẽ esset consequenter in Alba, v.g. manicas habente non fixas, sed amouibiles, quæ globulis, vel funiculis coniungerentur; tunc enim per separationem non perderetur benedictio. Sicut nec Planeta, si pars anterior cum posteriori quibusdam resticulis coniungi, separariq; posset, vt notant *Cardin. de Lugo supra, & Auersa § deperditur*.

21 Ad oppositum fundamentum dicunt *Suar. & Layman*, cum sola cuppa per se necessaria sit ad recipiendũ Christi sanguinem, posse cadere consecrationem in solam cuppam, ac in eadem cõseruari, cum autem non est affixa pedi, sed iunctura tornatilis est, videri quidem hac intentione consecrari, ne frustra fiat Calix tornatilis, si cuppa separatam retineat consecrationem. In hac doctrina: Certè, quod pes Calicis non censeatur esse pars ipsius, & ideò non egeat consecratione: displicet *Cardin. de Lugo*; displicet etiam mihi. Quia verè Calix iuxta communem vsum, & sensum Ec-

clesiæ

clesiæ constat ex cuppa, & pede tamquam ex partibus integralibus, artificialibus, ac subindè censeo, consecrari pedem, sicut, & cuppam, nec hanc consecrari posse sine illo, quia debet Calix integer consecrari. Forsan autem valeret consecratio, si cuppa simul, & pes consecrarentur, quamuis non essent actualiter connexa tornarili nexu, sicut etiam Episcopus validè benediceret Albam, & eius manicas (in exemplo num. præcedenti posito) quamuis actu globulis, vel funiculis non coniungerentur, sed simul adessent plicatæ, quia sic etiã tales partes, etsi Physicè separatæ sint, faciunt moraliter vnum artefactum, & sicut illæ partes separatę retinent singulę suam benedictionem, seu consecrationẽ partialem: Vnde resultat moraliter vna totalis, sic possunt recipere suas benedictiones, seu consecrationes partiales constituentes moraliter, vnam totalem, dum simul, etsi separatæ sacrantur; & ita, sicut consecratio se habet in conseruari, sic se habebit in fieri, &ècontra. Verum non consulerem, sic fieri consecrationem Calicis, ne valor eius reddatur dubius, & praxis habet, vt cuppa connexa pede consecretur, vt consecratio certa sit.

CAP. VIII. QVÆST. III.

Vtrum omnes vestes sacra debeant esse benedictæ?

21 SVpponimus contra Nouatores, Ecclesiam potuisse peculiares vestes instituere, quibus Sacerdotes vtantur in Sacris ministerijs, rectèque vsam fuisse tali potestate à temporibus Apostolorum, & potestas quidam probatur ex vsu vetustissimo. Vsus autem ex *Anacleto Papa primo Epist. decretali prima, & ex Stephano Papa primo, cap. Vestimenta de consecrat. dist. 1. & ex alijs multis, quos referunt Suarez. tom. 3. disputat. 81. sect. 2. Fagund. Præcept. 1. libro 3. cap.*

23. Congruentia verò talis institutionis. Probatur primò ex *Tridentino sessio. 22. c. 5.* Sacrarum vestium vsum approbante, tamquam conformem hominum naturæ. Probatur secundò exemplo veteris legis, vbi Deus ipse peculiares vestes Sacerdotibus attribuit, quas latè prosequitur *Henriq. li. 9. c. 29.* Consonat vsus omnium ferè Gentium circa suos Sacerdotes. Probatur tertiò ratione, nam hoc valdè conducit ad decorem, æstimationem, & apparatum sacri ministerij.

23 Accedit ratio mystica. Nam sacræ vestes, si referantur ad Christum, denotant insignia varia Dominicæ passionis. Si verò referantur ad mores. *Amictus* significat galeam salutis, videlicet spem, & fiduciam in Deum. *Alba* colore suo denotat cordis puritatem, longitudine verò bonorum operu m perseuerãriam. *Cingulum* denotat carnis continentiam. *Manipulus* cordis compunctionem. *Stola* iugum obedientiæ Christianæ per patientiam, & animæ fortitudinem. *Casula* repræsentat suaue iugum Christianæ charitatis reliquis virtutibus supereminentis, easque protegentis. Videantur *Paludan. in 4. distinct. 24 quæst. 5. artic. 1. Durandus in Ration. ca. 3. Scortia libro 2. cap. 8. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. numero 14. Suarez, & Fagundez supra.*

24 Hæ vestes sacræ numero sunt sex nuper enumeratæ. Quoad materiam Amictus, & Alba sunt lineæ: Cęteræ possunt esse lineæ, vel laneæ, vel sericę. Color ipsarum in Missali pro diuersis diebus diuersus præscribitur: Verum ibi non contineri proprium præceptum, sed regulam dumtaxat directiuam; docent *Suarez, & Fagundez supra Homobon. in examine part. 1 tractat. 4. cap. 15. quæstio. 14. Diana part. 2. tractat. 15. Resolut. 57. Auersa de Eucharistia quæst. 11. sect. 13. §. Rursus.* Forma sacrarum vestium artificialis esse debet accommodata vsui, cui deseruit secundum Ecclesiasticum morem. Forma verò moralis, vel spiritualis debet esse benedictio Episcopi, vel habentis potestatem ipsas benedicendi, qualem habent, vt plurimum Abbates, & Prælati Regulares.

Et quidem has vestes benedici debere, colligitur ex *cap. Vestimenta de consecrat. dist.* 1 & ex Pontificali, ac Missali, vbi ponuntur ipsarum benedictiones: idque fatentur communiter Doctores: de solo cingulo nonnihil dissentiunt. Ideo.

25 Sit dubium primum. An cingulum necessariò debeat esse benedictum. Prima sententia negat. Tenent illam *Richardus in 4. distin. 13. art. 3. quæst. 4. Scotus ibi quæst. 2. §. ad quæstionem. Syluest. Missa 1. quæst. 2. Sà verbo Missa num. 10. Moure part. 3. ca. 5. §. 13. num. 2.* Probant quia, licet in prædicto cap. *Vestimenta* dicat Pontifex, *vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata esse debent, & honesta.* Tamen cingulum propriè non est vestis, sed vestium ligatura. Quapropter in quibusdam locis nō solet benedici cingulum, vt *Scotus, & Richardus testantur.* Atqui, si necessariò foret benedicendum, vbique benediceretur. Nec obstat, quod in Pontificali, seu Missali habeatur benedictio cinguli, nam etiam habetur benedictio librorū Ecclesiasticorum, & tamen non sunt necessariò benedicendi, non solent benedici.

26 Secunda sententia verior affirmat. Ita *Nauarrus cap. 25. num. 84. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 28. quæst. 9 Layman supra. Molfesius in Summa par. 1. trac. 3. ca. 12. num. 31. Ioannes de la Cruz in direct. par. 2. de Miss. quæst. 3. dub. 4. conclus. 2. Villalobos par. 1. tract. 8. difficult. 28. numero 8. Vazqu. 3. part. disp. 233. cap. 4. numer. 49.* dicūt, oppositam sententiam non esse probabilem. Fauent *Suarez, Bonacina Coninch*, & alij quatenus generaliter docent, vestes sacras, inter quas numerant cingulum, esse debere benedictas. Probatur, quia ius in prędicto cap. *Vestimenta*, generaliter iubet, omnes vestes sacras benedici. At inter vestes sacras cōmuniter numeratur cingulum, cuius si forsan olim non habebatur benedictio, iam nunc specialis habetur communi quidem praxi recepta, ergo non minus requiritur benedictio cinguli, quam aliarum sacrarum vestium.

27 Sit dubium secundum. Quamdiu sacræ vestes retineant benedictionem semel acceptam? Conueniunt Doctores conseruari benedictionem, dum figura retinetur apta ministerio sacro, amitti verò, quoties ita dissoluuntur, aut rumpuntur, vt non conseruent figuram aptam vsui, cui fuerant destinatæ. Sic *Henriqu. lib. 9. cap. 29. num. 5. Azor tomo 1. lib. 10. cap. 28. quæst. 9. Coninch quæst. 83. num. 251. Bonac. disput. 4. quæst. vltima punct. 9. num. 27. Suarez, & Fagundez supra. Colligitur ex cap. Quod in dubijs de consecrat. Eccles.* Vnde fit primò, si prius quam figura vestis, & aptitudo prædicta destruatur, reficiatur paulatim, & assuatur etiam addita parte non benedicta, conseruari nihilominus benedictionem, quia vestis eadem manere censetur, & accessorium sequitur naturam principalis. Ita *Palud. in 4. dist. 13. qu. 2. Suar.* & *alij supra.*

28 Fit secundò, si sacrę vestes duplices sint, idest ex duplici parte, interna scilicet, & externa constantes, singulas partes manere benedictas, quamuis separentur, quia singulæ retinent sufficiētem materiam, & formam stolę videlicet, vel casulæ, possuntque suo muneri deseruire. Sic relati Doctores, & addunt, posse Sacerdotem vti stola pro cingulo, seu pro manipulo, manipulumque posse in stolam commutari, si sufficientem habeat longitudinem, quia cingulum non determinat sibi specialem figuram, & maior, vel minor longitudo manipuli, ac stolæ non magni refert. Quod intelligo quidem itaut ex duplicata casula, vel stola duæ fieri possint, ac ex stola manipulus, vel ècontra sine noua benedictione. Quod apertè docent *Paludan. Suar. Azor, & Fagundez supra.* Verum vti manipulo loco stolæ, vel ècontra, vel stolam adhibere pro cingulo, quamuis id asserant aliqui, non auderem sine necessitate, quia nonnihil continet indecentiæ, dum non aptantur singulæ vestes suo ministerio.

29 Fit tertiò. Si magna pars sacræ vestis abscindatur, vel dissuatur, videlicet me-

tmedietas, vel Alba manica, benedictionem amitti. Quare, licet assuatur postea, nouam requiret benedictionem. Ideò monent *Syluester verbo benedictio, quaest. 6. & Henriquez sup.* vt priusquam abscindatur manica, resarciatur, etsi filo, vel panno non benedicto, ne perdatur benedictio. Quando verò nimis sit lacerata vestis, arbitrabitur vir prudens: an ea sit vtendum. Sic *Henriquez ibi:* Si tamen maneat forma vestis etiam ruptæ in varijs partibus, manet benedicta, sic cinguli pars diuisa, si sufficiens sit ad cingẽdum, retinet benedictionẽ, quamuis ad maiorem commoditatem ei addatur alia pars minus sufficiens, vt notat *Bonacina supra*. Similiter, si priusquam omninò diuidatur aliquo nodo, vel alio modo replicetur, & roboretur, benedictio conseruatur, vt asserunt *Paludan. Sylueſt. Nauarr. Henriqu. Suar. & aly communiter.*

30 Cæterum, si cingulum ita rumpatur, vt neutra pars diuisa sufficiat ad cingendum: prima sententia docet, adhuc retineri benedictionem, & innodari posse partes, & adhiberi. Sic indicat *S. verbo Missa num. 12.* tenent *Ioannes de la Cruz supra. Molfesius, Cælestinus, Marcantius, & Niger,* quos sequitur *Diana part. 2. tract. 14. resolut. 57. & tractat. 15. resolut. 4. & part. 5. tractat. 13. resolut. 92.* Probatur, quia partes, quæ possunt facilè innodari, videntur sufficienter aptæ muneri cingẽdi, ac subinde, dum retinẽt illam aptitudinem immediatam adnexam, & mediatam ad cingendum, censentur retinere cinguli benedictionem.

31 Secunda sententia docet, amitti benedictionem, nec licere partib. illis iterum nexis vti. Sic censent *Suarez. & Bonac. supra. Reginald. lib. 29. numero 160. Coninch. quaest. 83. num. 251. Pitigianus in 4 dist. 13. quaest. 2 artic. 4. Cardin. de Lugo disput. 20. n. 100. Tannerus, & Hurtadus,* quos sequitur *Auersa quaest. 11. sect. 13. §. deperditur.* Probatur ex dictis, quia per talem ruptionem cingulum amittit formam aptam suo muneri cingendi, ergo pariter amittit benedictionem. Hanc autem semel amissam per iteratã partium connexionem non recuperat: quare, licet partes iterum connectantur, non erit licitus vsus talis cinguli.

Primum antecedens probatur; nam ita se habet hęc fractio cinguli, sicut scissio Planetæ, vel stolæ in partes, & magis quam scissio manicarum ab Alba, sed hæ scissiones tollunt benedictionem; Ergo, & illa. Quapropter hanc secundam sentẽtiam ita reputo veram, vt primam non censeam esse probabilem per locum intrinsecum. An autem per locum extrinsecum probabilis sit; iudicent alij. Ad eius fundamentum respondetur, illam aptitudinem mediatam ad cingendum non censeri sufficientem ad retinendam benedictionem. Videatur *Cardin. de Lugo supra n. 101.*

CAP. VIII. QVÆST. IV.

Vtrum sit mortale peccatum sine vestibus sacris celebrare?

32 SVppono primò, per se loquendo præceptum Ecclesiasticum obligare sub mortali ad non celebrandum sine supradictis vestibus ritè benedictis, nam adhibere vestem non benedictam est quasi nullam adhibere, quippè vestis non benedicta non est sacra. Sic *Henriq. lib. 9. cap. 29. num. 5. Suarez tom. 3. disput. 82. sect. 3. Fagund. Pręcept. 2. lib. 3. cap. 23. Bonac. disput. 4. quaest. 2 ultima punct. 9.* qui citant alios. Colligitur *ex cap. Ecclesiast. dist. 23. & ex cap. Vestimenta de consecr. dist. 1.* iuncto communi sensu Fidelium, qui tam materiam huius pręcepti, quam obligationem illius reputant secundum se grauem esse.

33 Suppono secundò, defectu voluntarij posse culpam excusari, si per inaduertentiam, vel obliuionem inculpabilem omittat quis aliquam vestem, aut simile requisitum: Commune siquidem est omnibus præceptis, vt ipsorum violatio excusetur hoc titulo, cum sine voluntario dari nequeat peccatum. Quare, si talis omissio contingat ex obliuione natura-

li, nullum erit peccatum, si ex inaduertentia leuiter culpabili, veniale peccatum erit, si tamen ex crassa, vel affectata mortale quidem erit, sicut de ignorantia communiter asseritur. Ita *Caietan. Sotus, Victoria*, quos sequitur *Suar. supr.*

34 Iam sit dubium primum. An ex paruitate materiæ possit in hoc præcepto mortale peccatum excusari? Affirmat prima sententia. Nam in quolibet præcepto, præsertim humano, materiæ leuitas excusat à mortali. Pariter ergo excusabit in isto, quod humanum est, & non ad substantiam sacrificij, sed ad ornatum pertinet. Ita *Paludan. in 4. distin. 13. quæst. 2. art. 5. Richard. artic. 3. quæst. 4. Syluester Missa 1. num. 2. Henriqu. cum alijs lib. 9. ca. 29. num. 5. Fagundez supra. Diana par. 2. tract. 14. Resol. 68. & part. 5. tract. 5. Resolut. 62.* qui consequenter asserunt, celebrare sine cingulo, vel manipulo, vel quod idem est, cum cingulo, vel manipulo non benedicto, veniale peccatum esse ob materiæ leuitatem; & nõ improbabile censent id *Cardin. de Lugo disp. 20. num. 202. & Auersa qu. 11. sect. 13. § Communior.*

35 Secunda sententia probabilior negat. Ita *Suarez, & Bonacina supra cum multis, Vaz. q. 3. part. disput. 233. ca. 4. Fillinc. tract. 5. num. 150.* Probatur. Nam istud præceptum directè cadit super celebrationem cum vestimentis debitis ob reuerentiam, & cultum ministerij tam sublimis, & quolibet deficiente, deficit cultus debitus tali celebrationi; sicut minimo cibo, vel potu sumpto, soluitur ieiunium sub mortali requisitum ad communionem Et quidem communiter censent Doctores, omissionem cuiuslibet sacræ vestis sufficientem esse materiam peccati mortalis. Quare celebrare sine cingulo, vel manipulo, vel (quod perinde censetur) cum cingulo, vel manipulo non benedicto grauis violatio præcepti censeri debet. Fateor tamen, primam sententiam esse probabilem. Quippe cum grauitas obligationis circa materiam istam, vel illam multum pendeat ab arbitrio prudentum, & tot viri prudẽtes arbitrentur obligationem gerendi cingulum, vel manipulum esse leuem, probabiliter vtriq; stare possumus ipsorum arbitrio.

36 Sit dubium secundum. An ob metum mortis liceat sine vestibus sacris celebrare? Conueniunt Doctores, si metus incutiatur in Christianæ Religionis contemptum, non licere, quod est commune præceptis omnibus Ecclesiasticis, vt ostenditur in materia *de legib.* & nos tetigimus *lib. 1. ca. 1. qu. 5. & ca. 6. quæst. 6* Hinc inferunt *Coninch qu. 83. num. 250. & Laym. lib. 5. tr. 5. ca. 6. nu. 17.* moraliter non posse casum occurrere, quo liceat sine vestib. sacris celebrare. Quia moraliter nõ continget, vt aliquis alium adigat, incusso metu mortis ad celebrandũ sine vestibus sacris, nisi ob Ecclesiæ, vel Religionis contemptum. Consonat *Auersa sup. §. Sed dubium est.*

37 Verum adhuc secluso contemptu. Prima sentẽtia negat, etiam ob metum mortis celebrati posse sine vestib. sacris cunctis, scilicet, solum communibus vestimentis. Ita *Caietan. 1. 2. quæst. 96. artic. 4. Suar. supra. Fillinc. num. 149. Henriqu. litt. C. Fagund. nu. 17. & 19. Granado 12. controuers. 7. tract. 3 par. 1. disp. 8 sectio. 5. Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. c. 13. num. 9.* qui doctrinam extendũt ad alia pariter requisita. Probatur; nam quamuis ex omissione vnius sacræ vestis, præsertim ex minoribus, qualis est stola, manipulus, aut cingulum, non sequatur tantum scandalum, aut irreuerentia tanta resultet, quæ periculo mortis præponderet. At ex omissione vestium omnium, vel Calicis, & patenæ, vel corporalis, vel aræ consecratæ, vel luminis, aut mixtionis aquæ cum vino (quæ numerant etiam *Caietan. Fagund., Palaus*) tanta resultat irreuerentia, tantum generatur scandalum, vt etiam periculo mortis præponderet.

38 Secunda sententia per oppositum affirmat, non solum singulas vestes sacras, sed etiam omnes simul omittere celebrantem, vel aram, vel corporale, vel Calicem, & Patenam, vel lumen, vel mix-

mixtionem aquæ cum vino, vel (quod idem est) adhibere vestes, aut vasa non sacra, timore mortis vrgente, vel grauissimi damni, non esse peccatum. Ita *Nauar. cap. 25 num. 84. Salas de legib. disput. 11. sections 1. Vazquez t. 2. disput. 161. cap. 3. Becanus tom. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 4. num. 8. Valentia tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 6. quæstiunc. 4. Azor tom. 1. libro 1. cap. 11. quæstio. 1. Layman supra, & lib. 1. tract. 4. cap. 14. num. 9. Bonac. de Decalog. disput. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 9. Sà verbo Missa num. 13. Moure part 3. cap. 5. §. 13. num. 2. Auersa supra. Diana part. 3. tract. 6. resolut.* 48. & 83. Probatur. Nam, vt in materia de legibus communiter ostenditur. Et nos discussimus *in tract. de Voluntario cap. 6. quæst. 9.* humanæ leges etiam Ecclesiasticæ per se non obligant cum periculo mortis, vel alterius grauissimi damni. Quia, vel Ecclesia non habet potestatem obligandi cum tanto rigore saltem regulariter, & communibus legibus; vel, quia licet illam habeat, ex suaui, prudentique regimine non vtitur ea, nec equidem expedit, vt vtatur communiter tam acri potestate.

39 Hanc sententiam reputo probabiliorem, cuius tamen praxim credo fore rarissimam, vt notaui *cum alijs num. 36.* rarissimè quippè continget, vt secluso contemptu Catholicæ Religionis per celebrationem sine vestibus sacris, aut alijs requisitis euitetur grauissimum dãnum. Ad fundamentum oppositum respondetur, nec illud scandalum actiuum futurum esse, nec irreuerentiam illam fore tantam, vt iudicio virorum prudentum tuentium nostram sententiam, non ipsi præponderet vitæ discrimen, dum abest contemptus.

40 Sit dubium tertium. An ob alias causas liceat siue vestibus sacris celebrare? Conueniunt Doctores, in casu necessitatis omittere vnam, vel alteram vestem sacram, aut simile requisitum non esse mortale peccatum. Sic *Suarez, & Filliuc. sup. Ioannes de la Cruz in direc. par. 2. de Missa qu. 3. dub. 4. conclus. 2. Petrus de Ledesma in Sum. tract. de Euch. P. Lugo de Sacramentis, cap. 21. conclus. 5. dub. 3.* Quòd si petas, qualis necessitas requiratur, vt sine peccato celebretur deficiente aliqua veste sacra? *Hieronymus Llamas part. 3. Method. ca. 5. §. 16. & Diana part. 2. tract. 14. resol.* 57. putant, si die festo desit aliqua sacra vestis, posse Sacerdotem, semel, aut iterum celebrare. *Coninch. quæst. 83. n.* 250. dixit, non esse damnandum eum, qui ne die celebri totus populus careat sacro, celebraret sine cingulo benedicto. Magis extendit *Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 23. nu.* 12. dicens, sine peccato etiam veniali celebrari posse, quãdo deest cingulum benedictũ, & adest necessitas, vel audiendi sacrũ, vel celebrandi die festo, vel vincẽdi tentationem importunã, vel feruor magnæ deuotionis; vel interdum sufficiet necessitas stipis Missæ vitæ sustentatione. Quare faciliùs poterit, in his casibus vti stola pro cingulo, vel manipulo pro stola, si sit sufficiens.

41 Verum, vt omittatur aliqua vestis, prudenter perpendendum erit, vt monet *Laym. lib. 5. tr. 5. c. 6. nu.* 17. ex vna parte, quantus sit defectus sacræ vestis, vel similis requisiti; ex alia verò, quanta sit celebrandi necessitas, & inuicem conferẽda. Certè profano vestitu celebrare nũquam licebit extra mortis minitatæ discrimen, vt supponunt DD *sup. relati nu.* 37. & 38 probantq; fundamenta ibidem adducta. Subdit *Laym.* idem esse dicendum, si desit ara cõsecrata, vel Calix, vel Patena, vel corporale, vel si desit liber saltem Canonem continens, vt docet *S. Anton. par. 3. tit. 13. c. 6. §. 6. Nau. c. 25. nu.* 84. nisi quis tali memoria polleat, vt moraliter certus sit, se non erraturũ, hic .n. in aliquo casu celebrare poterit sine Missali, secluso scandalo: at sine aqua, quæ misceatur vino, numquam celebrari posse, docet *Auers. de Euch. q. 2. Sect. 6. §. 4. est, & q. 11. sec. 12. §. Quintò aliqui.*

42 Præterea, si magna subsit celebrandi necessitas, videlicet, quia freques populus cum murmure, vel scandalo dimittẽdus esset, celebrari poterit sine manipulo, vel stola, vel cingulo benedicto, vel sine ministro. Si verò tanta celebran-

di necessitas non vrgeat, quamuis ex Ordinis regula, vel Ecclesiæ præcepto sacrum faciendum esset, præstat, non celebrare, deficiente ministro, vel manipulo, vel stola, vt docent. *S. Antonin. & Layman supr. Henriq. lib. 9. c. 30. num. 1.* Quoties enim Missa decenter celebrari non potest, cessat obligatio sacri faciendi, vel audiendi, cęterum, & si necessitas magna non vrgeat, dum aliqualis adsit, celebrari poterit sine Cruce, sine mappis benedictis, vel cum vnico lumine sebaceo, vel olei, dum absit scandalum. Ita notant *Layman supr. & Azor tomo 1. lib. 10. c. 28 qu. 8. & 15.*

CAP. VIII. QVÆST. V.

Quale peccatum sit immundis vestibus celebrare?

43 DIco primò. Celebrare cum vestib. vel linteis notabiliter immundis est mortale peccatum contra naturale præceptum reuerenter exercendi tam sublime ministerium. Magna siquidem irreuerentia fit sacrificio mundissimo, dum vestib. aut linteis valde laceris, aut immundis celebratur. *Ita docent Tolet. lib. 2. c. 2 num. 3. Moure p. 3. c. 5. §. 13. nu. 5. Sà verbo Missa nu. 15. Syluester Missa 1. q. 2. Fagundez præcept. 1. lib. 3. c. 23 nu. 20. Auers. qu. 11. sect. 13. §. Rursus, Bonac. de Sacrament. disp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 23. Layman lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 15. qui probat etiam ex cap. 2. de custodia Eucharist.* Vbi sic ait Pontifex. *Præcipimus, vt Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda, & nitida conseruentur, &c.* Notat vero, *Fagund. ibi*, præcipuè loqui Pontificem cum Ecclesiæ Pastoribus, ad quos pertinet cura rerum sacrarum. Sacerdotes enim particulares sæpe vestib. vtuntur, quibus possunt, seu quas inueniunt in Sacristia. Præceptum autem naturale reuerenter, ac sanctè tractandi res sacras obligat omnes Ministros sacrarum functionum. *Ita vt Diana p. 3. tract. 6. Resol. 48.* moneat, etiam quando metu mortis cogitur Sacerdos sine sacris vestib. aut alijs requisitis celebrare: debere Sacerdotem non celebrare cum vestib. valde sordidis, aut cum immundo vase; Nam adhuc in eo casu seruare debet reuerentiam tali sacrificio lege naturali præscriptam.

44 Dico secundò. Si non sit immunditia notabilis, veniale peccatum erit. Quia non est, cur in isto præcepto non detur paruitas materiæ. Sic indicant supradicti Doctores, dum notabilem immunditiam requirunt ad mortale peccatum. Magis expressit. *Bonac. supr. nu. 28.* dicens, si adhibeatur vestis immunda, committi peccatum saltem veniale. Consonat *Auersa* docens, talem esse posse vestium, aut linteorum indecentiam, vt sit mortale peccatum, quasi velit, communiter esse veniale. Addit *Layman* interdum Sacerdotem inferiorem, seu subditum, si superiorem admonuerit, vt vestes, & vasa sacra refici, mundarique curet, & nihil effecerit, excusari propter celebrandi necessitatē.

CAP. VIII. QVÆST. VI.

An liceat nudis pedibus, vel operto capite celebrare?

45 DEcentiæ ratio postulat, vt Sacerdos ad celebrandum accedat vestibus bene compositis, ne sit astantibus scandalo. Sic etiam ob maiorem honestatem induxit consuetudo, vt calceatus celebret, & Rubrica Missalis sic ait. *Calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, &c.* Quod seruandum esse quò ad calceos, vel sandalia, docent *Sylu. Scotus, Richard. quos sequitur, Suar to. 3. disp. 82. sect. 3. Henriq. lib. 9. c. 26. num. 4. Tolet. lib. 2. c. 2. n. 9. Filliuc. tract. 5. n. 151.* & addunt, calceos non opportere benedictos esse, quia nec praxis id habet, nec illa consuetudo fuit inducta propter aliquam ceremoniā, aut significationē sacrā, sed ob solā maiorē decētiā.

Notant

46 Notant verò, *Sà verb. Missa n.15. Coninch.q.83.nu.251.Fagund.precept.1. lib.3.c.23.n.21.Card.de Lugo disput.20. nu.102.* celebrare sine calceamentis, si contemptus absit, non esse mortale peccatum. Rationem reddit. *Bonac. disp.4.q.vlt.punct.9.n.29.* Quia nullum extat in iure praeceptum, & consuetudo solam honestatem attendens, non inducit grauem obligationem. Nec illa Rubrica videtur obligare sub mortali. *Addunt Scort.de Missa lib.2.c.8.nu.2. & Laym.lib.5.tract.5.c.6.nu.15.* nullam fore culpam sine calceamentis celebrare, si necessitas aliud postulat, & scandalum cessat. De Sandalijs Episcoporum videatur Pontificale.

47 An liceat operto capite celebrare, magis controuersum est. *Nauarr. in Consilijs lib.3. tit. de celebrat. Missar. cons.4.* dixit, id nullo iure specialiter prohiberi, sed generaliter tantum, nimirum quatenus iubemur diuina Sacramenta reuerenter tractare. Certè vel non viderat, vel non meminerat textum in *c. Nullus Episcopus, de consecr.dist.1.* vbi Pontifex sic inquit. *Nullus Episcopus Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite assistere, & qui temerè praesumpserit, communione priuetur.* Quib.verbis, communiter fatentur Doctores, praeceptum contineri, subindeq; per se loquendo peccaturum Sacerdotem, qui sine causa iusta, vel rationabili dispensatione celebraret operto capite. Sic asserunt. *Suar. Henriq.Bonac.supr. Filliuc.nu.152. Fagund. c.21.n.35.Laym.nu.16. Azor.to.1.lib.10. c.28.q.16. Syluest. Missa 1.nu.2. Angel. verbo Missa n.8. Armill.nu.7. Tabien. n.17.Zerola in praxi Episcopor.p.2.verb. Missa §.11. Homobon. in examine p.1. tract.4.c.15.q.145.Scortia lib.3.c.4.nu.2. Diana part.2. tract.14. Resol.58. Auersq.11.sect.13.§.Tandem.*

48 Petes primò. Quale peccatum sit istud? *Angel. & Armilla*, supra dicunt, esse mortale. Quia materia satis grauis apparet contra reuerentiam tali ministerio debitam, & contra praeceptum illo cap.positum. Verum seclusis scandalo, & contemptu, non fore mortale, censent. *Petr.de Ledesm.tom.1.sum.tract.de Euchar.c.21.concl.7.& Dian.sup.* quia non reputant illam materiam sufficientem ad mortale. Quod refert, & non refellit *Auersa.* Certè, si tota Missa dicatur operto capite, mihi videtur materia grauis; si tamen vsque ad canonem exclusiue caput sit opertum, & deinceps aperiatur, forsam nouerit mortale peccatum, vt insinuat *Villalob.to.1. tract.8.dub.29.nu.11.*

49 Petes secundò. An saltem liceat caput amictu tegere celebrantem? Affirmant *Nauarr. & Manuel supr.* Nam amictus institutus fuit ad caput operiendum, ideoque vocatur galea salutis, & sic olim Sacerdotes amictu super caput posito celebrabant: postmodum vsus obtinuit, vt amictu ad collum obuoluatur, non tamen vetuit, quin etiam liceat veterem vsum reuocare. Melius negant, *Azor, & Ledesm.* Nam, & textus in eò *c. Nullus*, omne capitis velamen inhibere videtur, & Doctores etiam generaliter loquuntur, & vsus introductus videtur retinendus sub obligatione, quia sic censetur receptus, & oppositum dissonaret.

50 Si verò suppetat causa iusta cooperiendi caput, scilicet infirmitas, vel caluitium, vel nimium frigus. *Syluest. Angel. Armill. Manuel. Henriq. Azor. & Zerola*, supra significant absolutè licere cooperto capite celebrare, quia talis Sacerdos non temere praesumit (quod requiritur in eò textu) sed necessitate cogitur. *Nauarrus* exprimit, non esse necessariam dispensationem, quia, cum subest causa palam excusans à precepto non requiritur dispẽsatio. Per oppositum ceremoniale Romanũ, & Missale reformatũ *Vrban VIII.* semper exigũt dispẽsationẽ, sic etiã loquũtur plures Author.

51 Ego dico primò, si causa sit manifestè iusta, videlicèt grauis infirmitas, vel summa frigiditas, nec possit facilè dispensatio, vel licentia postulari, celebrari

brari poterit operto capite sine licentia Superioris, secluso tamen scandalo, si vel sacrum secretò fiat; vel astantibus causa patefiat. Quia tunc ipsa causa per se satis excusat ab obligatione præcepti, & difficultas adeundi Superiorem tollit obligationem petendi facultatem. *Ita Suar.to.3.disp.82.sect.3.Filliuc.tract.5.n.152.Sylu.3.p.q.83.ar.5.fi.Dian.p.2.tract.14.Res.58.Manuel.Bon.Laym.Fagund. & alij, quos refert Auers.supr.*

52 Quin etsi pateat aditus ad Superiorem, quando constat, causam esse sufficientem per se, non erit necessaria dispensatio, quæ minorem causam supponit. Nam, vt docet. *S.Tho.2.2.q.147.art.4.* non intendit legislator illum obligare, qui manifestare habet causam non seruandi præceptum. Vnde colligit. *Si causa sit euidens, per se ipsum licitè potest homo statuti obseruantiam prateterire.* Quippè non omnis causa sufficiens ad dispensationem validam, & iustam sufficit per se solam ad tollendam obligationem præcepti, vel legis: alioquin inutilis esset dispensatio: quæ propterea non requiritur, quando causa talis est, vt clarè constet, ipsam per semet excusare, sed quando necessitas minor est. Ita docēt. *Suar.de Relig.to.1.tract.2.lib.2.c.33.nu.3.Sanch.de Matr.lib.8.disp.18 nu.14.*

53 Dico secundò. Si causa cooperiendi caput in celebratione non sit manifestè sufficiens ad excusandum, sed vel insufficiens ex se, vel saltem dubia; requiritur dispensatio, seu facultas superioris: adhuc enim deseruit dispensandi potestas in Superiorib. *Ita S.Tho.Suar. & Sanch. supr.* Rursus, quamuis causa certa sit, & sufficiens ad excusandum per se, si tamen non sit publica, nec euidens omnib. & publicè celebrādum sit, vel frequenter operto capite, dispensatio, vel licentia requiritur, vt omninò tollatur scandalum, & quæuis eius occasio præcidatur. *Ita tangit Suar. supr.* in casu simili.

54 Petes tertiò. Quis superior concedere possit istam dispensationem, aut facultatem? Multi dicunt, respectu secularium Episcopum posse: respectu Regularium Prælatum (scilicet Prouincialem) habentem iurisdictionem, quasi Episcopalem, quia talis dispensatio pertinet ad commune regimen animarum. *Ita Nauar.Sà Fagund.Laym.Sylu.supr.cum alijs.* At hodie solus Papa dispensare potest, aut concedere licentiam. *Quia Congregat.Sacr.Rituum die 13.Iulij ann.1626.* decreta quædam edidit, *quæ iussu Summ.Pontif.Vrban.VIII.* sunt affixa Missali per ipsum reformato, & vnum illorum sic habet. *Nemo audeat vti pileolo in celebr.Missar. sine expressa licentia Sed. Apost. non obstante quacumque contraria consuetudine.* Quare iam soli Pontifici reseruatur. *Ita Gauant. in Rubr. Missal. tom.1. p.2. tit.2. lit.F. Dian.Card.de Lug. & Auers.supr.*

CAP. VIII. QVÆST. VII.

Qualis cultus debeatur templis, vasis, & vestibus sacris.

55 Certum est, istas res sacras aliquo conuenienti titu, veneratione, vel adoratione prosequēdas esse, quatenus honorificè tractari debent, & ipsarum vsus reuerenter vsurpari. Quippe supposita Eucharistia veritate Sacramentum, & Sacrificium Sacratissimum continentis, manifestè sequitur templa, vasa, lintea, vestes, & quidquid proximè deseruit tam sublimi ministerio, debere sanctè tractari, naturalique iure prohiberi, quidquid cedere potest in iniuriam, & irreuerentiam talium rerum, vt ostendit latè. *Suar.3.p.to.3.disp.81.sect.8. additis prohibitionibus iuris humani.*

56 Verū in particulari potest hæc prohibitio generalis explicari nōnullis exēplis. Primū sit euertere tēpla, vel altaria, vasa sacra confringere, vestes sacras discindere, vel quidquid est huiusmodi per contemptum profanare, intrinsecè malum est. Sic conquerebatur, *Elias 3.Reg.19.num.10. Domine altaria tua dextruxerunt.* Et Christus Dominus Math. 21. reprehendit omnem in templo negotiationē, quia domus orationis faciēda

non

non est spelunca latronum; quod postea decreuit *Sexta Synodus Canon.76.Trullenc.& Caietanus in Sum. verbo, Immunitas Ecclesiastica.* Docuit, si quid in Ecclesia permanenter exponatur venale, peccatum esse mortale, si tamen exponatur in cœmiterijs, esse veniale, nisi forsan in vsum ipsius Ecclesiæ vendatur. Huc pertinent actus forenses præsertim circa causas criminales.

Conuentus quoque, seu Concilia publica sęcularia, seditiones, & similia, quę non solum iure naturali, sed etiam positiuo prohibentur. *cap.1.ca.Cum Ecclesia de immunit.Eccl.* Sic etiam *Paulus 1.Corinth.11.* Conuiuia prohibuit in Ecclesia, quod deinceps multi Canones confirmarunt. Sed hoc limitat *Suar.* nisi vel ex necessitate, vel ob piam causam cum debitis circumstantijs fiant:& colligit indè, nec etiam licere, vel in templis hospitari, vel dormire, vel otiosè, siue diù confabulari citans Patres, & textus.

57 Secundum exemplum fit immunitas Ecclesiarum, ad quas rei confugientes non possunt indè per vim extrahi. *cap. inter alia. cap. final. de immunitat. Eccles.& 17.quæstio.4. per plura capita.* Quamuis autem hæc immunitas inducta fuerit iure positiuo, fundatur equidem in iure naturali, quod significat textus *in cap.Ecclesiæ de immunit. Eccles.* de qua videri possunt. *Sanchez in consil. lib.6.cap.1.dub.7. & sequentibus. Palaus tom.1. tractat.11.disput.1. Bonac.de Decal.disp.3. qu.7. & tom.3. disp.2.quæst.3. Diana part.1.tract.1.& par.6.tract.1.& in Summa verbo Immunitas Ecclesiarum. Trullench lib.1. Decal.cap.11. per totum.*

58 Tertium exemplum fit Iuris Canonici prohibentis, ne laici Altare ingrediantur. *ca. Non oportet dist.23.& in alijs decretis Conciliorum, quæ refert Suar.supra* intelligens per Altare sacellum maius, quò non licebat laicis accedere, vel ad ministrandum, vel etiam ad assistendum diuinis officijs, multoque minus ad sedendum, & confabulandum, sed solum ad orandum, & communicandum, vt habetur *cap.1.de vita, & honest. Cleric.* Et quamuis hæc decreta iam in desuetudinem quoad maiorem partem abierint, vnde secluso contemptu, vel scandalo, non obligant sub aliqua culpa; seruandam esse tamen cuiuslibet Ecclesiæ consuetudinem honestam, & quoad fieri possit, antiquam disciplinam æmulandam: rectè monent *Suar.supra, & Fillinc.trac.5.num.135.*

59 Quartum exemplum fit, quod propter hanc venerationem prohibitum est laicis, & maximè fœminis Altaria tangere, scilicet quoad lapidem consecratum: Item vasa sacra, vestimenta, vel ornamenta benedicta, præsertim corporalia. Sic præcipitur *dist.23.cap.26 27.29. 31.32.33.& de consecrat dist.1.* præcipuè *cap.in Sancta,& cap.Vestimenta, in quibus referuntur varia circa hoc Conciliorum Constitutiones.* Varia quoq; videtur fuisse diuersorum temporum, aut locorum consuetudo. Iam nunc *Syluester Missa 1.quæstio 2.* solum excludit à contactu rerum sacrarum fœminas. *Sotus verò in 4.distinct.13.quæst.3.artic.3.ad 3.* dicit, secluso contemptu, nec viros, nec fœminas peccare tangendo res sacras, vel ad summum leuissimè, atque Canones id prohibentes intelligi de consilio. Consonat *Fagundez Præcep.1.lib.3.cap. 21.numerò 28. & multi Recentiores teste Thoma Sanchez lib.2. Decalog. cap.43. num.27.* qui colligit indè à fortiori tangere sacros agnos Dei non excedere culpam venialem, imò nullam esse culpam, eò quod vsus obtinuerit, vt à laicis etiam fœminis tangantur. At *Suar.supr. Conimb.quæst.83, num.249.Layman lib. 5.tractat.5.cap.6.n.19.* cum alijs docent, esse veniale peccatum, si laici sine causa tangant sacra vasa, licet vacua sint, & quæcumque consecrata sunt vnctione chrismatis, vt Altare, cereos agnos. Si verò causa rationabilis subsit, nullum esse peccatum.

60 Dico primò, lintea, vestimenta, vel ornamenta sacra, quamuis benedicta sint, si non attingunt immediatè species consecratas, nec chrismate consecrātur, pos-

possunt à laicis etiam fœminis sine culpa tangi. Sic enim est vsu receptum, & iura citata potissimum loquuntur de vasis sacris, *cap-vestimenta.* Quod generaliter loquitur de sacris vestibus, vel non continet præceptum, sed decentiam quandam, vel non intelligitur de quolibet tactu, sed qui tendat ad communem, & profanum vsum, vt ex contextu colligi potest, vel iam abijt in desuetudinem quoad tactum vestium Sacrarum. *Ita Vaz. q. 3. p. to. 3. disp. 233. nu. 36. Reginald. lib. 19. nu. 202. Suar. & Filliuc. supr. Laym. nu. 20. qui nu. 21.* id extendit ad sacras reliquias cum, *Thom. Sanch. supr. nu. 26.*

61 Dico secundò, immediate tangere, vel aram consecratam, vel sacra vasa, vel lintea, quæ vel immediate contingunt species consecratas, vel chrismate sacrantur, peccatum esse in fœminis, & Laicis; quod tamen secluso contemptu sit veniale, quando sine rationabili causa fit. Quoniam, & si materia non sit grauis, violatur tamen Ecclesiastica prohibitio. Sic *Suar. Filliuc. Coninch. Laym. & Reginald. supr. ex c. sacratas dist. 23.* Secus, si rationabilis causa subsit, vel si Laicus tangat mediante velo, vel instrumento quopiam, vt cum alijs notat. *Fagund. supr.* Sic *in c. Nemo de consecrat. dist. 1.* decernitur, vt pallas, & vela Sanctuarij Diaconi cum humilibus ministris intra Sanctuarium lauent.

62 Vnde colligunt Doctores. Corporalia, & Purificatoria prima lotione saltem leuiter à Sacerdotibus, vel Diaconis esse lauanda, lotionemque refundendam in piscinam. *Ita Suarez, & Coninch. supra Reginald. num. 203. Fagundez num. 26. Azor tom. 1 lib. 9. cap. 9. quæst. 6.* Postquam vero corporalia, & Purificatoria sic lota fuerint, leuiter dari possunt fœminis lauanda, & reficienda: Subest enim rationabilis causa tangendi, nimirum, vt sacra lintea mundiora sint, & politiora; cum ad hoc præstandum fœminæ sint industriores: & sic est vsu receptum. At cæteras pallas, seu mappas altaris, etiam si bene dictæ sint, fœminæ lauare possunt etiam prima lotione, vt monent. *Suar. & Azor supra. Regularis Aedituus consulat sua priuilegia.*

63 Quintum exemplum sit etiam iuris Canonici prohibentis res sacras profanis vsib. deseruire, v.g. si quis vteretur Calice consecrato in mensa conuiuij, vel corporali, tanquam linteolo communi, graue sacrilegium committeret. Habetur *in cap. quæ semel 19. q. 3. cap. Quæ semel Deo, de reg. iur. in 6.* Tradunt *S. Tho. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. Suarez, & Filliuc. supra Fagundez num. 18. Reginald. num. 104. Azor q. 7.*

64 Nec solum res Sacræ conuerti nequeunt in vsus profanos, quandiu consecrationem retinet, sed etiam postquam illam amiserunt per fractionem, aut dissolutionem. *Ita docent S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3. ad 3. Suarez, & Azor. supra Paludan. Sotus, & plures in 4. distinct. 13. Colligitur ex cap. ligna, cap. Altaris de consecr. dist. 1. cap. Ad hæc de Relig. dom.* in quibus decernitur, quando res sacræ iam seruire non possunt, debere vel ad alios sacros vsus applicari, vel comburi, mittique cineres in piscinam Notant vero *Castr. Palaus tomo 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. num. 25. & Diana p. 5. tract. 13. resol. 76* mutata forma aliam rerum, & benedictione deperdita, non fore mortale peccatum ipsarum materiam alijs humanis vsib. applicare Plerumque tamen erit culpa venialis ob aliquam indecentiam, & ob auctoritatem illorum canonum, *vt censet Auers. q. 11. sect. 13 §. Quinto ratione.*

65 Conueniunt etiam Doctores, res Sacras, dum consecrationem, vel benedictionem retinent, nec vendi, nec oppignorari posse iuxta canones illos. *Ita Nauarr. Couarr. & alij, quos sequntur Henriq. libr. 9. cap. 28. nu. 3. Molina cum alijs tom. 2. disp. 340. §. Item res sacræ Suar. supra Fagund. num. 19. & 20.* Probatur ex lege *si in emptione §. omnium rerum, ff. de contrahend. empt. lege sancimus la primera C. de sacros. Eccl. s.*

Verum

66 Verum nota primò, si sacra vasa, vel vestimenta, vel quæuis alia, dum integra sunt, & benedictionem retinent, sine necessitate vendantur, vel oppignorentur etiam ad vsus Sacros, tamen ratione materiæ, non ratione benedictionis, non esse Simoniam, quia non venduntur, quatenus Sacra sunt pro pretio temporali: sed quatenus constant tali materia, indeque potius venditur materia temporalis pro pretio temporali. Nihilominus esse sacrilegium ob irreuerentiam, & iniuriam, quæ rebus sacris irrogatur: dum sine necessitate venales fiunt. Ita *Sotus lib. 9 de Iustit. qu. 7. art. 1. conclus. 2. Couarru. lib. 2. var. c. 16. num. 8. Fagund. & Molin. supra, & habetur in prædicta leg. Sancimus.*

67 Nota secundò, res sacras etiam sine sacrilegio vendi, vel oppignorari posse in quibusdam casibus, quos attingit *S. Ambrosius in cap. Aurum 12. quæst. 2.* ferèque reducit ad necessitatem, & pietatem, nimirum in alimoniam pauperum, redemptionem captiuorum, extructionem templorum, vel opera similia multum Ecclesiæ necessaria. *Molina superius addit*, vel ad soluenda debita, vel vt fiant ex pretio meliora vasa, vel vestimenta sacra. *Couarru. supr.* cum alijs requirit summam necessitatem, quia verè non sufficit communis indigentia pauperum, vt res sacræ vendi, vel oppignorari possint; alioquin sæpissimè distraherentur.

68 Nota tertiò. Quando vendere licet res sacras, non posse integras vendi, nisi ad vsus sacros, videlicet alicuius Ecclesiæ, vel Capellę: conflatas verò vel dissolutas, ita vt iam sacrę non sint, vendi posse laicis ad quemlibet vsum. Ita *Syluester verbo Emptio quæst. 4. concl. 4. Molina supra*, & sumitur ex *ca. 2. 10. quæst. 2. Fagundez, & alij negant*, vestes sacras integras vendi posse, nisi necessitas vrgeat. At certè nunc praxis habet, vt citra necessitatem res sacræ vendantur integræ, sed ad vsum sacrum, præsertim, si sint laicorum. Quare ratio benedictionis præcisè solum obstat, ne res sacra benedictionem retinens, vendatur, aut applicetur vsui profano.

69 *Glossa in cap. Nuptiarum de consecrat. dist. 1.* voluit, vestes, & pannos, qui profanis vsibus deseruierunt, non posse sacris vsibus adaptari. Suadetur. Quia *Sixtus IV. concessit Minoribus*, vt secura conscientia possint conuertere pannos, & vestes profanas in paramenta, & alios Ecclesiasticos vsus. Habetur *in Compendio Societ. Iesu verb. Sacra n. 20.* Ergo secluso priuilegio non licet. Dicendum est tamen, sine benedictione non posse: si verò benedicantur, nec interueniat scandalum, vel specialis indecentia posse; nec vspiam inueniri prohibitum, nec per vsum priorem contraxerint aliquam maculam, quæ per benedictionem, aut dedicationem ad vsum sacrum sufficienter non purgetur. Ita *Syluester verbo Corporale quæst. 2. Suarez supra. Azor. quæst. 8. Fagundez ca. 23. nu. 23.* Priuilegium illud deseruiet ad sedandos scrupulos concessa securitate conscientiæ.

CAPVT IX.

De ritibus Missæ.

1 PRæter ritum essentialem, in quo diximus *cap. 2. quæst. 3.* substantiam huius sacrificij consistere, institutum à Christo Domino, plures alios addit Ecclesia, qui dici possunt accidentales, & merè cæremoniales ad maiorem decentiam, & reuerentiam talis actionis pertinentes. Et quidem tota celebratio complectens non solum ritum essentialem, sed alios etiā accidentales, Missæ nomine nuncupatur. Circa quod suppono primò, ritè potuisse Catholicam Ecclesiam in celebratione Missæ præter illa, quæ sunt de substantia sacrificij, quædam alia coniungere, rectèque coniunxisse, quæ vel ad

populum instruendum, vel ad deuotionem excitandam, vel ad communes preces Deo præsentandas pertineant. Hæc veritas de fide constat ex 1. *Corinth.*11. *& Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *sess.* 22. *cap.* 4. 6. *&* 8. *canon.* 6. *&* 9. Quam latè declarant, & ab Hæreticorum calumnijs defendunt *Bellarm. lib.* 2 *de Missa, cap.* 11. *& sequentib. Azor tom.* 1. *libr.* 10. *cap.* 34 *&* 35. *Suar.* 3. *p. tom.* 3. *disput.* 83. *sect.* 1. *&* 2. *Bretius expenunt S. Thom.* 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *Coninch. ibi num.* 253. *& sequentib. Filliuc. tract.* 5. *nu.* 153.

2 Ritus ab Ecclesia super additi partim consistunt in verbis, partim in actionibus, partim ante celebrationem, partim in ipsa celebratione seruandi sunt; & quidem ante celebrationem. Suppono secundò, cum Sacerdos in Missa communicaturus sit, talem præparationem ad Missam requiri, qualem ad communionem necessariam esse diximus, *lib.* 4. *c.* 6. *&* 7. Quomodò verò nonnunquam excusetur à præmittenda confessione, discussimus, *lib.* 4. *c.* 6. *nu.* 44. *& sequentib.* Quam graue sacrilegium sit indignè communicare, eo *c.* 6. *nu.* 18. dictum est.

3 An autem qui celebrat in mortali, committat plura peccata? Quidam volunt, committere tria sacrilegia. Nam indignè sacrificat, ministrat Sacramentum, & recipit. *Nunus* 3. *p. q.* 82. *artic.* 5. dicit committere duo; quoniam indignè conficit, & recipit Sacramentum. *Azor vero tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 31. *q.* 11. *Fagund. precept.* 2. *lib.* 3. *c.* 5. *nu.* 8. *Henriq. lib.* 8. *c.* 45. *nu.* 2. *Homobon. p.* 1. *tract.* 4. *c.* 16. *qu.* 147. *Diana part.* 2. *tractat.* 14. *resol.* 24. dicunt esse vnicum. Nam omnes illæ actiones sub ordinantur ad rectam sumptionem, & consummationem sacrificij: quoties autem actus diuersi sub ordinantur alijs alij, non efficiunt distincta peccata, iuxta *S. Thom.* 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 6. Ego censeo, celebrationem sacrilegam, si per vnicam volitionem eligitur, vnicum esse peccatum ob vnitatem prauę volitionis, æquiualere tamen tribus, quæ sint aperienda Confessario saltem dicendo, feci sacrum in mortali, nec sufficiet dicere, cōmunicaui cū cōscientia peccati mortalis.

4 Prærequiritur etiam ante celebrationem in Sacerdote quoad animum intentio ritè Sacrificandi, conficiendique Sacramentum, de qua diximus, *lib.* 1. *c.* 2. *q.* 9. *& sequentib.* Ponuntur item in Missali preces quædam celebrationi præmittendæ, quas tamen omittere, secluso contemptu, nullum peccatum est, quia solum cadunt sub consilium, vt indicat Missale dicens, eam præparationem faciendam esse pro Sacerdotis opportunitate. Confirmat id praxis etiam timoratorum, & tradunt. *Suar. tom.* 3. *disp.* 82. *sectio* 10, *Filliuc. tract.* 5. *nu.* 137. *& Auersa de Eucharist. q.* 11. *sect.* 12. §. *septimo quia.* Quo ad corpus talis requiritur dispositio, quæ tollat periculum, vel relinquendi sacrificium inchoatum ob aliquam infirmitatem, vel irreuerenter celebrandi propter lepram, aut periculum vomitus. Item lotio manuum præmitti debet ex decentia, non ex necessitate, quæ cogat sub mortali. Sic *Suar. supr. Filliuc. nu.* 138. Iam sit.

CAP. IX. QVÆST. I.

Vtrum Rubricæ Missalis, quæ præscribunt ritus accidentales, obligent sub mortali?

5 PRima sententia negat. *Ita Possevin. de offic. Curati c.* 2. *nu.* 16. *Fagund. precept.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *nu.* 7. 8. *&* 32. *Diana p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 55. Probant, quia Summus Pontifex, dum in Bulla Missali præfixa districtè præcipit sub præcepto sanctæ obedientiæ, Missam iuxta ritum eius Missalis dici, solum intendit obligare generaliter ad vtendum illo ritu, ita vt non introducatur alius omnino diuersus, non tamen intendit obligare sigillatim ad obseruandas sub mortali singulas rubricas prædicti Missalis, quæ quidem in particulari non tam sunt præcepta, quam instructiones quædam, & consilia.

6 Secun-

6 Secunda sententia communis,& verior affirmat. *Sic Henriq.lib.9.c.35.nu. 5. Azor tom.1.lib.10.capit.29. quæstio.6. Suarez tom.3. disputat.83.sectio.3. & disputatio.84. sectio.2. Coninch.quæstio.83. numero 266. Petrus de Ledesma tom.1. Summ. tractat. de Eucharist. capit. 24. conclus.8.& sequentibus,Pitigianus in 4. dist.13.quæst.2.artic.4.Bonac. de Sacram. disput.4.quæst.vlt.punct.7.§.3. numero 3. & punct.10. numero 19. Filliuc.tractat.5. n.155 159. & alij communiter.*Probatur, *quia tam Trident.sess.22. decreto de seruandis in Missa*, quam Bullæ Pontificum seriò præcipiunt,& omnes eiusmodi ritus seruari, & nullos alios admitti; nec verba sonant solam instructionem, aut consilium,sed præceptum ex suo genere grauiter obligans. Accedit ratio; nam hæc res per se grauis est, & ad debitum Dei cultum spectat,vt tota Missa constans ex varijs actionibus,& verbis; integrè, ac ordinatè celebretur. Quapropter omissio voluntaria rituum istorum per se mortale peccatum erit, nisi vel per inadnertentiam, vel ex leuitate materiæ reddatur culpa venialis, vt in alijs præceptis contingit.& in isto notāt *Suar. Filliuc.& alij.*

7 Pro maiori declaratione noto primò. Si quis præscriptos ritus omittat ex contemptu, peccare mortaliter, quia contemptus etiam regularum inducit mortale peccatum, vt aduertit *Azor supra.*Idem est,si quis omnes ritus omittat, vel eos, qui pertinent ad substantiam sacrificij,vel proximè accedunt ad illam, vel omittat tantum illorum partem, vt nouum ritum in Ecclesiam introducere censeatur, quod asserunt non solum Authores secundæ sententiæ, sed etiam *Fagundez,& Diana.*

Probatur; nam omnes isti ritus conuenienrissimè sunt instituti, vel ad mysterium Missæ reuerenter, & honestè peragendum, vel ad exercendos externos actus latriæ, vel ob aliquam significationem mysticam,vel moralem.

8 Etenim verbis Missæ quædam significantur ad Christi Passionem pertinentia, quædam ad corpus mysticum, quædam ad vsum huius Sacramenti, quæ sigillatim exponunt Doctores. Actionibus item Missæ repræsentantur, vel Christi Passio,vel dispositio corporis mystici, vel reuerenti à debita Sacramento.

Nimirum multiplex Crucis vsus commemorat Christi passionem; brachiorum extensio crucifixionem; hostiæ fractio diuisionem corporis; & animæ Redemptoris; manuum extensio super ablata protectionem diuinam; digitorum ablutio leuiorum culparum emundationem; mixtio aquæ cum vino, mixtionem populi cum Christo: Tunsio pectoris significat contritionem; osculum reuerentiam, & amorem; eleuatio manuum, vel oculorum, vel specierum motum oblationis internæ. Quæ latius prosequuntur *S.Thomas 3.part. quæstio. 83.art.4.& 5.Suar.ibi disp.*83.& 84.vtrobique *sect.*1.

9 Noto secundò, peccatum esse mortale, si quis scienter omittat ritum aliquem grauiorem, qui continet specialem significationem, videlicet mixtionem aquæ cum vino,fractionem hostiæ, vel eius mixtionem cum Calice,vel eleuationem Sacramenti,vel similes; nam hęc grauis materia reputatur; si vero detur inadnertentia, vel inculpabilis, vel leuiter culpabilis, etiam omissio grauiorum excusabitur à mortali. Sic censent *Suar. disputat.*84.*sect.2. Filliuc. numero* 159.*Bonacina num.*19.*punct.*10. *Azor,& Ledesma supra.* Item erit veniale. Si quis omittat etiam scienter vnum, vel alterum ritum ex leuioribus, vt autem discernamus ritus grauiores à leuioribus in particulari, fit.

.?).†.(?.

CAP.

CAP. IX. QVÆST. II.

Quæ censeatur in hoc præcepto materia grauis? Quæ leuis?

10 PRudenti quidem arbitrio decernendum est, vt plurimum, quæ transgressio sit grauis, aut leuis, mortalis, aut venialis; sed descendemus ad casus aliquos particulares, ex quibus certior ad alios regula detinetur. In primis Missale præscribit, vt in Missa quædam dicantur publicè, quædam secretò. Vnde colligunt. *Caietanus, & Nauarrus*, quos sequitur. *Sanchez in consil. lib.7. cap.2. dub.8. num.6.* peccare Sacerdotem, qui Missam priuatam ita submissè dicit, vt percipi nequeat ab astantibus, nisi quando coram alijs non celebrat, quia tunc satis est, vt à ministro percipiatur. Adderem Ego, peccare pariter Sacerdotem, qui dicit alta voce, quæ secretò proferenda sunt iuxta ritum antiquum Ecclesiæ, quem approbat. *Tridentinum sess.22. cap.5. & canon.9.* reor tamen, vtrobique peccatum esse veniale, cum materia leuis appareat ex se. Mortale quidem esset, vulgari passim lingua celebrare, quod iura vetant, *cap. omnes, & sequentibus dist.12. & Tridentin. supr. cap.8. & canon.9.*

11 An sit præmittendum officium diuinum celebrationi, dicemus, *infra quæst.6.* An vero sit mortale peccatum omittere preces, quas Missale præscribit dicendas, dum Sacerdos induitur sacris vestibus? Affirmant. *Nauarrus in consil. libr.3. titul.41. de celebrat. Missar. consil.2. Syluius 3. part. quæst. 83. art.6. Azor tomo 1. libr.10. cap.29. quæst 5* quoties omnes illæ preces scienter omittuntur; secus, si vnam, vel alteram duntaxat. Probant primo, quia Pius V. iussit seruari ritus, & ceremonias sui Missalis; sed in hoc habentur orationes singulæ pro singulis vestibus, dicendæ, quasi quædam accessoria vestibus sacris. Ergo sicut esset mortale peccatum sine sacris vestibus celebrare sic omnes illas orationes omittere; nam esset notabilis defectus eorum, quæ pro sacris vestibus induendis requiruntur. Probant secundò. Nam immemorabilis consuetudo totius Ecclesiæ iugiter hoc obseruat. At consuetudo rationabilis est seruanda cap. *consuetudo dist.1. & c fin. de consuetudin.* Subreptio verò, vel paruitas materiæ possunt hanc culpam reddere venialem.

12 Negant esse mortale peccatum. *Henriq. lib.9 cap.24. numer.7. littera Q. Fagund. precept.1. lib.3. c.21. numer.9. Moure part.3. c.5. § 13. num.4. Laymann lib.5. tractat.5. c.6. num.12. Homobonus, Vega, Pitigianus, Scortia, quos sequitur Diana part.2. tractat.14. resolut.41. Zerola in praxi Episcoporum p.2. verbo Missa vers.8. Bonac. disput.4. qu. vltima punct.9. nu.32. Manuel tom.1. sum. c.244. vel 247. num.12. Cardinal. de Lugo disput.20. num.106. Auersa qu.11. sect.12. §. septimo quia.* Probatur primò, quia nulla datur lex præcipiens, illas orationes à Sacerdote, dum induitur, recitari sub mortali. Quædam enim in Missali posita pertinent ad decentiam, instructionem, & consilium; nec obligant eius Rubrica, nisi contineant essentiam, vel quasi substantiam Sacrificij, quam istæ preces non concernunt. Probatur secundò, quia non datur vniuersalis consuetudo recitandi tales preces, quippe nonnulli dicere solent eo tempore psalmum. *Miserere mei*, vel aliquid aliud, vt testantur. *Fagund. & Zerola*, sicut nec illæ preces positę pro præparatione ad Missam, dicuntur communiter. Ergo consuetudo non inducit obligationem in hac materia.

13 Ego suppono si tales preces omittantur ex contemptu, fore mortale peccatum, quia contemptus præcepti, vel regulæ, vel etiam consilij particularem inuoluit irreuerentiam contra superiorem, vt docent communiter Doctores, & in nostro casu tradunt. *Nauarrus, Azor. Fagundez, & alij.* Si non omittantur ex contemptu,

temptu, censeo cum secunda sententia, non esse mortale peccatum, quamuis omnes scienter, & sine causa relinquantur. Quia verè materia leuis apparet ex se, nec grauis communiter reputatur à Doctoribus. An autem sit veniale? Quidam non explicant. Negare videtur *Diana*, dicens absolutè, secluso contemptu non peccare Sacerdotem præfatas orationes omittentem. Limitationem addit *Fagundez* asserens, omnes illas preces omittere, non fore plusquam veniale, ac nec veniale quidem, si loco illarum aliæ dicantur. Certè limitatio non videtur necessaria. Quia, si nulla lex obligat ad recitandas illas preces, vt isti Doctores putant, quia non sunt materia præcepti, sed instructionis, & consilij; nec etiam obligabit ad aliquid dicendū ipsarum loco.

14 Reor equidem, esse veniale peccatum, tum quia vsu communi receptum est, vt dicantur, tum præcipuè, quia iam in missali (quidquid olim fuerit) serió pręcipiuntur. Sic enim habet *Rubrica de ritu celebrat. §. 1. nu. 1. Sacerdos lauat manus* (scilicet antequam induatur) *dicens orationem inferius positam, & num. 2. induit se, dicens ad singula* (paramenta) *singulas orationes inferius positas*, eodemque tenore verborum omnes Missę ritus præscribit. Ergo, sicut obligant reliqui iuxta *supradicta num. 6.* saltem sub veniali circa materiam leuem. Sic iste ritus ita pręscriptus obligabit ad illas orationes dicendas sub veniali quidem ob materiæ leuitatem Nec amplius probāt fundamenta primæ sententię Sic docent *Auersa, & Mouri supra*. Fauent *Henriq. Bonacina, Layman, & Zerola*, dum simpliciter aiunt, debere Sacerdotem recitare tales preces, & cauere ipsarum omissionem.

15 Si quis omittat dicere *Gloria*, vel *Credo*, quando dicenda fuissent, fortè nō erit mortale peccatum (inquit *Nuñus 3. part. quæst. 83. art. 4. dub. 2.*) quia non pertinent ad vsitatam integritatem Missæ, sed veniale graue. Sine formidine loquuntur *Suar. & Filliuc. supra. Diana Resol. 59. Cardinal. de Lugo numero 107. Auersa §. Sextò dubitat*, dicentes, non esse mortale, sed solum veniale, quia tunc non mutilatur Missa propriè, quatenus actio sacra est, cum integra fiat alijs diebus sine verbis illis. Idem est, si quis dicat *Gloria*, vel *Credo*, quando non erant dicenda, cum sit pariter materia leuis. Nisi vel aliquis hæc omitteret, quādo dicenda forent in magna solemnitate, vel diceret in aliqua Missa cum magna deformitate, nimirum in Missis defunctorum; tunc enim videtur materia grauis.

16 Omittere verbum vnum, vel alterum, videlicet vnum *Kyrie eleison*, vel quid simile, aut vnam, vel alteram actionem, videlicet Crucem aliquam, vel manuum eleuationem, vel pectoris tunsionem, veniale peccatum esse, fatentur *Nuñus supra. Cardin. de Lugo num. 104. Auersa §. Tertiò tenetur. Marchantius de Sacram tract. 4. cap. 5 quæst. 4. Diana part. 5. tract. 5. Resolut. 45.* Omittere verò principalem orationem Missæ, mortale peccatum est, cum ea sit pars Missæ principalis. Sic *Auersa § Quare*. Fauent *Diana, Marchantius, & alij dicentes*, non esse mortale peccatum omittere commemorationem aliquam, vel alias orationes, quæ solent adiungi: quoniam hæ non sunt partes principales Missæ. Similiter *Diana part. 5. tract. 5. Resol. 63.* dicit, non esse mortale peccatum omittere graduale post Epistolam.

17 Omittere, vel Epistolam, vel Euangelium, vel oblationem, fatentur omnes esse materiam grauem. *Suar. disput. 83. sect. 2. Filliuc. tract. 5. num. 155. Auersa supra.* Nam hæ sunt partes principales. An verò cantans Missam solemnem teneatur submissa voce legere introitum, Epistolam, & Euangelium, quæ cantant alij? Negant *Nauarrus tract. de Oratione cap. 10. nu. 45. & Miscellaneo de Orat. 78. Vega tom. 2 Sum. cap. 41. casu 7. Bartholomeus à Sancto Fausto de Euchar. lib. 2. quæst. 278. Petrus de Ledesma to. 1. Sum. tract. de Euchar. cap. 24. conclus. 5 Villalobos tom. 1 tract. 8. diffic. 31. nu. 4. Trimar-*

chi

chi.Franciscus de Nigro. Ludouicus de S.Iuan, quos sequitur *Diana par.2.tract.14.Resolut.41.& par.5.tract.5. Resol.45. & tract.13.Resol.95.* Probant, quoniam id nullo iure præcipitur, nec est vllus Canon id præscribens, nec habetur *in Missali Pij V. Rubrica de tali Lectione sub Missa*. Consuetudo verò legentium illa submissè, dum solemniter celebrant, nō inducit obligationem.

18 Dico primò celebrantem solemniter teneri submissè legere partes Missæ, quas alij cantant. Ita *Manuel tomo 1. Sum.cap.244.de Missa nu.9. Moure part. 3. cap.5 §.12. num.15 Sà correctus verbo Missa num.51. & Victorellus ibi. Cardin. de Lugo disp.20.num.107. Auersa qu.11. sect.12.§ Item peccare*. Probatur, quia, licet id nullo Canone iuris præcipiatur, nec in prioribus editionibus *Missalis Pij V.* fuerit præscriptum, iam in Missali reformato per Clement. VIII. expressè præscribit *Rubrica in ritu celebrandi §.4. num.7.& §.5.nu.4.* & 5. vt cantans Missam solemnem legat submissa voce introitum, & Kyrie eleison, Epistolam, Graduale, tractum (quando dicendus est,) & Euangelium: Sed Rubricæ Missalis circa ritus etiam accidentales obligant, vt ostendimus *supra num.6.contra Dianam,& alios.* Ergo pariter hæc obligat iuxta materię qualitatem, aut quantitatem.

19 Quapropter Authores contrariæ sententię, qui vel scripserunt, antequam ista Rubrica poneretur, vel illam non viderunt, sed Antiquiorum auctoritate ducti sunt, non repugnant nobis, qui nitimur præsenti Rubrica. Sic processit *Nauarr. in illo Miscellaneo 98. siquidem ait, Missale Pij V. non habere*, vt celebrās solemniter legat Euangelium. *Vega supra dicit expressè. Ni el Missal de Pio Quinto pone tal ceremonia. Bartholom. de S.Fausto dicit: Nec Missale Pij V. huius ordinationis meminit.* Hi planè negāt Rubricam Missalis, & idem forsan intendunt. *Villalobos,& Ledesma.* Sed quid quid sit de his, certè, qui viderunt Rubricas præsentis Missalis, & dicunt, illas quoad hunc ritum non esse pręceptiuas, sed solum directiuas, recurrere debent ad sententiam asserentium, Rubricas Missalis circa ritus accidentales non obligare, quam refellimus *supra num.6.* Nam Rubricæ loquuntur eodem planè tenore circa ritum istum, & circa cœteros; Quare, vel in isto quoque sunt præceptiuę, vel in nullo.

20 Dico secundò, si cantans Missam non legat submissè, quæ cantant alij; *Cardinal.de Lugo,& Auersa censent*, esse veniale peccatum, quia non apparet grauis omissio, dum illæ partes supplentur per chorum, & Ministros in cantu, & ipse Sacerdos attendit. Vnde colligunt, eamdem materiam, quæ grauis est, si prorsum omittatur, esse leuem, si non à Sacerdote simul, & Ministris dicatur, sed à Ministris dumtaxat. Idem Ego censeo, quando celebrans solemniter omitteret vnam partem, vel aliam: si tamen omittat omnia simul, quæ chorus, & Ministri cantant; scilicet introitum, Kyrie eleison, Epistolam, Graduale, Euangelium, Offertorium, Post communionem, &c. materia grauis apparet, quam sine causa, vel subreptione non excusarem à mortali.

21 Quidam opinati sunt, totum Missæ Canonem, tamquam partem maximè principalem ita cadere sub obligatione peccati mortalis, vt vel minimam eius particulam aduertenter omittere, nempè nomen vnius Sancti, vel quid simile, sit mortale peccatum. Ita *Nuñus 3.part. quæst.83.artic.4.dub.2.* Verum etiam in Canone dari posse materiam leuem, sicut in alijs grauissimis Religionis præceptis, voto, iuramento, & similib., cum par sit omnium ratio. Docent *Suarez,& Fillius supr. Cardin. de Lugo numer. 104. Auers.§.Quartò ergo. Celestin.& Franciscus de Nigro,* quos sequitur *Diana part. 2 tractat.14.Resol.49. & par.5.tractat.5. Resolut.45. Petrus de Ledesma supra post quartam conclusionem*, qui subindè leuem reputant omissionem alicuius sancti, vel similis verbi, quantumuis voluntariam, & hoc reputo probabilius.

22 Fi-

22 Fateor tamen sufficere minorem partem Canonis ad inducẽdam culpam grauem, quam extra Canonem; quia planè res est magis grauis, vnde sine dubio mortale peccatum esset integram orationem aliquam Canonis omittere, scilicet *Communicantes*, vel *hanc igitur*, vel similem. Quin etiam *Auersa supra*, putat, esse mortale peccatum omittere periodum illam, quæ solet addi quibusdam prædictis orationibus. Hoc verò melius negant *Suarez*, *& Filliuc*. Quoniam illa periodus non pertinet ad vsitatam integritatem Missæ, siquidem sæpissimè non dicitur, & adhuc dicitur integra Missa. Consonat *Diana Resolut.* 45.

23 Nota primò, si quid omissum sit in Missa, quod pertineat ad substantiam sacrificij, repetendum id à celebrante, qui deinceps cœtera per ordinem prosequatur. Si verò non pertineat ad substantiam sacrificij, regulariter non est repetendum; nec commodè repeti poterit; nam ordine simul inuerso verba, vel actiones extra proprium locum non rectè cohærebunt. Ita *Suar. & Filliuc. sup. Sylucst. Missa 1. quæst. 3. Petr. de Ledesma supra. Marchantius de Sacram. tract. 4. cap. 5. quæst. 4. Diana part. 5. trac. 5. Resol. 45.*

24 Nota secundò debere Sacerdotem, sicut non omittere, sic nihil addere Missę. Nam *Pius Quintus in Bulla Missalis, & Tridentinum sessio. 22. ca. de seruand.* in Missa districtè præcipiunt, ne preces, vel ritus addantur, & ita seruandum esse, docent *Syluester, & Suar. supra. Filliuc. tract. 5. num. 156. Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. artic. 4. Nuñus 3. part. quæstio. 83. art. 4. dub. 2. ad quartum, Bonacin. disput. 4. quæstio. vltima punct. 10. num. 19. Henriquez lib. 9. cap. 30. numero 4. Hurtado de Missa disputat. 4. difficul. 2. Syluius 3. par. quæstio. 83. artic. 6. Diana par. 5. tractat. 5. Resol. 63. Auersa quæst. 11. sect. 12. §. Quare.* Qui conueniunt, sicut omissionem, sic additionem secundum materię grauitatem, aut leuitatem fore mortale, vel veniale peccatum. Quando additur *Gloria*, vel *Credo*, diximus *supra num.* 15. venialem esse culpam, quando additur aliqua oratio, veniale reputat *Auersa supr.* Si sacerdos nihil intendens addere sacrificio, solum, vt priuata persona, secretè priuatam aliquam deuotionem interponat, non peccare directè contra prædictum præceptum, censent *Henriqu. & Suar. & Filliuc.* Malè tamen faciet sacrum ministerium priuatis precibus interrumpendo.

CAP. IX. QVÆST. III.

Vtrum impotentia excuset ab obseruatione grauiorum etiam rituum?

25 Contingere potest, vt non adsit aqua, quæ misceatur cum vino, vel non adsit panis azymus, sed fermentatus, vel Sacerdos non possit hostiam eleuare, vel frangere, vel similia. Certè, si pręuideatur impotentia priusquam inchoetur Missa; potius erit omittenda, quam cum graui defectu dicenda; nisi necessitas celebrandi præponderet.

Nam actio, quæ non potest debitè perfici, potius est omittenda, quam exercenda, nisi cogat necessitas illius exercendæ. Prudenter itaque perpendi debet in præsenti grauitas occurrentis defectus, & necessitas celebrandi. Nam, si necessitas præponderet, & vitetur scandalum, poterit interdum Superior dispensare, vel raro vir doctus arbitrari. Videatur *Petrus de Ledesma tom. 1. Sum. tract. de Euch. c. 24. conclus.* 10.

26 Si tamen impotentia præuideatur post Missam inchoatam, regulariter erit seruanda regula *S. Thomæ 3. part. quæst. 83. artic. 6. ad 2.* vt, si cognoscitur post consecrationem, sacrificium perficiatur, ne propter accidentalem ritum maneat substantialiter imperfectum. Si verò cognoscatur ante consecrationem & cæremonia grauis sit, omittatur sacrificium: quia, cum nondum sit inchoatum, potius est omittendum, quam indebitè perficiendum: cauendum tamen

est

est scandalum, quãtum fieri possit. Quapropter hic etiam opus est arbitrio prudenti celebrantis, qui rectè perpendat; an melius sit relinquere Missam inchoatam ob euitandum illum defectum; an illam perficere, vel ob euitandum scandalum, vel ob aliam causam. Ita *Suarez tom.3.disp.*84.*&* 85.vtrobique *sect.*2.

27 Si vinum sit nonnihil acidum retinens adhuc essentiam vini; vel Hostia non sit integra, vel si quam maculam habeat, cum leuiores defectus sint, quãuis ante Missam inceptam praeuideantur, si non suppetat aliud vinum, vel Hostia, tolerari poterunt, nisi tanta sit deformitas, vt pariat scandalum, aut irreuerentiam.

Pariter, si tales defectus praeuideantur post factam primam oblationem, dissimulandi sunt, quamuis suppetat alia materia, nisi sequatur scandalum; ante oblationem verò mutari debet Hostia, vel vinum: Post consecrationem verò, quamuis immineat scandalum, aut irreuerentia, progrediendum erit ob sacrificij perfectionem; curandum tamen, vt defectus tegatur, & scandalum euitetur, quantum fieri possit. Ita *Suarez supra*, si non suppetat Hostia magna, sed formula parua. Quidam putant, non esse celebrandum: quoniam praeceptum est, vt Hostia rotunda sit, & debitae magnitudinis. Melius alij dicunt, celebrari posse secretò, cum non appareat praeceptum vetans, & videatur, gratius Deo fore, sic celebrare, quam nõ celebrare, quamuis sit dies profestus. At die festo, vt populus audiat sacrum, potest, & debet ita celebrari, praemissa monitione, si sit opus ad euitandum scandalum astantium, vel adhibita cautione, *cuius meminimus supra cap.*2.*num.*53. Sic censent *Marchantius in Candelab.tract.*4.*cap.*5. *quaestio.*3. *casu 6. Antonius de Quintana Dueñas in instructione ordinandorum part.*5. §.8.*nu.* 4. *Diana part.* 5. *tract.*13. *Resolut.*80. *& part.*6.*tractat.*7.*Resolut.*17. *Auersa q.*11. *sect.*12.§. *Rectè.*

28 Si post primam oblationem praeuideatur defectus azymi, vel aquae, quae vino misceatur, nec expectari possit, donec afferatur. *Suar.asserit*, omittendum esse sacrificium; nam illi defectus graues sunt. At *Filliuc.tract.*5.*num.*170. putat, tunc esse dissimulandos tales defectus; imò, si praeuideantur ante Missam inceptam, & suppleri nequeant, tolerari posse, dum scandalum non imminet, & ad est celebrandi necessitas. Ego reor, maximam futuram esse celebrandi necessitatem, vt celebrare liceat sine aqua, vel cum fermentato; qualis in praxi vix vmquam occurret.

CAP. IX. QVAEST. IV.

Vtrum liceat in Missa mutare ritus aliquos?

29 Communiter negant Doctores, *quia tam Bulla Pij V. quam Tridentin.sess.*22. *decreto de seruand.in Miss.* districtè prohibent quamlibet mutationem. Vnde colligunt *Coninck q.*83. *num.*266. *& Bonac.disp.*4. *quaest.vltima punct.*10.*num.*19. mortale peccatum esse quidquam in ritibus, vel in verbis Missae mutare, quamuis possit per inaduertentiam, (quae frequens est in hac materia) vel ex leuitate materiae reddi veniale. Quò pertinet declaratio Cardinalium asserentium peccare mortaliter Religiosos omittentes in Canone nomen Episcopi localis, & eius loco ponentes Praelatum Regularem; quoniam ad vnguem Missale seruandum est. Sic refertur *Manuel in Summ.tom.*4.*cap.*51.*num.*13. *Villalobos tom.*1.*tract.*8.*diffic.*31. *num.*3. *Diana part.*1. *tract.*14. *Resol.*40. Pariter peccaret mortaliter, qui notabili deformitate partes inuerteret Missae; nempè, si quis inciperet ab Euangelio, & postea diceret introitum, vel coniungeret Euãgelium Paschae cum Epistola defunctorum, vel similem faceret mutationem; quia verè grauis esset: leuis verò mutatio censeretur: Siquis ex Missis positis in communi Martyrum, relinquere illam, quae pro quodam Martyre designatur, & sumeret aliam, aut loco vnius Euangelij,

ſij, diceret aliud, aut ſimilia. Sic notat *Auerſa quæſtione* 11.*ſectio*. 12. §. *Nonò* rurſus.

30 Si quis omittat Miſſam diei, quando iuxta Rubricas Miſſalis dici poteſt Miſſa votiua; non peccat, vt ſupponunt Doctores, & indicat *Nuñus 3.par.quæſt.* 83.*art.4.dub.2.ad* 2. At non poſſe ſacerdotem alijs dieb. dicere, tamquam Miſſam votiuam, aliquam illarum, quæ ponuntur infeſtis mouibilibus, Paſſionis, Spiritus ſancti, Trinitatis, aut Corporis Chriſti; Nam ideò Miſſale ponit Miſſas votiuas horum feſtorum, quæ congruẽter dicantur alijs diebus per annum. Docent *Alcozer tract. Ceremon.Gloſſ.*4. *Gauant.tom.*1.*par.*4.*tit.*17.*n.*2.*Caſtaldus in praxi Cærem.lib.*2.*ſect.*6.*cap.*4. *num.*1. *Diana par.*3.*tract.*6.*Reſolut.*102. *Auerſa ſupra* §.*Item*. Vnde ſaltem eſſet veniale peccatum, dicere per annum Miſſam de Paſſione poſitam pro maiori Hebdomada, vel Miſſam Corporis Chriſti cum ſequentia, &c.

31 An verò dici poſſit per Annũ Miſſa Natiuitatis, vel Aſſumptionis, vel alterius feſti B. Virginis? Negat *Gauantus ſupr.num.*8. quia iam aſſignatæ ſunt pro diuerſis temporibus anni quinque Miſsę votiuæ B. Virginis. Igitur ſumatur ex iſtis, quæ tempore correſpondet. Alias etiam dedecet, vel dicere *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum*, *&c.* vel mutare *diem feſtum in commemorationem*. Nec priuatæ deuotionis cauſa violandæ ſunt Rubricæ. Nihilominus *Alcozer, Caſtaldus. Auerſa ſupr. Diana reſol.* 101.affirmant.dici poſſe, mutando verba *feſtiuitatis*, vel *diei feſti*, aut *in commemorationem*, aut *in memoriam*, & omittendo vocem hodie, ſicut fit in Miſſis Sanctorum, aut Angelorum, quoties extra proprios dies dicuntur votiuę, nimirum in Miſsa S. Agathæ, Angeli Cuſtodis, & alijs eiuſmodi. Ratio reddi poteſt. Nam Miſsæ votiuæ Beatiſſimę Virginis deſignantur etiam pro Sabbatis non impeditis. Vnde ſunt quoq; quaſi propriç talis temporis, & talis diei; cum autem præter hæc Sabbata celebret Eccleſia plura feſta Beatiſſimæ Virginis, conſequẽs fit, vt etiam talium feſtorum dici poſſint Miſsæ votiuæ, ſicut aliorum Sanctorum, quod praxis recepta confirmat.

32 Iam ſit dubium primum: An in feſtis duplicibus, vel ſimilibus diebus, in quibus non permittuntur Miſsæ votiuæ: dicere Miſsam aliam ſit peccatum? Prima ſententia docet eſse mortale peccatum, quia videtur notabilis mutatio, totam Miſsam illius diei propriam omittere, aliamque prorſus ab eo die alienã aſsumere. Sic *Angelus verbo Miſſa num.* 33. *& Bartholomæus ab Angelo Dialogo* 5.§.466. Secunda ſententia docet, non eſse mortale peccatum. Ita *Syluester*, *Medina*, *Sotus*, *& alij*, quos ſequitur *Henriquez lib.9.cap.*23. *num.*5. *Suar.diſput.*83.*ſect.*3.*Filliuc.tractat.*5.*num.*156. *Reginald.lib.*29. *num.*208. *Bonac.diſp.*4. *quæſt.vlt.punct.*7.§.3.*num.*2.*&* 3. *Diana par.*2.*tract.*14.*reſolut.*30.*cum alijs*. Probatur, quia ſicut liberum eſt Sacerdoti dicere Miſsam, vel non dicere tali die, ſic etiam liberum erit dicere Miſsam illius diei, vel aliam, quam maluerit: dum in illa ſeruetur ſuus ritus, & dicatur priuatim, & abſit ſcandalum.

33 Ego ſuppono primò. Miſsam ſolẽnem dicendam eſse iuxta præſcriptum ordinem Miſsalis, vt colligitur ex *cap. Quidam laicorum*, *& cap. Cum creatura de celebrat.Miſſarum*; *& fatentur relati Doctores*. Quoniam *Bulla Pij V.* praxiſque recepta ſtrictiùs obligant in Miſſis ſolemnibus, quam in priuatis. Quapropter Ego non excuſarem à mortali mutationem iſtam Miſsę ſolemnis, ſeu conuentualis pręſertim in feſtis ſolemnibus. Ita ſignificant *Suarez, & alij*. Suppono ſecundò, in Miſſis etiam priuatis, mutationem iſtam fore grauiter culpabilem, ſi ſequatur ſcandalũ, quod quidem regulariter ſequeretur: ſi Miſsa priuata publicè dicatur, ver.gr. ſi quis in die Paſchatis, vel ſimili diceret Miſsam Defunctorum, vel de Paſſione. Ita notat *Auerſa quæſt.*11.*ſect.*12.§.*Si quis autem.*

34 His ſuppoſitis dico, ſaltem eſse ve-

niale peccatum, sic mutare Missam; quia verè fit contra Rubricas Missalis, quas Pius Quintus strictè iubet, in virtute Sanctæ Obedientiæ seruari, tam in Missis priuatis, quam solemnibus. Sic *Auersa supra*. Significant satis *Henriqu.* dicens, esse turpe ac indecens. *Miranda tom. 1. quæst. 41. art. 21.* dicens, esse reprehensibile. *Villalobos tom. 1. tract. 8. diffic. 31. nu. 5.* dicens, in diebus solemnibus esse valdè dissonans, & certè quamuis in communibus festis, & Dominicis demus non esse mortale peccatum, quoniam in illis non apparet inuersio, vel peruersio notabilis iuxta sensum Doctorum secundę sententiæ; Verum in festis solemnibus, videlicet primæ Classis, valdè dissonat Missa defunctorum, vel alia votiua etiam priuata; quare per locum intrinsecum mihi videtur culpa mortalis, per locum extrinsecum authoritate negantium absolutè culpam grauem, reputari potest venialis, vt asseruit *Villalobos supra*.

35 Sit dubium secundum. An Sacerdos veniens ad locum, vbi Missa celebratur diuerso ritu, possit secundum illum celebrare? Suppono, cum inter diuersas Ecclesias, aut Prouincias, aut Ordines Regularium reperiantur diuersi ritus celebrandi Missam, debere quemlibet in loco proprio seruare suum ritum, & institutum: siquidem proprijs legibus tenetur. Sic diximus *supra lib. 4. ca. 2. num. 17.* & 18. tam Græcos, quam Latinos teneri sub graui præcepto celebrare singulos iuxta ritum Ecclesiæ suæ; quia sic pręcipitur *in Concilio Florentino*. Nunc addo *Pium Quintum constitutione sua 12. anno 1566. die 20. Augusti reuocasse licentias omnes concessas* tàm Grecis celebrandi more Latino, quàm Latinis celebrandi more Græco, iussisseque, singulos seruare suum ritum, quem equidem obseruant Græci Catholici etiam in regionibus Latinorum, vbi propriam habent Ecclesiam.

36 At quando peregrinantes Latini per loca Græcorum, & Græci per loca Latinorum, vbi non habent proprias Ecclesias, quem ritũ obseruare debeant, dissentiunt Authores. *Ledesma 1. 4. quæst. 15. artic. 4. dub. 2.* sensit, debere singulos seruare ritum loci, per quem transeunt, vt generaliter censent aliqui de peregrinis omnibus, & aduenis in materia de legibus. Alij volunt, in tali casu liberum esse cuilibet, vel vnum, vel alterum ritũ seruare. Quia potest retinere ritum Ecclesiæ suæ, cuius adhuc est membrum: potest etiam se conformare ritibus Regionis, in qua reperitur. Ita *Suarez tom. 3. disput. 44. sect. 3. Sylnius 3. part. quæstio. 74. art. 4. Coninch. ibi num. 117. Fagund. Pręcep. 3. lib. 2. cap. 2. num. 9. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 99. Filliuc. tract. 4. nu. 83.* Alij docent, tam Græcos, quàm Latinos peregrinantes debere semper, & vbique seruare ritum Ecclesię suę, non verò loci, per quem transeunt. Ego dixi *lib. 4. cap. 2. num. 18.* dispiciendum esse, quid in singulis locis consuetudo præscribat. Nunc addo hoc vltimum esse magis vsu receptum, imò vix oppositum ad praxim reduci posse. Cum vix possit Sacerdos alienos ritus ita diuersos in transitu discere, vel expeditè adhibere. Sic *Vazq. 3. par. disp. 174. cap. 3. Auersa de Eucharist. quæst. 2. sect. 4. fine.* Vnde fit à fortiori, nõ posse Sacerdotem Latinum in Ecclesia Græcorum, quę sit in oppido Latinorũ, consecrare fermentatum, & tali Sacramento communicare Latinos, quoniam vsurpat alienum ritum contra præceptum sibi positum. Ita *Suarez, Diana, Coninch, & alij supra.*

37 Inter Latinos quoque notabiliter differt ritus Ambrosianus à Romano. Religiones item nonnullæ ritus habent diuersos, & forsan Ecclesiæ particulares aliquæ. *Pater Ioannes Præpositus 3. part. quæst. 83. art. 4. dub. 5. numer. 190.* putat, posse Sacerdotem tàm Regularem, quã Secularem transeuntem per locum, vbi diuersus Missalis, & diuersus ritus habetur, conformare se ritui talis loci (relicto etiam Missali Romano,) quia potest se conformare ritibus, & moribus, & legibus locorum, quæ pertransiuit. Hoc verò non approbat *Diana part. 4. tractat. 4. Resol.*

resol.95. & refellit Auersa q.11. sect.12. Decimo tandem, quoniam est contra praxim receptam, & ritus proprius aliquarum Religionum est potius peculiariter concessus personis, quam locis, ita vt vnusquisque vtatur ritu sibi proprio, non alieno, nisi facultatem habeat specialem mutandi ritum in aliquibus circumstantijs.

CAP. IX. QVÆST. V.

Vtrum Missa quibusdam tantum concessa, dici possit ab alijs?

38 IN Missali, & Breuiario per *Vrbanum VIII.* reformatis inter alia decreta Congregationis rituum, hæc habentur. Sacra Rituum Congregatio prohibet Missas à se non approbatas, & signanter Missas. *B. Gregorij, Missas 15. Auxiliatorum.* Missas de Patre æterno, & quascumque non approbatas: exceptis tamen Missis Rosarij, & de Monte Carmelo, quæ sunt permissæ Regularibus quibusdam, & ijsdem dumtaxat; nec possunt ab alijs celebrari etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs. Item de S. Episcopis locorum, Martyrib. ciuib & alijs festis de quib. in Missali, vel Breuiario nihil habetur, vti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil authoritate propria constituatur.

39 Ideo *Gauantus in Rubric. Missalis to.1.p.4.tit.15.nu.11. & Diana p.2.tract. 14. Resolut.74.* notant, vbi Rosarij festum celebratur ex decreto Greg. XIII. quoniam ibi sit altare, vel capella Rosarij, non esse dicendam Missam, quæ nomine Rosarij circumfertur, Nam hæc concessa fuit Ordini Prædicatorum duntaxat, sed dicendam esse Missam, vt in festo S. Mariæ ad Niues, quod in æde Lauretana seruatur ex diœcesana Synodo anni 1626.

40 Adhuc sit dubium. 1. An quilibet Sacerdos possit celebrare Missam de S. Beatificato, cuius celebrarionem Pōtifex alicui Religioni, vel Prouinciæ cōcessit? Affirmat prima sententia, quam tenet. *Palaus to.1. tract.4. disp.1. punct.5. P. Lugo de Sacramentis, §5. Megal. in Prompt. Theol. ve b. Canoniz. nu.1.* docentes, posse quēcumq; (si nō Missā propriā) recitare Missā votiuā in honorem huius Sancti Beatificati, refertq; *Palaus* plures Salmāticēses Doct. qui subscripserunt huic sentētiæ. Probatur 1. Quia fauores sunt ampliandi, *cap. olim de verb. signif. leg. Benefic. de const. Princ. l. Cū quidā ff. de liber. & posth.* vbi gloss. plura congerit, *& Azor to.6. lib.9. tit.18. leg.10. nu.5.*

41 Probatur 2. quia, cum Missa quæuis in vno loco dicta paris æstimationis sit, ac plures Missæ pluribus in locis dictæ, quando Papa concedit, vt in honorem alicuius aliqua Missa dicatur, simul declarat, illū esse dignū, in cuius honorem omnes dici possint. Sed hac declaratione posita tollitur prohibitio iuris, qua cauetur, neminē esse venerādū sine Roman. Sedis auctoritate; siquidē iā hic interuenit Rom. Sed. auctoritas, quæ iudicauit illū Beatū tali veneratione dignū. Ergo possunt omnes Sacerdotes in eius honorē Missas saltē votiuas celebrare.

42 Secunda sententia communis omninò negat. *Ita Lud. de Torres 2.2.to.1. disp.17. dub.8. Molfes. in sum. to.1. tract. 11. c.6. n.51. Gauant. in Ench. verb. Missæ ritus n.1. & in Rubr. Missal. p.3. tit.10. nu.16. Castellin. de Canoniz. c.2. punct.1. §.6. n.6. Granad. 2.2. Controu.1. tract.7. disp.4 sect.2. Auers. q.11 sect.12. fi. Dian. p.2. tract.15. Resol.55. & p 3 in Addit.2. Resol.2. & p.4. Resol.231.* Probatur 1. *Nā Alex. III. in c.1. de Reliq. & vener. sanct.* prohibet, aliquē coli cultu publico sine facultate Sed. Apost. Sed talis facultas in nostro casu nō cōceditur omnib. Sacerdotib. siquidem expreßē restringitur ad vnā Religionē, vel Prouinciā; & inclusio vnius iuxta cōmune Doctor. proloquium est exclusio alterius, ex *l. Cum Prætor. ff. de iudic. & leg. Mart. Cod. de Procurat.* Ergo non omnes Sacerdotes possunt de tali Beato dicere Missam.

43 Probatur 2. Nā in bullis Pontificijs pro dicēda Missa Sanctor. qui solū beatificati sunt, assignantur personæ, locus, & dies. *Sed vt Cong. Rit. respondit, & Bellar-*

Bellarmin.teste Turriano sup. Missa talis Beati dici non potest extra diem assignatum: Ergo nec ab alijs personis præter ibi designatas. Probatur 3. Nam priuilegia censentur concessa solum ijs personis, quas exprimunt. Sed in nostro casu priuilegium exprimit Sacerdotes duntaxat talis Religionis, aut Prouinciæ. Nullus ergo præter illos potest de tali Beato Missam dicere. Minor constat ex Bullis. Maiorem probant, *Bonac. de legib. disp.1.q.3.punct.*7.§.2.& alij; quia priuilegia solum extenduntur ad eos, ad quos extenditur intentio concedentis. At hæc non censetur extendi, nisi ad expressos in priuilegio: Ergo solum extenditur priuilegium ad illos.

44 Dico 1. Quando Bulla Beatificationis exprimit, vt personæ designatæ tantum possint dicere Missam de tali Beato; nullus alius potest, ob fundamenta secundæ sententiæ, quam in praxi tenendam omninò iudico, præsertim post decreta Congregationis Rituum affixa Missali, nec contrariam fore permittendam. Ita censent *Gauantus, & Diana supr. Barbos.de offic. Parochi c.*11. *nu.*34.*& alij*. Si tamen in Bulla non ponatur particula *tantum*, vel alia similis, *Granado sup.nu.*16. valdè probabile reputat, posse Sacerdotes alios dicere Missam talis Beati petentibus equidem illis, quibus talis facultas concessa fuit. Nam ex *regul.*27. *de Regul. Iur. in 6.* qui facit per alium, est perindè ac si faceret per se ipsum. Melius tamen id negant. *Turrianus, & Diana supra cum alijs*. Nam illa regula tenet in obligationibus implendis, non in vsu priuilegiorum, quæ personalia sunt, & per designationem vnius satis excludunt cæteros, vt diximus, *nu.*42.

45 Dico secundò, quoties Bulla Beatificationis limitat tempus, quod designat faciendo sacro de tali beato (vt ferè semper designare solet, ac limitare) non potest dici Missa talis Beati, nisi tali die, vel tempore, ita vt, si concedatur dies obitus, non possit dici per octauam; si verò concedatur octaua, non possit dici Missa votiua per annum etiam à designatis in Bulla. Nam hic conceditur illa facultas pro tali tempore, non vltra iuxta concedentis intentionem per verba Bullæ significatam. *Ita Granad. & Dian. supr.* qui colligunt, inde, nec commemorationem talis beati fieri posse, vel in Missa, vel in officio per annum, nec officium etiam ex deuotione, nisi die concessa, & à personis designatis. Quia tam Missa, quam officium diuinum cum commemorationib. adiunctis, dum ordinatur per Ecclesiam, vt in honorem alicuius Sancti recitetur, est verè publicus ipsius cultus, quamuis priuatim dicatur. Non licet autem Sancto beatificato deferre cultum publicum, nisi quando, & per quos Papa concedit.

46 Addit *Granado*, quandò primò Sanctus beatificatur pro prima celebratione festiuitatis posse dici Missam illius ante diem designatam, si longè differ, & praxim ita declarasse mentem Pontificis. *Diana* dicit in *Sicilia* non esse talem praxim, sed pro prima festiuitate Beatificationis solere pulsari Campanas, & cantari solemniter hymnum. *Te Deum Laudamus*. Casus est rarus, & in quolibet loco seruari poterit praxis recepta. Pariter, quando Bulla limitat locum verb. grat. vt Regulares talis Ordinis possint in suis Ecclesijs de tali Beato dicere Missam, non poterunt in alienis Ecclesijs id facere propter rationes adductas; quæ pariter limitant in omni limitatione, quò ad personas, tempus, & locum, & ita seruat praxis timoratorum, qui, quoties volunt aliquam extensionem huiusmodi concessionis, illam petunt ab Apostolica Sede. Sic testantur Authores secundæ sententiæ. Videtur autem, esse peccatum ex genere suo mortale, si quis excedat tenorem concessionis, quod expresŝit Granado, quò ad tempus, nisi vel ignorantia, vel bona fides excuset, quò ad locum verò putat, veniale fore peccatum, si quis semel, aut iterum

in

in alieno templo diceret Missam, quam in suo dicere posset, quia videtur materia leuis. Sed in his materijs monet *Diana*, cautè procedendum esse.

47 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, fauores, & priuilegia tunc amplianda fore, quando recta ratio dictat, id rationabiliter fieri posse seruata verborum proprietate, quod in nostro casu fieri non posse, patet ex rationibus superius adductis. Videatur *Decius in capit. sanè de priuileg. num.* 10.

Ad secundum respondetur, quamuis Papa concedens dici Missam in honorem Beati, declaret illum dignum tali cultu, non tamen concedere talem illius cultum, nisi limitatum quoad tempus, vel locum, vel personas, vel quoad hæc omnia. Quare, qui limitem excedit, iam colit illum Beatum sine Romanæ Sedis authoritate. Nec verba priuilegij, vel rescripti, quando clara sunt, & certam habent significationem, admittunt illam interpretationem, aut extensionem de persona ad personam, de tempore ad tempus, vel de loco ad locum, quamuis adsit similis ratio; quia vis priuilegii, seu rescripti gratiosi non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis, quæ non extenditur, nisi ad personas expressas, ad tempus, & locum designatum; cum voluntas inter homines non operetur, nisi prout significata. Sic docent cum communi sententia *Salas de legibus disput.* 14. *sect.* 9. *num.* 48. & 53. *Suarez de legibus libro* 8. *cap.* 26. *num.* 11.

48 Sit secundum dubium; An de Sanctis Canonizatis, qui non habentur in Kalendario Breuiarii, vel Missalis, possit officium diuinum, vel Missa celebrari? Plures affirmauerunt in Hispania, & plures Ecclesiæ decreuerunt ex sua deuotione celebrare solemniter festa Sanctorum, quæ nondum erant instituta generaliter, nec ad libitum concessa. Fundamentum ipsorum erat. Quoniam in Bulla Canonizationis cuiuslibet Sancti statuitur, vt in die obitus ipsius festum ipsius, & officium solemniter celebrare possint.

Nihilominus vera sententia communi praxi tam Romæ, quàm Italiæ totius comprobata docet, de talibus Sanctis posse quidem dici Missas votiuas per annum, sicut de cœteris, & in die obitus ipsorum posse dici Missam, & officium ex deuotione, nam hoc concedunt Bullæ Canonizationum, non tamen satisfacere per hæc obligationi recitandi officium illius diei, Missamque solemnem iuxta Rubricas Missalis, & Breuiarij. Nam hoc prohibent decreta Congregationis Rituum; & ideo quidam Sancti ponuntur in Breuiario, de quibus recitari possit officium, & dici Missa solemnis in die obitus ad libitum, itaut satisfiat obligationi eiusdem diei, cui non posset ita satisfieri, nisi fuisset concessa talis facultas ad libitum.

49 Itaque de Sanctis Beatificatis non possunt dici Missæ votiuæ per annum, nec in ipsorum diebus Missa dici potest, vel officium, nisi per personas expressas in Bulla Beatificationis de Sanctis Canonizatis non positis in Missali, vel Breuiario, nec ex obligatione, nec ad libitum possunt dici Missæ votiuæ per annum, & in ipsorum diebus, sicut, & ipsorum officium, non tamen satisfieri potest per hæc obligationi recitandi preces Canonicas publicè, vel priuatim, vel celebrandi Missam solemnem in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, & sic intelligit praxis communis sensum decretorum Congregationis, & Bullarum Canonizationum.

CAP. IX. QVÆST. VI.

Vtrum teneatur Sacerdos præmittere diuinum officium ante Missam?

50 PRima sententia docet, teneri Sacerdotem sub mortali saltem matutinum officium ante celebrationem recitasse. Sic asserunt *S. Antoninus,*

nus, Hostiens. Gabr. Paludan. Nauarrus, Angel. Armill. Tabienna, Martinus de Ledesma, Maiolus, & alij, quos sequitur Henriq. libr. 9. capit. 24. num. 7. Azor cum alijs to. 1. lib. 10. cap. 28. q. 17. Cenedus in quaestionibus canonicis qu. 3. num. 7. citans ferè triginta Doctores. Pitigianus in 4. distinction. 13. quaest. 2. artic. 10. Zanardus in direct. part. 1. de Eucharist. capit. 9. quaest. 7. Francolinus de tempor. Horar. capit. 42. Grassis libr. 2. decis. 40. numer. 6. Bira part. 1. casu 54. Zechius de Sacrament. cap. 16. Barth. ab Angelo dialogo quinto, §. 240. Fauet Toletus libr. secundo cap. 1. quatenus inquit, hanc sententiam esse communem, & oppositam non esse tutam omninò.

51 Probatur primò. Nam in Ecclesia viget consuetudo non dicendi Missam, nisi saltem post Matutinum officium persolutum. Consuetudo verò vim legis habet, *capit. in his rebus distinction. 11.* Cumque materiae grauitas prudentum iudicio decernenda sit, & plures Doctores censeant hanc esse materiam grauem, & sufficientem ad mortale, talis equidem censeri debet. Probatur secundò, nam ex Ecclesiae institutione Matutinum officium est nocturnum, Missa vero diurnum. Ergo talis ordinis inuersio culpabilis est, & adiuncta consuetudine, totque virorum prudentum iudicio, reputari debet mortalis. Probatur tertiò. Nam Missale praescribit, vt Missa dicatur recitato saltem prius officio matutino, & postea inter Missae defectus hunc enumerat. Si celebrans non dixit Matutinum cum laudibus. Non videntur autem ibi numerari nisi graues defectus, & qui culpam mortalem inducant.

52 Quidam horum Doctorum sub Matutino laudes etiam comprehendunt. Sic loquitur Missale. *Sic Henriquez, & Azor supra quaestion. 19.* qui quidem loquuntur consequenter ad opinionem asserentium, Horas canonicas esse septem, & laudes, quia sub vna oratione cum Matutino terminantur, vnicam Horam cum illo constituere. Qui tamen octo numerant Horas Canonicas, consequenter asserunt, etiam in hac sententia sufficere, Matutinum sine laudibus ante Missam recitasse. Sic opinantur. *Sanctus Antoninus, Nauarrus, & alij, quos refert Fagundez Pracept. primo libro 3. cap. 17. nu. 31.*

53 Citantur *Angelus verbo Missa numer. 42. Maiolus de irregularitat. libr. 3. capit. 34. numer. primo*, quasi velint Primam etiam necessariò fore praemittendam Missae, sed planè loquuntur de Missa solemni dicenda de more post Primam in choro decantatam. *Nauarrus de oratione Notabili 3. 21. & 30.* dixit, veniale peccatum esse celebrare, nisi post Matutinum, & laudes, & primam recitatam. At sine fundamento, quapropter id retractat *in Manuali capit. 25. numer. 83.* & omnes ferè Doctores fatentur, nullum esse peccatum, dicere Missam priuatam ante recitatam primam. Quia nullum extat praeceptum, nulla recepta consuetudo cogens ad praemittendam primam celebrationi priuatae. *Sic tradit Toletus supra Sanchez cum multis in consil. libro 7. capit. secundo dubitat. 40.* Quin etiam celebrans Missam solemnem, quamuis ipse primam non dixerit, si iam in choro decantata fuit, non peccat etiam venialiter. Nam illa priuata recitatio celebrantis non pertinet ad commune bonum, & regimen Ecclesiae, quod ex cantu precum in choro temporibus statutis resultat. Quare sicubi consuetudo, vel statutum praescribat, ne celebretur ante primam, intelligendum est quò ad primam, quae dicitur in choro, non quò ad priuatim recitantes. *Ita Toler. & Sanch. supra cum alijs.* Quò ad Matutinum.

54 Secunda sententia docet, non esse mortale peccatum etiam sine causa celebrare nondum recitato Matutino. Sic censent, *Sotus, Ara-*

Arrag. Nuñus, Rafael de la Torre, Carbo. Barb. Ioan. de la Cruz, Conrad. Man. Petr. de Ledesma, Nald. Villal. Chamer. Bonac. Less. & alij, quos refert, & sequitur Auer. qu. 11. sect. 12. §. Sed absolute, & §. Nihilominus. Val. tom. 3. disp. 6. q. 2. punc. 10. §. 5. Sà verb. Missa nu. 22. Suar. 3. part. tom. 3. disp. 82. sect. 1. Vazq. in Opusc. trac. de benefic. c. 4. n. 65. Coninch. 3. part. quæst. 83. num. 220. Sanchez supra dub. 38. Filliuc. tractat. 5. num. 141. Diana par. 2. tractat. 14. Resolut. 36. Fagundez supra num. 23. & 24. Layman lib. 5. tract. 5. c. 4. n. 5. Scortia de Miss. lib. 2. ca. 6. qui referunt alios.

55 Probatur primò, quia nullum datur ius obligans sub mortali ad præmittendum Matutinum celebrationi, vt constat ex toto corpore iuris. Rubrica Missalis simul præscribit, vt Sacerdotes ante Missam aliquantulum orent, quod nemo censet obligare sub mortali.

Quare, dum Bulla Missalis præcipit in virtute Sanctæ Obedientiæ, Missam iuxta ritum Missalis dici, grauiter obligat ad generaliter amplectendum illum ritum, & ad non inducendum alium diuersum, non tamen ad singulas regulas in particulari sub graui culpa, sed iuxta subiectam materiam. Ita notant *Suarez de Religion. tom. 2. tractat. 4. lib. 4. cap. 24. num. 7. & 8. & Fagundez supra.* Confirmatur, quia Missa non habet maiorem ordinem ad Horas Canonicas, quā ipsæmet habeant inter se; Sed Horarum ordinem inuertere, non censetur mortale peccatum; Ergo nec dicere Missam ante Matutinum.

56 Probatur secundò; quia nec datur consuetudo grauiter obligans, & quidem in primis dari generalem consuetudinem recitandi Matutinum ante missam, negant cum Doctissimis viris. *Syluester Missa 1. nu. 6. Suar. 3. par. tom. 3. disput. 82. sect. 1. Fagund. supr.* Multi quippè sine scrupulo celebrant ante matutinum recitatum. Deindè non omnis consuetudo vim habet obligandi sub mortali, nec vim legis: requiritur enim, vt sub intentione talis obligationis inducatur à subditis, & approbetur à Principe. Hæc autem consuetudo nō sic videtur introducta, vel approbata, sed potius ex decenti rerum exigentia, vt singulæ suo tēpore fiāt, vnde regulariter resultet, prius resultari Matutinum, quam Missa celebretur; Quin intendant Sacerdotes, aut legislatores, statuere connexionem aliquam, aut prioritatem necessariam inter Matutinum, & Missam, sed opportunitatem quandam congruentiæ.

P. Lugo de Sacramentis.

57 Dico 1. Missam solemnē, seu maiorem, (vt dicitur) decantari non posse regulariter ante decātatum in choro Matutinum, imò etiam Primam sine graui culpa. Nam in hoc officio publico valdè necessarium est, vt horæ Canonicæ dicātur suis definitis temporibus, & bonum Ecclesiæ regimen postulat, vt hic publicus Dei cultus ordine debito præstetur, quem sine causa legitima notabiliter inuertere contra receptum Ecclesię morē, erit subindè graue peccatū sed notabiliter inuertitur talis ordo, si Missa solēnis cantetur ante decantatum Matutinum, vel Primam, & communiter generabit scandalum. Ergo graue peccatum erit. In hoc conueniunt, nō solum DD. primæ sententię (cui quoad hanc partem assentior) sed etiam secūdæ. Videantur *Henriq. Sotus, & Suar. qui citant alios.*

58 Hoc tamē intelligitur de illis Ecclesijs, in quib. est obligatio canendi diuinū officium in Choro. Nam, vbi non datur talis obligatio, dici potest Missa solēnis, sine præuia decantatione Horarum in choro: Cum nec officium in choro decātatum, & Missa solēnis habeant inter se necessariam connexionem. Intelligitur etiā, nisi subsit grauis causa, qua posita, & scandalo cessāte, poterit interdum in Ecclesijs etiam obligatis ad canendas Horas in choro, dici Missa solemnis sine præuio cantu Matutini, vel Primæ. Videatur *Suar. supr. Fagund. num. 21. & 30.*

59 Dico 2. si subsit rationabilis causa, sine culpa etiam veniali dici potest Missa priuata nondum recitato Matutino. Sic sentiunt vtriusque partis Doctores, quamuis Authores primæ sentētiæ grauiorem causam consequēter requirant.

Authores secundæ sententiæ leuiorem. *Toletus* postulat causam rationabilem, etsi non nimis notabilem. *Filliuc.* mediocrem, eam videlicet, quæ sufficeret ad differendam Matutini recitationem toto illo tempore vel similem in particulari. *Sotus, Suar. Azor. Sanch. Fagund. Laym.* has causas assignant, si tempus instet, vel occasio celebrandi, vel opportunitas elabatur, si populus expectet, vel aliqua persona grauis. Si superior præcipiat, vel aliqui stipendium offerat, vt illico fiat sacrum, si funus deferatur, nec adsit Sacerdos, qui Matutinum recitauerit, & similes. Ratio redditur, quia sicut Horarum inuersio, quando causa rationabilis subest, excusatur etiam à veniali, sic etiam excusabitur celebratio ante recitationem Matutini. Nec ferè datur præceptum humanum, quod non admittat legitimas excusationes.

60 Sic fatentur Doctores etiam primæ sententiæ, Sacerdotem deobligatum ab officio diuino propter infirmitatem posse nihilominus celebrare, quamuis nec dixerit, nec dicturus sit Matutinum. Quippè cōtingere potest, vt infirmitas det iustam causam omittendi diuinum officium, & nihil obstet celebrationi; plus enim interdum infirmis nocet recitatio precum, quam celebratio Missæ, vt notant. *Suar. Tolet. Sanch. & alij.*

61 Dico tertiò, celebrare Missam priuatam ante recitatum Matutinum sine causa non est mortale peccatum. Hoc mihi persuadent fundamenta secundæ sententiæ, quæ pariter probant, etiam cantantem Missam solemnem, antequam ipse dixerit Matutinum, dum iam sit in choro cantatum, non peccare mortaliter, vt in simili diximus, *supr. nu.* 53. *& expressit Sanch. eo lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 39. *nu.* 2. & alij videntur innuere. An autem sit veniale peccatum celebrare Missam, vel priuatam, vel solemnem ante recitatum Matutinum. *Per se loquendo negat Suar. to.* 3. *disp.* 82. *sect.* 1. *Fauet Bonac. disp.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *n.* 8. *Vazq. & alij dicentes*, aliundè fore veniale peccatum, tandiu sine causa differre recitationem Matutini contra præceptū recitādi preces canonicas statutis temporibus. At hoc peccatum idem erit, siue celebretur ante persolutum Matutinum, siue non celebretur.

62 Probatur, non esse veniale per se loquendo, quia non est præceptum obligans ad præmittendum Matutinum Missæ, non enim obligamur ratione connexionis, cum nulla sit inter Horas, & Missam; non ratione consuetudinis, quæ non videtur in præsenti sufficiens ad vllam obligationem inducendam; non denique ratione Rubricæ: nam hæc, vel loquitur de officio publico, & Missa solemni, vel solum indicat, quod fieri deceat, vt inquit. *Coninch. q.* 83. *num.* 220. vel recepta nō est cum rigore præcepti.

63 Nihilominus plures Doctores secundæ sententiæ dicunt, esse veniale peccatum per se loquendo. *Sic Valent. Fagund. & Auers. supr. Sanch. dub.* 38. *n.* 6. *Sotus, & Aragon.* aiunt, forsan esse venialem culpam, *Filliuc.* asserit, ad summum esse peccatum veniale. *Sà vero Tolet. Diana Laym. Lessius, & alij*, solum negant, esse mortale, quasi vel supponant saltem esse veniale, vel velint abstinere ab hac quæstione. Ego quidem fateor, nullum esse præceptum naturale, vel diuinum, vel humanum in corpore iuris obligans in hac materia sub peccato mortali, vel veniali; consuetudinem item non induxisse talem obligationem. At rubricas Missalis ostendimus, *q.* 1. obligare per se iuxta materiæ capacitatem. Quapropter in præsenti non indicant solam decentiam, nec planè loquuntur de sola Missa solemni, vel officio publico, vt ipse contextus satis prodit. Ideo *Suar. ipse de Relig. tom.* 2. *tract.* 4. *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 8. perpendens rubricam, quæ numerat inter defectus, quod celebrans non dixerit Matutinum cum laudibus, fatetur ibi culpam esse venialē, & irreuerentiā aliquā.

64 Quod autem indicant Aduersarij nonnulli, defectum esse culpabilem, vt asserit rubrica, celebrare nondum


reci-

recitato Matutino, non verò directè ratione celebrationis, sed quia debita recitatio Matutini suo tempore differtur sine causa, quando nulla subest tunc praeponendo celebrationem indebitam recitationi debitae, videtur rarissimè contingere posse. Cum enim iuxta praesentem Ecclesiae praxim Matutinum, & omnes Horae minores dici possint sine peccato veniali priuatim ante meridiem quauis hora, vesperae, ac Completorium ante mediam noctem, rarissimè propter Missam differetur Matutinum vltra tempus debitum, nisi redigamus Sacerdotem ad eas temporis angustias, vt non possit dicere Missam, & Matutinum simul ante meridiem; tunc verò, si Missam indebitam omittat, & recitet Horas debitas, non video, cur peccet venialiter, imò si processit bona fide volens recitare tempore debito, posteaque videat, id fieri non posse, nisi Missam omittat, forsan erit sufficiens causa differendi Matutinum in tempus pomeridianum ingens Missae fructus alioquin amittendus?

65 Itaque censeo, celebrare Missam ante recitatum Matutinum sine vlla causa peccatum esse veniale per se contra rubricae praeceptum, quod tamen ex qualibet causa rationabili facilè possit excusari. Quamuis enim videatur hoc praeceptum olim vsurpatum fuisse cum maiori rigore, vt communis antiquorum sensus ostendit, iam successu temporis, & Doctorum consensu iuniorum minor est redditus, & non excedens per se se leuem obligationem. Vnde facilè soluuntur fundamenta primae sententiae. Nam indicio veterum praeponderat nunc arbitrium recentiorum, quod potuit & praecepti rigorem, & consuetudinem, & rubricam quoad priuatam recitationem mitigare. *Sic Sanch. Fagundez, Auers. cum alijs?*

CAPVT X.

De Defectibus Missae.

1 D praecauendos defectus, qui possunt in Missa cotingere prius, quam sacrificium inchoetur, deseruiunt omnia, quae hucusque diximus. Nunc igitur agendum erit de cauendis his defectibus post inceptam Missam, vel de supplendis eisdem postquam commissi sunt. Et quidem defectus alij vocantur substantiales, quia contingunt in rebus vel essentialibus sacrificio, vel ita proximis essentiae, vt saltem pertineant ad sacrificij perfectionem, & consumationem, & hi, vel contingunt ante consecrationem, vel post illam, alij vocantur accidentales, quia contingunt in rebus accidentalibus omninò; singulos prosequemur.

2 Regula generalis esse potest, si defectus essentialis in materia, vel forma commissus sit, illum omninò supplendum esse, ne sacrificium maneat imperfectum, quod est intrinsecè malum contra diuinum praeceptum perficiendi Sacrificium istud, sicut Christus illud perfici iussit. *Ita Sanct. Thomas 3. part. quaest. 83. artic. 6. Sanct. Antoninus, Angelus, Tabienna, Syluester, quos sequitur Bonacin. disputat. 4. quaest. vltima punct. 10. numer. 2. Henriq. cum alijs libr. 9. cap. 36. & 37. Suar. tomo 3. disputat. 85. sect. 1. Auersa de Eucharist. quaest. 11 sect. 16. §. Primo si.* Quod intelligitur, etiam si defectus fuisset voluntarius, & ex malitia Sacerdotis, qui post illum commissum recipiscat.

3 Vnde fit, si Sacerdos aduertat, hostiam non esse triticeam, aut in calice contineri loco vini, vel aquam, vel acetum, vel similem liquorem, aut

materiam appositam non esse certam, debere materiam aliam certam apponere, factaque oblatione consecrare, vt Missale præscribit. Similiter, si forma non fuit integrè prolata, etiam quò ad illa verba, de quibus dubitant Doctores, an pertineant ad essentiam formæ, vel si defuit intentio debita, vel in vtraque specie, vel in altera, tunc iteranda est consecratio, facta prius oblatione saltem interius, vt Missale docet, quando defectus aduertitur ante sumptionem, si tamen aduertatur post illam, & vnica solum species consecranda sit, omninò consecrari debet, ne sacrificium mutiletur; si tamen vtraque fuit inualida, nihil denuò consecrandum est, quia sacrificium fuit nullum, subindeque perfici non potest, &, cum Sacerdos iam non sit ieiunus, consecrare nequit, vt sumat. *Ita Sanctus Thomas Suarez, Henriquez supra Bonacina nu. 6.12.& 13. Reginald. libr.29. num.213.*

4 In vtroque casu repetenda sunt in rigore verba solum essentialia, ita vt, seclusa rubrica, possint omitti cætera. Missale verò præcipit, vt Sacerdos iterum faciat oblationem, saltem mente conceptam, eius speciei, cuius defectum deprehendit, & consequenter consecrationem partis quidem incipiat ab illis verbis. *Qui pridie*. Calicis autem ab illis, *Simili modo*, ac deinceps prosequatur ab eo loco, vbi desiit, non repetens inter media. Si verò defecit in prolatione cuiuspiam verbi substantialis formæ, non sufficit illud solum repetere, cum hoc non reddat integrum sensum formæ, sed debet repetere totam formam. Totum hoc præstet Sacerdos occultè, cautè, decenter, quantum possit ad euitandum scandalum, aut admirationem astantium. Quare, si dum liquorem haustum è Calice tenet in ore, deprehendit, non esse vinum, non debet eijcere, nam id indecens esset, sed traijcere, ac continenter consecrare verum vinum, & sumere. Sic notat cum alijs. *Auersa de Eucharist. quæstion 8. section. 9 §. Primo quidem, Henriquez, & Suarez supra.*

5 Quod si Sacerdos non certò cognoscat, sed solum dubitet de defectu aliquo substantiali circa materiam, vel prolationem formæ, vel intentionem, debet iterum consecrare, sed sub conditione, si prius non consecrarit. Ne tamen admittat facilè tale dubium, sed re prudenter satis, & attentè perpensa, præsertim circa prolationem, aut intentionem. Quia regulariter debebit existimare, se rectè protulisse verba, & intentionem saltem virtualem habuisse, quamuis postea non satis recordetur, aut discernat, vt monet, *Auersa, quæst. 11. sect. 16. paragraph. Secundo si?*

6 Si post oblatam hostiam deferatur ad Sacerdotem particula pro communicando Laico, posse Sacerdotem illam offerre mentaliter, & consecrare, docent. *Gauantus in Rubric. Missal. tomo 1. part. 3. titul. 10. num. 19. Auersa supra section. 12. §. Quinto aliqui. Diana part. 2. tractat. 14. Resolution. 71.* dum id fiat ante dictam præfationem. Ratio potest esse, quia cum talis oblatio non sit essentialis sacrificio non magni videtur referre, quod paulò post oblationem hostiæ principalis addatur alia particula, cuius oblatio sola mente concipiatur. Addit ipse. *Diana part. 6. tractat. 6. resolut. 7. cum Marchino, & Megalio,* quamuis offerantur particulæ post dictam præfationem, sed ante consecrationem, posse quoque offerri mentaliter, & consecrari simul cum hostia principali. Quippè, cum sufficiat oblatio mentalis illarum post oblationem verbalem hostiæ principalis, nec vlla lex præscribat, oblationem istam mentalem esse faciẽdam ante præfationem, non apparet, cur non possint etiam post præfationem offerri. Quod mihi videtur probabile.

CA-

CAP. X. QVÆST. I.

Si calix fuerit sine vino consecratus, an debeat noua simul hostia consecrari?

7 PRima sententia docet, si post consumptam hostiam deprehendatur vini defectus, non solum reponendum esse vinum, & consecrandum, sed etiam aliam hostiam denuò consecrandam esse. Probatur, nam in *Concil. Toletano* 7. *cap.* 1. dicitur, non esse perfecta sacrificia, nisi ordine perfecto compleantur. At, si solus sanguis postea consecraretur, non seruaretur debitus ordo, quia non possent conuenienter repeti quęcunque dicuntur in Missa post consecrationem Calicis, cum multa fiant, & dicantur, non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Ergo debet vtraque species iterum consecrari. Confirmatur, quia, si iam corpus Christi sumptum fuit in hostia, quò ad illud, iam omninò transacta fuit actio sacrificandi. Ergo, vt possit postea sanguis consecrari, debet iterum consecrari simul corpus, ne videatur vna species sine alia confici, vel offerri. Sic censent. *Sanct. Thom. 3. part. quæst. 83. artic. 6. ad 4. Syluester Eucharist. 2. quæst. 10. nu. 14. Paludan. in 4. distinct. 11. quæst. 1. art. 2. Petrus de Ledesma tomo 1. summ. tractat. de Eucharist. capit. 25. & Pius V. in suo Missali iussit, ita seruari.*

8 Secunda sententia communior docet, solum sanguinem esse consecrandum, & illico sumendum sine repetitione cæterorum, quæ non pertinent ad substantiam sacrificij. Sic tenent, *Scotus, Nauarrus, Angelus, Manuel, Reginaldus, Vazquez, Bonacina, quos sequitur Auersa quæst. 11. sectione. 16. §. Attamen Suarez, tomo 3. disputat. 85. section. 1. Fillilucius tractat. 5. num. 161. Coninch. quæst. 83. num. 277. Villalobos in summ. part. 1. tractat. 8. difficult. 32. nu. 5. Toletus lib 2. cap. 9. Moure part. 3. cap. 5. §. 15. Fagundez Præcept. 1. lib. 3. capit. 19. numer. 11. Layman libr. 5. tractat. 5. capit. 7.* circa finem, & communiter recentiores. Probatur primo. Nam hic modus est aptior ad euitandum scandalum, vt de se patet, & est sufficiens ad supplendum talem defectum, quia sufficit ad integritatem, & perfectionem sacrificij, supplere partem illam, in qua defectus accidit, sine repetitione partis alterius, quæ ritè peracta fuerat, sicut in Sacramentis esse faciendum, præscripsit. *Innocent. III. cap. 1. de Sacram. non iteran.* dicens, nihil iterandum esse, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Cur enim non sufficiat in Sacrificio, quod est sufficiens in Sacramentis? Probatur secundò, nam consecrare denuò corpus, & sanguinem sub vtraque specie, non tam esset sacrificium inceptum perficere, quam nouum, & integrum facere, priori relicto imperfecto. Verum per consecrationem, & sumptionem alterius speciei, quæ sola deerat, perfectè completur, & integratur sacrificium, quod inchoatum, & dimidiatum erat per consecrationem, & sumptionem vnius speciei.

9 Suppono primò pro decisione, quod, si Sacerdos ante consecrationem vtriusque speciei nouerit deesse vinum, aut panem, nec facilè reperiendum, desistat à sacrificio, quod sine debita materia non debet substantialiter inchoari. Sic *Henriquez, libr. 9. capit. 37. numer. 1. & Rubrica Missalis: sumitur ex cap. comperimus de consecration. distinction. 2.* vbi dicitur, aut integra Sacramenta conficienda esse, aut à confectione desistendum; si post consecrationem corporis aduertat, vinum in Calice non esse, sed alium liquorem, aut nihil, debet statim apponere vinum, vt notant S. Thom. & Rubrica. Si mox vinum non inueniatur, spectandum erit aliquandiù (dicit Rubrica) ne sacrificium imperfectum remaneat, explicat *Henriquez,* per duas horas. Etenim, si nimis expectare-

ctaretur, iam non esset vna moraliter actio sacrificandi. Quare, si vel omninò non inueniatur, vel non opportunè, perficiat Missam sacerdos sub vnica specie, cœterum omittat tam signa, quàm verba, quæ pertinent ad speciem deficientem. Ita *Rubrica Fagundez supra ca.*20. *num.9. Auersa* §. *Quinto si.*

10 Addunt *Adrianus in 4. qu.6. de Euchar.* §. *Pro responsione. Azor tom.1. libro* 10. *cap.33. qu.6. Bonac. cum alijs disput.4. qu. vltima punct.*10. *num.3.* Si post consecrationem Hostiæ vinum afferri nequeat sine circumstantium offensione, vel scandalo, perficiendum esse sacrificium in vnica specie. Nam præceptum affirmatiuum consecrandi sub vtraque specie non obligat in tali casu, cum arctioris vinculi sit præceptum naturale, quam diuinum positiuum. Melius tamē *Vazqu.3. par. disp.*233. *num.*19. *& Auersa supra* §. *Sexto*, dicunt, non esse violandum præceptum ob vitandum scandalum passiuum, nec oriri posse verum scandalum, nec iustam offensionem ex eo, quod Sacerdos requirat vinum ad rectè perficiendum sacrificium.

11 Suppono secundò, si per inaduertentiam, ignorantiam, aut perturbationem Sacerdos omiserit supplere defectum, donec sacrum sit absolutum, non debere consecrare tunc, vt illum suppleat, quia iam non esset eadem actio continua, sed alia prorsus diuersa. Sic docet *Conink quæst.*83. *num.*280. Addit *Auersa, idem esse*, si Sacerdos non aduertat defectum, nisi post notabile spatium, quod intra Missam assignari potest post inceptas vltimas orationes, vel forsan post sumptam vtramque ablutionem, aut etiam dictam post communionem; hæc enim Missæ continuatio cum supplemento moraliter, & prudenter dijudicanda est.

12 Suppono tertiò, si post consecrationem vtriusq; speciei, sed ante sumptionem etiam corporis, aduertat Sacerdos non esse vinum in Calice, *Paludanum supra dixisse, nouam Hostiam esse cum vino consecrandam*; nam ipse putat, in his euentibus semper esse necessarium totum Canonem iterare: tamen sine fundamento loquitur, & ab omnibus communiter refellitur. Melius *S. Thom. docuit*, debere Sacerdotem deposita tunc aqua, si fuerit in Calice, vinum apponere cum aqua, & reperere Missam ab illis verbis *Simili modo*. Si verò defectum vini nouerit Sacerdos post sumptionem corporis, qui est casus nostræ quæstionis.

13 Dico primò, quando Sacrum fit publicè, Sacerdos iuxta secundam sententiam effundat aquam, vel similem liquorem, si quem Calix contineat in aliquod vas, vt illum postea sumat cum ablutione, vel mittat in piscinam, & nouum vinum imponat cum aqua modicissima, dissimulanter offerat, & consecret, incipiendo ab illis verbis. *Simili modo*, moxque sumat cœteris prætermissis, vt substantialiter suppleatur defectus, & vitetur astantium scandalum, offensio, seu turbatio. Sic docent *præter Doctores secundæ sententiæ. Sotus in 4. distinct.*13. *quæst.2. artic.6. ad 4. Azor supra quæst.*5. *Nuñus 3. part. quæst.*83. *artic.6. dub.2. Sylusus quæst.* 80. *artic.8. casu 2. Ioan. de la Cruz in direct. par.2. de Missa quæst.*10. 5. *dub.1. cum alijs. Sic præscribit Clemens VIII. in suo Missali capit. de defectibus* §. 4. *de defectu vini num.*4. *&* 5. dicens. Si post verba consecrationis aduertat, vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & consecret resumendo à verbis prædictis. *Simili modo*. Si hoc aduertat post sumptionem corporis, vel huiusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat vtrumque, & consecret, & sumat, quamuis non sit ieiunus. vel si Missa celebretur in loco publico, vbi plures adsint, ad euitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, vt supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cœtera.

14 Quod si parum aquæ mansit in Calice (nimirum, quia reliquam hausit Sacer-

cerdos) consultissimum erit, vinum illicò superinfundere, offerre, consecrare, sumere; sufficiet enim supplere substantialia, quin astantes defectum, aut errorem aduertant, vt monet *Layman supra*. Si verò post vtriusque speciei consecrationem, & sumptionem nouerit Sacerdos, hostiam fuisse corruptam, vel hordeaceã, vel aliter ineptam *Rubrica Missalis supra §.3 de defectu panis num.6.* sine distinctione, vel disiunctione præscribit, nouum panem, & vinum cum aqua fore ponendum, & facta prius oblatione, consecrandum, incipiendo ab illis verbis. *Qui pridie*, ac statim vtrumque sumendum, & Missam prosequendam esse, vt debitus ordo seruetur.

Verum, si timeretur ex noua vini consecratione, vel scandalum, vel turbatio populi, sufficere nouam Hostiam offerre, consecrare, sumere, putant à paritate rationis. *Suarez supra. Filliuc. num.161. Moure num.2.* Ego tamen adhuc consulerem nouam vtriusque speciei consecrationem. Quia, sicut vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sic *vbi Rubrica Missalis non distinguit, non debebimus distinguere*. Ratio verò, *cur Rubrica non distinxit in defectu panis, sicut in defectu vini, potuit esse, quoniam ordo consecrandi prius corpus, quam sanguinem, magni ponderis est*, quod innuit dicens, *vt debitus ordo seruetur*. Addo, vix vmquam euenturum, vt maius scandalum, aut turbatio populi sequatur ex noua consecratione Hostiæ simul, & vini, quam Hostiæ solius. Ideo *Suarez ipse magis propendet in hanc partem.*

15 Dico secundò, quando Missa secretò dicitur, nullo præsente præter Ministrum, vbi non timetur astantium scandalum, vel offensio, vel turbatio; si non attendamus Rubricam, vtraque sententia probabilis apparet. Quia prima fatetur, ad primum fundamentum secundæ secundum ius commune sufficere, supplere partem illam, in qua defectus accidit, melius tamen suppleri per nouam consecrationem vtriusque speciei simul, quia sic melius exhibetur vnitas oblationis, & eius mystica significatio. Ad secundum respondet, secundam vtriusque speciei consecrationem, eo quod ex intentione Ministri dirigatur ad complendum prius sacrificium imperfectum, censeri moraliter vnum cum illo sacrificium integrum constituere.

16 Secunda verò sententia respondet ad fundamentum primæ, non esse necessarium, vt repetantur, quæ substantialia non sunt, & satis seruari debitum ordinem substantialem, si suppleantur essentialia, quæ defuerant. Ad confirmationem respondet, quamuis Hostia fuerit à Sacerdote sumpta, quamdiu non sumitur Calix, nec Sacerdos sumpsit ablutionem vtramque, vel etiam dixit post cōmunionem, adhuc actionem sacrificandi, sic perseuerare moraliter, vt præcedens Hostiæ consecratio, & sumptio, simulque subsequens consecratio, & sumptio Calicis moraliter compleant & integrent vnum substantiale sacrificium.

17 At posita Rubrica, quam diximus *supra cap.9. qu.1.* regulariter habere vim obligandi, dum decernit tenore communi, censeo, secretò seruandam esse in praxi primam sententiam, quia sic Rubrica præscribit, & in publico dumtaxat ad euitandum scandalū permittit vsum secundæ sententiæ. Hoc esse tutum, fatetur *Coninch supra num.279. & Toletus supra post assertam secundam sententiam addit*. Hodie tamen seruandum est, *quod præcipitur in ritu Missæ tit. de defectu vini*. Quapropter à fortiori, quando Sacerdos secretò celebrat, & post sumptionem vtriusq; speciei cognouit, Hostiam ineptam fuisse; debet vtramque speciem rursus consecrare propter debitum ordinem, vt expendimus *sup. n.14 quamuis contrarium amplectatur Auersa*, nimirum additus secundæ sententiæ, reputansque Rubricam istam esse meram instructionem, quod effugium iam sæpè præclusimus.

CAP.

CAP. X. QVÆST. II.

Vtrum post ablatas species infectas aliæ consecrandæ sint?

18 SVppono primò, per se loquendo teneri Sacerdotem ad sumendã vtramque speciem, cum hoc sit saltem iure diuino præceptum. Vt vidimus *cap. 2.quæst.4.* Quare, si Sacerdos ante consecrationem præuideat aliquid in materia, quod impediat sumptionem, vel hãc aliundè fore impediendam, non potest consecrare, nec incipere Missam, ne subeat morale periculum violandi diuinũ præceptum. Ita *Suarez tom.3.disput.*85. *sect.*1. *Filliuc.tract.*5. *num.*164. *& omnes communiter.*

Suppono secundò, si post consecrationem ritè factam, accidat, vt notetur defectus impediens sumptionem, illum omninò tollendum esse, vel de nouo cõsecrandum, & supplendum quod defuerat. Hoc autem adhibitis exemplis melius in particulari patefiet, & quæ sunt controuersa, discutientur.

19 Primum exemplum sit, si venenum fuerit speciebus admistum; tunc enim quamuis consecratæ sint, non debent sumi, ne cibus vitæ fiat occasio mortis, sed seruandæ sunt, donec corrumpantur, & postea mittantur in piscinam: Species tamen vini, si fuerint infectæ, linteo, vel stupa imbibitæ siccentur, & comburantur, & cineres in piscinam mittantur. Ita *S.Thomas 3.part.quæst.*83. *artic.*6. *ad* 3. *Suarez supra. Filliuc.num.*165. *Henriqu. lib.*9. *cap.*36. *num.*4. *& Missal.tit.de defectibus occurrentibus in ministerio num.* 6. *&* 7.

20 An verò post ablatas species infectas, aliæ denuò consecrandæ sint, vt sumantur? Affirmat *S.Thom.supra*, ne sacrificium remaneat imperfectum. Addit *Azor tom.*1.*lib.*10.*cap.*33.*q.*3. Cæteros id negare, liberumque cuilibet esse, quam malit, sententiam amplecti. Ego nec video, qui negent, nec quo fundamento negare possint; cum perfectio sacrificij requirat, vt sacrificans sumat vtramque speciem, & Missale supra palam in hoc casu præscribat, aliam Hostiam. & aliud vinum consecrari. Consonant *Henriquez, Suarez, & Filliucius supra.*

21 Imò *Paludanus vult in hoc casu*, quamuis solus sanguis sumi non possit ob venenum admistum, vtramque nihilominus speciem esse rursus consecrandam, & sumendam. *Ita docet in* 4. *distin.* 11. *quæst.*1. *art.*1. *conclus.*5. *Idem asserunt Syluest. Eucharist.*2. *qu.*9. *& Victoria in Summa num.*101. quando venenum deprehẽditur in Calice post sumptam hostiam propter *supradicta num.*7. putant enim hic esse rationem eamdem, ac in illo casu. Sed verè non est eadem, nam in hoc casu fuit verus Christi sanguis in Calice toto tempore sacrificij post consecrationem, vnde ritè peracta sunt, quęcumque super oblata dicuntur, solumq; restat supplendum, quod ad integram sumptionem est necessarium: cumque sola desit sanguinis sumptio, sufficiet, consecrare nouum vinum, & sumere. Ideo Missale diuersimodè decernit in hoc casu, ac in illo. Sic *etiam sentiunt S.Thom.& Suar.supra. Fagund.Pręcept.* 1. *lib.*3. *cap.*20. *num.*2.

22 Si Sacerdos post sumptionem specierum aduertat, vel moneatur, illis fuisse venenum admistum, adhibere poterit medium aliquod, vt illas euomat, & in vas mundum proijciat, vbi seruentur, donec corrumpantur, & proijciantur in piscinam. Quia non videtur obligandus ad species infectas retinendas cum tanto detrimento; sicut ob eamdem caussam non tenebatur eas sumere. Sic docent *Suarez supra. Henriqu.lib.*9.*ca.*37. *num.*4. *Bonac.disp.*4. *quæst.vltima punct.* 10. *num.*9. *&* 11. *Missale supra num.* 14. *sic ait.* Si Sacerdos euomat Eucharistiã, & species integræ appareant, reuerenter sumantur, nisi nausea fiat: Tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium proijciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres

in

in sacrarium mittantur. Quod autem dicunt *Paludanus in 4. distinct. 9. qu. 1. fin. & Syluest. Euchar. 2. quaest. 9 §. 3. & alij Summistae*, sacrilegium esse comburere tales species, intelligendum est, quamdiu sub illis perseuerat Christus; non verò, quando non apparent, vel creduntur, esse corruptae.

23 Quaeri tamen posset, an post vomitum specierum vi. verb. grat. sit aliud vinum consecrandum, & sumendum? Et quidem, si Sacerdos iam Missam absoluerit, (vt ferè semper continget) quando species sacramentales euomuit, nec debet, nec potest aliud vinum consecrare, quia iam actio foret distincta moraliter, nec cum priori coniungeretur ad vnum sacrificium integrandum, vt in simili notat *Suarez supra*. Si verò contingat, vt statim post sumptionem Sacerdos euomat species, posset forsan aliam materiam consecrare, ac sumere propter maius sacrificij complementum. Non tamen id videtur necessarium, quia verè sumpsit priores species, & ita iam verè compleuit prius sacrificium.

24 Sit secundum exemplum: si quod animal in sanguinem cadat, tunc enim, si sine periculo vomitus sumi potest, optimè fiet, sin minus extrahendum est, diligenter lauandum, comburendum, & ablutio cum cineribus in sacrarium mittenda. Sic *Missale supra num. quinto. Consonant Sanctus Thomas, Suarez, Filliucius supra. Bonacina numero* 8. Deinde sanguis sumendus est, nisi fuisset animal venenosum, tunc enim faciendum erit, quod supra diximus *numero* 20. & 21. Si mus, vel aliud animal comederit Hostiam, *Paludanus supra*, dicit, aperiendum esse animal, & extrahendum Sacramentum, quod alij sequuntur; Sed hoc nec decens est, nec moraliter possibile. Quare, si capi potest animal, comburatur, & cineres in sacrarium mittantur. Ita *Suar. supra. Bonacin. num. 9. Azor qu.* 8.

25 Sit tertium exemplum: si sanguis prae frigore congeletur, & tunc admoto calore, vel ignis, vel panni calidi liquefiat. Quod, si fieri nequeat, saltem digitis comminuatur, & in particulas redigatur, vt sumi possit. Ita *Suarez supra, Missale numero* 11. Sit quartum exemplum: si timeatur hostium incursus, & iniuria Sacramenti. Tunc erit mox consumendum caeteris praetermissis ob euitandam irreuerentiam Eucharistiae.

26 Sit quintum exemplum: si per miraculum Eucharistia dispareat, vel in speciebus appareat caro, vel sanguis, vel humana figura. *Sanctus Thomas 3. part. quaest. 82. artic. 4. ad* 3. dicit, tale Sacramentum non esse sumendum, probat ex *cap. de hac de consecrat. distinctione secunda*, nec propterea Sacerdotem violare praeceptum consumendi sacrificium, nam ea, quae miraculosè fiunt, legibus non subduntur, consulendum tamen esse Sacerdoti, quod iteratò corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret. *Sanctus Antonin. 3. part. tit. 16. cap. 6. §. 5.* censet, id esse praeceptum ob integritatem sacrificij, Doctores diuisi sunt, & quidam vtuntur varijs distinctionibus, quas breuiter decidendo praestringemus.

27 Itaque dico primò. Si per miraculum dispareat Hostia consecrata (idem est quomodolibet dispareat, ita vt reperiri nequeat) altera consecrari debet, & consumi facta prius eius oblatione. *Sic tradit expressè Missale tit. de defectu panis numero septimo*. Et consonat supradictis *numero* 18. Si verò dispareat vtraque species, aliqui volunt, non debere consecrari nouam materiam, quia noua consecratio vtriusque speciei, eiusque sumptio iam non compleret prius sacrificium, sed nouum ex integro constitueret.

At hoc fundamentum dirutum est *supra numero* 15. Quamuis enim ibi detur duplex consecratio, & vna sũptio vtriusque speciei: cum haec pertineat ad integritatem sacrificij, constituunt omnes illae actiones vnum moraliter sacrificium completum. Idem est, si hostia voretur ab animali, vel sanguis effundatur,

at si

at si quid Hostiæ, vel sanguinis remansit, id sufficiet ad sacrificij perfectionem, & nihil erit iterandum, *vt notant communiter Doctores, & præscribit Missale tit. de defect. occurrentib. in ministerio n. 13.*

28 Dico secundò, quando vel in vna, vel in vtraque specie apparet caro, vel sanguis, vel alia miraculosa figura, dum Sacramentum sit immutatū, perseuerat, non debere sumi, quia vix sine horrore posset. Ita *Suar. 3. par. tom. 3. disput. 55. sect. 4. Filliuc. tract. 4. num.* 146. Limitat *Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 3. numero* 12. dicens, hoc verum esse, quando fit apparitio multis, & permanenter; at si fiat soli Sacerdoti, qui non horreat talem sumptionem, posse recipere tale Sacramentum. Quippè non datur præceptum de non sumendo Sacramento sub tali figura, vt fatetur *Suarez supra*, & alioquin integritas sacrificij petit sumptionem, quæ sic adhibetur facilè.

29 Conueniunt Doctores, si redeant species ad suam formam, sumendas esse, quia tunc nihil impedit integritatem sacrificij. Quare, si mutatio præsumatur esse temporalis, expectandum erit, donec Sacramentū recipiat propriam formam, vt monet *Coninch. 3. par. qu. 76. nu.* 138. & tunc sumi debet. Si verò mutatio sit perpetua, docent communiter Doctores cum *S. Thoma supra*, tunc species non esse sumendas, sed asseruandas in loco decenti, quod habet vsus Ecclesiæ. An verò sacerdos debeat tunc aliàs species consecrare, quas sumat; Missale nō decernit *S. Thomas dixit*, vt vidimus, esse consilium, non præceptum, quod sequuntur *Suarez, Filliucius, Coninch. cum alijs.*

30 Certè quando mutatio fit in vnica specie, censeo, præceptum esse consecrādi rursus illam speciem, & sumendi simul cum altera, quæ remanserat. Debet enim Sacerdos sumere saltem illam, quę non fuit immutata. Sed non debet sumere solam illam, cum perfectio sacrificij requirat vtriusque sumptionem. Ergo debet, & consecrare rursus alteram, & vtramq; sumere simul, vt docet *Aversa de Euchar. qu. 4. sect. 8. fine.* Si mutatio contingat in vtraque specie (quod non memini, me legisse, vel audiuisse) probabilis est sententia *S. Thom.* propter eius authoritatem, probabilis etiā sententia *S. Antonini*, & magis consequens ad supradicta quęst. præcedenti, nisi miraculum ipsum specialiter ostendat, dispensare Deum in integritate sacrificij.

31 Quoties Hostia cadit in terram, vel super linteum, aut tapetum, debet Sacerdos mundare locum, aliquantulum abradere puluerem, aut abrasionē in piscinam mittere: linteum verò lauetur, & lotio mittatur in piscinam. Ita *Missale supra num.* 15. Quando sanguis effunditur, debet absorberi, si commodè possit, terra, vel tabula, quam tetigit, radi debet, quantum satis sit, & abrasio comburi, cineresque mittantur in piscinam. Petra, vestis, tapetum, linteum, vel quid simile, quod tetigerit, lauetur, Calice supposito, & ablutio mittatur in piscinam, si perueniat vsque ad tertium linteum Altaris, lauentur linteamina ter, & ablutio mittatur in sacrarium. Ita *Missale supra num.* 12. Consonant *Sanc. Thomas 3. part. qu. 83. art. 6. ad 7. Coninc. qu. 83. num. 282. Suarez disput. 85. sect. 1. qui bene notat*, pœnas statutas in *cap. Si per negligentiam. cap. Si per ebrietatem. cap. qui bene de consecrat. dist. 2. & cap. 1. de custodia Eucharist. iam in vsu non esse*; nec vllam censuram ipso iure latam, sed prudenti iudicis arbitrio pœnam esse ferendam.

32 *Bartholomæus ab Angelo Dialogo 5. §. 713.* censet, si Christi sanguis in barbam Sacerdotis ceciderit, barbam esse post trinam lotionem abradendam, & comburendam. Sed hoc meritò durum appellat *Bonac. disput. 4. qu. vltim. punct. 10. num. 10.* tum, quia non est vsu receptum; tum etiam, quia, vel Sacerdotes essent obligandi non deferre barbam, vel interdum cogerentur ludibrij subire notam abrasa, & combusta barba. Quare sufficere videtur, si repetita lotione barbam purgent iuxta morem receptum.

33 Si contingant defectus accidentales, supplendi non sunt, aliquid faciendo, vel dicendo præposterè, cum enim non sint de substantia sacrificij, non oportet inuertere debitum ordinem, vt suppleatur, quando iam vel verba, vel actiones non cohærebunt, nisi mora tam parua fuisset, vt commodè suppleri possit defectus, videlicet, si celebrans oblitus fuit suo loco dicere, vel hymnum Angelicū, vel Symbolum Nicænum, vel Hostiam eleuare, vel frangere, vel miscere Calici particulam, vel quid simile non pertinēs ad essentiam, aut integritatem sacrificij, posteaque longè progressus recordatur, non debet regredi, & præposterè dicere, vel facere, quod omisit. Si verò paulò post aduertat, omissam fuisse partem præcipuam v.g. Euangelium, & inchoasset Symbolum, vel Offertorium, opportunè redeat, prudenter attendens, quod magis deceat celebrationem, & minus offendat astantes. Ita *S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 6. Henriquez lib. 9. ca. 36. num. 2. Suar. tom. 3. disp. 85. sect. 2. Filliuc. tract. 5. num. 169.*

34 Sic etiam *Missale supra num.* 10. inquit, si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicē, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur faciendo ceremonias, & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eā, sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter corpus, & sanguinem signans secum Calicem, & dicens, corpus, & sanguis Domini nostri, &c. Consonant *S. Th. sup. Suar. & alij.*

35 *Petrus de Ledesma tom. 1. Summ. tract. de Euchar. cap.* 25. fine, contigisse narrat, Sacerdotem, dum feria quinta maioris hebdomadæ reseruat Hostiam consecratam, posuisse subtus illam in Calice Purificatorium ita madefactum, vt Hostia madefacta nequiuerit die sequenti per se leuari. Quo casu docet, nec feria sexta consecrandum esse, cum id sit tali die vetitum, nec Hostiam non consecratam eleuandam, vt aliquis fecit, cum id sit grauissimum sacrilegium, sed eleuandum esse Calicem ipsum cum Hostia, quæ postea sumatur. Nec mihi displicet ista doctrina.

CAP. X. QVÆST. III.

Quomodo debeat defectus Missæ suppleri per alium?

36 SVppono primò, si defectus substantialis Missæ non possit ab eodem Sacerdote suppleri, quia videlicet, vel moritur, vel graui morbo corripitur, vel aliter impeditur, omninò supplēdum esse per alium; ne maneat sacrificium imperfectum, quod in tanti mysterij dedecus cedere videretur. Sic habetur in *cap. Nihil* 7. *qu.* 1. Docentque *S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 6. ad primum. Henriqu. lib. 9. cap.* 40. *num.* 1. *Suar. tom. 3. disp.* 85. *sect. 1. Bonac. disp. 4. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 20. qui citant alios, *& ita præscribit Missale de defect. tit.* § 10 *nu.* 3. Addit *Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 7. num.* 2. Sacerdotem, qui sæpius in Missa deficeret ob infirmitatem, aut deliquium, tamquam irregularem esse remouendum à celebratione; Sic enim habetur in *cap. Illud* 7. *q.* 1. *quod ex Concilio Toletano* 11. *ca.* 14. sumptum est, &, quamuis verba prohibitionis istius non habeantur in Concilio, certè communiter recipiuntur, & rationi valdè conueniunt.

37 Suppono secundò, si nullus Sacerdos reperiatur, Sacramentum in Sacrario fore reponendum, vt altera die sumatur à Sacerdote. Nec licet laico, quātumuis iusto, nec etiam Diacono sacrificium inchoatum perficere, quia solus Sacerdos habet sacrificādi potestatem. Ita *Suarez supra. Henriqu. nu. 2. Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 20. num.* 17 Addunt *Henriquez, & Fagund.* reseruandas esse species consecratas in crastinum, vt veniente Sacerdoti dicatur, vnde prosequi debeat, & prosequatur, consonat *Sā verbo Missa num.* 38. dicens, si desit, qui perficiat, sequenti die perficiatur, aut sumatur

tur ab alio in alia Missa Sacramentum.

38 Ego censeo, sacrificium heri cæptum, hodie compleri non posse, quia tanta distantia temporis tollit vnitatem etiam moralem celebrationis. Sic expressit *Auersa de Euchar. qu.*11. *sect.* 2. §. *Respondetur, & sect.* 16. *circa finem*. Nec Missale dicit oppositum, (vt refert *Henriquez.*) nec *S. Thom. aut alij*, quos citat *Fagund* solum enim aiunt, Sacramentum esse seruandum, vt die sequenti sumatur, quod etiam asserit *Sà correctus supra*, & expressit *Coninch. qu.* 83. *nu.* 271. Si tamen seruari non possit sine periculo corruptionis, vel irreuerentiæ notabilis. *Coninch. supra, Suarez, & alij, quos secutus sum lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 65. docent, debere, vel Clericum, vel etiam Laicum vtramque speciem sumere. Nam, quæ pro reuerentia tanti misterij sunt instituta, non debent cum tanta ipsius irreuerentia seruari.

39 An verò nō solum possit, sed etiam teneatur Sacerdos sacrificium ab alio captum perficere? Non omnes conueniunt. *Sà supra dixit*, perfici posse, ac secundum quosdam etiam debere. *Henriquez supra num.* 1. *Sotus in* 4. *distin.* 13. *qu.* 2. *art.* 6. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 9. dicunt, seclusio scandalo, non debere. Nam in eo cap. *Nihil* non ponitur obligatio, sed tantum facultas conceditur: fatentur tamen, si nullum subesset impedimentum, & Sacerdos facilè posset, teneri propter rei grauitatem. Ego *supra lib.* 4. *cap.* 7. *num* 84. *cum communi sententia docuit teneri*, quamuis non sit ieiunus, si non adsit ieiunus, *& ita decernit Missale supra*. Consonant *S. Thom. Suar. Bonac. Layman supra. Filliuc. tract.* 5. *num.* 168. *Fagund. Præcept.* 1. *lib.* 3. *ca.* 18. *num.* 22. Addit *Auers. qu.* 11. *sect.* 16. §. *Decimò tandem*, non solum Sacerdotem non ieiunum, sed etiam, qui iam celebrarit, debere perficere sacrificium ab alio substantialiter inchoatum, quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quam quæuis alia, cum ad tanti mysterij reuerentiam spectet, ne maneat imperfectum; & Sacerdotum munus sit attendere cultum, & complementum ipsius. Quare vox illa *liberum sit* in prædicto textu, solum significat, in esse Sacerdoti potestatem perficiendi sacrificium ab alio cæptum, quia potest cum alio velut idem Minister reputari, dataque potestate, dignitas sacrificij postulat, vt perficiatur, quamuis non sequatur scandalum ex omissione, superandaque sit aliqua difficultas.

40 Quod autem *Auersa limitat*, supplendum esse defectum, si citò reperiatur alius Sacerdos, qui suppleat illum; quia post nimiam dilationem iam non erit vna mortaliter actio per continuationem moralem, requirit vtique prudentem considerationem ad decernendum, qualis, & quanta dilatio tollet, aut non tollet moralem continuationem, &c. vnitatem. Si Sacerdos adsit cum conscientia peccati mortalis, dolere debet, & confiteri, si possit, vel, si confiteri nequeat, disponi per contritionem, quippè magis vrget præceptum perficiendi sacrificium, quam confessionis præmittendæ. Sic censet *Sotus supra*, quando magnum scandalum sequeretur ex omissione sacri nondum completi. Vnde colligunt *Toletus supra, & Azor tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 23. *qu.* 1. seclusio graui scandalo non debere Sacerdotem existentem in mortali perficere sacrificium ab alio cæptum. Quia necessitas huiusmodi cōplementi non cogit ad rem ita difficilem, qualis est plerumque peccatoribus contritio.

41 *Melius Suar. Filliuc. Bonacin supra* sine limitatione, vel scandali mentione docent Sacerdotem existentem in mortali debere perficere sacrificium ab alio cæptum, & expresse *Coninch. qu.* 83. *num.* 270. *refellit Sotum*. Quia grauissimum est incommodum contra institutionem Christi, & reuerentiam tanti mysterij relinquere sacrificium, sic imperfectum. Quare quicumque sine grauissimo incommodo possit hoc impedire, planè tenetur. Peccator autem nullum incommodum, imò maximum commodum accipit, dum cogitur cōteri. Debet ergo per

per contritionem disponi ad rectè perficiendum sacrificium.

42 Maior est difficultas, si solus adsit Sacerdos excommunicatus, aut suspensus ab officio, aut irregularis. *Henriquez & Sà supra* dicunt, talem nec debere, nec posse sacrificium perficere. Quia non adesse ministrum idoneum in hoc casu, perindè censetur, ac si nullus Sacerdos adesset.

Ego censeo, talem Sacerdotem posse, ac debere sacrificium ab alio substantialiter inchoatum perficere. Sic docent expressè *Fagundez supra Coninch num. 269* Fauent *Suarez, Fillincius, & Bonacina supra*, quatenus asserunt, præceptum perficiendi sacrificium ab alio substantialiter incæptum, esse diuini iuris, & magis vrgere, quam humana præcepta, præualere quoque præcepto præmittendi confessionem ante communionem. Quamuis hoc secundum opinionem probabilem sit diuinum.

43 Hinc ita probatur nostra doctrina. Cuncta præcepta censurarum, & irregularitatis sunt humani iuris. Ergo postponenda sunt præcepto diuino perficiendi tale sacrificium. Consentit nobiscum *Azor supra*, quoties alioquin grauis offensio sequatur. Ego reor, quauis offensione seclusa, debere talem Sacerdotem perficere tale sacrificium propter solam ipsius dignitatem, & ob reuerentiam tanti mysterij debitam.

Confirmatur, quia, si Sacerdos post consecrationem meminerit, se vel excommunicatum, vel suspensum, vel irregularem existere, debet nihilominus perficere sacrificium, vt præscribit *Missale de defectibus* §. 8. *numero* 5. Docet *Sanctus Thomas 3. part. quæstione 83. articul. 6. ad 2. & alij communiter*. Ergo similiter, si post consecrationem Sacerdos impediatur, debet alter etiam censura, vel irregularitate ligatus perficere sacrificium.

Nam vtrobique militat eadem ratio, nimirum, quod perfectio sacrificij præponderat tali ligamini. Quapropter ad fundamentum oppositum respondetur, talem ministrum hic, & nunc idoneum esse, nam hic, & nunc censura non impedit sacrificij perfectionem.

44 Iam sit dubium primum. Si celebrans ante communionem deficiat, an debeat alter perficere Missam? Certè, si celebrans deficiat post sumptam vtramque speciem, non erit supplendum, quod restat, cum iam completum sit substantialiter sacrificium. Sic *Auersa quæstione 11. sectio. 16. circa finem*, & alij videntur supponere, si verò nondum consecrauerat, Quidam dicunt, alium debere perficere, quando prior cæperat consecrationem Hostiæ, vel Canonem. Quia iam censetur sacrificium inchoatum per dispositionem materiæ, quæ verbis Canonis redditur habilior ad transsubstantiationem. Sic *Armilla verbo Missa numero 11. Fagundez verò citans supra Albertum Magnum censet*, si Canon sit incæptus, & sequatur scandalum ex omissione, debere perfici Missam etiam per Sacerdotem non ieiunum, vel excommunicatum.

Probatur; nam communis sententia docet cum *Sanct. Thoma supra*, si Sacerdos ante consecrationem meminerit peccati mortalis non confessi, vel se ligatum esse censura, vel non esse ieiunum, & graue timetur scandalum, Missam esse prosequendam. Ergo similiter in nostro casu debet Sacerdos præsens perficere Missam deficientis ante consecrationem ob euitandum scandalum, quod ordinariè sequetur, quando sacrum fit coram alijs, & non perficitur.

45 Alij volunt, si celebrans deficiat ante consecrationem, non debere, sed posse perfici Missam per alium ieiunum. Ita *Syluester, Eucharistia 2. quæstione 8. numero 12. Angelus Eucharistia 3. numero primo de verbo Missa nu. 26.*

num.26. Sà verbo Missa numer. 28. Alij dicunt, id esse verum, si Canon erat incæptus. *Sic Henriquez lib.9.cap.4.num. 4. Layman.lib.5.tractat. 5. cap.7. numero 2. Melius Sanctus Thomas supra ad primum. Nuñus ibi cum alijs dub.1. ad primum. Suarez, & Azor. supra. Bonacina numero 21. Coninch. quæstio. 83. numero 169. & alij plures docent*, relinquendam esse Missam. Quippè, cum ante consecrationem essentia sacrificij nondum sit inchoata, non magni refert, quando celebrans deficit, relinqui Missam accidentaliter solum incæptam; hanc sententiam sequitur *Missale dicens Paragr.10. numero 3.* Si Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur, vel moriatur, prætermittitur Missa, & infra. Si semi prolata forma corporis obijt Sacerdos, cum nondum sit peracta consecratio, non est necessarium ab alio perfici Missam.

Ego censeo, Rubricam istam esse seruandam, & vbi necessitas non cogit, non esse Missam à duobus successiuè dicendam; & certè vix vmquam dabitur tantum scandalum, vt tolli non possit monito populo, nondum fuisse cæptum substantialiter sacrificium; ideoque non esse necessarium, vt ab alio perficiatur. Consultiusque fore, Missam aliam integram dicere, qua panis idem, & vinum offerantur, & consecrentur. Videantur *Suarez supra. Fagundez Præcept. 1. libro 3. capit.19. numero 2.*

46 Sit dubium secundum, si post consumptam Hostiam relicto sanguine, celebrans deficiat, an debeat alter perficere Missam? Negant *Henriquez lib. 9. capit.40. numero 3. Bonacina disputat. 4. quæstione vltima punct.10. numero 22.* Quia iam celebrans recepit gratiam Sacramenti, cum secundum probabilem sententiam non conferatur noua gratia per sumptionem alterius speciei. Iam ille, pro quo sacrificium offertur, recepit eius fructum, cum essentia sacrificij secundum aliquos saluari possit in vnius speciei sumptione. Quare censent, sanguinem relictum sumi debere ab altero denuò celebrante simul cum sanguine denuò consecrato.

47 Dicendum tamen est, debere tale sacrificium perfici Nam, *vt vidimus supra cap. 2. quæstio.4. præsertim verò numero 55.* Sumptio vtriusque speciei pertinet ad constitutionem essentialem, vel saltem integralem huius sacrificij. Sic docent *Suarez tom. 3. disputatio.85. sectio.1. Fillucius tractat.5. num.167. Fagundez supra numero 5.*

Ad fundamentum oppositum respondetur, quamuis vna species conferat totam gratiam Sacramenti, vtramque tamen esse de substantia, vel integritate sacrificij, & in isto casu sumens Calicem, & perficiens talem Missam, recipiet vtique gratiam, quia verum recipit Sacramentum; fructus verò pro alijs oblatus saltem erit perfectior integraliter, si sacrificium solum integraliter compleatur; quo complemento carere non debet, quoties compleri potest.

48 Sit tertium dubium, vnde debeat incipere, qui perficit deficientis Missam? *Missale supra præscribit*, vt indè incipiat, vbi alter desijt. Si verò celebrans defierit semiprolata forma sanguinis, super eumdem Calicem, iubet, integram repeti formam ab illis verbis. *Simili modo.* Nam ex verbis à primo Sacerdote prolatis, & ex his, quæ secundus profert, non fit integra forma consecrationis. Consonant *Suar. Azor. Fillucius, Fagundez supra. Bonacina numero 23.* In particulari, si celebrans definat ante consecrationem, iam diximus *numero 45.* Missam non esse perficiendam: Si deficiat post consecrationem Hostiæ, nondum prolata, vel saltem non completa consecratione Calicis, perficiens consecret solum vinum, vt nuper dicebamus, incipiens ab illis verbis. *Simili modo.*

49 Si constet, celebrantem ad consecrationem peruenisse, dubium verò fit,

an hostiae consecrationem absoluerit. *Henriquez lib.9.cap.40. num.4. Suarez, & Fillucius supra dicunt*, debere perficientem incipere Canonem, vt certum sacrificium, & integrum conuenienti modo perficiat. *Fagundez numero* 7. dicit, incipere debere perficientem ab illis verbis. *Qui pridie*. Conueniunt tamen omnes, debere, vel eamdem Hostiam sub conditione saltem mentali ratione dubij consecrare, vel aliam Hostiam consecrare, prioremque post consumptum sacrificium etiam sumere. Videantur *Auersa, & Bonacina numero* 24. qui citant alios. Similiter, si constet, celebrantem consecrasse Hostiam, & ignoretur, an consecrauerit Calicem, debet perficiens incipere ab illis verbis. *Simili modo*, & sub conditione consecrare Calicem.

Demum, si certum sit, celebrantem consecrasse Hostiam, & Calicem, incertum verò, quid deinceps dixerit, aut fecerit, perficiens incipiat ab illis verbis. Vnde, & memores. Sic *Suarez, & Fillucius supra. Fagundez numero 6.* Debet etiam perficiens, ex conuenientia saltem, applicare Missam iuxta celebrantis intentionem, vt certam reddat applicationem, quae satis erit dubia, si diuersa fit, vt notat *Auersa supra*.

CAP. X. QVÆST. IV.

Vtrum celebrans possit Missam inchoatam interrumpere, vel omninò relinquere?

50 SVppono primò, Missam inceptam omninò sine causa relinquere, grauissimum esse peccatum. Colligitur ex cap. *Nihil 7.quaest.1.* cap. *Nullus Episcopus de consecrat. distinctio.* 1. Docet, expressè *Missale de defectibus* §. 10. *numero* 4. Consentiunt *Syluester, Tabienna, Nauarrus*, quos sequitur *Henriquez lib.9.cap.30. numero* 5. Et quidem post factam consecrationem relinquere Missam, peccatum mortale est contra perfectionem, & integritatem tanto mysterio debitam. At non ita certum reputat. *Azor tomo* 10. *libro* 10. *capit.32. quaestione* 1. mortale peccatum committi relinquendo Missam inceptam ante consecrationem; ipse tamen affirmat, quia textus relati seuerè praecipiunt, ne Missa quomodolibet capta relinquatur sub grauis poenae comminatione. Fauet *Syluester Missa 1.quaest.2.* dicens, absolutè mortale peccatum esse Missam inceptam sine causa relinquere.

Probari potest, ex reuerentia tantis mysterijs debita, contra quam non leuiter delinquit, qui Missam quomodolibet inchoatam sine causa relinquit. Addit *Fagundez Precept.1.lib.3.cap.18. num.1.* mortaliter peccare Sacerdotem, qui voluntariè notabilem Missae partem omittit. Ego notabilem partem dicerem illam, quae sequitur post communionem; imò solum vltimum Euangelium putat *Henriquez*, esse partem notabilem, siquidem simpliciter asserit *supra numero* 3. peccare mortaliter omittentem Missae partem, vt Euangelium.

51 Suppono secundò, Missam inchoatam interrumpendam non esse sine graui causa. Cum enim Missa dicatur vna, debet ita continuò celebrari, vt seruet vnitatem moralem. Quare, sicut grauiter peccat Sacerdos, qui partem Missae notabilem scienter omittit, ita grauiter peccare censetur, qui notabiliter interrumpit partes sacrificij, saltem essentiales, ita ut interruptione posita, non dicatur vnum moraliter sacrificium. Ita *Fagundez, & Henriquez supra Bonacina cum alijs disputat.4. quaestione vltima punct.10. numero* 25. Quae verò dicatur notabilis interruptio, non discernunt in particulari. Crederem, si celebrans sine causa discedat ab Altari, praesertim, si sacras vestes deponat ad aliquid peragendum, esse notabilem interruptionem. Sic indicat *Henriquez supra num.* 5. Si verò celebrans, manens in Altari, quidquam agat omninò diuersum a

Missa per quadrantem maximè post consecrationem vnius speciei,vel etiam vtriusque,priusquam consumat, videtur interrumpere notabiliter.

52 Sit dubium primum. An,qui temerè Missam inchoatam relinquit, incurrat censuram aliquam? Prima sententia docet, incurri minorem excommunicationem. Sic *Archidiaconus in* cap.*Nihil* 7.*quæstio*.1. quoniam in eo textu dicitur. *Si quis hoc temerè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*. At, non esse maiorem excommunicationem,colligitur ex cap.*Nullus Episcopus de consecrat.distinct*.1.vbi dicitur, *à sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus*. Proprium enim est excommunicationis minoris,à sola Sacramentorum receptione temouere.

53 Secunda sententia docet, incurri maiorem excommunicationem.Sic *Alterius tom.2.disputat.*11.*cap.*3. *Maiolus lib.*2.*cap.*16. *in fine*. Probatur. Nam in cap. *Nihil* absolutè ponitur excommunicatio, quæ planè sonat maiorem: Separatio verò à Corpore Christi,quæ ponitur in cap.*Nullus Episcopus* sępè vocatur in iuribus *Anathema*,quæ vox sonat excommunicationem maiorem. cap. *Engeltrudam* 3.*qu*.4.*cap.Nemo per ignorantiam de consecr.dist*.1.

54 Tertia sententia docet, incurri suspensionem. Sic absolutè docent *Manuel tom*.1.*Summ.cap*.244.*conclus*.8.*Petrus de Ledesma tom*.1.*Summ.tract.de Eucharist. cap*.24. *conclus*.7. *Bonac. tom*. 3.*disputat*.3. *quęst*.3. *punct*.2. *cum alijs*. Probant ex cap.*Nullus Episcopus*.Cuius verba dedimus *supra num*. 56. Ex quibus colligit *Bonacin*. suspensionem esse partialem,quæ solam impedit executionem ordinis sacerdotalis circa sumptionem corporis,& sanguinis Domini, non autem impediat communionem more laicorum, quia suspensio fertur in Clericos, ac subindè repellit illos dumtaxat à functionibus Clericorum proprijs.

55 Dico primò, qui sine causa admittit Missam inceptam, non incurrit excommunicationem maiorem, nec minorem. Ita *Manuel, Henriquez, Ledesma, Bonacina supra*. *Filliuc.tractat*.17. *numero* 103.*& alij communiter*. Probatur, quia nulla pœna præsertim censura incurritur ipso iure, nisi ius id palam exprimat,iuxta *Glossam receptam capit. final.de iure patronatus*, sed nullum ius exprimit, propter dimissionem inchoatæ Missæ incurri excommunicationem latæ sententiæ. Igitur non incurritur. Minor probatur, nam illa verba capitis. *Nihil, sententiam excommunicationis sustinebit*. Sunt futuri temporis, quæ per sese non important pœnam ipso iure latam iuxta *Glossam receptam cap.in pœnis de Regulis Iuris in sexto*. Ideò *Glossa in dicto cap.Nihil* dixit, *excommunicetur*, quę vox sonat excommunicationem ferendam, non latam. At cap. *Nullus Episcopus*, nullam facit mentionem excommunicationis, sed solius suspensionis ab Eucharistiæ receptione, quæ nec sonat excommunicationem maiorem, nec item minorem: nam hæc etiam non solum remouet ab Eucharistia, sed ab omnibus Sacramentis recipiendis.

56 Dico secundò. Nec item incurrit ipso iure suspensionem. Ita *Filliucius supra*. *Azor tom*.1. *libro* 10. *capit* 32. *quæstione* 2. *Moure part*.3.*capit*.5. §.15. *num*.11. Probatur, nam illud cap.*Nullus Episcopus*, quod dumtaxat loquitur de suspensione partiali, non significat suspensionem latam, sed ad summum ferendam. Nec enim illa verba secundum se maiorem vim habent, nec vsus interpretatur ibi censuram ipso iure latam,vt asserit *Henriquez lib*.9. *capit*.30. *num*.5. *littera A.fine*. Sed ad summum illum Sacerdotem esse remouendum ab officio celebrationis, vt in eo puniatur, in quo delinquit.

57 Ad fundamentum primæ sententię respondetur,in ca. *Nullus Episcopus* nullatenus contineri excommunicationem etiam minorem, vt vidimus *nu*.55.in ca. *Nihil* ferri dumtaxat excommunicationem comminatoriam, vt fatentur

Bonac.

Bonacina, Filliuc. & Azor. supr. Ad fundamentum secundę sententię respondetur, anathema latè nonnumquam extendi ad suspensionem, & separationem quandam, vt notat *Bonac. supra.* Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, iuxta probabilem intelligentiam aliquorum, & praxim communem in eo *cap. Nullus Episcopus*, solam imponi suspensionem ferendam, partialem quidem, & cum limitationibus, quas adhibet *Bonacina superius*, addens *numero sexto*, eius absolutionem nullibi reseruari.

58 Sit dubium secundum. Quæ sint causæ iustæ relinquendi Missam incæptam? Prima sit, si celebrans post inchoatam Missam recordetur peccati mortalis non confessi, vel se non esse ieiunum, vel esse suspensum, vel excommunicatum, vel irregularem. *S. Thomas 3. part. qu. 83. art. 6. ad secundum*, docet, si post consecrationem contingat, perficiendum esse sacrificium; Si verò contingat ante consecrationem, tutius esse, Missam incæptam deserere, nisi graue timeatur scandalum, quod communiter sequuntur Doctores. At *Henriqu. supra, & Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 18. num. 11.* addunt, si recordetur post incæptum Canonem, teneri sacrificium perficere sub mortali, quia iam est quasi substantialiter incæptum.

59 Certum est primò, si talis memoria contingat post consecrationem, prosequendam esse Missam, habita contritione cum proposito petendi absolutionem, seu dispensationem necessariam; cum in his casibus iuxta regulam *Sanct. Thomę sup.* seligendum sit id, quod habeat minus periculi, maximè verò periculosum sit relinquere sacrificium imperfectum. Certum est secundò, quamuis contingat ante consecrationem, si timeatur infamia celebrantis, vel scandalum assistentium, posse perfici Missa cum dispositione suprapositа, quia nec præceptum præmittendæ confessionis, vel ieiunij, nec ligamen censurarum obligant cum detrimento propriæ famæ, vel cum aliorum scandalo. In his conueniunt omnes; & quidem, quoties Missa publicè dicitur, timeri potest, vel infamia, vel scandalum, ratione cuius perfici possit, & expediat, vt notat *Layman libro 5. tractat. 5. capit. 6. numero 21.*

60 Si missa dicatur ita priuatim, seu secretò, vt nullum timeatur scandalum, nota, vel infamia nulla, iam dixi *lib. 4. cap. 6. num. 46.* relinquendam esse missam ante consecrationem ob non præmissam confessionem debitam, & *cap. 7. num. 85.* relinquendam esse pariter ob non præmissum debitum ieiunium.

Consequenter nunc assero, si celebrās ante consecrationem nouerit esse se vel excommunicatum, vel suspensum, vel irregularem, vel locum interdictum existere, missam esse relinquendam. Ratio me mouens in his omnibus est, quia *Missale de defectibus* § 8. *n. 5. his euentibus numeratis.* Sic ait. *Ante consecrationem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.* Nec distinguit de Canone cæpto, vel non cæpto. Nec *S. Thom.* nec alij Doctores communiter talis distinctionis in his euentibus meminerunt. Quare censeo, teneri Sacerdotem, si nondum consecrauit, etsi Canonem incęperit, deserere Missā. Quia, sic præscribit Rubrica Missalis, quam obseruare debemus.

61 Secunda causa sit, si post Missam incæptam excommunicatus vitandus eidem assistere velit. Nam hic in primis monendus est, vt exeat *iuxta Clementinam Grauis de sentent. excommunic.* vbi decernitur in illum excōmunicatio noua Papę reseruata, si iussus exire non paruerit. Tunc verò, si commodè fieri potest, expellendus est opera laicorum; si laici non adsint, nec vocari possint, Clerici pellant illum argumento cap. *Veniens de sentent. excommunicat.* Quòd, si pelli non possit, celebrans post incæptam consecrationem desistere nequit, sed cum solo ministro, (nam cæteri recedere debent, ne cum vitando communicent in sacris) progredi debet vsque ad

ad Calicis consumptionem, & tunc iterum excommunicatus moneatur, atque si recedere nolit, Sacerdos ipse recedat, & quæ reliqua sunt Missæ, peragat in Sacristia, vel si talis locus non sit, omninò prætermittat. Si verò nondum cæptus sit Canon, quando non toleratus assistit, debet celebrans relinquere Missam, ne communicet in sacris cum excommunicato vitando. Conueniunt *in his Doctores communiter*. Videantur *Henriq. lib.9. cap.30. num.5. Suar. 3. part. disp.12. sect.1.*

62 Dissensio solum est, an incæpto Canone relinquenda sit Missa: Negant *Sylvester, Excommunicatio 5. num.3. Moure part.3 cap.5. §.15. numero 12. Fagundez Præcept.1. lib.3. cap.18. num.6. Reginald. lib.32. numero 71. Bonacin. de censf. disp. 2. quæst.2. punct.3. §.1. numero 13. qui citant alios*, & probant. Quia verba Canonis ita propinqua consecrationi sunt, vt ab illis iam videatur inchoata consecratio. Quare putant, incępto Canone seruandum esse, quod post inchoatam consecrationem, diximus, esse faciẽdum numero præcedenti.

63 Affirmant verò, Missam esse relinquendam etiam incæpto Canone, dum non est inchoata consecratio. *Sayrus de Censur. lib.2. ca.3. num.19. Alterius tom. 2. disputat.11. cap.3. & disputat.12. ca.5. Auila de Censur part.2. ca.6. disp.9. dub. 8. cum alijs.* Probant, quia verè sacrificium non incipit ante consecrationem; maior verò propinquitas Canonis parui refert, si nondum peruentum sit ad consecrationem. *Layman lib.1. tract.5. part.2. ca.2. numero 6.* censet, si dici cęperint illa verba. *Qui pridie*, non posse relinqui Missam, quia iam est quasi cæpta consecratio.

64 Ego iudico, rem esse dubiam, & vtrimque probabilem. Quia nullum extat ius expressum circa rem istam; & duo præcepta concurrunt, vnum de vitando non tolerato, aliud de perficienda Missa cæpta, quod per se quidem obligat etiam ante consecrationem, & eò grauius, quò magis ad consecrationem acceditur. Cum autem Canon propinquissimus sit consecrationi, post illum inceptum non facilè discernitur, vtrũ maior sit obligatio, vel perficiendi Missam, vel vitandi non toleratum, & cum vtrimque sint Doctores, vtralibet pars eligi poterit. Ita *Suarez supra. Diana part.5. tractat.9. resolutio.92. cum alijs.*

65 Tertia causa sit, si post cæptam Missam superueniat interdictum speciale, vel talis cessatio, vt nec ianuis clausis possit ibi celebrari, vel superueniat interdictum generale, nec possint occludi ianuæ, nec interdicti repelli, certè post consecrationem in his casibus Missa perfici debet vsque ad sumptionem ob rationem suprapositam *numero 61.* Ante consecrationem. *Nauarrus de Oratione cap.16. num.60. Manuel tomo 1. Summ. cap.247. de Missa numero 8.* dicunt, relinquendam esse Missam. Consentiunt *Henriquez supra, & Fagundez num.5.* Si Canon non sit incæptus, at cæpto Canone, censent, non esse relinquendam. Res videtur vtrimque probabilis, sicut numero præcedenti; si verò post cæptum Canonem violetur Ecclesia, conueniunt Doctores, Missam esse præficiendam. Sic *enim præscribit Missale de defectibus §.10 num. 2.* Sic etiam nos diximus *supra c.6. num.97.*

66 Quarta causa sit, si post inchoatam Missam irruant hostes, aut immineat periculum alluuionis, vel combustionis, vel ruinæ loci, tunc Missale supra præscribit, vt ante consecrationem relinquatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos acceleret Sacramenti sumptionem omissis omnibus alijs. Consonant Doctores communiter. *Suar. verò tomo 3. disputat.85. sectio.1. & Petrus de Ledesma tom.1. Summ. tract. de Euchar. cap.25.* monent, ne Sacerdos in his casibus ob mortis periculum fugiat, relinquens sacrificium imperfectum, & Sacramentum in manibus hostium, maximè, si sint infideles, & irreuerentia timeatur.

67 Durum tamen, & meritò, reputat hoc

hoc *Toletus lib. 2. capit. 9. numero 6.* Quia nulla ratio, vel textus obligat celebrantem ad subeundam mortem in eo casu. Quare censeo, si nequeat Eucharistiam statim consumere, posse licitè cum corporalib. illam complicatam deferre secum. Si nec hoc fieri possit, licere discessum.

Quippe, si manet, & occiditur, adhuc manebit sacrificium imperfectum, & Sacramentum expositum irreuerentiæ. Melius igitur est, manere sic sacrificium, & Sacramentum, & saluari Sacerdotem. Si quis tamen in contemptum fidei vellet celebrantem occidere, nisi deserat Missam, prosequi debet, & mori, non solum post consecrationem, sed etiam ante illam. Diuersum quodammodo casum attingit. *Henriquez supra* dicens. Si celebrans inuaditur ab iniquo, potest pro necessaria sui defensione, dimissa celebratione fugere, vel occidere inuasorem cum debito moderamine; quod si non excedat, redire debet ad perficiendam Missam incæptam.

68 Quinta causa sit, si cæpta Missa celebrans aduertat, se non esse Sacerdotem, vel moneatur ab aliquo de defectu essentiali suæ ordinationis, nec possit probabiliter conscientiam deponere propter vim rationis, vel ob authoritatem asserentis, tunc debet relinquere Missam ante consecrationem, & post illam prætexens morbum, vel aliam causam ad euitandum scandalum. Ita *Fagundez supra num. 19.* qui notat, requiri notitiam certam, nec dandum esse locum scrupulis. Consonat *Henriquez supra cum aliis*, qui subdit. Si Minister Missæ recedat, & expectatus post moram non redeat, non debere celebrantem dimittere Missam, sed prosequi solum, & sibi respondere.

CAP. X. QVÆST. V.

Quæ sint causæ rationabiles interrumpendi Missam?

69 Prima sit, quando fit concio post Euangelium. Secunda, quando celebrans post sumptionem Sacramenti ministrat Eucharistiã aliis. Tertia, quoties Episcopus confert aliis ordines sacros. Ita *Fagund. Precept. 1. lib. 3. cap. 18. num. 2. & 4. Henriqu. lib. 9. cap. 30. num. 3. & 4. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 7. Rubricæ Missalis, & Pontificalis.* Quarta sit infirmitas celebrantis, quę cogat interrumpere Missam, quam paulò post possit ipse perficere: tunc enim post interruptionem debet ipsemet perficere Missam, vt docet *Suarez tom. 3. disputat. 85. sectio 1. & colligitur ex cap. Nihil 7. quæstione 1.*

70 Si verò mora tanta futura sit, vt deficiat moralis vnitas celebrationis, antequam celebrans ipse redeat, tunc ante consecrationem relinquatur Missa, post consecrationem perficiatur ab alio iuxta superius *dicta quæstio. 3.* Nam qui non potest prosequi Missam intra tempus aptum, vt moraliter sit vna, simpliciter nequit illam perficere. Huc referunt *Henriquez, & Fagundez supra*, necessariam ventris exonerationem, quæ differri nequeat vsque ad Missæ finem. Talis enim necessitas præstat sufficientem causam interrumpendi Missam, quæ postea continuari potest, vt satis indicat prædictum cap. *Nihil.* & cap. *Nullus Episcopus de consecratio. distinct. 1.*

71 Quinta causa, sit propter grauem proximi necessitatem, vel vtilitatem, nimirum ob baptizandum puerum morti vicinum in Ecclesia, quando non potest aliter baptizari, nisi per celebrantem, Missa potest interrumpi; quia præponderat charitas proximi continuationi Missæ. Sic *Henriqu. Fagundez, Layman supra. Bonac. cum aliis de Sacrament. disput. 4. qu. vltim. punct. 10. num. 25.* Similiter potest celebrans etiam post conse-

orationem interrumpere Missam, vt pergat ad infirmum morti proximum, eum audiat, & absoluat, sacroque viatico reficiat, (quod facere posset etiam de particula tunc à se consecrata) vngat etiam, si suppetat sacrum oleum (remissis tamen Psalmis ad Ecclesiam post Missam,) & postea redeat ad perficiendam Missam, seruato interim Sacramento per diligentem custodem in Altari. Quod, si confessio moribundi post mediam horam non finiatur, moneat illum Sacerdos, vt se generaliter accuset de reliquis peccatis, proponens ea postea sigillatim confiteri, si possit, ipsique det absolutionem, & cœtera Sacramenta, & post finitam Missam, si moribundus adhuc vinat, reuertatur ad illum, audiat reliquam confessionem, absoluat eum denuò. Sic *Diana part. 5. tractat. 3. resolutio. 70. Auersa de Eucharist. quæstione 11. sectio. 12. §. Debet quoque. Zambranus capit. 4. dub. 6. numero 5.* qui doctrinam istam extendit ad omnem casum, in quo Sacramentum, vel necessarium, vel valdè vtile sit ministrandum moribundis.

72 Et quidem eadem necessitas vrgere videtur, si moribundo nullum aliud Sacramentum præter extremam vnctionem conferri possit, qua forsan reddatur de attrito contritus, & saluetur; vnde licere pariter interrumpere Missam etiam post consecrationem ob talem Vnctionem ministrandam, docent *Zambranus, & Layman supra. Chapeauile capit. 1. quæstio. 12.* Idem videtur mihi consequenter asserendum, si solum viaticum possit moribundo ministrari. Quia potest etiam hoc medio saluari; alioqui damnandus iuxta probabilem sententiam. Semper tamen in his curare debet Sacerdos, vt, quam citissimè possit, se expediat, & ad Missam perficiendam reuertatur, postea verò, si sit opus, infirmum inuisat.

73 At si Sacramentum moribundo ministrandum non sit tantę necessitatis, ver. grat. si viaticum dandum sit ei, qui paulò ante confessus fuerat, tunc non decet celebrantem post factam oblationem, vel certè post inceptum Canonem exutis sacris vestibus, sacrificium relinquere. Si quis in ipso templo existens indigeat viatico, quia subito morbo correptus mox moriturus videtur; debet Sacerdos etiam post consecrationem ab Altari discedere, viaticumque ministrare. Nam ingens vtilitas illius communionis præbet sufficientem causam interruptioni tam breui. Sic *Layman supra*.

74 Si moribundo tamen extrema Vnctio ministranda sit post alia Sacramenta recepta, reor, celebrantem ante factam oblationem ab incæpta Missa desistere posse, dum absit scandalum; ita vt, si per solam horam abfuerit, reuersus perficiat Missam, sicut, si concio fuisset interposita; si verò mora longior fuerit, repetat ab initio missam, & generaliter in his euentibus præscribi potest, vt celebrans perpendat tum necessitatem, vel vtilitatem Sacramenti ministrandi moribundis, tum etiam quousque progressus fuerit in missa: quamdiu sit absuturus; num etiam exuendus sit sacris vestibus, vt his omnibus attentè collatis, prudenter discernat, an consultius sit interrumpere missam, an continuare. Sic monet *Laym. supra.*

75 Sexta causa sit non tam interrumpendi, quàm repetendi missam, si Princeps, aut vir illustris, aut Episcopus, aut populus, seu supplicatio solemnis multorum adueniat, quos integram missam audire deceat. Tunc enim, si non sit alius Sacerdos, posse celebrantem ante factā oblationem repetere missam ab initio. Docent *Nauarrus de Orat. cap. 16. num. 55.* dicens, semet ita fecisse. *Henriqu. lib. 9. cap. 30. num. 30.* testans, se vidisse praxim. *Sà verbo Missa num. 21. Azor tomo 1. lib. 10. cap. 32. qu. 3. Layman lib. 5. trac. 5. cap. 7.*

76 Ego certè non video, cur sit talis repetitio necessaria, siquidem quāuis dicta sit Epistola, (quin etiam Euangelium, vel saltem eius pars) satisfaciunt audiendi præcepto, qui tunc adueniunt, vt re-

vtrectè notat. *Fagund. Præcept. 1. lib. 3. c. 16. nu. 6.* Quapropter *Salzedus in pract. crimin. c. 42. Manuel tom. 1. sum. c. 247. concl. 7.* censent, talem repetitionem esse mortale peccatum, quoniam est contra reuerentiam tanto mysterio debitam, & regulariter pari & offensionem. *At Petr. de Ledesm. tom. 1. sum. tract. de Euch. c. 24. post conclus. 7.* censet, sic repetere Missam non esse mortale peccatum, at non esse consulendum, cum non sit in vsu. Mihi videtur, saltem fore veniale peccatum contra debitam Missæ continuationem sine sufficiente causa transuersam.

CAPVT XI.

De obligatione faciendi sacrum pro alijs.

1 VArijs modis potest obligari Sacerdos ad celebrandum pro alijs, primò ex obedientia, cum Superior id præcipit; & tunc certum est, teneri iuxta superius dicta, *c. 3. n. 28.* Secundò potest obligari ex charitate. Sed hæc obligatio vix vnquam occurret, quia non est de re necessaria simpliciter ad salutem proximorum. Quamuis enim interdum charitas obligare possit ad orandum pro alijs, præsertim pro bono communi, tamen, quod hoc fiat etiam adiungendo Sacrificium orationi, vix vnquam cadet sub obligationem solius charitatis. Regulariter verò charitas obligat, vt neminem excludamus ab oblatione generali Missæ, quæ fit pro tota Ecclesia Catholica, & omnibus Orthodoxis, nisi sit ab Ecclesia præcisus. Nam hoc esset odij signum, & contra manifestam intentionem Ecclesiæ.

2 Tertiò potest obligari ex voto, sicut ad quodlibet aliud opus honestũ, & cum Missa sit materia grauis, tale votũ, (inquit *Suar. tom. 3. disp. 86. initio,*) sub mortali ligabit. Quartò potest obligari ex simplici promissione, quæ potest in hac materia, sicut in alijs obligare promittentẽ, vt ostendimus supra *c. 3. nu. 26.* Notatq; Suar. non semper in praxi fieri promissionẽ, quoties vnus alteri dicit, se Missam oblaturum pro ipso. Nam his verbis non rarò significat simplicem dumtaxat affectum sine intentione se obligandi ad non mutandum propositum præsens; & tunc non manet obligatio rigorosa; sed ex decentia, ne sine graui causa voluntas efficax mutetur.

3 His obligationib. omissis, obligatio iustitiæ nobis est tractanda, quæ potest oriri, vel ex stipendio propter Missã acceptũ, vel ex Beneficio, quod onus Missarũ habeat adiunctũ; &, cũ aliud sit Beneficiũ simplex, aliud curatũ; singula sigillatim attingemus. Et quidem, quoties Sacerdos ex iustitia tenetur, peccat mortaliter, si vel vnam Missam omittat. Quia, licet damnũ pecuniæ non sit graue, tamẽ damnũ spirituale per priuationẽ debiti fructus satis graue censetur, vt cum multis diximus supra *c. 3. nu. 27.* nec vidi quemquã apertè repugnantẽ. Si tamen qui Missã dici iussit, nouit, nõ fuisse dictã, censent *Arag. 2. 2. q. 85. art. 3. Nauarr. lib. 2. c. 2. nu. 382. Graff. lib. 2. decis. c. 45. n. 7.* cessare restitutionis obligationẽ sub mortali, quia damnum tẽporale leue quidẽ est, spirituale verò facilè posset cõpensare, si vellet alteri Missã commẽdare, data stipe. Quare, si non cõmẽdet, videtur iacturã illã spiritualẽ, vel remittere, vel paruipendere. *Cæterum Bonac. de Sacr. disp. 4. q. vlt. punct. 7. § 2. n. 6.* putat in hoc casu, dum ille, qui largitus fuerat pecuniam pro dicẽda Missa, post cognitam Sacerdotis fraudem, nõ fecit per alium dici Missam, adhuc priorem Sacerdotem censeri causam damni grauis. Siquidem de facto fraudauit alium fructu sacrificij. Certè, si non facilè reperiatur alius Sacerdos, qui dicat Missam accepta stipe, cõsentio Bonacinæ, secus si reperiatur; tunc .n. prior Sacerdos satisfacit restituens pecuniam acceptam,

vt

vt illa Missa per alium dicatur. Ad hanc autem restitutionem non videtur teneri sub mortali, cum stipendium vnius Missæ sit materia leuis.

CAP. XI. QVÆST. I.

An beneficium simplex obliget ad dicendas Missas pro alijs.

4 SVpponimus, attendendam esse Beneficiorum institutionem, & finem. Nam quæ sunt instituta propter Missas offerendas pro alijs, vt sunt Capellaniæ (quò reuocari possunt anniuersaria, & similia) palam inducunt obligationem iustitiæ, quia redditus dantur propter hoc officium, & sub hac onerosa conditione. Reliqua verò Beneficia simplicia propter alios fines instituta, vel psallendi, vel inseruiendi Ecclesiæ, vel etiam ministrandi Sacramenta, vel coadiuuandi ministrantem, non inducunt obligationem offerendi pro alijs. Cæterum, quando Beneficium habet onus adiunctum dicendi, vel cantandi Missam in tali templo; quæri potest, an Beneficiarius debeat applicare Missam pro intentione, vel obligatione talis Ecclesiæ, an illam alteri possit applicare, vel gratis, vel accepto stipendio.

5 Prima sententia generaliter negat, posse talem Beneficiarium accipere stipendium ab alio, pro quo Missam offerat. *Ita Gauant.in Rubr. Missal. p.3.titul.17.nu.5.Barbos.de offic.Parroch.c.11. nu.11.& in collect. declarat.verb.Missar. eleemos.§.vlt.Diana p.2.tract.14.res.80. & p.4.tract.4. resol.16. & 231.* & quando cantatur Missa conuentualis. *Sic censet Bonac.de Sacram.disp.4. q. vltim. punct.7.citans alios.* Probatur primò ex *cap. Cum creatura de celebrat. Missar.* vbi decernitur, in Collegiatis occasione funerum celebrandas esse duas Missas, vnam iuxta officium, alteram de Defunctis, quasi Missa Capitularis non sit alijs applicanda, sed obligationi Capituli. Consonat decisio Pœnitentiariæ Mediolanensis, quam ibi refert *Bonac.*

6 Probatur secundò ex declarationibus Cardinalium, nam occasione quorundam decretorum, quæ Congregatio Concilij authoritate Pontificis edidit ann. 1625. dubia quędam proposita fuerunt, & an. 1626. respondet ad quartum, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Benefic. seu capellæ, legati, aut Salarij, si eleemosynas etiam pro alijs Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.* Vbi generaliter omnes, qui quomodolibet obligantur ad celebrandum tali tempore, vel in tali loco, prohiberi videntur, applicare Missam alijs, à quibus stipem acceperint. Similiter eadem Congregatio anno 1629. declarauit. *Missam, quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non posse pro ea manualem eleemosynam recipere.*

7 Probatur tertiò rationes, quia Missa solemnis, seu Conuentuali, seu Capitularis primariò respicit obligationem Conuentus, vel Capituli, vel illius Ecclesiæ, cui debeat applicari fructus ipsius. Ergo non potest alijs applicari. Probatur quartò. Nam stipendium Missæ datur ad sustentationem Sacerdotis, vnde si Sacerdos accepit pro dicenda, vel cantanda tali Missa, vel redditus Beneficij, vel salarium, vel stipendium, vel æquiualens emolumentum, iam non habet ius accipiendi rursus stipendium ad sui sustentationem ab alio pro eadem; cessat enim titulus sustentationis exigendæ.

8 Secunda sententia generaliter affirmat, posse Beneficiarium, quando solum obligatur ad celebrandum in tali loco, tali stipe, talique modo pro commoditate populi, vel Ecclesiæ decore, sine speciali obligatione Missam applicandi titulo Beneficij, posse fructum alijs applicare, ac ab eisdem stipendium accipere. *Sic Suar. Vazq. Alfons. de Leone. Fraxinellus, Homobonus, Bartholomeus à Sancto Fausto, Ludouic. à Cruce, Ludouicus de Torres, quos sequitur Cardinal. de Lugo de Euch. disp. 21. num. 21. Bordonus, Peyrinus, Possenuinus, & alij,*

quos

quos sequitur Auersa q.11. sect.17. Probatum. Nā diuersa quidem est obligatio dicendi Missam hic, & nunc v.g dumtaxat, vt populus audiat, & obligatio dicendi Missam pro tali populo, vel pro intentione determinata; dum ergo constat, vel fructus beneficij, vel salarium, vel aliud emolumentum dari pro prima dumtaxat obligatione, vel pro diuino cultu, vel authoritate templi, poterit Sacerdos Missæ fructum applicare, cui voluerit,& pro ista secunda obligatione recipere distinctum stipendium. Nec primę obligationi pręiudicat per secundam, nec ècontra: nec enim Ecclesiæ præiudicat applicans alteri Missæ fructum, & ab illo recipiens stipem. Nec huic præiudicat applicans ei totum fructum Missæ, quam alio titulo tenebatur celebrare,sed non applicare.

9 Ad textum in cap. *Cum creatura*, & ad illas declarationes Cardinalium respondent isti Doctores, intelligi debere de Missis, quas Sacerdos dicere tenetur, & simul applicare pro persona, vel intētione determinata. Nam intentio taliū constitutionum est,ne pro fructus applicatione vnius Missę duplex stipendiū recipiatur. At verò,si palam illæ duæ obligationes discernantur, & aliquis Sacerdoti dicat. *Ego tibi dabo tot redditus,aut pecunias,* pro quibus tenearis singulis festis,vel Dominicis in tali templo facere sacrum,fructum tamen illius applicare possis, cui volueris; non videtur dubiū, quin iste Sacerdos applicare possit alteri Missę fructum,& aliud stipendium talis applicationis accipere. Nec video, quomodo possit ius humanum hāc praxim valdè receptam, & rationabilem prohibere, nec quomodò possint honestatem illius negare Doctores illius sententiæ.

10 Quare tota difficultas consistere videtur in discernendo,quando separentur obligationes illæ, quando verò non, vel in Missis priuatis, vel in solemnibus. Hoc autem discerni debet ex institutione Beneficiorum, aut Capellaniarum, aut ex Ecclesiæ fundatione,seu dotatione,considerando circūstantias, & verba talium impositionum. Quod, si clarè constet intentio petentis Missam, non manet quæstioni locus. Si verò non omninò constet, recurrendum erit ad præsumptionem prudentum; circa quam nonnihil dissentiunt Doctores. *Alphons. de Leone de Iubilæo part.3.qu.10.num.27. & Auersa sup.* generaliter docent, præsumi prudenter obligationem etiam applicandi Missam. Quia petens dici Missam in tali loco, vel tempore data stipe,vel assignatio redditu, censetur,sibi velle consulere meliori modo, quo potest,præsertim in his, quæ conducunt ad animę salutem, cuius vnusquisquē præsumitur habere debitam, & sollicitam curam. Ergo præsumitur,velle Missæ fructum applicari sibi,vel intentioni suæ.

11 Per oppositum *Marchinus de Ordine tract.2.part.2.cap.27.num.5.* putat, obligandum non esse Sacerdotem ad applicandam Missam,quam in tali loco dicere tenetur; nisi manifestè constet talis obligatio verbis,vel circumstantijs fundationis,aut petitionis.

Probatur primò, nam in dubio melior est conditio possidentis, sed in hoc casu Sacerdos possidet suam libertatem ad applicandam Missam, cui voluerit. Ergo non est in dubio tali libertate priuandus.

Probatur secundò, quia nulla lex,etsi iusta, obligat subditum, nisi sit ei sufficienter intimata per claram sui notitiam. Sed obligatio Missam applicandi contrahitur per legem quasi priuatam, seu contractum quemdam onerosum, qui perficitur expressa voluntate contrahentium. Ergo Sacerdos non est obligandus ad applicandā Missam,nisi claram habeat talis obligationis notitiam.

Probatur tertiò. Nam in lege. *Quidquid astringendæ digestis de verbor.oblig.* dicitur. *Quidquid astringendę obligationis causa dictum est, id,nisi palam verbis exprimatur, omissum esse,intelligendum est.* Ergo, si petens,Missam in tali loco, vel tempore dici, vel instituens Capellaniam,aut Beneficium,non declarat verbis

bis expressis, se velle Missæ fructum, non est obligandus Sacerdos ad applicandam ipsi Missam, & sibi fundator imputet, quod mentem suam non aperuit, si quidem iuxta receptum axioma. *Propositum in mente retentum nihil operatur, imò præsumi potest*, noluisse sibi Missam applicari, nam, si voluisset, vtique declarasset.

12 Ego censeo, præscribi non posse regulam generalem, sed ex particularibus circumstantijs sumendam esse prudentem præsumptionem. Vnde dico primò, in Beneficijs simplicib. præsumi potest regulariter peti Missam ob solum Ecclesiæ decorem, vel ob commoditatem audientium, ac subindè posse Beneficiarium applicare Missam, cui voluerit. *Ita Cardinal. de Lugo supr. num.*23. Similiter quando Capitualis, aut Conuentualis iubetur, cantare Missam principalem, liberè manet ad applicandum fructum, cui voluerit, vt docet *Bonacin. supra citans Suarium, & Possevinum.* Ratio potest esse, quia regulariter ab his non exigitur applicatio Missæ, sed sola celebratio tali tempore, vel in tali loco; quare, dum non exprimitur obligatio Missam applicandi personæ, vel intentioni determinatæ, non censetur inesse. Huc pertinet, quando Confratres aliqui faciunt, Sacerdotem celebrare, vel in Oratorio, vel in templo suo, vt ipsi Missam audiant, & communicent ibi, vel ob commoditatem vicinæ gentis, & nihil aliud exprimunt, non censentur applicationem Missæ petere. Sic asserit. *Alphons. de Leone supr. praxim allegans*, testatur enim, id se vidisse sæpè consultum, & practicatum à viris timoratis, & doctis. Consonat *Bartholom. à S. Fausto de Iubil. lib.*1. *q.*81.

13 Dico secundò. In Capellanijs præsumitur obligatio Missam applicandi fundatori, vel eius intentioni, quando constat, Capellanum debere celebrare tot diebus, quamuis institutio Capellaniæ non reperiatur. *Ita Possevin. Fraxinell. Nald. quos sequitur Bonac. supr. n.*13. *Gauant. Homobon. Ghilin. quos sequitur Dian. p.*6. *tract.*6. *resol.* 13. Probatur, quia Capellaniæ regulariter instituí solent, vt Missæ fundatoribus applicentur. Ergo sic institutæ præsumuntur, quoties instrumentum, aut scriptura fundationis non habetur. Quippè fortissima præsumptio desumitur à consuetis, & communiter accidentibus, vt ait *Sanch. lib.*4. *Dec. c.*1. *n.*13. *Marian. Paris. lib.*1. *q.*18. *nu.*1. Quare tenetur Capellanus, applicare fundatori Missas, quas dicere iubetur, nisi clarè constet, Fundatorem solum Ecclesiæ, vel altari alicuius cultum respexisse.

14 Dico tertiò. In his, qui dant eleemosynas manuales pro Missis dicendis, semper præsumitur voluntas exigendi Missæ fructum integrum, vt applicetur sibi, vel intentioni suæ. Nam hæc est communis intentio dantium stipes Missarum, nisi contrarium exprimant. *Ita Card. de Lugo supr. Bonac. nu.*15. & alij communiter.

15 Ad primum, & secundum fundamentum primæ sententiæ constat ex dictis *nu.*9. quid intendat ille textus, & illæ declarationes. Et quidem secunda loquitur de Parochis, de quib. dicemus *qu. sequenti*, quando debeant celebrare pro populo suo: nunc asserimus, quoties tenentur celebrare coram populo, sed non pro populo, posse Missam applicare cui voluerint, nec in hoc casu loqui declarationem. Ad tertium respondetur, Missam Capitualem, seu Conuentualem primariò respicere diuinum cultum, & Ecclesiæ decorem, non applicationem Missæ, nisi constet expressè, vt vidimus supra *n.*12. Ad quartum respondetur, salarium, aut redditus, aut fructus Beneficiorum non dari regulariter ob applicationem Missæ, sed propter obligationem dicendi, vel cantandi Missas in tali loco, tali tempore, quæ quidem obligatio per se se dignam compensationem meretur, nec indè tollitur, quin postea Sacerdos propter applicationem Missæ recipere possit non pretium, sed stipendium ad sustentationem, de quo dicemus, *cap. sequenti*,

quenti, videatur Cardinal. de Lug. supr. num. 24.

CAP. XI. QVÆST. II.

Vtrum beneficia curata inducant obligationem dicendi Missam pro alijs?

16 PRima sententia quorumdam affirmat. *Ita Sot. de iust. lib. 9. q. 3. art. 1. Nunus 3. p. q. 83. artic. 1. dub. 9. concl. 2. Bonac. de Sacr. disp. 4. q. vltima punct. 7. nu. 5. Probatur* 1. *Quia Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.* sic inquit. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quib. animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* Quibus verbis satis indicat, dari diuini iuris obligationem, qua Parochus teneatur pro suis ouibus offerre Missam; & cum non sit iure diuino præscriptum, quibus dieb. Parochus teneatur suis ouibus applicare Missam, dum consuetudo, vel constitutio Synodalis id non determinat, Doctores isti variè designant. *Sotus* putat, quotidiè, si fructus beneficij sufficiant ad ipsum alendum, sin minus pro ipsorum quantitate ter, vel quater in hebdomada iudicio, vel Antistitis, vel viri prudentis. Nunus asserit, sic vsu ferè communi receptum esse. Bonacina censet, teneri saltem semel in hebdomada, quia sic prudentia dictat. Declaratio Cardinalium supra relata *nu.* 6. videtur designare dies omnes, quibus Parochus celebrare tenetur, si quidem in illis omnibus iubet, ne Parochus manualem eleemosynam recipiat pro Missa. Probatur secundò, quia tam decimas, quam omnes alios redditus Beneficij recipit Parochus, non solum pro cæteris ministerijs, sed etiam pro Missis applicandis vtiq; populo sibi commisso.

17 Secunda sententia communior, & probabilior negat, præcisè ratione Beneficij curati teneri Parochum vnquam applicare Missam suis ouibus, quamuis teneatur diebus Dominicis, & festis dicere, vel prouidere Missam, quam audiant. Nam vt vidimus, *nu.* 8. hæc obligatio distinguitur ab illa, nec vna colligitur ex alia; quoniam ex diuersis non fit illatio, *leg. obligationum substantia, §. 1. ff. de action. & obligation.* Idem colligit ex *leg. Papinian. ff. de minor. Menoch. tomo 3. consil. 248. num. 37.* Quare, licet Parochus ratione sui muneris teneatur, ministrare Sacramenta suis ouibus, orare pro ipsis, procurare salutem ipsarum spiritualem, prouidere quoque Missas, quas audiant, saltem in festis, non inde colligitur obligatio Missas eisdem applicandi, sicut etiam interdum tenetur Parochus celebrare pro communicandis infirmis; & tamen non tenetur ipsis applicare Missam. *Ita Suar. tom. 3. disp. 86. sect. 1. Vazq. 3. p. disp. 232 c. 2. & disp. 234. c. 4. nu. 27. Filliuc. tract. 5. nu. 174. Hurtad. de Missa disput. 4. diffic. 16. Card. de Lugo disp. 21. n. 19. Auersa q. 11. sect. 17. §. specialiter, Diana p. 2. tract. 14. resol. 26.* quorum aliqui subdunt, nisi detur contraria consuetudo. Verum, etsi detur, putant. *Possevinus de offic. Curati cap. 2. num. 4. Fraginell. de oblig. Sacerd. sect. 3. prænotation. 2. §. 2. num. 2. & alij,* talem consuetudinem non obligare sub mortali, quoties hoc onus non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex Episcopi præcepto; cum in præiudicium alicuius obligatio non sit inducenda sine claris probationibus. *Coninch. q. 83. num. 199.* negat etiam obligationem iustitiæ; sed addit, ratione sui muneris teneri Parochos saltem ex charitate nonnunquam orare pro subditis, quod conuenit fieri per oblationem Missæ. Verum, quanta sit hæc obligatio, vel quoties obliget, ex circumstantijs iudicio prudentis dijudicandum esse.

18 Dico primò, si consuetudo diœcesis, vel constitutiones Synodales decernant, quoties Parochus debeat applicare Missam suis ouibus, id esse seruandum. *Ita Suar. Vazq. Bonacin. Filliucius, & alij.* Quia Fundamentum

primæ

primæ sententiæ saltem probat, supposita institutione muneris Parochialis, ita Parochorum esse proprium, offerre sacrificia pro suis ouibus, vt ad id obligari possint consuetudine recepta, vel lege positiua, quæ prudenter, & iustè talem obligationem vtique præscribet. Quod si vel ipsamet institutio Beneficij, vel Ecclesiæ fundatio talem obligationem determinet, certissimum erit, obligare grauiter ad talem applicationē.

19 Dico secundò. Si nec institutio Beneficij, nec Ecclesiæ fundatio, nec consuetudo recepta, nec constitutio Synodalis, nec præceptum, aut lex aliqua particularis obligat Parochos ad determinatam applicationem Missarum pro suis ouibus, Ego non obligarem illos sub mortali, nec obligatione iustitiæ, nec charitatis ad talem applicationem; nam, vt benè perpendunt Authores secundæ sententię, tam grauis obligatio non est ponenda sine patenti fundamento, quod in pręsenti non apparet. Nam Decimæ, vel fructus beneficij satis compensantur alijs oneribus Parochorum. Verba Tridentini variè capiunt, qui post illud scripserunt, nimirum, vt intelligantur de generali fructu, quem celebrans applicat cunctis fidelibus, & præcipuè præcipuis, aut sibi magis coniunctis, quales sunt oues respectu Pastoris, vel significent obligationem, quæ Parochus tenetur petentibus subditis, & stipendium offerentibus applicare Missam, ne Parœciani cogantur, quærere Sacerdotes alienos ad Missas pro se, suisve defunctis offerendas. Declaratio Cardinalium iuxta superius dicta locum habebit, quando vel ex consuetudine, vel ex lege particulari tenetur Parochus applicare Missam suis ouibus.

(∴)

CAP. XI. QVÆST. III.

Vtrum Capellanus, qui tenetur Missas celebrare, possit illas supplere per alium?

20 CVm fundans Capellaniam, vel Anniuersarium, possit ad libitum apponere conditiones iuri conformes, vt ostendit. *Perez de Lara de Capellan. lib.2.c.2. & 8.* Similiterque dans stipem, possit honestas conditiones Missis dicendis adhibere; videndum est, quam obligationem huiusmodi conditiones Sacerdotib. imponant, & quomodò seruandæ sint. Et quidem generaliter dici potest, peccare Sacerdotem, qui per se, vel per alium non celebrat Missas, quot, & quales, & quo loco, vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, nisi aliud constet ex interpretatiua voluntate fundatoris, seu dantis stipem, vel aliud suadeat honestas, & debita deuotio. Facit enim contra voluntatem paciscentis, & contra pactum, & onus susceptum. *Ita Lara supra Henriq. cum alijs lib.9.c.73.nu.5. & c.24.n.4. Bonac. disp.4.q.vltim.punct.7.num.7.*

21 In particulari certum est, illum, qui vel ob stipendium acceptum, vel ob Beneficium, aut Capellaniam tenetur ad onera Missarum, absolutè loquendo, posse per alium satisfacere, nec ab Episcopo posse compelli, vt per semetipsum satisfaciat. Ita docent, & à Congregatione Cardinalium declaratum fuisse testantur. *Bonac. supr. q.7. §.1.n.1. cum alijs, B. Homobonus in examine p.1. tract.4.c.13.q.122. Diana p.2. tract.14. Resol.18. Auersa q.11. sect.18. §. Quarto ille*, qui colligunt inde, capellaniam, quamuis instituta sit ad celebrandas Missas, posse conferri Clerico tonsurato, qui sit Beneficij capax, & possit per alium dicere Missas. Idem est, si Capellania simpliciter instituatur cum onere tot Missarum; & multo magis si fundator apertè præscribat, vt Capellanus per se, vel per alium dicat tot Missas,

vt

vt notant. *Tabienn.verb.Beneficium,nu.* 83. *Sà verb. Benefic. nu.*28. *Selua de Benef.p.4. qu.2. num.3. Azor tom.1.lib.10. c.24.q.7. Lara supr.c.5.*

22 Certum est secundò, quoties fundaror expressè disponit, vt ad tale beneficium, aut Capellaniam eligatur Sacerdos,qui personaliter,vel per semet & non per alium Missas dicat, vel id habeatur ex aliquo statuto, vel consuetudine, teneri Capellanum ex iustitia Missas per se dicere, nec satisfacere per alium,nisi detur iustum impedimentum videlicet morbus, vel censura, vel irregularitas, vel quid simile. *Sic Azor tom.1.lib.10.c.24.q.7.& tom.2.lib.3.c.8. q.5. Fagund. precept.1.lib.3. c.9.nu.5.* & communiter Doctores. Probatur, quia tenetur ex iustitia seruare pactum implicitum cum conferente sibi Capellaniam, aut stipendium,vnde,nisi detur iustum impedimentum, non satisfaciet per alium. Iustum autem impedimentum excusat. Nam onus personale Missarum intelligi debet seruatis seruandis, conscientia nimirum, & honestate Sacerdotis, veneratione quoque debita sacrificio, vt habetur, *cap. Significatum de Præbendis.*

23 Addunt *Azor ea q.7. & Lara supr. c.8.nu.44.* Si fundator dicat, volo, vt sacrum fiat in tali templo, vel altari, posse Capellanum per alium celebrare, quia talibus verbis censetur locus electus, non persona. Si tamen dicat,volo, vt Capellanus sacrum faciat in tali loco, debere per semetipsum celebrare. Quia, cum verba dirigantur ad personam, censetur electa persona, *cap.Quoniam Abbas, de offic. delegat.* Verum, etsi verba dirigantur ad personam,dum non exprimunr, vt persemet celebret personaliter, posse Capellanum per alium supplere. *Docent Fagund. supr. nu.3. citans Tabienn. Armill. Suarium, & alios. Et Nicol. Garcia de Benef.p.7. c.1. n.89. referens Rota decisionem expressam.* Probatur, quia per posteriora verba non eligitur certa persona Sacerdotis, sicut per priora certus locus, sed eligitur Sacerdos absolutè, qui tales Missas dicat. Etenim,quamuis verba fundatoris directè tendant ad Capellanum, non autem respiciunt actum celebrationis ab ipso faciendum, sed ponuntur ad denotandum obligationem impositam Capellæ, quæ cum alioquin ex iure non requirat personalem residentiam, poterit per alium impleri,nisi perspicuis verbis oppositum exprimat; & hoc videtur probabilius.

24 Similiter, quandò fundator præscripsit, vt Capellanus celebret, vel debeat celebrare tot Missas, debere persemet celebrare. *Sentiunt Barbantia, Lambert. & Ioann. Gutier. apud Garciam supr.n.76.* Nam eo ipso, quod fundator voluit, vt Capellanus diceret tot Missas, voluisse videtur, vt illas dicat per se ipsum. Vnde colligunt,ad huiusmodi Capellaniam esse præsentandum Sacerdotem actu. Quidam apud eundem *Garciam nu.78.* putant,debere saltem esse Sacerdotem aptitudine, quatenus habeat ætatem legitimam ad Sacerdotium.

25 Melius tamen. *Homobon. Sà Bonac. Dian.supr. Zerol. Felin. Mandos.& alij, quos sequitur Garcia supr. num.86. Lara c.7.n.7. & c.8. n.42. Fagund. nu. 3. & 5. Gonzalez ad Regul.8.Cancell.Gl.5. nu.84. Barbos.de potest. Episc.p.2.Alleg. 24.num.29. Riccius in praxi decis.399.* docent, in hoc casu satis voluntatem Fundatoris, vt explicatam illis verbis, impleri, si Capellanus celebret per alium. Nam qui per alium facit, per se facere censetur, quò ad substantiam obligationis iniunctæ, nisi personalis industria requiratur expressè. Confirmatur declarationibus Cardinalium, & decisionib. Rotæ, quas refert *Garcia supr.nu.88.* & seqq.

26 Hinc fit primò, posse conferri talem Capellaniam Clerico quatuordecim annorum, qui non est Sacerdos actu, nec aptitudine proxima. Fit secundò, talem Capellaniam non requirere personalem residentiam, cum sit beneficium simplex, quod ex generali con-

consuetudine non requirit illam, ac subindè compatibilis est cum quolibet alio beneficio, cui talis Capellanus rectè poterit inseruire, dicens Missas Capellaniæ per alium. Fit tertiò, tunc Beneficiatum, aut Capellanum posse cogi ad Presbyteratum, quando fundator expressit, quod actu debeat esse Sacerdos, & per se ipsum deseruire. *Sic tradunt Diana supr. & Piacesius in praxi p.2.c.3.art.5.n.4.*

27 Addit *Garzia supr.n.57. & sequentibus*, quoties in fundatione dicitur, quod tale beneficium non conferatur, nisi Presbytero, vel quod conferatur Presbytero, vel quod præsentetur Sacerdos, aut Clericus, qui Missam celebrat, vel ponuntur similia verba respicientia tempus, aut actum præsentationis, debere præsentari Sacerdotem actu, quia qualitas adiuncta verbo, intelligitur secundum tempus illius, vt multis ostendit, *num.61. & sequentibus*, vbi refert aliquos opinantes, sufficere Sacerdotem aptitudine proxima, nisi Sacerdotium requiratur per verba negatiua. Si verò fundator dicat, quod Capellanus teneatur celebrare diuina officia diu, noctuque, respondit Congregatio. *Concilij super sess.25. c.5.* ex his verbis non inferri, quod Capellanus debeat esse Presbyter. Imò, quamuis fundator requirat, vt Capellanus per se ipsum celebret Missas; respondit Congregatio, posse nihilominus conferri simplici Clerico Capellaniam, dum intra annum promoueri possit ad Sacerdotium, nisi verba fundationis alioquin apertè requirant, obtinentem esse Presbyterum. *Ita refert Garzia n.99. videatur etiam Lara eo lib.2. c.5. nu.16.*

28 Certum est tertiò, si fundator disponat, vt Capellanus debeat personaliter residere, requiri residentiam personalem ex proprietate verbi *resideat*, nec posse suppleri per alium, vt notant, *Gonzalez supr. nu.100. & sequentibus. Garzia num.98. & sequentibus, Nauarrus cons.6.num.2. de cleric. non resid.* qui subdit, *nu.3.* verbum *intersit, cantet*, vel *seruiat*, in fundatione Capellaniæ positum, tantum importare, quantum verbum *resideat*, ac subindè postulare residentiam personalem. *Annuit Garzia supra nu.89. quò ad verbum intersit*, vel *assistat*, secus quò ad verbum *cantet*, vel seruiat, nisi residentia personalis aliundè colligatur, vt constat ex declarationibus Cardinalium, quas refert, *num.87. & 93. verum addit cum Lara supr.c.7.num.6.* Capellanias petere residentiam personalem, quando præter Missarum celebrationem habent onus iuuandi Parochum in cantando, & similibus, nam, vbi requiritur assistentia chori, censetur iniunctum seruitium personale, non solum chori, sed etiam Missarum. Consonat *Zerola in praxi Episcoporum p.1. verb. Beneficium ad primum, versic. tertio Capellaniæ* citans textum *in cap. Significatum, de Preb.* & declarationem Cardinalium expressam, & alios Doctores.

29 Iam sit dubium primum. An Capellanus impeditus legitimè teneatur Missas supplere per alium? Et suppono primò, si Fundator expressè, vel tacitè significat, se velle, ne desit vnquam Sacrum in tali loco, vel capella diebus assignatis, standum esse tali voluntati, subindeque Missas esse supplendas per alium. *Ita Cardinal. de Lugo disp.21. nu.48. Auersa q.11. sect.18. §. Secundò Sacerdos.* Si verò *Fundator* nihil circa casum istum significarit, suppono secundò, spectandam esse cuiuslibet Ecclesiæ constitutionem, vel consuetudinem: Nam explicare modum satisfaciendi Fundatorum voluntati pertinet ad Ecclesiæ Prælatum, vt notant. *Abbas in c. significatum de Prabend. & Layman lib.5 c.3.nu.6.*

30 Suppono tertiò, si morbus, vel aliud impedimentum longo tempore duret, conuenire ferè Doctores. Missas esse supplendas per alium, ne diu Fundator, & Ecclesia spirituali fructu priuetur, limitat *Layman supra cum alijs*, nisi redditus ita tenues sint, vt alendo Capellano

lano languenti vix sufficiant, tunc enim ipsi tribui debent. Siquidem æquus dominus ægrotanti famulo debet alimenta præstare. Si verò duret breui tempore, conueniunt item, non debere suppleri. Quia non est præsumendum, velle Fundatorem, vel Ecclesiam tam strictè Capellanum obligare, nec forsan esset rationabile tantum emungere. Nam etiã herus, tametsi iure possit detrahere de mercede famuli propter eius morbum, vt colligitur *ex leg. si vno*, §. *Item, ff. locati*, & *docent Angelus*, *Syluest. Armill. verb. familia*. *Couarr. 3. variar. cap. 13. num. 8.* tamen, si pius fit, non facilè detrahere solet, quando morbus breui tempore durat.

31 Dissentiunt verò Doctores in assignanda duratione, quæ breuis reputetur ad hoc propositum. *Molfesius*, *Riccius*, *Homobonus*, *Barbos. Fraxinellus*, *Graffis*, quos refert *Diana par. 2. tract. 14. resol. 27.* designant octo, vel decem dies. *Bonac. disp. 4. qu. vlt. punct. 8. n. 17.* & *Diana supra designant quindecim dies*. *Layman supra*. *Hurtado de Missa disp. 4. difficult. 1. Diana par. 4. Resol. 238.* id spatium extendunt ad vnum mensem. *Nauar. Vega*, *Manuel*, *Auila*, *quos sequitur Cardin. de Lugo nu. 49. Peyrinus*, & *Naldus*, *quos sequitur Auersa supra*. Idem *Diana par. 5. tr. 13. resol. 51.* extendũt ad duos menses. Nam in obligatione perpetua rẽputant, hanc intermissionem esse breuem.

32 Ego quidem vlterius distinguo. Si Capellanus ex fundatione, vel statuto, vel consuetudine nõ tenetur, dicere Missas per se ipsum, sed potest eas dicere per se, vel per alium, cum ægrotat, vel alias impeditur, tenetur, supplere per alium, cum possit hoc modo satisfacere Capellaniæ. Sic docet *Azor. tom. 1. li. 10. ca. 24. qu. 7.* & in hoc sensu verè dicunt *Syluest. Missa 1. q. 7. Tabien. n. 45. Henriqu. lib. 9. c. 24. n. 4.* Capellanum teneri, dum impeditur, supplere Missas per alium. Si verò Capellanus tenetur, dicere Missas per se ipsum, at non quotidie, sed duas, vel tres in hebdomada, poterit impeditus Missam in aliud tempus differre; non enim facit contra rationabilem voluntatem testatoris. Ita *Bonac. sup. punct. 7 § 1. n. 3.* qui subdit. Si verò fundator exigat, vt citissimè sacrificia persoluantur, melius esse supplere per alium in eadem hebdomada, quia, sic obseruatur testatoris voluntas, quæ, tamquam lex, est adimplẽda, quantum fieri possit. Quod Ego intelligo iuxta superius dicta *n. 29.* quando Fundator significauit, se velle, ne deesset sacrum in tali Capella, vel templo singulis hebdomadis. Alioqui non præsumetur exigere tam citissimam celebrationem, vt non patiatur ex iusta causa moderatam dilationem.

33 Si Capellanus tenetur, quotidie celebrare per se ipsum, & impediatur legitimè, nec per se, nec per alium tenetur celebrare. Sic docet *Azor supra*, quia, iustam habet excusationem oneris sui nec obligatur ad substinendum alium, dum talis obligatio non exprimitur in fundatione. Quod maximè verum habet, quando *iuxta superius dicta nu. 30.* non habet Capellanus, vnde viuat, nisi de redditibus Capellaniæ, qui vix sufficiunt ipsius alimentis. Si tamen habeat, vnde viuat, & simul possit supplere Missas per alium, saltem per duos menses supplere non tenetur *iuxta dicta nu. 31.* Nam id reputãt plures Doctores breue tempus, quo propter impedimentum cessare præsumitur obligatio celebrandi per se, vel per alium. Vltra duos menses Ego non consulerem omissionem dicendi Missas per alium, quia, licet non videam rationem conuenientem, communis Doctorum præsumit, noluisse Fundatorem concedere longiores inducias, si non expressit.

34 *Nauarra de Restitut. lib. 2. capit. 2. num 210.* concedit etiam duos menses cessationis celebrandi per se, vel per alium Capellano languenti, qui tenetur, dicere tres Missas in hebdomada; Si tamen negotijs etiam iustis, vel alijs causis honestis impediatur, putat, nec vnius Hebdomadæ Missas omittere posse, quin teneatur, vel per alium supplere, vel dicere postea per se ipsum. Ego certè

certè non videò, cur potius morbus, quam aliud impedimentum iustum excuset omninò Capellanum istum à Missis duorum mensium. Non enim magis prudenter præsumetur Fundator consentire talem omissionem, quando Capellanus ægrotat, quam, dum detinetur in vinculis apud infideles propter Fidem, vel alio simili tenetur impedimento. Qua propter ex rigore iuris standum est supra *dictis num.*32. At ex æquitate tale nonnunquam erit impedimentum, vt piè præsumatur omninò deobligari talem Capellanum à celebratione Missarum, non solum duorum mensium, sed etiam plurium.

35 Sit dubium secundum. An Capellanus obligatus dicere Missas per se ipsum, si satisfecit per alium, peccauerit, & teneatur ad restitutionem? Peccare, fatentur omnes, & grauiter, quia non seruat pactum in re graui. *Sic Azor supra Bonacin. disput.*4.*q.vltim.punct.*7. §.1.*nu.*2. qui subdit, *Si Fundator* adiunxit pœnam priuationis contra Capellanum non celebrantem per se ipsum, posse per iudicem priuari titulo, vel declarari, contraxisse pœnam priuationis iuxta communem Doctorum in materia de legibus. Quoad restitutionem. *Fagund. Precept.*1. *libr.*3. *cap.*9. *num.*5. dixit, peccare contra iustitiam, & ad restitutionem teneri, quia pactum iustum non seruat, & mortuos defraudat suffragijs debitis. Certè, si nec per se, nec per alium Missas dixit, valet ista ratio. Cœterum, si per alium satisfecit, non tenetur ad restitutionem, quia tantum exhibuit per alium, quantum exhibuisset celebrando per se ipsum. Et per consequens non violauit iustitiam cum damno alterius, quod ad obligationem restitutionis requiritur. *Ita docet Bonacin.* supra dicens, ita censuisse Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanensis.

36 Sit dubium tertium. Vtrum Missæ, quas Petrus tenetur celebrare per se, vel per alium, possint à Ioanne celebrari, & applicari tali obligationi. Petro nesciente. Affirmant *Nauarra, Corduba, Manuel. Angles*, quos sequitur *Bonacin. supr. n.*4. Nam verè Ioannes satisfacit oneri Petri, dum applicat Missas eius obligationi. Quare Petrus monitus non tenetur, iterum dicere Missas illas. Quod si Ioannes non intendit, celebrare gratis, posse recipere stipendium à Petro, docent Authores relati. Quia dignus est operarius mercede sua. Quod Ego concedo, si Petrus acceptet illam applicationem cum onere soluendi stipendium; at, si velit ipse Missas illas dicere, ac excusare solutionem stipendij, non videtur obligandus ad acceptandam illam applicationem, & ad stipendij solutionem.

CAP. XI. QVÆST. IV.

Quales Missas teneatur dicere Capellanus?

37 SVpponimus, Capellanum debere dicere tot Missas, quot in fundatione iustè postulantur. Nam pactum inclusum in acceptatione Capellaniæ ad hoc obligat ex iustitia; sicut stipendium iustum pro certo numero Missarum oblatum, & acceptatum obligat ad illum numerum. *Ita Bonacin. cum multis disput.*4. *quæst. vltim. punct.*7.§.2. *num.*1. Quo ad qualitatem Missæ, quomodò debeamus seruare rubricas Missalis, diximus supra *cap.*9.*q.*4. *num* 33.*&* 34.

38 Dubium tamen est, quando Sacerdos, vel ex promissione, vel ex voluntate dantis stipem, vel ex fundatione Capellaniæ tenetur, celebrare certas Missas, scilicet de Beata Virgine, vel de Defunctis, an possit aliam dicere. *Negant Angelus verbo Missa num.*52. *Armill. ibi num.*36. *Barthol. ab Angelo de Missa* §.749. Nam infideliter agit non stans promissis, & pactis. At communiter Doctores excipiunt, nisi subsit iusta causa celebrandi Missam diuersam. Licet enim voluntas testatoris, seu fundatoris, seu dantis stipem sine

iusta

Iusta causa mutari non possit; tamen, dum subest iusta causa, nullumque sequitur graue detrimentum, aut substantiale, mutari potest quoad circumstantias accidentales. Et quamuis Missa defunctorum secundum preces institutas ab Ecclesia plus prosit defunctis, quam alia; cœterum, vt sacrificium est, æqualiter prodest, & excessus Missæ petitæ compensari potest, vel deuotione Sacerdotis, vel intercessione Sancti, cuius Missa celebratur. *Ita Sylnester, Sotus, Victoria, Nauarrus, quos sequitur Suarez 3. part. tomo 3. disputat.83. section.3. Sanct. Antoninus, Armilla, Tabienna, Henriquez, Vgolinus, Miranda, quos sequitur Bonacin.supr.§.3.num.4. Fagundez, Syluius, Azor, Sà, Villalobos, & alij, quos sequitur Diana part.2. tractat.14.resol.31. Auersa qu.11. sect.18. §. Primò Sacerdos.*

39 Iusta vero causa in primis erit, si duplex occurrat, vel dominica; tunc enim iuxta Rubricas Missalis non potest dici Missa votiua, nisi pro re graui. Quare *supra cap.9. nu.34.* diximus esse culpam saltem venialem in talibus diebus dicere Missam votiuam priuatam. Ideò quoque, si Fundator præscribat, vt in Dominicis, vel festis duplicibus aliæ Missæ dicantur, non valet talis dispositio, quoniam, vt docet, *Ancharannus, & Imola in cap. significatum de Prabend. Abbas ibi numer.3. Decius num.5.* institutio contra regulas Missalis non valet. Missale verò iubet, vt in Dominicis, & duplicibus dicantur Missæ propriæ diei, non votiuæ. Sic notat *Auersa supra, Sà, verbo Missa num.48.* & multi dicunt, melius esse, seruare Missalis Rubricas, quam ob priuatam deuotionem inuertere præscriptum ordinem Missarum.

40 Iustam etiam causam putant esse festum semiduplex, *Pater Azor, Bonacin. Fagundez apud Auersam supra, Sà supra. Diana generaliter assignat solemnitatem Sancti. Bonacina* subdit, de quo celebretur officium simplex, aut duplex. Rationem reddunt, nam intercessio Sancti, de quo dicitur Missa propria talis diei, recompensat particularem deuotionem petentis aliam Missam, & orationes, cuius Missæ compensantur orationibus alterius. Vnde nulla fit iniuria petenti; & aliunde conformatur Sacerdos cum spiritu matris Ecclesiæ colentis illo die talem Sanctum. Demum sine limitatione dierum generaliter asserunt, satisfacere Sacerdotem cuilibet Missæ postulatæ, si dicat Missam diei iuxta dispositionem Missalis. *Suarez supra Villalobos, & Ioannes de la Cruz, quos sequitur Cardinal. de Lugo de Eucharist. disp.21.n.35, Petrus de Ledesma, & Bordonus, quos sequitur Auersa supra.* Probant, quia Sacrificium semper idem est, & habet eundem effectum, preces verò compensantur per alias, & per maiorem deuotionem Sacerdotis in dicenda Missa talis diei iuxta rubricam de Missis votiuis præscribentem, vt, quoad fieri possit, Missa cum officio conueniat.

41 Vt in tanta varietate Doctorum dicam meum sensum, suppono primò, Missale concedere, vt Missæ votiuæ dici possint priuatim pro Sacerdotis arbitrio, quoties non est Dominica, vel duplex, addit tamen. *Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum officio conueniat.* Vbi planè concedit, aliquando dici tales Missas pro solo Sacerdotis arbitrio; vt autem passim dicantur, requirit rationabilem causam, quæ quidem absque dubio subest, quando Sacerdos promisit cum iuramento, se dicturum Missam petitam die profesto non duplici. Cum enim iuramentum illud sit derelicta, palam obligat. Ita notat Auersa supra, quin etiam simplex promissio sufficit, cum saltem obliget ex fidelitate. Quare Sacerdos, qui promisit talem Missam die non prohibito, rationabilem causam habet dicendi Missam votiuam etiam

passim, ne scilicet violet fidem suæ promissionis. *Ita Fagund. Præcept. 1. lib. 3. cap. 9. num. 6. & cap. 10. num. 12. Nauarrus in Man. cap. 25. nu. 134. & in cons. lib. 3. tit. 41. de celebrat. Missar. cons. 6. citans textum in cap. 1. & cap. Qualiter de pactis.* Quod magis vrget, si Sacerdos promisit celebrare in altari priuilegiato habente indulgentiam pro Missis tantum de *Requiem*. Nam ex hoc etiam capite planè tenetur, dicere talem Missam, vt censet Auersa supra.

42 Suppono secundò, si timeatur scandalum, aut perturbatio petentis talem Missam, & audientis aliam, debere dici Missam petitam. Sic expressè notat Auersa. Significant *Diana Suarez, & alij*, qui secludunt scandalum, vt possit dici Missa diei loco votiuæ postulatæ. Secluso tamen scandalo, seclusa promissione, vel simili obligatione particulari: restat difficultas, an ob solam voluntatem Fundatoris, vel petentis Missas votiuas, possint, aut etiam debeant dici passim. Multi negant debere, vt vidimus, *nu. 40.* & censent, regulariter esse magis expediens quolibet die dicere Missam officio conformem. *Excipit Nauarr. lib. 2. cap. 2. num. 248.* Si quis augeat notabiliter stipem, vt dicatur Missa votiua cum certis orationibus, tunc enim ratione pacti docet, teneri Sacerdotem illam dicere.

43 Ego certè non video, quomodò possit in hoc casu regulariter excludi promissio, seu pactum saltem implicitum. Nam eò ipso, quod Sacerdos accipit stipem petentis talem Missam, aut recipit Capellaniam præscribentem tot Missas de *Requiem*. Vel de Beata Virgine, vel similes, implicitè saltem suscipit obligationem, & præstat fidem implendi, quod petitur, aut iniungitur. Vnde iam habet rationabilem causam dicendi tales Missas votiuas etiam passim extra Dominicam, & festum duplex, & consequenter potest iuxta Rubricam, & debet iuxta pactum illas dicere. Sic ferè censent *Fagundez, & Nauarrus supra Henriquez lib. 9. cap. 25. nu. 6. cum alijs. Zerola in praxi Episcopor. part. 1. verbo Missa §. ad tertium, & quot quot asserunt, peccare Sacerdotem, si non dicat Missam, qualis petitur.*

44 Fundamentum oppositum non conuincit, nam, & si sacrificium sit æquale, preces, & ritus Missæ de *Requiem*, magis prosunt defunctis, vt aiunt Doctores nuper relati cum alijs, aliæ quoque Missæ votiuæ ob specialem deuotionem petentis erga talem Sanctum, vel officium poterunt magis prodesse petentis intentioni. Rubrica Missalis satis seruatur, vt vidimus, & illa conuenientia conformandi communiter Missam cum officio, limitatur expressè, quoad fieri possit, & in nostro casu vidimus, licitè fieri non posse; sufficiet tamen, vt quoties in Capellanijs postulantur plures, & frequentes Missæ votiuæ, prudenter Episcopus dispenset, & pro maiori saltem parte commutet illas in Missas officio conformes. Hoc enim Episcopum posse, docent *Fagund. & Zerola supra.*

45 Hinc fit primò. Sacerdotem, quando licitè dicit Missam diei pro votiua postulata, videlicet in duplicib. vel Dominicis, non debere dicere collectam talis Missæ, vel pro defunctis, nam Ecclesiæ præceptum illis dieb. præstat, vt orationes Missæ diei æquiualeant præcibus postulatis. *Ita Bonacin. supra n. 5. cum alijs.* Fit secundò. Sacerdotem, qui suscepit dicendas triginta Missas, quas vocant D. Gregorij, non teneri dicere omnes de *Requiem*, nam in Dominicis, vel duplicib. occurrentibus, id non licet. Nec omnes continuè, quia forsan occurrent dies, in quibus licitè, vel honestè celebrare nequeat. *Ita Bonac. n. 6. & 7.*

46 Fit tertiò, Sacerdotem non dicentem Missas petitas, quando deberet eas dicere, peccare quidem mortalit. vel venial. pro grauitate, vel lepitate materiæ. Nimirùm, si stipẽdiũ Missæ notabiliter augeretur propter onus dicẽdi talẽ Missã, cũ talib. collectis, tũc Sacerdos nõ implens pactum

pactum peccaret mortaliter, vt docet *Nauarra supra, & Diana part.3.tract.6. Resol.62.* Idem esset, si sequeretur damnum, aut scandalum graue petentis Missam ex eius mutatione; si tamen interueniat simplex promissio, communiter erit veniale peccatum, vt aduertit *Auersa*; si iuramentum addatur, perpendi debet, quanta sit obligatio iuramenti promissorij circa talem materiam?

CAP. XI. QVÆST. V.

An Capellanus teneatur dicere Missas in loco per Fundatorem designato?

47 Communiter affirmant Doctores, & dicunt, peccare mortaliter, qui sine iusta causa celebrat alibi. Sic *Sotus, Tabienna, Zeuallos,* quos sequitur *Fagund. Præcept.1.lib.3.cap.23.numer.5. Possevinus cap.2.num.25. Bonacin. de Sacram. disput.4.qu.vlt.punct.7 §.4.num.2. Auersa qu.11.sectio.18.§. Octauò quando, & alij plures.* Probatur. Quia Sacerdos non celebrans in loco per Fundatorem designato, non implet eius voluntatem iustam in re graui, nec obligationem à se susceptam, quando Capellaniam acceptauit, sic institutam.

48 Notant *Auersa supra. Bonac. n.3. & 4. cum alijs*, non sufficere consensum hæredum, vt Capellanus mutet locum à Fundatore designatum, nam hæredes ipsi tenentur adimplere voluntatem testatoris. Poterit tamen Episcopus, seu Prælatus habens facultatem commutandi legata pia, nonnumquam ex causa iusta concedere, vt Missæ celebrentur in alio templo, vel Altari (causam iustam in præsenti reputo, quæ, licet per se non excuset à dicendis Missis in tali loco, sufficit tamen, vt dispensetur in tali circumstantia,) sicut in casu particulari potest ex iusta causa commutare legatum piū in alios vsus æqualiter pios, saltē quando tertio non est ius acquisitum, vt docent *Henriqu. lib.7.cap.15. nu.2. & lib.9. P. Lugo de Sacramentis, ca.22.num.6. Graffis part.1. lib.2. cap.53. nu.11. Riccius verbo Praxis Capellaniarum decis.405. cum alijs.*

49 Iam sit dubium primum; Quæ sit iusta causa mutandi locum? Potest esse, vel impedimentum loci, vel Capellani, vel vtriusque. Et quidem, quando Capellanus obligatus ad dicendas Missas per semetipsum non potest adire locum designatum, vel quia profectus est ad aliū ex vrgenti causa, vel taliter infirmatur, vt possit in loco sibi commodiori celebrare, non autem in designato; fatentur Doctores citati, satisfacere celebrātem alibi; nam hæc videtur rationabilis voluntas testatoris. Addo, si sit impedimētum diuturnum, vel non omnino legitimum, tutius fore petere dispensationem ab Episcopo iuxta dicta numero præcedenti.

50 Si sit impedimentum totale loci, quia vel Altare, vel templum omnino corruit, vel indecens redditum est, vel est violatum, vel interdictum cum cessatione diuinorum; cessat obligatio dicendi Missam ibi. An verò teneatur Capellanus alibi dicere? *Cardinal. de Lugo numero 42. & Auersa §. Si tandem distinguunt.* Si Fundator attendit principaliter cultum, & splendorem talis loci, vel propter cultum alicuius Sancti, vel ob populi commodum occurrentis ad audiendum Sacrum, vel ob memoriam suæ familiæ, cuius est talis Capella, vel Ecclesia, putant, omnino cessare Missarum obligationem, quia cessat principalis intentio Fundatoris, sicut, qui vouit ieiunium in Vigilia talis Sancti, si ieiunare nequeat eo die, non tenetur alio.

Si verò Fundator principaliter attendit fructum sacrificij, vel cultum Dei; non omninò cessat obligatio, sed celebrari debet in alio templo, vel Altari eiusdem templi, si solum Altare designatum fuerit demolitum, aut impeditum; Et in dubio præsumitur hæc posterior intentio, vtpotè magis proficua Fundatori. Sic ex capit. *Nos quidem de Testament.* Si Monaste-

rium construi non possit in loco designato per testatorem, alibi debet ædificari, quia testator præsumitur voluisse, quod vtilius sibi foret, & mihi placet illa distinctio, cuius vltimam partem tenent etiam. *Fagund. supr. Bonacin.3. Sà verbo Missa num.47. Naldus ibi num.3. Azor tom.1. lib.10. c.24. q.8. & alij.*

51 Interdum impedimentum, etsi non tollat omninò celebrationem, reddit illam difficiliorem in tali loco, ita vt excuset loci mutationem, si nimirum inueniatur locus occupatus ab alio, & opus sit nimis expectare, vel propter Missam solemnem, aut concionem, vel quid simile, dum Capellanus alijs negotijs vrgetur, licitè poterit alibi celebrare; Verum expedit, vt, quando præuidet impedimentum eiusmodi futurum, præueniat cautè, ne frequenter id contingat. *Sic Auersa supr. §. Octauo quando. Cardin. de Lugo nu.38. & 40.*

52 Addit Auersa, iustam causam mutandi locum esse, si Sacerdos vice altaris non priuilegiati celebrat in altari priuilegiato, quando postulatur Missa pro defunctis. Sed id benè limitat. *Card. de Lugo nu.37.* nisi Fundator altare non priuilegiatum designasset ob eius specialem cultum, & splendorem, iuxta superius, *dict. num.50.* Similiter, si Fundator designauit illud altare, quia priuilegiatum erat, satisfacere Capellanum, si celebret in alio altari eiusdem Ecclesiæ pariter priuilegiato, docet. *Cardin. de Lugo nu.39.* Sed id accipiendum est cum eadem limitatione nuper exposita, cum militet eadem ratio limitandi.

53 Quod si Capellanus in isto casu celebret in altari non priuilegiato, deferens secum calculum, vel imaginem benedictam cum indulgentia pari liberandi singulis Missis singulas animas, *Megala tom.1. Resol.187. nu.20* dicit, satisfacere per æquipollens; quia nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat, *leg. in §. fin. ff. mandati*. Nec minus certa, vel secura videtur indulgentia calculi, quam altaris. *At Farinell. Homoben. Marchin. Ruteus, quos sequitur Diana p.4. tractat.4. resolut.40. & part.6. tractat.6. resolut.12.* iuxta distinctionem suprapositam, dicunt. Si Fundator intendit cultum specialem illius altaris, non satisfacere, quia verè frustratur intentio Fundatoris; Si verò solum intendit Missæ fructum, & indulgentiæ, satisfacere per æquiualens. Absolutè dicunt, non satisfacere. *Cardinal. de Lugo num.39. Bonacin. disput.4. q. vltim. punct.7. §.4. & Auersa §. specialiter.* Quia regulariter altaris indulgentia solet esse magis authentica, & subindè magis secura, quam indulgentia calculi, vel imaginis. Quare, dum Fundator elegit securiorem sibi fructum, non satisfacit Capellanus applicans minus securum. Ideò debet in praxi hæc sententia præferri.

54 Notant *Nauarr. & Zerola, quos sequitur Fagund. Præcept.1. lib.3. cap.9. num.7.* sufficere quamlibet Missam in altari priuilegiato dictam, vt anima liberetur à Purgatorio. Verum *Diana part.4. tractat.4. Resolut.233.* refert declarationem Congregationis Rituum sic asserentem. Missa celebrata in altari priuilegiato pro defunctis non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de Requiem, licet in indulto non exprimatur. Auersa supra dicit, hanc declarationem intelligendam esse, quando priuilegium altaris est tantum pro Missis de *Requiem*, at, si sit pro Missis omnibus, pariter satisfieri per omnes. Ego moneo primò, videndum esse tenorem priuilegij, si fieri possit. Secundò, declarationes illas, nisi constent authenticè, non facere plenam fidem, vt ipsimet Cardinales decreuerunt. Quare, dum priuilegium expressè non limitatur ad Missas de *Requiem*, dumtaxat, bona fide potest ad omnes extendi.

55 Sit dubium secundum. An mutare locum designatum semper sit mortale peccatum? Quamuis affirment absolu-

ſolutè Doctores ſupra relati, *num.*41. debet excipi paruitas materiæ, cuius eſt capax hæc obligatio, ſicut aliæ communiter. *Ideò Cardinal. de Lugo num.*36. *Auerſa* §. *Octauo quando*, dicunt, fore veniale, ſi raro mutetur locus. *Diana part. ſecunda tractat.*14. *Reſolut.*29. veniale reputat, ſi Capellanus bis, aut ter in anno non celebret in altari, vel ſacello deſignato. Quod ſi principaliter attendit Miſsæ fructum, & non cultum ſpecialem loci, facilius excuſabitur à mortali mutatio loci, vel altaris intra idem templum; at ſi mutetur etiam templum, iam fiet in præiudicium deſignati, cui ius adquiſitum erat. Item poteſt eſſe cauſa mutandi altare, vel Eccleſiam, quæ grauem culpam excuſet, non verò leuem, ſcilicet ob vitandam moleſtiam, aut incommodum aliquod, dum tamen id adhuc non fiat nimis frequenter.

56 Sit dubium tertium. An qui mutauit locum deſignatum ſine iuſta cauſa, non ſolum peccet, ſed etiam teneatur ad reſtitutionem? *Affirmant Azor, Nauarrus, Henriquez, Manuel, Zerola, Sotus, & alij, quos ſequitur Fagund. Pracept.*1. *libr.*3. *cap.*9. *numer.*2. Quia non ſeruauit pactum, nec debitum perſoluit, debebat enim deſignato templo, vel altari cultum celebrationis, & ibi facere ſacrum, vbi fideles exercitarentur ad preces fundendas pro Fundatore, vel eius defunctis.

57 Negant verò probabilius. *Bordonus Reſolut.* 25. *quæſt.*17. *Poſſenin. capit.*2. *num.* 25. *Fraxinellus ſection.*4. *concluſ.*4. *paragraph.*9. *num.*3. *Diana part.*2. *tit.*14. *Reſolut.*29. *Auerſa ſupr. Bonacin. num.*5. Probatur, quia talis Capellanus non priuat Fundatorem Miſsæ fructu, dum alibi celebrat. Ergo non tenetur ad reſtitutionem; nec ad denuò celebrandum in loco deſignato; quia ſimpliciter adimpleuit obligationem celebrandi, variata ſolum circumſtantia loci, ſi tamen hæc variatio damnum aliquod intuliſſet, nempè, quia defunctum fraudauit ſuffragijs, quæ in loco deſignato retuliſſet ex concurſu Fidelium, debet hoc Capellanus alijs precibus, vel ſubſidijs compenſare. Si verò commutauit altare priuilegiatum deſignatum cum alio non priuilegiato iuxta ſuperius *dicta nu.*53. verè non ſatisfecit, & ita tenetur iterum in altari deſignato celebrare.

58 Confirmatur à paritate. Nam debitor, qui non ſoluit creditori pecuniam in loco deſignato, ſed alibi, non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus intereſt creditoris, ſibi non fuiſſe ſatiſfactum in tali loco. Ergo ſimiliter Capellanus, qui non celebrauit in loco ſibi deſignato, ſed alibi non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus intereſt Fundatoris, Miſsas ibi non fuiſse celebratas. Item Capellanus, qui tenetur quotannis quinquaginta Miſſas celebrare, ſi prætermittat illas hoc anno, celebretque ſequenti centum Miſsas, non tenetur ad reſtitutionem fructuum, cum ſoluat debitum ad æqualitatem, quamuis peccauerit in dilatione, ſeu circumſtantia temporis, vt docet, *Suarez de Relig. tomo* 2. *tractat.*4. *libr.*4. *cap.*29. *num.*11. *& Bonac. ſupra.* Pariter igitur in noſtro caſu.

CAP. XI. QVÆST. VI.

An Capellanus debeat celebrare tempore per Fundatorem præſcripto?

59 De Miſſarum anticipatione diximus *ſupra capit.*3. *num.*36. *& ſequentibus*, de dilatione dicemus, *capit. ſequenti*. Nunc noto primò. Si Capellanus teneatur ex fundatione ter, aut quater in hebdomada celebrare, per ſe loquendo ſatisfacere celebrando diebus pro feſtis, quando fundator feſtos non expreſſit. Si verò nullum aliud Sacrum fit in loco deſignato, præſumendum eſt, voluiſse Fundatorem ibi ſacrum fieri diebus feſtis, vt in colæ

satisfaciant ibi præcepto Missam audiendi, nisi colligatur oppositum ex mente Fundatoris. *Ita Bonacin. disp.4. quæst.vltim.punct.7. paragraph.5. nu.5. & 6.*

60 Si fundator designauit certos dies, nimirum, feriam secundam, sextam, & Sabbathum, distinguunt. *Cardin. de Lugo disp.21.nu.43. & Auersa qu.11. sect.18. §. Item si*, vel enim designati sunt fine respectu peculiari, sed solum vt ter in hebdomada celebraretur pro ipso, & tunc alijs diebus planè satisfiet, cum illa circumstantia merè sit accidentalis, vel designati sunt ob peculiare motiuum, videlicet, vt feria secunda dicatur Missa defunctorum, feria sexta de Passione, Sabbatho de B. Virgine; vel ob commoditatem populi, vel similem respectum, & tunc mutari non possunt sine culpa contra pactum implicitum, & contra voluntatem testatoris, quæ vim legis habet. Addit *Cardin. de Lugo*, non facilè fore culpam mortalem, cum materia sit ex se leuis, præsertim, si rarò mutentur, vel cum aliqua causa. Verum Auersa putat, si designati sint dies Dominici, vel alij propter publicum commodum, vel sacrum cultum, facile fore, culpam mortalem ipsos mutare. Prudens certè consideratio circumstantiarum requiritur ad discernendam materiam grauem à leui, tam in isto præcepto, quam in alijs.

61 Noto secundò, si Capellanus iubetur in fundatione celebrare Sabbathis omnibus, vel ferijs quintis, aut sextis, in hebdomada sancta non teneri celebrare talibus diebus, nec alios pro illis subrogare. Quia Fundator non censetur obligare contra, vel præter morem Ecclesiæ receptum, nec imponere Capellano nouum onus alijs diebus dicendi Missas, quas sine sua culpa diebus designatis omisit. *Sic Auersa §. Item posse. Cardinal. de Lugo numer.46. &* 47. Qui colligit inde, pariter excusari Capellanum, quoties cessatio diuinorum imposita diebus designatis impedit celebrationem; tunc enim celebrare non potest, nec debet supplere postea, quod omisit sine sua culpa.

62 Noto tertiò. Sacerdotem, qui tenetur ex fundatione Capellaniæ, vel beneficij, quotidie celebrare rationabiliter excusari triduo maioris hebdomadæ propter Ecclesiæ morem, vt constat ex proximè dictis. Item in die Natiuitatis non teneri tres Missas dicere pro fundatore, sed posse dicere duas pro se, vel alijs. Nam Fundator vnam Missam quotidiè requirit, & non amplius, nisi forsan exprimat. *Sic Auersa supra cum Fraxinello, & Diana.*

63 In die defunctorum omnium dicunt. *Alfonsus à Leone de Iubil.par.3. num.21. & de officio Capellani qu.7. sectiòn.9. & Diana par.4. tract.4.Resol.86.* non teneri talem Capellanum celebrare pro fundatore, sed posse alij defuncto Missam applicare. Verum *Fraxinellus apud Dianam supra*, contendit eo die, celebrandum esse pro defunctis omnibus generaliter, nam id intendit Ecclesia instituens illam commemorationem omnium Fidelium defunctorum. Et quidem ordo Romanus recitandi per istos decem annos, die secunda Nouembris sic inquit. *Sacrificia quæcumque hodie debent applicari omnibus defunctis ex intentione Ecclesiæ: Cessant enim hodie omnes aliæ obligationes adnexæ diei pro particularibus defunctis.* Ratio congruentiæ potuit esse, ne sit vllus existentium in Purgatorio, qui tali die non iuuetur Ecclesiæ suffragijs.

64 Opponit *Auersa* supra. Sacerdos non tenetur eo die simpliciter dicere Missam. Ergo nec celebrando tenetur applicare Missam omnibus defunctis egentibus ea. Hoc verò probat, obligationem istam non esse rigurosam respectu singulorum, non tamen tollit, quin ex maxima congruentia debeant quot quot eo die celebrant, omissis

sis alijs particularibus obligationibus applicare Missam omnibus defunctis indigentibus tali sacrificio, quod etiam admittit Auersa.

65 Noto quartò, quoties institutio Capellaniæ, vel Beneficij postulantis quotidianam celebrationem refertur ad locum, vt, si dicatur. Quotidiè fiat sacrum in tali templo, vel altari, vel quid simile; quotidiè debere celebrari, siue per Capellanum, siue per alium. Quia talis apparet intentio Fundatoris, &, vbi verba sunt clara, non est recedendum ab illis, *leg. Non aliter, ff. de legat. tertiò.* Idem est, quoties institutio refertur ad personam, vt quotidiè celebret per se, vel per alium, aut dirigitur ad Collegium Sacerdotum. Tunc enim pariter apparet, voluisse Fundatorem, vt quotidiè celebretur per vnum, aut alium. *Ita Syluester, Armill. Tabienn. Nauarr. Beia, quos sequitur, Fraxinell. sect. 4. conclus. 4. §. 1. & 2. Auersa §. Insuper Bonacin. supr. §. 2. numer. 17. cum alijs.*

66 Quoties institutio dirigitur ad personam Capellani, qui per se ipsum teneatur celebrare quotidiè, conueniunt Doctores, non teneri rigorosè celebrare quotidiè, sed quantò frequentius possit, salua scilicet honestate, ac debita veneratione Sacramenti. Sic habetur, *cap. quotidiè de consecr. dist. 2. c. significatum de Preben.* Sic tenent *Abbas, & Imol. ibi S. Antonin. Syluest. Nauar. Vgolin. Tolet.* quos sequitur, *Fraxinell.* supra, *Fagund. Præcep. 1. lib. 3. c. 15. nu. 11. Azor tom. 1. lib. 10. c. 24. q. 7. cum alijs.* Ratio redditur. Nam ita fert conditio rerum humanarum, vt nemo possit ad rem valdè difficilem tam frequenter præstandam strictè cogi. Quare rationabiliter præsumitur, voluisse Fundatorem, qui Capellani personam elegit ad quotidianam celebrationem, vt quoties salua sua conscientia, seu veneratione debita tanto mysterio satis deuotè celebrare nequeat, licitè possit abstinere.

67 Iam sit dubium primum. Quot diebus possit iste Capellanus vacare? *Nauarrus in consil. tomo primo lib. 3. titul. de Prebend. consil. 6. numer. 5.* censet vnam, vel alteram Missam, singulis hebdomadis omitti posse. Nam satis videtur, fragilitatem humanam obligari iugiter ad quinquies celebrandum dignè singulis hebdomadis. Adhuc communis sententia dumtaxat vnum diem vacationis concedit singulis hebdomadis, quoniam, istam intermissionem sufficere, putat, vt Capellanus regulariter possit cæteris diebus dignè celebrare. Sic censent. *Nald. verb. Missa numer. 7. Zanardus p. 1. de Missa cap. 13. Bonacin. de Sacrament. disput. 4. q. vltim. punct. 7. §. 2. num. 16. Diana p. 2. tract. 14. Resol. 28. Auers. supr. §. Insuper.* Qui rectè monent, non licere Capellano die vacationis ob honestatem sibi concesso pro alio celebrare, vel stipendio recepto, vel non recepto. Nam ea vacatio solum conceditur ob reuerentiam, seu iustam causam abstinendi. Quare, si reuerenter, ac deuotè celebrare potest, debet Fundatori non alijs applicare Missam, alioqui pactum non seruat. Consonant *Fagund. & Azor supr.*

68 Excipit Auersa, nisi consuetudine, vel praxi sit aliud receptum, tunc enim annuum stipendium censeretur iustum, & adæquatum ad celebrandum cum tali hebdomadaria vacatione: Subindeque Capellano liceret, his diebus celebrare pro alijs etiam stipendio recepto. Ego dicerem, examinandam esse cautè talem praxim, seu consuetudinem, sicubi dicatur existere, ne forsan sit abusus aliquorum imperitorum. Siquidem alij Doctores talis consuetudinis non meminerunt, nec illam videntur agnouisse.

69 Sit dubium secundum. An possit etiam talis Capellanus aliquo die, vel itineris, vel oblectationis causa Missam omittere? Negant *Riccius in praxi decision. 403. Fraxinellus supra paragraph. tertiò. Bonacina numero 16. citans Mediolanense Concilium, &*

Synodum. Nisi talis promissio palam constet ex mente Fundatoris. Probatur, nam à diuersis non fit illatio. Quare vacatio Missæ concessa propter honestatem, nimirum, vt peccatum in sacrificio, vel irreuerentia vitetur, extendi non debet ad causam oblectationis, vel itineris, vel aliam similem; nec prudenter præsumetur talis extensio.

70 Addunt *Naldus supra. Auersa §. Item posse. Homobonus in examine par.3. tract.14.cap.1.qu.2.Resol.2. & in consult. tom.2.part.7.Responsi.52. Diana part.4. tract.4. Resolut.86. & part.5. tract.5. Resolutio.23.* posse talem Capellanum ingruente quapiam necessitate quater, vel sexies per annum celebrare pro semet, aut pro sibi valdè coniuncto ad specialem aliquam Dei gratiam obtinendam. Quoniam id non negaret pius Capellaniæ Fundator, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset, & est pia præsumptio, quam horum Doctorum authoritas reddit probabilem.

CAPVT XII.

De stipendio Missæ.

1 SVppono, posse sacerdotem pro celebratione Missarum stipendium accipere. Quia dignus est operarius mercede sua. *Matth.*10. & *Luc.*10. imò ius habere ad illud exigendum, probat *Apostol.*1.*Corinth.*9. Quod definit *Concilium Agathense cap.*36. & communis Ecclesiæ praxis vbique recepit. Sit tamen.

CAP. XII. QVÆST. I.

Quo titulo possit stipendium Missę recipi?

2 CVm res spirituales vendi non possint, & accipere pretium pro illis sit graue peccatum sacrilegij, quod Simonia vocatur, Varij Doctores varios titulos quærunt, vt stipendium Missæ licitum reddant, & à Simoniæ vitio liberum, reducique possunt ad duas classes. Prima sit eorum, qui negāt hic pactum, & obligationem iustitiæ propriæ. Sic enim excluditur tam emptio, quam venditio propria, quæ requiritur ad propriam Simoniam. Vnde quidam volunt obligationem soluendi stipendium pro Missa, non ex iustitia, sed ex obedientia prouenire, quasi diuinum præceptum sit sustentandi Sacerdotes, qui nobis ministrant.

3 Alij dicunt, stipendium dari per modum donationis conditionalis, vbi pro conditione ponitur applicatio Missæ. Alij recurrunt ad solam obligationem Religionis, seu pietatis spiritualis. *Sanctus Thom.*2.2.*qu.*100.*art.*2. & *art.*3.*ad* 2. Videtur, admittere solam obligationē charitatis, & gratitudinis, & asserit, licere quidem stipendium accipere, dum non intercedat pactum, nam alias erit Simonia. Idemque docet *in* 4.*distinc.*25. *quæst.*3.*art.*2. quod sequuntur *Durand. ea distin.*25.*qu.*3.*Paludanus qu.*5. Probatur. Nam ideò ius reprobat omnem conuētionem circa res spirituales. cap. *Pactiones de Pact.* cap. *Tua nos de Simon.* cap. *Quam pio* 1.*qu.*2. quoniam videntur talia pacta Simoniaca, cum in illis dentur spiritualia pro temporalibus cum obligatione iustitiæ, tam applicātis Missam, quam soluentis stipendium.

4 Secunda classis sit eorum, qui pactū admittunt, & obligationem iustitiæ, dicunt tamen stipendium non dari pro Missa; sed quidam putant, dari propter obligationem, quam Sacerdos suscipit applicandi Missam alteri. Sic sentire videntur *Caietanus, Nauarrus, & alij, quos retuli lib.*1.*cap.*5.*quæst.*6.*numer.*55. Alij verò putant, dari propter laborem, & operam sacerdotis celebrantis pro alijs. Ita *S. Bonauent. Iulius Clarus, Adrianus, & alij, quos retuli ea qu.*6.*num.*48. cum suis fundamentis.

5 Dico tamen primò, pactum aliquod inter-

intercedere saltem implicitum inter dātem stipendia Missarum, & Sacerdotem ipsi Missas applicantem; nam ille dat, vt hic faciat, & hic facit, vt ille det, vel quia dedit talem pecuniam. Et quamuis propria commutatio non detur inter Missam, quam Sacerdos veluti dat, & stipēdium, quod accipit: tamen eatenus iustè recipit stipendium, quatenus Missam applicat danti, quam si non applicaret, peccaret vtique contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem, vt omnes cōmuniter docent, & vniuersi fideles agnoscunt equidem vtrimque talem obligationem reciprocam, vt ad iustitiam cōmutatiuam pertineat, & non seruanti pactum imponat onus restituendi. Quod supponunt aperte decreta Congregationis Concilij circa Missarum celebrationem edita anno 1625. & tradunt *Caietanus, Adrianus, Sotus, Nauarrus*, quos sequitur *Suarez tom.3. disput.86. sect.1. Vazqu.3. part. disput.234. cap. 1. Lessius lib.2.cap.35.dub.8.num.47.& 48.Coninc. Azor, Henriqu. Hugolinus, Posseuinus, & alij*, quos sequitur *Bonac.disput.4.quæst. vltima punct.8.num.2. Fagund. Præcept. 1 lib.3.cap.7. num. 5. Cardinal. de Lugo disput.21. sect.1. Auersa.quæst.11. sect.17.* Qui rectè colligunt, indè posse cogi per Iudicem ad standum his pactis, illum, qui non steterit. Authores primæ classis cum suis fundamentis satis refellit. *Cardin. de Lugo supra.*

6 Dicendum est secundò, stipendium Missæ dari, non, vt pretium applicationis, sed ad sustentationem ministri, siue totalem, siue partialem; qui titulus communiter approbatur à Doctoribus cum *S.Thoma supra*, satisque sufficit ad vitandam Simoniæ labem, & ad honestandam hanc stipendij receptionem. Nam ita Sacerdos dat gratis, quod gratis accepit iuxta dominicum præceptum, vt simul sicut accipere potest, & exigere panem, vinum, candelas, & quæcumque necessaria sunt ad hoc ministerium; Sic etiam exigere possit aliquid ad sui sustentationem, sine qua nec viuere posset, nec per consequens spiritualibus ministerijs vacare. Licèt ergo ministret ex se gratis, æquitas, & iustitia postulat, vt ab illis alatur, quibus ministrando deseruit. Ita ferè Doctores numero præcedenti relati.

7 Ad maiorem huius assertionis expositionem est aptum exemplum pictoris eximij, qui vellet, vel etiam voueret operas suas (alioqui magni pretij) tanto tempore non vendere, sed exhibere gratis depingendo quasdam imagines in obsequium alicuius Conuentus. Hic enim non violaret suum votum, si peteret ab illo Couentu sumptus necessarios ad colores, ad tabulam, & ad cœtera necessaria picturæ; nec item, si peteret alimenta sibi necessaria, dum incumbens tali picturæ, nequit alijs insistere, quarum pretijs aleretur. Nam adhuc propriè diceretur, illas imagines depinxisse gratis, dum acceperit solum necessaria picturæ perficiendæ. Sic ergo Sacerdos gratis applicat Missam illis, à quibus accipit, (& exigere potest inito pacto) quæ tali ministerio necessaria sunt, & inter hæc meritò computantur alimenta Sacerdotis, qui maximè necessarius est ad celebrandum.

8 Authores secundæ classis, & ipsorum fundamenta bene refutat *Cardinal. de Lugo supra*, & Ego refelli *lib.1.cap.5.nu. 52.& 57.* certè *S. Thom. & alij relati nu. 3.* reijciunt pactum, quo res ipsa sacra, vel spiritualis actio vendatur, aut permutetur, vbi Simonia diuini iuris inesset: Non verò reijciunt pactum pro necessaria sustentatione præstantis functiones sacras, in quo nulla fit iniuria rei sacræ, sed humanæ necessitati subuenitur.

9 Iura *supra citato nu.3.* fatentur *Sotus de Iustit.lib.9 qu.6.artic.1. & Lessius supra num.49.* prohibere quidem etiam pacta circa res spirituales ratione sustētationis ministrorum facta, quia, licet non contineant Simoniam iuris diuini, propter speciem quamdam negotiationis, quam præseferunt, ad Simoniam iuris humani decretis illis reducta sunt. Verum huic antiquo iuri per cōtrariam consuetudinem Prælatis scientibus, & con-

conniuentibus quoad aliquas functiones spirituales fuisse derogatum. Hoc autem reijciunt *Suarez supra, Fillıucius tract.5.num.*182.*Coninch.quæst.*83.*num.* 197. *& alij*. Quia nec talis prohibitio constat, nec habet locum, vbi conceditur stipendium, in cuius ratione clauditur intrinsicè pactum consequenter inducens obligationem iustitię. Quare vel operariorum mercedi, vel stipendio militum à Christo Domino, & ab Apostolo comparatur. Semper autem in Ecclesia licuit, stipendium dare ministris sacrificiorum ad ipsorum sustentationem. Igitur illa iura solum damnant pactiones, in quibus spiritualia dantur pro temporalibus, aut sine iusta causa beneficia commutentur, quod est simoniacum.

CAP. XII. QVÆST. II.

Vtrum Sacerdotes diuites possint stipendia pro Missis recipere?

10 NEgare videntur *S. Thom. in* 4. *dist.*25.*qu.*3.*art.*2.*quæstiunc.*1. *ad quartum. Caietanus* 2.2.*qu.*100.*art.*2. *Syluester verbo Simonia quæst.*3.*Graffis lib.*21.*decisionum ca.*96. *num.*32. Probatur primò ex iure *cap. Pastor. cap. Si quis* 2.*qu.*1.*cap. Illi autem* 12.*qu.*1. Vbi Patres significant, non posse, Sacerdotes diuites Ecclesiasticis prouentibus sustentari. Probatur secundò ratione. Nam stipendium Missæ solum accipi potest in sustẽtationem celebrantis, vt visum est: sed Sacerdotes diuites illa non egent; ergo non possunt hoc stipendium accipere, ne recipere præsumantur in pretium operis.

11 Sententia verior, & communior affirmat. Ita sumitur ex *S. Thoma Quodlib.*6.*art.*10. Docent *Henriqu. lib.*9. *cap.* 22.*num.*1. *Suarez tom.*3.*disp.*86. *sectio.*3. *Vazquez* 3.*part. disput.*234.*num.*2.*&* 18. *Coninch. qu.*83.*num.*198. *Sotus, Nauarr. Nauarra, Reginald. Aragon. Praxinellus* quos sequitur *Bonac. disp.*4.*quæst. vltima punct.*8.*num.*7. *Fagund. cum alijs Precep.* 1.*lib.*3.*ca.*8.*num.*2. *Cardin. de Lugo disp.* 21.*num.*18. Probatur. Quia tam Sacerdos diues, quam pauper confert operam suam in gratiam alterius, à quo potest exigere sicut panem, vinum, & ceram, sic etiam sui sustentationem non minus celebrationi necessariam; & ita ius habet, vt de Altari viuat, quando seruit Altari, siue sufficiens habeat patrimonium, siue pingues redditus Ecclesiasticos, dum his nõ sit annexum onus talium Missarum; tunc enim per accidens se habent beneficiorum redditus ad stipendium, quod datur præcipuè ratione Missæ. Potest verò Sacerdos diues iuxta circumstantias occurrentes interdum incurrere notam auaritiæ, quam præcipuè reprehendunt Authores primæ sententiæ.

12 Ad primum fundamentum oppositum respondetur, illa iura loqui de tempore, quo tam Ecclesiæ ministri, quàm pauperes alebantur ex bonis in communi positis, tunc enim non poterant indè sustentari diuites in præiudicium pauperum. Videatur *Henriquez supra litt. H.* Ad secundum respondetur, Sacerdotem etiam diuitem, quamuis non egeat sustentatione, nihilominus habere ius sustentandi se ipsum ex Altaris ministerio, si velit, eo ipso, quod in sacris ministerijs ob aliorum commodum occupatur. Quippè dignus est operarius cibo suo *Matth.*10.

13 Hinc colligit *Cardinal. de Lugo supra*, posse Sacerdotem in die Natalis accipere tria stipendia pro tribus Missis, quia, licet non plus requirat ad sui sustentationem illa die, quam *alijs*, at totum, quod resultat ex illis tribus stipendijs, & alijs, quæ recipit per totum annum, requiritur ad victum totius anni. Quare totum illud cadit sub titulum congruæ sustentationis. Consonat *Fagundez Precept.* 1.*lib.*3.*cap.*8. *numero* 5.

CA-

CAP. XII. QVÆST. III.

Quomodo taxandum sit stipendium Missarum?

14 SVppono primò, quando Missarum obligatio nascitur ex Ecclesiastico beneficio, seu titulo fixos habente redditus, illud censeri iustum Missarum stipendium, quod ob illa relictum est Ecclesiæ, vel Capellæ; nam libera Fundatoris voluntas magnam habet latitudinem assignandi pinguiores, vel tenuiores redditus singulis Missis respondentes; si tamen ita tenues sint, vt non attingant mediocre, vel minimum stipendium eò loci sufficiens, tunc ad legitimum Superiorem pertinebit, secundum stipendij proportionem moderari numerum Missarum, de quo dicemus *infra qu.1.*

15 Soppono secundò, quando Missarum obligatio prouenit ex stipendio voluntariè dato, iustum vocari, quod in qualibet vrbe, diæcesi, regione, regno, vel lege legitimi Superioris (nimirum Episcoporum constitutionibus, vel edictis) taxatum fuerit, vel communi more receptum. Sic autem constituto Missarum stipendio, nec iustè potest maius exigi, nec minus dari, nisi volentibus, & consentientibus. Quamuis enim stipendia non sint pretia Missarum, sed in alimenta donentur, tamen quatenus in eis dandis, & recipiendis ratio iustitiæ reperitur, opus est, vt in illis seruetur aliquod medium æqualitatis, quod, cum non sit ex natura rei definitum, non potest, certiori modo taxari, quam vel lege Superioris, vel consuetudine communi, sicut in alijs commutationibus contingit. Ita *Suar. tom.8. disp.86 sect.2. Vazq. 3.part. disp.234 num.6. Henriq. cum alijs lib.9.cap.22.num.4. Caietanus, Sotus Petrus de Ledesma, Cenedo, Corduba, Beia, Gutierez, quos sequitur Fagundez Pracept.1. lib.3. ca.7. num.6. Nunus, Aragon. Zerola, Coninch, Regnald. quos sequitur Bonac. disp.4. qu. vlt. punct.8. num.8. & 9. Illuc tract.5 n.178. & 179.*

16 Sit dubium primum, An Episcopus possit ita taxare Missarum stipendium, vt nec maius dari, nec minus accipi possit? Negant *Sotus de iustitia libro 9. quæst.6. artic.1. ad 2. Nauarrus capit.23. num.106. Bartholom. ab Angelo dialog.5. §.526.* Nam talis taxa non congruit eleemosynæ, quæ voluntariè dari debet pro Missa, magis redolet pretium, quo non debet sacrificium æstimari. Hanc rationem bene refellit *Vazquez 3. part. disput.234 num.6. & 7.* quia, licet stipendium non sit Missæ pretium, verè debetur, non, vt eleemosyna, sed, vt iusta merces operantis. Quod autem iusta debiti quantitas taxetur superioris lege, sicut taxari solet æstimatione vulgari, non reddit diuinum officium æstimabile pretio, sed debitam celebranti sustentationem definit.

17 Dico tamen primò, Missarum stipendium ita posse taxari per Episcopum, vt Sacerdotibus non liceat maius exigere, nec fidelibus dare minus, obligando Sacerdotem ad celebrandum pro ipsis. In hoc conueniunt Doctores *supra relati num.15.* propter rationem ibi positam. Quia sæpè conuenit, huiusmodi taxam præscribi, vt vitentur, vel scandala, vel sacrilegia, quæ committi possent in iniquis stipendiorum exactionibus, vel retributionibus, vt notant *Suarez, & Fagundez supra Bonac. num. 9.* Nec dissentiunt ab hac conclusione *Sotus, & Nauarrus supra*, quippè solum intendunt, prohiberi non posse, quò minus Fideles dent maiora stipendia, si velint spontè, vel Sacerdotes minorib. sint contenti, si velint, gratis cedere iure suo; lex enim iustitiæ non impedit opus misericordiæ, vel liberalitatis, vel Religionis, & nemo cogi potest, ne donet vltra debitum, vel ne remittet partem debiti, cum possit vsum vtrique gratis remittere. Quod etiam fatentur *Suarez, Vazqu. Fagundez nu.7. Bonac. cum multis n.10.*

18 Quare *S.Th.2.2.q.100. art.3. ad 2.* dixit, illicitum fore, si qua Ecclesia statueret, ne processio fieret in alicuius funere, nisi solueret certam pecuniæ quan-

quantitatem; quia per hoc statutum præcluderetur via gratis impendendi pietatis officium aliquibus. Magis autem fore licitam ordinationem, si decernatur, vt omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhibeatur; per hoc enim via non præcluditur alijs exhibendi. Vnde colligit *Fagund.num.8.* talem legem ferri non posse verbis negatiuis, bene tamen affirmatiuis, quæ non tollunt, quin gratis possint fideles dare magis, & Sacerdotes accipere minus.

19 Verum dico secundò: quamuis respectu singulorum Clericorum fieri non possit illud statutum negatiuum, quod reprobat *S.Thomas supra*, respectu tamen alicuius communitatis, non semper est illicitum, quia conducere potest ad talis communitatis decentiam, vel ad ipsius Ecclesiæ sustentationem, ne scilicet quauis de causa facilè connocetur, vel expensis Ecclesię necessarijs subuenire non possit. Sic habetur istud statutum in nonnullis Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis. Numquam verò putandum est, per hæc statuta prohiberi, quo minus exigente pietate possit exhiberi tale suffragium sine tali stipendio; saltem consentientibus illis, ad quos tale ius pertinet. Nam hæc prohibitio sic intellecta prorsus esset ęquitati, pietatique contraria. Quod intendit ibi *S.Thom.* & docent *Suar.* & *Vazq.supra*.

20 Vnde fit, posse Sacerdotem accipere quātalibet stipendia Missarum etiam supra taxam, si dentur sponte. Nam excessus donari censetur. Ita *Suarez supra. Reginald.lib.23.num.232. Possevin.ca.2. num.25. Lessius lib.2.ca.4.dub.6. numero 37. Fraxinell.sect.3.pranot.5.§.3. Bonac. supra num.11.* Si verò Sacerdos importunè postulet, vel potius extorqueat ab inuitis stipendium supra taxam, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem excessus, quia facit contra iustitiam, excedendo iustam æqualitatem. Sic *Azor tom.3.lib.12.cap.6.quæst.1. Coninc.quæst. 83.num.192. Suarez, & Vazquez supra. Nauarrus, Miranda, Manuel, & alij* quos sequitur *Bonacina supra*.

21 Sit dubium secundum. An æqualitas stipendij iusti sumenda sit ex congrua sustentatione Sacerdotis? Affirmat prima sententia, quam tenent *Caietan. 2.2.quæst.100.art.3. Sotus de Iustitia lib. 9.qu.3.art.1. & in 4.dist.15.qu.2. artic.1. Canus de locis lib.12.cap.13.ad 10. Henriqu.lib.9.cap.22.num.1. Aragon.2.2.qu. 85.art.3. Angelus verbo Missa num.52. Manuel in Summ.tom.1.ca.251.num.4. & tom.4.cap.52. num.5. Angles in 4.de Valore Missæ art.2.conclus.2. Graffis lib. 11.decis.cap.96. num.13. Nauarra lib.2. cap.2.num.325. Nuñus 3.part. qu.83.art. 1.dub.9.concl.4. qui citant alios*, & notant, debere talem Sacerdotem celebrare quotidie, si possit, & esse contentum victu, sumptuque moderato. Probatur hæc sententia, quia Sacerdos seruiens Altari, de Altari viuere debet, vt autem viuat, indiget alimentis, sub quorum appellatione comprehenditur quidquid ad vitę sustentationem necessarium est. Vbi *Canus* victum intelligit, *Sotus* innuit etiam vestitum, *Henriqu.* victum, vestitum, & habitationem comprehendit cū medicinis, nam hęc omnia nomine alimentorum comprehenduntur. *leg.legat. ff.de alim.legat.* Per Doctores ibi. Addunt *Nuñus, & Nauar.famulum. Castrans, & Graffis* addūt etiam familiam, & illorum alimenta, quorum curam gerit Sacerdos, videlicet Parentum, fratrum, & nepotum, quos decet mendicare. Quidam sustentationem extendunt ad emendos libros necessarios spiritualibus ministerijs, quæ conueniens sit, per talem Sacerdotem exerceri, quod probabile reputat *Nuñus*.

22 Secunda sententia negat. Ita *Suar. 3.part.tom.3.disput.86.sectio.2. Vazquez 3.part.disput.234.num.19. Fagund.Pracept.1.lib.3.ca.8.num.5. Nauarrus, Azor, Pasigianus, Filliucius, Ioannes de la Cruz, Petrus de Ledesma, Molfesius, Naldus, Miranda, Lessius, Possevinus, Fraginellus.* quos sequitur *Diana part.2. tractat. 14. Resolut.8.* Probatur primò. Quia Missæ sacrificium non est institutum ad sustentatio-

tationem sacerdotis, cum hic promoueri nequeat ad Sacerdotium, nisi beneficium habeat, aut patrimonium suæ sustentationi sufficiens, vt patet ex cap. *Non licet*, & cap. *Episcopus de Præbend. & ex Trident. sess. 21. cap. 2. de Reformat.* Igitur stipendium Missæ non debet congruè celebrantis sustentationi commensurari.

Probatur secundò. Nam celebratio Missæ non consumit integrum diem, nec maiorem partem illius, sed vnam horam ad summum. Ergo non est æquum, vt celebrans integram totius diei sustētationem accipiat ab illis, quibus applicat Missæ fructum.

23 Dico primò, iustam æqualitatem stipendij non esse commensurandam integræ sustentationi celebrantis, nedum eius familiæ cum alijs adhærentib. Hoc est conforme secundæ sententiæ, cuius fundamentis probatur, & confirmatur etiam, quia Sacerdos non solum habet ministerium celebrandi, sed alias quoq; functiones sacras, ratione quarum ali possit, vel largitionibus Fidelium, vel alijs redditibus Ecclesiasticis. Nec per Missæ celebrationem impeditur ab alijs operibus, & industrijs, quibus honestè possit sibi partem sustentationis prouidere, vt habetur cap. *Clericus victum 91. distinc.* Non ergo debet stipendium esse tantum, vt sufficiat ad omnia vitæ necessaria, victum, vestitum, habitationem, familiam, libros, &c.

24 Dico secundò. Iustum stipendium Missę nō esse commensurandum illi soli tempori, quod impenditur celebrationi, vt, sicut illud vix est vigesima pars diei, sic stipendium sit vigesima pars necessariæ sustentationis; quoniam per hoc officium impeditur planè Sacerdos ab alijs industrijs, & exercitijs etiā honestis, quibus alij possunt, & solent sibi facilius, & vtilius alimentum comparare. Debēt igitur hæc omnia perpendi simul, vt prudenter, ac iustè stipendia Missarum taxentur. Ita *Cardinal de Lugo disp. 21. num. 25. Auersa qu. 11. sect. 17. §. Quintò deinde*. Confirmatur vtraque conclusio recepta consuetudine diæcesum, & Ecclesiarum. Nec enim Episcoporum taxa, nec communis Fidelium, & Sacerdotum æstimatio tantam assignat Missæ mercedem, vel stipem, quanta sufficiat integræ celebrantis sustentationi, multòque minus toti Sacerdotis familiæ; nec item tam exiguam, vt illi soli tempori correspondeat, quo Missa celebratur, sed communiter taxatur media quantitas iuxta prudens superiorum arbitrium, & Fidelium æstimationem, ac praxim, quæ pro diuersitate locorum, ac temporum variari solet. Nunc in pluribus locis assignatur vnus Iulius, vel vnus Regalis, in alijs vnus cum dimidio, in alij duo Regales; & aliquid amplius in onerib. perpetuis beneficiorum, vel similium; nam oneris perpetuitas auget mercedem. Vnde partis vtriusque fundamenta soluta manent, quatenus nobis apponi possunt.

CAP. XII. QVÆST. IV.

Vtrum accipi possint pro vna Missa plura stipendia iusta?

25 Videtur affirmare simpliciter *Viguerius in institutionibus c. 16.* quatenus, asserens, Missam oblatam pro multis, ita prodesse singulis, ac si pro vno dumtaxat offerretur; Indè colligit, Sacerdotem accipientem à pluribus stipendia, posse sufficienter omnibus vnica Missa satisfacere. Cæterum *cap. 5. §. 3. vers. 16.* dicit hoc esse verum quoad obligationem iustitiæ, non tamen satisfieri deuotioni Fidelium, qui, dum stipendia tribuunt, intendunt equidem, vt cultus diuinus augeatur, & eo modo valdè minuitur. Hæc verò limitatio, vel euasio non est firma. Quia Fideles communiter volunt, Missæ fructum sibi, vel suis defunctis applicari, nec ferè curant, numero Missarum augere diuinum cultum, vt aduertit *Vazquez 3. part. disputat. 234. num. 10.*

26 Dico primò. Nullus Sacerdos potest vnius Missæ plura stipendia iusta reci-

recipere. Sic censent communiter Doctores. *Nauarrus, & Corduba*, quos sequitur *Suarez tom. 3. disput. 84. sect. 4. Vazquez supra cap. 3. Henriquez, Possexinus, Fraxinellus*, quos sequitur *Bonac. disputat. 4. quaest. ultim. punct. 8. num. 14. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 20. qu. 8. & tom. 3. lib. 12. cap. 6. qu. 2. Fagund. Praecept. 1. lib. 3. cap. 6. nu. 8. & cap. 8. num. 10.* qui citant multos. Et quidem quotquot asserunt, Missae fructum pluribus applicatum, non ita prodesse singulis, ac si vni dumtaxat applicaretur, quos secuti sumus *cap. 4. qu. 9.* tenent conclusionem illam. Quoniam ex illo principio manifestè sequitur, peccare contra iustitiam Sacerdotem, qui debens vni pro iusto stipendio totum Missae fructum, illi solam partem applicat.

27 Rursus, qui putant, Missae fructum pluribus applicatum ita prodesse singulis, ac si vni tantum applicaretur, adhuc negant, posse pluribus stipendijs iustis vnica Missa satisfieri; quod probant varijs rationibus. Sed ea videtur efficacior. Quia, cum stipendium certum accipiatur; debet vtique certus fructus integer applicari; non autem applicaretur certus ob incertitudinem opinionum, si pluribus stipendijs integris vnica Missa responderet. Videantur, quae diximus eo *c. 4. n. 88.*

28 Alij varios titulos particulares praetexunt, vt interdum possint vnius Missae plura stipendia recipi. Sitque prima sententia dicentium, Sacerdotem pauperem posse plura stipendia iusta recipere pro vna Missa. Quia necessitas caret lege, ac subinde titulus paupertatis dat Sacerdoti ius sumendi ab Altari, quidquid sibi necessarium est ad congruam sustentationem, quamuis opus sit, vna Missa pluribus stipendijs iustis satisfacere. Sic docet *Nuñus 3. part. quaest. 83. art. 1. part. 3. dub. 9. conclus. 4. & 5.* Vbi propterea distinguit duplex stipendium Missae iustum, vnum per se, quod per legitimum Superiorem, vel more recepto taxatum est, de quo diximus *supra num. 17. & 24.* alterum per accidens ratione necessitatis Sacerdotis, cui congrua sustentatione succurratur. Consonat *Orellana, quem sequitur Vega tom. 2. Sum. c. 41. de Missa casu 1.* Fauet *Angelus verbo Missa n. 52. citantur alij*, qui potius loquuntur de stipendijs minoribus iusto, si legantur attentè.

29 Dico secundò. Si Sacerdos pauper extrema necessitate prematur, potest plura stipendia iusta singularum Missarũ accipere, quotquot scilicet ad subueniẽdum tali necessitati fuerint opus; quamuis pro singulis stipendijs singulas Missas pactus sit. Hoc probat fundamẽtum nuper adductum. Nam extrema necessitas omnia facit communia, nec vllius pacti vinculis arctatur. Sicut enim possumus in extrema necessitate cibum vndequaque rapere, sic etiam possumus quibuslibet artibus, & fraudibus extorquere. Quod planè supponit *Suar. disp. 86. sect. 4. & docet Filliuc. tractat. 5. num. 158.* Imò, quia iuxta probabilem sententiam, quam amplectuntur *Angelus, Syluester, Nauarrus, quos sequitur Lessius lib. 2. cap. 12. num. 71. Nauarra lib. 3. capit. 1. num. 375. Fillincius tractat. 32. num. 143.* Valdè grauis necessitas à diuisione rerum excipitur, & omnia quoque bona reddit communia, licet etiam probabiliter, in valdè graui Sacerdotis necessitate, cui nequeat aliter occurri, plura stipendia iusta vnius Missę recipere pro sufficiente vitae Clericalis sustentatione. Nec decreta *Cardinalium Anni 1625.* loquuntur in hoc casu, cum non intendant, iuri naturali derogari.

30 Dico tertiò. Sicut Sacerdos diues, ita pauper (seclusa vel extrema, vel valde graui necessitate) non potest vnius Missae plura iusta stipendia recipere. Sic exprimunt *Bonac. supra. Fagundez ca. 8. num. 7. Auers. quaest. 11. sect. 17. §. Quartò posse Toletus lib. 2. cap. 8. fine*, ac ferè consonant omnes relati *supr. num. 26.* Probatur, quia paupertas sine valdè graui necessitate nemini dat ius vendẽdi rem carius, quam valeat, nec supra taxam iustam, vel à Superiore, vel ab aestimatione communi praescriptum. Nec miles,

aut mercenatius potest aliquid vltra mercedem iustā accipere ratione paupertatis. Ergo nec Sacerdos ob paupertatem potest vltra iustum stipendium Missæ quidquam ab inuitis accipere, seu potius extorquere.

31 Sit secunda sententia dicens, posse Sacerdotem accipere duplex stipēdium vnius missæ, quoties applicat vni fructū medium, & alij suum fructum specialissimum. Probatur. Nā iste fructus specialissimus, qui competit Sacerdoti, quatenus offert sacrificium, est eiusdē rationis cum valore medio, qui cōpetit illis, pro quib. sacrificium offertur, & propter cuius applicationem stipendium recipitur; & potest pariter applicari, cui Sacerdos voluerit, vt probabiliter docuimus *supra c.4.q.5.n.49.& 50.* Ergo Sacerdos applicans alteri fructum istum sibi proprium, poterit ab illo recipere distinctū stipendium ab eo, quod accipit pro medij fructus applicatione. Confirmatur, quia Sacerdos potest applicare sibi fructum medium, & ita duplicem Missæ fructum accipere. Poterit ergo pariter alteri suū applicare fructum specialissimum, & cōsequenter accipere duplex stipendium vnius Missæ. Sic censent *Moises.in Sum. tom.1.tr.3.ca.15.n.40. Barthol.ab Angel. dial.5.§.507. Marchin.de ordine tract.3. par.2.c.16.n.7. Barthol.à S.Fausto de Euchar.lib.2.qu.58.& 158.& lib.1.de indulgent.q.83. Bordon.variar.tom.1. Resolut. 25.qu.8.* Probabilem reputat istam sententiam *Diana part.2.tract.14.Resol.14.* Consentire videtur *Gauantus in Rubric. Miss.tom.1.par.3.tit.12.nu.29.* quatenus oppositam vocat probabiliorem Hanc item sententiam admittit *Peyrinus de priuil.text.3.c.1.n.25.* quoties conuentus pauper non posset aliter suo Missarum oneri satisfacere. Quidam horum scripserunt post decreta Cardinalium anni 1625. quæ putant, hunc casum non comprehendere.

32 Dico quartò. Sacerdos applicans solum fructum suum specialissimum, non satisfacit danti simpliciter stipendium pro Missa. Sic docent *Gauantus supra. Lugo de Sacramentis.* *pra. Bonac.de Sacram.disput.4.q. vltima punct.8.nu.16. Cardin.de Lugo disp.21. n.33. Megala*, quos sequitur *Auersa qu. 11.sect.17.§.Sed quia Fraxinel. & Pelicus*, quos sequitur *Diana part.5.trac.14. Resol.45.& par.6.tr.6.Resol.8* Probatur, quia iustè non potest accipi pro re, vel actione dubia pretium, vel stipendium certum; sed quamuis sit probabile, competere celebranti talem fructum specialissimum, & hunc alijs applicari posse, tamen vtrumq; dubium est, cum à multis probabiliter negetur. In certa simul est quantitas talis fructus, an s. adæquet fructum medium, vt cum *Filliuc.tr.5.num. 181.* notant *Auersa,& Diana supr.* Non ergo potest certum stipendiū accipi pro applicatione fructus ita dubij. Vnde soluitur fundamentū oppositum. Ad cōfirmationē concesso antecedente negatur consequentia. Nā fructus medius est certissimus, vel alijs applicatus, vel ipsimet celebranti, fructus autem specialissimus incertus est quoad ipsum celebrantē, & multo magis incertus quoad alios. Et quāuis iste casus non exprimatur in decretis Cardinal. authoritate Vrb. VIII. editis anno 1625. videtur sub generalibus ipsorum verbis comprehendi.

33 Tertia sententia sit asserentium, posse Sacerdotem vni satisfactionem, & alteri solam impetrationem applicare, vt vnica Missa duplici promissioni, vel etiam stipendio satisfaciat. Dū vnus petit Missam pro defuncto, qui non eget impetratione, alter pro felici successu, qui non eget satisfactione. Sic opinantur viri doctissimi, quos refert *Nauarra lib.2.cap.2.nu.n. 342.* & non omnino refellit. Consentiunt *Bordonus supra qu.9. Marchinus eo nu.17.* qui testatur, sic esse praxi receptum apud valde doctos, & timoratos religiosos. Probatur primò. Nā isti duo fructus satisfactionis, & impetrationis sunt distincti realiter, & separabiles ab inuicem. Ergo Sacerdoti licebit, obligare se ad vnum, & non ad aliū, & per consequens offerens impetrationem pro vno, & satisfactionem pro alio, poterit duo stipendia recipere.

34 Probatur secundò. Quia Sacerdos, communiter, vni soli non debet applicare fructum vtrumque. Potest ergo applicare duobus, à quibus accipiat duplex stipendium. Antecedens ostenditur: quoniam id non debet ex natura sacrificij, cum isti duo fructus sint realiter separabiles, & de facto separentur, quoties offeruntur Missæ pro viuis existentibus in mortali, quibus prodest impetratio sola, & pro defunctis, quibus prodest sola satisfactio. Nec id debet Sacerdos ex pacto, cum nec intendat obligare se ad applicandos vni binos fructus, nec Missam petens obligat Sacerdotem ad vtrumque fructum applicandum, dum id non exprimit. Tum quia, licet id velit, interius propositum in mente retentum, nihil operatur, vt constat *ex leg. Quidquid astringendæ. ff. de verb. oblig.* ibi, nisi palam verbis exprimatur. Tum etiam, nam ex motiuo petendi Missam sæpè conijcitur, petentem velle fructum vnicum, nimirum, cum Missa petitur pro sanitate languentis, pro felici rerū temporalium euentu, vel simili, cui satisfactio necessaria non est; imò petens interdum nouit, se mortali culpa teneri, nec subindè capacem esse satisfactionis. Non ergo potest efficaciter velle, sibi satisfactionem applicari.

35 Probatur tertiò. Nam in tali casu non recipitur duplex stipendium, quasi pretium duplicis fructus vnius Missæ; sic enim esset Simonia: sed accipitur propter obligationem applicādi satisfactionem vni, & impetrationem alteri; quę quidem obligatio, cum sit duplex, & præstita diuersis personis ob diuersos fines, & vtraque mereatur stipendium, potest vtique duplici stipendio compensari. Quin addit Bordon. si duo petant Missam quo ad satisfactionem pro defunctis, posse Sacerdotem duplex stipendium recipere, si celebret in Altari priuilegiato, & simul habeat indulgentiam ad liberandam vnam animam Purgatorij singulis Missis. Rursus, si petat vnus Missæ satisfactionem, & alij plures petant impetrationem pro varijs beneficijs diuinis, posse Sacerdotem vnius Missæ non solum duo, sed plura stipendia recipere, quoniam impetratio non est limitata, sicut satisfactio.

36 Dico quintò, si petentes Missam offerant singuli iustum stipendiū, non posse Sacerdotem applicantem vni satisfactionem, & impetrationem alteri, satisfacere vtrique vnica Missa. Sic docent *Petrus Nauar. supr. Man. in Sum. tom. 1. c. 250. n. 6. Vega tom. 2. c. 41. de Missa casu 35 fine. Possen. de offic. Curati. c. 2. q. 7. n. 25. Nald. ver. Missa nu. 13. Bon. disp. 4. q. vlt. punc. 8. n. 15. Dian. part. 6. tr. 6. Resolut. 9. Auers. qu. 11. sect. 17. §. Item quia.* Probatur, quia petens simpliciter Missam, censetur, petere non solam partem fructus, sed totum illum, qui dantibus stipem applicari consueuit; etenim, vt obseruat *Graffis de celebr. Missar. tom. 2. cons. 3.* qui petit Missam, intēdit obligare Sacerdotem, quantum licitè potest ad id, quod vtilius sibi fuerit, & dans integrū stipendium Missæ, iure postulat totū missæ fructum sibi conferri, suppositoq; communi sensu Fidelium, vsuque recepto, satis exprimit intentionem istam, qui petit, simpliciter sibi missam applicari, vel iuxta mentem suam. Hoc etiam confirmant decreta Cardinalium, quibus generaliter prohibetur, Sacerdotem vnica missa satisfacere plurib. stipendijs etiam cum onere restituendi.

37 Dico sextò. Si duobus petentibus Missam ob motiua diuersa posita *supra num. 233.* Sacerdos illam gratis promittat, intendens impetrationem vni, & alteri satisfactionem applicare, licitū fore sic vnius missę fructum diuidere. Sic censent *Angel. Armil. Syluest. Caiet. Palud.* quos refert, & non refellit *Nau. lib. 2. c. 2. nu. 320.* Consonat *S. verbo Missa. nu. 44.* Probatur, quia comitas, & liberalitas in promissionibus gratuitis non obligant ita rigorosè, ac iustitia. Quare sufficiet in aliquo proprio sensu verba verificari, & cum animo promittentis conuenire. Proprius autem sensus verborum est, petenti missam ad impetrandum promittere missam, quoad impetrationem, & peteu-

petenti pro defunctis promittere quoad satisfactionem, & hoc probant fundamenta tertiae sententiae. Quam sicubi decreta Cardinalium non sint recepta, dicit *Diana supra*, dici posse probabilem. Et quidem, cum impetratio Missae non sit limitata, quamuis multis promissa sit impetratio, poterit omnib. vnica Missa satisfieri, nullo stipendio recepto.

38 Addunt *Nau. supr. n. 339. & March. ca. 17.* Sacerdotem, qui recepit vnum stipêdium pro Missa, posse plures alios admittere liberaliter ad eius participationem. Quia iuxta sentêtiam probabilem ponentium infinitum Missę valorem, ille Sacerdos neminem in particulari damnificat, nec omnes simul, nec Rempublicam, cum non plus stipendij recipiat, quam eius operae valeant; & liberalem vtiq; promissionem sufficit verificari iuxta probabilem sententiam, notatque *March.*, hoc non vetari decretis Cardinaliũ, qui solum loquuntur, quando missa debetur ex iustitia multis ratione multiplici stipendij recepti. Ego dicerem, hoc esse probabile quoad promittêdam impetrationem multis eiusdem missae, pro qua fuit acceptum stipendium ab vno, propter illimitatam non impetrationis. At quoad satisfactionê non video probabilitatem practicam, iuxta quam verificari possit illa promissio, quamuis liberalis, vt *dixi sup. c. 4. n. 86. & 88.*

39 Ad fundamenta tertiae sententiae, quatenus impugnant nostram quintam conclusionê, respondetur, primò probari, duos illos fructus esse separabiles realiter; hoc verò non tollit, quin vterq; debeatur ex iustitia petêti Missam absolutè dato stipendio. Quippè communis est sensus fidelium, sub tali pacto côprehendi fructum vtrûque. Vnde dicimus ad secundum, teneri Sacerdotem ad applicationem vtriusq; fructus ex pacto per stipendium inito iuxta cômunem sensum paciscentium, qui satis exprimit talem obligationem, & excludit omnem côiecturam oppositam. Etenim, quamuis satisfactio necessaria non sit finis praecipuus, potest dans stipendium illam applicare, vel sibi, vel alteri, qui capax sit. Ad tertium dicimus, illam vtramq. obligationem oriri ex vnico stipendio recepto, vel ex pacto ibidem incluso, nec vtramque mereri plus, quam vnum stipêdium, vt satis ostendunt decreta Cardin. Congregat. Concil. quae fatetur *Marchinus* nonnihil aduersari suae sententiae.

40 Quod addit *Bordonus relatus supra num. 35.* Limitat ipse, vt fiat ex consensu dantium stipendia. Rectè quidem, nam sine tali consensu non liceret ob iustitiae debitum, & decretorum rigorem id vetantium; nec datur communiter stipendium propter applicationem indulgentiae, sed Missae. At cum tali consensu possunt omnia, quae hucusque reiecimus, licere. Nimirum potest Sacerdos, vnius Missae plura stipendia recipere, vel titulo valoris infiniti probabilis, vel suae paupertatis, vel applicans vni fructum medium, & alteri suum specialissimum, vel vni satisfactionem, & alijs impetrationê iuxta sententias relatas: quoniam sciēti & volenti non fit iniuria, & dantes talia stipendia cum tali notitia, liberoque consensu, voluntariè subeunt periculum non recipiendi Missae fructum, vel non integrum. Ita *Suar. 3. par. tom. 3. disp. 86. sect. 3. Nauarrus, Henriqu. Armill. Possevin. Syluester. Reginaldus*, quos sequitur *Bonac. disp. 4. qu. vltim. punct. 8. num. 3. fine. Auersa qu. 11. sectio. 17. §. Si tamen ij.* Nec hoc vtatur decretis Cardinal., quae planè non tollunt, quin possit quilibet disponere de re sua prohibito suo, vt supponunt illi Doctores, qui bene notant, hoc non habere locum, quoties dans stipendium tenetur procurare Missas illas ex aliorum intentione, seu commissione: tunc enim ille non potest aliorum voluntati derogare, quare non potest, nisi de fructibus integris, & certis Missarum pacisci.

41 Si verò Sacerdos aliquis acceptis pluribus stipendijs iustis bona fide iuxta opinionem apud se probabilê applicuerit multis vnicam Missam, existimans & intendens, ijs simul satisfacere, nô teneri postea cognita veritate supplere; vel alias

lias Missas applicando, vel stipendia restituendo, censet *Bordon.to.1. variar.resol.25.qu.13.num.22.* quia talis Sacerdos non peccauit contra iustitiam. Attamē, quamuis hinc non teneatur ratione iniustæ acceptionis, tenetur adhuc ratione rei acceptæ, sicut, qui bona fide rem accepit, quam putauit esse suam, vel se iusto titulo comparare, si postea nouerit, aut rem non esse suam, aut non iustè sibi adquisitam, tenetur equidem restituere, vel satisfacere; nisi per impotentiam excusetur. Sic *Auersa supra.* §. *Quod si Sacerdos quispiam, & Diana part.8. tract.7. Resolut.75.*

CAP. XII. QVÆST. V.

Quando dantur stipendia minora iusto, possit ne Sacerdos accipere plura?

42 AFfirmat prima sententia. Tenent illam *Sotus, Canus, & Corduba,* quos sequitur *Suar.tom.3.disp.86.sect.4.Vazq.3.part.disp.234.ca.2. Angles, Scorza, Nuñus,* quos refert *Diana part.2.tr.14.Resol.7. Filliuc.tr.5. nu.188. Moure part.3.cap.5.§.9.n.3. Azor tom.3. lib.12.c.6.q.3. Regin.lib.23.n.234. Fragnell.de oblig.Sacerd.sect.4. conclus.1. §.2. n.1. & sect.6. ad secundum argumentum. Peyrinus to.3.de Priuil.cap.1.n.26. Molfes.tom.1.trac.3.cap.17.n.89. Homobonus in examin.par.1.trac.4.c.13.qu.118. Mirand.tom.1.q.41.art.23.concl.3. Possevin. cap.2.num.23.& 24.* Probatur, quia manifesta fieret iniuria Sacerdoti, si pro tā exiguo stipendio cogeretur totum, Missæ fructum applicare. Potest ergo tot stipendia recipere, quot sufficiant ad integram stipem, & pro rata diuidere Missæ fructum, vt se seruet indemnem, & iustam singulis æqualitatem retribuat.

43 Limitant hanc sententiam *Sotus de Iustit.lib.9.q.3.art.1. Fraxinel. Homobon. Possevin. & Miranda supra,* nisi Sacerdos expressè paciscatur, se totum Missæ fructum applicaturum illi soli, qui dedit exiguum stipendium: tunc n. tenetur seruare pactum, & stare promissis, alioqui deciperet dantem illud stipendiū in re graui. Verum hanc limitationem reijciunt *Suar. Molfes. & Reginal. supra.* Quia Sacerdos pauper, dum non inuenit stipendia congrua, cogitur acceptare minora, patiens iniustum inuitus. Ergo potest non obstante priori pacto semet indemnem seruare. Sicut famulus, aut operarius, cui non datur merces condigna, potest damnum suum aliter resarcire, quamuis ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusta mercede. Similiter, qui necessitate cogitur emere triticum iniusto pretio, potest sine iniustitia resarcire damnum occulta compensatione.

44 Secunda sententia simpliciter negat, posse Sacerdotem pluribus stipendijs, licet minorib. iusto satisfacere vnica Missa. Sic sentiunt *Naldus, & Barthol. ab Angelo,* quos sequitur *Bonac.disp.4.qu.vlt.punct.7.§.2.num 8. Coninch.qu.83.nu.193. Diana part.2.tract.14.Resolut.7. & par.5.tract.13.Resol.52. Cardinal. de Lugo de Eucharist.disput.21. Auersa qu.11. sect.17.§. Quod si Sacerdos plura.* Probatur primò, quia Sacerdos acceptans eleemosynam, exterius promittit integrum sacrum, & tamen solum dimidium intendit applicare, quod vix excusatur à mendacio, nam in mutuis contractibus, seu promissionibus onerosis, verba capienda sunt secundum communem intelligentiam, & sicut nouimus hic, & nunc ab altero capi. Dans autem stipem, vt dicas pro illo sacrum, intendit, vt integrum eidem applices, & dum stipem acceptas, secundum communem sensum hoc ei promittis. Sicut igitur promittens tibi nummum argenteum, vt applices illi sacrum, te deciperet, si solum intenderet dare dimidium; sic pariter illum decipis, dum acceptans stipem, ipsi promittis integrum sacrum, & applicas dimidium.

45 Probatur secundò. Nam Sacerdos dolo tandem inducit, vt sibi det stipem sub his conditionibus, sub quibus nullatenus ille daret, si nouisset animum

paci-

pacifcentis, ad quod Sacerdos nullum ius habet. Etenim, etsi non teneatur applicare Missam illi, qui non dat stipendium iustum, tamen neminem potest inducere tali simulatione, vt tribuat inuitus. Nec sufficit, quod Superior talem Missæ taxam constituerit, quia solum statuit, vt possis stipem taxatam exigere, nolleque facere sacrum pro illo, qui nolit dare talem stipem; non autem, vt possis illam ab alijs per dolum extorquere. Quin sponte paciscens de minori Missarum stipendio; censeris liberè cedere iuri tuo, quo poteras stipendium iuxta taxam exigere.

46 Probatur tertiò, iure positiuo nouo Nam decretum Cardinalium approbatum per *Vrbanum Octauum*, & *editum 21. Iunij Anno 1625. §. 2.* sic ait. *Vbi pro pluribus Missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, at præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Circa quæ verba, cum quæsitum fuisset, an intelligenda sint de præscriptione facta per offerentem, vel per ordinarium; Respondet Congregatio Concilij esse intelligenda de præscriptione facta per eum, qui tribuit eleemosynam, non verò per ordinarium; quod si tribuens eleemosynam non præscripserit numerum Missarum celebrandarum, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit ordinarius secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ. Rursus cum quæreretur. An, cum ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum: Sacerdotes accipientes stipendium minus cõgruo teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare? Respondet Congregatio, teneri: Quibus mandatis, & responsis satis apertè decernitur, hanc omninò sententiam in praxi fore tenendam. Quapropter *Auersa, Diana, Cardinal. de Lugo supra, & alij censent*, his decretis iam illam quæstionem fuisse decisam, sicut, & alias similes.

47 Adhuc sit tertia sententia distinguens, & docẽs, Sacerdotem pauperem, acceptis pluribus stipendijs minoribus iusto, posse paucioribus Missis ad ratam stipis iustæ satisfacere, nam acceptat iniustè coactus ad ante minorem stipem, dum ipse premitur egestate, nec inuenit stipendia iusta; Si tamen Sacerdoti diuiti detur stipendium minus iusto, quod acceptat, debere totum Missæ fructum applicare danti, quippè tali pacto sic irrito iam renuntiat iuri suo, nec habet ex vna Missa ius paupertatis, vt alter ad congruam sibi sustentationem conquirendam. Ita docet *Henriquez. lib. 9. cap. 21. numer. 4. & 5. & Peyrinus supra*, sic explicat prædicta decreta Cardinalium, vt intelligã ur, quando Sacerdos omnino voluntariè, non coactus paupertate contentus fuit oblato stipendio, & expressè promisit, se tot Missas integras dicturum, & tunc tenebitur magis ratione fidelitatis, & præcepti, quam iustitiæ. Sic etiam sentire videntur *Suarez, Molfesius, Reginaldus relati supra numero 43.* Siquidem ex paupertate Sacerdotis diruunt obligationem pacti, seu promissionis. Hanc verò distinctionem impugnat *Vazquez. disputatio. 234. numer. 18.* Quoniam, cum Sacerdos tam diues, quàm pauper accipere possit stipendium Missæ iustum, tam diuiti, quàm pauperi debetur æquale; quare, vel neuter potest plura minora pro Missa recipere, vel vterque. Nec paupertas confert ius decipiendi proximum, nec alienam pecuniã inuitis Dominis vsurpandi, nisi sit cum extrema, vel graui necessitate coniuncta, cui nequeat aliter subueniri.

48 Pro decisione suppono 1. Si Sacerdos accipiat stipem minorem solita, sed

intra latitudinem iustę mercedis, licet in fimæ, cum pacto dicendi Missam, teneri quidem ex iustitia, Missam integram applicare. Sic notant *Miranda supr. & Fagund. Pracep. 1. lib. 3. c. 10. nu. 10.* Consentiunt Authores secundæ sententiæ, nec dissentient (credo) Doctores primæ. Probatur, quia nulla Sacerdoti fit iniustitia, cum stipendium sit iustum, quamuis infimum, & incrementū illud infimæ mercedis patitur volens. Sic Domini conuenire possunt cū famulis de minori mercede, quam dari soleat, modo nō sit minor, quam infima iusta. Sic etiam, qui rē vendidit infimo pretio iusto, non potest id in mensura detrahere, quo perueniat ad pretium medium, vel summum; sed conuentio seruari debet, vt docent *Molina tr. 2. disp. 351. Filliuc. tr. 35. nu. 72. Bonac. de contrac. disp. 3. q. 7. punct. 4. num. 6. Salas de empt. dub. 29. n. 3.*

49 Vbi nota primò, taxam Missarum non ita consistere in indiuisibili, vt non admittit latitudinem aliquam saltem infra taxam, sicut etiam admittit taxa tritici, quod, etsi non possit vendi supra taxam, potest tamen infra illam vendi iuxta communem æstimationem. Et cū communiter copia vendentiū, & raritas emptorum minuat æstimationē, & pretium etiam iustum rerum, vt asserunt *Caiet. Sotus, & alij*, quos sequitur *Bonac. supra q. 2. punc. 4. n. 13. Vaz. q. de Restit. ca. 5. §. 1. dub. 10. n. 61. Sà verbo Emptio nu. 4.* Sic pariter continget, copiam Sacerdotum quærentium stipendia Missarum (sicut operariorum, famulorum, &c.) minuere iustam mercedis æqualitatē. Vnde, quod alias esset minus iusto, iam ex ista circumstantia contineri possit intra latitudinem iusti pretij, vel stipendij. Sic censent *Fagund. & Miranda supra*.

50 Nota secundò, pariter illos, qui petunt Missas, teneri communiter ex iustitia, dare iustum stipendium, nisi Sacerdotes spontè contenti sint minori. Verùm, etsi reperiant Sacerdotem, qui minus acceptare velit, tenentur adhuc iustum, & integrum stipendium dare, qui vel ex testamento, vel ex alia commissione grauantur curare certum Missarum numerum, intelligendo iuxta morem, & praxim loci. Quia defunctus, & quiuis alius, qui commisit Missas pro se dici, percipiet maiorem fructum ex quantitate simul eleemosynæ. *Sic Fagundez supra, & Auersa qu. 11. sectio. 17. §. tenentur etiam.*

51 Suppono secundò. Cum stipendia minora minimo iusto sic offeruntur, & acceptantur, vt accipiens prudenter censeatur, non promittere singulis applicationem integri fructus, sed solum pro rata stipendij dati, posse primam sententiam sustineri, verb. grat. quando Sacerdos id dantibus stipendia significat, vel illos monet de taxa iustæ mercedis & sic ex ipsorum consensu Missas ad rationem talis taxæ reducit. Vel quando multi simul stipes alicui tribuunt, vel pro cunctis iuxta quantitatem ipsarum sacra faciat, vel in similibus casibus, nulla fit iniuria dantibus stipendia, si Sacerdos pro singulis Missis taxatam stipem recipiat. Ita *Coninch. qu. 83. num. 194. nec alij dissentient.* Similiter, si Sacerdos rogatus dicere decem Missas verb. gra. recepit inuolutam carta pecuniam, putans, esse iustum stipendium, & postea reperit, esse dimidiatum, iustè posse ad ratam minuere numerum Missarum illo monito, qui petijt Missas, vel etiam non monito, quoties ex iusta causa non potest, dicunt *Fraxinellus sect. 4. concl. 1. §. 2. num. 7. Alfonsus de Leone quæstio. 8. sectio. 4. & Auersa supra §. Et similiter.* Nec id esse contra decreta *Cardinalium*, quæ planè non loquuntur in his casibus.

52 Iam dico primò, loquendo de solo iure naturali citra prædictos casus, si Sacerdos accipiens stipem minorem minima iusta promittat saltem implicitè *iuxta dicta numero 44.* fructum integrum Missæ, nec habeat intentionem applicandi, nisi partem illius, peccare saltem contra fidelitatem, & veracitatem, vt asserunt *Suarez, & Coninch. supra*. An autem peccet etiam contra iustitiam? vtraque pars est difficilis. Inde tamen

tamen decidenda videtur, vnde plures similem quęstionem decidunt in materia locationis,& conductionis; scilicet, Vtrum famulus, qui conductus fuit stipendio minori, quam esset infimum iustum, possit vti compensatione? Negat .n. *Sotus de iustit.lib.5.qu.3.art.3.* Videtur autem affirmare. *Nauarrus cap.17. num.108.*dum absolutè docet,herum assignantem famulo pretium minus iusto, debere compensare defectum.

53 Conciliant verò prædictas opiniones *Molina tract.2.disput.506. Rebellus part.2.lib.14.quaestio.15. Bonacin.de contract.disp.3.quaest.7.punct.4.num.6.Vazqu.supra num.59.* dicentes, si perpensis omnibus circumstantijs, stipendium non attingat infimum iustum, nec famulus censeatur spontè cedere iuri suo, posse quidem vti compensatione. Rarò tamen, vel non præsumi liberam donationem excessus, vel non attingi iustum infimum in illis circumstantijs. Sic igitur in præsenti distinguere possimus, vt quando Sacerdos non censetur spontè remittere defectum stipendij, nec omnibus circumstantijs perpensis attingitur verum iustum stipendium infimum; non peccet contra iustitiam diuidendo Missæ fructum pro rata; Secus verò, quando, vel in his circumstantijs attingitur infimum saltem stipendium iustum, *iuxta superius dicta numero 49.* (quod ferè semper contingit,) vel Sacerdos spontè remittit defectum irrito pacto.

Tunc enim, *vt expendit Molina supra*, non est nuda locatio, sed permista cum donatione decrementi à iusta mercede. Quamuis enim regulariter in contractibus onerosis, non sit præsumenda donatio,vel excessus, vel defectus à latitudine iusti pretij. Nihilominus,si contrahentes sciant valorem verum,& neuter necessitate,metu, fraude, vel aliquo simili cogatur ad contrahendum,præsumi tunc donationem, si quis defectus, aut excessus à latitudine iusti pretij reperiatur, *dicit Molina citans Conradum, Nauarrum,& Medinam*.

54 Hinc colligo,Sacerdotem diuitem, qui recepit stipendium minus minimo iusto, promisitque Missam simpliciter, ex iustitia teneri seruare pactum, *vt tertia sententia dicebat in hoc conueniens cum secunda*. Nec obstat *impugnatio Vazquij posita supra num.47.* Quia,cum Sacerdos diues nulla necessitate cogatur acceptare tam exiguum stipendium, præsumitur donare decrementum. Nec in hoc casu, *vim habet fundamentum primæ sententiæ positum num.42.* Quia nec volenti fit iniuria, nec hic Sacerdos cogitur pro tam exiguo pretio paecisci, sed spontè consentit in locationem donatione permistam.

55 Sacerdos verò pauper, si vel extrema, vel valdè graui necessitate prematur, sicut accipere potest plura stipendia iusta pro singulis Missis, *vt ostendimus supra num.29.* Sic à fortiori recipere poterit iniusta plura. Quapropter in hoc sensu verum asserit tertia sententia, *& Molina supra dicens*. Pauper, si necessitate pressus contrahat minori pretio, licet ipse roget ad contractum;& quamuis emens dicat,rem plus valere, sed se nolle pluris eam emere, non censetur adhuc donare decrementum, & potest vti compensatione. Sic valet distinctio Sacerdotis diuitis, & pauperis, nimirum grauiter indigentis. Ad grauem autem necessitatem Sacerdotis pertinet, quando non habebit decentem vitæ Clericalis sustentationem, nisi vel mendicando,vel plures pro singulis missis stipes accipiendo. Quo sensu verè *dixissent Authores relati supra num.21.* stipendium Missę debere sufficere congruę Sacerdotis sustentationi. Quippè talis Sacerdotis paupertas dat illi ius, vt vnica Missa(quoties aliter non potest)comparet sibi cibum, vestitum, & habitationem præcisè necessariam.

56 At si Sacerdos pauper communi solum necessitate prematur, adhuc forsan præsumetur à Doctorib. tertiæ sententiæ, non spontè remittere defectum stipendij iusti;sed inuitus iniustum pati. Nam adhuc communis necessitas cogit

ad præcauendam maiorem pressuram, & ad prouidendum refugium imminentium discriminum, & ad non donādum liberaliter, quod sibi timet fore præcisè necessarium. Verum in hoc casu perpendendum est, quod *suprancitati n.49.* scilicet, copiam Sacerdotum quærentium stipendia Missarum, & raritatem offerētium diminuere iustam ipsius æqualitatem, pro tertia parte dicunt quidam, alij pro parte dimidia, sicut de mercibus vltroneis opinantur Doctores. Videantur *Salas de empt. dub.25.n.3. Bonac. de contract. disp.3.q.2.punct.4.n.21. Diana par. 1 tract.8. Resol.36.53.& 78. Megala 2.2. lib.2.cap.6.qu.2.num.47.& consil.93.n.3. Rebellus part.2.lib.9.q.1.n.36. qui lib.14. qu.15.nu.12.* Sic ait. Si Dominus, sic erat affectus, quando conduxit famulum stipendio nimis exiguo, vt reuera non conduceret, si maiori pretio conducturus esset, aliquid esse minuendum de iusto pretio adhuc infimo, si famulus vti velit compensatione, nempè ratione deceptionis, & iniuriæ per dolum illatæ. Contra iustitiam enim facis, si me per deceptionem allicias, vt emam, vel conducam etiam infimo iusto pretio, alioqui non contracturus, cum libertatem habeam ad contrahendum, vel non contrahendum; & hoc probat secundum fundamentum secundæ sententiæ positū *n.45.* Quibus omnib. expensis, ita manet exiguum stipendium Missæ, quod in his circumstantijs sit infimum iustum, vt vix vmquam minus detur à singulis fidelibus. Quare vix vmquam poterit ad praxim reduci prima sententia, quin peccetur contra iustitiam, præterquam in casibus *supra positis num.51.* adhuc stando soli iuri naturali.

57 Ideo dico secundò, iam iuxta decreta Cardinalium, quorū meminimus *num.46.* vbi recepta sunt, omnino tenendam in praxi fore secundam sententiam, saltem ratione præcepti positiui Summi Pontificis authoritate positi. *Peyrinus tom.3.ca.1.num.26.* admittit etiam obligationem fidelitatis ratione promissionis, non verò iustitiæ propter inæqualitatem stipendij. *Auersa dicit q.11 sectio. 17.§. Quartò posse*, per hæc decreta non damnari primam sententiam in suo antiquo statu, sed lege positiua prohiberi praxim, & vsum ipsius, sicut passim prohiberi possunt, & solent alia, quæ licebant alioquin stando in suo iure naturali.

58 Sed contra posset obijci; quod illa decreta non videntur condere nouum ius, sed naturale solum intimare; Si quidem obtestantur diuinum iudicium, & obligant ad restitutionem; ad quam obedientia sola præcepti non obligaret. Ergo loquuntur de iustis Missarum stipendijs in hac rerum peristasi, quę quantumcumque secundum se sint incongrua, vel exigua, tamen hic, & nunc consideratis circumstantijs diminuentibus communem stipis ęstimationem iusta censeātur: & sic obligent ex iustitia. Ego censeo, voluisse Pontificem his decretis tollere prorsus abusum ex varietate sententiarum ortum, quo pereunt voluntates testatorum, & fides obstricta violatur, & defuncti priuantur suffragijs debitis, vt ibidem asserit; ac subindè pręcepisse (ne forsan aliquis alijs opinionibus abutatur hic, & nunc perperam applicatis,) vt omnes fideles amplectantur in praxi secundam sententiam. Quia de facto regulariter offeruntur stipendia manualia, quæ iuxta circumstantias occurrentes sufficiant, vt Sacerdos vel extrema, vel grauissima necessitate non oppressus teneatur ex iustitia pro singulis dicere singulas Missas, ac subindè iusta censeantur hic, & nunc. Quod equidem præceptum prudentissimum est, cum humanę leges ferantur de communiter contingentibus, & communiter offerantur stipendia hic, & nunc congrua, siue iusta. Prudenter igitur iubemur, tot dicere Missas, quot stipendia recepimus, quantumcumque secundum se videantur incongrua, quia prudenter iubemur reputare nos ex iustitia semper astrictos ad sic faciendum, & consequēter ad restituendum, si non faciamus.

59 Confirmatur, nam vt bene *Rebellus*

ius arguit in simili supra numero 9. vel Sacerdos reperit alium, qui maius stipendium offerat pro Missa, vel nullum. Si reperit, cur non maius recipit, dimittens stipendia tenuiora? Si non reperit, non debet iniustum reputare, quod ob raritatem offerentium stipes, & copiam Sacerdotum acceptantium, vel etiam quæritantium ita decrescit, vt debeat hic, & nunc iustum existimari. Quod, si quando stipendia, præsertim antiqua mutatione temporum reddita sint iniusta simpliciter, recurrendum erit ad legitimum superiorem, vt Missæ reducantur ad numerum minorem.

60 Hinc colligunt *Posseuinus*, *Fraxinellus*, *Comitolus*, quos sequitur *Alphonsus de Leone de officio Capellani quæst.7. sectio.10.& quæstio.8.sectio.16.* debere Sacerdotem sigillatim, ac distinctè dicere singulas Missas pro singulis, qui petierunt illas. At *Bonac. de Sacrament. disputat.4.quæst.vltim. punct.7.§.3. numero 1. Auersa supra §. Hinc inferunt*, admittunt, posse Missas applicare coniunctim, & inconfuso. Si nimirum Sacerdos, qui recepit à quatuor personis quatuor stipendia, dicat totidem Missas pro cunctis, ita vt singulæ pro rata prosint omnibus; sic enim nihil cuiquam detrahit, dum omnes Missæ dicantur intra latitudinem temporis concessi. Mihi videtur, hoc in rigore sufficere, prior tamen modus accommodatior, & vsitatior esse.

CAP. XII. QVÆST. VI.

Vtrùm aliquo titulo possit Missarum stipendium augeri?

61 Cum stipendium solius Missæ nō commensuretur integræ sustētationi Sacerdotis, vt diximus *supra quæst.3.num.23.* consequens est, vt pro ministerijs adiunctis, vel pro labore, vel incommodo superaddito, possit superaddi, vel augeri stipendium. Sic, quando Sacerdos canit officium defunctorum, & Missam, distinctum accipit stipendium Missæ, distinctum Officij, quia sunt distincta ministeria, quasi partialiter promerentia sustentationem Sacerdotis. Similiter, potest exigere maius stipendium supra taxam, quoties adhibet in Missa laborem extraordinarium: nimirum, quando cantat Missam, quando mittitur ad celebrandum in locum valdè distantem, vel debet expectare diù, vel præuenire summo mane cum incommodo, vel simile subit onus dignum maiori mercede. Sic censent *Suar. tom. 3 disput.86. sect.2. Fagund. Precept.1. lib. 3. cap.8. Auersa quæst.11. sect.17. § Septimo potest.*

62 Quod si quis reliquit centum nummos argenteos pro centum Missis in aliquo templo quot annis celebrandis, & augeatur ibidem stipendium communi consuetudine, vel noua taxa; debere tunc hæredem supposita capacitate hæreditatis, illarum Missarum stipem supplere, sentiunt. *Riccius Homob. Gennens. Barbosa, quos sequitur Diana part.2. tractat.14. Resol.17.* Quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro stipe soluenda, sed pro Missis celebrandis, atqui, si præuidisset augmentum stipendij, non diminueret Missarum numerum, cum hæreditas sufficiat ad incrementum stipis. Certè verba testatoris essent attentè perpendenda, mensque deberet apertè constare, vt hæres cogeretur ad augendam stipem. Communis quippè praxis est, vt crescenti Missarum stipendio, numerus ipsarum per legitimum superiorem minuatur, quando redditus non sufficiunt Missis antea præscriptis. Sic ferè notant. *Auersa q.11. sect.18. § Si autem. Dian. p.7. tractat.12. Resol.22. Barbos. de potest. Episc. p.2. Alleg.29.*

63 *Tridentinum session.22.* decreto de seruandis in Missa, decernit, vt ordinarij locorum cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis nouis celebrādis datur, omninò prohibeant. At Congreg. Concil. declarauit, eos, qui Missas nouas celebrāt, posse solū in medio altaris cōuertere se ad populū,

& oblationes sponte factas recipere, non verò circuire templum hac de causa. *Sic referunt Zerola in praxi Episcopor. p. 1. verb. Missa vers. 1. Homobon. in examine p. 1 tract. 4. c. 13. q. 117. Naldus verb. Missa nu. 19. Diana p. 2. tract. 14. Resol. 50.*

64 Volunt aliqui, Sacerdotem pauperem exigere posse maius stipendium pro sua Missa, sed id benè refellunt. *Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 8. nu. 14. & Auersa supra.* Nam, vt vidimus in superioribus solus titulus paupertatis non auget pretia rerum. Quare Sacerdos hoc titulo non potest accipere maius stipendium Missæ, nisi sibi liberaliter, & sponte donetur. Alij dicunt, posse Sacerdotem pro Missa diei festi duplum stipendium accipere, quasi festiua solemnitas conferat ad augendam stipem celebrationis. Ita concessit *Synodus Mediolanens. 3.* & ita declarauit *Congregatio Pænitentiariæ Mediolan. annuente Bonac. vt ipse testatur supr. nu. 10. Sic docent Homobon. supr. q. 120. Fraxinell. sect. 4. concl. 1. num. 8. Barthol. à S. Fausto lib. 1. de Indulg. q. 65. Alphons. de Leon. de Iubil. p. 3. n. 12. & de offic. Capellan. q. 6. sect. 10. aliique plures. Verum Dian. p. 2. tract. 14. Resol. 9.* dicit, hanc sententiam iam esse damnatam decretis Cardinalium supra relatis, §. Tertiò. Vbi certè non reperio verbum vllum de Missis dierum festorum, nec in omnibus illis decretis inuenio quidquam, quò prædicta sententia reprobetur, vel contraria praxis decernatur. Quapropter in hac re, censeo, seruandam esse consuetudinem locorum, seu Synodales constitutiones. Ita quoque censet *Auersa supra.*

65 Restat difficultas, vtrum Religiosi per sua priuilegia possint accipere maius stipendium Missarum, aut vnica Missa pluribus stipendijs satisfacere. *Azor tom. 3. lib. 12. c. 6. q. 5.* dixit, Papam non posse concedere facultatem accipiendi plures stipes, quibus vnica Missa satisfiat. Cum enim non habeat potestatem in destructionem, sed in ædificationem, nec sit Dominus, sed dispensator bonorum temporalium, quatenus ad finem super naturalem aliquo modo conducere possunt, non potest humanos contractus inuertere, nec in quorumdam præiudicium alijs tribuere bona temporalia.

66 Verum communiter Doctores concedunt Papæ potestatem ad dispensandum ex causa rationabili cum aliquibus, vt possint vnica Missa pluribus stipendijs etiam iustis satisfacere, ac subinde recipere pro singulis Missis stipendia maiora iusto. Sic censent *Cordub. Syluest. Henriq. Reginald. Fraxinell. quos sequitur Bonac. supr. nu. 3. Suar. to. 3. disp. 86. sect. 4. Filliuc. tract. 5. n. 189. Manuel. tom. 1. Regul. q. 43. art. 16. Molfes. tract. 3. c. 17. nu. 29. Auersa supr. §. Rursus.* Probatur, quia Papa potest iustis de causis commutare voluntatem offerentium stipem, sicut & testatorum circa pias causas. Potest etiam ex Ecclesiæ thesauro supplere, quidquid satisfactionis demitur his, qui Missarum stipes dederunt, vnde nullum detrimentum patiantur, quamuis numerus Missarum minuatur, nam quoad impetrationem vna Missa multis æquiualet. Ergo potest ex causa rationabili concedere, vt multis stipendijs vnica Missa satisfaciat. Fatentur tamen *Suar. Manuel.* & alij, non posse hoc Papam ex mera voluntate sua, sine causa, quod probat fundamentum oppositum, & non amplius. Causa verò iusta talis dispensationis erit magna paupertas Sacerdotum, vel raritas, vel tot onera Missarum, vt moraliter impossibile sit omnibus ad æqualitatem satisfacere, vel quid simile.

67 De facto talè priuilegium Religiosis esse concessum, testantur plures ex relatis Doctoribus, *Leo X.* apud compendium mendicantium verbo Missa, §. 14 concessit Minoribus, vt vnica Missa satisfacere posset plurib. commendatis, donec vnus Iulius, seu Regalis correspondeat singulis Missis. *Item Iulius Secundus Bulla* 28. *concessit Generali Mini-*

Minimorum, vt reperiens in conuentu copiosum numerum Missarum, quibus fratres ad æqualitatem satisfacere nequeant, dispensare possit, vt dicendo in qualibet Missa nouem collectas satisfaciant pro nouem Missis, & septem Collectas pro septem Missis, & sic descendendo. Videantur *Manuel supra. Hieronym. Rodriq. in comp. Resol.* 25. *nu.* 15. *&* 16. *Diana p.* 2. *tract.* 14. *Resol.* 6. *Henriq. lib.* 9. *c.* 22. *nu.* 7. Verum, quidquid sit de his, aut similibus priuilegijs, iam Congregatio Concilij authoritate Pontificis, §. 3. *&* 17. reuocat omnia priuilegia, quibuslibet ob quamlibet causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum celebratione, vel aliquibus collectis plurium Missarum onerib. satisfiat, & ita seruandum est, vt docent. *Auers. & Dian. supr. Hieronym. Rodriq. nu.* 26. *Card. de Lugo disp.* 21. *num.* 28.

CAP. XII. QVÆST. VII.

An qui pinguiora recepit stipendia, possit alijs dare tenuiora?

68 Affirmat prima sententia, quam tenent. *Suar. tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 3. *Filliuc. tract.* 5. *num.* 186. *Vazq.* 3. *p. disp* 234. *c.* 4. *nu.* 30. *Naldus verb. Missa nu.* 4. *Homobon. in exam. p.* 1. *tract.* 8. *c.* 14. *q.* 131. *Fraxinell. sect.* 3. *pranotat.* 5. §. 4. *nu.* 1. *Sà verbo Missa nu.* 45. *Manuel in sum. tom.* 1. *c.* 250. *nu* 9. *& tomo* 4. *c.* 52. *nu.* 9. *Reginald. lib.* 23. *n.* 240. *Possevin. c.* 2. *nu.* 19. *Bonacin. de Sacram. disp.* 4. *q. vltim. punct.* 8. *nu.* 18. Qui duas prærequirunt conditiones, primam, vt stipendia dentur isti Sacerdoti pro Missis ab eo celebrandis, ac per consequens ipse Dominium illorum adquirat, & non sit simplex dispensator. Secundam, vt celebranti conferat iustum stipendium. Tunc autem probatur hæc sententia, quia Sacerdos accipiens stipendium adquirit dominium illius sub obligatione faciendi sacrum pro dantis intentione, quam certè potest per se, vel per alium implere. Quare, dum posteà dato iusto stipendio satisfacit obligationi suæ per alium Sacerdotem, & si partem pecuniæ receptæ retineat sibi, nulli facit iniuriam, non celebranti, cui dat iustum stipendium, non petenti Missam, cui totus Missæ fructus applicatur. Ergo nullam committit iniustitiam, ac subinde non peccat.

69 Secunda sententia negat. *Ita Maior in* 4. *dist.* 45. *q.* 3. *dub.* 2. *Nauar. c.* 25. *nu.* 91. *Corduba lib.* 1. *qu.* 4. *dub.* 1. *Aragon.* 2. 2. *q.* 85. *ar.* 3. *dub. vlt. Molfes. tract.* 3. *c.* 16. *nu.* 25. *Petrus de Ledesm. tom.* 1. *sum. tract. de Eucharist. c.* 8. *concl.* 13. *Moure p.* 3. *c.* 5. §. 9 *nu.* 6. *Diana p.* 2. *tract.* 14. *Resol.* 10. *& p.* 6. *tract.* 8. *Resol.* 10. *Cardin. de Lugo disp.* 21. *nu.* 29. *Auersa q.* 11. *sect.* 17. §. *Sextò supposita*, & alij iuniores. Probatur primò, quia voluntas dantis stipendium est, vt totum illud tribuatur Sacerdoti celebranti pro dantis intentione, ne dans stipem fraudetur fructu, qui crescit ex eleemosyna maiori celebrantibus collata, quatenus honorat Deum de substantia sua ministrum illius sustentando. Probatur secundò, nam qui sedulò conquirunt plures, & pingues stipes Missarum, quas minoribus stipendijs, licet iustis, per alios faciant celebrari, saltem præseferunt speciem quandam lucri turpis, & sordidi, quatenus rem Sacratissimam faciunt materiam negotiationis, quæ propterea meritò detestanda sit, & nullatenus permittenda. Pobatur tertiò supradictis decretis, §. 4. iubentibus, ne Sacerdos, qui Missam susceperit celebrandam cum stipe certa, Missam illam alteri committat celebrandam, parte talis stipis sibi retenta.

70 Dicendum est, quamuis iuxta ius naturale sustineri posset prima sententia, si iusta causa cohonestetur, vt notat Bonacina supra, v. g. Si quis Sacerdos multas receperit pinguiores stipes, & non possit omnes Missas dicere, nec habeat, vnde commodè restituat, posset alijs Sacerdotibus data minori stipe commendare, vt dixit *Fagund. Præcept.* 1. *lib.* 3. *c.* 9. *nu.* 18. Verum post decreta Sacr. Congregationis, quæ videntur

tur

tur in hac parte condere nouum ius, tenenda est in praxi secunda sententia cum Doctoribus, qui post illa decreta scripserunt, & cum limitationibus quas eadem Congregatio subiunxit, respondens ad quædam dubia sibi proposita.

71 Nam in primis excipiendi sunt, qui ratione muneris ad distribuendas Missas destinati, siue Sacerdotes, siue Laici sint, vt Collectores, vel sacristæ, vel administratores, aliquid sibi retinent lege, vel consuetudine taxatum, quod quidem exiguum esse debet, quia tale munus exiguæ sollicitudinis, & laboris est. *Ita Sotus de Iustit. lib.9.q.3. art.1. Henriq. lib.9. c.22. nu.8. Nauarr. c.25. nu.91. Beia casu 12. Fagund. supr. n.15. & 16. Vazq. nu.30. Filliuc. nu.187.* & Sacr. Congregatio respondit ad dubium septimum, posse retineri partem stipis exiguam pro spensis ordinatis ad ipsam Missæ celebrationem, quoties Ecclesiæ non habent alios redditus sufficientes ad has spensas altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiarum, & similium, vt notat. *Cardin. de Lugo nu.31.* Videtur autem hic etiam comprehendi merces distributoris ad breuiorem Missarum expeditionem necessarij.

72 Qui verò recipit vberiores stipes, non pro Missis à se dicendis, & vt curet dicendas per alios, non solum ex iure positiuo, sed etiam ex lege naturali, non potest excessum stipendij sibi retinere. Quia licet iustum stipendium celebrantibus tribuat, facit illis iniuriam, quoniam totum, quod ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat, non retribuit. *Ita Nauar. Bonac. Filliuc. Vazq. Diana supr.* Consentiuntque ferè Doctores vtriusque sententiæ. Quia non præsumitur, esse voluntas dantis stipendium, vt aliquid illius maneat apud merum distributorem, præter id exiguum, quod habentibus tale munus legitimè sit assignatum. Vnde colligunt *Vazq. supr. n.31. & Fagund. c.10. nu.9.* quando testator præcipit, vt tot Missæ pro se dicantur, & celebrantib. dentur stipendia duplo maiora, nec Parochum, nec testamentarium satisfacere, si minora, quamuis iusta, retribuant, & reliquum sibi retineant.

73 Excipiuntur item Beneficiati, seu Capellani, qui ratione beneficij, seu Capellaæ tenentur ad onera Missarum per se, vel per alios implenda. Nam hi possunt minori, quam sibi competat, iusto tamen stipendio celebrantibus dato, satisfacere, cum ex titulo beneficij, seu Capellaniæ competat ipsis excessus. Ita communiter Doctores, & ita respondent Cardinales ad dub.8. quò ad beneficiatum, nisi fuisset aliter cautum in fundatione beneficij. Rectèque responsum extendunt ad Capellanum. *Auers. supr. Card. de Lugo n.30. Diana Resol.11.* qui citant alios, cum sit eadem vtriusque ratio.

74 Excipiuntur, qui recipiunt Missæ stipendium duplum, aut triplum ab amico dante talem excessum intuitu personæ, vel ex mera beneficentia, seu liberalitate; tunc enim titulus donationis, quæ vel apparet explicita, vel præsumitur implicita, sufficiens est ad licitè retinendum illud lucrum. Ita docent post decreta, *Cardinal. Bordon. in consil. Resol.25. nu.28. Auersa supr. Dian. Resol.12.* Quia decreta non tollunt donationem liberalem. Similiter, quando Sacerdos recepit stipendium pingue pro Missis à se dicendis, & reperit alium Sacerdotem, qui velit sponte dicere Missas illas pro multò minori stipe, posse quidem excessum retinere. *Docent Ioan. de la Cruz, & Homobon.* quos sequitur, *Diana Resol.13. & Auersa sup.* Quia sicut potest Sacerdos gratis celebrare pro alio, condonans illi totum stipendium Missæ, sic vtique potest condonare partem; nec hoc prohiberi supradictis decretis, quæ non tollunt exercitium misericordiæ, vel liberalitatis, vt neque tolli per taxam Missarum diximus supra, *nu.17. & 18. cum alijs.*

75 Hæc doctrina, quamuis speculatiuè vera sit, habet praxim difficilem, & periculosam, vt prudenter aduertit. *Car-*

*Cardin. de Lugo nu.*32. Quippè prudenter timeri potest, ne celebrans non omninò liberè, seu liberaliter acceptet onus dicendi Missas, & remittat stipendij partem, præsertim, si sit pauper, & egens, & non amicissimus commendanti, sed potius ex aliquo metu cedat iuri suo. Quia forsan alioqui non darentur sibi tales Missæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid simile veretur. Igitur cautè perpendi debent omnes circumstantiæ, vt praxis reputetur secura.

67 Petes, An Sacerdotes, quibus interdum offertur stipendium manuale maius solito pro Missis, quas ipsi celebrare possent, si velint aliquas alijs Sacerdotibus commendare, debeant illis integrum stipendium tribuere? Sacr. Congregatio respondet ad nonum, debere, nec vllam eius partem posse sibi reseruare; quod videtur esse nouum ius, & nonum Vrbani VIII. præceptum. An autem hoc obliget sub mortali. Negat *Bordonus supr.* quia decretum Pontificis non damnat contrariam sententiam, cum talis reprobatio non constet in decretis, sed solum eius vsum vetat. Ex hac autem prohibitione contra rem aliàs licitam, non colligitur obligatio sub mortali. Nam ad talem obligationem, requiritur materia grauis, & voluntas legislatoris, vt ex communi sententia tradit. *Sanchez lib.6. decal.cap.4.à nu.19.* Sed in illa prohibitione non exprimitur voluntas obligandi grauiter. Quoniam illa verba, *prohibet, & debere,* quibus talis imponitur obligatio, non inducunt ex se magis obligationem grauem, quam leuem; nec materia videtur ex se grauis, cum non inferat alicui graue damnum, vt constat ex fundamento primæ sententiæ.

77 Affirmant *Diana p.2. tractat.14. Resol.10. & part.6. tract.8. Resol.10. & part.8. tract.7. Resol.75. Auersa supr.* non tamen id probant. Ego mihi videor, colligere grauem obligationem ex ipsis verbis decreti, quod §.4. *volens omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere, prohibet, &c.* Quippè quamlibet speciē, aut occasionem lucri turpis ab Ecclesia remouere, materia sufficiens est, vt grauiter præcipiatur & seria voluntas obligandi grauiter indicatur satis ex tali motiuo proposito. Nec hic attendēdum est damnum iniustè illatum alicui, sed indecentia tam sordidæ negotiationis, quæ satis capax est præcepti grauiter obligantis secundum se, quamuis in aliquo casu particulari possit esse veniale peccatum ex paruitate pecuniæ retentæ, vel etiam indecentiæ secutæ. Vnde soluitur fundamentum primæ sententiæ. Hinc etiam colligunt *Auers. & Diana, contra Bordonum,* Sacerdotem, qui vel ignoranter, vel cum opinione sibi probabili violauit prædicta decreta, teneri, vel reficere Missas, vel stipendia restituere, sicut ille, qui bona fide rem accepit, quam putauit, se adquirere iusto titulo, teneri dicimus ad restitutionem, quando comperit, se deceptum fuisse. Videatur illa *Resol.75.*

78 Primū fundamētū secūdæ sentētiæ probat, quod supra dicebamus, *num.72.* merū distributorē peccare cōtra legem etiā naturalē, si quid stipēdij retineat cōtra voluntatē dātis stipēdiū pro celebrāte Missā; id verò nō probat de Sacerdote, cui datur stipendiū, & adquirit dominiū illius cū onere celebrandi per se, vel per aliū, cui verè satisfacit, commēdans alijs Missas, quātū est ex vi iuris naturalis quāuis aliquā sibi partē stipēdij retineat. Nec dās stipē priuatur aliquo fructu, nā integrū recipit ex stipēdio dato pro celebratione, siue recipiens illud celebret, per se, siue per alium, vt docet *Vazq.3.p. disp.234.n.32.* secūdū fundamētū probat, illicitū esse tale lucrū, nisi iusta causa cohonestetur, & subindè iustissimè potuisse prohiberi per legē humanā, nō verò cōuincit secūdū, se cōtra solū naturale ius esse mortale peccatū. Tertiū fundamētū probat prohibitionē iuris positiui noui, quā reputamus ita grauē, vt quod ante decreta solū esset cōiter veniale peccatū, iā post illa decreta sit mortale peccatum ex genere suo, iuxta proximè dicta.

CAP. XII. QVÆST. VIII.

Quandiu differri possit celebratio Missarum post stipendium acceptum?

79 Conueniunt Doctores, peccare mortaliter Sacerdotem, qui nimis differt celebrationem Missarum, quarum stipendia recepit, vel obligationem ex iustitia suscepit. Quia, si sacrificium applicandum est animæ Purgatorij, patitur illa graue detrimentum ex dilatione. Si pro remedio necessitatis alicuius occasione transacta, non obtinebitur effectus, & frustratur intentio dantis stipendium, vt, si Missa dicenda fuisset pro sanitate infirmi, qui morante Sacerdote moriatur, vel pro nauigante, vel iter agente, vel alter periclitante, qui pereat, antequam Missa dicatur; & in hoc casu dicunt, non solum peccari mortaliter, sed etiam stipendium debere restitui, quia iam Missa non deseruiet intentioni dantis. *Ita Sylvest. Aragon. Nauar. Manuel. Henriq. Reginald. Fraxinell. Nald. quos sequitur Bonac. disp.4. q.vlt.punct.7 §.5. nu.1. & 2. Homobon. & Moure, quos sequitur Dian.p.2.tract.14.Resol.25. Auersa q.11. sect.18. §. Quando qui. Possevin. c.2. q.2. nu.25. & alij.*

80 Pariter Vrbanus VIII. in illis decretis anni 1625. §.8. prohibet, ne Sacerdotes accipiant eleemosynas pro Missis, nisi iam oneribus ante susceptis satisfecerint, vel (vt in declarationibus huius decreti fuit expositum) intra modicum tempus possint omnibus satisfacere; vel dans eleemosynam sciat, & consentiat, vt differatur celebratio, donec alijs sit satisfactum; tunc enim scienti, & consentienti non fit iniuria. Qua propter in hoc etiam conueniunt Doctores.

81 Quod verò sit tempus ita longum, vt mortale peccatum constituat, quod autem sit modicum excusans à culpa, non satis definiunt Authores relati. *Nauarr. lib.2.cap.2.n.368.* dicit arbitrio boni viri, ac singulorum conscientiæ vel honestæ commoditati relinquendum. *Villalob. & Ledesm.* quos sequitur *Diana supr. Card. de Lugo disp.21. nu.34.* dicunt, singulos Sacerdotes posse suscipere quinquaginta, vel sexaginta Missas celebrandas. Quod Ego concederem de Sacerdotibus expeditis ab aliarum Missarum obligatione. Nam, si ratione Capellaniæ, vel Anniuersarij, vel alio titulo teneantur in hebdomada binas, vel ternas celebrare, non poterunt singuli sexaginta prætereà suscipere, quas tribus mensibus vix explebunt.

82 Regula certior erit, si quilibet, aut Sacerdos particularis, aut Conuentus Regularis eas Missas suscipiat, quas duobus primis mensibus celebrare possit, non plures. Ita significat *Auersa supr.* dicens, pro quinquaginta, vel sexaginta diebus, accipi posse Missarum stipendium anticipatum. Vnde Sacerdos, cui datur stipendium, vt celebret in hodierna festiuitate pro tali persona, satisfaciet celebrando die sequenti, vel infra, vel etiam post octauam, nisi Missa petatur pro necessitate præsenti, de qua diximus supra *num.79* Similiter Capellanus, qui debet dicere binas, vel ternas Missas singulis hebdomadis, differens ad hebdomadam, vel mensem sequentem celebrationem, non peccat mortaliter; imo nec venialiter, si causa rationabilis intercedat, vt aduertit. *Card. de Lugo nu.45.* Maior vero dilatio sine iuxta causa videtur esse culpa grauis.

CAP. XII. QVÆST. IX.

Quomodo Missa reduci possint ad minorem numerum?

83 HÆc quæstio tractari potest primò secundum ius commune. Secundò iuxta decretum Tridentini. Tertiò iuxta decretum Vrbani VIII. Et quidem de iure communi posse Episcopum reducere Missas ad minorem numerum ex iusta causa, docent.

cent. *Nauarr.c.25.nu.138. Henriq.lib.9. c.22.nu.6.& lit.P.citat Felinum. Abbatem,Couar.& alios,sequitur Laym.lib.5. tract.5.c.3.nu.5.Fagund.precept.1.lib.3. c.7. n.15.* & alij plures id supponunt. Causam iustam duplicem assignant; primam, dum in aliqua Ecclesia, vel vrbe tot occurrunt obligationes Missarum, quot ob paucitatem Sacerdotum expleri non possint, & si detur sufficiens stipendium, tunc ad Episcopum spectat, reducere Missas ad numerum Sacerdotibus proportionatum, & fructum omnibus offerentibus stipem proportionabiliter distribuere, cum singulorum etiam commemoratione, quantum fieri possit, & expediat. Secundam, cum stipes sunt minores stipendio iusto secundum praesentis temporis circunstantias.

84 Tunc probatur haec potestas Episcoporum primò. Nam hic est casus necessitatis, in quo potest equidem Episcopus prouidere quidquid ad suarum Ecclesiarum rectam gubernationem conducat, dum ipsi non interdicitur specialiter. Sed ad istam rectam gubernationem valdè conducit ex istis causis reductio Missarum, quippè vel deficientibus Sacerdotibus, vel stipendijs iustis, verè Missae non dicuntur communiter cum maximò praeiudicio tam animarum defunctorum, quam conscientiae viuentium, qui quaerentes pinguiorem stipem, tenuiori non satisfaciunt. Ergo iure communi potest Episcopus reducere tales Missas. Probatur secundò ex cap. *cum accessissent,& cap. ex parte de constitut.* quamuis enim hi textus nõ loquantur in specie de Missis, ibi tamen annotant communiter Doctores hanc Episcoporum potestatem ad bonum regimen Ecclesiarum necessariam.

85 Refragari videtur, *Auersa qu.11. sect.18. §.item aliqui,*dicens, facultatem reducendi Missas Episcopis non competere de iure communi, sed illis fuisse concessam à Tridentino *sess.25. cap.4. de Reform.* Nam illud decretum non fuit editum ad restringendam, sed ad ampliandam Episcoporum potestatem, vt colligitur ex illis verbis. *Facultatem dat Episcopis, vt Synodo diœcesana possint,&c.*Quippè si iure communi iam anteà poterant, frustra daretur ipsis denuò talis facultas. Verum adhoc respondent. *Authores relati num.83.*Concilium Episcopis dedisse facultatem illam cumulatiuè, non priuatiuè argumento, *cap. fin. de verbor. signif.* Potest addi, Tridentinum Episcopis dedisse facultatem explicitè, quam ipsi prius habebant implicitè sub ratione necessitatis communis, & conducentiae generalis ad bonum animarum.

86 Veniamus ad decretum Tridentini, quod eò cap.4. concedit, vt vel propter multitudinem Missarum celebrandarum ex varijs defunctorum relictis, quibus Sacerdotes satisfacere non possint, vel ob tenuitatem stipendij, possint Episcopi cum *Synodo, & Abbates,* ac Generales Ordinum in suis Capitulis Generalib. statuere circa haec, quidquid magis ad Dei honorem,& Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire. Congregatio Concilij teste. *Barbos. ibi declarauit,* hoc intelligendum esse de Missis tantum, non de alijs suffragijs, sed addit habere locum in officijs Defunctorum, & Anniuersarijs, & ita sentiunt. *Garzia de Benef. p.7. c.1. nu.131. Nald. verb. Missa num.10. Barbosa de potest. Episcop. p.2. allegat.19. nu.4. Piasecius, Quaranta, Riccius, & alij, quos sequitur Dian. p.2.tract.14.Resol.5.*

87 Sit dubium primum circa decretum illud. An Tridentinum loquatur de Missis positis in fundatione vel Ecclesiae, seu Capellae, vel Beneficij, seu Capellaniae? Affirmat *Miranda tom.1. q.41 art.24.* Quia, cum eadem ratio militet in his Missis, ac in alijs similibus, & Concilium generaliter loquatur, aequum est, vt tam Episcopi, quam Generales pariter possint omnes reducere ad minorem numerum stante iusta causa recipiendo semper intentionem Concilij, & procurando maximam

cir-

circumspectionem in re tanti momenti.

Communis verò sententia negat. Quia Tridentinum loquitur de numero Missarum in quibusdam Ecclesijs celebrandarum ex varijs defunctorum relictis, scilicet Anniuersarijs, vel dotationibus, vbi non comprehenduntur Missæ positæ, vel in Ecclesiæ, vel in Beneficij fundatione. Atque sic declarauit Congregatio Concilij *die 3. Martij an.* 1597. Sic etiam censent. *Nald. & Possevin. quos sequitur Bonac. disp* 4.*q.vlt.punct.*7. §.2.*nu.*10. *Garzia supr. Barbos.n.*9. *&* 10. *Riccius Homobon.Piasec.Raguc.Vgolin.& alij*, quos sequitur *Diana supr. Resol.*1. Quare reductionem Missarum, quæ positæ sunt in Ecclesiæ, vel Capellaniæ fundatione, tanquam casum omissum relinqui dispositioni iuris communis, *leg. commodissimè ff. de liber. & posth. dicit Garzia incò nu.*131. *& addit nu.*136. in praxi per Episcopum fieri talem reductionem sine Synodo. Consonant *Henriq.supr. Manuel to.*1. *Regular.q.*43. *art.*13. *Petrus de Ledesm. tom.*1. *Sum. tract. de Euchar. c.*18.*circa conclus.*16. *Azor tom.*2. *lib.*6. *c.*24. *q.*6. iuxta potestatem iure communi competentem Episcopis, vt vidimus, *nu.*83.

88 Sit dubium secundum. An Tridentini decretum extendatur ad Missas dotationum post Concilium relictas? Affirmant. *Naldus verb. Missa num.*9. *Garzia supr.num.*132. *Nauarr. in consil. lib.*5.*tit. de priuileg. cons.*3. *Possevin.c.*2. *nu.*25.*q.*9. qui testatur, sic esse praxi receptum. Probatur, quia Concilium generaliter loquitur, & eius ratio militat non solum in Missis ante Tridentinum relictis, sed etiam post illud. Negant verò *Riccius, Sorbus*, consertur, quos sequitur. *Dian. supra Resol.*2. *Manuel & Mirand.supr.Barbos.supr.n.*5. *Bonac. nu.*11. *Azor.tom.*1.*lib.*12. *c.*18.*q.*61. Probatur, quia sic declararunt. *Cardinal. die* 7. *Februar. ann* 1573. *vt refert Passarell. in tract. Priuilegiorum Can* 60. de remedio Missarum; Quam declarationem Bonacina testatur, esse praxi receptam, & huic praxi, potiusquam oppositæ, nobis standum est, & asserendum ex vi Tridentini reduci posse dumtaxat Missas antè Tridentinum relictas, non post illud.

88 Sit dubium tertium. An Episcopi possint reducere sine Synodo Missas, de quibus loquitur Tridentinum? Negant *Bonac. cum alijs supr.n.*9. *Garzia n.*134. Quia Tridentinum expressè concedit Episcopis facultatem reducendi Missas, scilicet dotatas, vel Anniuersaria in Synodo diæcesana. Quare circa Missas, de quibus Concilium loquitur, eius forma seruari debet, ac per consequens stante Tridentino non valebit constitutio Synodi Salmantinæ, quam refert. *Henriq. lib.*9.*c.*22.*nu.*6. committentem Episcopo, vt hanc reductionem faciat cum consilio capituli. Nam Synodus diæcesana, cuius industriam in hac re requirit Tridentinum, non potest (inquit *Garzia nu.*135.) id alijs committere, maximè generaliter, & in communi.

89 Dico primò. Vbi decretum istud Tridentini receptum non est, potest Episcopus sine Synodo prædictas Missas reducere, sicut & alias, scilicet iure communi, praxique recepta (dum aliundè non prohibetur) *Ita docet Diana p.*2.*tract.*14. dicens, in quibusdam Episcopatibus hoc Tridentini decretum non fuisse receptum, & ibi non obligare. *Consonat Garzia supr. num.*136. subdens, in Abulensi diœcesi semper fieri sine Synodo reductiones, non solum Missarum Capellaniarum, sed etiam Anniuersariorum, & dotationum, rationemque reddit nostræ conclusionis. Quia probabile videtur, quod stylus saltem decennalis valeat contra legem etiam Canonicam ab initio non receptam, & quod stylus Iudicis præscriptus spatio quadraginta annorum valeat contra jus ab initio receptum, vt docet *Bottrus in Rubr. de consuet.n.*27.

90 At vbi Tridentini decretum receptum est dicit *Garzia nu.*134. in Missis, de quibus loquitur Tridentinum, eius formam esse seruandam. Quia, licet antè Concilium possent Episcopi reducere

quaslibet

quaslibet Missas; at postquam Concilium præscripsit formam reductionis cum Synodo Diæcesana, debet talis forma seruari. Verum communiter Doctores tradunt oppositum. *Nauarrus cap.25.num.138.Reginald.lib.23.numero 134.Azor.tom.2. lib.6.cap.24. quæstio.6. Layman lib.5.tract.5.num.5. Barbosa de potest.Episcopi part.2.Allegat.19.numer. 12. Molfesius in Summ.tom.1.tractat. 3. ca.37.numero 29. Riccius in praxi decis. 406. Fagundez Praecept.1.libro 3.cap.7. numero 15. Manuel, & Miranda supra.* Probant primò. Quoniam, etsi Tridentini decretum inducat ius nouum quoad Abbates, & Generales Ordinum, non illud inducit quoad Episcopos, qui iure communi poterant reducere Missas sine Synodo, nec hanc ipsis potestatem abstulit Tridentinum, cum ipsis concesserit facultatem cumulatiuam, non priuatiuam, vt vidimus *numero* 84. & 85. Possunt igitur Episcopi, etiam vbi decretum illud receptum est, vti sua veteri potestate reducentes Missas sine Synodo.

Probant secundò, quia, dum Tridentinum *sess.25.ca.4.* reductionem Missarum commisit Episcopis in Synodo, supposuit, Synodos Diæcesanas quot annis esse celebrandas, vt decreuerat *sess.24 ca.2.de Reformat.* Cum autem istę Synodi rarissimè celebrentur in multis diæcesibus, cessare videtur dispositio *sessionis* 25. *ca.*4. quæ secundum præsentem rerum cursum esset sæpissimè nociua.

91 Dico secundò. Dum vrget necessitatis causa, potest Episcopus sine Synodo reducere quaslibet Missas ad minorem numerum (dum non prohibetur decreto Summi Pontificis, de quo dicemus infra.) Sic fatentur *Bonacina, & Petrus de Ledesma supra*, consentiuntque Doctores numero pręcedenti relati. Probatur. Nam in hac reductione Missarum agitur vtilitas defunctorum, & conscientiæ viuorum, vt vidimus *numero* 84. Vnde quæuis dilatio potest esse valdè noxia, præsertim, cum hæredes grauati, vel Sacerdotes obligati sæpè sint ita pauperes, vt Apostolicam Sedem adire non possint, & vix ad Episcopum recurrere. Quare Tridentinum non est sic intelligendum, vt vrgente causa nequeat Episcopus reducere Missas ad opportunè succurrendum præsenti necessitati viuorum, & defunctorum.

92 Ideò Salmanticæ facta fuit de consensu Doctissimorum virorum constitutio Synodalis, qua facultas reducendi Missas cōmittitur Episcopo cum consilio Capituli. Ac ideo dixit *Henriq.li.9. c.22.n.6.* vbi opus esset Synodi consilio, & tamen vrget casus necessitatis, satis videtur consilium Capituli, quod secutus est *Manuel tom.1.Regular.q. 43.art. 13.& Fagund.sup.n.14.* qui subdit *nu.15.* se non dubitare dicere sine Authore, posse quidem Episcopos non adhibere consilium Capituli, sed virorum prudentum, & litteratorum vrgente causa necessitatis ad reductionem missarum. Nam Episcopi tot negotijs, & occupationib. implicantur, vt non facilè possint adire Capitulum; Cum aliundè viros doctos facilè consulere possint; & hęc missarum reductio reuera perpensis huius temporis circumstantijs sit reformatio rationabilis, & commutatio quædam quasi iustitiæ ad æqualitatem.

92 Ego certè video plures Anthores ex relatis *n.*90. simpliciter asserere, posse sine synodo missas reduci per Episcopum ob rationes ibi positas, nec meminisse consilij, vel Capituli, vel litteratorum, quod magis pertinet ad prudentem vsum potestatis, quam ad formam facultatis, quam Synodus Salmantina non potuit alijs diœcesibus præscribere. Quare censeo, dum vrget necessitas, de qua loquimur in cōclusione iuxta decretum Tridentini, Episcopos posse reducere sine Synodo Missas. Si non nimis vrgeret necessitas, & citò Synodus esset futura, tutius esset expectare, sed oppositum non foret improbabile, nisi nouum extaret decretum Vrbani Octaui, de quo iam dicemus.

94 Congregatio Concilij, *Anno* 1625. Summi Pontificis authoritate §.1. decernit, ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales ordinum in suis Capitulis reducant onera vlla Missarum celebrandarum, vel post Tridentinum imposita, vel in limine fundationis, sed pro his omnibus ad Apostolicam Sedem recurratur, alioquin reductiones huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, ac inanes decernit. Vbi notat. *Auersa q.*11. *sect.*18. §. *Tertio* quando, non auferri facultatem reducendi Missas ante Tridentinum, & non in limine fundationis impositas. Vnde circa tales Missas retinent Episcopi facultatem, de qua diximus in Superioribus. *Consonat Marchin. & Synodus Florentina, quos refert Diana p.6. tract.6. Resol.*10. Satisque constat ex illis verbis, *aut post Tridentinum imposita*. Item ipsa Congregatio declarauit, non auferri potestatem Episcopis reducendi Missas etiam in fundatione positas, quoties ipse fundator id expressè concessit. Vnde iam non sufficier voluntas tacita, seu præsumpta fundatoris, quam sufficere, subesseque putauit. *Azor tom.*2. *lib.*6. *c.*24. *q.*6. quoties redditus fundationis minuuntur, ita vt iustis stipendijs non æquiualeant.

95 Generales Religionum, certum est, non posse sine Capitulo reducere Missas ad minorem summam. Nam quoad Abbates, & Generales Tridentinum condidit ius nouum, quò concessit, vt in Capitulis id possent, & non aliter. *Ita Nauarr. Manuel. Mirand. Barbos. quos sequitur Dian p.*2. *tract.*14. *Resol.*4. Nec in Capitulis reducere possunt Missas post Tridentinum relictas, vt ex vi Tridentini docuerunt *Manuel, & Mirand.* & constat ex supradictis, *nu.*87. multòq; minus poruerunt ex decreto Vrb. VIII. quod id apertissimè vetat.

96 Rursus per hoc decretum Vrbani VIII. non videtur Episcopus prohiberi, quin reducat Missas Ecclesiæ relictas, nondum tamen ob stipendij tenuitatem acceptatas. Nam istud decretum loquitur manifestè de Missarum oneribus impositis, non est autem onus impositum ante acceptationem. Ergo non tollit potestatem, quam Episcopus habebat iure communi ad reducendas tales Missas. *Ita Marchin. de ordin. tract.*3. *p.*2. *c.*19. *nu.*31. *& Diana p.*6. *tract.*6. *Resol.*10. Sed sub Ecclesiæ censura. Constat equidem, per hoc decretum reuocari priuilegia Regularium, circa legata Missarum, vt eius verba clarè significant. Addunt verò *Marchin. & Peyrin. quos sequitur Dian. supr. resol.*11. Vrbanum VIII. post euulgarum illud decretum concessisse; *die* 13. *Iulij* 1626. *Fratribus Minimis Cænobij Ianuensis*, vt legata perpetua Missarum, & oneribus imparia reducere possint ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana. Quò priuilegio per communicationem pariter fruentur, & aliæ domus eiusdem ordinis, & aliæ Religiones, quæ communicant in priuilegijs, vt notant Authores relati.

97 Verum secluso priuilegio petes. An aliquando possit Sacerdos sæcularis, vel superior Regularis reducere Missas ad numerum minorem, v.g. quando roditus ita decrescunr, aut augetur stipendium Missarum, vtiam singulis non respondeat æqua compensatio. *Negat Azor tom.*2. *lib.*6. *c.*24. *q.*6. *& tom.*3. *lib.*12. *c.*6. *q.*4. quia reductio Missarum non pertinet ad authoritatem priuatam, sed ad Papam, vel Principem, cuius est, ex iusta causa posse commutare voluntatem testatoris, aut fundatoris; cum talis vtique commutatio claudatur in reductione Missarum. Affirmant verò probabiliter. *Bordon. to.*1. *variar. Resol.*25. *q.*26. *& Auersa q.*11. *sect.*18. §. *Quod si.* Probatur primò, quia talis esse videtur mens testatoris, seu fundatoris, vt scilicet celebranti detur congruum stipendium, nec grauetur Sacerdos ad celebrandum sine debita compensatione. Quare si totum Capitale Capellaniæ perijsset sine culpa Sacerdotis, vel Conuen-


uentus, cui Miſſarum onus incumbit, poſſe prorſus à celebratione ceſſare, dicunt *Auerſa ſupra, & Bordonus q.21.* cum alijs, quia pariter talis præſumitur intentio fundatoris; &, cum Beneficium detur propter officium, deſtructo Beneficio ceſsare debet officium, ideſt onus, ſeu debitum eidem annexum. Probatur ſecundò, nam in humano contractu locationis non tenetur conductor ſoluere penſionem integram, quando propter grandinem, vel alluuionem, vel ſimilem cauſam depereunt agri fructus. Ergo ſimiliter Sacerdotes non tenentur dicere Miſsas omnes impoſitas, quando notabiliter decreſcunt reditus.

98 Ad fundamentum oppoſitum reſpondetur, reductionem Miſsarum conſiderari poſſe dupliciter, primò modo, quatenus numerus Miſſarum minuitur authoritatiue, ſeu per diſpenſationem, in quò ſenſu procedit illud argumentum, & loquuntur iura, ſiue decreta tam Tridentini, quam Vrb.VIII. & ſic ſolus Pontifex, & qui habent ab illo facultatem, reducere poſſunt. Secundò modo, quatenus numerus Miſſarum minuitur ex æquitate, ſeu iuſtitia, quæ non patitur, vt Sacerdos faciat gratis, aut minori pretio, quod faciendum ſuſcepit ſub ſtipendio iuſto; & in hoc non requiritur poteſtas Pontificis, aut Principis, ſed quiſque poteſt in ſuo contractu iuſtitiæ medium à contrahentibus intentum ſeruare; nec hoc eſt commutare Teſtatoris voluntatem, ſed operari iuxta mentem ipſius, qui noluit, aut gratis, aut ſtipe minori cogere Sacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruam ſtipem deſignauerit, alioquin eius voluntas eſſet iniuſta, quæ ſeruari non debet iuxta. *Gloſs. in cap. Tua nobis, verb. voluntatem, de teſtament.*

99 Quomodò verò ad præcauenda futura inconuenientia, ſuſcipienda præſcribat deinceps onera Miſſarum perpetua cum certis conditionibus Vrbanus VIII. in illo decreto; diſſerit *Auerſa ſupr. ſect. 17. fine.*

CAPVT XIII.

De Miniſtro neceſſario Miſſæ.



1 Vppono primò iure diuino nihil eſſe præceptum quoad neceſſitatem vnius, aut plurium miniſtrantium, quia nec ratio ſacrificij ſecundum ſe, nec inſtitutio huius in particulari poſtulat eſſentialiter miniſtrum, cum tota ſubſtantia fiat à ſolo celebrante, ab eodemque poſſit cum debita reuerentia peragi. Sic oſtendunt. *Suar. tomo 3. diſput. 87. ſect. 1. Filliuc. tract. 5. nu. 190. & ſequentib. Auerſa de Euchariſt. q. 11. ſect. 9.* Suppono ſecundò, iuxta Miſſæ ritum ab Eccleſia inſtitutum requiri miniſtrum aliquem, qui celebranti ſeruiat, & reſpondeat. Cum enim celebrans alloquatur interdum aſtantes, oportet, vt aliquis adſit, & reſpondeat, & ſimul miniſtret vrceolos, & infundat aquam ad ablutionem primam manuum, & aquam, ac vinum ad ſecundam ablutionem digitorum, aliaque præſtet, quæ Miſſale præſcribit.

CAp. XIII. QVÆST. I.

An ſufficiat vnus Miſſæ Miniſter.

2 HVgo relatus ab *Azor. tomo primo, lib. 10. cap. 23. q. 1.* cenſuit, requiri duos. Nam ita decreuiſſe, videtur. *Anacletus Papa Epiſtol. prima, & Soter Papa cap. Hoc quoque de conſecration. diſtinction. prima*, iuſſit, vt nullus Presbyter Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus,

tibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur. Quia cum pluraliter ab eo dicatur, *Dominus Vobiscum*, & *Orate fratres*, aptissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi, scilicet per duos saltem. Adde, quod Sacerdos sæpè pluraliter populum alloquitur, dicens. *Benedicat vos omnipotens Deus. Misereatur vestri, & vobis fratres.*

3 Communis sententia distinguit de Missa solemni, quæ cum Diacono, Subdiacono, & Acolythis celebratur; & de Missa priuata, quæ sine tali apparatu dicitur. In Missa solemni certum est requiri plures Ministros, nam in hoc eius solemnitas consistit. In Missis priuatis vnicum sufficere, communis vsus testatur. *Ita S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad 12. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. artic. 5. Bellarm. lib. 2. de Missa c. 9. Henriq. libr. 9. c. 30. num. 1. Coninch. q. 83. nu. 264. Laym. libro 5. tractat. 5. capit. 6. num. 13. Fagundez præcept. primo, lib. 3. cap. 21. num. primo, Suar. Filliuc. Azor supr. cum alijs. Illi verò* Pontifices, vel locuti sunt de Missis solemnibus, vt exponit, *S. Th.* vel etiam de Missis priuatis, quibus olim ob paucitatem Sacerdotum poterant bini ministrare. Postea verò ob maiorem numerum Sacerdotum, & maiorem obligationem celebrandi frequenter, vbi vix reperitur vnus aptus minister, vsus derogauit in hac parte veteri canoni. Sacerdos autem loquitur pluraliter, quoniam alloquitur Ecclesiam, & eius nomine minister respondet, interdum pluraliter, dicens. Habemus ad Dominum, quò soluitur argumentum contrarium.

4 Quin præceptum adhibendi saltem vnum ministrum, *Suar. supr.* dixit, fundari solum in Ecclesiastica consuetudine. Verum *Auersa* censet, haberi quidem etiam in iure, *cap. Proposuit de fil. Presbyt.* vbi dicit *Alexand. Tertius*, non posse solum Presbyterum Missarum solemnia sine ministri suffragio celebrare. Potest addi *Concilium Moguntinum 2. cap. 43.* dicens. Nullus Præsbyter solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda monebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit. Melius dixit, *Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 20. nu. 103.* præceptum illud magis ex consuetudine, quam ex expressò iure colligi. Nam illud *cap. Proposuit, & Conc. Moguntinum*, loqui videntur de Missa solemni, & quamuis ratio Concilij communis sit etiam Missis priuatis, cum sit Concilium Prouinciale, non potuit obligare totam Ecclesiam. Ad summum habemus inde, quod supra dicebamus, *nu. 1.* praxim Ecclesiæ valdè conformem esse Missæ ritibus ab Ecclesia constitutis. Vnde, licet non explicitè, tamen implicitè iura decernunt, saltem vnum Missæ ministrum esse necessarium.

5 Si petas, quæ sint obligationes ministri seruientis celebranti. Dico primò, Ministros Missæ solemnis non obligari regulariter ad sic ministrandum, quia nullum extat ius diuinum, aut Ecclesiasticum illos sic obligans, & Ecclesiæ praxis ostendit, multos Acolythos, Subdiaconos, & Diaconos non exercere sua munera sine scrupulo talis omissionis. Quippè licet *Trident. sess. 23. cap. 13. & 14.* velit, vt qui suscepturus est ordinem Superiorē, prius exercuerit inferiorem, & aliqui præsules id exigant ab ordinandis, sufficit semel exercuisse talem ordinem, vt admittatur ad Superiorem, nec id ab omnib. exigitur. Possunt tamen aliqui specialiter obligari, vel titulo beneficij, quod habent, vel consuetudinis alicubi receptæ, vel obedientiæ superiori debitæ. *Sic Suar. supr. sect. 2. Petr. de Ledesm. to. 1. sum. tr. de Euchar. c. 26. concl. 3.*

6 Dico secundò, qui ministrant in Missa solemni, seruare debent ritus, & ceremonias, tam in verbis, quam in actionibus, quæ præcipiuntur in Missali, seu Pontificali, subindeque sacris vestibus vti suo ministerio designatis: Leuiterque peccabunt communiter hæc omittendo, vel negligenter, aut irreueren-

uerenter tractando; nisi detur contemptus, aut scandalum, aut defectus cedat in grauem irreuerentiam celebrationis. *Ita Suar. Filliuc. & Ledesm. supr.* An verò debeant esse in gratia, dum ministrant, diximus, *lib.1. cap.2. qu.6.*

7 Dico tertiò. Ministrum Missæ priuatæ debere scire, quomodò respondeat, diligenterque tractare, quæ suo ministerio competunt; ita vt ex parte sua nullus error committatur, præsertim grauis in sacrificio, nimirum si minister voluntariè loco vini ministret aquam, vel quid simile, quod per se grauem culpam contineret. Regulariter verò talis minister excusatur à mortali propter inaduertentiam, vel ignorantiam, vel in alijs defectibus ob paruitatem materiæ. *Sic Suar. & Filliuc. supr. Ledesm. conclus.2. Bonac. de Sacr. disp.4. qu. vltim. punct.9. nu.36.*

CAP. XIII. QVÆST. II.

An aliquando liceat sine ministro celebrare?

8 Glossa in cap. Hoc quoque de consecrat. distinct.1. quam sequitur, *Nauarrus in consil. lib.1. tit. de corp. vitiatis consil.6.* dicit, inclusum posse solum celebrare, si non habeat ministri copiam. *Zerola in prax. Episcop. p.2. verb. Missa §. Tertio*, docet, absolutè posse Sacerdotem solum celebrare, sicque fecisse sanctos interdum in desertis, & speluncis præsertim in persecutionibus per cryptas, domosque priuatas. *Sà verb. Missa nu.18. sic ait. Potest quis, si desit minister, ipse sibi respondere.* Sed correcta ibidem inquit. *Non licet, Missam celebrare sine ministro, iuxta rubricam Missalis, & Ecclesiæ consuetudinem Layman libr.5. tract.5. c.6. nu.13. sic ait.* In quibusdam locis apud nos consuetudo viget, quæ ab Episcopis toleratur, ideòque damnari non potest, vt Sacerdotes præsertim in pagis sine ministro respondente celebrent.

9 Dico primò, seclusa necessitate, graue peccatum fore sine ministro celebrare, quia violatur Ecclesiæ præceptum in præfatis Iuribus, & in Missali positum, & communi praxi receptum in re graui, & sine causa. Quare mortale peccatum esse dicunt. *Barthol. ab Angel. dial.5. nu.408. Bonac. disp.4. q. vlt. punct.9. nu.34. Franciscus Anton. lib.1. de Missa, capit.17. Moure p.3. c.5. § 4 num.6. Auersa qu.11. sect.9. §. Secundo est. Nec vllus, credo dissentiet.* Quare Doctores numero præcedenti relatos, existimo, fuisse locutos aliqua necessitate supposita, vt aduertit etiam *Fagund. Precept. primo libr.3. capit.21. nu.5.*

10 Dico secundò. Vrgenti graui necessitate, licere sine ministro celebrare. *Sic docent Sotus in 4. dist.13. q.2. art.5. ad 12. Graffis lib.2. c.42. num.3. Suar. to.3. disp.87. sect.1. Filliuc. tract.5. n.194. Azor. to.1. lib.10. c. 29. q.3. Henriq. lib.9. c.30. nu.1. Manuel tom.1. sum. c.246. nu.1. Coninch. q.83. nu.265. Cardin. de Lugo disp.20. n.103. Martinon tom.4. disp.40. sect.3. nu.36. Diana p.2. tract.14. Resol.43. Moure supra nu.9. Auersa §. Quod si*, & alij communiter. Quia præceptum Ecclesiasticum, & Ecclesiæ consuetudo non videntur ad casum grauissimæ necessitatis extendi; præsertim, si tunc vrgeret aliud præceptum celebrandi præualens opposito.

11 Censetur autem adesse sufficiens necessitas celebrandi sine ministro, quoties in periculo mortis Sacerdos est sumpturus viaticum, vel alteri moribundo præbiturus, nec habentur hostiæ præconsecratæ: Sic Doctores nuper relati, quibus adde *Zambranum c.3. dub.6. num.5. Villalobos, Pitigianum, Syluium, Homobonum*, quos sequitur *Dian. supra* Probant, quia præceptum diuinum recipiendi viaticum in articulo mortis præualet Ecclesiastico præcepto non celebrandi sine ministro. Rursus, si post inceptam Missam mini-

minister recedat,& expectatus post moram non redeat, debet celebrans solus perficere sacrificium, sibique respondere, quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quam non celebrandi sine ministro. Sic *Manuel supra, & Henriq. nu.*5. Pariter inclusus in carcere propter fidem, aut patiens propter iustitiam, videtur habere sufficientem causam celebrandi sine ministro, quoties eget solamine, vel iuuamine Missæ. Sic intelligo *Glossam, Nauarrum, & Zerolam supr.*

12 Diebus Dominicis, & festis, Si Sacerdos non possit audire Missam, nec habeat ministrum Missæ. *Franciscus Antonius, & Bonacin. supr. Moure numer.*8. *Bartholom. ab Angel. numer.*401. negant, licere celebrationem sine Ministro, quia putant magis obligare præceptum adhibendi ministrum quam audiendi Missam in festis. *Sotus, Manuel, Azor, Fagundez, Martinon supra Henriq. nu.*1. distinguunt, & in festis solemnioribus dicunt, celebrari posse sine ministro, secus in minus solemnibus. Sed certè, cum præceptum audiendi Missam pariter vrgeat in omnibus festis, maior, vel minor solemnitas partui referre videtur ad licitam, aut illicitam celebrationem sine ministro.

13 Quare sententia communior affirmat absolutè, posse Sacerdotem ob solum adimplendum præceptum audiendi Missam quolibet festo, sine ministro celebrare. Sic tenent. *Pasigeanus, Villalobos, Squillante, quos sequitur Diana supra. Coninch. Sotus, Durandus, Nunus, Graffis, quos sequitur Auersa supra. Lessius 3. part. quæst.*83. *numer.*66. *Sylius verò 3. part. quæst.*83. *artic.*5. dicit, se non damnare sic celebrantem. *Suarez inquit*, se non damnare peccati mortalis. Ego censeo, sententiam istam sic esse probabilem, vt prima quoque probabilis sit, & vtraque possit ad praxim reduci pro libito Sacerdotis, quia præceptum audiendi Missam omnibus festis æquale saltem apparet cum præcepto non celebrandi sine ministro. Quare prudenter eligetur alterius vtrius obseruatio, quando non potest vtrumque simul impleri. Sic docet *Auersa supra.*

14 Nota primò, posse dispensare Pontificem, vt liceat Missam celebrare sine ministro: Cum enim præceptum adhibendi ministrum non sit diuinum, sed Ecclesiasticum, eius dispensatio cadit sub Papæ potestatem. Vt autem sit licita, requirit causam, quæ, licet per se solam non excuset, sufficiat ad dispensandum. *Ita Sotus, Suar. & Auersa supra.* Nota secundò, si necessitas celebrandi sine ministro sit ordinaria, qualis est illa, cuius meminit. *Layman supra*, quamuis sufficiens videatur secundum se ad licitè celebrandum sine ministro, tutius, & consultius fore petere dispensationem, quæ forsan habetur in illis pagis saltem implicita. Si vero necessitas Ordinaria proueniat à voluntate Sacerdotis, qui talem eligit habitationem, vbi nequeat habere Missæ ministrum, v g. si vellet eremita degere solitarius, omninò requiritur dispensatio Pontificis. *Ita Sotus, Suarez, Bonacina, Petrus de Led. sma, Filliucius, & Auersa supra.* Probatur, nam illa non potest dici propriè necessitas, sed voluntas. Nemo verò potest sua voluntate talem eligere viuendi modum, in quo regulariter contra legem, & morem Ecclesiæ celebraturus, aut victurus sit sine dispensatione Summi Pontificis, qui perpendet, an maior perfectio talis vitæ præponderet obseruationi legum, quæ sit ibidem omittenda.

CAP. XIII. QVÆST. III.

An minister Missæ possit esse fœmina?

15 SVppono, decerni partem negatiuam in *capit. primo de cohabitat. cleric. & mulier.* vbi præcipitur, ne

ne fœminæ præsumant ad altare accedere, Presbyterove ministrare. Ratio potuit esse. Nam id videtur indecens, & non nullum periculum continere, saltem contra puritatem tanti mysterij. Sic docent communiter Doctores quæstione præcedenti relati, qui tamen notant, remotè posse fœminam celebranti respondere, vt solent ex choro respondere Moniales, nec hoc illo textu prohiberi, sed solum illarum accessum ad altare; ministeriumque proximum præbendi vrceolos, infundendi vinum, & aquam ad ablutionem, & similia præstandi. Videatur *Martinon tomo quarto disputat.*40. *num.*35. *& sequentibus.*

16 Dubium est, cum vrget celebrandi necessitas ad communicandum moribundum, qui recipere nequit aliud Sacramentum, & non adest vir, qui ministret, sed fœmina, potius ne celebrandum sit sine ministro, quam fœminam adiutricem adhibere? *Nunus 3. part. quæst.*83. *artic.*6. *dub. primo*, dicit, si non sit vir, qui ministret, debere ministrare fœminam. Quia nullum ex hoc sequitur inconueniens, & ex alia parte fit sacrificium debito modo sine confusione, atque verificantur salutationes ad populum, & responsiones. Nec textus in illo *capit. primo*, capiendus est in casu tantæ necessitatis, quod satis innuit verbum illud *non præsumat*. Etenim in casu posito fœmina non præsumit accedere, sed accedit ex voluntate Sacerdotis ob vrgentem necessitatem; nec maius apparet periculum in hoc ministerio, quam in accessu fœminarum ad osculandam manum Sacerdotis post offertorium: partim consonat. *Syluius 3. part. quæst.*83. *artic. quinto ad* 12. dicens, Sacerdotem ita celebrantem cum adiutrice fœmina non peccare mortaliter. *Coninchus quæst.*83. *numer.*264. supponit, in quibusdam locis esse consuetudine receptum, vt fœminæ sic ministrent celebranti, quod tamen ipse reprobat tanquam iuri contrarium.

17 Dico primò, quoties licitum est, sine ministro celebrare, potius ita faciendum esse, quam adhibere fœminam ad Altare ministrantem. Quippè tale fœminæ ministerium expressius prohibetur in iure, quam sine ministro facere sacrum, & secundum se videtur quid indecentius, subindèque magis euitandum. Ita *Suarez, Sotus, Henriquez relati supra num.*10. *Coninch. supra. Laym. Homobonas, Villalobos, Zanardus, Pitigianus, Moure, Molfesius*, quos sequitur *Diana part.*2. *tract.*14. *Resolut.*44. *Azor tom.*1. *libro* 10. *capit.*23. *quæst.*2. *Auersa quæstione* 11. *sectio.*9. § *Si verò. Cardinal. de Lugo disputatio.*20. *numero* 103. *Layman lib.*5. *tract.*5. *cap.*6 *num.*13. *Fagund. Precept.* 1. *lib.*3. *cap.*21. *num.*2.

18 Quod si vir adsit, qui ministrare possit, & respondere nesciat, aut nequeat, cum sit mutus. An possit vir ministrare, fœminaque respondere ad omnia. Negat *Vazquez 3. part. quæstio.*83. *articul.*5. *in Commentario*. Quia nimis indecorum esset, Sacerdotem dicere fœminæ. *Confiteor Deo, &c.* Et *vobis fratres*, & ab illa formam deprecationis accipere verbis illis. *Misereatur tui, &c.* Verum affirmant *Martinon, & Layman, & Cardinal. de Lugo supr.* Quoniam, sicut respondent ex choro cantando, possunt etiam respondere communi voce, quando dicitur Missa priuata. Nec indecens est, quod ad fœminas dicat in confessione Sacerdos, *& vobis fratres*, nam de facto verbis istis non alloquitur solum viros, sed omnes astantes, sicut dicens *Orate fratres*, & viros, & fœminas præsentes hortatur, vt orent. Illa verba *Misereatur tui*, solam continent deprecationem, nec apparet, cur fœminæ non possint deprecari Deum pro Sacerdote, sicut de facto deprecantur, quando dicunt. Et cum spiritu tuo.

19 Ego censeo, solam responsionem in illo casu suppleri posse quoad Confessionem etiam, & omnia reliqua per


per fœminam, dum illa non accedat ad altare, nec ad presbyterium, sed ex loco remoto respondeat, sic enim & iuris præceptum seruatur, & occurritur necessitati, nec amplius concedunt Authores relati. Cœterum *Henriquez lib.9. capit.30. numer. primo, Manuel tomo primo summ. capit.246. de Missa numer. primo, Moure part.3. capit.5. §. Quarto numer.10. Fagundez supra numer.3.* dicunt. Papam concessisse priuilegium, vt Monialis vrgente necessitate per fenestellam altari propinquam ministret celebranti, non tamen ostendunt, vbi sit tale priuilegium. Forsan ab illo duxit originem illa consuetudo, quam *Coninch.* supra refert, & refellit, certè, dum istud priuilegium amplius non constat, non potest in praxim deduci.

20 Quin etiam, dum adest vir, qui ministret, & si respondere nesciat, admittit Auersa, posse Sacerdotem celebrare cum tali ministro. Nam hic poterit ministrare saltem vrceolos, & mittere vinum, & aquam in ablutionem, & Sacerdos in responsionibus supplere, sicut quando recitat solus officium diuinum. Requiritur autem, vt hoc licitè fiat, necessitas celebrandi, minor verò, quam ad celebrandum sine ministro. Nam hoc modo minus violatur Ecclesiæ præceptum, & consuetudo, quamuis non omninò seruetur Ecclesiæ ritus, vt notat *Cardinal. de Lugo supra.* Minor adhuc necessitas sufficiet, quando minister, & si non exactè respondeat, instrui potest à celebrante, qui verba præueniens, aut simul proferens, coadiuuat illum ad rectè respondendum, vt notant. *Suarez tom.3. disputat.87. sectione prima, Filliucius tractat.5. numer.196.* Maior requiritur necessitas, vt fœmina respondeat à longè, ac Sacerdos sibi ministret in altari, quia difficilius suppletur ministerium alienum in ablutione prima manuum, & secunda digitorum, quam responsio prudens equidem arbitrium opus erit ad discernendos, & assignandos in particulari hos gradus minoris, aut maioris necessitatis diuersis casibus respondentes.

21 An possit Missa dici lingua vulgari. *Negat Tridentinum sess.22. capit.8. Petrus de Soto de Missa lect.15. Bellarmin. de Missa libr.2. capit.11. Azor tomo primo libro 8.c.26 q.6.* quod praxis Ecclesiæ confirmat.

CAPVT XIV.

De præcepto Missam audiendi.

1 ARI præceptum audiendi Missam diebus Dominicis, & festis, docet expressè communis Ecclesiæ traditio, praxis, & constans Fidelium consensus; habetur siquidem inter prima Fidei rudimenta, quasi primum Ecclesiæ mandatum. Vnde *Sotus dixit in 4. distinct.13. qu.2. artic.1.* illum, qui negaret hanc veritatem, puniendum esse tanquam suspectum aduersus sancta mandata. Sed vlterius *Suar. 3. part. tomo 3. disput.88. section.1.* docet, esse de fide certum, quod sequuntur, *Fagundez Præcept.1. libr.2. capit.1. Bonacin. de Sacrament. disput.4. qu. vltim. punct.11. num.8.* cum alijs. & inducunt communem sensum Sanctorum, & Doctorum ad talem certitudinem comprobandam. Verum *Cardinal. de Lugo de Eucharist. disputat.22. num.1.* censet, (& rectè quidem) haberi non posse de fide, quod nusquam reuelatum est, nec enim ex eò, quod Ecclesia præcipiat aliquid, Deus reuelat, Ecclesiam id præcepisse, sed id fit nobis euidens humana certitudine, quantum sufficit ad obligandum nos sine probabili quapiam excusatione.

Quare

2 Quare dicendum est, etsi propriè non sit de fide, quod de facto detur præceptum audiendi missam, esse tamen de fide, quod imponi potuerit, aut etiam debuerit. Cum enim lex naturalis diuina præcipiat Dei cultum, & ad colendum Deum deputari decuerit dies festos: decuit etiam, vt, sicut istis diebus abstinendum est ab operibus seruilibus ad vacandum Deo, sic similiter aliquid agi debeat ad ipsius cultum. Nihil autem accommodatius apparet, (vt notat *Auersa de Euchar. qu.* 11 *sect.* 19.) colendo Deo, quam assistere Missæ deuotè, religiosè, decenter. Ergo talis auditio missæ tali tempore præcipi potuit, aut etiam debuit.

3 Quod autem de facto sit impositum ab Ecclesia tale præceptum, euidenter constat, habetur *in multis capitibus de consecrat. distinc.* 1. præsertim cap *Omnes Fideles*, *vbi Canon.* 10. Apostolorum iubet omnes Fideles in solemnitatibus sacris scripturas Apostolorum, & Euangelium audire. Qui aũt non perseuerant in Oratione, vsque dũ Missa peragatur, nec Sacram communionem percipiunt, cõmunione priuari, ca. *Missas Concil. Agathense*, sic ait. *Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*. Qui Canon, quamuis sit Concilij Prouincialis, ab Ecclesia tota communi consensu receptus est. Item, quamuis solum faciat mentionem Dominicæ, sub ea tamen omnes dies festos pari ratione comprehendit. Demum, etsi verba Canonis ad sæculares tantum dirigi videantur; at Ecclesiæ consensus ad omnes extendit etiam Regulares, Laicos, & Clericos, vt notant *Azor. tom.* 1 *lib.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 1. *Fagund. & Cardin. de Lugo supr.*

4 Quin aliqui volunt, ante Concilium Agathense, quod anno Domini 434. fuit habitum, non extitisse præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, ideoque temporibus illis multos Ægyptios, & Syrios Monachos in Eremis egisse vitam, vbi diebus festis Missam non audiebant. At verò similius est, ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse consuetudinem, quæ vim legis haberet obligantis omnes fideles ad audiendam Missam diebus festis, vt indicat textus in illo cap. *Omnes Fideles*, significant Patres, & Doctores. Videantur *Azor, & Fagund. supr. Suar. de Relig. tom.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *ca.* 15. Veteres *Eremitas dicit Azor*, putasse, se tali lege non teneri, cum obsequij diuini causa solitudinem habitantes procul a sacris ædibus abessent. *Fagund.* asserit, illos excusari, quoniam obligationem huius præcepti commutabant in aliam multò grauiorem perpetuæ contemplationis. Præterea contra preceptum istud, cum humanum sit, præualere posse consuetudinem, quæ tunc temporis ab Ecclesiæ Pastoribus cognita tolerabatur. Modo verò iam non vigere similem cõsuetudinem colendi solitudinem omissa Missarum auditione.

CAP. XIV. QVÆST. I.

Quale sit hoc præceptum?

1 QVidam apud *Henriquez lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 1. (*vbi litt. F. citat Panormitanum, & alios*) dicunt, esse iuris diuini, quatenus ius diuinum nouæ legis obligat omnes Christianos, vt interdum assistant sacrificio, & illud per Sacerdotem offerant. Quippè lex colẽdi Deum per sacrificium quasi naturalis est: & hæc in lege gratiæ determinatur ad Missæ sacrificium illis verbis. *Hoc facite*, scilicet, vel offerendo, vel assistendo; sicut ipse Christus tunc sacrificauit, & Apostoli astiterunt sacrificio. Communis tamen sententia docet, esse præceptum simpliciter Ecclesiasticum, nam eius determinatio pro diebus festis est ab Ecclesia, quæ cæremonias etiam, & orationes instituit adhibendas in Missa, supposita institutione sacrificij quoad substãtiam a Christo Domino facta. Quapropter hoc sacrificium rectè dicitur à iure naturali, & diuino ducere suam originem, ac esse vtrique valdè conforme. Sic

Hen-

Henriquez, Suarez, Bonac. Fagundez, & Cardin. de Lugo supra.

6 Aliquod dubium est: Quantam obligationem inducat hoc præceptum? Leuem indicant *Richard. quodlib. 1. qu. 19. Angelus verbo Feria nu. 42. Rosella verb. Missa num. 18. Tabien. ibi nu. 43. Astensis lib. 4. tit. 16. cap. 1. qu. 1. cum alys*, quatenus asserunt, illos solum peccare mortaliter, qui dieb. festis Missam omittunt ex contemptu verò, vel saltem interpretatiuo; qualem dari censent, quando sine causa legitima quispiam ad non audiendam Missam infestis assuescit: illos verò, qui Missam omittunt sine causa, vel ex imbecillitate, vel ex passione, vel ex negligentia, seu pigritia, dum absit contemptus, vel consuetudo, putant peccare venialiter. Probatur, nam hoc præceptum non videtur cum maiori rigore receptum. Multi quippè sunt seculares (inquit *Richardus supra*) qui quandoque Missam die Dominico non audiunt, nec tamen propter hoc reputantur, peccare mortaliter, nec ab Episcopis carpuntur, aut corriguntur.

7 Dicendum tamen est, hoc præceptum ita grauiter obligare, vt ex genere suo mortale peccatum committat, qui semel, aut iterum sine causa missam omittit, quamuis absit omnis contemptus, aut consuetudo. Nam ex suo genere materia grauis est, quæ pertinet ad virtutem Religionis, & ad cultum diuinum, & in particulari sacrificium integrum, vel eius omissio satis grauis apparet, quare votum audiendi Missam sub mortali pariter obligabit. Quod si Missam integram omittere sine causa non esset mortale, nec ratione consuetudinis redderetur mortale peccatum, siquidem plura venialia non efficiunt vnum mortale, nec sola consuetudo sufficit ad contemptum læthalem, aliàs mendacium ex consuetudine prolatum esset mortale crimen. Ita *S. Antoninus, Paludanus, Panormitanus, Caietanus, Sotus, Nauarrus, Syluester, Abulensis*, quos sequitur *Suarez de Religio. tomo 1. tract. 2. lib. 2. cap. 15. Henriqu. lib. 9. ca. 25. num. 1. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 25. qu. 2. Fillius tract. 5. num. 199. Graffis, Armilla, Molfesius, Manuel, & aly*, quos sequitur *Bonac. disput. 4. qu. vltima punct. 11. num. 11. Coninch. quæst. 85. num. 285. Fagundez, & Auersa supra.* Nec esset tutum oppositum.

8 Quare praxim adductam à *Richardo* negamus apud timoratos reperiri; quin omnes Fideles sanæ mentis communiter iudicant, grauem esse culpam ex genere suo, missam omittere sine causa. Poterit autem esse leuis, vel ex leuitate materiæ, si paruam missę partem quis omittat (de quo dicemus infra,) vel ex inaduertentia, vel ignorantia leuiter culpabili. Quo reduci potest, quando quis putat se sufficientem habere causam excusationis ex errore leuiter culpabili, (quod notarunt *Caietanus*, & *Henriquez*,) & forsan id solum intendit *Richardus*. Addit *Suar. 3. par. tom. 3. disp. 88. sect. 1.* In praxi difficile discerni, quando sit ignorantia, vel inaduertentia, vel error leuiter, aut grauiter culpabilis, & expendendas esse circumstantias personæ, dubijque suborti, & negligentiam discendæ veritatis. Quod omnibus præceptis est commune.

9 Hinc fit primò, non esse relinquendam in festo Missam ob concionem per se loquendo. Nam audiendæ Missæ datur præceptum, non autem audiendæ concionis. *Angelus verbo Feriæ num. 45.* dixit, cum in festo non possunt audiri simul sacrum, & concio, potius audiendam esse concionem. Quia Ius in cap. *Omnes Fideles.* cap. *Sacerdote.* cap. *Episcopus nullum de consecrat. dist. 1.* principaliter attendit auditionem concionis, & potissimum ob audiendum Dei verbum, & scripturas Sacras præcepisse videtur conuentum Fidelium in templis, & auditionem Missæ.

10 Hanc Angeli sententiam acriter refellunt *Suarez, & Fagundez supra*; fatentur tamen per accidens in casu rarò v. gr. si quis instrui non possit in fide, dum indiget instructione, vel ab hæreticis defendi, nisi concionem audiat Doctoris Catho-

Catholici, posse talem excusari ab audiendo sacro, sicut propter alias causas minus vrgentes, & forsan in hoc casu loquitur Angelus, qui numero præcedenti locutus fuerat de nescientibus necessaria saluti, & ipsis imponit obligationem audiendi concionem in die festo. Iura illa citata, vel loquuntur similiter in illo casu, vel damnant solum egredientem a concione cum aliorum scandalo, vel ex contemptu, sicut explicat ipsemet *Angelus ibi num.* 44. Videantur *Azor tomo 1. lib. 7. cap. 3. qu. 7. & Bonac. supra.*

11 Fit secundò, posse Pontificem in hoc præcepto dispensare validè sine causa, licitè cum illa: quin etiam Episcopum: Vix tamen reperitur vsus talis dispensationis. Quia dispensare cum aliquo, vt in tota vita, vel per longum tempus Missam non audiat, quamuis audire possit, nunquam, videtur, fore conueniens secundum præsentem statum, etiam si quis velit vitam agere solitariam. Vt autem interdum ob aliquam causam omittatur Missa, rarissimè continget expedire dispensationem. Quippe tot assignantur à Doctoribus causæ sufficientes ad omittendum sacrum sine dispensatione, vt aliam obtendere dispensationi videatur alienum ab animo religioso. Sic *Suarez, & Fagundez supra, & Illsuc. tract. 5. num.* 200.

CAP. XIV. QVÆST. II.

Quas personas obliget hoc præceptum?

12 SVpponimus, nec amentes, nec infideles, nec Catechumenos hoc præcepto Missam audiendi ligari. Quoniam amentes, & quotquot vsu rationis carent, non sunt præcepti capaces. Infideles non subduntur Ecclesiæ legibus; imò nec Catechumeni, priusquam baptizentur. Quare nec ad proprium Missæ sacrificium admittuntur, sed solum ad Missam Catechumenorum vsque ad offertorium, vt constat *ex Concilio Carthaginensi 4. cap.* 84. Nec ad illam Catechumenorum Missam audiendam obligantur; Tum ratione dicta, quia nondum sunt capaces talis obligationis, cum non sunt baptizati; Tum etiam quia qui non obligatur ad substantiam actus, nec ad ea, quæ sunt accidentaria, potest obligari. Sic Doctores communiter, quos sequuntur *Suar. tom. 3. disput.* 88 *sect. 4. Fillius. tract. 5. num* 217. *Coninch. qu.* 83. *num.* 286. *Fagundez Præcept. 1. lib. 2. cap. 2. Auersa quæstio. 11. sectio. 19. §. Secundo omnes.*

13 Omnes fideles adultos baptizatos sui compotes hac lege per se loquendo teneri, diximus *supra num.* 3 cum communi sententia. Quamuis enim cap. *Missas* de solis sæcularibus loquatur, tamen alij Canones generaliter loquuntur ad omnesque Fideles extendunt obligationem, & sic habet communis Ecclesiæ praxis. Forsan etiam per sæculares intelliguntur in eo textu, qui non sunt Sacerdotes. Nam hi celebrantes satisfaciunt huic præcepto, quia perfectius Missam audiunt, quam assistentes. Ita *Suarez supra dicens*, esse per se notum. Addo, nullam esse legem vniuersalem, quæ frequentiorem auditionem Missæ præscribat Clericis, vel Religiosis, quam cæteris Fidelibus. At ex particulari constitutione, vel regula iuxta cuiuslibet Religionis institutum obligari possunt Regulares. Clerici quoque ratione Beneficij nonnunquam tenebuntur frequentius celebrare, vel assistere Missæ. Sic *Suar. supra, Fillius. num.* 218. Episcopos non decet, vlla die Missam omittere sine rationabili causa, vt habetur *in cap. fin. de Priuileg. in 6.* non tamen imponitur illis præceptum dicendi, vel audiendi quotidie Missam, vt notant *Suar. & Fillius. supra. Nauarr. cap. 21. num. 2. Angel. verb. Missa num. 57. Azor. tom. 1. lib. 7. ca. 4. qu.* 3.

14 Dubium est. Quo ætatis anno Fideles incipiant hoc præcepto ligari? *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 11 fine. Henriquez lib. 8. cap. 42 nu. 4. Corduba in Sum. qu.* 60. docent, pueros non statim ac habent vsum rationis obligari præceptis, aut

cen-

censuris Ecclesia, sed ab anno duodecimo, vel saltem vndecimo. Fundamentum esse potest, quia plenus rationis vsus vsque ad illam ætatem non solet aduenire, nec Ecclesiæ benignitas tam rigidè vult obligare pueros optima rationis luce; cuius signum est, quod, licet impuberes non confiteantur in quadragesima, non incurrunt censuram, nec declarantur excommunicati.

15 Communis sententia censet, pueros, cum ad vsum rationis perueniunt (quod communiter seprennio completo contingit, vt ostendit *Sanchez de Matrim.lib.1.disp.16.num.2.*) ligari præcepto Missam audiendi, sicut, & alijs Ecclesiæ præceptis præter communionis, & ieiuniorum legem. Ita de præceptis Ecclesiæ generaliter docent *Sanch.libro 1.Decalog.ca.12.num.6.Salas de legibus disp.14.sect.13.Bonac.de legibus disput.4. q.1.punct.6.num.8.Castro Palaus tom.1. tract.3.disp.1.punct.24. Diana part.3.tr. 6.Resolut.87.cum alijs.*In speciali de præcepto Missæ.*Suarez, Filliucius, Coninch. Fagundez supra, qui citant Antiquiores.* Probatur generali ratione. Quia puer habens rationis vsum, iam est capax obligationis. Ergo, sicut obligatur lege naturali, & diuina, sic etiam legibus Ecclesiæ, cuius subditus est. Nec enim est ius aliquod, aut consuetudo, quæ tales pueros excipiat Nec circa Missę pręceptum reperitur aliquid speciali iure præscriptum, & ideo generali regula mensurandum est, ita vt, quoties puer est capax peccati mortalis, & per consequens obligationis naturalis colendi Deum, subdatur etiam Ecclesiasticæ legi colendi Deum auditione Missæ.

16 Addunt isti Doctores, circa rationis vsum non posse regulam generalem assignari, nam alius citius, alijs tardius illucet, ac proinde prudens huius rei iudicium in singulis pueris ad Parentum, Parochorum, & Confessorum curam pertinere. Si verò dubium sit hic, & nunc, an puer polleat, an careat vsu rationis, ante septemnium præsumi carere, subindèque non obligari; secus post septemnium. Ego dicerem, quamuis ante septemnium puer habeat vsum rationis, nullo præcepto iuris humani ligari, & hoc dandum esse primæ sententiæ. Nam humanę leges ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri solet, non intendunt obligare. Quoniam ad ea, quæ frequenter accidunt, leges adaptantur, *leg. Nam ad ea. ff. de legibus. Ioan. Sanchez disp.51.num.31. & Castro Palaus supra §. 2.num.3.* dicunt, ante septemnium puerum, quamuis doli capacem, nullo pręcepto positiuo ligari. Sed Ego dissentio quoad præcepta positiua diuina. Quia puer doli capax ante septemnium, si peccaret mortaliter, teneretur vtique confiteri, si non esset baptizatus, deberet baptizari, subest ergo præceptis diuinis positiuis, nec illa liberè omittens, si tunc decederet, saluaretur. Quippè leges positiuè diuinæ, quæ concernunt media salutis spiritualis, extenduntur ad omnes capaces talis salutis obtinendæ.

17 Ad fundamentum oppositum negamus, Ecclesiam obligare nolle suis legib. pueros ante pubertatis annos, cum enim generaliter obliget omnes suos subditos obligationis capaces, & pueri post septemnium communiter habeant sufficientem rationis vsum ad peccandum mortaliter, iam tunc fiunt obligationis capaces, ac subindè sub generalibus pręceptis comprehenduntur. Quod significat Ecclesia in cap. *Omnis vtriusque sexus de Pœnit. & remiss.* obligans ad annuam confessionem omnes Fideles, *cum ad annos discretionis peruenerint*.

18 Quia tamen *cap.1. & 2. de delictis puerorum decernitur*, ipsorum delicta non esse punienda pœnis ordinarijs, sed mitioribus, colligunt Doctores, vsque ad quatuordecimum, vel duodecimum annum ipsos non ligari censuris. Ita *Sotus, Azor, Henriquez, Corduba, Valentia*, quos sequitur *Sanchez lib.1. Decal. cap.12.num.7.Vazquez 3.part. quæst.90. artic.2.dub.4.num.13.Diana part. 3.trac. 6.Resolut.87.cum alijs.Suar.3.par.tom.4.*

cen-

disp.36.sect.8.nu.5. dicit, pueros non incurrere excommunicationem, donec ita perfectum vsum rationis habeant, vt ad communionem obligentur.

19 Quidam iurisperiti, scilicet *Abbas, Socinus, Vgolinus,* quos refert *Suar. tom. 5. disp.5. sect.1. nu.19.* Limitant hanc exceptionem puerorum ad censuras ab homine latas. Quoniam ætas puerilis non censetur sufficiens ad intelligẽdum ordinem iudiciarium; quare, nec de iure citari potest, nec in iudicio admitti, vel ad augendum, vel ad se deferendum, iuxta *cap. fin. de iudicijs in 6.* &, quamuis in alijs causis agere possit per procuratorem aut tutorem at in hac causa, quæ valdè concernit animam, non potest ad hoc obligari.

Cæterum ad incurrendam censuram ipso iure latam, sufficere putant ætatem doli capacem, quæ scilicet sufficiat ad peccandum mortaliter. Nam in *cap. Super eo, cap. Pueris, iuncta Glossa, c. Quamuis de sentent. excommunicat.* pueri dicuntur, si percutiant Clericum, excommunicationem Canonis incurrere; sed absolui posse ab Episcopo. *Diana supra* citat etiam pro hac sententia *Patrem Sanchez. Patrem Henriquez. Patrem Azorem.* Sed hi solum loquuntur de censura Canonis ob percussionem Clerici: & hanc solam excipiunt. *Castro Palaus tomo primo tractat. 3. disputat. 1. punct. 24. §. 2. numero 9. & Diana ea Resolutio. 88.* Quoniam in illius iuribus habetur expresse; Cœteras verò censuras, vel ipso iure, vel ab homine latas in particulari, vel generaliter, putant, non comprehendere pueros ante pubertatem, sed in illis sequendam esse decisionem *capitis 1. de delict. pueror.*, & indè colligendam intentionem Ecclesiæ, cui tam legislatores, quàm Iudices se debent conformare. Ferè consonat *Layman lib. 1. tractat. 4. cap. 10. numero 5. & sequentibus.*

20 Sub interdicto locali, vel generali comprehenduntur pueri doli capaces, quoniam, licet ipsi non incurrant pœnam ob propriam culpam, tenentur generali prohibitione. Sic *Azor. Syluester, Corduba,* quos sequitur *Sanchez supra numero 8. Castro Palaus eo numero 9.* Quod, si puer doli capax hominem occidat, irregularem fieri, quamuis non attingat septennium, dum malitia suppleat ætatem, colligunt à contrario sensu ex *Clementin. Si furiosus, de Homicidio. Couarruuias ibi part. 3. numero quinto, §. de Infante. Abbas in capit. 1. de delict. puer. Manuel tomo 1. Summ. capit. 76. de irregularitat.* Cum enim iam sit capax committendi mortale peccatum, capax etiam erit pœnæ correspondentis tali delicto. Clementina quippè infantem excipit, quoniam occisio non est ipsi volunraria; quę ratio planè cessat in puero doli capaci, & peccante mortaliter.

21 Verum, & fauorabilius, & probabilius est, ante septemnium expletum non incurrere puerum homicidam irregularitatem, quamuis occidendo peccet mortaliter. Nam illa Clementina generaliter excipit infantem, & cum sit fauor legis absque præiudicio tertij, latè capiendus est, vt omnem infantem comprehendat, idest hominem, qui nondum impleuerit septemnium, & si polleat vsu rationis. Et enim non solus rationis defectus, sed ipsa simul ætatis teneritudo, vel imperfectio potuit impellere legislatorem ad huius exceptionis beneficium infantib. tribuendum.

Confirmatur. Nam irregularitas non incurritur, nisi sit expressa palam in iure. Sed non est expressum in iure, quod infans ante septemnium, si doli capax occidat hominem, incurrat irregularitatem. Ergo non incurrit illam: Ita tenent *Henriquez, & Didacus Perez,* quos sequitur *Auila de censur. part. 7. disputatio. 6. sectione prima dub. 13. Layman, & Diana supra,* & forsan in hoc sensu loquuntur *Syluester homicidium 3. & Sanchez supra,* quamuis affirmant sine distinctione. Fundamentum oppositum non vrget, nam argumentum à ratione cessante

non

non valet, nisi negetur causa totalis, quæ non cessat in præsenti, cum maneat ætas tenera, cui simul iste fauor conceditur.

CAP. XIV. QVÆST. III.

Quando præceptum istud obliget?

22 Conueniunt Doctores, obligare præceptum audiendi Missam, vt diximus *supra num*.3. non solum omnibus Dominicis, de quibus loquitur ca. *Missas de consecrat. dist*.1. sed etiam omnibus diebus festis, vel iure communi pro tota Ecclesia, vel iure particulari pro hoc, aut illo loco institutis ad diuinum cultum. Cum enim nullus alius cultus positiuè præcipiatur pro talibus diebus præter auditionem Missæ; hæc saltem debuit præcipi pro cunctis Dominicis & festis. Quod confirmat Ecclesiæ praxis, communisque sensus Fidelium, & indicant textus in cap. *Si quis* cap. *In hoc* cap. *Omnes Fideles de consecrat. dist*. 1. *& cap*. 2. *de Parochys*. Videantur *Syluest. verbo Dominica quæst*.1. *Suar*. 3 *par. tom*. 3. *disput*. 88. *sect*. 5. *& tom*. 1. *de Relig. tract*. 2. *lib*. 2. *à cap*. 1. qui recensent dies festos institutos iure communi, vel vniuersali more receptos, & addunt, in singulis locis institui posse particularia festa, vel Episcopi præcepto cum consensu Capituli, vel populi voto, lataque lege per Episcopum approbata.

23 Verum Vrbanus Octauus die 13. Septembris anni 1642. proprio motu reduxit ad minorem numerum festa communia totius Ecclesiæ, permisitque, vt quodlibet regnum, aut oppidum possit vnicum dumtaxat eligere Patronum, cuius festum obseruare teneatur, nec aliud ex obligatione possit imponi. Quare, si quod fuit olim præceptum audiendi Missam quibusdam ieiuniorum, vel orationum diebus, vt indicatur cap. *Solent de consecrat. distin*. 1. & cap. *Rogationes de consecrat. distinct*. 3. postea certè cessauit, vt Doctores aduertunt, & nunc apertissimè cessaret per hoc Pontifi[cium] decretum. Quod verò monet *Fagu[nd]. Præcept*. 1. *lib*. 2. *cap*. 2. *num*. 13. *&* 15. [ser]dendas esse constitutiones Synoda[les] singularum diœcesum, nam in nonnu[llis] præcipitur, vt obseruentur quinta, [&] sexta feria maioris Hebdomadæ, iam non est necessarium; quia solius Patro[ni] dies in singulis designati debet obseruа[ri]. Cœteri dies, qui feriati sunt quarun[dam] darum personarum, vt Scholasticorum vel iudicum, vel ab aliquibus ex deuo[tione] tione coluntur, non obligant ad audi[tionem] tionem Missæ, vt manifestum est, & no[tat] tat *Suar. supra*. *Fagund. num*. 17. *& ali[j]*. Quando festum incidit in Parasceuem non teneri Fideles audire officium illius diei, quia non est Missa, diximus *supra ca*. 2. *q*. 5. *n*. 61. Concinit *Auersa cum alijs q*. 1. *sect*. 19. §. *Quando verò*.

24 Petes primò. An anteponi, vel postponi possit auditio Missæ? Certum est, intra diē festum posse. Cum.n. hoc præceptum sit affirmatiuum, obligat quidē semper in die festo, donec impleatur; non verò pro toto die, nec pro qualibet eius parte: sed indifferenter pro illo tempore, quo possit impleri. Quarè, si diuersis horis sacra fiant, liberum erit, in qualibet hora præceptum implere; quod si differas auditionem vsque ad vltimam horam, qua potest haberi Missa, iam vrgebit præceptum pro illa hora; quoniam est vltimus terminus obligationis, extra quem non potest amplius impleri. Similiter, si Missa solum dicenda sit summo manè, vel propè meridiem, vel hora quapiam determinata, pro tali tempore præceptum obligat. Verum nec ante diem festum, nec post illum impleri potest hoc præceptum, quia dumtaxat obligat pro die festo tāquam onus illius diei, quod in alium transferri nequit. Ita *Suar. supra*. *Fagund. num*. 18. *Filliuc. tract*. 5. *n*. 219.

25 Petes secundò. Si quando, vel in Dominica, vel in festo fiat ex priuilegio, vel ex iusta causa sacrum, aut mox post mediam noctem, aut diu post meridiem; an eius auditione præceptum impleа-

pleatur? Negat *Pasqualigus decis.211. num.8.* Quoniam audire sacrum subordinatur eius celebrationi, ac subinde præceptum etiam audiendi sacrum videtur subordinari præcepto non celebrandi, vel ante lucem, vel post meridiem, & per consequens obligare censetur ad audiendam Missam intra tempus, quo de iure communi celebrari potest. Ergo nec ante, nec post illud, quamuis licitè sacrum fiat, eius auditione præceptum impletum.

26 Hæc sententia videtur singularis, & contra communem sensum Doctorum, qui communiter fatentur, dum sacrum fiat in festo post mediam noctem diei præcedentis, & ante mediam noctem diei sequentis, eius auditione præceptum istud impleri. Præcipitur enim auditio Missæ die festo, & hic durat à media nocte vsque ad mediam noctem. Confirmatur, nam ex opposito sequeretur, illos excusari ab audienda Missa, qui non possunt in festo Missam audire, nisi vel ante, vel post tempus iuri communi præscriptum. Quod si Parochus, vel ex malitia, vel ex ignorantia, vel ex impotentia, (quia plures habet Ecclesias) differret aliquando sacrum post meridiem, non teneretur populus illud audire, quod est contra communem sensum. Ita *Syluester verbo Missa 2.qu.1. Fagund.sup.num.10.*

27 Petes tertiò. An manè recedens à loco, vbi seruatur festum, & abiens ad locum, vbi non seruatur, teneatur prius audire Missam? Affirmant *Nauarr.cap. 13.num.5.Sà verbo Festum nu.9. Fagundez Precep.1. lib.1.ca.7.num.13. Lessius lib.4.cap.2.num.56.Salas de legibus disp. 14.sect.5.num.95.& 65. Suarez de Relig. tom.1.tract.2.lib.2.cap.15.num.10.& 11. Naldus verbo Festum n.8.Sayrus in Claui lib.7.cap.12. Moure part.1. cap.7. § 1. num.14.Filliuc.tract.27.numero 11.* Probatur, quia præceptum audiendi Missam est affirmatiuum, & obligat quamprimum seruari possit, si postea non sit commoditas illud implendi. Sic etiam habet consuetudo Fidelium valdè consona cultui diuino.

28 Negant verò teneri *Sanchez de Matrim.lib.3.disput.18.num.21.& lib 1. Decalog.cap.12.num.32.Bonac.de Decalog.disput.5.qu.1.punct.3.num.18. Diana part.1.tract.10. Resolut.14.* & probabile vocant *Fagundez, Lessius, & Salas supr. Malderus 1.2.qu.96.artic.5.* Si quamdiù durat commoditas implendi præcepti, futurus sit extra limites Oppidi, vel Parochiæ, vbi festum obligat. Tunc enim in oppido suo poterat auditionem Missæ differre vsque ad illud tempus; quando verò peruenit ad alium locum, iam deobligatur ab illo præcepto. Non ergo tenetur ad eius obseruationem, & ad fundamentum oppositum respondent, nos solum teneri præuenire præceptorum impletionem, quando manente vi præcepti, seu nostra subiectione, sumus impediendi: secus verò dum intra tempus implendi desinimus subdi præcepto. Quippè, cum iuberis aliquid intra tale tempus præstare, subest tacita conditio, si toto illo tempore subditus fueris præcepto. Quare, si contigerit, interim eximi per dispensationem, aut mutationē loci, vel alio modo, non teneris, tempus exemptionis præuenire.

29 Dicendum est in primis, sufficere, si discedens à loco festi, habeas animum audiendi Missam in alio loco, quamuis ibi festum non obseruetur, nam per illam auditionem satisfaceres tui territorij præcepto, vt notat *Salas supra*. Rursus limitatur prima sententia, quando potest quis primo manè audire missam in suo territorio: secus, si deberet expectare meridiem, & amittere laborem matutinum in alio loco, vel occasionem negotiandi. Sic limitant *Suar.& Filliuc. supra*. Quin, etiam si possit audiri missa primo mane, post omissam eius auditionem, improbandam omissionem non esse. Censet *Naldus verbo Missa nu.17.& alij*. Demum etiam antequam omittatur, non videtur damnanda talis omissio, quia licet prima sententia sit ma-

magis pia, magisque tuta, non apparet obligatio manifesta. Quare secunda sententia satis est in praxi secura.

CAP. XIV. QVÆST. IV.

Vbi debeat audiri Missa?

30 SVpponimus ex supradictis *cap 6.* locum Missæ semper futurum esse sacrum aliquo modo. Sit tamen Dubium primum: An ex præcepto sacrum sit audiendum in Parochia? Plures Iuristarum affirmant, & probant primò ex *cap.2.*de Parochijs, vbi statuitur, vt Dominicis,& festiuis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Parocho velit ibi Missam audire, quem si reperiant,statim eijciant ab Ecclesia. Probant secundò ex *Extrauag.2. de tregua,& pace,vbi Sixtus Quartus* concordiam firmans inter Parochos,& Mendicantes, statuit, ne Religiosi prædicent populis, Parochianos non teneri audire Missam in suis Parochijs diebus festis, & Dominicis, cum sit iure cautum, illis diebus teneri Parochianos audire Missam in suis Parochijs.

31 Probatur tertiò ex *Tridentin.sess. 24.cap.4.de Reformat.*dicente. *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse,vbi commodè id fieri potest ad audiendum verbum Dei*. Quod decretum,licet concionem exprimat,multò magis vrgere videtur in auditione Missæ. Confirmatur,quia Parochus tenetur facere sacrū, vt Parochiani satisfaciant præcepto diebus festis, ergo mutua, seu correlatiua obligatione tenentur Parochiani diebus festis audire Missam sui Parochi, cui subindè constabit,an ipsi præceptum adimpleant, necne. Sic tenent *Innocentius in cap.vt Dominicis de Parochijs.Hostiensis, Abbas, Ioan. Andreas, & alij Canonistæ ibi. Angelus verbo Missa num.59.*dicit, teneri diebus solemnioribus;

32 Negant communiter Docto *S.Antoninus part.2.tit.9.ca.4.§.1.Ro verbo Missa num.19.Tabienna ibi 52.Armilla num.31.Syluester Mis qu.4.& 5.Nauarrus cap.21.numer.5. tierez libr.1.Canonic.cap.30. numero Azor tom.1.lib.7.cap.6.qu.4.Toletus 6.ca.7.num.1. Henriquez cum alijs li ca.25.num.9. Suarez tom.3. disputat. sect.2.Manuel tom.1.Summ.ca.123. c clus.6.Layman lib.4.tract.7.ca.3.Filli tract.5.num.203.Fagund.Præcep.1. lib 2.cap.3.num.8. Coninch.qu.83. num.3 Nuñus ibi art.6. dub.2. conclus.4. Graf part.1.lib.2.cap.35.num.5. Bonac.de S. cram.disput.4.qu.vltima punct.12.num 4.Cardinal.de Lugo disputat. 22. num. Auersa qu.11.sect.19.§.Quartò circa, c alij plures.*Probatur primò. Nam Ecclesia tantum obligat Fideles ad audiendam Missam in festis, nec eis assigna propriam Parochiam,vt habetur *in cap. Missas, & ca.Si quis etiam de consecrat. distinc.1.*vbi solum præscribitur, vt *in solemnioribus* festis non in Oratorijs priuatis, sed in Ciuitatibus, aut Parochijs audiatur Missa, quasi liceat in quouis templo Ciuitatis audire.

33 Probatur secundò. Nam *Tridentinum sess.22.decreto de obseruandis, &c.* sic ait. *Moneat etiam Episcopus populum, vt frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, ac maioribus festis accedant*. Vbi non præceptum, sed monitionem indicit,nec pro cunctis festis,sed pro maioribus dumtaxat.Probatur tertiò, nam communis Fidelium consuetudo nota Pastoribus, & à Pontifice tolerata, vbilibet habet, vt impleat præceptum audiendæ Missæ, qui sacrum audit in quolibet loco. Quare,si quid in contrarium antiquo iure fuit statutum, iam vniuersali consuetudine videtur derogatum.

34 Dico primò.Qui per contemptum proprij Parochi non audit Missam in sua Parochia, sed alibi, peccat mortaliter. In hoc conueniunt vtriusque partis Doctores. Nam iste contemptus palam

est grauis culpa. Colligitur satis ex *cap. 2. de Parochijs, ibi, qui proprio contempto Parocho.* Vbi ratione contemptus expelli iubetur ab aliena Parochia. Qualis autem contemptus requiratur ad hoc peccatum; variant Authores. Quidam apud *Azorem supra dicunt*, sufficere virtualem, vocant verò virtualem, seu tacitum, cum quis ex consuetudine proprium Parochum deserit, vel cum sine iusta causa relinquit suam Parochiam.

35 Cæterum melius *Azor ibi. Fagundez supra numero 9. Gutierrez num. 17. & alij dicunt*, requiri formalem, & expressum contemptum, quando scilicet Parochianus indignatus Parocho, & conuitijs in ipsum iactatis, renuit adire Parochiam. Quippè nec semper inest contemptus in consuetudine, cum hæc sæpè coniungi soleat cum legitima causa. Nec arguit contemptum relinquere Missam Parochiæ sine causa speciali; Nam qui Missam audit extra Parochiam, solum, quia videt, sic esse praxi receptum, non ideo Parochum contēnit. Requiritur ergo formalis, & expressus contemptus ad grauiter peccandum contra prædictum ius. Notant verò *Fagundez, & Azor supra*, tales circumstantias interdum posse concurrere, vt Parochi contemptor præsumatur in externo foro, qui vel frequenter, vel sine causa particulari deserit Parochiam. Notant etiam *Toletus supra numero 2. Fagundez numero 21.* Quamuis peccat mortaliter, qui per contemptum sui parochi Missam audit extra parochiam, tamen implere præceptum illud per missam vbilibet auditam: vnde peccatum erit ratione solius contemptus, vel scandali, non verò, quia violetur præceptum audiendi Missam.

36 Dico secundò. Qui sine contemptu sui Parochi Missam audit extra Parochiam, regulariter non peccat. Ita Doctores secundæ sententiæ. Quia, quidquid sit de iure veteri, iam hodie communi more videtur receptum, vt vbilibet sacrum audiatur ad præceptum implendum. *Armilla, Rosella, Syluester, Nauarrus supra* censent, hunc morem in toto Christianorum orbe receptum esse: cum vbique gentium videamus Fideles diebus festis extra Parochiam suam audire Missam. Dubitat autem *Azor supra quæstione 5.* nam in quibusdam diœcesibus Flandriæ, Galliæ, Germaniæ Parochi contendunt, ibi contrariam vigere consuetudinem, cuius vi cogunt Parochianos adire suas Parochias, nec audet *Azor*, hos parochos damnare. Verum illos damnat *Fagundez supra numero 57.* Quia nec in illis locis parochi possunt cogere parochianos, nisi iuxta dispositionem iuris communis. Hoc autem solum vetat, ne sacrum extra parochiam audiatur cum contemptu proprij parochi. Quare, qui sine tali contemptu Missam audit extra parochiam, satis implet præceptum audiendi sacrum. Et quidem *Coninc. Flander, & Layman.* Germanus talis consuetudinis Flandriæ, vel Germaniæ non meminerunt.

37 Reor tamen, hanc consuetudinem non ita generalem esse, quin in aliquibus personis, & forsan locis patiatur exceptionem, quæ retinenda sit. Nam circa Neophitos, vel ex Mauris, vel ex Indis conuersos mos est, vt in parochia sua missam audiant, & lecto Catalogo notentur absentes, vt, si culpabiliter desunt, puniantur, quod, & Synodales quarumdam diœcesum disponunt, ipseque *Fagundez numero 14.* fatetur, aliquos esse Parochos, qui parochianos mulctant, quando parochiam non frequentant, quod, addit, iustissimè fieri, scilicet, vt constet, quod Missam audiant, si tamen id constet, licet audierint in aliena Parochia, puniri non posse secluso contemptu. Ceterum in hoc etiam arbitror, consuetudinem attendendam esse, quæ plerumque præsumitur in his rationabilis esse. Nam quibusdam prudenter conceditur, vt alibi Missam audiant, & testimonium afferant; quibusdam id pru-

denter denegatur. Nec dubito, quin in plerisque Prouincijs vsu receptum sit, vt missa diebus festis extra Parochiam audiatur.

38 Argumenta primæ sententiæ probant nostram primam conclusionem, & in eo sensu loquitur apertè *capitulo 2. de Parochijs*. Extrauagans verò Sixti Quarti rectè præcipit illam moderationem pro concionibus, ne Parochiani sumerent ansam contemnendi suos Parochos.

Tridentinum auditionem concionis iniungit solum, & hanc non absolutè, sed, si commodè fieri possit. Addit *Suarez*, & supposita doctrinæ necessitate, sine qua præceptum affirmatiuum non solet obligare, quando lex ipsa tempus non determinat, ad audiendam autem concionem, nullum hactenus tempus est lege præscriptum. Nec illa mutua obligationis correlatio datur semper in moralibus. Argumenta secundæ sententiæ probant nostram secundam conclusionem.

39 Sit dubium secundum; An Episcopi possint obligare subditos, vt sacrum audiant in suis Parochijs? Quidam affirmant apud *Azorem tomo primo libro 7. capit. 6. quæstione 6.* Probant primò, quia saltem vtilissimum est, vt Fideles in suis Parochijs audiant Missam diebus festis, quod etiam fatentur Doctores *supra relati numero 32.* Videantur *Coninch supra, & Fagundez numero 18.* Quin, & Tridentinum supra relatum satis id significat. Ergo potest Episcopus præcipere Parochianis rem tam vtilem.

Secundò, quia, si proprius Parochus contemnatur, iure potest Episcopus cogere Parochianos ad audiendam Missam in Parochia, si quidem iura prohibent extra Parochiam audiri cum contemptu Parochi. Sed probabiliter præsumet Episcopus, contemni Parochum, cum paucos videat adire Parochiam. Ergo poterit obligare Parochianos, vt adeant suas Parochias ad audiendam Missam, & teste *Fagundez Præce... libro 2. capit. 3. numero 14.* multis i... cis, constitutiones Synodales p... piunt, vt singuli Missam audiant in Parochijs. *Azor supra* censet, si m... ma pars Parochianorum Paroch... desereret, vel contemneret, vel si... iusta causa sacrum audiretur in pri... tis sacellis, aut Oratorijs nullo priu... gio munitis, Episcopos posse simp... mandato præcipere, vt sacrum aud... tur in Parochia, non tamen cogere p... nis irrogatis, quia sic declararunt C... dinales.

40 At *Sanctus Antoninus, Syluester, Nauarrus, Gutierez, Henriquez, Suarez, Manuel, Layman. Filliucius, Auersa r... lati supra numero 32. Fagundez supra numero 12. Sà verbo Missæ auditio numero 1.* docent, Episcopos, nec id præcipere posse, nec pœnas, seu censuras, quas addant præcepto, valere. Probatur, quia, sicut Episcopus non potest tollere, nec restringere ius commune iuxta *cap. Inferior. 21. distinct.* Sic non potest tollere, nec restringere generalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim habet legis communis, nec id iam hodie fieret sine multorum scandalo. Quare *Medina libro primo Sum. § 40.* censet, peccare mortaliter Episcopum, qui tale præceptum, aut censuram ferret. Et *Henriquez libro 9. capit. 25. numero 9. littera Z.* refert anno 1564. quosdam Episcopos, (*vt Toletan, Salmantin, Palentin*) *conatos fuisse, prætextu Tridentini compellere sub excommunicatione subditos adire Parochias ad audiendam Missam, & concionem*; sed resistentibus Regularibus, & viris sapientissimis cessauisse compellere. In declarationib. *Cardinalium circa Tridentinum sessione 24. capit. 4. de Reformat. numero 9.* sic habetur, *Ordinarius non potest per hoc Concilium mulctis, & pœnis, etiam in causa notabilis negligentiæ, aut contumaciæ cogere populum ad audiendam Missam, & Sacram concionem in Ecclesia Parochiali*;

Quam

Quam declarationem referunt Iuniores.

41 Hæc pars videtur regulariter vera, nec admitto distinctionem illam Azoris, si de verò præcepto loquatur obligante ad peccatum: Cur enim admissæ culpæ non posset assignari pœna? Potest igitur Episcopus monere iuxta Tridentinum; præcipere propriè non potest, nisi forsan in casu raro, quando vel expressus contemptus constaret, vel ob specialem causam aliquo die, vel in aliqua Parochia nonnullis diebus; Si nimirum ad splendorem diuinorum officiorum, vel ad subueniendum alijs Ecclesiæ necessitatibus, id videretur necessarium, posset Episcopus præcipere Parochianis, vt adirent suam Parochiam, quod notat etiam *Suarez disput.88.sect.2.* Et ego intelligo, pœnis etiam irrogatis.

42 Vnde facilè soluentur fundamenta primæ partis, & colligitur primò constitutiones Synodales, si quæ præcipiant Parochianis adire suas Parochiam, secundum ius commune capiendas esse: quatenus scilicet solum prohibeant, ne per contemptum proprij Sacerdotis extra Parochiam sacrum audiatur, vt aiunt *Azor supra, quæstione septima, & Fagundez numero 14.* Similiter, si qua consuetudo sit alicubi recepta diebus festis adeundi Parochiam, eodem sensu poterit obligare, nec secluso contemptu censebitur obligationem inducere contra communem Ecclesiæ morem.

43 Colligitur secundò, licet olim dubium fuerit, an audientes Missam in Ecclesijs Regularium implerent præceptum; & aliqui negauerunt nitentes *Extrauaganti 2. de Tregua, & pace.* Ceterum iam hodie constare partem affirmatiuam. Quia *Leo X. apud Manuelem in Bullario Bulla 22.* decernit, omnes Christi Fideles, qui non contempto proprio Sacerdote, in Ecclesijs Fratrum Mendicantium Dominicis, ac festiuis diebus Missam audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, nec aliquam labem peccati mortalis, nec subinde pœnam incurrere.

Habetur *in nostro Compendio verb. Missa.* §. 2. Idem declarauit *Pius Quintus in Bulla anni* 1567. teste *Manuele tomo 1. Regular. quæstione 43. articulo 7.* qui latè probat, *nec per Tridentinum, nec per Gregorium XIII. hæc priuilegia derogari.*

44 Huius priuilegij meminerunt *Suarez supra, & Fagundez numero 13. & 17.* qui subdunt, aliquos Doctores excipere Natalem Domini, & alias solemnes festiuitates, sed immeritò; quia priuilegium Regularium est generale, nec est cur restringatur, sed potius ampliari debet, vtpotè fauor. Et quidem praxis illud sine limitatione recepit. *Henriquez libro 9 capit.25. numero 9.* dicit, iuri Parochiæ derogari per priuilegia Mendicantium, & per proprium motum *Pij Quinti* (cui noluit efficaciter derogare *Gregorius XIII.*) vt satis impleat, qui Missas audit in eorum Monasterijs, nec tenetur obedire Pastori sub censuris prohibenti, ne conueniant in festis ad monasteria, citat in margine nonnullos Doctores, & Bullas Pontificum, & aliquas reuocationes priuilegiorum Regularium, dicit, non fuisse promulgatas, aut receptas.

45 Verum ego certe non video, quæ sit hæc derogatio iuris, quæue necessitas priuilegij pro Regularibus; cum ex supradictis in hac quæstione satis constet, iuxta commune ius, & praxim receptam licitè Fideles sine contemptu Parochi Missam audire diebus festis in quolibet templo publico, & huic præcepto satisfacere sine priuilegio. Non ergo derogatur iuri Parochia, nec requiritur priuilegium, vt valeat; & liceat in Ecclesijs Regularium, quod in quibuslibet aliis extra Parochiam receptissimo iure, seu more valet, ac licet. Quapropter *Manuel tom.1. Sum. ca.123. num.6.* cum tradidisset hanc communem doctrinam, addit. *Concessio Leonis X. secun-*

tum id, quod dictum est, non est priuilegium, sed quædam declaratio iuris ad abolendos scrupulos gentis ignorantis, & ad vitandas lites, quas possent excitare Parochi simplices. Idem satis innuunt verba Leonis in ea Bulla, quæ apud Cherubinum est 25. Quippe dubium exortum, an Fideles satisfaciant præcepto Missam audiendi, quoties illam audiunt in Ecclesijs Mendicantium, Pontifex affirmatiuè decidit dicens. *Auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi Fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & alijs festiuis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve propterea incurrere.* Quæ verba sanè magis declarationem sonant, quam concessionem priuilegij derogantis iuri Parochiæ, ac idem erit de alijs Bullis Pontificum circa materiam istam.

46 Sit dubium tertium: At in priuatis sacellis, & oratorijs possit hoc præceptum impleri? Plures affirmant *Tabiena verbo Missa* §. 51. *fin. Fagundez Præcept.* 1. *lib.* 2. *capit.* 3. *numero* 8. *Laym. lib.* 4. *tractat.* 7. *capit.* 3. *Henriquez lib.* 9. *cap.* 25. *numero* 9. *qui littera C. rationem reddit.* Quia *Tridentinum session.* 22. *cap. de obseruandis, solum prohibet*, Clericos in priuatis Oratorijs celebrare sine licentia Episcopi, non tamen alios audire Missam ibi, quamuis sine causa dicatur, & cap. *Si quis etiam de consecrat. distinc.* 1. solum quibusdam diebus solemnioribus vetat Oratoria priuata, cæteris festis permittit, vt notat *Angelus verbo Missa numero* 59. Cæterum *Azor tom.* 1. *lib.* 7. *capit.* 6. *quæstione* 8. Simpliciter docet, quidquid sit olim iure communi decretum, iam generali consuetudine, vel saltem peculiari quibusdam locis fuisse receptum, vt præcepto satisfecisse credatur is, qui sacrum in sacellis siue publica, siue priuata authoritate fabricatis audierit, dummodò id ex contempt[u] Parochi non fecerit.

47 *Molfesius tract.* 3. *capit.* 17. *num[ero]* 70. & *Quaranta verbo Missa vers[iculo] Quanta notant.* Quoties Papa conc[edit] facultatem, vt in Oratorijs priuatis [sa]crum fiat, solere sequentes limitatio[nes] adhibere, scilicet, vt Oratorium ad h[oc] decenter extructum, & ornatum exist[at], ac ab omnibus domesticis actibus lib[e]rum, ab Ordinario loci visitandum, [&] approbandum.

Item, vt prædicta concessio intellig[a]tur sine iurium Parochialium præiud[i]cio. Declarant autem *Cardinales sessio[ne]* 22. *Tridentini capit. de obseruandis*, h[oc] præiudicium intelligi solum in his, qu[æ] pertinent ad Sacramentorum admin[i]strationem, & ad alia, quæ Parochiæ d[e] iure debita tribuuntur, in alijs verò non. Item, vt excipiantur dies Paschatis, & Pentecostes, & Natiuitatis. Item, vt ali[j] præter familias eius personæ, cuius intuitu dicta licentia conceditur, seruitio necessarios, ibidem inter essentes sacro diebus festis ab obligatione Missam audiendi, nimirum in Ecclesia, minimè liberi censeantur.

48 Vnde deducit *Bonac. disput.* 4. *quæst. vltima punct.* 11. *numero* 4. extraneum, qui Missam audiuit in præfatis Oratorijs die festo, debere aliam audire, vt impleat præceptum audiendi Missam, & *Anersa quæst.* 11 *sectio.* 19. §. *Quartò circa.* Sic ait; In priuatis, ac domesticis oratorijs satisfacere possunt tantum ij, pro quibus facultas concessa fuit, nempè iuxta formam ipsius concessionis.

Hæc doctrina iam non solum est probabilior, & tutior, sed in praxi tenenda prorsus, & cum his limitationibus videtur intelligendus *Azor sup.* quamuis absolutè loquatur.

CAP.

CAP. XIV. QVÆST. V.

Quæ Missa debeat audiri?

49 Triplex Missæ diuisio potest in præsenti considerari. Nam primò diuiditur in solemnem, quæ dicitur maior, & cantari solet, & priuatam, quæ solum recitatur. Secundò diuiditur in votiuam, & de die. Tertiò diuiditur in Missam Catechumenorum, & Fidelium, & ex vtraque constantem, de quibus ferè cunctis queri potest, quam Missam audire debeamus, vt hoc præceptum impleamus?

50 Quare sit dubium primum. An teneamur in festis Missam solemnem, seu maiorem audire? Affirmat *Abbas in capit. 1. numero 8. de vita, & honestat. Clericor.* Probat ex *cap. Hoc attendendum de consecrat. distinct.* 1. vbi prohibetur, ne Missæ priuatæ fiant diebus festis, ita publicè, vt propterea populus à Missis solemnibus auocetur.

Confirmatur primò. Nam in missa maiori Parochiæ publicari solent Fidelibus Festa, Ieiunia, censuræ, denunciationes, & similia, quæ culpabiliter ignorabunt, qui non adsunt. Ergo debent ad esse, quod plurium Ecclesiarum consuetudine videtur receptum.

Confirmatur secundò. Quia Fideles debent in festis aliquam oblationem offerre, cap. *Omnis Christianus de consecrat. distinct.* 1. cap. *Statuimus* 16. *quæst.* 1. *vt tenent ibi Gloss. Hugo, & alij. Hostiensis in Rubric. de Parochijs* §. 2. *Lapus allegat.* 48. *nu.* 1. *&* 7. qui probant idem ex ca. *Præter hoc distinc.* 32. & colligunt, indè cogi posse Parochianos, vt aliquid offerant; sed oblationes dantur in missa solemni. Ergo debent Fideles assistere missæ solemni.

51 Dicendum tamen est, non teneri Fideles audire missam solemnem, seu maiorem; satisfacereque præcepto, si priuatam audiant. Ita *Tabienna, Toletus, Azor. Nuñus*, quos sequitur *Bonacina disputat. 4. quæstio. vltima punct.* 11. *Sacramentis. num.* 12. *Henriquez cum alijs lib.* 9. *capit.* 25. *num.* 4. *Suarez tom.* 3. *disputat.* 88. *sectio.* 2. *Fagundez Præcept.* 1. *lib.* 2. *capit.* 3. *numero* 5. *Layman. lib.* 4. *tractat.* 7. *cap.* 3. Probatur, quia nullum ius cogit ad auditionem missæ solemnis, seu maioris; & in cap. *Hoc attendendum* nullum est verbum præcipiens expresè talem auditionem. Quia tamen conuenientissimum est, vt populus ad solemne sacrum conueniat, præcipitur Sacerdotibus, ne Missis priuatis illum auocent à solemni Conuentu; Quin, etsi ius aliquod antiquum auditionem missæ solemnis iniungeret, videretur iam contraria consuetudine derogatum, cum plurimi Fidelium in festis missis solum priuatas audiant.

52 Ad fundamentum oppositum constat ex dictis. Ad primam confirmationem respondetur, in aliquibus etiam Missis priuatis aliquarum Ecclesiarum solere publicari festa, & ieiunia, posse quoque Fideles alia via discere, quæ sibi fuerint necessaria, planèque teneri, cum per se scire nequeunt, alios interrogare. Consuetudinem autem alicubi receptam, vt omnes conueniant ad missam maiorem, dicit *Azor tom.* 1. *libro* 7. *cap.* 6. *quæstione* 2. non habere vim legis, ac proindè, qui nihilominus audierit Missam priuatam, satis adimplesse præceptum.

53 Ad secundam confirmationem negamus, dari generale præceptum aliquid offerendi diebus festis. Quia cap. *Omnis Christianus loquitur de consilio*, vt notat ibi *Turrecremata cum alijs*. Cœteri textus non loquuntur vniuersaliter, sed quando sunt oblationes debitæ. Sic docent *Sanctus Antoninus part.* 3. *titul.* 12. *capit.* 11. *Abbas, & Ancharanus in Rubric. de Parochis. Angelus, Syluester, & alij Summistæ verbo oblatio. Azor supra capitulo* 7. *quæstione* 11. *dicens esse communem sententiam Theologorum, & Iuristarum.* Notatque *S. Thom.* 2. 2. *quæstio.* 86. *artic.* 1. neminem offerre debere, nisi quatuor de causis, nempè primò, quando quis ratio-

necensus, pensionis, aut conuentionis aliquid Ecclesiæ reddere tenetur. Secundò, cum ex testamento, vel donatione fuerit obligatus. Tertiò, cum Sacerdos indiget, nam minister Ecclesiæ debet ali. Quartò, cum alicubi fuerit more receptum, vt in Dominicis, & festis aliquid offeratur. Et in his duobus vltimis casibus, (inquit *S. Thom.*) remanet obligatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

54 Quoad vltimum casum *Angelus verbo Oblatio num.* 1. censet, non esse cogendos Parochianos ad offerendum, & seruent consuetudinem. Nam in his, quę gratis facimus, aut liberaliter donamus, consuetudo vim legis habere non potest, oblationes autem semper sponte dantur. Nihilominus *Syluester verbo Decima quæstione secunda, & Azor supra cum alijs*, dicunt, esse cogendos ad retinendam consuetudinem, quia per illam videtur Ecclesia ius aliquod adquisiuisse.

Certè dispiciendum esset, qualis sit consuetudo, & quibus actibus introducta, nam, si omnes oblationes fuerint merè liberales, non video, quomodò possint obligationem inducere. Si verò misceatur aliqua promissio, vel aliquod decretum alicuius communitatis potentis obligare successores, similisue titulus, obligabit. Verum, quidquid sit de hoc, ad illam confirmationem dicimus, quando fuerit obligatio aliquid offerendi, posse oblationem omitti per alium, vt sæpè fit, nec propterea cogendos esse Fideles omnes, assistere Missæ solemni.

55 Sit dubium secundum. An teneamur audire Missam Dominicæ, vel festi? Affirmat *Angelus verbo Missa numero* 33. Probatur ex cap. *Quidam laicorum de celebrat. Missar.* Vbi sic videtur decerni, communis tamen sententia negat, docens, impleri præceptum audita Missa votiua, vel de Requiem, &c. Quoniam, etsi congruentius sit, in Dominicis, & festis dicere propriam diei Missam, quam sęculares audiant; nullibi tamen præcipitur auditio talis Missæ, nec conuenienter præciperetur: nam Idiotæ moraliter discernere non possent, an Missa, quam audiunt, sit propria diei, foretque graue nimis, vt id tenerentur inquirere. Quare Iura solum præcipiunt audire missam. Quęlibet autem est vera missa, licet votiua. In illo cap. *Quidam laicorum*, solum reprehenditur quorumdam consuetudo, vel potius superstitio, postulantium, etiam in festis, missas votiuas, quæ iuxta Rubricas illis diebus celebrari nequeunt. Sic docent *S. Antoninus, Caietanus, Syluester, Sotus, Nauarrus*, quos sequitur *Suarez tom. 3. disputat. 88. sectio. 2. Tabienna, Toletus, Armilla*, quos sequitur *Bonacina disputat. 4. quæstione vlt. punct. 11. num. 12. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 6. quęst. 3. Henriqu. lib. 9. cap. 25. num. 4. Filliucius tract. 5. num. 203. Layman libr. 4. tractat. 7. cap. 3.*

56 Ob eamdem rationem sufficit ad præceptum implendum, audire missam ritu Romano, vel quouis alio non solum diuersorum ordinum, sed etiam diuersarum Regionum, aut Ecclesiarum, scilicet vel Ambrosiano, vel Mosarauico, vel Græco, vel Syro, vel Armeno, vel Rutheno, vel simili, dum sit ritus ab Ecclesia permissus, nec contineat intolerabilem errorem. Ita *Fagundez Precept. 1. lib. 2. cap. 3. Layman. & Bonacina supra cum alijs. Azor quæstio* 5. Notatque *Filliucius supra*, si legitimo ritu Sacerdos Catholicus Græcus, vel Armenus celebret, non solum nos posse, sed etiam teneri, diebus festis eius missam audire, dum alia non suppetit. Consonat *Comitolus libro primo quæstione* 47. Secus est de Dominica Cœna, quam Nouatores faciunt, vbi nec verum Christi corpus conficitur, nec legitimi Sacerdotes sacrificant, vt aduertunt *Azor, & Fagundez*.

57 Si verò Sacerdos Græcus, vel Syrus, vel Armenus, vel Ruthenus, vel Schismaticus, aut Hæreticus, dicit *Filliucius*, non audiendam esse Missam ipsorum.

ſorum. Quamuis enim non prohibeamur cum talibus agere, niſi denuntiati ſint, tamen ob aliorum ſcandalum, qui fortè putarent, nos illorum errores approbare, debemus abſtinere. Cœterum *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæſt.* 10. cenſet Catholicos, qui permiſti cum Græcis, Armenis, & Ruthenis ſchiſmaticis commorantur, poſſe tuta conſcientia Miſſas ipſorum, dum celebrant ritu per Eccleſiam approbato, diebus feſtis audire, præceptoque ſubindè ſatisfacere. Sequitur *Layman ſupra*, quia licet Hæretici, vel Schiſmatici notorij ſint, dum non ſunt nominatim denuntiati, non tenemur illos, nec illorum Miſſas vitare, rectèque ſacrificant ſecundum ritus ſuos ab Eccleſia permiſſos. Ergo poſſumus ipſorum audire Miſſas, & per ipſas præcepto Miſſam audiendi ſatisfacere.

Facilè conciliari poſſunt hi Doctores. Nam vbi nullum ſequetur ſcandalum, rectè decernunt *Azor*, *& Layman*: vbi verò ſequitur ſcandalum procedit ſententia *Filliucij*, quo ſecluſo non diſſentiet à cęteris: nam infra eo *tract.* 5. *num.* 230. ſic ait, ex parte Sacerdotis impedimentum nullum excuſat, niſi quando denuntiatus eſſet, & non toleratus; Citat *Caietanum*, *& Nauarrum*, & conſonat *Suarez ſupra ſect.* 6.

CAP. XIV. QVÆST. IV.

Quæ pars Miſſæ poſſit omitti ſine peccato mortali?

58 Circa tertiam diuiſionem ſuppono primò, totam Miſſam audiendam eſſe iuxta præceptum, quæ comprehendit Miſſam Catechumenorum, ſcilicet ab initio vſque ad finem Euangelij, poſt quod Diaconus excludebat Catechumenos; & Miſſam Fidelium ſcilicet ab Offertorio vſque ad finem. Sumitur ex *diſtinctione prima de conſecrat.* cap. *Omnes*, cap. *Cum ad celebrandum*, Vbi prohibentur Fideles ante completam benedictionem diſcedere; quia tunc benedictione finiebatur Miſſa, cap. *Miſſas*. Vbi dicitur. *Totas*, quod malè quidam interpretantur, ideſt omnes, quaſi deberent ſinguli Miſſas omnes audire, quæ fiunt in illo templo.

Hos bene refellit *Azor tomo primo libro* 7. *capit.* 3. *quæſtione* 1. ex communi ſenſu, praxique Fidelium, qui ſentiunt cum *Gloſſ. in dicto cap. Miſſas*, audiendas eſſe totas, ideſt integras ab initio vſque ad finem, ita vt nulla pars Miſſæ poſſit omitti voluntariè ſine peccato, quod grauius erit, vel leuius iuxta quantitatem partis omiſſæ.

Minor tamen cauſa ſufficiet ad omittendam partem minorem ſine culpa, quam ad omittendam maiorem, & in his ferè conueniunt vniuerſi, notatque *Suarez tom.* 3. *diſputat.* 88. *ſectio.* 2. cum nuper introductum ſit, vt poſt benedictionem Sacerdotis Euangelium dicatur, fortaſſe non peccari venialiter, quàuis ſtatim poſt datam benedictionem aliquis diſcedat vltimo Euangelio non audito.

Nam hoc non videtur ad integritatem miſsę iuxta tenorem iuris pertinere, quod ſimpliciter amplectitur *Nuñus* 3. *part. quæſt* 83. *artic.* 6. *dub.* 2. At probabile ſimul eſt, iam illud Euangelium integrare miſsam, & ſub præcepto auditionis comprehendi, vt cenſent ipſe *Suarez*, *& Fagundez Precept.* 1. *libro* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Nec expedit oppoſitum in vulgus proferri, ne detur occaſio contemnendi Euangelium vltimum, & diſcedendi priuſquam deceret.

59 Suppono ſecundò, omiſſionem partim miſsæ notabilis eſse mortale peccatum, omiſſionem verò partis leuis eſse venialem. Pars miſsæ notabilis communiter reputatur dimidia miſſa, vel tertia pars illius. Leuis verò quinta, vel etiam quarta pars eiuſdem.

Attamen quæ cenſeatur in particulari quinta, vel quarta, vel tertia pars, prudentis arbitrio definiendum eſse docent *Nauarrus ca.* 21. *num.* 2. *Azor to.* 1.

lib.7.cap.3.qu.2. Bonac.disp.4.quest.vlt. punct.11.nu.15.& alij communiter, cum à iure non definiatur argumento *legis 1.ff.de iure deliberandi*. Verum in hoc arbitrio diffident Doctores, quos ad quatuor sententias possumus reducere.

60 Prima sententia docet, si quis omittat à principio missæ vsque ad Epistolam exclusiuè, peccare venialiter. Si tamen omittat Epistolam, peccare mortaliter, quia iam omittit partem notabilem. Ita *Sanctus Antoninus, Tabienna, Sylvester apud Suarium disput.88.sect.2.* licet non satis exprimant. Apertius tradunt *Nauarrus cap.21. num.2. Sandobal de officio Ecclesiastico part.6.cap.14. Tolet.libro 6. capit.7. numero 4. Medina in Summ.capit.14.§ 9. Nuñus 3. part. quæstione 83. artic. 6. dub.2. Bonacin. de Sacrament.disput.4.quest.vltima punct.11. numero 16. Henriquez lib.9. cap. 25. numero 7.* dicens, audiri debere saltem Epistolæ partem ad euitandum mortale peccatum.

61 Secunda sententia docet, quamuis omittatur Epistola, non peccari mortaliter, dum totum Euangelium audiatur, secus, si simul omittatur Euangelium, quia tunc omittitur pars notabilis, non antea. Sic censent *Sotus in 4.distinct.13. quest.2.artic.1.circa finem. Suarez supr. Manuel tom.1.Summ.cap.123. numer.1. Azor tom.1.lib.7. cap.3. quest.2.Filliuc. tractat.5. num.202. Coninch.qu.83. num. 285.Fagundez Precept.1.lib.2. cap.6. numero 3. Layman lib.4. tractat.7. capit.3. numer.3.* hanc etiam admittit cum prima. Tenent hanc secundam *Villalobos tom.1.tract.8.difficult.35.num.2. Prepositus 3.part.q.83.art.6.dub.4.num.203.& alij*.

62 Tertia sententia docet, & si quis omittat Euangelium, si postea legit, vel audit à legente, quæ non audiuit, non peccare mortaliter, quoniam Epistolam interdum cantat in choro laicus, & Euangelium Diaconus. Ergo sufficiet pariter ab alijs audire. Sic docet *Nauarrus cap.21. num.2.* citans Margaritam. Hanc sententiam referunt, & non refellunt *Henriquez supra. Sà verbo Missæ auditio nu.2.Bartholom. ab Angelo dialog.5.§.783.* Reijciunt tamen illam *Suarez, Azor. Manuel supr. Fagundez numero 6. Auersa quest.11.sectio.19.Cardinal.de Lugo disputat.22. num.3. & alij*. Nam Epistolæ, vel Euangelij lectio post missam non est pars missæ, nec facit vnum cum illa, nec cadit sub hoc præcepto. Secus est, quando cantatur intra Missam, licet non à Presbytero. Propterea *Nuñus* vocat hanc sententiam improbabilem. Verum editio correcta *Patris Sà non sustulit illam, & Layman supra*, videtur, eam improbabilem reputare, dum solum ait, oppositum videri probabilius.

63 Quarta sententia docet, quãuis quis incipiat audire missam à Symbolo, vel Offertorio, non peccare mortaliter. Ita *Franciscus Ortiz Lucio in Summ. Precept.3 §.6. Gaspar Hurtado de Missa disputat.5. difficult.1. Diana part. 5. tract. 5. Resolut.38. fine, & Resolutio.44.* Quod dicit *Fagundez supra num. 15. ex multis Doctoribus colligi*, nam inquiunt, tertiam partem missæ censeri notabilem, & sufficientem ad mortale peccatum, sed missæ principium vsque ad Euangelium inclusiuè non videtur tertia pars. Ergo non est notabilis, nec sufficiens ad mortale. Nec hoc omnino refellit, sed solum ait, oppositam opinionem sibi videri securiorem.

64 Hanc sententiam reputant probabilem *Suarez, Filliucius, Layman, Auersa, & Cardinal.de Lugo supra cum alijs. Bonacina numero 17.* dum, qui missam audit ab offertorio, totam reliquam audiat vsque ad vltimum Euangelium inclusiuè. Nam vltimum Euangelium iam est aliquo modo pars missæ. Simul est probabile, non teneri Fideles ad audienda duo Euangelia, sed solum vsque ad benedictionem.

Quapropter audiendo postremum Euangelium, compensari videtur Euangelium

gelium prius omissum, & ita satisfieri præcepto. Proprereà quidam ex his Authoribus carpunt. *Luisium de Torres,* quoniam *in select. part.2. disput.31.dub.28.* rigidè notet istam sententiam, vt improbabilem, & temerariam, fine sufficienti fundamento.

65 Ego primam sententiam censeo probabilem, secundam probabiliorem. Tertiam non nisi sufficiente ratione. Quartam non esse prorsus improbabilem. Notoque primò circa finem Missæ, si quis audiat illam à principio vsq; ad sumptionem, & si reliquum ommittat, non peccare mortaliter, vt sentiunt. *Henriquez. Suar. Layman. Fagundez num.4. cum alijs.* Nam illa pars Missæ post sumptionem non censetur notabilis. Siquis autem exiret antè sumptionem, peccaret mortaliter, vt communiter docent Authores, & aduertit *Coninch. q.83. nu.285.* quia iam omitteret partem notabilem.

66 Noto secundò, considerandam etiam esse dignitatem partis, quæ si nimis propinqua, vel necessaria sit ad substantiam sacrificij, licet minor sit quarta Missæ parte, sufficiet ad mortale peccatum. Ideò Doctores faciliùs permitunt, omitti principium, vel finem Missæ, quasi partes eius accidentales, quam aliquid canonis præsertim à consecratione vsque ad sumptionem. *Hurtado* supra dicit, omissionem consecrationis, & partis subsequentis vsque ad *Pater noster*, inclusiuè fore culpam mortalem ob dignitatem huius partis. *Henriquez, & Nuñus supra, Bonacin. num.14. Molfesius tractat.3. capit.17.num.49.* dicunt illum non satisfacere præcepto, qui non adest, dum fiunt tres partes substantiales Sacrificij, scilicet consecratio, & oblatio, & consumptio. Quod si quis desit consecrationi, & sumptioni, quamuis adesset de reliquo toti Missæ non satisfacere præcepto. *Docent Suar. & Hurtado supra. Fagund. num.14. Auersa §. Rursus non. Cardinal. de Lugo num.4. Diana part.5. tractat.13. Resol.61.* Si quis exeat à templo post eleuationem Calicis, & redeat ad vltimam eleuationem Hostiæ, non implere præceptum, etiam quantum ad substantiam, dicit *Nuñus*; & hæc omninò verissima mihi videntur; quia verè omittitur pars notabilis ratione dignitatis.

67 Maior est difficultas. An qui deest soli consecrationi, vel soli sumptioni, peccet mortaliter? Negant *Suarez. Fagundez, Hurtado, Cardinal. de Lugo* supra. Quia, cum non constet, in quò præcisè consistat substantia sacrificij, potest probabiliter opinari, non esse substantialem partem omissam. Affirmant *Nuñus*, & *Auersa* supra, quia vel secundum opinionem magis receptam, vtraque pertinet ad essentiam sacrificij, vel saltem secundum plurimos ita pertinet ad eius integritatem, & necessitatem, vt omninò debeat adhiberi celebrationi.

Ego censeo primò, si quis non adsit oblationi verbali, dum audiat reliqua, non peccare mortaliter. Quia satis ostendi, *cap.2. qu.3.* verbalem oblationem à consecratione, sumptioneque distinctam non esse de substantia, nec de integritate sacrificij Censeo secundò, illum, qui tempore consecrationis, vel sumptionis adit Sacristiam, vel alium locum vicinum, vt afferat aliquid ad cultum sacrificij necessarium, non reputari abesse, sed adhuc vnum corpus constituere cum alijs adstantib. In hoc conueniunt. *Auersa, Diana, & Cardin. de Lugo num.6 Nam, vt docent. S. Antonin. Tabienn. Syluest. Henriquez, Graff. & alij, quos sequitur Bonac. supra nu.18.* Qui recedunt à sacrificio propter illa, quæ conducunt ad eiusdem cultum, seu solemnitatem, censentur adesse moraliter, dum non recedant ab Ecclesia, nec absint diutius, quam moralis assistentia permitrit. Censeo tertiò, quò ad præcipuam difficultatem esse probabilem partem negantem, sed tutiorem, & probabiliorem affirmantem, præsertim quò ad consecrationem.

Noto

68 Noto tertiò. Si quis inter Missam per interualla crebro minimas partes omittat, & mox eandem Missam continuet, fieri posse nonnunquam, vt præceptum non impleat. Nam omnes fatentur, posse notabilem partem ex diuersis minimis coalescere. Sicut ex vna parte principij, & altera finis. Ideò Nunus supra dicit. Si quis audiat Missam a Kyrie eleison vsque ad finitam communionem, non peccabit mortaliter insinuans peccaturum, si quid amplius omittat. Non tam strictè loquuntur. *Azor tomo 1. lib. 7. c. 3. q. 2. Suar. disp. 88. sect. 2. Coninck. q. 83. nu. 285. Fagundez Precept. 1. lib. 2. c. 6. nu. 4. & 9. cum alijs*, dicunt enim, illum peccare mortaliter, qui venit post lectam Epistolam, & exit post communionem, qui tamen audit Epistolam, quamuis exeat statim post sumptionem, non peccare mortaliter, nam Epistola censetur æquiualere precibus, quæ post communionem recitantur. Benignius loquuntur *Amalarius apud Laymanum* supra dicens ab offertorio vsque ad benedictionem impleri præceptum, & *Sà verb. Missæ auditio nu. 2.* dum ait. *Satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui Missam audit ab Epistola*, & secundum quosdam ab Euangelio, *vsque ad communionem*. In correcta demitur id *vsque ad communionem*, & sic videtur tenendum, vt, qui Missam audit, ab Euangelio non recedat, saltem ante benedictionem, vt euitet mortale peccatum.

69 Petes primò, si quis ex voto, vel iniuncta pœnitentia teneretur audire Sacrum in Sabbatho quatuor temporum, quando plures Epistolæ dicuntur, & his omissis ab Euangelio Missam inchoaret, an peccaret mortaliter. Pars affirmatiua suadetur, quia tunc omissa videtur tertia pars, & notabilis eius Missæ. Negatiua posset probari. Nam adhuc eò die satisfaceret audiendo Missam votiuam, quam inchoans ab Euangelio, non peccaret grauiter. Ergo pariter non peccaret mortaliter audiens ab Euangelio Missam diei. Non vidi definitam istam quæstionem, nec ego definio, sit interim problema. In simili voti, vel pœnitentiæ Sacramentalis obligatione, vel etiam in die festo, si quis audiat Missam Sacerdotis volentis in *Memento*, vel post communionem orare mentaliter per horam, quamuis absit hoc tempore, satisfacit. Nam illa Missa sine tali parte temporis esset integra. Sic docet *Cardinal. de Lug. supr. nu. 5.*

70 Petes secundò. An qui venit circa canonem Missæ teneatur eam audire, dum alia non suppetit. Negat *Ioan. Sanch. disp. 15. nu. 5.* quia præceptum audiendi sacri nequit implere quò ad substantiam; & præceptum de re indiuidua non ligat, quando non potest substantialiter impleri. Melius affirmant *Suar. supr. Card. de Lugo nu. 6. Auersa §. Si quis vero. Thomas Sanch. lib. 1. Decal. c. 19. nu. 6. & in consil. lib. 7. c. 2. dub. 47. nu. 6. Diana p. 3. tract. 6. Resol. 69. & p. 5. tract. 13. Resol. 61.* Quia licet præceptum de re indiuidua, qualis est Missa, quoties impleri non potest substantialiter, non obliget ad partem, nam id præceptum non patitur commodam diuisionem. At in Missa, quæ continentur à consecratione, vsque ad sumptionem, maximi ponderis sunt, & in præcepto Missam audiendi per se principaliter intenduntur, cum in illis substantia sacrificij consistat. Quare qui potest his assistere, tenetur. Fauet *Nauarr. in tract. de oratione cap. 11. num. 16.* dicens, obligatum ad Missam audiendam, nec potentem audire totam, teneri ad eam partem, quam verisimiliter præcipiens intendit, & in qua militat eadem ratio, ac in tota.

71 Conueniunt isti Doctores, si quis non posset audire Missam, nisi vsque ad Canonem, vel consecrationem, non obligari. Quia nequit implere præceptum integrè moraliter quoad substantiam, idem est à fortiori, si venerit post consecrationem, vt exprimunt. *Auersa Diana, Card. de Lugo.* Nam ideò feria sexta maioris hebdomadæ

madæ non tenemur adesse officio, quamuis occurrat festum, quia deest consecratio, sed qui venit post consecrationem, adesse solum sumptioni, & orationibus, quibus etiam adesse possumus illa feria sexta. Hinc infert *Cardinal. de Lugo*, illum, qui nullo modo posset adesse consecrationi, quamuis adesse posset alijs Missæ partibus, non teneri ad illas audiendas. Quoniam assistere Missæ non est solum adesse corpore, sed offerre sacrificium simul cum celebrante, qui verò non adest tempore consecrationis, non offert sacrificium illud, nisi generali ratione: sicut omnes alij Fideles. Ergo non obligatur ad assistendum alijs partibus: Sicut nec in die Parasceues obligatur ob eandem rationem.

72 Hanc illationem refellit *Auersa supr.* Quoniam obligatio Missam audiendi non est solum propter oblationem sacrificij, sed etiam ob alias diuinas laudes, lectiones, & preces. Hæc ratio non conuincit, si consecratio contineat essentiam huius sacrificij. Quia præceptum extenditur ad preces, lectiones, &c. prout comitantes sacrificium, sine quò non caderent sub illud. Quare iuxta superius dicta *num.67.* censeo, sicut est probabile, præceptum impleri, quamuis quis desit soli consecrationi, licet probabilius sit oppositum, sic esse consequenter probabile, teneri quempiam ad audiendam reliquam Missam præter consecrationem, siquidem per illam probabiliter implet præceptum quoad substantiam, probabilius tamen esse non teneri, quia probabilius est, non impleri substantialiter præceptum. Casus in praxi rarissimus erit, vt quis possit audire totam Missam præter solam consecrationem.

CAP. XIV. QVÆST. VII.

Quomodo supplendus sit defectus, quando non fuit auditum Sacrum integrum?

73 SVppono, partem omissam, vel esse notabilem, vel non esse notabilem, rursus, vel omissam fuisse voluntariè, vel inuoluntariè. Si non sit pars notabilis, & omittatur inuoluntariè, v.g. cum quis adit Ecclesiam, volens audire Missam integram, & inuenit illam inchoatam, sed ante Euangelium, vel offertorium, & illam audit, vel audiens Missam ab initio, iusta de causa cogitur, recedere post sumptionem. Tunc certum est, non peccari venialiter, nam illa leuis omissio fuit inuoluntaria, & per consequens incapax alicuius culpæ. Si tamen omittatur voluntariè cum intentione præceptum implendi per Missam non integram omninò, quantumuis minima pars omittatur, est veniale peccatum, quia verè violatur præceptum quoad integritatem rei præceptæ, vt contra nonnullos docent. *Suar. tomo 3. disput.88. sect.2. & Filliuc. tract.5. nu.205.*

Verum, si pars notabilis omittatur inuoluntariè, quia veniens ad Missam inuenit illam post offertorium, & illam audit, timés, nullam aliam esse futuram, tunc ille, quamuis propriè non adimpleat præceptum, excusatur à culpa, si mora fuit inuoluntaria, nec voluntariè subijt periculum non inueniendi Missam, Si tamen omisit voluntariè partem notabilem, animo non supplendi talem defectum, peccauit mortaliter, secus, si habuit animum supplendi. Sic notant. *Suar. & Filliuc. supr. & Fagund. Præcept. 1. lib. 2. cap. 6. nu. 16. & 17.*

74 Et quidem quoties omissa fuit pars notabilis voluntariè, vel etiam inuoluntariè, si posteà fiat sacrum, fatentur Doctores relati, deberi suppleri defectum, vt scilicet impleatur præceptum, quod nondum fuerat impletum, siquidem iam cessat excusationis ratio.

Quan-

Quando verò fuit omissa pars leuis inuoluntariè, vel etiam voluntariè, dicunt ijdem, non debere suppleri defectum ad euitandum veniale peccatum, etiam si suppleri possit. Quoniam, qui partem leuem omitit, iam impleuit præceptum, quoad substantiam, & ideò non est cogendus ad audiendam aliam integram Missam. Modus autem supplendi per auditionem solius partis omissæ nimis imperfectus est, & non multum conducens ad integritatem Missæ. Nec res morales ita rigurosè capiendæ sunt. At oppositum censet, *Nunnus qu.83. art.6. dub.2.* Quia ius præcipit, audiri totam Missam a confessione vsque ad benedictionem. Ergo quoties homo potest audire totam, & non vult, peccat venialiter saltem. Quod si postea possit supplere defectum, etiam leuem, & non supplet, non est, cur excusetur saltem à veniali. Certè *Suarez* loquitur consequenter ad suam sententiam, quod hoc præceptum impleri nequeat per diuersas Missæ partes à diuersis auditas. In contraria sententia magis mihi placet opinio *Nuñi*.

75 Præcipua difficultas est; an qui Missæ partem audiuit, sufficienter suppleat defectum audiendo partem omissam duntaxat, ita vt per diuersas partes Missæ à diuersis auditas impleatur præceptum. Negant *Azor. tom.1. lib.7. cap.3. q.3. Tolet. lib.6. c.7. nu.3. Coninch. qu.83. nu.287. Suarez. supr. Fagund. num.12. Cardinal. de Lugo disp.22. nu.8.* indicat *Moure p.2. c.8. §.1. nu.6.* dum requirit vrgens negotium, vt ita satisfiat Ecclesiæ præcepto. Fauent *Medina lib.1. summ. cap.14. §.9. & Manuel tomo 1. sum. c.123. num.1.* quatenus aiunt, hanc opinionem esse planiorem, & securiorem.

Probatur primò ex *cap. Missas de consecrat. dist.1.* quatenus præcipit, vt Fideles audiant totas Missas speciali ordine, non autem seruatur specialis ordo Missæ, quando prius auditur finis, quam initium, vel quando non continuè per modum vnius auditur. Ergo non impletur illo modo præceptum. Confirmatur primò, quia totum propriè non significat partes disiunctas, & quomodolibet aggregatas, sed vnitas, & ordine proportionato connexas. Sed illæ partes Missæ disiunctæ sunt, nec ordine debito connectuntur ad vnam Missam componendam. Ergo partes illas audire non est audire totam Missam. Confirmatur secundò. Nam ex illis duabus partibus non fit vnum sacrificium, nec etiam sacrificium: quippè si quod fit, vel fuit oblatum a primo celebrante, vel à secundo, sed neutrum dici potest, quia neuter posuit totam substantiam sacrificij, nec resultat tertium sacrificium, alioquin oblata fuissent tria sacrificia, quod est falsum. Ergo sic audiens diuersas Missæ partes non adest alicui sacrificio. Confirmatur tertiò. Quia, si Sacerdos hodie consecrat hostiam, quam hodie non sumit, sed aliam præconsecratam, non celebrat hodie Missam integram, sed ponit partem vnius, & complementum alterius, vt ostendimus supra, *c.2. q.4. nu.52.* Ergo consecratio vnius hostiæ, atque sumptio alterius non integrant vnam Missam, & per consequens assistens vnius hostiæ consecrationi, & alterius sumptioni, non assistit vni Missæ integræ: nam ex illis duabus partibus Missa constitui non potest, sed constare debet ex consecratione, ac sumptione victimæ prorsus eiusdem.

76 Probatur secundò. Nam ex opposito sequeretur, illum satisfacere præcepto, qui primo mane dimidiam Missam audiuit, & post quinque, vel sex horas aliam dimidiam, quod videtur absurdum. Sequela patet, quia, dum admittatur interpositio temporis inter medietates, parui videtur referre maius, vel minus spatium interpositum. Probatur tertiò. Quia sequeretur etiam posse præceptum impleri, si quis simul duas, vel tres Missæ partes à duobus, vel tribus celebrantibus audiat, potest enim ad duos, vel tres simul sufficienter attendere, nec successio partium diuersarum,

satum, & disiunctarum videtur de substantia præcepti. Consequens autem apparet absurdum, quia subinde posset a sex, vel à decem audire diuersas partes simul, ita vt intra duo, vel tria minuta Missam integram audierit, & satisfecerit præcepto, quod satis alienum est à communi sensu Fidelium.

77 Affirmant Maior. *Sotus, Nauarr. Sà, Nuñus, Bartholomeus ab Angelo, quos sequitur Bonacina disputat.4.quæst. vltim. punct.11. numer.13. Sandoual, & Mantius, quos sequitur Henriquez lib.9. capit.25. num.8. lit.P. Filliucius, tractat.5. numer.207. Layman lib.4. tractat.7. capit.3. fin. Reginald. lib.9. numer.26. Molfesius tract.3. cap.17. numer.35. Hurtado de Missa disputation.5. difficultat.4. Diana part.2. tractat.17. Resolut.18. & part.4. tract.4. Resol.107. & part.5. tractat.14. Resol.52. & part.8. tractat.7. Resolut.89* Probatur. Quia præceptum obligat solum ad audiendam totam Missam, non verò quod ab vno Sacerdote continenter audiatur. Ergo quamuis audiatur à diuersis, impletur præceptum. Non enim requiritur vnitas, vel integritas Missæ Physica, vel artificialis continua, sed vnitas artificialis moralis: duæ verò, vel tres Missæ partes à diuersis auditæ constituunt vnam integram Missam moraliter sufficientem ad præceptum implendum. Sic dixit, *Gloss. in cap. Quorundam, distinct.23.* in Missa, cuius vnitas est cuiusdam solemnitatis, posse quidem ex duobus imperfectis vnum aliquo modo constitui, sufficiens saltem ad præceptum implendum. Et, quamuis curandum sit, vt partes audiantur ordine suo: hoc tamen non est de necessitate præcepti, sicut in simili dicitur de recitante diuinum officium ordine non seruato, quem non peccare mortaliter, asserit communis opinio. Confirmatur nam vnum sacrificium dicitur, quod inceptum ab vno Sacerdote propter eius defectum perficitur ab alio, pariter ergo quoad auditionem ipsius cēsendum est.

78 Pro decisione suppono ptimò praxim secundæ sententiæ, quam etiam Doctores primæ sententiæ fatentur esse probabilem, saltem per extrinseca principia, parum decentem, & religiosam esse, subindèque non vsurpandam sine rationabili causa. Quare, si quis sponte vellet ex diuersis fragmentis integrare Missam audiendam ex præcepto, peccaret saltem venialiter, vt expresse notant. *Suarez, Conincb. Nuñus, Laym. supra. Auersa* §. *Benè tamen. Solus Medina illo* §.9. videtur, omne peccatum excludere, nullum verò fundamentum affert ad excludendum etiam veniale peccatum, saltem contra præcepti modum. Vnde dixit, *Layman*, non satis probabiliter dixisse *Medinam*, nihil omninò peccari.

79 Suppono secundò, quando quispiam ex voto, vel ex iniuncta pœnitentia, vel ex simili titulo, tenetur audire plures Missas, satisfacere simul audientem à pluribus eodem tempore celebrantibus. *Ita Maior in 4. distinct.12. qu.8. dub.1. ad primum, Suar. disput.88. sect.2. fine. Victorell. apud Sà verb. Missæ auditio numer.8. Graffis libr.2. capit.35. nu.4. Petr. de Ledesm. to.1. sum. tract. de Euchar. c.27. ante 9. conclus. Scortia de Missa lib.2. c.20. n.10. Mercerus 3. part. q.83. art.4. dub.4. Hurtado, & Molfesius supra. Sanch. lib.1. Decalog. cap.14. n.12.* Probant, quoniam ex vi talis obligationis, vel ex vi plurium obligationum simul concurrentium non tenetur illas Missas audire successiuè, potestq; simul adesse tam corpore, quam mente sufficienter duobus, aut tribus celebrantib. si sint altaria propinqua. Potest igitur duab. illis, aut tribus obligationibus satisfacere.

Pro parte negatiua refertur ab *Auersa, & Diana Card. de Lugo disp.22. n.10.* sed immeritò, nam ibi palam supponit, aliquem posse simul audire duas, & tres Missas. Negat verò *Luisius de Torres* in selectis, *part.2. disput.16. dub.7.* quando Confessarius iniungit pœnitenti, vt audiat duas, vel tres Missas, &

& probat, nam intentio talem pœnitentiam iniungentis est, vt Missæ audiantur successiuè iuxta communem sensum Fidelium. *Auersa q.11. sect.19 §. Et sane. Diana par.8. tract.7. Resol.89.* dicunt, pendere decisionem ex intentione vouentis, aut Confessarij, quæ talis esse potest, vt satisfiat, plures Missas simul audiendo, quia re vera præcipi sic potest earum fructus. Ego non dubito, quin, si vouens, aut Confessarius explicent, obligationem imponi plures Missas audiendi successiuè, talis imponatur obligatio. Verum, quando nec vouens, nec Confessarius distinxit de Missis simul audiendis, vel successiuè, reor, satisfieri Missas audiendo simul, & in festis posse satisfieri simul Ecclesiæ præcepto, dum numerus Missarum omnibus obligationibus correspondeat, & in hoc sensu capio Doctores supra relatos.

80 Iam dico primò, qui diuersas Missæ partes audit à diuersis, diuidendo partes substantiales sacrificij, non satisfacit huic præcepto, ac subindè iuxta doctrinam à nobis traditam, *cap.2 qu.3.* qui Missam vnius audit vsque ad consecrationem inclusiuè, reliquam vero partem alterius, non implet præceptum, quamuis prius audiat priorem partem, & deindè posteriorem. Quia verè non assistit vni sacrificio, quod ex illis diuersis partibus conflari nequit. Ita docet *Auersa supra §. item admittendum*, & hoc probant fundamenta primæ sententiæ, nec amplius forsan eius Authores intendunt. Dico secundò. Qui totam sacrificij substantiam quò ad omnes partes integrales simpliciter necessarias audit ab vno celebrante, licet reliquas audiat ab alio, etiam ordine præpostero, satisfacit huic præcepto, v. g. qui venit ante consecrationem, & adsiit vsque ad finem, sufficit, vt post modum audiat ab initio vsque ad consecrationem exclusiuè. Sic docet *Auersa §. Benè tamen*, & hoc probant fundamenta secundæ sententiæ, cuius Authores in hoc potissimum sensu loqui videntur. *Diana verò p.8. tract.7. Resol.89.* contendit, vt etiam si quis assistat vnius consecrationi, & alterius sumptioni, præceptum impleat, quoniam est probabile, totam essentiam sacrificij sola consecratione contineri. Fateor, illos, qui putant, sumptionem, nec ad essentiam, nec ad integritatem substantialem sacrificij pertinere, posse consequenter sic opinari, nam in ipsorum sententia non diuiditur integritas essentialis, vel substantialis Missæ, quamuis aliquis assistat vnius consecrationi, & alterius sumptioni. Nos autem iuxta nostram sententiam locuti sumus.

81 Vtriusque partis fundamenta, quatenus obstare nobis possunt, sic dissoluimus. Ad primum primæ sententiæ respondetur, in *cap. Missas* particulam *speciali ordine*, non cum verbo audire, sed cum verbo *præcipimus* coniungendam esse, ita vt sensus sit, speciali ordine, seu lege præcipimus, audire totas Missas, vt fatetur etiam *Suar.* totam verò Missam, idest integram, sufficienter audiri, quatenus diuersæ partes accidentales à diuersis auditæ moraliter concurrunt ad vnam Missam accidentaliter integrandam. Secus esset in partibus substantialibus, quia substantia sacrificij requirit vnitatem eiusdem numero victimæ, vt constituatur vnum numero sacrificium, quod conuincunt confirmationes ibi positæ: non verò vim habent, quoad integritatem accidentalem.

82 Ad secundum respondet *Nuñus*, non esse certum omninò, quod sit mortale peccatum, audire Missam etiam cum interuallo tot horarum, & certè quò ad integritatem, & vnitatem accidentalem Missæ, de qua nos loquimur, id forsan admitti potest, carere culpa graui, vel prudenter dijudicandum erit, quanta distantia temporis tollat, vel non tollat hanc moralem, & accidentalem vnitatem.

Ad tertium negant sequelam. *Henriq. Laym. Coninch. Suar. Fagund. Auersa, Reginald. Nuñus, & alij.* Probant, quia, cum Missa sit vnum totum per se succes-

successiuum, per se postulat auditionem successiuam: & per consequens Ecclesia præcipit auditionem Missæ, tanquam actionem successiuam, in qua tantum tempus insumatur diuino cultui dicatum. Quare si simul audiantur eius diuersæ partes à diuersis celebrantibus, non constituent etiam moraliter eandem Missam, cum non seruent successionem integritati Missæ debitam; nec implebitur Ecclesiæ præceptum. Quod adeò certum reputat Torres supra, vt dicat oppositum nec esse probabile, nec satis tutum.

83 Concedunt sequelam. *Hurtad. Bonac. Bartholom. à S. Fausto, quos sequitur Diana par. 2. tract. 17. Resol. 18. & par. 5. tract. 14. Resol. 52.* Probabileque vocat. *Molfesius supr.* Nam attentio dari potest, vt experientia constat, & sicut debitus ordo non est de necessitate præcepti, siquidem potest audiri prius posterior pars, & postea prior, vt vidimus, *num.* 80. sic nec successio partium auditarum videtur ad substantiam auditionis expectare. Nec inde sequitur, posse simul sex, vel decem partes diuersas audiri, & intra duo minuta totam Missam integrare. Nam hominum attentio limitata quidem est, vnde semper talis auditio successionem habebit. Nec ipsa Missa secundum se, nec Ecclesiæ præceptum determinat tantam, vel tantam durationem auditioni Missæ necessariam.

Quare censeo, circa supplementum accidentale, quod nos solum concedimus, si quis possit post auditam vnam Missæ partem, videlicet à consecratione vsque ad finem, audire aliam ab initio vsque ad consecrationem exclusiuè, debere sic facere saltem sub veniali. Quia sic congruit tam auditioni Missæ, quam intentioni Ecclesiæ. Si verò sic vrgeat necessitas alicuius occupationis, vt nequeat integrari Missa, nisi simul audiantur ambæ partes, crederem impleri præceptum etiam sine culpa veniali propter vtriusque partis fundamenta, quo probare videntur hanc distinctionem, & non amplius.

84 Fundamentum secundæ sententiæ conuincit quoad partes accidentales, quarum vnitas artificialis moralis conflari potest ex diuersis partibus auditis à diuersis celebrantibus, secus quò ad partes substantiales, quarum vnitas, vel integritas etiam artificialis, & moralis requirit vnitatem eiusdem omninò victimæ, ac eiusdem oblationis consummatæ, vt superius ostensum est. Ad confirmationem respondetur, quamuis, *Fagund. eò cap. 6. n.* 13. neget antecedens, putans, eum, qui dimidiam Missam audiret vnius Sacerdotis subitò morientis, & dimidiam alterius supplentis defectum, non implere præceptum, quia non audit vnam integram Missam, sed duas medietates duarum Missarum; multò melius illud concedere. *S. Thom. Sotum, Nauarr. quos sequitur Henriq. nu. 8. Bonac. Azor. & alios communiter.* Nam ibi, licet sint duo Sacerdotes, ambo concurrunt ad vnum moraliter ministerium, & sacrificium completum, dum eadem omninò victima plenè, ac perfectè sacrificatur per ipsius consecrationem, & sumptionem. Quod secus est, quando diuersi Sacerdotes offerunt verè diuersas victimas, & peragunt sacrificia diuersa, quorum partes essentiales, seu substantiales concurrere nequeunt ad vnicum sacrificium integrandum.

CAP. XIV. QVÆST. VIII.

Qualis voluntas requiratur ad hoc præceptum implendum?

85 Vpponimus, cum iura præcipiunt, audire Missas, verbum audiendi, non sumi strictè, sed latè, quatenus significat moralem assistentiam, & humanam præsentiam, & quandam attinentiam ad illud ministerium colendi Deum oblatione sacrificij. *Sic S. Antonin. Syluest. Caietan. Sotus, Nauarr. Azor, quos sequitur Fagund. Præcept. 1. lib. 1. c. 6. nu. 18. & c. 7. nu. 2. Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 3. Henriq. lib. 9. c. 25. num. 4.*

Et omnes communiter asserentes, præcipi solam præsentiam moralem, qua Missis assistamus, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel saltem ita comitando, vel sociando alios videntes, aut audientes, vt ad multitudinem assistentium moraliter pertinere, censeamur, &, quantum in nobis est percipere possimus aliquo sensu, vel signo, quæ dicuntur, vel aguntur: & surgere, vel genuflectere, vel tundere pectus, quoties opus sit. Probatur tum ex verbo audiendi, quod non potest alia ratione commodius explicari, tum ex Ecclesiæ praxi, iuxta quam necessarium est, adire templum, vel locum, in quo Missa celebratur. Ergo præcipitur præsentia corporalis, &, cum hæc ordinetur ad sensibiliter percipiendum verba, vel ceremonias Missæ, talis vtique præsentia præcipitur, qualis per se loquendo sufficiat moraliter ad aliquid Missæ sensu quopiam externo dignoscendum. Nam percipere sensibiliter nihil aliud est, quam aliquo externo sensu rem aduertere, vt docet *Sanch. libr. 3. de Matrim. disp. 13. nu. 9. & 11. cum alijs.*

86 Hoc explicare possumus per ea, quæ diximus *lib. 4. c. 1. qu. 3. nu. 28.* nimirum, non esse necessarium, vt materia consecrata percipiatur actualiter aliquo sensu. Quia pronomen *hoc* non denotat actualem, sed potentialem sensuum cognitionem circa materiam, quę percipi posset, nisi sub esset impedimentum. Sic licitè Sacerdos consecrat Hostias ante se positas in pyxide, quas nullo sensu percipit, & Sacerdos cæcus validè consecraret materiam præsentem, quamuis illam non videat, nec tangat, dum nouerit adesse, velitque designare pro nomine demonstratiuo. Sic etiam de facto consecrantur formulę latentes sub alijs, quia, licet ipsæ non videantur, coniunguntur alijs particulis, quæ videntur: & ita orta materia censetur sufficienter præsens, dum tamē adsit intra sphæram distantiæ proportionatam.

Sic igitur in pręsenti præsentia moralis ad audiendam Missam necessaria non requirit actualem, sed potentialem sensuum cognitionem, ita scilicet, vt eo loci simus, vnde Missam aliquo modo percipere possemus, nisi præpediremur, & vtcumque dignoscere possimus, quid agat Sacerdos, cum illoque concurrere nostro modo ad illud sacrificium offerendum, attendentes ad illa diuina misteria, quæ peraguntur in Altari. Præsens quoque dicitur Missæ: qui pène columnam templi positus, vel post plurimos anteriores, nec Sacerdotem videt, nec audit; est tamen pars multitudinis præsentis, & coniungitur moraliter cum alijs, qui prospiciunt celebrantem, dum tamen distantia tanta non sit, vt iam extrahat illum ab humana præsentia. Sic Doctores relati.

87 Vnde fit primò, surdos, & cæcos hoc præcepto ligari; quia surdus, etsi non audiat verba, potest videre cæremonias Missæ; Cæcus, quamuis non videat, potest audire verba. Qui simul est surdus, & cæcus, potest aliquo signo nosse, fieri sacrum ibi, misterium attendere, diuinum illum cultum intendere, suoque modo sacrificium offerre cum celebrante, ac omnibus circumstantibus. Ita *Fagundez supra, Cardin. de Lugo disputat. 22. num. 19. Auersa quæst. 11. sectio. 19. §. Octauò circa. Diana cum alijs par. 5. tractat. 6. Resol. 18.*

Fit secundò, non sufficere, quod aliquis adsit intra templum, vt adesse censeatur cuilibet Missæ, quæ celebratur in quouis eius Altari, sed debet assistere moraliter celebranti modo superius dicto, & arbitrio prudenti decernendum est, illum sic esse celebrationi pręsentem, vt humano modo dicatur celebrationi assistere. Nec è contra requiritur, vt audiens Missam sit intra templum, vt contingit, quando locus, in quo Missa celebratur, non capit multitudinem confluentem, tunc enim adesse dicuntur Missæ, qui sunt in Cæmeterio, vel atrio, vel in via communi ante fores templi, vt notant *Auersa supra, & Cardinal. de Lugo num. 20.* Quod, si sacrum fieret in aliqua platea, vel in via publica sufficien-

ficienter adesset, qui Missam audiret, vel videret e domo sua per ianuam, vel fenestram, quia moraliter tales sunt præsentes actioni, quæ fit in platea, vel in via, vt docet. *Filliuc. tract. 5. nu. 209.*

88 Si quis tamen è fenestra suæ domus videt, vel etiam audit Sacerdotem in aduerso templo, vel sacello celebrantem, quamuis intercedat via publica, dum nimis lata non sit, satisfacere præcepto Missam audiendi, docet *Card. de Lugo supr. n. 21.* quia perinde potest ab illa fenestra percipere Missam, ac existens intra templum ipsum. Hoc verò negant, *Auers. & Filliuc. supr. Dian. p. 4. tract. 4. Resol. 154.* quia non videtur, vel vsu, vel existimatione communi receptum, vt hæc dicatur præsentia moralis, & humana. Certè, cum casus non sit frequens, non potest communis vsus, aut sensus vtramuis partem iuuare. Durum tamen apparet, vt ille non impleat istud præceptum, qui præsens est, vbi Missam externo sensu percipit, & forsan minus distans à celebrante, quam alius intra magnum templum existens. *Fauet Gordon. to. 2. lib. 6. q. 7. c. 1. §. 3. nu. 12.* docens, audientem sacrum esse debere corpore præsentem, ita scilicet, vt possit vtcumque cognoscere, quid agatur in altari: dum autem hoc seruetur, satis esse, quamuis sit post altare, vel extra templum. Sic enim humano modo numerari potest inter illos, qui dicuntur in Canone circunstantes. Hoc verò totum planè reperitur in vno casu.

89 Præter præsentiam corporalem requiritur ad Missæ præceptum implendum intentio, dupplex autem communiter distinguitur, tam in isto, quam in alijs preceptis, altera præstandi, vel exequendi rem preceptam, altera satisfaciendi precepto per id opus. Circa primam sit dubium primum. An requiratur voluntas audiendi Missam. Communiter affirmant Doctores. Quia nullum præceptū affirmatiuum impleri potest, nisi per actum humanum, & liberum, quò velit homo facere, quod precipitur. Cum enim lex hominibus imponatur, non brutorum more, sed humano, non per animales actiones, sed per humanas implenda est, sicut nec violari potest, nisi per actum humanum, & liberum. *Ita Paludan. Durand. Sotus, Medin. quos sequitur Sanch. lib. 1. decal. c. 13. num. 2. Azor, tomo 1. lib. 7. c. 2. qu. 6. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 3. Filliuc. tractat. 5. nu 210. Bonac. de Sacram. disp. 4. qu. vlt. punct. 11. n. 21. & sequentib. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 4. num. 9. Nuñus 3. p. q. 83. art. 6. dub. 2. Castro Palaus to. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 17. num. 4. & alij plures,* qui rectè colligunt inde, ad præceptorum impletionem requiri saltem intentionem virtualem faciendi rem præceptam, & habitualem non sufficere, quia requiritur actus humanus ad præceptum affirmatiuum implendum, actus autem humanus prouenire non potest ab intentione tantum habituali, vt per se constat. Videatur, *Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. c. 26. n. 3.*

90 Et quidem hæc intentio Missam audiendi iuxta superius dicta *num. 86.* continet saltem implicitè voluntatem offerendi cum celebrante sacrificium istud, & communicandi per suam præsentiam, tam oblationi, quam orationibus, & alijs, quæ Sacerdos peculiariter præstat, & dicit nomine circumstantium. Quare, si quis sit in templo sine tali voluntate, non implet istud præceptum, quamuis interim coram illo fiat sactum, v. g. si quis adsit ebrius, aut dormiens, aut quomodolibet impos mentis, vel si maneat in templo, dum fit Sacrū ad expectandū amicū, vel alia de causa, non satisfacit præcepto, si non habet intentionē audiendi Missam illam.

91 Pro cuius maiori declaratione, notandum est, aliud esse non violare præceptum, aliud implere præceptum. Ad non violandum præceptum nulla requiritur intentio, secus ad illud implendum. Sic ebrius dormiens, amens nullam habent intentionē liberā, & tamen non violant præceptū, quia violari nequit sine cognitione, ac libertate. Verū nec implēt præceptū affirmatiuū: nam ad illud implendū requiritur libera voluntas faciendi rē

præceptâ. Ad implēdū verò præceptū negatiuū, sicut non requiritur actio, sic nec intentio, nec volūtas vlla. Nam eò ipso, quod quis nō occidat, nō furetur, implet præceptū non occidendi, non furandi. Sic *Azor, Sanch. Bonacin. Castr. Palaus supr. Suar. de legib. lib. 2. c. 10. & lib. 3. cap. 29. Salas de legib. disp. 9. sectiõn. 2.*

92 Hinc fit, si quis incipiat Missam audire, posteaque dormiat, etiam in voluntariè, per notabilem eius partem, non implere præceptum, vt cum alijs docet *Sanch in Consilijs lib. 7. c. 2. dub. 33. Cardin. de Lugo disp. 22. nu. 19. Auers. q. 11. sect. 19. §. Octauo circa.* Quia non retinet voluntatem liberam, & præsentiam humanam necessariam. Quin addunt. *Luisius de Torres in select. part. 2. disp. 16 dub. 7. Auersa, & Cardin. de Lugo supr.* si quis, dum Missam audit, raptum, vel extasim patiatur, qua prorsus alienetur à sensibus, non implere præceptum audiendi Missam, quia nec tunc habet intentionem, & præsentiam necessariam. Oppositum docent *Suar. to. 3. disput. 88. sect. 3. Fillium. tract. 5. nu. 214.* Quoniam iste voluit audire Missam, & adhibuit præsentiam necessariam ipsius auditioni, retinetque formaliter, aut virtualiter illam voluntatem, dum raptus contemplatione diuinorum perfectissimè colit Deum, quem oblatione Missæ veneramur. Certè casus rarus erit, cuius decisio forsan magis ad Theologiam mysticam, quam ad moralē pertineat.

93 Quod si quis veniat ad templum animo meditandi diuina dumtaxat, quamuis interim fiat sacrum, cui per accidens adsit in sua semper meditatione persistens, non implere præceptum audiendi Missam, quia non habuit intentionem illius audiendæ, sed solum meditandi diuina, censent, *Sanch. lib. 1. decal. c. 13. n. 3. & Bonac. de leg. disput. 1. q. 1. punct. 10. nu. 4.* Contrarium docent, *Castro Palaus n. 7. & Diana p. 3. tract. 6. Resol. 77.* Quoniam is adfuit Missæ liberè volens, ergo voluntatem habuit requisitam, ac subinde præceptum impleuit. Antecedens probatur, quia voluit adesse meditans diuina, dum coram ipso fiebat sacrum, nec talis voluntas seiungitur à morali præsentia, nec intentio meditandi diuina repugnat cum intentione Missam audiendi. Mihi videtur, si talis homo retinuit positiuam nolitionem audiendi sacrum, dum fiebat, veram esse primam sententiam, & hoc forsan intendunt eius Authores. Quia tunc verè non habet intentionem audiendi sacrum, cum illam excludat positiuè. Si verò negatiuè solum se habeat circa volitionem expressam audiendi, vel non audiendi Missam, quæ dicitur, dum ibidem ipse meditatur diuina, probabilior apparet secunda sententia.

94 Sit dubium secundum. An præceptum affirmatiuum audiendi Missam implere possit inuitus omninò, nimirum, cum reluctans teneris in templo sine vlla voluntate tua permanendi. *Victoria, teste Sala de leg. disp. 9. sect. 2. nu. 34.* probabile reputauit, illum satisfacere præcepto, qui prorsus inuitus, & reluctans audit Missam. Quoniam assistit humano modo, nimirum vtendo ratione, quamuis sine voluntate. *Fauent Sotus lib. 2. de iust. q. 3. nu. 9. & Suar. de legib. lib. 3. capit. 29. num. 4.* quatenus asserunt, illum non incurrere censuram latam in non implentes præceptum, qui prorsus inuitus impleuit præceptum, quoniam vsum rationis habet, quò tamen omninò carent ebrius, & dormiens; quare licet audiant Missam, si post ebrietatem, vel somnum audire possint, & non iterum audiant incurrent excommunicationem latam contra non audientes Missam.

Probatur, quia, licet non impleas præceptum moraliter, idest sponte, seu liberè, tamen imples exterius re ipsa, ita vt non debeas iterum facere rem præceptam, v. g. Missam audire. Sicut vrgente præcepto ieiunij, si ieiunas inuitus subtracto tibi cibo, quamuis non impleas præceptum liberè, seu moraliter, imples tamen re ipsa, si quidem reipsa cibis vetitis abstines: ac subinde

si non

si non ieiunantibus imposita fuisset censura, non illam incurres. Similiter, dum vrget præceptum eleemosynæ, vel restitutionis, vel solutionis decimarum, si dares inuitus, vel capi permitteres, quod præstare debeas: non deberes iterum dare, vel soluere, nec incurrere censuram latam contra non soluentes, quia per illam externam operationem excusatur exterior transgressio præcepti, quod satis est ad excusandam censuram.

95 Dicendum tamen est, si prorsus sis inuitus, & coactè detentus, sine vlla volitione Missam audiendi, te non implere præceptum, nec euadere censuram, si qua lata fuerit contra non audientes. Ita *Medina 1.2. quæst. 100. art. 9. Henriquez lib. 9. ca. 25. num. 4. Fagund. Præcept. 1. lib. 2. cap. 7. num. 10. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 2. qu. 5. & lib. 10. cap. 12. qu. 9. Salas de legib. disputat. 9. sect. 2. num. 34. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 4. nu. 9. Sanchez lib. 1. Decal. ca. 13. num. 5. & 6. Bonac. de legib. disput. 1. qu. 1. punct. 10. num. 6. Molina de Iustit. tract. 5. disput. 56. Castro Palaus to. 1. tractat. 3. disput. 1. punct. 17. nu. 5. qui citant alios*, & probant; quoniam vbi datur talis coactio, deficit voluntas audiendi Missam, vel præstandi rem præceptam, quę requiritur adimpletionem pręcepti. Non enim impleri potest præceptum affirmatiuum, quin efficiatur opus præceptum. At tibi non præcipitur opus necessarium, sed liberum. Ergo non imples præceptum, dum non efficis opus, quod ab interna voluntate libera possit exterius denominari liberum.

96 Ad fundamentum oppositum respondetur, nec moraliter, nec exterius re ipsa præceptum impleri, quia non fecisti rem præceptam, quæ scilicet est auditio libera sacri. Præceptum ieiunij dicit *Castro Palaus supra n. 6.* sine vlla volitione realiter exterius impleri, licet non moraliter, quia, cum sit præceptum negatiuum, non requirit actum sed negationem. *Sanchez verbo supra, & Bonacina num. 7.* censent, illum non implere præceptum ieiunij, vel sui flagellationem pœnitentiæ Sacramētali debitam, qui prorsus inuitus abstracto sibi cibo ieionaret, aut ab alio vapularet. Quia deficit voluntas, & actio humana.

Certè, si ieiunium sit præceptum affirmatiuum aliquo modo, bene discurrit *Sanchez*. Si verò sit pure negatiuum, tenendum est cum *Castro Palao*. Quoad eleemosynam, restitutionem, aut solutionem fatentur. *Castro Palaus, Sanchez, & Bonacina supra cum alijs*, non impleri præceptum ab inuito, nullam tamen in posterum obligationem remanere. Quippè, si iam necessitas pauperis leuata fuit; si iam soluto debito non retinetur alienum, nulla restat obligatio misericordię, vel iustitiæ. Non incurretur censura, nam hæc solam externam traditionem intendit, ne creditores debito defraudentur.

Si contra non audientes esset lata censura. *Medina supra. Bonac. numer. 6. Henriquez cum alijs eo num. 4. littera I.* censent, incurri, dum inuitus quis audit, quia verè non impleuit præceptum, etiā exterius, & ille defectus constare potest in externo foro. Vnde colligo, quando defectus voluntatis exterius non constaret, non incurri censuram, licet re vera non impleatur præceptum, sicut in confessione ficta, notat *Henriquez supra cum multis litt. k.* quod potest alijs præceptis applicari.

97 Sit dubium tertium. An impleat istud præceptum, qui metu graui coactus assistit Missæ? *S. Antoninus part. 2. tit. 9. cap. 10. §. 2.* dixit, famulos, qui quasi coacti comitantes herum intersunt sacro, alias non audituri, non satisfacere præcepto: Idem est de pueris, qui metu pœnæ coguntur à parentibus, vel pędagogis. *Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 3. Petrus de Ledesma tom. 1. Sum. tit. de Eucharist. cap. 27. Nuñus 3. par. qu. 83. art. 6. dub. 2. Fillius. tract. 5. n. 210.* sic accipiunt istam doctrinam, vt hi verè non satisfaciāt, si, dum assistunt Missæ, talem expressam intentionem habent, non audiremus, nisi cogeremur metu. Quia tunc non datur sufficiens voluntas ad præceptum implendum, siquidem maior est affectus

ad oppositum, & mallent, si possent, non audire Missam. Secus, si tunc audire velint, quamuis in intellectu diuino conditionalis ista vera sit. Hi non audirent, nisi metus vrgeret: nam illa conditionalis tunc nihil tollit actualis volitionis.

98 Nihilominus dicendum est, metu, quamuis graui, Missam audientes verè satisfacere præcepto. Quia voluntas coacta voluntas est sufficiens ad obseruantiam præceptorum. Nec metus tollit, sed solum minuit libertatem. Vnde talis impletio meritò censetur actus humanus, & liber, ac subinde sufficiens ad satisfaciendum præceptis, ita vt obligatio cesset iterum adimplendi. Sic sentiunt. *Sotus*, *& Azor*, *quos sequitur*, *Sanchez supr. num.* 7. *&* 8. *Bonac. num.* 5. *&* 8. *Salas num.* 33. *&* 34. *Castro Palaus cons.* 5. *Fagundez num.* 19. *Henriq. lit. G.* referens alios, qui consequenter asserunt, idem esse de voto, iuramento, pœnitentia Sacramentali, & similibus.

Et quidem, dum actualiter isti volunt audire Missam, & si coacti, conditionalisque propositio manet solum in mente diuina, nullum est ipsorum peccatum, quia Deus non imputat alicui voluntatem, quam habiturus esset, sed quam habet de præsenti contrariam legi. Quando autem voluntatem habent actualem non audiendi Missam, si possent, vel nisi metu pœnæ cogerentur, peccant mortaliter contra legem; quia debebant habere voluntatem absolutam implendi præceptum, & illud etiam cessante metu non violare. Hoc verò non tollit, quin absolutè satisfaciant præcepto, nam efficaciter volunt audire Missam, quamuis ex seruili motiuo. Sicut maior affectus ad seruandas merces non tollit, quin efficaciter velimus illas proijcere propter naufragij metum alias non proiecturi. Nam illa volitio conditionalis; non audiremus Missam, nisi cogeremur, æquiualet illi, non impleremus præceptum, nisi cogeremur, quæ tamen non tollit, quin actualiter impleamus, quod tandem fatetur ipse. *Suar. to.* 2. *de Relig. tract.* 4. *li.* 4. *c.* 26. *nu.* 12.

CAP. XIV. QVÆST. IX.

Qualis intentio requiratur ad satisfaciendum huic præcepto?

99 Nonnulli requirunt intentionem implendi præceptum. *Ita S. Antoninus part.* 2. *titul.* 9. *cap.* 10. §. 1. *Nauarrus in Enchirid. de oratione, cap.* 13. *num.* 27. quod esse probabile censet. *Ludouic. Lopez lib.* 1. *de contract. cap.* 53. *Fauet Petrus de Ledesm. tomo* 1. *summ. tractat. de Eucharist. capit.* 27. dicens, illum, qui præceptum ignorans fecit rem præceptam, non satisfacere præcepto, nisi prius generaliter voluerit quolibet opere, quamuis ignoranter facto, satisfacere præceptis, *Syluester verbo Hora*, *quæst.* 11. *num.* 14. requirit intentionem satisfaciendi præcepto, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Consonant, *Suar.* 3. *part tomo* 3. *disp.* 88. *section.* 3. *Fagundez præcep.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. *nu.* 11. *&* 12. *Henriquez lib.* 9. *c.* 25. *nu.* 6. *Nuñus q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. dicentes, illum, qui non aduertens, esse festum, audiuit Missam ex deuotione non excludens intentione contraria volitionem satisfaciendi præcepto, si quod vrgeat, non teneri rursus aliam Missam audire, quoniam virtualiter, aut interpretatiuè voluit implere præceptum.

Probatur hæc sententia, quia quodlibet præceptum obligat ad obedientiam, quæ deficere videtur, vbi non datur intentio satisfaciendi præcepto.

Confirmatur primò, quia, si non requireretur talis intentio, non esset necessaria cognitio præcepti, siquidem impleri posset ab ignorante mandatum: sed ad obseruantiam præcepti requiritur eius cognitio, qua propter, qui negligens est in cognoscendis præceptis impositis sibi, peccat. Ergo requiritur intentio satisfaciendi præcepto.

Con-

Confirmatur secundò, quia si deberes restituere centum pauperib. ob malè parta, & huius obligationis immemor totidem in eleemosynas distribuas, adhuc non extinguis debitum. Ergo requiritur ad impletionem præcepti voluntas eidem satisfaciendi.

100 Dico primò, non requiri formalem, vel actualem, & expressam intentionem satisfaciendi præcepto. Quare, licet ex ignorantia præcepti Missam audias, præcepto satisfacis, itaut aliam Missam audire non debeas. In hac conclusione ferè conueniunt relati Doctores, & insuper *Vazqu. 1.2. qu. 100. art. 9. circa litteram. Fillius. tract. 5. num. 211. Azor. to. 1. lib. 7. cap. 2. qu. 6. & lib. 10. c. 12. q. 9. Valentia 2.2. disp. 6. quæst. 2. punct. vltim. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 17. nu. 8. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 13. numero 9. Bonac. de Sacram. disp. 4. qu. vltim. punc. 11. num. 22. & de leg. disp. 1. qu. 1. punc. 10. num. 9. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 68. & 77. Cardinal. de Lugo disput. 22. num. 24.* Probant *Henriquez, Suarez, Fagund. & Nuñus.* Quoniam, qui non exclusit intentionem implendi præceptum, censetur, illam habere virtualiter, aut habitualiter, aut interpretatiuè, quod sufficit ad impletionem præcepti. Verum hanc rationem refellit *Sanchez*. Nam, vbi nulla præcessit generalis intentio satisfaciendi præceptis quolibet opere, nulla reperitur voluntas virtualis, aut habitualis satisfaciendi præcepto; voluntas autem interpretatiua, quæ nullam supponit actualem, parum conduceret ad obseruantiam legis, sicut ad meritum, vel demeritum operantis inutilis est. Quare melius *Azor. Vazquez, Valentia, Fillucius, Palaus, Bonacina, Sanchez supra rationem reddunt*; quia præcepta solum obligant ad actum præceptum re ipsa liberè præstandum, non autem ad illam internam volitionem satisfaciendi præcepto: cum nullibi talis obligatio reperiatur.

101 Vnde cum his Auctoribus dico secundò, non requiri voluntatem satisfaciendi præceptis etiam habitualem, virtualem, aut interpretatiuam diuersam ab ipsa voluntate faciendi rem præceptam. Hoc indicat *S. Thom. 2.2. quæstio. 104. artic. 3. ad 2 dicens*, posse quempiam actum virtutis implere non attendendo rationem præcepti. *Clarius Sotus de Iustitia lib. 10. qu. 5. art. 5. dicens*, præceptum audiendi Missam obligare solum ad sic audiendum, vt sit actus humanus. Probatur, quia nullum est fundamentum ad exigendam talem intentionem, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Ergo non est exigenda sub obligatione præcepti. Antecedens constabit solutione argumentorum.

Confirmatur primò, quia legislatores solam præcipiunt substantiam operationis, non intentionem vllam.

Confirmatur secundò, nam intentio satisfaciendi præcepto non requiritur ad implenda præcepta negatiua scilicet non occidendi, non furandi, nec ad affirmatiua naturalia, scilicet colendi Deū, honorandi parentes. Ergo nec ad positiua, cum eadem sit omnium ratio, requiritur vlla talis intentio.

102 Hinc colligo primò, non esse distinguendam duplicem intentionem, aliam faciendi rem præceptam, aliam satisfaciendi præcepto, quasi possit haberi prima sine secunda, saltem implicita. Nam si semel habeamus intentionem efficacem exequendi rem præceptam, simul habemus implicitam intentionem satisfaciendi præcepto; siquidem in actu exercito præceptum implemus efficiendo, quidquid præcipitur. Ita *Castro Palaus sup. n. 2.*

Colligo secundò, si quis ignorans esse diem festum, audit Missam, postea verò cognoscit, esse festum, non teneri, rursus aliam Missam audire, sed iudicare posse, se præcepto satisfecisse. Sic notant *Doctores relati supra numero 100.* Quod idem in voto, vel pœnitentia Sacramentali, vel similibus dicendum est, vt asserunt *Sanchez supra numer. 10. Lessius, Vazquez, Azor, Valentia, Laym. & alij*, quos sequitur *Bonacin. de legib. disputat. 1. quæst. 1. punct. 10 numero 11.*

modo non applicet illud opus obligationi diuersæ, v. g. qui debet Missam ex voto, & ex iniuncta pœnitentia, dum audit Missam, intendens satisfacere voto, non satisfacit pœnitentiæ, vel è contra. Si verò debeat solum ex voto, cuius immemor audit Missam, ipsi sufficienter satisfacit. Idem est de iuramento, vel pœnitentia &c.

103 Ad fundamentum oppositum respondetur, præceptum obligare solum ad obedientiam materialem, non ad formalem: nec enim obligant leges ad opus externum ex obedientiæ motiuo præstandum, imò nec ex honesto motiuo, siquidem per actum peccaminosum ex prauo motiuo possunt impleri iuxta communiorem sententiam. Sic etiam votum, vel promissio non obligat ad fidelitatem formalem, sed materialem. Ad primam confirmationem respondetur, præceptum obligare per se ad sui notitiam, quia regulariter impleri non potest, nisi cognoscatur, cum homines regulariter non exequantur opera præcepta, nisi cognoscant obligationem exequendi. Per accidens tamen expleri posse sine sui notitia, solum ex cognitione rei, quæ præcipitur, & ex eius exequenda voluntate, quin sit voluntas illam faciendi, quatenus præcepta est.

104 Ad secundam confirmationem fatemur, obligationibus iustitiæ satisfieri non posse sine voluntate satisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur solutio, non donatio, solutio verò necessariò claudit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac subinde non extinguet debitum. *Ita Bonacin. cum multis supr. nu.13. Sanch. num.11. Castro Palaus nu.*10. qui subdit, debentem restituere centum pauperibus ob male parta, quamuis immemor sit obligationis, ac subindè non habeat actualem intentionem restituendi, dum eleemosynas largitur, satisfacere posse restitutionis obligationi si quando prius generaliter voluerit, vt si forsan obligationem habeat restitutionis, ei satisfaciant eleemosynę faciendę. Nam illæ largitiones tunc non sunt eleemosinæ propriæ, seu donationes liberales, sed sunt debiti solutiones, vtpotè, quæ procedunt ex voluntate generali prætérita satisfaciendi debito.

105 Petes primò An audiens Missam, & expressè nolens satisfacere per illam, nihilominus satisfaciat. Prima sententia negat. *Ita Medina, Nauar. Vterque Ledesma, Palac. Angl. Manuel, quos sequitur Fagund. Precept.1. lib.2. c.7. n.21. & 27. Azor tomo 1. libr.7. cap.2. q.6. & libr.10. cap.8. qu.7. & cap. 12. qu.8. Nunus 3. part. qu.83. art.6 dub.2.* Tutiorem vocat illam. *Henriq. lib.9. cap.25. num.6.* valdè probabilem vocant. *Sanch. supr. n.13. Castr. Palaus n.11.* Probatur primò: Nam actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnis ff. si cert. petat. l. in agris ff. de adquir. domin.* Sed huius agentis intentio est non satisfacere præcepto per illam actionem: Ergo de facto non satisfacit. Probatur secundò. Quia lex obligat, vt velis facere rem præceptam, sed hic non vult facere rem præceptam, sed supererogationis. Siquidem expressè secludit impletionem præcepti. Non ergo satisfacit præcepto. Probatur tertiò. Nam illa voluntas non implendi præceptum per illam auditionem Missæ, cum efficax sit, debet sortiri suum effectum. Ergo tollit impletionem præcepti. Confirmatur, nam si quis vouit audire Missam, & nolit per auditionem implere votum, non implet illud. Ergo similiter in præsenti.

106 Secunda sententia probabilior affirmat. *Ita Sanch. supr. Castr. Palaus nu.12 Valent. to.3. disp.6. q.2. punct. vlt. Vazq.1.2. q.100. art.9. Aragon 2.2. q.83. art.13. Salas de legib. disp.9. sect.2. n.33. Suar. 3. p. tom.3. disp.88. sect.3. & to.2. de Religion. tractat.4. lib.4. cap.26. n.12. & de leg. libr.3. cap.29. num.12. Lessius de Iust. libr.2. capit.37. dub.10. nu.59. & capit.40. dub.6. num.42. Filliuc. tractat.5. num.211. Bonacin. de Sacramentis disp-*

disputat.4. qu. vltima punct.11. num.23. & de legib. disp.1. qu.1. punct.10. nu.19. & 20. Comnch. q.83. num.109. Layman libr.1. tractat.4. capit.4. Diana part.3. tractat.6. Resolut.68. 69. & 77. Cardinal. de Lugo disputation.22. num.24. Auersa quæst.11. sect.19.§. Addit Nuñus. Probatur primò. Nam, vt superius ostensum est, præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi, sed ad exequendam rem præceptam humano modo. Hic autem audit Missam humano modo, seu liberè. Quamuis ergo nolit præcepto satisfacere, verè satisfacit, dum exequitur verè, quod præcipitur. Nec est in operantis potestate non satisfacere præceptis, dum liberè vult exequi rem præceptam. Probatur secundò, nam, si lata fuisset censura contra non audientes Missam in festo, qui sic audiret, euitaret censuram, quia verè Missam audiuit, nec illa intentio contraria, cum sit interior, puniri potest ab Ecclesia. Signum est ergo, talem intentionem non obstare impletioni præcepti.

107 Nota primò. *Suarium, Filliucium, Aragonem, & Lessium*, supra postulare, vt audiens Missam cum intentione non satisfaciendi, mutet illam voluntatem intra tempus opportunum implendo præcepto, velitque auditione Missæ præcedentis satisfacere, quia prior auditio quoad externum actum humanum, & moralem habuit, quidquid requiritur ad præcepti substantiam implendam, defuit tamen obedientia voluntatis, quæ, si per subsequentem volitionem adiungatur cum morali relatione prioris actus ad illum finem, sufficit, vt per priorem actum sic relatum impleatur omninò præceptum.

Hanc limitationem reijciunt. *Azor. Nuñus, Castro Palaus. Cardinal. de Lugo, Salas, Sanchez, Layman, & Auersa* supra. Quia vel per illam priorem auditionem Missæ fuit impletum, præceptum, vel non: si fuit impletum, non requiritur ad eius impletionem ea voluntatis mutatio. Cum enim præceptum Missæ iam impletum sit, nullum superest præceptum, quod obliget ad eliciendum hunc actum obedientiæ. Si non fuit impletum, nihil conducet ea voluntatis mutatio, cum præstare nequeat, vt opus præteritum ex obedientia processerit. Nec requiritur obedientia formalis, sed sufficit materialis, vt dicebamus supra *num.103.* & hæc sufficienter equidem inuenitur in actu priori, dum verè fit, quod præcipitur, & si cum intentione non satisfaciendi. Quare cæteri Doctores secundæ sententiæ talis retractationis non meminerunt. *Sanchez libr.1. Decal. cap.13. num.14.* requirit, vt, qui putat, se non satisfecisse priori Missa, deponat eam conscientiam erroneam, sciens, se satisfecisse. Certè, si quis in nostro casu iudicet, se non implesse præceptum auditione priori, tenebitur ex erronea conscientia Missam aliam audire, per se verò non tenetur ad iudicandum, se satisfecisse præcepto: quia non est, vnde talis obligatio colligatur, sed per accidens tenebitur, vt erronea conscientia deponatur. Ita censet, *Salas supr.*

108 Nota secundò. Si quis audiat Missam in festo cum intentione non satisfaciendi præcepto tunc; sed postea nullo modo peccare, nec postea teneri Missam aliam audire, sed ad summum iudicare se sufficienter impleuisse præceptum, ne peccet ex conscientia erronea, si non audiat. Si verò voluntatem habet, nec satisfaciendi præcepto per illam Missam, nec aliam audiendi postea, peccat mortaliter non effectu, sed affectu; vel contra præceptum naturale diuinum, quò tenetur quilibet subijci legibus, & legislatoribus, vt ait *Sanchez supr. num.15.* vel etiam contra præceptum illud Ecclesiasticum, quod etiam prohibet, quemlibet affectum sibi contrarium, vt aiunt, *Suar. Layman, & Bonacin.* supra. Quare si nobis audire postea Missam permanens in

intentione non implendi præceptum, auditione præcedenti, peccas interno affectu contra præceptum, non autem externa præcepti violatione. Addit *Sanch. in Consil. lib. 7. cap. 2. dub. 19 nu. 6.* illum, qui Missæ partem audiuit animo nihil amplius audiendi, satisfacere post modum audiendo partem aliam.

109 Nota tertiò; quædam esse præcepta positiua, quæ, licet præcipiant actus externos, aliquam tamen specialem intentionem coexigunt. Sic recitatio diuinarum precum exigit intentionem colendi Deum illo actu: Quippè si breuiarium legeres ob discendum, vel docendum, non satisfaceres præcepto, cum talis recitatio non sit oratio. Similiter, qui tenetur ex officio ministrare Sacramenta, debet vtique, dum verba profert, habere debitam intentionem efficiendi Sacramentum; alias illa prolatio non esset vera ministratio Sacramentorum. In his itaque præceptis non solum actus exterior, sed etiam talis intentio pertinet ad rem præceptam. Sunt tamen alia præcepta, quæ non requirunt specialem intentionem satisfacientis; & in his sola requiritur voluntas exequendi rem præceptam, nimirum ieiunandi, vel abstinendi seruilibus operibus in festis. *Huc reducit Castro Palaus tomo 1. tractat. 3. disp. 1. punct. 17.* præceptum audiendi Missam; quippè si voluntatem habeas audiendi, quamuis cum intentione non satisfaciendi præcepto, nihilominus satisfacis.

Mihi verò videtur, eadem esse ratio, quò ad hoc recitationis horarum, & auditionis Missæ. Nam vtrobique non requiritur intentio satisfaciendi præcepto per hunc actum, attamen requiritur intentio colendi Deum illa recitatione, vel auditione: quoniam, si quis adesset sacro sola voluntate curiose videndi, quod ibi fiat, vel an Sacerdos ceremonias exactè peragat, non satisfaciet præcepto; quia talis auditio non est Dei cultus, nec actus etiam exterior religionis, qualis ab hoc præcepto audiendi Missam exigitur, & per consequens postulatur intentio colendi Deum illa præsentia morali, quæ sanè sufficiet, etiam si velit, expressè non satisfacere per illam auditionem.

110 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, actum non operari vltra intentionem agentis, quando pendet ab eius intentione tam actus, quam effectus ipsius. At, quando posito actu sequitur effectus necessariò, non potest actu posito per intentionem agentis impediri talis effectus. Sic in præsenti posita libera executione rei præceptæ, videlicet auditione Missæ, non potest impediri per intentionem agentis adimpletio præcepti. Quin etiam dici potest, hic actus operari, non vltra, sed iuxta intentionem agentis, efficacem tamen. Nam quoties voluntatem habes audiendi Missam, & non implendi præceptum, duplicem intentionem habes, primam efficacem præstandi rem præceptam, quæ consequenter inducit efficacem impletionem præcepti, subindéque continet virtualem intentionem efficacem implendi præcepti. Secundam inefficacem ortam ex ignorantia, vel errore, quò falsò putas, audiendo talem Missam, non impleri præceptum. Igitur ex concursu duplicis huius intentionis vincit efficax, vtpotè principalior.

111 Ad secundum respondetur, obligare leges adhoc, vt subditus velit eas obseruare, scilicet in actu exercito, volendo nimirum executionem operis iniuncti, non tamen obligant illum, vt habeat intentionem satisfaciendi præcepto per illud opus, nec intentio contraria tollit impletionem præcepti posita executione rei præceptę. Ad tertium negamus, illam intentionem non implendi præceptum esse tunc efficacem, quia cum efficaci voluntate faciendi, quod præcipitur, non est compatibilis voluntas efficax non implendi præceptum, vt diximus numero præcedenti.

Ad

112 Ad Confirmationem. *Suarez de Relig. tomo 2. lib. 4. tract. 4. c. 26. nu. 8.* fatetur, illum, qui votum emisit audiendi Missam, & illam audit, nolens tunc implere votum, illud tacitè prorogare, vel nouum votum emittere. Quippè cum obligatio voti pendeat à nobis, prolibito possumus illam nobis imponere, legis autem obligatio cum oriatur à Superioris voluntate, non potest à nobis prorogari prolibito. Consonat *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 4. nu. 8.* Cæterum probabilius, *Castro Palaus supr. n. 14. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 13. nu. 18. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 10. num. 17. Dian. p. 3. tract. 6. Resol. 77.* docent idem esse de voto, vel iuramento, dum enim verè præstas, quod vouisti, quamuis habeas intentionem non satisfaciendi, verè satisfacis, nec intendis vouere denuo, quamuis possis, sed solum priori voto per aliud opus satisfacere: quod tamen necessarium non est, cum iam sic ipsi satisfactum. Idem de pœnitentia Sacramentali docent *Castro Palaus, & Bonac. supr. Sanch. nu. 17.* præsertim cum opus offers in satisfactionem tuorum peccatorum; Imò, liceat id offeras in satisfactionem peccatorum alienorum, nisi tibi Confessarius iniunxerit expressè, pro tuis peccatis opus offerri.

113 Petes secundò. Vtrum per auditionem Missæ peccaminosam impleatur præceptum, nempè, si quis ob vanam gloriam, vel ob turpem aspectum assistat Missæ. Negant *S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 2. Maior in 4. dist. 15. q. 3. Adrianus in 4. de Confessione q. 5. dub. 4. Carthusian. in 1. dist. 17. q. 2. & in 4. dist. 17. qu. 1.* Probatur, nam omnis lex est de opere bono, non enim iustè præcipere tenet opus prauum. Ergo præceptum impleri non potest opere prauo, quod non præcipitur, sed impleri debet opere bono, quod præcipitur. Quare, si Missæ auditio quouis prauo fine, vel vitiosa circumstantia vitietur, iam est peccatum, quod nullatenus præcipitur, ac subinde, qui sic audit Missam, non facit rem præceptam.

114 Confirmimus *supra q. 8.* Attenti° *Regul. iur.* vbi dictu ad ea, quæ videntur re facit præceptum vitantur, & per confacit, & ideò iam non ectus. Deuotio, si magis non faciet præcep actum volunfine facit. Confirmatur secumptum, & *dubium, C. de legib. & leg. cont*quium, *ff. eodem tit.* vbi dicitur. Is in leg*em* 82. linquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem. Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, cui palam obstat actus vitiosus etiam ex extrinseca circumstantia, Ergo per talem actum non satisfit legi, vel præcepto, sed contra legem delinquitur.

115 Communis tamen, & vera sententia docet, per opus ex se bonum, quamuis vitiatum extrinseca circumstantia, præceptum humanum impleri. Quia præceptum humanum solum imperat actus substantiam, & modum pertinẽtem ad substantiam actus præcepti, qualis est intentio colendi Deum in oratione, conferendi, vel recipiendi Sacramentum in Sacramentorum vsu iuxta superius, *d. nu. 109.* non autem imperat modum, qui non pertineat ad substantiã actus præcepti, nec ad eius externã honestatẽ requiratur, vt probat *S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9. & 10.* Etenim actus sic factus sufficit ad externũ Dei cultum, & ad rectam Ecclesię, vel reipublicę gubernationẽ; alius verò modus extrinsecus, præsertim interior per accidẽs est operi pręcepto, & forsan extra iurisdictionem humanã Dũ ergo ponitur actus præceptus quoad substãtiã, videlicet auditio Missę, quãtũuis ex fine, vel circũstãtia vitietur, impletur pręceptũ Missę, licet peccet cõtrà pręceptũ illud, cui circũstãtia, vel finis prauus opponitur. *Ita Nau. Sot. Couarr. Azor, Ledesm. quos sequitur Sanch. lib. 1. decal. c. 14. n. 1. Valent. & Medin. quos sequitur Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 9. Suar. 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 3. & de legib. lib. 3. c. 29. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 4. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 4. n. 6. Filliuc. tr. 5. n. 213. Castr. Palaus tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 18. n. 2. Card. de Lugo de Euch. disp. 22. n. 23.*

Ad

præceptū. Ad implēdū verò præceptū negatiuū, ficut non requiritur actio, fic nec intentio, nec volūtas vlla. Nam eò ipfo, quod quis nō occidat, nō furetur, implet præceptū non occidendi, non furandi. Sic *Azor. Sanch. Bonacin. Caftr. Palaus fupr. Suar. de legib. lib.* 2. *c.* 10. *& libr.* 3. *cap.* 29. *Salas de legib. difp.* 9. *fection.* 2.

92 Hinc fit, fi quis incipiat Miffam audire, pofteàque dormiat, etiam in voluntariè, per notabilem eius partem, non implere præceptum, vt cum alijs docet. *Sanch in Confilijs lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 33. *Cardin. de Lugo difp.* 22. *nu.* 19. *Auerf. q.* 11. *fect.* 19. §. *Octano circa.* Quia non retinet voluntatem liberam, & præfentiam humanam neceffariam. Quin addunt. *Luifius de Torres in felect. part.* 2. *difp.* 16. *dub.* 7. *Auerfa, & Cardin. de Lugo fupr.* fi quis, dum Miffam audit, raptum, vel extafim patiatur, quæ prorfus alienetur à fenfibus, non implere præceptum audiendi Miffam, quia nec tunc habet intentionem, & præfentiam neceffariam. Oppofitum docent *Suar. to.* 3. *difput.* 88. *fect.* 3. *Filliuc. tract.* 5. *nu.* 214. Quoniam ifte voluit audire Miffam, & adhibuit præfentiam neceffariam ipfius auditioni, retinetque formaliter, aut virtualiter illam voluntatem, dum raptus contemplatione diuinorum perfectiffimè colit Deum, quem oblatione Miffæ veneramur. Certè cafus rarus erit, cuius decifio forfan magis ad Theologiam myfticam, quam ad moralē pertineat.

93 Quod fi quis veniat ad templum animo meditandi diuina duntaxat, quamuis interim fiat facrum, cui per accidens adfit in fua femper meditatione perfiftens, non implere præceptum audiendi Mifsam, quia non habuit intentionem illius audiendæ, fed folum meditandi diuina, cenfent, *Sanch. lib.* 1. *decal. c.* 13. *n.* 3. *& Bonac. de leg. difput.* 1. *q.* 1. *punct.* 10. *nu.* 4. Contrarium docent, *Caftro Palaus n.* 7. *& Diana p.* 3. *tract.* 6. *Refol.* 77. Quoniam is adfuit Mifsæ liberè volens, ergo voluntatem habuit requifitam, ac fubinde præceptum impleuit. Antecedens probatur, quia voluit adefse meditans diuina, dum coram ipfo fiebat facrum, nec talis voluntas feiungitur à morali præfentia, nec intentio meditandi diuina repugnat cum intentione Mifsam audiendi. Mihi videtur, fi talis homo retinuit pofitiuam nolitionem audiendi facrum, dum fiebat, veram effe primam fententiam, & hoc forfan intendunt eius Anthores. Quia tunc verè non habet intentionem audiendi facrum, cum illam excludat pofitiuè. Si verò negatiuè folum fe habeat circa volitionem expreffam audiendi, vel non audiendi Miffam, quæ dicitur, dum ibidem ipfe meditatur diuina, probabilior apparet fecunda fententia.

94 Sit dubium fecundum. An præceptum affirmatiuum audiendi Mifsam implere poffit inuitus omninò, nimirum, cum reluctans teneris in templo fine vlla voluntate tua permanendi. *Victoria, tefte Sala de leg. difp.* 9. *fect.* 2. *nu.* 34. probabile reputauit, illum fatiffacere præcepto, qui prorfus inuitus, & reluctans audit Mifsam. Quoniam affiftit humano modo, nimirum vtendo ratione, quamuis fine voluntate. *Fauent Sotus lib.* 2. *de iuft. q.* 3. *nu.* 9. *& Suar. de legib. lib.* 3. *caput.* 29. *num.* 4. quatenus afferunt, illum non incurrere cenfuram latam in non implentes præceptum, qui prorfus inuitus impleuit præceptum, quoniam vfum rationis habet, quò tamen omninò carent ebrius, & dormiens; quare licet audiant Mifsam, fi poft ebrietatem, vel fomnum audire pofsint, & non iterum audiant incurrent excommunicationem latam contra non audientes Mifsam.

Probatur, quia, licet non impleas præceptum moraliter, ideft fponte, feu liberè, tamen imples exterius re ipfa, ita vt non debeas iterum facere rem præceptam, v. g. Mifsam audire. Sicut vrgente præcepto ieiunij, fi ieiunas inuitus fubtracto tibi cibo, quamuis non impleas præceptum libere, feu moraliter, imples tamen re ipfa, fi quidem reipfa cibis vetitis abftines: ac fubinde fi non

si non ieiunantibus imposita fuisset censura, non illam incurres. Similiter, dum vrget præceptum eleemosynæ, vel restitutionis, vel solutionis decimarum, si dares inuitus, vel capi permitteres, quod præstare debeas: non deberes iterum dare, vel soluere, nec incurrere censuram latam contra non soluentes, quia per illam externam operationem excusatur exterior transgressio præcepti, quod satis est ad excusandam censuram.

95 Dicendum tamen est, si prorsus sis inuictus, & coactè detentus, sine vlla volitione Missam audiendi, te non implere præceptum, nec euadere censuram, si qua lata fuerit contra non audientes. Ita *Medina* 1.2.*quæst.*100. *art.*9. *Henriquez lib.*9.*ca.*25.*num.*4. *Fagund. Præcept.*1.*lib.* 2.*cap.*7.*num.*10. *Azor tom.*1.*lib.*7.*cap.*2. *qu.*5.& *lib.*10.*cap.*12.*qu.*9. *Salas de legib. disputat.*9.*sect.*2.*num.*34. *Layman lib.*1. *tract.*4.*cap.*4.*nu.*9. *Sanchez lib.*1. *Decal. ca.*13.*num.*5. & 6. *Bonac. de legib. disput.* 1.*qu.*1.*punct.*10.*num.*6. *Molina de Iustit. tract.*5.*disput.*56. *Castro Palaus to.*1.*tractat.*3.*disput.*1.*punct.*17. *nu.*5. *qui citant alios*, & probant; quoniam vbi datur talis coactio, deficit voluntas audiendi Missam, vel præstandi rem præceptam, quę requiritur ad impletionem pręcepti. Non enim impleri potest præceptum affirmatiuum, quin efficiatur opus præceptum. At tibi non præcipitur opus necessarium, sed liberum. Ergo non imples præceptum, dum non efficis opus, quod ab interna voluntate libera possit exterius denominari liberum.

96 Ad fundamentum oppositum respondetur, nec moraliter, nec exterius re ipsa præceptum impleri, quia non fecisti rem præceptam, quæ scilicet est auditio libera sacri. Præceptum ieiunij dicit *Castro Palaus supra n.*6. sine vlla volitione realiter exterius impleri, licet non moraliter, quia, cum sit præceptum negatiuum, non requirit actum sed negationem. *Sanchez verbo supra*, & *Bonacina num.*7. censent, illum non implere præceptum ieiunij, vel sui flagellationem pœnitentiæ Sacramẽtali debitam, qui prorsus inuitus abstracto sibi cibo ieiunaret, aut ab alio vapularet. Quia deficit voluntas, & actio humana.

Certè, si ieiunium sit præceptum affirmatiuum aliquo modo, bene discurrit *Sanchez*. Si verò sit purè negatiuum, tenendum est cum *Castro Palao*. Quoad eleemosynam, restitutionem, aut solutionem fatentur *Castro Palaus*, *Sanchez*, & *Bonacina supra cum alijs*, non impleri præceptum ab inuito; nullam tamen in posterum obligationem remanere. Quippè, si iam necessitas pauperis leuata fuit; si iam soluto debito non retinetur alienum, nulla restat obligatio misericordię, vel iustitiæ. Non incurretur censura, nam hæc solam externam traditionem intendit, ne creditores debito defraudentur.

Si contra non audientes esset lata censura. *Medina supra. Bonac. numer.*6. *Henriquez cum alijs eo num.*4. *littera I.* censent, incurri, dum inuitus quis audit, quia verè non impleuit præceptum, etiã exterius, & ille defectus constare potest in externo foro. Vnde colligo, quando defectus voluntatis exterius non constaret, non incurri censuram, licet re vera non impleatur præceptum, sicut in confessione ficta, notat *Henriquez supra cum multis litt.k.* quod potest alijs præceptis applicari.

97 Sit dubium tertium. An impleat istud præceptum, qui metu graui coactus assistit Missæ? *S. Antoninus part.*2. *tit.*9.*cap.*10.§.2. dixit, famulos, qui quasi coacti comitantes herum intersunt sacro, alias non audituri, non satisfacere præcepto: Idem est de pueris, qui metu pœnæ coguntur à parentibus, vel pędagogis. *Suar. tom.*3. *disp.*88. *sect.*3. *Petrus de Ledesma tom.*1. *Sum. tit. de Eucharist. cap.*27. *Nuñus* 3. *par. qu.*83. *art.*6. *dub.*2. *Filliuc. tract.*5.*n.*210. sic accipiunt istam doctrinam, vt hi verè non satisfaciãt, si, dum assistunt Missæ, talem expressam intentionem habent, non audiremus, nisi cogeremur metu. Quia tunc non datur sufficiens voluntas ad præceptum implendum, siquidem maior est affectus

ad oppositum, & mallent, si possent, non audire Missam. Secus, si tunc audire velint, quamuis in intellectu diuino conditionalis ista vera sit. Hi non audirent, nisi metus vrgeret: nam illa conditionalis tunc nihil tollit actualis volitionis.

98 Nihilominus dicendum est, metu, quamuis graui, Missam audientes verè satisfacere præcepto. Quia voluntas coacta voluntas est sufficiens ad obseruantiam præceptorum. Nec metus tollit, sed solum minuit libertatem. Vnde talis impletio meritò censetur actus humanus, & liber, ac subinde sufficiens ad satisfaciendum præceptis, ita vt obligatio cesset iterum adimplendi. Sic sentiunt. *Sotus, & Azor, quos sequitur, Sanchez supr. num. 7. & 8. Bonac. num. 5. & 8. Salas num. 33. & 34. Castro Palans consf. 5. Fagundez num. 19. Henriq. lit. G.* referens alios, qui consequenter asserunt, idem esse de voto, iuramento, pœnitentia Sacramenrali, & similibus.

Et quidem, dum actualiter illi volunt audire Missam, & si coacti, conditionalisque propositio manet solum in mente diuina, nullum est ipsorum peccatum, quia Deus non imputat alicui voluntatem, quam habiturus esset, sed quam habet de præsenti conrrariam legi. Quando autem voluntatem habent actualem non audiendi Missam, si possent, vel nisi metu pœnæ cogerentur, peccant mortaliter contra legem; quia debebant habere voluntatem absolutam implendi præceptum, & illud etiam cessante metu non violare. Hoc verò non tollit, quin absolutè satisfaciant præcepto, nam efficaciter volunt audire Missam, quamuis ex seruili motiuo. Sicut maior affectus ad seruandas merces non tollit, quin efficaciter velimus illas proijcere propter naufragij metum aliàs non proiecturi. Nam illa volitio conditionalis; non audiremus Missam, nisi cogeremur, æquiualet illi, non impleremus præceptum, nisi cogeremur, quæ tamen non tollit, quin actualiter impleamus, quod tandem fatetur ipse. *Suar. to. 2. de Relig. tract. 4. li. 4. c. 26. nu. 12.*

CAP. XIV. QVÆST. IX.

Qualis intentio requiratur ad satisfaciendum huic præcepto?

99 NOnnulli requirunt intentionem implendi præceptum. *Ita S. Antoninus part. 2. titul. 9. cap. 10. §. 1. Nauarrus in Enchirid. de oratione, cap. 13. num. 27.* quod esse probabile censet. *Ludouic. Lopez. lib. 1. de contract. cap. 53. Fauet Petrus de Ledesm. tomo 1. summ. tractat. de Eucharist. capit. 27.* dicens, illum, qui præceptum ignorans fecit rem præcepram, non satisfacere præcepto, nisi prius generaliter voluerit quolibet opere, quamuis ignoranter facto, satisfacere præceptis. *Syluester verbo Horæ, quæst. 11. num. 14.* requirit intentionem satisfaciendi præcepto, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Consonant, *Suar. 3. part tomo 3. disp. 88. section. 3. Fagundez præcep. 1. lib. 2. c. 7. nu. 11. & 12. Henriquez lib. 9. c. 25. nu. 6. Nuñus q. 83. art. 6. dub. 2.* dicentes, illum, qui non aduertens, esse festum, audiuit Missam ex deuotione non excludens intentione contraria volitionem satisfaciendi præcepto, si quod vrgeat, non teneri rursus aliam Missam audire, quoniam virtualiter, aut interpretatiuè voluit implere præceptum.

Probatur hæc sententia, quia quodlibet præceptum obligat ad obedientiam, quæ deficere videtur, vbi non datur intentio satisfaciendi præcepto.

Confirmatur primò, quia, si non requireretur talis intentio, non esset necessaria cognitio præcepti, siquidem impleri posset ab ignorante mandatum: sed ad obseruantiam præcepti requiritur eius cognitio, qua propter, qui negligens est in cognoscendis præceptis impositis sibi, peccat. Ergo requiritur intentio satisfaciendi præcepto.

Con-

Confirmatur secundò, quia si deberes restituere centum pauperib. ob malè parta, & huius obligationis immemor totidem in eleemosynas distribuas, adhuc non extinguis debitum. Ergo requiritur ad impletionem præcepti voluntas eidem satisfaciendi.

100 Dico primò, non requiri formalem, vel actualem, & expressam intentionem satisfaciendi præcepto. Quare, licet ex ignorantia præcepti Missam audias, præcepto satisfacis, itaut aliam Missam audire non debeas. In hac conclusione ferè conueniunt relati Doctores, & insuper *Vazqu. 1.2. qu. 100. art. 9. circa literam. Filliuc. tract. 5. num. 211. Azor. to. 1. lib. 7. cap. 2. qu. 6. & lib. 10. c. 12. q. 9. Valentia 2.2. disp. 6. quæst. 2. punct. vltim. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 17. nu. 8. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 13. numero 9. Bonac. de Sacram. disp. 4. qu. vltim. punc. 11. num. 22. & de leg. disp. 1. qu. 1. punc. 10. num. 9. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 68. & 77. Cardinal. de Lugo disput. 22. num. 24.* Probant *Henriquez, Suarez, Fagund. & Nuñus.* Quoniam, qui non exclusit intentionem implendi præceptum, censetur, illam habere virtualiter, aut habitualiter, aut interpretatiuè, quod sufficit ad impletionem præcepti. Verum hanc rationem refellit *Sanchez*. Nam, vbi nulla præcessit generalis intentio satisfaciendi præceptis quolibet opere, nulla reperitur voluntas virtualis, aut habitualis satisfaciendi præcepto; voluntas autem interpretatiua, quæ nullam supponit actualem, parum conduceret ad obseruantiam legis, sicut ad meritum, vel demeritum operantis inutilis est. Quare melius *Azor, Vazquez, Valentia, Filliucius, Palaus, Bonacina, Sanchez supra rationem reddunt*; quia præcepta solum obligant ad actum præceptum re ipsa liberè præstandum, non autem ad illam internam volitionem satisfaciendi præcepto: cum nullibi talis obligatio reperiatur.

101 Vnde cum his Auctoribus dico secundò, non requiri voluntatem satisfaciendi præceptis etiam habitualem, virtualem, aut interpretatiuam diuersam ab ipsa voluntate faciendi rem præceptam. Hoc indicat *S. Thom. 2.2. quæstio. 104. artic. 3. ad 2. dicens*, posse quempiam actum virtutis implere non attendendo rationem præcepti. *Clarius Sotus de Iustitia lib. 10. qu. 5. art. 5. dicens*, præceptum audiendi Missam obligare solum ad sic audiendum, vt sit actus humanus. Probatur, quia nullum est fundamentum ad exigendam talem intentionem, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Ergo non est exigenda sub obligatione præcepti. Antecedens constabit solutione argumentorum.

Confirmatur primò, quia legislatores solam præcipiunt substantiam operationis, non intentionem vllam.

Confirmatur secundò, nam intentio satisfaciendi præcepto non requiritur ad implenda præcepta negatiua scilicet non occidendi, non furandi, nec ad affirmatiua naturalia, scilicet colendi Deū, honorandi parentes. Ergo nec ad positiua, cum eadem sit omnium ratio, requiritur vlla talis intentio.

102 Hinc colligo primò, non esse distinguendam duplicem intentionem, aliam faciendi rem præceptam, aliam satisfaciendi præcepto, quasi possit haberi prima sine secunda, saltem implicita. Nam si semel habeamus intentionem efficacem exequendi rem præceptam, simul habemus implicitam intentionem satisfaciendi præcepto; siquidem in actu exercito præceptum implemus efficiendo, quidquid præcipitur. Ita *Castro Palaus sup. n. 2.*

Colligo secundò, si quis ignorans esse diem festum, audit Missam, postea verò cognoscit esse festum, non teneri, rursus aliam Missam audire, sed iudicare posse, se præcepto satisfecisse. Sic notant *Doctores relati supra numero 100.* Quod idem in voto, vel pœnitentia Sacramentali, vel similibus dicendum est, vt asserunt *Sanchez supra numer. 10. Lessius, Vazquez, Azor, Valentia, Laym. & alij*, quos sequitur *Bonacin. de legib. disputat. 1. quæst. 1. punct. 10 numero 11.*

modo non applicet illud opus obligationi diuersæ, v. g. qui debet Missam ex voto, & ex iniuncta pœnitentia, dum audit Missam, intendens satisfacere voto, non satisfacit pœnitentiæ, vel è contra. Si verò debeat solum ex voto, cuius immemor audit Missam, ipsi sufficienter satisfacit. Idem est de iuramento, vel pœnitentia &c.

103 Ad fundamentum oppositum respondetur, præceptum obligare solum ad obedientiam materialem, non ad formalem: nec enim obligant leges ad opus externum ex obedientiæ motiuo præstandum, imò nec ex honesto motiuo, siquidem per actum peccaminosum ex prauo motiuo possunt impleri iuxta communiorem sententiam. Sic etiam votum, vel promissio non obligat ad fidelitatem formalem, sed materialem. Ad primam confirmationem respondetur, præceptum obligare per se ad sui notitiam, quia regulariter impleri non potest, nisi cognoscatur, cum homines regulariter non exequantur opera præcepta, nisi cognoscant obligationem exequendi. Per accidens tamen expleri posse sine sui notitia, solum ex cognitione rei, quæ præcipitur, & ex eius exequenda voluntate, quin sit voluntas illam faciendi, quatenus præcepta est.

104 Ad secundam confirmationem fatemur, obligationibus iustitiæ satisfieri non posse sine voluntate satisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur solutio, non donatio, solutio verò necessariò claudit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac subinde non extinguet debitum. *Ita Bonacin. cum multis supr. nu.13. Sanch. num.11. Castro Palaus nu.*10. qui subdit, debentem restituere centum pauperibus ob male parta, quamuis immemor sit obligationis, ac subindè non habeat actualem intentionem restituendi, dum eleemosynas largitur, satisfacere posse restitutionis obligationi si quando prius generaliter voluerit, vt si forsan obligationem habeat restitutionis, ei satisfaciant eleemosynę faciendę. Nam illæ largitiones tunc non sunt eleemosinæ propriæ, seu donationes liberales, sed sunt debiti solutiones, vtpotè, quæ procedunt ex voluntate generali præterita satisfaciendi debito.

105 Petes primò. An audiens Missam, & expresse nolens satisfacere per illam, nihilominus satisfaciat. Prima sententia negat. *Ita Medina, Nauar. Vterque Ledesma, Palac. Angl. Manuel, quos sequitur Fagund. Precept.1.lib.2.c.7.n.21. & 27. Azor tomo 1. libr.7.cap.2. q.6. & libr.10.cap.8.qu.7. & cap. 12.qu.8. Nunus 3. part. qu.83.art.6 dub.2.* Tutiorem vocat illam. *Henriq.lib.9.cap.25.num.6.* valdè probabilem vocant. *Sanch. supr. n.13. Castr. Palaus n.11.* Probatur primò: Nam actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnis ff. si cert. petat. l.in agris ff. de adquir. domin.* Sed huius agentis intentio est non satisfacere præcepto per illam actionem. Ergo de facto non satisfacit. Probatur secundò. Quia lex obligat, vt velis facere rem præceptam, sed hic non vult facere rem præceptam, sed supererogationis. Siquidem expressè secludit impletionem præcepti. Non ergo satisfacit præcepto. Probatur tertiò. Nam illa voluntas non implendi præceptum per illam auditionem Missæ, cum efficax sit, debet sortiri suum effectum. Ergo tollit impletionem præcepti. Confirmatur, nam si quis vouit audire Missam, & nolit per auditionem implere votum, non implet illud. Ergo similiter in præsenti.

106 Secunda sententia probabilior affirmat. *Ita Sanch. supr. Castr. Palaus nu.12 Valent. to.3. disp.6. q.2. punct. vlt. Vazq.1.2.q.100. art.9. Aragon 2.2.q.83. art.13. Salas de legib. disp.9. sect.2.n.33. Suar. 3. p.tom.3. disp.88. sect.3. & to.2. de Religion. tractat.4. lib.4.cap.26. n.12. & de leg. libr.3. cap.29. num.12. Lessius de Iust. libr.2. capit.37. dub.10. nu.59. & capit.40. dub.6. num.42. Filliuc. tractat.5. num.211. Bonacin de Sacramento*

dispu-

disputat.4. qu. vltima punct.11.num.23. & de legib.disp.1. qu.1. punct.10. nu.19. & 20. Comnch.q.83. num.209. Layman libr.1. tractat.4. capit.4. Diana part.3. tractat.6. Resolut.68. 69. & 77. Cardinal. de Lugo disputation.22. num.24. Auersa quaest.11.sect.19.§.Addit Nuñus. Probatur primò. Nam, vt superius ostensum est, præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi, sed ad exequendam rem præceptam humano modo. Hic autem audit Missam humano modo, seu liberè. Quamuis ergo nolit præcepto satisfacere, verè satisfacit, dum exequitur verè, quod præcipitur. Nec est in operantis potestate non satisfacere præceptis, dum liberè vult exequi rem præceptam. Probatur secundò, nam, si lata fuisset censura contra non audientes Missam in festo, qui sic audiret, euitaret censuram, quia verè Missam audiuit, nec illa intentio contraria, cum sit interior, puniri potest ab Ecclesia. Signum est ergo, talem intentionem non obstare impletioni præcepti.

107 Nota primò. *Suarium, Filliucium, Aragonem, & Lessium*, supra postulare, vt audiens Missam cum intentione non satisfaciendi, mutet illam voluntatem intra tempus opportunum implendo præcepto, velitque auditione Missæ præcedentis satisfacere, quia prior auditio quoad externum actum humanum, & moralem habuit, quidquid requiritur ad præcepti substantiam implendam, defuit tamen obedientia voluntatis, quæ, si per subsequentem volitionem adiungatur cum morali relatione prioris actus ad illum finem, sufficit, vt per priorem actum sic relatum impleatur omninò præceptum.

Hanc limitationem reijciunt. *Azor. Nuñus, Castro Palaus. Cardinal. de Lugo, Salas, Sanchez, Layman, & Auersa* supra. Quia vel per illam priorem auditionem Missæ fuit impletum, præceptum, vel non: si fuit impletum, non requiritur ad eius impletionem ea voluntatis mutatio. Cum enim præceptum Missæ iam impletum sit, nullum superest præceptum, quod obliget ad eliciendum hunc actum obedientiæ. Si non fuit impletum, nihil conducet ea voluntatis mutatio, cum præstare nequeat, vt opus præteritum ex obedientia processerit. Nec requiritur obedientia formalis, sed sufficit materialis, vt dicebamus supra *num.103.* & hæc sufficienter equidem inuenitur in actu priori, dum verè fit, quod præcipitur, & si cum intentione non satisfaciendi. Quare cœteri Doctores secundæ sententiæ talis retractationis non meminerunt. *Sanchez libr.1. Decal.cap.13. num.14.* requirit, vt, qui putat, se non satisfecisse priori Missa, deponat eam conscientiam erroneam, sciens, se satisfecisse. Certè, si quis in nostro casu iudicet, se non implesse præceptum auditione priori, tenebitur ex erronea conscientia Missam aliam audire, per se verò non tenetur ad iudicandum, se satisfecisse præcepto: quia non est, vnde talis obligatio colligatur, sed per accidens tenebitur, vt erronea conscientia deponatur. Ita censet, *Salas supr.*

108 Nota secundò. Si quis audiat Missam in festo cum intentione non satisfaciendi præcepto tunc, sed postea nullo modo peccare, nec postea teneri Missam aliam audire, sed ad summum iudicare se sufficienter impleuisse præceptum, ne peccet ex conscientia erronea, si non audiat. Si verò voluntatem habet, nec satisfaciendi præcepto per illam Missam, nec aliam audiendi postea, peccat mortaliter non effectu, sed affectu; vel contra præceptum naturale diuinum, quò tenetur quilibet subijci legibus, & legislatoribus, vt ait *Sanchez supr.num.15.* vel etiam contra præceptum illud Ecclesiasticum, quod etiam prohibet, quemlibet affectum sibi contrarium, vt aiunt, *Suar. Layman, & Bonacin.* supra. Quare si nobis audire postea Missam permanens in

intentione non implendi præceptum, auditione præcedenti, peccas interno affectu contra præceptum, non autem externa præcepti violatione. Addit *Sanch. in Consil. lib.7.cap.2.dub.19 nu.6.* illum, qui Missæ partem audiuit animo nihil amplius audiendi, satisfacere post modum audiendo partem aliam.

109 Nota tertiò; quædam esse præcepta positiua, quæ, licet præcipiant actus externos, aliquam tamen specialem intentionem coexigunt. Sic recitatio diuinarum precum exigit intentionem colendi Deum illo actu: Quippè si breuiarium legeres ob discendum, vel docendum, non satisfaceres præcepto, cum talis recitatio non sit oratio. Similiter, qui tenetur ex officio ministrare Sacramenta, debet vtique, dum verba profert, habere debitam intentionem efficiendi Sacramentum; alias illa prolatio non esset vera ministratio Sacramentorum. In his itaque præceptis non solum actus exterior, sed etiam talis intentio pertinet ad rem præceptam. Sunt tamen alia præcepta, quæ non requirunt specialem intentionem satisfacientis; & in his sola requiritur voluntas exequendi rem præceptam, nimirum ieiunandi, vel abstinendi seruilibus operibus in festis. *Huc reducit Castro Palaus tomo 1. tractat.3. disp.1. punct.17.* præceptum audiendi Missam; quippè si voluntatem habeas audiendi, quamuis cum intentione non satisfaciendi præcepto, nihilominus satisfacis.

Mihi verò videtur, eadem esse ratio, quò ad hoc recitationis horarum, & auditionis Missæ. Nam vtrobique non requiritur intentio satisfaciendi præcepto per hunc actum, attamen requiritur intentio colendi Deum illa recitatione, vel auditione: quoniam, si quis adesset sacro sola voluntate curiose videndi, quod ibi fiat, vel an Sacerdos ceremonias exactè peragat, non satisfaceret præcepto, quia talis auditio non est Dei cultus, nec actus etiam exterior religionis, qualis ab hoc præcepto audiendi Missam exigitur, & per consequens postulatur intentio colendi Deum illa præsentia morali, quæ sanè sufficiet, etiam si velis, expressè non satisfacere per illam auditionem.

110 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, actum non operari vltra intentionem agentis, quando pendet ab eius intentione tam actus, quam effectus ipsius. At, quando posito actu sequitur effectus necessariò, non potest actu posito per intentionem agentis impediri talis effectus. Sic in præsenti posita libera executione rei præceptæ, videlicet auditione Missæ, non potest impediri per intentionem agentis adimpletio præcepti. Quin etiam dici potest, hic actus operari non vltra, sed iuxta intentionem agentis, efficacem tamen. Nam quoties voluntatem habes audiendi Missam, & non implendi præceptum, duplicem intentionem habes, primam efficacem præstandi rem præceptam, quæ consequenter inducit efficacem impletionem præcepti, subindéque continet virtualem intentionem efficacem implendi præcepti. Secundam inefficacem ortam ex ignorantia, vel errore, quò falsò putas, audiendo talem Missam, non impleri præceptum. Igitur ex concursu duplicis huius intentionis vincit efficax, vtpotè principalior.

111 Ad secundum respondetur, obligare leges adhoc, vt subditus velit eas obseruare, scilicet in actu exercito, volendo nimirum executionem operis iniuncti, non tamen obligant illum, vt habeat intentionem satisfaciendi præcepto per illud opus, nec intentio contraria tollit impletionem præcepti posita executione rei præceptę. Ad tertium negamus, illam intentionem non implendi præceptum esse tunc efficacem, quia cum efficaci voluntate faciendi, quod præcipitur, non est compatibilis voluntas efficax non implendi præceptum, vt diximus numero præcedenti.

112 Ad Confirmationem. *Suarez de Relig. tomo 2. lib. 4. tract. 4. c. 26. nu. 8.* fatetur, illum, qui votum emisit audiendi Missam, & illam audit, nolens tunc implere votum, illud tacitè prorogare, vel nouum votum emittere. Quippè cum obligatio voti pendeat à nobis, prolibito possumus illam nobis imponere, legis autem obligatio cum oriatur à Superioris voluntate, non potest à nobis prorogari prohibito. Consonat *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 4. nu. 8.* Cæterum probabilius, *Castro Palaus supr. n. 14. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 13. nu. 18. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 10. num. 17. Dian. p. 3. tract. 6. Resol. 77.* docent idem esse de voto, vel iuramento, dum enim verè præstas, quod vouisti, quamuis habeas intentionem non satisfaciendi, verè satisfacis, & nec intendis vouere denuo, quamuis possis, sed solum priori voto per aliud opus satisfacere: quod tamen necessarium non est, cum iam sit ipsi satisfactum. Idem de pœnitentia Sacramentali docent. *Castro Palaus, & Bonac. supr. Sanch. nu. 17.* præsertim cum opus offers in satisfactionem tuorum peccatorum; Imò, liceat id offeras in satisfactionem peccatorum alienorum, nisi tibi Confessarius iniunxerit expressè, pro tuis peccatis opus offerri.

113 Petes secundò. Vtrum per auditionem Missæ peccaminosam impleatur præceptum, nempè, si quis ob vanam gloriam, vel ob turpem aspectum assistat Missæ. Negant *S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 2. Maior in 4. dist. 15. q. 3. Adrianus in 4. de Confessione q. 5. dub. 4. Carthusian. in 4. dist. 17. q. 2. & in 4. dist. 17. qu. 1.* Probatur, nam omnis lex est de opere bono, non enim iustè præcipere potest opus prauum. Ergo præceptum impleri non potest opere prauo, quod non præcipitur, sed impleri debet opere bono, quod præcipitur. Quare, si Missæ auditio quouis prauo fine, vel vitiosa circumstantia vitietur, iam est peccatum, quod nullatenus præcipitur, ac subinde, qui sic audit Missam, non facit rem præceptam.

114 Confirmatur primò, *ex cap. 8. de Regul. iur.* vbi dicit *August.* Qui ex timore facit præceptum aliter, quam debeat, facit, & ideò iam non facit. Ergo multò magis non faciet præceptum, qui malo fine facit. Confirmatur secundò, ex *l. non dubium, C. de legib. & leg. contra legem, ff. eodem tit.* vbi dicitur. Is in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem. Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, cui palam obstat actus vitiosus etiam ex extrinseca circumstantia, Ergo per talem actum non satisfit legi, vel præcepto, sed contra legem delinquitur.

115 Communis tamen, & vera sententia docet, per opus ex se bonum, quamuis vitiatum extrinseca circumstantia, præceptum humanum impleri. Quia præceptum humanum solum imperat actus substantiam, & modum pertinētem ad substantiam actus præcepti, qualis est intentio colendi Deum in oratione, conferendi, vel recipiendi Sacramentum in Sacramentorum vsu iuxta superius, *d. nu. 109.* non autem imperat modum, qui non pertineat ad substantiā actus præcepti, nec ad eius externā honestatē requiratur. vt probat *S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9. & 10.* Etenim actus sic factus sufficit ad externū Dei cultum, & ad rectam Ecclesiæ, vel reipublicæ gubernationē; alius verò modus extrinsecus, præsertim interior per accidēs est operi præcepto, & forsan extra iurisdictionem humanā. Dū ergo ponitur actus præceptus quoad substātiā, videlicet auditio Missæ, quātūuis ex fine, vel circūstātia vitietur, impletur præceptū Missæ, licet peccet cōtrā præceptū illud, cui circūstātia, vel finis prauus opponitur. *Ita Nau. Sot. Couarr. Azor, Ledesm. quos sequitur Sanch. lib. 1. decal. c. 14. n. 1. Valen. & Medin. quos sequitur Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 9. Suar. 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 3. & de legib. lib. 3. c. 29. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 4. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 4. n. 6. Filliuc. tr. 5. n. 213. Cast. Palaus tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 18. n. 2. Card. de Lugo de Euch. disp. 22. n. 23.*

Ad

116 Ad fundamentum oppositum respondetur, auditionem Missæ factam ob prauum finem esse vitiosam, extrinsecè tamen: vitium autem extrinsecum non impedit impletionem humani præcepti, quia non tollit, quominus talis auditio sit ex se bona, quæ solum est materia talis præcepti.

Ad primam confirmationem respondetur, facientem ex timore præceptum, aliàs non facturum, non implere præceptum quoad rectitudinem affectus, ita ut præmium mereatur apud Deum: benè tamen in effectu, siue quoad Ecclesiam.

Ad secundam confirmationem respondetur, duplicem esse legislatoris intentionem, primam de re præcepta, secundam de fine per præceptum assequendo. Prima censetur forma legis, & ideo, qui facit aduersus illam, peccat in legem Secunda censetur extrinseca; Quare peccans in illam non censetur legis transgressor.

117 Hinc fit, si quis ex pœnitentia, voto, vel iuramento teneatur audire Missam, & illam audiat ob prauum finem, satisfacere nihilominus his obligationibus; nam omnes ligant instar cuiusdam legis, & præcepti. De pœnitentia Sacramentali. Sic docet *Suar. 3. part. tom. 4. disputat. 38. sect. 8. nu. 1.* de voto, quamuis aliqui negent, quia votum requirit materiam vndequaque bonam; Affirmat tamen *Vazquez 1. 2. qu. 100. art. 9. circa litteram. num. 11. de omnibus affirmant Bonac. supra. Sanch. num. 2. & 3. Castro Palaus num. 4.* Quamuis enim non satisfaciat fini, qui per pœnitentiam, aut votum intenditur; scilicet cultus Dei, vel satisfactio pro peccatis; satisfacit equidem materiæ pœnitentiæ, vel voti, si rem ex se honestam offerat, etsi vitiatam extrinseca circumstantia. Quippè, sicut finis extrinsecus legis non cadit sub legem, videlicet maceratio carnis non cadit sub legem ieiunij; sic finis extrinsecus pœnitentiæ, vel voti non cadit sub ipsorum obligationem.

CAP. XIV. QVÆST. X.

Qualis attentio requiratur in auditione Missæ?

118 SVppono primò, duplicem attentionem distingui .s. internam, & externam; hæc petit, vt quis adsit Missæ cum externa reuerentia, religioso, ac humano modo; ita vt verè dici possit, hic, & nunc actum externæ religionis exercere, atque cum celebrante in precibus externis communicare. Quapropter omnem externam vagationem, distractionem, & occupationem excludit, quæ non compatiatur secum externam reuerentiam, & religiosam assistentiam. Attentio verò interna continet mentis considerationem, vel circa verba, vel circa sensum verborum, vel circa Deũ, cui cultus religiosus exhibetur, vt notat *Sanctus Thomas 2. 2. quæstio. 83. artic. 13. Nauarrus de Oratione cap. 13. numero 4.* dicens, secundam esse perfectiorem primatertiam vtraque. *Layman lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 9.* vocat primam superficialem, quia verba solum attendit, vt integrè, rectèque proferantur: secundam vocat litteralem ad sensum verborum: tertiam spiritualem ad Deum.

119 Suppono secundò, iuxta Doctores infra citandos, requiri saltem attentionem externam ad istud præceptum implendum; nam aliàs non dicetur Fidelis decenter, ac religiosè Missam audire. Quare, qui, dum Missam audit, pingeret, vel scriberet, vel dictaret, vel obiecta diuersa circumspiceret, vel colloqueretur cum aliis, peccaret contra præceptum Ecclesiæ. Quod si fit occupatio, vel confabulatio diuturna continuò durans magna parte Missæ, graue peccatũ erit, quia grauiter repugnat actui per Ecclesiam imperato. Secus esset, si solum interruptim aliquot verba misceret, vel aliquid curiosè conspiceret, & postea Missæ reuerenter attenderet; tũc enim secluso scandalo peccatum esset veniale. Sic intelligendus est *Sotus in 4. distin-*

distinct.13.qu.2. art.1. dum absolutè dicit, confabulantes in sacro satisfacere præcepto Ecclesiæ, quod sine moderatione posita videtur esse falsum, vt bene notat *Comnch.q.83.num.198.*

120 Hinc colligunt *Suar.3. par.tom.3. disput.88.sect.3. Azor.tom.1.lib.7.cap.5. quæst.1. Esllsuc.tract.5.num.216. Bonac. de Sacrament.disput.4.qu.vltima punct. 11.num.24. Fagund.Præcept.1. lib.2 cap. 7.num.5. Henriquez lib.9.cap.25. num.5. cum alijs, non esse probabile,* quod docuit *Medina Cod.de Confess.qu. de pœnitent.* tempore Missæ impleta, nimirum, si quis iugiter confabuletur, dū audit missam, aut alia negotia cum mercatoribus tractet; nihilominus implere præceptum, quoniam implet eius substantiam, licet agat contra finem ipsius. Et quidem falsitas huius doctrinæ patet, nam attentio saltem exterior non est solum finis huius præcepti, sed etiam eius substantia, quatenus præcipitur actus externus humanus, & religiosus. Aduertunt tamen *Suar. & Esllsuc.supra*, si colloquia non essent de re seria, nec nimis attenta, quæ subindè non impediant attentionem Missæ necessariam, non fore graue peccatum, & sic exponi posse *Medinam*.

121 Hinc etiam colligunt *Cardin. de Lugo disput.22.num.36. Sanch.in Consil. lib.7.cap.2.dub.33.num.2.* illum, qui dormit per maiorem partem Missę voluntariè, vel etiam inuoluntariè, non implere præceptum istud, quia non habet attentionem necessariam, quare tenetur aliam Missam audire, secus, si per partem non notabilem, sed exiguam, opprimeretur à somno, & ita resistit, vt aduertat, se Missam integram audire, quamuis ob molestiam somni non attendat ad significationem, nec ad aliam meditationem, non peccare saltem mortaliter; nam hic habet attentionem necessariam ad orationem, & ad auditionem Missæ. Sic *Sanchez supra num.1. cum alijs.*

122 His positis restat quęstio. An interior attentio requiratur ad hoc pręceptum implendum, & eadem est de recitatione Canonicarum horarum ex pręcepto. Ac vtraque pendet ab illa quæstione, vtrum lex humana, vel Ecclesiastica pręcipere possit actus internos? In qua prima sententia simpliciter affirmat, etiam directè pręcipi posse per humanam potestatem. Ita *Gloss. in cap. Cogitationis de pœnitentia distinct.1. & in Clement.1. de Heret. §. Verum. verbo eo ipso. Adrian. quodlib.8.artic.1. littera H. & sequentib. Medina Cod. de Orat. quæst. 15. de hac re Albertus Pighius libro 6. de Ecclesiast. Hierarch. cap.26. Rosella Absolutio 1. num.28. & 29. Iulius Clarus li. 5. sentent. §. vltim. qu.91. & plures Iuristæ, quos refert Salas de leg. disp.9.sect.1.* cum multis huius partis argumentis. Probabilem *dicit Lessius de iustit.lib.2. cap.37 dub.11. num.66.*

123 Præcipuum fundamentum est, quia, licet lex ciuilis, cuius potestas immediatè nascitur ab humana communitate media ratione naturali, & solum ordinatur ad exteriorem pacem, & honestatem communitatis, & potestas etiam dominatiua, quę dumtaxat seruorum corporibus dominatur, vt ex *Seneca 3. de beneficijs docuit S. Thomas 2.2 quæst.104. artic.5.* non extendatur ad actus merè internos, vt à suo fine, suoque foro penitus alienos; at potestas Ecclesiastica, cum spiritualis sit, & ordinetur principaliter ad internum bonum animarum, & habeat altius principium, scilicet Deum supernaturaliter illam cōferentem, consequenter poterit immediatè præcipere actus internos directè, ac per se. Quoniam Christus habet vtique potestatem ferendi leges obligantes ad actus internos, nempè credendi, diligendi, & similes, ideoque potuit præcipere confessionem, etiam internarum cogitationum. Ergo potuit Vicario suo relinquere participationem huius potestatis. Quid enim obstat? Reliquisse verò de facto, suadent illa verba generalia *Ioan.20.* Quodcumque solueris; Quodcumque ligaueris, &c. Item vsus Ecclesiæ, quæ remittit culpas internas omnino,

no, dispensat in votis pure mentalibus, punit etiam actus externos ob conditionem internam, vt latius persequitur *Salas supra*.

124 Secunda sententia per oppositum negat absolutè, posse directè, vel indirectè legibus humanis actus internos imperari. Significat *S. Thomas 1.2 qu. 100. artic. 9. tenent S. Antoninus part. 3. tract. 13. cap. 4. §. 7. Durandus in 4. dist. 15. qu. 12. Paludan. ibi qu. 5. art. 2. conclus. 4. Sylvest. verbo Hora qu. 11. num. 14. Angelus ibi num. 27. Rosella num. 3 Gabriel in Canonem lect. 61. proposit. 1. Glos. in Clem. 1. de celebrat. Missarum verbo Fructum. Coninch. 3. part. quaest. 83. num. 291. dicens*, alios plurimos sic tenere. Probat *Sanctus Thomas*. Quia nemo potest praecipere, vel vetare, quod non potest punire (vis enim praeceptiua debet habere coiunctam coerciuam) nec potest punire, quod non potest cognoscere, ac iudicare. Sed Ecclesia extra confessionis tribunal non potest cognoscere, nec iudicare actus internos. Ergo nec illos potest praecipere, vel prohibere. Confirmatur. Quia *Gregorius IX. cap. fin. de Simon.* docet, eos, qui commiserunt Simoniam ex affectu prorsus interno sine pacto externo, non teneri legibus statuentibus poenas Simoniacis, sed his sufficere satisfacere Deo; significans, Ecclesiam punire non posse actus internos, quamuis afficiant externum aliquo modo.

125 Tertia sententia communior distinguit docens, actus internos ab Ecclesia praecipi non posse directè, posse bene tamen indirectè per accidens, aut concomitanter, quatenus actus internus connectitur externo. Sic docent *Caiet. in Summ. verbo Excommunicatio. cap. 3. & verbo Hora. §. 3. Sotus lib. 10 de iustit. qu. 5. art. 5. Corduba lib. 4. qu. 13. Couarru. Reg. Peccatum 2. part. num. 7. Suar. lib. 4. de legib. cap. 13. num. 3. & 6. Salas de legib. disput. 9. sect. 1. num. 14. Vazquez 1.2. disput. 160. cap. 5. Castro Palaus tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 6. num. 3. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 9. Sayrus in Claui lib. 3. cap. 6. num. fin. Regin. lib. 13. num. 21. Bonacin. de legib. disputat. 1. quaest. 1. punc. 5. num. 8.*

Probatur. Nam tales actus interni necessarij sunt ad humanum conuictum, vel ad cultum religionis in Ecclesia conuenientem; quatenus conducunt ad externum actum, non solum materialiter sumptum secundum esse Physicum, sed etiam formaliter secundum esse morale, vel artificiale: videlicet prout est contractus, Sacramentum, sacrificium, cultus, oratio, vel quid simile. Igitur rectum Ecclesiae regimen requirit in illa potestatem ad praecipiendos actus internos, prout sic coniunguntur cum externis, & ad huiusmodi rationes formales coexiguntur.

Confirmatur ex praxi. Nam sic *Ecclesia cap. Omnes de Poenit. & Remiss.* praecipiendo confessionem annuam, praecipit etiam internum dolorem in cap. *Dolentes de celebrat. Missar. & Clement. 1. eodem tit.* precipit Clericis recitationem attentam, & deuotam. In cap. *Commissa, §. Caeterum de elect. in 6.* punit recipientem beneficium absque intentione suscipiendi debitum ordinem intra proximum annum. In *Clement. 2. §. Verum de Haeretic.* excommunicat Inquisitores, qui vel ex odio, vel intentione praua omittunt procedere contra delinquentem in causa fidei. In *Clement. 1. de statu Monach.* excommunicat Monachos Benedictinos, qui sine licentia petunt Curiam animo Praelatum accusandi. In cap *Si quis dist. 30.* excommunicat non seruantem Ecclesiasticum ieiunium ex contemptu, vel ex interna superstitione. Saepius etiam excommunicat facientes hoc, vel illud scienter, aut temerè, vel cum alijs modis internis per accidens coniunctis actui externo.

126 Iuxta haec in difficultate praesenti prima sententia requirit attentionem saltem ad verba, vel ad externas Missae ceremonias, vt praeceptum audiendi Missam impleatur. Ita *Caietan. in Sum. verbo Festorum violatio. Nauarrus cap. 13. num. 17. Sotus, Medina, Lopez*, quos sequitur *Azor tom. 1. lib. 7. cap. 5. quaest. 2.*

Suar.3.part.tom.3.disp. ... excommu-*trac.5.num.213.Manuel in* ... excom-*cap.123.num.3.Bonac.de Sacra*... reli-*qu.vlt.punc.11.num.4.Tolet.lib.6.* ... fic *num.3.Layman lib.4.tract.7.cap.3.nu.* ... *Henriq.lib.9.ca.25.nu.5.Fagund. precep. 1.lib.2.cap.7.num.4.7.& 8.Nuñus 3.par. qu.83.art.6.* post fextam conclusionem, dicens, contrariam fententiam effe falfiffimam,& prorfus improbabilem. *Ludouic.de Torres in selec.centur.4. dub.28. & 2.par.disp.31.dub.15.* vocat oppofitam fententiam improbabilem, & pernicio-fam. Sed hi duo frequenter excedunt in cenfuris. Hanc primam fententiam dicit *Auersa de Euchar q.11.sect.19.circa fin.* effe communiorē. *Diana par.4.tr.4.Resol.* 107.dicit,effe probabiliorē, & confulendam. Similiter de recitatione diuini officij fentiunt *Caietanus, Nauarrus, Nauarra, Medina, Lopez, Sâ, Pesantius, Zerola, Beia, Comitolus, Malderus, Moneta, Carol. Macigni, Molfesius, Syluius, Homobonus, Viguerius, Gauantus, Bellochius, Conrad Vega, Valentia, Squillante, Sayrus, Aragon, Salas, Lorca, Raphael de la Torre, Antonius Ragucins*, quos fequitur *Diana part.2. tract.12. Resolut.2. & part.8.tract.1. Resolut.5. Sotus de iust.lib.10.quæst.5.art.5. Azor tom.1 libr. 10.cap.72,quæst.6. Lessius lib.2. capit.37. num 64.Suarez de Relig. tom. 2. tract. 4. lib.3.capit.4.& lib.4. capit.26. Reginald. lib.18.num.148.151.& sequentibus. Filliuc.tractat.23.cap.6.quæst.3. & capit.8. quæst.2.& cap.3. num.72. Garzia de Benef.part.3.cap.1.num.182. Vazquez 1.2. disput.160.num.30.& sequentibus, & in opusc.de Benef.capit.4.§.1.artic.3. dub.4. num.103.Tolet.lib.2.cap.10.numer.4.& cap.13.num.10.Layman lib.4. tractat.1. cap.5.num.9.& 10.& tract.7.cap.3.num. 2.Barbosa in cap.Dolentes de celebr.Miss. num.19.Bonac.de Hor.Canonic.disput.1. quæst.3.punct.1.§.2.num.4. Sanchez in consil.libro 7. capit.2. dub.28. referens alios.*

127 Probatur. Nam Ecclefia præcipere poteft actus internos, quatenus neceffarij funt ad effe morale, vel artificia-tem, de qua diximus *supra q.8.* Attentio dicit aduertentiam ad ea, quæ videntur vel audiuntur, vel recitantur, & per confequens eft actus intellectus. Deuotio, fi fumatur propriè, fignificat actum voluntatis, qui reddit hominem promptum,& cle...iffimum ad diuinum obfequium, Nam ..., vt docet *S.Thom.2.2.qu.82.* Miffæ,pro... ò deuotio fumatur commu-fufficiens ad ...one vulgari,fignificat redefit omnis intern...titualem mentis, & actus moralis fuffici...m, quę prouenit fentiam. Ergo requiritur ...one rerum di-Miffæ præceptam aliqualis a. Ita *Sanct.* quippe qui dormit, vel attenti... *l.lib.7.* fiet legendo, vel fcribendo, fine ... non audit Miffam humano, feu mora... modo, quoniam attentione deficiente, non cenfetur moraliter adefse Mifsæ: fic autem fe habet, qui voluntariè non attendit Miffæ, fed fpontè rebus alijs cogitandis occupatur. Probatur fecundò eadem minor, quia pręcipitur auditio Miffæ, prout eft actus religiofus ad cultum Dei pertinens. Ergo requirit attentionem religiofam diuino cultui conuenientem, itaut audiens Miffam Deum oret, ipfum recolat, vel faltem ea confideret, quæ Sacerdos facit tanquam myfteria facra. Sic enim ad orationem etiam requiritur attentio religiofa, quoniam in fpiritu, & veritate oportet orare, ac adorare Confirmatur. Nam ideo requiritur exterior attentio, & prohibentur actiones cum illa repugnantes, ne fcilicet impediatur interior attentio. Ergo hęc multò magis requiritur, & eius defectus impediet impletionem præcepti.

128 Secunda fententia docet, non effe neceffarium ad hoc pręceptum implendum; vt audiens Miffam habeat internam aliquam attentionem. Ita *Syluest. Missa 2.n.6.& verbo Hora qu.11.nu.14. S.Thom. Durand. Paludan. Ioan. de Medina. S.Antoninus, Angelus, Rosella. Gabriel relati supra numer.124. Adrianus. Quodl.8.art.1.citans Gersonem, Astensis, Innocentius, Hostiensis, Abbas, Ioannes Andreas in prædicto capit. dolentes, & alij*

modo non applicet illud opus obligationi diuersæ, v. g. qui debet Missam ex voto, & ex iniuncta pœnitentia, dum audit Missam, intendens satisfacere voto, non satisfacit pœnitentiæ, vel è contra. Si verò debeat solum ex voto, cuius immemor audit Missam, ipsi sufficienter satisfacit. Idem est de iuramento, vel pœnitentia &c.

103 Ad fundamentum oppositum respondetur, præceptum obligare solum ad obedientiam materialem, non ad formalem: nec enim obligant leges ad opus externum ex obedientiæ motiuo præstandum, imò nec ex honesto motiuo, siquidem per actum peccaminosum ex prauo motiuo possunt impleri iuxta communiorem sententiam. Sic etiam votum, vel promissio non obligat ad fidelitatem formalem, sed materialem. Ad primam confirmationem respondetur, præceptum obligare per se ad sui notitiam, quia regulariter impleri non potest, nisi cognoscatur, cum homines regulariter non exequantur opera præcepta, nisi cognoscant obligationem exequendi. Per accidens tamen expleri posse sine sui notitia, solum ex cognitione rei, quæ præcipitur, & ex eius exequenda voluntate, quin sit voluntas illam faciendi, quatenus præcepta est.

104 Ad secundam confirmationem fatemur, obligationibus iustitiæ satisfieri non posse sine voluntate satisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur solutio, non donatio, solutio verò necessariò claudit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac subinde non extinguet debitum. *Ita Bonacin. cum multis supr. nu.*13. *Sanch. num.*11. *Castro Palaus nu.*10. qui subdit, debentem restituere centum pauperibus ob male parta, quamuis immemor sit obligationis, ac subindè non habeat actualem intentionem restituendi, dum eleemosynas largitur, satisfacere posse restitutionis obligationi si quando prius generaliter voluerit, vt si forsan obligationem habeat restitutionis, ei satisfaciant eleemosynæ faciendæ. Nam illæ largitiones tunc non sunt eleemosinæ propriæ, seu donationes liberales, sed sunt debiti solutiones, vtpotè, quæ procedunt ex voluntate generali præterita satisfaciendi debito.

105 Petes primò An audiens Missam, & expressè nolens satisfacere per illam, nihilominus satisfaciat. Prima sententia negat. *Ita Medina, Nauar. Vterque Ledesma, Palac. Angl. Manuel, quos sequitur Fagund. Precept.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 21. *& 27. Azor tomo* 1. *libr.* 7. *cap.* 2. *q.* 6. *& libr.* 10. *cap.* 8. *qu.* 7. *& cap.* 12. *qu.* 8. *Nunus* 3. *part. qu.* 83. *art.* 6 *dub.* 2. Tutiorem vocat illam. *Henriq. lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 6. valdè probabilem vocant. *Sanch. supr. n.* 13. *Castr. Palaus n.* 11. Probatur primò: Nam actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnis ff. si cert. petat. l. in agris ff. de adquir. domin.* Sed huius agentis intentio est non satisfacere præcepto per illam actionem: Ergo de facto non satisfacit. Probatur secundò. Quia lex obligat, vt velis facere rem præceptam, sed hic non vult facere rem præceptam, sed supererogationis. Siquidem expressè secludit impletionem præcepti. Non ergo satisfacit præcepto. Probatur tertiò. Nam illa voluntas non implendi præceptum per illam auditionem Missæ, cum efficax sit, debet sortiri suum effectum. Ergo tollit impletionem præcepti. Confirmatur, nam, si quis vouit audire Missam, & nolit per auditionem implere votum, non implet illud. Ergo similiter in præsenti.

106 Secunda sententia probabilior affirmat. *Ita Sanch. supr. Castr. Palaus nu.* 12 *Valent. to.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct. vlt. Vazq.* 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. *Aragon* 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *Salas de legib. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 33. *Suar.* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 3. *& to.* 2. *de Religion. tractat.* 4. *lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 12. *& de leg. libr.* 3. *cap.* 29. *num.* 12. *Lessius de Iustit. libr.* 2. *capit.* 37. *dub.* 10. *nu.* 59. *& capit.* 40. *dub.* 6. *num.* 42. *Filliuc. tractat.* 5. *num.* 211. *Bonacin. de Sacramento disp-*

disputat.4. qu. vltima punct.11 num.23. & de legib.disp.1. qu.1. punct.10. nu.19. & 20. Coninch. q.83. num.209. Layman libr.1. tractat.4. capit.4. Diana part.3. tractat.6. Resolut. 68. 69. & 77. Cardinal. de Lugo disputation.22. num.24. Auersa quæst.11. sect.19. §. Addit Nuñus. Probatur primò. Nam, vt superius ostensum est, præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi, sed ad exequendam rem præceptam humano modo. Hic autem audit Missam humano modo, seu liberè. Quamuis ergo nolit præcepto satisfacere, verè satisfacit, dum exequitur verè, quod præcipitur. Nec est in operantis potestate non satisfacere præceptis, dum liberè vult exequi rem præceptam. Probatur secundò, nam, si lata fuisset censura contra non audientes Missam in festo, qui sic audiret, euitaret censuram, quia verè Missam audiuit, nec illa intentio contraria, cum sit interior, puniri potest ab Ecclesia. Signum est ergo, talem intentionem non obstare impletioni præcepti.

107 Nota primò. *Suarium, Filliucium, Aragonem, & Lessium*, supra postulare, vt audiens Missam cum intentione non satisfaciendi, mutet illam voluntatem intra tempus opportunum implendo præcepto, velitque auditione Missæ præcedentis satisfacere, quia prior auditio quoad externum actum humanum, & moralem habuit, quidquid requiritur ad præcepti substantiam implendam, defuit tamen obedientia voluntatis, quæ, si per subsequentem volitionem adiungatur cum morali relatione prioris actus ad illum finem, sufficit, vt per priorem actum sic relatum impleatur omninò præceptum.

Hanc limitationem reijciunt. *Azor. Nuñus, Castro Palaus. Cardinal. de Lugo, Salas, Sanchez, Layman, & Auersa* supra. Quia vel per illam priorem auditionem Missæ fuit impletum, præceptum, vel non: si fuit impletum, non requiritur ad eius impletionem ea voluntatis mutatio. Cum enim præceptum Missæ iam impletum sit, nullum superest præceptum, quod obliget ad eliciendum hunc actum obedientiæ. Si non fuit impletum, nihil conducet ea voluntatis mutatio, cum præstare nequeat, vt opus præteritum ex obedientia processerit. Nec requiritur obedientia formalis, sed sufficit materialis, vt dicebamus supra *num.*103. & hæc sufficienter equidem inuenitur in actu priori, dum verè fit, quod præcipitur, & si cum intentione non satisfaciendi. Quare cæteri Doctores secundæ sententiæ talis retractationis non meminerunt. *Sanchez, libr.1. Decal. cap.13. num.*14. requirit, vt, qui putat, se non satisfecisse priori Missa, deponat eam conscientiam erroneam, sciens, se satisfecisse. Certè, si quis in nostro casu iudicet, se non implesse præceptum auditione priori, tenebitur ex erronea conscientia Missam aliam audire, per se verò non tenetur ad iudicandum, se satisfecisse præcepto: quia non est, vnde talis obligatio colligatur, sed per accidens tenebitur, vt erronea conscientia deponatur. Ita censet, *Salas supr.*

108 Nota secundò. Si quis audiat Missam in festo cum intentione non satisfaciendi præcepto tunc, sed postea nullo modo peccare, nec postea teneri Missam aliam audire, sed ad summum iudicare se sufficienter impleuisse præceptum, ne peccet ex conscientia erronea, si non audiat. Si verò voluntatem habet, nec satisfaciendi præcepto per illam Missam, nec aliam audiendi postea, peccat mortaliter non effectu, sed affectu; vel contra præceptum naturale diuinum, quò tenetur quilibet subijci legibus, & legislatoribus, vt ait *Sanchez supr. num.*15. vel etiam contra præceptum illud Ecclesiasticum, quod etiam prohibet, quemlibet affectum sibi contrarium, vt aiunt, *Suar. Layman, & Bonacin.* supra. Quare si nobis audire postea Missam permanens in

intentione non implendi præceptum auditione præcedenti, peccas interno affectu contra præceptum, non autem externa præcepti violatione. Addit *Sanch. in Consil. lib. 7. cap. 2. dub. 19 nu. 6.* illum, qui Missæ partem audiuit animo nihil amplius audiendi, satisfacere post modum audiendo partem aliam.

109 Nota tertiò; quædam esse præcepta positiua, quæ, licet præcipiant actus externos, aliquam tamen specialem intentionem coexigunt. Sic recitatio diuinarum præcum exigit intentionem colendi Deum illo actu: Quippè si breuiarium legeres ob discendum, vel docendum, non satisfaceres præcepto, cum talis recitatio non sit oratio. Similiter, qui tenetur ex offitio ministrare Sacramenta, debet vtique, dum verba profert, habere debitam intentionem efficiendi Sacramentum; alias illa prolatio non esset vera ministratio Sacramentorum. In his itaque præceptis non solum actus exterior, sed etiam talis intentio pertinet ad rem præceptam. Sunt tamen alia præcepta, quæ non requirunt specialem intentionem satisfacientis; & in his sola requiritur voluntas exequendi rem præceptam, nimirum ieiunandi, vel abstinendi seruilibus operibus in festis. *Huc reducit Castro Palaus tomo 1. tractat. 3. disp. 1. punct. 17.* præceptum audiendi Missam; quippè si voluntatem habeas audiendi, quamuis cum intentione non satisfaciendi præcepto, nihilominus satisfacis.

Mihi verò videtur, eadem esse ratio, quò ad hoc recitationis horarum, & auditionis Missæ. Nam vtrobique non requiritur intentio satisfaciendi præcepto per hunc actum, attamen requiritur intentio colendi Deum illa recitatione, vel auditione: quoniam, si quis adesset sacro sola voluntate curiose videndi, quod ibi fiat, vel an Sacerdos ceremonias exactè peragat, non satisfaciet præcepto, quia talis auditio non est Dei cultus, nec actus etiam exterior religionis, qualis ab hoc præcepto audiendi Missam exigitur, & per consequens postulatur intentio colendi Deum illa præsentia morali, quæ sanè sufficiet, etiam si velit, expressè non satisfacere per illam auditionem.

110 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, actum non operari vltra intentionem agentis, quando pendet ab eius intentione tam actus, quam effectus ipsius. At, quando posito actu sequitur effectus necessariò, non potest actu posito per intentionem agentis impediri talis effectus. Sic in præsenti posita libera executione rei præceptæ, videlicet auditione Missæ, non potest impediri per intentionem agentis adimpletio præcepti. Quin etiam dici potest, hic actus operari, non vltra, sed iuxta intentionem agentis, efficacem tamen. Nam quoties voluntatem habes audiendi Missam, & non implendi præceptum, duplicem intentionem habes, primam efficacem præstandi rem præceptam, quæ consequenter inducit efficacem impletionem præcepti, subindèque continet virtualem intentionem efficacem implendi præcepti. Secundam inefficacem ortam ex ignorantia, vel errore, quò falso putas, audiendo talem Missam, non impleri præceptum. Igitur ex concursu duplicis huius intentionis vincit efficax, vtpotè principalior.

111 Ad secundum respondetur, obligare leges adhoc, vt subditus velit eas obseruare, scilicet in actu exercito, volendo nimirum executionem operis iniuncti, non tamen obligant illum, vt habeat intentionem satisfaciendi præcepto per illud opus, nec intentio contraria tollit impletionem præcepti posita executione rei præceptę. Ad tertium negamus, illam intentionem non implendi præceptum esse tunc efficacem, quia cum efficaci voluntate faciendi, quod precipitur, non est compatibilis voluntas efficax non implendi præceptum, vt diximus numero præcedenti.

Ad

112 Ad Confirmationem. *Suarez de Relig. tomo 2. lib. 4. tract. 4. c. 26. nu. 8.* fatetur, illum, qui votum emisit audiendi Missam, & illam audit, nolens tunc implere votum, illud tacitè prorogare, vel nouum votum emittere. Quippè cum obligatio voti pendeat à nobis, prolibito possumus illam nobis imponere, legis autem obligatio cum oriatur à Superioris voluntate, non potest à nobis prorogari prolibito. Consonat *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 4. nu. 8.* Cæterum probabilius, *Castro Palaus supr. n. 14. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 13. nu. 18. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 10. num. 17. Dian. p. 3. tract. 6. Resol. 77.* docent, idem esse de voto, vel iuramento, dum enim verè præstas, quod vouisti, quamuis habeas intentionem non satisfaciendi, verè satisfacis, nec intendis vouere denuo, quamuis possis, sed solum priori voto per aliud opus satisfacere: quod tamen necessarium non est, cum iam sit ipsi satisfactum. Idem de pœnitentia Sacramentali docent, *Castro Palaus, & Bonac. supr. Sanch. nu. 17.* præsertim cum opus offers in satisfactionem tuorum peccatorum; Imò, liceat id offeras in satisfactionem peccatorum alienorum, nisi tibi Confessarius iniunxerit expressè, pro tuis peccatis opus offerri.

113 Petes secundò. Vtrum per auditionem Missæ peccaminosam impleatur præceptum, nempè, si quis ob vanam gloriam, vel ob turpem a'pectum assistat Missæ. Negant *S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 2. Maior in 4. dist. 15. q. 3. Adrianus in 4. de Confessione q. 5. dub. 4. Carthusian. in 1. dist. 17. q. 2. & in 4. dist. 17. qu. 1.* Probatur, nam omnis lex est de opere bono, non enim iustè præcipere test opus prauum. Ergo præceptum impleri non potest opere prauo, quod non præcipitur, sed impleri debet opere bono, quod præcipitur. Quare, si Missæ auditio quouis prauo fine, vel vitiosa circumstantia vitietur, iam est peccatum, quod nullatenus præcipitur, ac subinde, qui sic audit Missam, non facit rem præceptam.

114 Confirmatur primò, *ex cap. 8. de Regul. iur.* vbi dicit *August.* Qui ex timore facit præceptum aliter, quam debeat, facit, & ideò iam non facit. Ergo multò magis non faciet præceptum, qui malo fine facit. Confirmatur secundò, ex *l. non dubium, C. de legib. & leg. contra legem, ff. eodem tit.* vbi dicitur. Is in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem. Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, cui palam obstat actus vitiosus etiam ex extrinseca circumstantia, Ergo per talem actum non satisfit legi, vel præcepto, sed contra legem delinquitur.

115 Communis tamen, & vera sententia docet, per opus ex se bonum, quamuis vitiatum extrinseca circumstantia, præceptum humanum impleri. Quia præceptum humanum solum imperat actus substantiam, & modum pertinētem ad substantiam actus præcepti, qualis est intentio colendi Deum in oratione, conferendi, vel recipiendi Sacramentum in Sacramentorum vsu iuxta superius, *d. nu. 109.* non autem imperat modum, qui non pertineat ad substantiā actus præcepti, nec ad eius externā honestatē requiratur. vt probat *S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9. & 10.* Etenim actus sic factus sufficit ad externū Dei cultum, & ad rectam Ecclesię, vel reipublicę gubernationē; alius verò modus extrinsecus, præsertim interior per accidēs est operi præcepto, & forsan extra iurisdictionem humanā Dū ergo ponitur actus præceptus quoad substātiā, videlicet auditio Missę, quātūuis ex fine, vel circūstātia vitietur, impletur præceptū Missę, licet peccet cōtra præceptū illud, cui circūstātia, vel fin s prauus opponitur. *Ita Nau. Sot. Couarr. Azor, Ledesm. quos sequitur Sanch. lib. 1. decal. c. 14. n. 1. Valent. & Medin. quos sequitur Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 9. Suar. 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 3. & de legib. lib. 3. c. 29. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 4. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 4. n. 6. Filliuc. tr. 5. n. 213. Castr. Palaus tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 18. n. 4. Card. de Lugo de Euch. disp. 22. n. 23.*

116 Ad fundamentum oppositum respondetur, auditionem Missæ factam ob prauum finem esse vitiosam, extrinsecè tamen: vitium autem extrinsecum non impedit impletionem humani præcepti, quia non tollit, quominus talis auditio sit ex se bona, quæ solum est materia talis præcepti.

Ad primam confirmationem respondetur, facientem ex timore præceptum, alias non facturum, non implere præceptum quoad rectitudinem affectus, ita ut præmium mereatur apud Deum: bene tamen in effectu, siue quoad Ecclesiam.

Ad secundam confirmationem respondetur, duplicem esse legislatoris intentionem, primam de re præcepta, secunda de fine per præceptum assequendo. Prima censetur forma legis, & ideo, qui facit aduersus illam, peccat in legem. Secunda censetur extrinseca; Quare peccans in illam non censetur legis transgressor.

117 Hinc fit, si quis ex pœnitentia, voto, vel iuramento teneatur audire Missam, & illam audiat ob prauum finem, satisfacere nihilominus his obligationibus; nam omnes ligant instar cuiusdam legis, & præcepti. De pœnitentia Sacramentali. Sic docet *Suar. 3. part. tom. 4. disputat. 38. sect. 8. nu. 1.* de voto, quamuis aliqui negent, quia votum requirit materiam vndequaque bonam; Affirmat tamen *Vazquez 1. 2. qu. 100. art. 9. circa litteram. num. 11. de omnibus affirmant Bonac. supra. Sanch. num. 2. & 3. Castro Palaus num. 4.* Quamuis enim non satisfaciat fini, qui per pœnitentiam, aut votum intenditur; scilicet cultus Dei, vel satisfactio pro peccatis; satisfacit equidem materiæ pœnitentiæ, vel voti, si rem ex se honestam offerat, et si vitiatam extrinseca circumstantia. Quippè, sicut finis extrinsecus legis non cadit sub legem, videlicet maceratio carnis non cadit sub legem ieiunij; sic finis extrinsecus pœnitentiæ, vel voti non cadit sub ipsorum obligationem.

CAP. XIV. QVÆST. X.

Qualis attentio requiratur in auditione Missæ?

118 SVppono primò, duplicem attentionem distingui, s. internam, & externam; hæc petit, vt quis adsit Missæ cum externa reuerentia, religioso, ac humano modo; ita vt verè dici possit, hic, & nunc actum externæ religionis exercere, atque cum celebrante in precibus externis communicare. Quapropter omnem externam vagationem, distractionem, & occupationem excludit, quæ non compatiatur secum externam reuerentiam, & religiosam assistentiam. Attentio verò interna continet mentis considerationem, vel circa verba, vel circa sensum verborum, vel circa Deũ, cui cultus religiosus exhibetur, vt notat *Sanctus Thomas 2. 2. quæstio. 83. artic. 13. Nauarrus de Oratione cap. 13. numero 4. dicens*, secundam esse perfectiorem prima, tertiam vtraque. *Layman lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 9.* vocat primam superficialem, quia verba solum attendit, vt integrè, rectèque proferantur: secundam vocat litteralem ad sensum verborum: tertiam spiritualem ad Deum.

119 Suppono secundò, iuxta Doctores infra citandos, requiri saltem attentionem externam ad istud præceptum implendum; nam alias non dicetur Fidelis decenter, ac religiosè Missam audire. Quare, qui, dum Missam audit, pingeret, vel scriberet, vel dictaret, vel obiecta diuersa circumspiceret, vel colloqueretur cum aliis, peccaret contra præceptum Ecclesiæ. Quod si sit occupatio, vel confabulatio diuturna continuò durans magna parte Missæ, graue peccatũ erit, quia grauiter repugnat actui per Ecclesiam imperato. Secus esset, si solum interruptim aliquot verba misceret, vel aliquid curiosè conspiceret, & postea Missæ reuerenter attenderet; tũc enim secluso scandalo peccatum esset veniale. Sic intelligendus est *Sotus in 4. distin-*

distinct.13.qu.2. art.1. dum absolutè dicit, confabulantes in sacro satisfacere præcepto Ecclesiæ, quod sine moderatione posita videtur esse falsum, vt bene notat *Coninch.q.83.num.298.*

120 Hinc colligunt *Suar.3. par.tom.3. disput.88.sect.3. Azor.tom.1.lib.7.cap.5. quæst.1. Filliuc.tract.5.num.216. Bonac. de Sacrament.disput.4.qu.vltima punct. 11.num.24. Fagund.Præcept.1. lib.2. cap. 7.num.5. Henriquez lib.9.cap.25. num.5. cum alijs, non esse probabile,* quod docuit *Medina Cod.de Confess.qu. de pœnitent.* tempore Missæ impleta, nimirum, si quis iugiter confabuletur, dū audit missam, aut alia negotia cum mercatoribus tractet; nihilominus implere præceptum, quoniam implet eius substantiam, licet agat contra finem ipsius. Et quidem falsitas huius doctrinæ patet, nam attentio saltem exterior non est solum finis huius præcepti, sed etiam eius substantia, quatenus præcipitur actus externus humanus, & religiosus. Aduertunt tamen *Suar.& Filliuc.supra,* si colloquia non essent de re seria, nec nimis attenta, quæ subinde non impediant attentionem Missæ necessariam, non fore graue peccatum, & sic exponi posse *Medinam.*

121 Hinc etiam colligunt *Cardin. de Lugo disput.22.num.36.Sanch.in Consil. lib.7.cap.2.dub.33.num.2.* illum, qui dormit per maiorem partem Missę voluntarie, vel etiam inuoluntariè, non implere præceptum istud, quia non habet attentionem necessariam, quare tenetur aliam Missam audire, secus, si per partem non notabilem, sed exiguam, opprimeretur à somno, & ita resistit, vt aduertat, se Missam integram audire, quamuis ob molestiam somni non attendat ad significationem, nec ad aliam meditationem, non peccare saltem mortaliter; nam hic habet attentionem necessariam ad orationem, & ad auditionem Missæ. Sic *Sanchez supra num.1. cum alijs.*

122 His positis restat quęstio. An interior attentio requiratur ad hoc pręceptum implendum, & eadem est de recitatione Canonicarum horarum ex pręcepto. Ac vtraque pendet ab illa quæstione, vtrum lex humana, vel Ecclesiastica pręcipere possit actus internos? In qua prima sententia simpliciter affirmat, etiam directè pręcipi posse per humanam potestatem. Ita *Gloss.in cap. Cogitationis de Pœnitentia distinct.1. & in Clement.1.de Heret.§.Verum, verbo eo ipso. Adrian.quodlib.8.artic.1. littera H. & sequentib. Medina Cod.de Orat.quæst. 15.de hac re Albertus Pighius libro 6. de Ecclesiast. Hierarch. cap.26. Rosella Absolutio 1. num.28. & 29. Iulius Clarus li. 5.sentent.§.vltim.qu.91. & plures Iuristæ,* quos refert *Salas de leg.disp.9.sect.1.* cum multis huius partis argumentis. Probabilem *dicit Lessius de iustit.lib.2. cap.37 dub.11.num.66.*

123 Præcipuum fundamentum est, quia, licet lex ciuilis, cuius potestas immediatè nascitur ab humana communitate media ratione naturali, & solum ordinatur ad exteriorem pacem, & honestatem communitatis, & potestas etiam dominatiua, quę dumtaxat seruorum corporibus dominatur, vt ex *Seneca 3.de beneficijs docuit S. Thomas 2.2 quæst.104.artic.5.* non extendatur ad actus merè internos, vt à suo fine, suoque foro penitus alienos; at potestas Ecclesiastica, cum spiritualis sit, & ordinetur principaliter ad internum bonum animarum, & habeat altius principium, scilicet Deum supernaturaliter illam cōferentem, consequenter poterit immediatè præcipere actus internos directè, ac per se. Quoniam Christus habet vtique potestatem ferendi leges obligantes ad actus internos, nempè credendi, diligendi, & similes, ideoque potuit præcipere confessionem, etiam internarum cogitationum. Ergo potuit Vicario suo relinquere participationem huius potestatis. Quid enim obstat? Reliquisse verò de facto, suadent illa verba generalia Ioan.20. Quodcumque solueris: Quodcumque ligaueris, &c. Item vsus Ecclesiæ, quæ remittit culpas internas omni-

no,

Suar.3.part.tom.3.disp. Suor excommu-*trac.5.num.213.Manuel in* ..em excom-*cap.123.num.3.Bonac.de Sacra*..ta reli-*qu.vlt.punc.11.num.4.Tolet.lib.6.* ..i sic *num.3.Layman lib.4.tract.7.cap.3.nu.*.. *Henriq.lib.9.ca.25.nu.5.Fagund. precep. 1.lib.2.cap.7.num.4.7.& 8.Nuñus 3.par. qu.83.art.6.* post sextam conclusionem, dicens, contrariam sententiam esse falsissimam,& prorsus improbabilem. *Ludouic.de Torres in selec.centur.4. dub.28. & 2.par.disp.31 dub.15.* vocat oppositam sententiam improbabilem, & perniciosam. Sed hi duo frequenter excedunt in censuris. Hanc primam sententiam dicit *Auersa de Euchar q.11. sect.19.circa fin. esse communiore. Diana par.4.tr.4.Resol.* 107.dicit,esse probabiliorē, & consulendam. Similiter de recitatione diuini officij sentiunt *Caietanus, Nauarrus, Nauarra, Medina, Lopez, Sà, Pesantius, Zerola, Beia, Comitolus, Malderus, Moneta, Carol.Macigni, Molfesius, Syluius, Homobonus, Vignerius, Gauantus, Bellochius, Conrad.Vega, Valentia, Squillante, Sayrus, Aragon.Salas, Lorca, Raphael de la Torre, Antonius Ragucius*, quos sequitur *Diana part.2. tract.12. Resolut.2. & part.8.tract.1. Resolut.5. Sotus de iustit.lib.10.quaest.5.art.5. Azor tom.1 libr. 10.cap.72.quaest.6. Lessius lib.2. capit.37. num 64. Suarez de Relig. tom. 2. tract. 4. lib.3.capit.4.& lib.4. capit.26. Reginald. lib.18.num.148.151.& sequentibus. Filliuc.tractat.23.cap.6.quaest.3. & capit.8. quaest.2.& cap.3. num.72. Garzia de Benef.part.3.cap.1.num.182. Vazquez 1.2. disput.160.num.30.& sequentibus, & in opusc.de Benef.capit.4.§.1.artic.3. dub.4. num.103. Tolet.lib.2.cap.10.numer.4.& cap.13.num.10. Layman lib.4. tractat.1. cap.5.num.9.& 10.& tract.7.cap.3.num. 2. Barbos.in cap. Dolentes de celebr. Miss. num.19. Bonac.de Hor.Canonic. disput.1. quaest.3.punct.2.§.2.num.4. Sanchez in consil.libro 7. capit.2. dub.28. referens alios.*

127 Probatur. Nam Ecclesia praecipere potest actus internos, quatenus necessarij sunt ad esse morale, vel artificiatem, de qua diximus *supra q.8.* Attentio dicit aduertentiam ad ea, quae videntur vel audiuntur, vel recitantur, & per consequens est actus intellectus. Deuotio, si sumatur propriè, significat actum voluntatis, qui reddit hominem promptum,& ..tissimum ad diuinum obsequium, Nam ..m, vt docet *S.Thom.2.2.qu.82.* Missae, pro..ò deuotio sumatur commu- sufficiens ad ..one vulgari, significat re- desit omnis intern.. ritualem mentis, & actus moralis suffici..m, quę prouenit sentiam. Ergo requiritur ..one rerum di- Missae praeceptam aliqualis a.. Ita *Sanct.* quippe qui dormit, vel attentiu.. *l.lib.7.* stet legendo, vel scribendo, sine a.. non audit Missam humano, seu mora.. modo, quoniam attentione deficiente, non censetur moraliter adesse Missae: sic autem se habet, qui voluntariè non attendit Missae, sed spontè rebus alijs cogitandis occupatur. Probatur secundò eadem minor, quia pręcipitur auditio Missae, prout est actus religiosus ad cultum Dei pertinens. Ergo requirit attentionem religiosam diuino cultui conuenientem, itaut audiens Missam Deum oret, ipsum recolat, vel saltem ea consideret, quae Sacerdos facit tanquam mysteria sacra. Sic enim ad orationem etiam requiritur attentio religiosa, quoniam in spiritu, & veritate oportet orare, ac adorare. Confirmatur. Nam ideo requiritur exterior attentio, & prohibentur actiones cum illa repugnantes, ne scilicet impediatur interior attentio. Ergo hec multò magis requiritur, & eius defectus impediet implerionem praecepti.

128 Secunda sententia docet, non esse necessarium ad hoc pręceptum implendum; vt audiens Missam habeat internam aliquam attentionem. Ita *Syluest. Missa 2.n.6.& verbo Horae qu.11.nu.14. S.Thom.Durand.Paludan.Ioan. de Medina.S.Antoninus, Angelus, Rosella, Gabriel relati supra numer.124. Adrianus. Quodl.8.art.1.citans Gersonem, Astensis, Innocentius, Hostiensis, Abbas, Ioannes Andreas in praedicto capit. dolentes, & alij*

ad oppositum, & mallent, si possent, non audire Missam. Secus, si tunc audire velint, quamuis in intellectu diuino conditionalis ista vera sit. Hi non audirent, nisi metus vrgeret: nam illa conditionalis tunc nihil tollit actualis volitionis.

98 Nihilominus dicendum est, metu, quamuis graui, Missam audientes verè satisfacere præcepto. Quia voluntas coacta voluntas est sufficiens ad obseruantiam præceptorum. Nec metus tollit, sed solum minuit libertatem. Vnde talis impletio meritò censetur actus humanus, & liber, ac subinde sufficiens ad satisfaciendum præceptis, ita vt obligatio cesset iterum adimplendi. Sic sentiunt. *Sotus, & Azor, quos sequitur, Sanchez supr. num.* 7. *&* 8. *Bonac. num.* 5. *&* 8. *Salas num.* 33. *&* 34. *Castro Palaus conf.* 5. *Fagundez num.* 19. *Henriq. lit. G.* referens alios, qui consequenter asserunt, idem esse de voto, iuramento, pœnitentia Sacramentali, & similibus.

Et quidem, dum actualiter isti volunt audire Missam, & si coacti, conditionalisque propositio manet solum in mente diuina, nullum est ipsorum peccatum, quia Deus non imputat alicui voluntatem, quam habiturus esset, sed quam habet de præsenti contrariam legi. Quando autem voluntatem habent actualem non audiendi Missam, si possent, vel nisi metu pœnæ cogerentur, peccant mortaliter contra legem; quia debebant habere voluntatem absolutam implendi præceptum, & illud etiam cessante metu non violare. Hoc verò non tollit, quin absolutè satisfaciant præcepto, nam efficaciter volunt audire Missam, quamuis ex seruili motiuo. Sicut maior affectus ad seruandas merces non tollit, quin efficaciter velimus illas proijcere propter naufragij metum aliàs non proiecturi. Nam illa volitio conditionalis; non audiremus Missam, nisi cogeremur, æquiualet illi, non impleremus præceptum, nisi cogeremur, quæ tamen non tollit, quin actualiter impleamus, quod tandem fatetur ipse. *Suar. to.* 2. *de Relig. tract.* 4. *li.* 4. *c.* 26. *nu.* 12.

CAP. XIV. QVÆST. IX.

Qualis intentio requiratur ad satisfaciendum huic præcepto?

99 NOnnulli requirunt intentionem implendi præceptum. *Ita S. Antoninus part.* 2. *titul.* 9. *cap.* 10. *§.* 1. *Nauarrus in Enchirid. de oratione, cap.* 13. *num.* 27. quod esse probabile censet. *Ludouic. Lopez lib.* 1. *de contract. cap.* 53. *Fauet Petrus de Ledesm. tomo* 1. *summ. tractat. de Eucharist. capit.* 27. dicens, illum, qui præceptum ignorans fecit rem præceptam, non satisfacere præcepto, nisi prius generaliter voluerit quolibet opere, quamuis ignoranter facto, satisfacere præceptis, *Syluester verbo Hora, quæst.* 11. *num.* 14. requirit intentionem satisfaciendi præcepto, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Consonant, *Suar.* 3. *part tomo* 3. *disp.* 88. *section.* 3. *Fagundez præcep.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. *nu.* 11. *&* 12. *Henriquez lib.* 9. *c.* 25. *nu.* 6. *Nuñus q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. dicentes, illum, qui non aduertens, esse festum, audiuit Missam ex deuotione, non excludens intentione contraria volitionem satisfaciendi præcepto, si quod vrgeat, non teneri rursus aliam Missam audire, quoniam virtualiter, aut interpretatiuè voluit implere præceptum.

Probatur hæc sententia, quia quodlibet præceptum obligat ad obedientiam, quæ deficere videtur, vbi non datur intentio satisfaciendi præcepto.

Confirmatur primò, quia, si non requireretur talis intentio, non esset necessaria cognitio præcepti, siquidem impleri posset ab ignorante mandatum: sed ad obseruantiam præcepti requiritur eius cognitio, qua propter, qui negligens est in cognoscendis præceptis impositis sibi, peccat. Ergo requiritur intentio satisfaciendi præcepto.

Con-

Confirmatur secundò, quia si deberes restituere centum pauperib. ob malè parta, & huius obligationis immemor totidem in eleemosynas distribuas, adhuc non extinguis debitum. Ergo requiritur ad impletionem præcepti voluntas eidem satisfaciendi.

100 Dico primò, non requiri formalem, vel actualem, & expressam intentionem satisfaciendi præcepto. Quare, licet ex ignorantia præcepti Missam audias, præcepto satisfacis, ita ut aliam Missam audire non debeas. In hac conclusione ferè conueniunt relati Doctores, & insuper *Vazqu.1.2.qu.100. art.9. circa litteram, Fillinc.tract.5. num.211. Azor 3o.1. lib.7.cap.2.qu.6. & lib.10.c.12.q 9. Valentia 2.2.disp.6.quæst.2.punct.vltim. Castro Palaus tom.1.tract.3.disp.1.punct.17.num.8. Sanchez lib.1.Decal.cap.13.numero 9. Bonac.de Sacram.disp.4.qu.vltim.punc.11.num.22. & de leg.disp.1.qu.1 punc.10. num.9. Diana part.3.tract.6. Resol.68. & 77. Cardinal.de Lugo disput.22.num.14.* Probant *Henriquez, Suarez, Fagund. & Nuñus.* Quoniam, qui non exclusit intentionem implendi præceptum, censetur, illam habere virtualiter, aut habitualiter, aut interpretatiuè, quod sufficit ad impletionem præcepti. Verum hanc rationem refellit *Sanchez*. Nam, vbi nulla præcessit generalis intentio satisfaciendi præceptis quolibet opere, nulla reperitur voluntas virtualis, aut habitualis satisfaciendi præcepto; voluntas autem interpretatiua, quæ nullam supponit actualem, parum conduceret ad obseruantiam legis, sicut ad meritum, vel demeritum operantis inutilis est. Quare melius *Azor. Vazquez, Valentia, Fillucius, Palaus, Bonacina, Sanchez supra rationem reddunt*; quia præcepta solum obligant ad actum præceptum re ipsa liberè præstandum, non autem ad illam internam volitionem satisfaciendi præcepto: cum nullibi talis obligatio reperiatur.

101 Vnde cum his Auctoribus dico secundò, non requiri voluntatem satisfaciendi præceptis etiam habitualem, virtualem, aut interpretatiuam diuersam ab ipsa voluntate faciendi rem præceptam. Hoc indicat *S.Thom.2.2.quæstio.104.artic.3.ad 2 dicens*, posse quempiam actum virtutis implere non attendendo rationem præcepti. *Clarius Sotus de Iustitia lib.10.qu.5.art.5.dicens*, præceptum audiendi Missam obligare solum ad sic audiendum, vt sit actus humanus. Probatur, quia nullum est fundamentum ad exigendam talem intentionem, vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Ergo non est exigenda sub obligatione præcepti. Antecedens constabit solutione argumentorum.

Confirmatur primò, quia legislatores solam præcipiunt substantiam operationis, non intentionem vllam.

Confirmatur secundò, nam intentio satisfaciendi præcepto non requiritur ad implenda præcepta negatiua scilicet non occidendi, non furandi, nec ad affirmatiua naturalia, scilicet colendi Deũ, honorandi parentes. Ergo nec ad positiua, cum eadem sit omnium ratio, requiritur vlla talis intentio.

102 Hinc colligo primò, non esse distinguendam duplicem intentionem, aliam faciendi rem præceptam, aliam satisfaciendi præcepto, quasi possit haberi prima sine secunda, saltem implicita. Nam si semel habeamus intentionem efficacem exequendi rem præceptam, simul habemus implicitam intentionem satisfaciendi præcepto; siquidem in actu exercito præceptum implemus efficiendo, quidquid præcipitur. Ita *Castro Palaus sup.n.2.*

Colligo secundò, si quis ignorans esse diem festum, audit Missam, postea verò cognoscit, esse festum, non teneri, rursus aliam Missam audire, sed iudicare posse, se præcepto satisfecisse. Sic notant *Doctores relati supra numero 100.* Quod idem in voto, vel pœnitentia Sacramentali, vel similibus dicendum est, vt asserunt *Sanchez supra numer.10. Lessius, Vazquez, Azor, Valentia, Layman. & alij*, quos sequitur *Bonacin.de legib. disputat.1.quæst.1. punct.10 numero 11.*

modo non applicet illud opus obligationi diuersæ, v. g. qui debet Missam ex voto, & ex iniuncta pœnitentia, dum audit Missam, intendens satisfacere voto, non satisfacit pœnitentiæ, vel è contra. Si verò debeat solum ex voto, cuius immemor audit Missam, ipsi sufficienter satisfacit. Idem est de iuramento, vel pœnitentia &c.

103 Ad fundamentum oppositum respondetur, præceptum obligare solum ad obedientiam materialem, non ad formalem: nec enim obligant leges ad opus externum ex obedientiæ motiuo præstandum, imò nec ex honesto motiuo, siquidem per actum peccaminosum ex prauo motiuo possunt impleri iuxta communiorem sententiam. Sic etiam votum, vel promissio non obligat ad fidelitatem formalem, sed materialem. Ad primam confirmationem respondetur, præceptum obligare per se ad sui notitiam, quia regulariter impleri non potest, nisi cognoscatur, cum homines regulariter non exequantur opera præcepta, nisi cognoscant obligationem exequendi. Per accidens tamen expleri posse sine sui notitia, solum ex cognitione rei, quæ præcipitur, & ex eius exequenda voluntate, quin sit voluntas illam faciendi, quatenus præcepta est.

104 Ad secundam confirmationem fatemur, obligationibus iustitiæ satisfieri non posse sine voluntate satisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur solutio, non donatio, solutio verò necessariò claudit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac subinde non extinguet debitum. *Ita Bonacin. cum multis supr. nu. 13. Sanch. num. 11. Castro Palaus nu. 10.* qui subdit, debentem restituere centum pauperibus ob male parta, quamuis immemor sit obligationis, ac subindè non habeat actualem intentionem restituendi, dum eleemosynas largitur, satisfacere posse restitutionis obligationi si quando prius generaliter voluerit, vt si forsan obligationem habeat restitutionis, ei satisfaciant eleemosynę faciendę. Nam illæ largitiones tunc non sunt eleemosinæ propriæ, seu donationes liberales, sed sunt debiti solutiones, vtpote, quæ procedunt ex voluntate generali præterita satisfaciendi debito.

105 Petes primò An audiens Missam, & expressè nolens satisfacere per illam, nihilominus satisfaciat. Prima sententia negat. *Ita Medina, Nauar. Vterque Ledesma, Palac. Angl. Manuel, quos sequitur Fagund. Precept. 1. lib. 2. c. 7. n. 21. & 27. Azor tomo 1. libr. 7. cap. 2. q. 6. & libr. 10. cap. 8. qu. 7. & cap. 12. qu. 8. Nunus 3. part. qu. 83. art. 6 dub. 2.* Tutiorem vocat illam. *Henriq. lib. 9. cap. 15. num. 6.* valdè probabilem vocant. *Sanch. supr. n. 13. Castr. Palaus n. 11.* Probatur primò: Nam actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnis ff. si cert. petat. l. in agris ff. de adquir. domin.* Sed huius agentis intentio est non satisfacere præcepto per illam actionem. Ergo de facto non satisfacit. Probatur secundò. Quia lex obligat, vt velis facere rem præceptam, sed hic non vult facere rem præceptam, sed supererogationis. Siquidem expressè secludit impletionem præcepti. Non ergo satisfacit præcepto. Probatur tertiò. Nam illa voluntas non implendi præceptum per illam auditionem Missæ, cum efficax sit, debet sortiri suum effectum. Ergo tollit impletionem præcepti. Confirmatur, nam, si quis vouit audire Missam, & nolit per auditionem implere votum, non implet illud. Ergo similiter in præsenti.

106 Secunda sententia probabilior affirmat. *Ita Sanch. supr. Castr. Palaus nu. 12 Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. punct. vlt. Vazq. 1. 2. q. 100. art. 9. Aragon 2. 2. q. 83. art. 13. Salas de legib. disp. 9. sect. 2. n. 33. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 3. & to. 2. de Religion. trattat. 4. lib. 4. cap. 26. n. 12. & de leg. libr. 3. cap. 29. num. 12. Lessius de Iustit. libr. 2. capit. 37. dub. 10. nu. 59. & capit. 40. dub. 6. num. 42. Filliuc. tractat. 5. num. 211. Bonacin. de Sacrament. dispu-*

disputat.4. qu. vltima punct.11.num.23. & de legib.disp.1. qu.1. punct.10. nu.19. & 20. Coninch. q.83. num.209. Layman libr.1. tractat.4. capit.4. Diana part.3. tractat.6. Resolut.68. 69. & 77. Cardinal. de Lugo disputation.22. num.24. Auersa quaest.11. sect.19.§. Addit Nuñus. Probatur primò. Nam, vt superius ostensum est, praecepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi, sed ad exequendam rem praeceptam humano modo. Hic autem audit Missam humano modo, seu liberè. Quamuis ergo nolit praecepto satisfacere, verè satisfacit, dum exequitur verè, quod praecipitur. Nec est in operantis potestate non satisfacere praeceptis, dum liberè vult exequi rem praeceptam. Probatur secundò, nam, si lata fuisset censura contra non audientes Missam in festo, qui sic audiret, euitaret censuram, quia verè Missam audiuit, nec illa intentio contraria, cum sit interior, puniri potest ab Ecclesia. Signum est ergo, talem intentionem non obstare impletioni praecepti.

107 Nota primò. *Suarium, Fillincium, Aragonem, & Lessium*, supra postulare, vt audiens Missam cum intentione non satisfaciendi, mutet illam voluntatem intra tempus opportunum implendo praecepto, velitque auditione Missae praecedentis satisfacere, quia prior auditio quoad externum actum humanum, & moralem habuit, quidquid requiritur ad praecepti substantiam implendam, defuit tamen obedientia voluntatis, quae, si per subsequentem volitionem adiungatur cum morali relatione prioris actus ad illum finem, sufficit, vt per priorem actum sic relatum impleatur omninò praeceptum.

Hanc limitationem reijciunt. *Azor. Nuñus, Castro Palaus, Cardinal. de Lugo, Salas, Sanchez, Layman, & Auersa* supra. Quia vel per illam priorem auditionem Missae fuit impletum, praeceptum, vel non: si fuit impletum, non requiritur ad eius impletionem ea voluntatis mutatio. Cum enim praeceptum Missae iam impletum sit, nullum superest praeceptum, quod obliget ad eliciendum hunc actum obedientiae. Si non fuit impletum, nihil conducet ea voluntatis mutatio, cum praestare nequeat, vt opus praeteritum ex obedientia processerit. Nec requiritur obedientia formalis, sed sufficit materialis, vt dicebamus supra *num.*103. & haec sufficienter equidem inuenitur in actu priori, dum verè fit, quod praecipitur, & si cum intentione non satisfaciendi. Quare caeteri Doctores secundae sententiae talis retractationis non meminerunt. *Sanchez libr.1. Decal. cap.13. num.14.* requirit, vt, qui putat, se non satisfecisse priori Missa, deponat eam conscientiam erroneam, sciens, se satisfecisse. Certè, si quis in nostro casu iudicet, se non implesse praeceptum auditione priori, tenebitur ex erronea conscientia Missam aliam audire, per se verò non tenetur ad iudicandum, se satisfecisse praecepto: quia non est, vnde talis obligatio colligatur, sed per accidens tenebitur, vt erronea conscientia deponatur. Ita censet, *Salas supr.*

108 Nota secundò. Si quis audiat Missam in festo cum intentione non satisfaciendi praecepto tunc, sed postea nullo modo peccare, nec postea teneri Missam aliam audire, sed ad summum iudicare se sufficienter impleuisse praeceptum, ne peccet ex conscientia erronea, si non audiat. Si verò voluntatem habet, nec satisfaciendi praecepto per illam Missam, nec aliam audiendi postea, peccat mortaliter non effectu, sed affectu; vel contra praeceptum naturale diuinum, quò tenetur quilibet subijci legibus, & legislatoribus, vt ait *Sanchez supr. num.15.* vel etiam contra praeceptum illud Ecclesiasticum, quod etiam prohibet, quemlibet affectum sibi contrarium, vt aiunt, *Suar. Layman, & Bonacin*, supra. Quare si nobis audire postea Missam permanens in inten-

intentione non implendi præceptum, auditione præcedenti, peccas interno affectu contra præceptum, non autem externa præcepti violatione. Addit *Sanch. in Consil. lib. 7. cap. 2. dub. 19 nu. 6.* illum, qui Missæ partem audiuit animo nihil amplius audiendi, satisfacere post modum audiendo partem aliam.

109 Nota tertiò; quædam esse præcepta positiua, quæ, licet præcipiant actus externos, aliquam tamen specialem intentionem coexigunt. Sic recitatio diuinarum præcum exigit intentionem colendi Deum illo actu: Quippè si breuiarium legeres ob discendum, vel docendum, non satisfaceres præcepto, cum talis recitatio non sit oratio. Similiter, qui tenetur ex officio ministrare Sacramenta, debet vtique, dum verba profert, habere debitam intentionem efficiendi Sacramentum; aliàs illa prolatio non esset vera ministratio Sacramentorum. In his itaque præceptis non solum actus exterior, sed etiam talis intentio pertinet ad rem præceptam. Sunt tamen alia præcepta, quæ non requirunt specialem intentionem satisfacientis; & in his sola requiritur voluntas exequendi rem præceptam, nimirum ieiunandi, vel abstinendi servilibus operibus in festis. *Huc reducit Castro Palaus tomo 1. tractat. 3. disp. 1. punct. 17.* præceptum audiendi Missam; quippè si voluntatem habeas audiendi, quamuis cum intentione non satisfaciendi præcepto, nihilominus satisfacis.

Mihi verò videtur, eadem esse ratio, quò ad hoc recitationis horarum, & auditionis Missæ. Nam vtrobique non requiritur intentio satisfaciendi præcepto per hunc actum, attamen requiritur intentio colendi Deum illa recitatione, vel auditione: quoniam, si quis adesset sacro sola voluntate curiose videndi, quod ibi fiat, vel an Sacerdos ceremonias exactè peragat, non satisfaciet præcepto, quia talis auditio non est Dei cultus, nec actus etiam exterior religionis, qualis ab hoc præcepto audiendi Missam exigitur, & per consequens postulatur intentio colendi Deum illa præsentia morali, quæ sanè sufficiet, etiam si velit, expressè non satisfacere per illam auditionem.

110 Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondetur, actum non operari vltra intentionem agentis, quando pendet ab eius intentione tam actus, quam effectus ipsius. At, quando posito actu sequitur effectus necessariò, non potest actu posito per intentionem agentis impediri talis effectus. Sic in præsenti posita libera executione rei præceptæ, videlicet auditione Missæ, non potest impediri per intentionem agentis adimpletio præcepti. Quin etiam dici potest, hic actus operari non vltra, sed iuxta intentionem agentis, efficacem tamen. Nam quoties voluntatem habes audiendi Missam, & non implendi præceptum, duplicem intentionem habes, primam efficacem præstandi rem præceptam, quæ consequenter inducit efficacem impletionem præcepti, subindèque continet virtualem intentionem efficacem implendi præcepti. Secundam inefficacem ortam ex ignorantia, vel errore, quò falsò putas, audiendo talem Missam, non impleri præceptum. Igitur ex concursu duplicis huius intentionis vincit efficax, vtpotè principalior.

111 Ad secundum respondetur, obligate leges adhoc, vt subditus velit eas obseruare, scilicet in actu exercito, volendo nimirum executionem operis iniuncti, non tamen obligant illum, vt habeat intentionem satisfaciendi præcepto per illud opus, nec intentio contraria tollit impletionem præcepti posita executione rei præceptæ. Ad tertium negamus, illam intentionem non implendi præceptum esse tunc efficacem, quia cum efficaci voluntate faciendi, quod præcipitur, non est compatibilis voluntas efficax non implendi præceptum, vt diximus numero præcedenti.

Ad

112 Ad Confirmationem. *Suarez de Relig. tomo 2. lib. 4. tract. 4. c. 26. nu. 8.* fatetur, illum, qui votum emisit audiendi Missam, & illam audit, nolens tunc implere votum, illud tacitè prorogare, vel nouum votum emittere. Quippè cum obligatio voti pendeat à nobis, prolibito possumus illam nobis imponere, legis autem obligatio cum oriatur à Superioris voluntate, non potest à nobis prorogari prolibito. Consonat *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 4. nu. 8.* Cæterum probabilius, *Castro Palaus supr. n. 14. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 13. nu. 18. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. punct. 10. num. 17. Dian. p. 3. tract. 6. Resol. 77.* docent, idem esse de voto, vel iuramento, dum enim verè præstas, quod vouisti, quamuis habeas intentionem non satisfaciendi, verè satisfacis, nec intendis vouere denuo, quamuis possis, sed solum priori voto per aliud opus satisfacere: quod tamen necessarium non est, cum iam sit ipsi satisfactum. Idem de pœnitentia Sacramentali docent, *Castro Palaus, & Bonac. supr. Sanch. nu. 17.* præsertim cum opus offers in satisfactionem tuorum peccatorum; Imò, liceat id offeras in satisfactionem peccatorum alienorum, nisi tibi Confessarius iniunxerit expressè, pro tuis peccatis opus offerri.

113 Petes secundò. Vtrum per auditionem Missæ peccaminosam impleatur præceptum, nempè, si quis ob vanam gloriam, vel ob turpem aspectum assistat Missæ. Negant *S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 2. Maior in 4. dist. 15. q. 3. Adrianus in 4. de Confessione q. 5. dub. 4. Carthusian. in 1. dist. 17. q. 2. & in 4. dist. 17. qu. 1.* Probatur, nam omnis lex est de opere bono, non enim iustè præcipere tenopus prauum. Ergo præceptum impleri non potest opere prauo, quod non præcipitur, sed impleri debet opere bono, quod præcipitur. Quare, si Missæ auditio quouis prauo fine, vel vitiosa circumstantia vitietur, iam est peccatum, quod nullatenus præcipitur, ac subindè, qui sic audit Missam, non facit rem præceptam.

114 Confirmatur primò, *ex cap. 8. de Regul. iur.* vbi dicit *August.* Qui ex timore facit præceptum aliter, quam debeat, facit, & ideò iam non facit. Ergo multò magis non faciet præceptum, qui malo fine facit. Confirmatur secundò, ex *l. non dubium, C. de legib. & leg. contra legem, ff. eodem tit.* vbi dicitur. Is in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem. Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, cui palam obstat actus vitiosus etiam ex extrinseca circumstantia, Ergo per talem actum non satisfit legi, vel præcepto, sed contra legem delinquitur.

115 Communis tamen, & vera sententia docet, per opus ex se bonum, quamuis vitiatum extrinseca circumstantia, præceptum humanum impleri. Quia præceptum humanum solum imperat actus substantiam, & modum pertinētem ad substantiam actus præcepti, qualis est intentio colendi Deum in oratione, conferendi, vel recipiendi Sacramentum in Sacramentorum vsu iuxta superius, *d. nu. 109.* non autem imperat modum, qui non pertineat ad substantiā actus præcepti, nec ad eius externā honestatē requiratur, vt probat *S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9. & 10.* Etenim actus sic factus sufficit ad externū Dei cultum, & ad rectam Ecclesię, vel reipublicę gubernationē; alius verò modus extrinsecus, pręsertim interior per accidēs est operi pręcepto, & forsan extra iurisdictionem humanā Dū ergo ponitur actus præceptus quoad substātiā, videlicet auditio Missę, quātūuis ex fine, vel circūstātia vitietur, impletur pręceptū Missę, licet peccet cōtra pręceptū illud, cui circūstātia, vel finis prauus opponitur. *Ita Nau. Sot. Covarr. Azor, Ledesm. quos sequitur Sanch. lib. 1. decal. c. 14. n. 1. Valent. & Medin. quos sequitur Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 9. Suar. 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 3. & de legib. lib. 3. c. 29. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 4. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 4. n. 6. Filliuc. tr. 5. n. 213. Cast. Palaus tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 18. n. 2. Card. de Lugo de Euch. disp. 22. n. 23.*

116 Ad fundamentum oppositum respondetur, auditionem Missæ factam ob prauum finem esse vitiosam, extrinsecè tamen; vitium autem extrinsecum non impedit impletionem humani præcepti, quia non tollit, quominus talis auditio sit ex se bona, quæ solum est materia talis præcepti.

Ad primam confirmationem respondetur, facientem ex timore præceptum, aliàs non facturum, non implere præceptum quoad rectitudinem affectus, ita ut præmium mereatur apud Deum: bene tamen in effectu, siue quoad Ecclesiam.

Ad secundam confirmationem respondetur, duplicem esse legislatoris intentionem, primam de re præcepta, secundam de fine per præceptum assequendo. Prima censetur forma legis, & ideo, qui facit aduersus illam, peccat in legem. Secunda censetur extrinseca; Quare peccans in illam non censetur legis transgressor.

117 Hinc fit, si quis ex pœnitentia, voto, vel iuramento teneatur audire Missam, & illam audiat ob prauum finem, satisfacere nihilominus his obligationibus; nam omnes ligant instar cuiusdam legis, & præcepti. De pœnitentia Sacramentali Sic docet *Suar. 3. part. tom. 4. disputat. 38. sect. 8. nu. 1.* de voto, quamuis aliqui negent, quia votum requirit materiam vndequaque bonam; Affirmat tamen *Vazquez 1. 2. qu. 100. art. 9. circa litteram. num. 11. de omnibus affirmant Bonac supra. Sanch. num. 2. & 3. Castro Palaus num. 4.* Quamuis enim non satisfaciat fini, qui per pœnitentiam, aut votum intenditur; scilicet cultus Dei, vel satisfactio pro peccatis; satisfacit equidem materiæ pœnitentiæ, vel voti, si tem ex se honestam offerat, et si vitiatam extrinseca circumstantia. Quippè, sicut finis extrinsecus legis non cadit sub legem, videlicet maceratio carnis non cadit sub legem ieiunij; sic finis extrinsecus pœnitentiæ, vel voti non cadit sub ipsorum obligationem.

CAP. XIV. QVÆST. X.

Qualis attentio requiratur in auditione Missæ?

118 SVppono primò, duplicem attentionem distingui. s. internam, & externam; hæc petit, vt quis adsit Missæ cum externa reuerentia, religioso, ac humano modo; ita vt verè dici possit, hic, & nunc actum externæ religionis exercere, atque cum celebrante in precibus externis communicare. Quapropter omnem externam vagationem, distractionem, & occupationem excludit, quæ non compatiatur secum externam reuerentiam, & religiosam assistentiam. Attentio verò interna continet mentis considerationem, vel circa verba, vel circa sensum verborum, vel circa Deũ, cui cultus religiosus exhibetur, vt notat *Sanctus Thomas 2. 2. quæstio. 83. artic. 13. Nauarrus de Oratione cap. 13. numero 4. dicens*, secundam esse perfectiorem prima, tertiam vtraque. *Layman lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 9.* vocat primam superficialem, quia verba solum attendit, vt integrè, rectèque proferantur: secundam vocat litteralem ad sensum verborum: tertiam spiritualem ad Deum.

119 Suppono secundò, iuxta Doctores infra citandos, requiri saltem attentionem externam ad istud præceptum implendum; nam aliàs non dicetur Fidelis decenter, ac religiosè Missam audire. Quare, qui, dum Missam audit, pingeret, vel scriberet, vel dictaret, vel obiecta diuersa circumspiceret, vel colloqueretur cum aliis, peccaret contra præceptum Ecclesiæ. Quod si sit occupatio, vel confabulatio diuturna continuò durans magna parte Missæ, graue peccatũ erit, quia grauiter repugnat actui per Ecclesiam imperato. Secus esset, si solum interruptim aliquot verba misceret, vel aliquid curiosè conspiceret, & postea Missæ reuerenter attenderet; tũc enim secluso scandalo peccatum esset veniale. Sic intelligendus est *Sotus in 4. distin-*

distinct.13.qu.2. art.1. dum absolutè dicit, confabulantes in sacro satisfacere præcepto Ecclesiæ, quod sine moderatione posita videtur esse falsum, vt bene notat *Comnch.q.83.num.198.*

120 Hinc colligunt *Suar.3. par.tom.3. disput.88.sect.3. Azor.tom.1.lib.7.cap.5. quæst.1. Eslliue.tract.5.num. 216 Bonac. de Sacrament.disput.4.qu.vltima punct. 11.num.24. Fagund.Præcept.1. lib.2 cap. 7.num.5. Henriquez lib.9.cap.25. num.5. cum alijs, non esse probabile,* quod docuit *Medina Cod.de Confess.qu. de pœnitent.* tempore Missæ impleta, nimirum, si quis iugiter confabuletur, dũ audit missam, aut alia negotia cum mercatoribus tractet; nihilominus implere præceptum, quoniam implet eius substantiam, licet agat contra finem ipsius. Et quidem, falsitas huius doctrinæ patet, nam attentio saltem exterior non est solum finis huius præcepti, sed etiam eius substantia, quatenus præcipitur actus externus humanus, & religiosus. Aduertunt tamen *Suar. & Eslliue. supra,* si colloquia non essent de re seria, nec nimis attenta, quæ subinde non impediant attentionem Missæ necessariam, non fore graue peccatum, & sic exponi posse *Medinam.*

121 Hinc etiam colligunt *Cardin. de Lugo disput.22.num.36. Sanch.in Consil. lib.7.cap.2.dub.33.num.2.* illum, qui dormit per maiorem partem Missę voluntarie, vel etiam inuoluntariè, non implere præceptum istud, quia non habet attentionem necessariam, quare tenetur aliam Missam audire, secus, si per partem non notabilem, sed exiguam, opprimeretur à somno, & ita resistit, vt aduertat, se Missam integram audire, quamuis ob molestiam somni non attendat ad significationem, nec ad aliam meditationem, non peccare saltem mortaliter; nam hic habet attentionem necessariam ad orationem, & ad auditionem Missæ. Sic *Sanchez supra num.2. cum alijs.*

122 His positis restat quęstio. An interior attentio requiratur ad hoc præceptum implendum, & eadem est de recitatione Canonicarum horarum ex præcepto. Ac vtraque pendet ab illa quæstione, vtrum lex humana, vel Ecclesiastica pręcipere possit actus internos? In qua prima sententia simpliciter affirmat, etiam directè pręcipi posse per humanam potestatem. Ita *Gloss.in cap. Cogitationis de pœnitentia distinct.1. & in Clement.1. de Heret.§.Verum, verbo eo ipso. Adrian.quodlib.8.artic.1. littera H. & sequentib. Medina Cod.de Orat.quæst. 15. de hac re Albertus Pighius libro 6. de Ecclesiast. Hierarch. cap.26. Rosella Absolutio 1. num.28. & 29. Iulius Clarus li. 5. sentent.§.vltim.qu.91. & plures Iuristæ, quos refert Salas de leg.disp.9.sect.1.* cum multis huius partis argumentis. Probabilem dicit *Lessius de iustit.lib.2. cap.37 dub.11.num.66.*

123 Præcipuum fundamentum est, quia, licet lex ciuilis, cuius potestas immediatè nascitur ab humana communitate media ratione naturali, & solum ordinatur ad exteriorem pacem, & honestatem communitatis, & potestas etiam dominatiua, quę dumtaxat seruorum corporibus dominatur, vt ex *Seneca 3. de benefic.ijs docuit S. Thomas 2.2 quæst.104. artic.5.* non extendatur ad actus merè internos, vt à suo fine, suoque foro penitus alienos; at potestas Ecclesiastica, cum spiritualis sit, & ordinetur principaliter ad internum bonum animarum, & habeat altius principium, scilicet Deum supernaturaliter illam cõferentem, consequenter poterit immediatè præcipere actus internos directè, ac per se. Quoniam Christus habet vtique potestatem ferendi leges obligantes ad actus internos, nempe credendi, diligendi, & similes, ideoque potuit præcipere confessionem, etiam internarum cogitationum. Ergo potuit Vicario suo relinquere participationem huius potestatis. Quid enim obstat? Reliquisse verò de facto, suadent illa verba generalia, Ioan.20. Quodcumque solueris: Quodcumque ligaueris, &c. Item vsus Ecclesiæ, quæ remittit culpas internas omnino,

no; dispensat in votis pure mentalibus, punit etiam actus externos ob conditionem internam, vt latius persequitur *Salas supra*.

124 Secunda sententia per oppositum negat absolutè, posse directè, vel indirectè legibus humanis actus internos imperari. Significat *S. Thomas 1.2 qu. 100. artic. 9. tenent S. Antoninus part. 3. tract. 13. cap. 4. §. 7. Durandus in 4. dist. 15. qu. 12. Paludan. ibi qu. 5. art. 1. conclus. 4. Sylvest. verbo Hore qu. 11. num. 14. Angelus ibi num. 27. Rosella num. 3. Gabriel in Canonem lect. 61. proposit. 1. Glos. in Clem. 1. de celebrat. Missarum verbo Fructum. Coninch. 3. part. quaest. 83. num. 291. dicens,* alios plurimos sic tenere. Probat *Sanctus Thomas*. Quia nemo potest præcipere, vel vetare, quod non potest punire (vis enim præceptiua debet habere coniunctam coerciuam) nec potest punire, quod non potest cognoscere, ac iudicare. Sed Ecclesia extra confessionis tribunal non potest cognoscere, nec iudicare actus internos. Ergo nec illos potest præcipere, vel prohibere. Confirmatur. Quia *Gregorius IX. cap. fin. de Simon.* docet, eos, qui commiserunt Simoniam ex affectu prorsus interno sine pacto externo, non teneri legibus statuentibus pœnas Simoniacis, sed his sufficere satisfacere Deo; significans, Ecclesiam punire non posse actus internos, quamuis afficiant externum aliquo modo.

125 Tertia sententia communior distinguit docens, actus internos ab Ecclesia præcipi non posse directè, posse bene tamen indirectè per accidens, aut concomitanter, quatenus actus internus connectitur externo. Sic docent *Caiet. in Summ. verbo Excommunicatio. cap. 3. & verbo Hora. §. 3. Sotus lib. 10 de iustit. qu. 5. art. 5. Corduba lib. 4. qu. 13. Couarru. Reg. Peccatum 2. part. num. 7. Suar. lib. 4. de legib. cap. 13. num. 3. & 6. Salas de legib. disput. 9. sect. 1. num. 14. Vazquez 1.2. disput. 160. cap. 5. Castro Palaus tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 6. num. 3. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 9. Sayrus in Claui lib. 3. cap. 6. num. fin. Regin. lib. 13. num. 21. Bonacin. de legib. disputat. 1. quaest. 1. punc. 5. num. 8.*

Probatur. Nam tales actus interni necessarij sunt ad humanum conuictum, vel ad cultum religionis in Ecclesia conuenientem; quatenus conducunt ad externum actum, non solum materialiter sumptum secundum esse Physicum, sed etiam formaliter secundum esse morale, vel artificiale: videlicet prout est contractus, Sacramentum, sacrificium, cultus, oratio, vel quid simile. Igitur rectum Ecclesię regimen requirit in illa potestatem ad præcipiendos actus internos, prout sic coniunguntur cum externis, & ad huiusmodi rationes formales coexiguntur.

Confirmatur ex praxi. Nam sic *Ecclesia cap. Omnes de Pœnit. & Remiss.* præcipiendo confessionem annuam, præcipit etiam internum dolorem in cap. *Dolentes de celebrat. Missar. & Clement. 1. eodem tit.* præcipit Clericis recitationem attentam, & deuotam. In cap. *Commissa. §. Cæterum de elect. in 6.* punit recipientem beneficium absque intentione suscipiendi debitum ordinem intra proximum annum. In *Clement. 1. §. Verum de Haretic.* excommunicat Inquisitores, qui vel ex odio, vel intentione praua omittunt procedere contra delinquentem in causa fidei. In *Clement. 1. de statu Monach.* excommunicat Monachos Benedictinos, qui sine licentia petunt Curiam animo Prælatum accusandi. In cap. *Si quis dist. 30.* excommunicat non seruantem Ecclesiasticum ieiunium ex contemptu, vel ex interna superstitione. Sæpius etiam excommunicat facientes hoc, vel illud scienter, aut temerè, vel cum alijs modis internis per accidens coniunctis actui externo.

126 Iuxta hæc in difficultate præsenti prima sententia requirit attentionem saltem ad verba, vel ad externas Missæ ceremonias, vt præceptum audiendi Missam impleatur. Ita *Caietan. in Sum. verbo Festorum violatio. Nauarrus cap. 13. num. 17. Sotus, Medina, Lopez*, quos sequitur *Azor tom. 1. lib. 7. cap. 5. quaest. 2.*

Sua-

Suar.3.part.tom.3.disp.88.sect.3.Filliuc. trac.5.num.213.Manuel in Sum. tomo 1. *cap.123.num.3.Bonac.de Sacram.disp.*4. *qu.vlt.punc.*11.*num.*4.*Tolet.lib.6.cap.6. num.3.Layman lib.4.tract.7.cap.3. nu.2. Henriq.lib.9.ca.25.nu.5.Fagund. præcep.* 1.*lib.*2.*cap.7.num.*4.7.*&* 8.*Nuñus 3.par. qu.*83.*art.6.* post sextam conclusionem, dicens, contrariam sententiam esse falsissimam,& prorsus improbabilem. *Ludouic.de Torres in selec.centur.*4.*dub.*28. *&* 2.*par.disp.*31.*dub.*15.vocat oppositam sententiam improbabilem, & perniciosam. Sed hi duo frequenter excedunt in censuris.Hanc primam sententiam dicit *Auersa de Euchar q.*11.*sect.*19.*circa fin. esse communiorẽ.Diana par.*4.*tr.*4.*Resol.* 107.dicit,esse probabiliorẽ, & consulendam. Similiter de recitatione diuini officij sentiunt *Caietanus, Nauarrus, Nauarra,Medina,Lopez,Sà,Pesantius,Zerola,Beia,Comitolus, Malderus, Moneta,Carol.Macigni, Molfesius, Syluius, Homobonus, Vignerius, Gauantus, Bellochius,Conrad.Vega,Valentia, Squillante, Sayrus,Aragon,Salas,Lorca,Raphael de la Torre.Antonius Raguccius*, quos sequitur *Diana part.*2. *tract.*12. *Resolut.*2. *&* *part.*8.*tract.*1. *Resolut.*5. *Sotus de iust.lib.*10.*quæst.*5.*art.*5.*Azor tom.*1 *libr.* 10.*cap.*72,*quæst.6. Lessius lib.*2. *capit.*37. *num* 64.*Suarez de Relig. tom.* 2. *tract.* 4. *lib.*3.*capit.*4.*&* *lib.*4. *capit.*26. *Reginald. lib.*18.*num.*148.151.*& sequentibus. Filliuc.tractat.*23.*cap.6.quæst.*3. *&* *capit.*8. *quæst.*2.*&* *cap.*3. *num.*72. *Garzia de Benef.part.*3.*cap.*1.*num.*182. *Vazquez* 1.2. *disput.*160.*num.*30.*& sequentibus, & in opusc.de Benef.capit.*4.§.1.*artic.*3. *dub.*4. *num.*103.*Tolet.lib.*2.*cap.*10.*numer.*4.*& cap.*13.*num.*10.*Layman lib.*4. *tractat.*1. *cap.*5.*num.*9.*&* 10.*& tract.*7.*cap.*3.*num.* 2.*Barbos.in cap.Dolentes de celebr.Miss. num.*19.*Bonac.de Hor.Canonic. disput.*1. *quæst.*3.*punct.*2. §.2. *num.*4. *Sanchez in consil.libro* 7. *capit.*2. *dub.*28. *referens alios.*

127 Probatur.Nam Ecclesia præcipere potest actus internos, quatenus necessarij sunt ad esse morale, vel artificiale actuum externorum, quos imperat; vt patet ex fundamento tertiæ sententiæ; sed interior attentio requiritur ad esse morale, quod in auditione Missæ præcipit,& intendit Ecclesia. Ergo talis attentio comprehenditur etiam sub Ecclesię præcepto.Minor probatur primò. Nam Ecclesię lege præcipitur auditio Missæ,prout actus humanus, & moralis sufficiens ad moralem præsentiam. At,si desit omnis interior attentio, non erit actus moralis sufficiens ad moralẽ præsentiam.Ergo requiritur ad auditionem Missæ præceptam aliqualis attẽtio: ideo quippe qui dormit, vel attentissimè studet legendo, vel scribendo, sine dubio non audit Missam humano, seu morali modo, quoniam attentione deficiente, non censetur moraliter adesse Missæ:sic autem se habet, qui voluntariè non attendit Missæ,sed spontè rebus alijs cogitandis occupatur. Probatur secundò eadem minor,quia pręcipitur auditio Missæ, prout est actus religiosus ad cultum Dei pertinens. Ergo requirit attentionem religiosam diuino cultui conuenientem, itaut audiens Missam Deum oret,ipsum recolat, vel saltem ea consideret, quæ Sacerdos facit tanquam mysteria sacra. Sic enim ad orationem etiam requiritur attentio religiosa,quoniam in spiritu, & veritate oportet orare, ac adorare Confirmatur. Nam ideo requiritur exterior attentio, & prohibentur actiones cum illa repugnantes, ne scilicet impediatur interior attentio. Ergo hęc multò magis requiritur, & eius defectus impediet impletionem præcepti.

128 Secunda sententia docet,non esse necessarium ad hoc pręceptum implendum; vt audiens Missam habeat internam aliquam attentionem. Ita *Syluest. Missa* 2.*n.6.& verbo Hora qu.*11.*nu.*14. *S.Thom.Durand.Paludan.Ioan. de Medina.S.Antoninus,Angelus,Rosella. Gabriel relati supra numer.*124. *Adrianus. Quodli.*8.*art.*1 *citans Gersonem, Astensis, Innocentius, Hostiensis, Abbas, Ioannes Andreas in prædicto capit. dolentes, & alij*

& alij, *quos refert Azor to. 1. lib. 7. cap. 5. q. 2.* dicens, oppositam sententiam esse probabiliorem, vnde significat hanc esse probabilem. Hanc item tenent. *Coninch. q. 83. n. 301. Hurtad. de Miss. disp. 5. diffi-cult. 2. Valer. de differentijs verb. Hor. can. diff. 1.* Probabilem censent *Bonac. Less. Laym. Henriq. Dian. supr. Prepositus 3. p. q. 83. art. 6. dub. 5. num. 125. Cardinal. de Lugo disp. 22. nu. 29. & alij.*

Probatur primò. Nam iuxta secundam sententiam relatam *nu.* 124 Ecclesia præcipere non potest actus internos. Ergo nec illam attentionem internam. Quare non peccat contra præceptum Ecclesiæ, qui talem intentionem non habet. Sic arguunt Doctores illius secundæ sententiæ positæ, *nu.* 124. & cum illius *Coninch supra.* Probatur secundò. Nam etiam iuxta tertiam sententiam relatam, *n.* 125. Saltem prout traditur a *Suario, Palao, & Laym.* Ecclesia præcipere non potest actum internum, nisi sit omninò necessarius ad illud esse morale, vel artificiale, quod in actu externo præcipitur. Sic enim intentio contrahendi requiritur ad substantiam moralem contractus, intentio faciendi Sacramentum ad eius collationem, intentio sacrificandi ad celebrandum, intentio colendi Deum ad orationem, & ad auditionem Missæ. Qua propter intentiones istę præcipiuntur cum illis actibus ab humana potestate; sed interior attentio non est necessaria simpliciter ad substantiam orationis, vel auditionis externæ, vel ad esse morale cultus externi diuini, cum hic sufficienter exhibeatur externa reuerentia, & attentione, qua Deus exterius colitur, & Fideles ædificantur. Ergo solum exterior attentio præcipitur, quæ cum intentione colendi Deum constituit præsentiam moralem, & cultum diuinum sufficientem ad hoc præceptum implendum, quin addenda sit interior attentio, quam prima sententia superaddit.

129 Probatur tertiò. Nam, esto posset Ecclesia talem attentionem præcipere concommitanter, & indirectè, non satis nobis constat, (vt fatetur *Laym. libr. 4. tract. 1. c. 1. nu.* 10.) Vtrum illam præcipere voluerit, & tam rigorosam obligationem recitantibus Horas, & audientibus Missam imponere, multis quidem laqueis, & scrupulis expositam. Cum Ecclesiæ sufficere videatur, si suis præceptis ab Ecclesiasticis obtineat, vt horas decentet canant, aut recitent, & a Fidelib. vt secundum externum corporis habitum Missæ decenter inter sint. De interna vero deuotione, vel attentione iudicium Deo committat, vt ait. *S. Anton.* Nec obstat illud, *c. dolentes*, præcipiens in virtute sanctæ obedientiæ Clericis, vt officium celebrent studiosè pariter, ac deuotè. Quia multi putant, illud quò ad posteriorem partem, siue quò ad modum recitandi non esse præceptum, sed consilium, nam illa posteriora verba *studiosè pariter ac deuotè*, non simpliciter præcipiuntur, sed cum illa limitatione, *in quantum Deus eis dederit. Ita notant ibi Hostiensis, Anchar. Io. Andreas,* plures verò censent, ibi solam præcipi deuotionem, & attentionem externam. Nam eisdem ferè verbis *Trid. in sess. 24. c. 12.* praescribit, vt Canonici compellantur in choro hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudare, vbi satis apparet, præcipi solam deuotionem, & reuerentiam externam, ad quam solam deseruire poterunt pœnæ, seu media, quibus compellendi sunt delinquentes, *& ita Suar. de Relig. to. 2. tract. 4. lib. 4. c. 26. nu.* 13. fatetur, illum textum non vrgere contra sententiā istā.

130 Probatur quartò. Nam orare quempiam, est loqui cum illo, repræsentando nostrum desiderium eidem; sed possumus substantialiter alloqui quempiam, etiam cum actuali distractione voluntaria. Potest ergo consistere substantialis oratio ad Deum cum tali distractione mentis. Minor probatur, quia si vel ex scripto legamus, vel memoriter recitemus orationem aliquam coram Rege ad aliquid impetrandum ab illo, quamuis cum voluntaria distractione mentis, verè Regem oramus.

mus, si sic etiam alloquor excommunicatum, verè incurro minorem excommunicationem, si sic emitto vota religiosæ professionis, verè profiteor. Si sic ministro Sacramenta, verè recipientem alloquor, & in extrema vnctione Deum oro, cum eius forma sit deprecatiua, validaque Sacramenta confero; posita solum in his omnibus intentione præuia recitandi diuinum officium, vel audiendi Missam cum externa deuotione, atq; attentione, quamuis absit interna voluntariè.

131 Proabtur quintò. Quia si voluntaria distractio tolleret substantialem orationem, vel auditionem Missę necessariam ad præceptum implendum, pariter illam tolleret inuoluntaria, quod aduersarij negant. Sequela probatur. Nam inuoluntariè distractus non poneret actum præceptum, illam scilicet internā attentionem. Quod autem hęc omissio sit inuoluntaria, valebit ad excusandam culpam, non autem ad præceptum implendum, sicut somnus durans per maiorem Missæ partem, etsi, quoties inuoluntarius est, excuset à peccato, tollit tamen impletionem præcepti. Nec valet dicere, quando distractio contingit inuoluntariè, licet non maneat actualis attentio, manere virtualem: secus verò, quando voluntariè distrahimur, quia tunc reuocamus voluntatem attendendi. Non (inquam) valet, nam interior attentio, cum nullum relinquat effectum permanentem, interrumpitur equidem per totalem distractionem quamuis inuoluntariam. Rursus, qui negligentes sunt etiam venialiter in repellendis distractionibus, iam voluntariè reuocarēt priorem attentionem, & subindè non implerent pręceptum, quod magnum aditum aperiret scrupulis, vt larius persequitur *Coninc. supra*.

132 Vt in hac quæstione graui quidē, & satis controuersa dicam, quod sentio. Suppono primò, differre intentionem, attentionem, & deuotionem; nam intentio est propositum audiendi Missam, vel Horas recitandi pertinens ad voluntatem, de qua diximus *supra q.8*. Attentio dicit aduertentiam ad ea, quæ videntur, vel audiuntur, vel recitantur, & per consequens est actus intellectus. Deuotio, si sumatur propriè, significat actum voluntatis, qui reddit hominem promptum, & paratissimum ad diuinum obsequium, & cultum, vt docet *S. Thom. 2.2. qu. 82. art. 1.* Si verò deuotio sumatur communiter, & acceptione vulgari, significat refectionem illam spiritualem mentis, & dulcissimam alacritatem, quę prouenit ex oratione, seu meditatione rerum diuinarum, & est effectus ipsius. Ita *Sanct. Thomas supr. & Sanchez in consil. lib. 7. cap. 2. dub. 18. num. 2.*

133 Suppono secundò, DD. vtriusque sententiæ requirere attentionem aliquā, dum aliquis audit Missam, vel recitat Horas ex præcepto, vel sine præcepto. Quippè licet aliquis hic, & nunc non teneatur orare, vel audire Missam. At si vult hęc facere, debet decenter reuerenterque præstare. Dicit autem *S. Bonau. de perfect. vit. cap. 5. Valdè indecens est, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde*, pręscribente quidem iure tàm naturali, quàm diuino, vt veri adoratores adorent Patrem in spiritu, & veritate. *Ioan. 4* & vt oremus spiritu, & mente. *1. Corinth. 14.* Quare peccatum esset contra reuerentiam Deo, tantisque mysterijs debitam, his spōte distractum ad esse; si tamen absit scandalum, & contemptus, ex hac parte distractio non est mortale peccatum, quamuis exterius appareat, quia præceptum naturale non imponit tam strictam obligationem interius attendendi, dum exterius colimus Deum, vt talis attentionis defectus grauiter opponatur præcepto naturali, seu diuino. Sic notant *Suarez de Relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 26. num. 1. & 3. Coninck qu. 83. num. 297. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. disputat. 1. punc. 6. Laym. cum alijs lib. 4. tractat. 1. cap. 1. num. 9. & Doctores communiter.*

134 Suppono tertiò, Doctores primæ sententiæ, tam ad substantialem orationem, vel auditionem Missæ, quam ad

Ec-

Ecclesiæ præceptum implendum requirere solam infimam attentionem, nimirum ad rectam prolationem verborum in orante vocaliter, & ad sentiendum voces, & actiones celebrantis in audiente Missam. Probatur, nam hæc etiam attentio reddit actum externum humanũ, & verum signum diuini cultus per Missæ auditionem exhibiti, vel internæ petitionis oblatæ Deo. Ergo nec substantialis auditio Missę religiosa, vel oratio vocalis aliud postulat, nec præceptum positiuum amplius requirit, quam actum externum humanum, & religiosum audientis Missam, vel orantis: nec cadit sub pręcepto modus perfectior actionis, sed tantum substantialis, itaut qui velit habere hanc infimam attentionem, & voluntariè secludat omnem aliam perfectiorem, nullo modo peccet contra pręceptum naturale, vel positiuum. Quia nullum pręceptum obligat ad maiorem perfectionem operis, sed ad solam substantiam illius. Ita docent *Suarez supra lib.3.cap.4.num.8.11.& 13. Sanchez supra numer.16.* veluti sensum omnium communem.

135 Conueniunt item isti Doctores, sufficere virtualem attentionem, videlicet, vt audiens Missam, vel recitans horas, initio velit ad actiones celebrantis attendere, vel ad rectam prolationem verborum, & hanc voluntatem non retractet, vel moraliter interrumpat volũtariè diuertẽs animum ad cogitationes prorsus alienas, vel etiam contrarias sacro cultui. Consequenter addunt, modò quis incipiat audire Missam, vel Horam recitare cum attendendi proposito, nec opera dedita mentem ab attentione dimoueat, licet per totã Missam, vel orationem distractus sit, implere præceptũ. Nam illa distractio censetur inuoluntaria, & manet attentio virtualis sufficiens ad præceptum implendum. Quin addit *Gerson tract.de Orat.3. part.lit.F.* orantem non teneri tota sollicitudine continere cor suum intra verborum prolationem religiosam, quin tolerari possit euagatio quædam ad refocillandum caput, vel cor. Ita *Suar.supra num.7. 11. & 13. Sanch.n.*10 cum communi.

136 Rursus aiunt, quamuis audiens Missam, vel recitans Horas liberè diuagetur ad alienas cogitationes, si non aduertat, se distrahi per istas à Missa, vel ab Horis, implere præceptum, quia non liberè distrahitur à Missa, vel ab Horis; ideoque prior attentio permanet adhuc virtualiter. Imò, quamuis aduertat, se distrahi, vel à Missa, vel ab Horis, & mediocrem adhibeat diligẽtiam ad attendendum, non peccat; at, si non adhibeat saltem mediocrem diligentiam, peccat venialiter. Quia iuxta fragilitatem humanã impossibile moraliter est, imaginatiuam retinere semper actualiter aduertentem. Ideò dicitur *Psalm.39. Cor meum dereliquit me.* Quin *addit Sanchez cum alijs*, & si negligentia repellendi cogitationes alienas sit crassa, non retractari, nec interrumpi priorem attentionem, sed adhuc manere virtualiter. Quia Doctores requirunt ad mortale peccatum ex defectu attentionis, vt quis plenè liberè diuagetur, aduertens hic, & nunc se distrahi ab actionib. sacris. Demum asserunt non esse necessarium formale propositum attendendi, sed sufficere virtuale, quale continetur in voluntate adeundi celebrantem, vel sumendi breuiarium. Videatur *Sanch.supr.nu.11. & sequentibus, qui citat alios.*

137 His positis censeo, parum, aut nihil restare practici discriminis inter vtramq; sententiam; quod notarunt etiã *Coninch.q.83.num 301. & Cardinal.de Lugo de Euchar.disp.22.num.41.* Itaque dico cum secunda sententia posita superius *num.*125. Ecclesiam posse præcipere actus internos, qui connectuntur cum externis, & de facto pręcipere recitantibus Horam veram orationem, & audientibus Missam verum Dei cultũ per oblationem sacrificij, atque religiosam assistentiam, & per consequens intentionem orandi, vel offerendi, ac attentionẽ aliquam saltem superficialẽ ad has externas actiones ritè peragendas, sine qua tales actus non essent cultus Dei, vt

docet

docet prima sententia posita *sup. n.*126. Cum autem hæc intentio, & attẽtio sufficiat virtualis dimanans à præcedenti proposito colendi Deum, & attendendi actionibus externis, quod etiam sufficit virtuale, seu potius implicitum, vt nuper dicebamus ex mente Doctorum primæ sententię. Certè nõ dubitur exterior oratio, vel auditio Missæ cum externa reuerentia, & attentione, quam requirit secũda sententia posita *n.*128. quin detur attentio quæpiam interior vel actualis, vel virtualis dimanans ab aliquo præcedenti proposito interno saltem implicito nõ solum faciendi actum externum, sed etiam attendendi ad eius exactam executionem. Non enim potest exterior sensus attendere ad exactam sensationem, nisi simul attendat aliqua facultas interior ad idem obiectum sub aliqua ratione conuenientiæ, quæ sit ratio formalis intendendi talem cultum externum, & ideò comitetur semper intentionem formalem, aut virtualem aliqua formalis, aut virtualis attentio respectiuè.

138 Quod equidem aliqui DD. non satis discernunt, confundentes interdum attentionem cum intentione, vel vnam attentionem cum alia, quare videntur, vel non loqui consequenter, vel non ad rem. Nos autem explicare possumus ex supradictis *li.*1.*c.*2.*q.*20.*n.*83. vbi docuimus, ad validam administrationem Sacramentorum requiri virtualem intentionem faciendi, quod Christus instituit: ad hanc autem intentionem virtualem requiri, vt præcesserit talis actualis volitio, vel explicita, vel implicita, nec reuocata fuerit, nec interrupta. Sed adhuc maneat eius vis, & actiuitas influens in actiones externas, quatenus manent actus aliqui cognoscendi, & amandi, vel spirituales intellectus, & voluntatis, vel corporales imaginatiuæ, ac appetitus sensitiui, qui reliquas potentias moueant, & applicent ad continuandam externam operationem.

Igitur ad hunc modum dicimus, ad auditionem Missæ, vel orationem vocalem prærequiri actualem intentionem explicitam, vel saltem implicitam colendi Deum his actionib. externis, quod *ostendimus supra q.9 nu.*109. & asserunt etiam *Doctores secundæ sententiæ relatæ num.*128. Quare *non opponitur huic sententiæ secundæ. Layman lib.*4.*tract.*1.*ca.*1.*nu.*10. docens, non impleri præceptum, quando Clericus voluntariè distrahitur, licet ad externam prolationem attendat, tamen materialiter tantum, & sine intentione colendi Deum. Nec video, quo sensu dicat, contrariam sententiam esse probabilem. Quia legere diuinum officium sine intentione colendi Deum, sed solum materialiter, quis dicet probabiliter esse sufficiens ad præceptum implendum?

139 Cum hac intentione colendi Deũ auditione Missæ, vel officij recitatione, (si sit efficax intẽtio) necessariò coniungitur attentio saltem ad rectam sensationem externam audientis Missam, vel ad rectam prolationem recitantis officiũ, nam hæc omnino requiritur ad hoc, vt tales actiones sacrę sint, & verus Dei cultus, *vt nuper dicebamus num.*137 & in hoc sensu potuerunt dicere. *Suar. supra n.*5. *Sanch. n.*9. *cum alijs Doctoribus primę sententię*, prolationem verborum sine attentione mentis non esse veram orationem, sed sine mente sonum: quod verum esse, fatentur Doctores secundæ sententiæ, quando nulla datur exterior attentio, quæ sanè prærequirit aliqualem attentionem internam, saltem superficialem. Asserunt verò semper cum intentione efficaci colendi Deum illis actibus, connecti attentionem externã, & internam, saltem superficialem: quod etiam fateri videtur *Suar. tom.*2. *de Relig. tract.*4. *lib.*3. *cap.*4 *num.*3. *& lib.*4. *ca.* 26. *num.*13.

140. Post transactam actualem intentionem, & attentionem explicitam, vel implicitam, dum homo voluntariè, vel inuoluntariè distrahitur ad alia, manet adhuc volitio quędam tenuissima, quæ potentias externas applicet ad Dei cultum externum, & quædam attentio men-

mentis superficialis valdè tenuis, valdèque confusa, quæ potentias externas excitet ad attentionem externam religiosam, vel saltem manet actus appetitus sensitiui per modū intentionis, aut quasi semen illius, & actus imaginatiuæ, quasi virtus attentionis mentalis, qui moueāt adhuc, & excitent externa facultates. Ita fatetur *Cardinal. de Lugo disput.* 22. *num.* 41. (quod idem suspicor de cœteris DD. secundæ sententiæ) quoties exterior attentio, vel audientis Missam, vel recitantis Horas cōtinuatur, aliquam internam attentionem adesse, sed adeò tenuem, vt quidam ex Authoribus primæ sententiæ nolint, eam attentionem vocare. Verum hæc iam erit quęstio de voce, quod notauit *Coninch. num.* 301.

141 Quoad rem censeo, cum hac attentione superficiali tàm externa, quàm interna compati distractionē voluntariam ad alienas cogitationes, & per talem distractionem non tolli, sed adhuc conseruari substātiam auditionis religiosę, vel orationis vocalis, quod experientia docet, & fatentur *Cardin. de Lugo supra, & Suar. eo l. 3. c. 4. n. 9. & 11.* Quare volitio cogitandi de quæst. metaphysica, vel de re simili non retractat priorem volitionem habendi debitam attentionem. s. superficialem. Differunt autem, quatenus *Cardinal de Lugo censet*, sic voluntariè distractum peccare venialiter ob irreuerentiam colendi Deū exterius monte voluntariè distracta, cum deberet ex lege naturali magis formalem, & explicitam attentionem procurare. *Suarez* verò dicit, nullum ibi dari peccatum ex vi legis naturalis ob solum defectum voluntarium melioris attentionis. Nam homo non tenetur audire Missam, vel officium recitare meliori modo, quo potest. Ergo nec tenetur non impedire perfectiorem attentionē; sed adhibendo sufficientem minimam, quamuis excludat alias, non peccat per se loquendo. Cęterum per accidens, si voluntaria cogitatio de reb. alijs sit odiosa, vel noxia, dabitur ibi peccatū ob propriam deformitatem talis actus, non ob carentiam attentionis. Mihi videtur, ibi regulariter misceri veniale peccatum ob morale periculum deficiendi circa sensationem etiam externam. Experimur. n. non rarò, dum spontè distrahimur ad alienas cogitationes, vel sensum non aduertere, vel aberrare linguam cum aliquo defectu superficialis, & exterioris attētionis saltem leui. Verum hoc non sufficit ad mortale peccatum contra præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, vel officium recitandi. Quod fundamenta secundæ sententiæ, & quę pro decisione quæstionis diximus, satis confirmāt. Iam vtriusq. partis fundamēta percurramus.

142 Ad fundamentum primæ sententiæ positum *n.* 127. concessa maiori, distinguitur minor. Requiritur interior, attentio superficialis, quam exposuimus *num.* 134. concedo minorem, requiritur alia perfectior, nego minorem. Nam illa superficialis sufficit, vt præsentia sit moralis, & actus sit religiosus ad cultum Dei pertinens *iuxta dicta eo nu.* 134. nec probationes minoris amplius conuincunt. Ad confirmationem respondetur, attentionem externam requiri potissimum, vt actus externus sit honestus, & religiosus; & ad hoc coexigitur intentio colendi Deum talibus actibus, & interior attentio circa rectam ipsorum executionem, & nihil amplius, vt satis ostendimus.

143 Ad primum fundamentum secundæ sententiæ positum *nu.* 118. negamus antecedens, quia falsam reputamus illam sententiam. Ad secundum concessa maiori, distinguo minorem: interior attentio superficialis non est necessaria, nego minorem: alia perfectior non est necessaria, concedo minorem. Quippè non potest exterior attentio conseruari, seu continuari, nisi simul adsit interior mouens, & fouens externam rectitudinem operationis.

Ad tertium dicimus, ex mente ferè Doctorum omnium Ecclesiam præcipere religiosam assistentiam audientis Missam, & veram orationem recitantis officium, & per consequens externam reue-

reuerentiam, & attentionem, quæ coexigit attentionem superficialem internam, vt satis exposuimus *numer.*138.*&* 139. Quam subinde præcipit illud cap. *Dolentes*, & iniungit Tridentinum, & cuius defectus percipietur exterius quia simul deficiet exterior attentio, seu reuerentia. Quare, quam certum est, præcipi attentionem externam, vt vidimus *num.*119.*&* *sequentibus*, tam certum esse debet, præcipi superficialem internam, quæ cum externa connaturaliter connectitur.

144 Ad quartum fatemur, dari veram locutionem cum distractione voluntaria, quoniam hæc non tollit attẽtionem internam supetficialem ad rectam prolationem verborum, hac verò deficiente, verbisque prolatis inordinatè deficeret vera ratio locutionis. Quintum fundamentum est pro nobis, qui fatemur, voluntariam distractionẽ circa cogitationes alienas non tollere substantialem orationem, vel auditionem Missæ; quia non tollit attentionem internam ad rectã prolationem, vel assistentiam externam. At defectus huius attẽtionis internæ voluntarius, vel etiam inuoluntarius tolleret substãtialem orationem, vel auditionem; quia tolleret debitam rectitudinem, & honestatẽ operationis externæ. Non tamen probamus, quod ibi dicitur, nimirum interiorem attentionem nullum effectum relinquere permanentem. Nam, vt vidimus *n.*140. relinquit, vel in intellectu, vel saltem in imaginatiua quamdam attentionem valdè tenuem, valdèque confusam, quæ tamen foueat, & retineat potentias externas in attentione sua religiosa, istamque vocamus virtualem attentionem, quatenus est semen, & virtus præcedentis attentionis formalis magis claræ, magis intensæ, magisque perfectæ.

145 Quare, dum oratio vocalis dicitur eleuatio mentis ad Deũ & auditio missæ dicitur signum internæ reuerentiæ, vel oblationis, sicut exterior adoratio signũ est internæ submissionis, quamuis adsit distractio voluntaria, vel inuoluntaria mentis: non solum consideramus præsentem attentionem, vel intentionem tenuissimam, quam virtualem appellamus, sed potissimum attentionem, & intentionem præcedentem, quã vocamus formalem: Sicut enim per genuflexionẽ præsentem cum distractione factam significare possumus submissionem internam formalem præcedentem (quod in distractione inuoluntaria debent omnes fateri) sic per orationem vocalem præsentem cum distractione prolatã significamus eleuationem mentis præteritam, & per auditionem Missæ præsentem significamus internam reuerentiam, & oblationem præteritam, quam formaliter habuimus, quando nos applicuimus ad totam illam actionem externam præstandam, si sumus actualiter distracti. Subinde cultus exterior in communi dicetur signum cultus interni præsentis, vel præteriti: Oratio vocalis signum eleuationis mentis præsentis, vel præteritæ; Auditio Missæ signum oblationis internæ præsentis, vel præteritæ, manentis adhuc virtualiter in actibus internis spiritualibus, aut corporalibus tenuissimis, quales explicuimus hic, *&* *sup.n.*140.

CAP. XIV. QVÆST. XI.

An audiens Missam possit simul recitare preces debitas ex præcepto, vel voto?

146 NEgant *Syluester Missa* 2.*q*.*n*.6. *Angelus verbo Feria nu*.46. *Rosella verbo Dominica numer*.7. *Corduba lib*.1.*quæst*.4. *Armilla verbo Festum*, *num*.11.*&* *verbo Missa num*. 39. Probatur, quia, dum sacrum auditur ex præcepto, simulque preces recitantur ex obligatione, concurrit duplex obligatio, quælibet exigẽs attentionem externam, & per consequens impediens alterutrã, vt colligit ex *cap.ex litteris de probat.* *&* *ibi glos.verbo vices duorum.*

147 Affirmat communis, & vera sententia, quam tenent *Adrian. Caietanus. Maior. Sot. Ledesma, Nauar.* quos sequi-

tur *Azor tom.1.lib.7.cap.5.q.3. Henriq. lib.9.cap.25 n.5.Suar.3.part. tom.3. disp. 88.sect.3.fin.Filliuc.tr.5.nu.216.Fagund. Precep.1.lib.2.c.7.n.10.Tolet.lib.6.ca.6. n.4.Moure par.2.ca.8.§.1.n.3.Sà,Graffis, Molfesius,& alij*, quos sequitur *Bonac.de Sacram.disp.4.qu.vlt.punct.11.n.25.Coninch.q.83.n.307. Diana part.4. tr.4.Resolut.107.* Probatur, quia possumus sufficienter attẽdere precibus, & simul exhibere Missę moralem pręsentiam cum ea reuerentia, quam hoc sacrificium postulat: & in sententia quoq; requirente attentionẽ internam, possumus attendere simul ad verba, vel ad sensum precum, & ad actiones sacras, quæ peraguntur in Missa, vel potius attendentes Deo, vel rebus diuinis habemus attentionẽ vtrique simul obligationi satisfacientẽ. Vnde soluitur fundamentum oppositum.

148 Atque nota 1. faciliùs posse simul vtrumq; pręceptum impleri, si Deum attendamus, quem oratione precamur, & sacrificio colimus, ac placamus. Si verò velimus verborum sensum in precib. attendere, Mysteriaq; Missę simul contemplari, difficilè poterit vtrumque præstari simul, ita vt vtrique præcepto simul satisfiat. Quod (*inquit Azor supra*) primæ opinionis Authores docere voluerunt, nec alij firmis rationibus confutarunt. Nota secundò, magis esse tunc attendendum recitationi precum, quam auditioni Missę, quia maiorem attentionem exigit actio propria, quam assistentia moralis Missę per alium dictę. Sic *Henriqu. supra*.

149 Nota 3. melius fore, singula pręcepta sigillatim implere; quia plurib intentus minor est ad singula sensus. Imò nonnulli volunt, esse veniale peccatum Missæ simul, & precationis præcepto satisfacere. Quoniam, etsi præceptum impleatur quoad substantiam, tamen ille modus implendi magnam continet indecentiam, & negligẽtiam erga diuina, quib. minus temporis, & affectus impenditur, dum plura præcepta simul implẽtur. Ideò *Caiet. supra dixit*, esse veniale, nisi fiat, dum celebrans submissa voce recitat, aut dum nõ intelligitur, aut dum audiens Missam tam longè distat, vel ita surdus est, vt celebrantem audire non possit. *Nauarrus de orat.ca.19.num.178. Ledesma 2.4.q.14.art.1. dub.6. Nuñus 3. par.q.83.art.6.dub.2. post sextam conclusionem*, dicunt, esse veniale, quando sine mediocri causa fit, vt plus remaneat otij. Consonat *Azor sup.qu.4.* quando verbis attendimus, quia minus attentionis impendetur missę, quam par est. At *Henriq. & Coninc. supra dicunt*, nullum esse peccatum, quoniam eadem attentione sufficienter satis fit vtrique præcepto, quin ex vtroque iuuatur deuotio; nec est irreuerentia vnum officiũ in aliud ordinari, quãdoquidem id totum refertur ad cultum Dei. Mihi quoque videtur, per se nullum esse peccatum, per accidens facilè veniale miscebitur, dum sic attendimus Horis, vt Missę non attendamus, quantum necesse sit, vel ècõtra; quædam precum non attendentes propter Missam, pręcipuè, si verba, vel ipsorum sensum pensemus.

CAP. XIV. QVÆST. XII.

An audiens Missam possit simul confiteri peccata sua?

150 NEgant *Suar.3.par.tom.3.disp. 88.sec.6. Azor to.1.li.7. c.7.q. 8.Bonac.disp.4.q.vlt.punc.11.n.25. Gordon.to.2.Theol.Mor.li.6.q.7. ca.2.§.3.nu. 13.Card.de Lugo disp.22.n.22.* Probatur. Nam attentio confessionis, & examen conscientiæ, peccatorumque memoria verbis prodenda non parum impedient attentionem Missæ debitam. Confirmatur, quia non omnis actio tendens ad diuinum obsequium est compatibilis cum Missa: nec enim potest quis, dum audit Missam, consulere Doctorem circa casus suæ conscientiæ, nec consolari mœstum, vel quid simile, sed tẽdere debet ad deprecandum, vel placandum Deum; qualis non videtur esse confessio, quæ potius tendit ad accusandum semetipsum, ad propalanda peccata cum omnibus debitis circumstantijs, & numeris

tis singularum specierum, & rectũ iudicium feratur. Vnde colligunt prædicti DD. quando præceptum confessionis nõ vrget, vel cõfessio differri potest in aliud tempus, peccare mortaliter illũ, qui totum Missę tempus impendit confessioni, sciens, non esse faciendum aliud sacrum; si verò præceptum confessionis vrgeat, nec confessio differri possit, debemus cõfessionem præferre Missę. Quia maioris est momenti præceptum confitendi, quã audiendi Missam.

151 Affirmat *Regin. li. 19. n. 14. fine*, nec omnino dissentit *Molfes. tr. 3. c. 17. n. 45.* Probatur, quia confessio sacramentalis tendit in cultum diuinum, dum coram Deo cor nostrum effundimus, & ab illo veniam peccatorum precamur, & speramus. Sed ab hac attentione non valdè distat attendere Deum, vt supremũ Dominum, cui pro peccatis sacrificium offerimus in Missa. Possumus ergo simul vtrique præcepto satisfacere. Atque sic esse praxi receptum in aliquib. collegijs, vbi probitas, & disciplina viget, & adhuc. Collegæ confitentur in festis, dũ missam audiunt, testatur *Bonac. supra*. Qui iuxta suam opinionem respondet, hos collegas excusari, vel ob necessitatem communicandi tempore Missæ, vel propter bonã fidem sibi persuadentes hoc licere.

152 Speculatiuè quidem vtraq; pars videtur probabilis. Practicè rarò cõtinget, vt qui confitetur, præsentiam moralem, intentionem, & attentionem audiendo sacro necessariam retineat, præsertim, si toto Missæ tẽpore, vel magna parte duret confessio. Quare sine dubio multò melius, & securius erit, separare confessionem ab auditione missæ, quoties fieri potest. Si tamen, etsi non vrgeat confessionis præceptũ, detur occasio confitẽdi, dum auditur sacrum in festo, multo post tempore non extitura, nec confessio duratura sit magna missæ parte, secunda sentẽtia posset in praxim reduci. Nec in hoc casu fundamentum oppositum conuincit. Quippè non ita rapit confessio mentem, vt non possit animus missæ simul attendere, Deum cogitãs, vt Dominum, & vt Saluatorem. Ad confirmationem dicimus, attentionem vtriusq; non valdè distare. Quia missæ sacrificium tẽdit ad profitendam diuinam excellentiam, ad satisfaciendum pro peccatis, ad agendas gratias pro beneficijs, ad impetrandũ alia denuò. Confessio protestatur excellẽtiam Dei, qui solus potest remittere peccata, procurat ipsorum satisfactionem, & à benefico Domino precatur expiationem. Ergo possumus simul supremum Dominum, & liberalem benefactorem placare, ac precari sacrificio, & confessione.

CAPVT XV.

De causis excusantibus ab auditione Missæ.

1 Conueniũt DD. dari plures causas, quib. excusentur Fideles ab auditione sacri dieb. festis. Cum .n. hoc præceptũ sit positiuum, & Ecclesiasticum, pręcipiatq. rem honestam quidem, nõ tamen simpliciter necessariam ad salutem, non censetur obligare cum tanto rigore, vt interueniẽte rationabili causa, non detur etiam excusatio legitima. Sic notant *Summistæ ver. Missa, & ver. Feriæ. S. Anton. Caiet. Sotus. Nauar. Man.* quos sequuntur *Henriq. lib. 9. c. 25. n. 10. Suar. 3. part. to. 3. disp. 88. sect. 6. Coninch. q. 83. n. 313. Azor to. 1. lib. 7. q. 1. & seqq. Laym. lib. 4. tr. 7. c. 4. n. 3.*

CAP. XV. QVÆST. I.

Quæ causæ sufficiant ad excusandos fideles ab auditione Missæ?

2 Prima causa sit spiritualis impotẽtia, nimirum, si quis sit excõmunicatus, vel interdictus; quamuis sit toleratus, prohibetur interesse sacris, & per consequens excusatur ab auditione missæ. Nam ob vinculum, seu præcẽptũ censurę cessat obligatio Missæ. Licet .n. peccauerit incurrendo censuram postquam est impotens ad audiendam Missam,

non peccat, non audiendo: maximè, si moralem diligentiam adhibuit, vt obtineret absolutionem censuræ. Sic Doctores *supra relati, & Bonacin de Sacram. disput. 4. qu. vltim. punct. 13. nu. 19. Trullench. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 7. nu.* 17. Qui colligunt, hinc excusari primò personaliter interdictos, vel excommunicatos. Secundò illos, qui solum habent Sacerdotem excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum vitãdum. Missam publici concubinarij audiri posse, diximus *lib. 1. cap. 5. qu. 4.*

3 Secũda causa numerari potest ignorantia, scilicet inuincibilis, quæ, sicut ab alijs præceptis, sic etiam excusat ab isto. Siue sit ignorantia facti, scilicet, an hic dies sit festus: siue sit ignorantia iuris, vel in particulari, scilicet, an in hoc festo cum his circumstantijs obliget præceptum audiendi Missam; vel in communi, scilicet, an in festis obligemur ad Missam audiendam. Quam ignorantiam, etsi regulariter existiment Doctores, inuincibilem esse non posse; tamen in aliquo puero, vel stupido dari posse, fatentur *Suarez tom. 3. disput. 88. sect. 6. Filliuc. tract. 5. num. 225. Azor tom. 1. libr. 7. cap. 7. qu. 4. Fagund. Præcept. 1. lib. 2. ca. 9. Trullench. sup. n. 16.*

4 Huc pertinet obliuio naturalis, & inaduertentia. Nam hæc etiam excusat ex generalibus regulis excusandi quempiam à peccato, vt notant *Suar. & Filliuc. supra, & Bonac. num.* 18. Quin etiam quicumque bona fide putauerit, se legitimam causam excusationis habere, quamuis reuera fallatur, excusatur sufficienter saltem à mortali, vt docent *Syluest. Missa 1. num. 6. & Missa 2. nu. 1. Toletus lib. 6. cap. 9. n. 6. Trullench. nu. 21. Azor supra Fagund. n. 1.* & 13. Colligens indè satis excusari viatores, qui bona fide putant, in aliquo loco se reperturos Missam, quam audiant in festo, quamuis postea non reperiant. Et quamuis sit ignorantia vincibilis, excusabit à mortali peccato. Nam hoc est iuris humani proprium, vt ignorantia vincibilis, quæ respectu iuris naturalis, aut diuini mortaliter esset culpabilis, non reputetur talis respectu iuris humani, & per consequens excuset à mortali culpa violationem ipsius, dummodò non sit ignorantia crassa, seu supina, vt cum nonnullis Doctoribus diximus *in tractatu de voluntario cap. 4. quæst. 8. numero 69. & sequentibus.*

5 Tertia causa numeretur impotentia corporalis, quæ, si sit impotentia simpliciter, excusat sine dubio; siquidem nemo ad impossibile obligatur. Talis est, si quis in vinculis teneatur, vel alia quacunque ratione cogatur non exire domo, vel non adire templum. Item, si desit Sacerdos, qui celebret, vel templum adeo distet, vt non possit adiri, vel, si quis ita grauiter ęgrotet, vt surgere nequeat. Et quoniam id propriè possumus, quod licitè possumus, huc etiam pertinet, quando quis data fide, vel interposito iuramento, seu præcepto Superioris domi suæ iustè manere compellitur. Etenim, cum indè licitè nequeat exire, simpliciter impotens reputatur. Ita *Suarez supra. Filliuc. num. 224. Azor q. 1. Fagund. cap. 8. Tolet. num. 1. Trullench. nu. 2. & 4. alij communiter.* Si sit impotentia secundum quid, reducitur ad impotentiam moralem, de qua mox dicemus.

6 Itaque quarta causa sit impotentia moralis, quando scilicet Missa non potest audiri sine iactura cuiuspiam boni mediocris, saltem æstimationis, vel non sine magna difficultate, seu labore. Sic *Suar. & Azor supra. Filliuc. numer. 226. Fagund. cap. 9. Coninch. qu. 83. num. 314. Layma. lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 3. Bonac. disput. 4. qu. vlt. punct. vltimo. Henriquez lib. 9. cap. 25. nu.* 10. Rationem reddunt; nam hoc præceptum iuxta communem sensum, & morem cum hac moderatione latum est, vt non requiratur causa valdè grauis ad excusandum. Quapropter, si quis timeat occasionem spiritualis ruinę templum adeundo cum periculo proximo labendi, videtur excusari. Sic censent *Doctores relati, & Moure par. 2. c. 8 §. 1. n. 7.*

7 Cum autem quinque sint præcipua bona temporalia, seu corporalia, videlicet vita, membra corporis. Sanitas, honor,

nor, fortunæ. Primò quidem excuſat vitę, vel mutilationis periculum. Si nimirum in via templi ſint hoſtes, inimici, nauigatio periculoſa, vel itineris præcipitium, aer peſtilens, aut quid ſimile. Secundò excuſat periculum valetudinis, ſi nimirum infirmus ſurgere non poſſit à lecto, vel egredi domo ſine periculo relabendi, vel retardandi conualeſcentiam, vel incurrendi graue damnum; in quo bona fides, & prudentia neceſſaria ſunt. Huc reducuntur laborantes febre quartanę; fœminæ prægnantes, debiles, & ſimiles.

8 Tertiò excuſat periculum honoris; ſi videlicet timeatur ab inimico iniuria, vel honoris iactura: Si quis non ſit decenter veſtitus, vel non habeat decentem comitatum, in quo prudenter penſanda ſunt conſuetudo loci, perſonarum qualitas; Item an ſummo mane, vel ſecretè poſſit audiri Miſſa; tunc enim teneretur. Huc reducitur infamia, ſi fœmina v.gr. quæ reputatur honeſta, grauida ſit, ne ſe prodat, excuſatur. Quartò excuſat periculum fortunarum; ſi quis ſcilicet timeat furtum relicta domo ſine cuſtode, vel agrorum, vel pecudum iacturam, vel ſi comites itineris amittat non parum ſibi commodos, aut aliquo modo neceſſarios. Ita *Coninch & Bonacina ſupra cum alijs. Trullench.n.6.7.8.*

9 Quintò excuſat omne temporale, vel corporale incommodum, quod ex auditione Miſſæ timeatur incurri. Nempè, ſi quis pedes leucam conficere debeat, vel duo milliaria cum pluuia, tempeſtate, vel niuibus, itaut perpenſis circumſtantijs perſonæ, loci, temporis, prudenter exiſtimetur notabile damnum, vt notant *Filliuc. Fagund. Bonacin. ſupra, Azor quæſt.5.* Huc ſpectat vrgens negotium, quod ſine magno detrimento nequit omitti, nec auditio Miſſæ poteſt præueniri. Secus, ſi poſſet, *vt docent ſupra d. Eti Doctores, & communiter Summiſtæ verbo Feriæ, & Miſſa. Nauarrus cap.21 num.3. & alij.*

10 Quinta cauſa excuſans ab auditione Miſſę ſit charitas, vel ad ſubueniendum proximo, vel ad euitandum eius damnum. Sic excuſatur deſeruiens infirmo, ne ſolum illum abſque neceſſario miniſterio relinquat, etiam ea ſola de cauſa, quod aliter remedia nequeant adhiberi tempore conuenienti. Quin imò quando morbus eſt grauis, & aliquis bona fide putat, non eſſe relinquẽdum infirmum, quamuis tunc non indigeat eius miniſterio, ſed ſolo ſocietatis ſolatio, vix vmquam erit mortale peccatum omittere Miſſam. Idem eſt de alijs operibus miſericordiæ corporalis, vel ſpiritualis. Sic *dicit Nuñus 3.par.qu. 83.art.6. poſt nonam concluſionem*, ſi ſit neceſſarium audire confeſſionem extremè laborantis, omitti poſſe Miſſam, non ſolum, quando cogit præceptum diuinum confeſſionis, ſed etiam, quando ſola charitas mouet ſecluſo præcepto.

11 Similiter, ſi quis prudenter timet adeundo templum, graues indè rixas naſcituras, aut propter veteres inimicitias, aut propter locorum ordinem, & dignitatem, vel quid ſimile, ſufficienter excuſatur ab auditione Miſſæ. Sic *Suar. Filliuc. & alij.* Sic etiam excuſatur vxor, quæ timens grauem iram, vel rixam mariti Miſſam omittit, vt ei conuenienti tempore pręparet neceſſaria, quando ſcilicet imminet perturbatio grauis, nã ſi ſit leuis, potius erit ferenda. Idem eſt, ſi maritus ob zelotypiam nolit, vxorem exire domo. Quippè, ſi nequeat vxor, id vitare ſine magno incommodo, poterit in hoc parere marito, vt ſentiunt *Sotus, Suarez, & Filliuc.* quamuis oppoſitum innuat *Sanctus Antoninus 2. part. tit.9. cap.10.§ 2.* Sed forſan loquitur, quando non eſt periculum grauis incommodi. Per hæc de ſimilibus iudicandum erit, & videri poteſt. *Bonac. ſupra num.10.*

10 An autem excuſetur omiſſio Miſſæ, ſi neceſſaria ſit ad euitandum ſcandalum proximi? Variæ ſunt ſententiæ. Prima docet vniuerſaliter, nullum præceptum omitti poſſe propter vitandum ſcandalum, & conſequenter nec auditionem Miſſę. Sic indicant *S.Thom.2.2. quæſt.43.art.7. S.Antoninus part.3.tit.8.*

cap.4 §.5. *Nauarrus cap.14.num.44.* Tenent *Armilla, Richard. Adrian. Almainus, Angelus, Alexand. Castro, Paludanus, Durandus, Syluest.* quos sequitur *Vazquez in Opusculo de scandalo. artic. 8. dub.1. numer.4. Basilius Legion. de Matrimonio lib.5. cap.15. §.2. num.7. Palaus tom.1. tract.6. disp.9. part.16. Trullench. lib.1. Decal. cap.6. dub.5. num.12.* Fauent *Basilius Magnus interrogatione 64. Gregorius Magn. homil.7. in Ezechielem. Beda in cap. Qui scandalizauerit de Regulis iuris. Innocentius Tertius in capit. Cum ex iniuncto.* de noui operis nuntiatione.

13 Probatur. Quia potius debet quisque curare propriam salutem animæ, quam alienam. Quapropter obligatio seruandi præceptum impositum mihi censetur primaria: obligatio verò curandi, vt proximus impleat præcepta, vel ne violet illa, censetur secundaria. Ergo maior est obligatio seruandi præceptum impositum mihi, quam vitandi scandalum non datum, sed acceptum; non actiuum, sed passiuum, quale reperitur in hoc casu; quamuis ex infirmitate, passione, vel ignorantia proximi proueniat. Esset enim ordo peruersus, si quis omitteret præceptum primariò sibimet impositum, ne proximus violet aliquod præceptum.

Vnde colligunt isti Doctores, omitti non posse Missam die festo propter euitandum scandalum passiuum etiam pusillorum. Nam primariò teneor audire Missam præceptam; secundariò verò, ne pusilli violent præcepta. Verbi gr. si Petrus gerens mecum inimicitiam non vult audire Missam, si audiam ego, ne mecum concurrat in templo, certè nec debeo, nec possum omittere Missam, vt Petrus illam audiat. Præceptum quippè me potius obligat, vt ego Missam audiam, quam vt curem, audiri Missam à Petro. Cessat enim obligatio secundaria, quoties occurrit primaria, quæ non compatitur cum secundaria.

14 Secunda sententia docet, præcepta saltem positiua omitti debere propter euitandum scandalum proximi. Sic censent *Couarr. in reg. Peccatum. par.1. nu.4. Innocentius, Imola, Decius, & alij apud Vazquium supra num.2. Valentia tom.3. disp.3. quæst.18. punct.4. Reg.3. §. Secundò requiritur,* loquens in particulari de auditione missæ. Fauent vterque *Sotus, Syluester, Medina, Nauarrus, Canus apud Vazquium, & Palaum supra,* quatenus asserunt, ob scandalum omitti posse confessionis integritatem.

Probatur primò, nam obligatio vitandi scandalum est præcepti naturalis. Ergo præponderat omnibus præceptis positiuis. Secundò. Quia vita spiritualis proximi præstantior est corporali, sed ob tuendam vitam proximi corporalem omitti debet præceptum positiuum Missæ, vel ieiunij, vel similis. Ergo pariter ob conseruandam vitam ipsius spiritualem.

Probatur tertiò, quia plura præcepta etiam naturalia, sed affirmatiua cessant ob scandalum vitandum, scilicet, præceptum corrigendi proximum, quando fiet peior, puniendi reum, quando timetur seditio plebis, præceptum docendi veritatem cessat, quando iniusta vexatio timetur, aut iniqua repulsio, vel etiã impugnatio veritatis, aut docentis illam, iuxta id Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.*

15 Tertia sententia docet, posse nos omittere præcepta positiua propter vitandum scandalum positiuum pusillorum. Quia propter bonum proximi, cuius spirituali necessitati subuenitur omissione talis operis, cessat obligatio præcepti positiui: non tamen teneri ad omittendum illa. Quoniam scandalum passiuum, & acceptum proximi non debemus vitare cum tanto detrimento, quantum regulariter prouenit ex omissione præceptorum etiam positiuorum: Ita *Sotus in 4. distinct. 13. quæst.2. art.1. fin. Suar. 3. par. tom.3. disputat.88. sectio. 6. §. Quartum caput. Filliuc. tract.5. num. 227. Bonac. de Sacram. disputat.4. q.a. vlt. pun-*

punct.vltim.numero 15. *Sà verbo Missa auditio. num.3. & Victorellus ibi. Trullench.libro 3. Decalog.capit.*1. *dub.7.numero* 13.

16 Pro decisione suppono primò, præcepta naturalia negatiua sic obligare semper, & pro semper, vt etiam si timeatur scandalum proximi, non ideò cesset ipsorum obligatio. Quippè non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Roman. 13 sed quæ prohibentur præceptis naturalibus negatiuis, ita mala sunt, vt nisi materia mutetur, in nullis circumstantijs honestari possint. Ergo, quamuis timeatur scandalum, viget semper obligatio præcepti negatiui, contra quam non licet operari. Conueniunt in hoc Doctores.

17 Vnde suppono secundò, non esse præsentem quæstionem, an adhuc obligante præcepto, liceat eius omissio, seu violatio, quæ quidem, cum apertè sit illicita, implicat, quod simul licere possit. Nam, vt rectè notat *Valentia sup. Reg.*2, contradictionem inuoluit, vt quod verè peccatum est mortale, vel veniale, debeat, aut possit ob aliquem finem licitè fieri: nec vmquam continget casus, in quo peccatum sit reuera mediũ necessarium ad vitandum scandalum. Quippè vel tunc non erit peccatum, vel aliter scandalum impediri poterit. Ver. gr. factum, aut verbum iocosum, quod sine rationabili causa veniale peccatum esset: si fiat, aut dicatur ad vitandum scandalũ ex alicuius auctoritate proueniens, non erit peccatum. Item, quando mendacium videtur esse necessarium ad vitandum scandalum, poterit hoc æquè vitari per aliquam æquiuocationem, aut restrictionem. Restat igitur quæstio, An ob imminens scandalum cesset obligatio præceptorum? Prima sentẽtia negat. Affirmant secunda, & tertia.

18 Cum quib. ego censeo, contingere posse nonnumquam, vt opus, quod alias hic, & nunc, si non timeretur scandalum proximi passiuum, esset præceptum, interueniente tali timore careat obligatione præcepti, quod probant fundamẽta *supra relata num.*14 & 15. multisque casibus ex iure collectis, ostendit *Felinus cap.*2.*de Præscript.* circa principium, & amplius confirmare possumus. Quia charitas, sicut obligat interdum ad bonum aliquod præstandum ob salutem spiritualem proximi: sic etiam obligauit interdum ob eundem finem ad aliquod opus bonum omittendum, par enim videtur vtriusque ratio. Quapropter id fatentur in operibus Consilij non solum Authores secundæ, tertięque sententię: sed etiam ex Authoribus primæ *Vazquez, Palaus, Trullench.supra.* Quia nullo bono spirituali propterea priuamur. Cum enim ad vitandum scandalum omissio solius actus externi sufficiat, internus affectus adhuc retinere potest fructum, & meritum. Quin etiam, si priuaremur aliquo merito talis operis, ipsummet velle priuare nos tali meritò propter bonum proximi, poterit habere maius meritum, quam ipsum opus. In operibus autem præcepti, non est, cur non possit occurrenti pręponderare nõnumquam præceptum naturale vitandi scandalum.

19 Quoad factum sępius id continget in præceptis positiuis, quia regulariter obligant minus rigidè, quam naturalia. Quibus, si negatiua sint, id accidere nequit, vt vidimus *nu.*16. At in affirmatiuis contingere potest: Nam hæc, quamuis sint naturalia, non obligant pro semper, sed cum debitis circumstantijs: & interdum erit circumstantia requisita, ne sequatur scandalum etiam passiuum pusillorum. Itaque concurrente pręcepto, vel positiuo, vel naturale affirmatiuo cum scandalo pusillorum, quod prudenter timeatur ex eius obseruatione dijudicãdum erit in particulari, quod magis præponderet, an lapsus proximi vitãdus, an opus illud omittendum, & soletter perpendendum erit, quam graue sit pręceptum occurrens, quãta necessitas, vel vtilitas ipsius. Item quanta, vel qualis ruina proximi timeatur, vt omnibus consideratis, discernatur prudenter, cuius præcepti cesset obligatio, cuiusue præ-

præualeat. Ita monent *Couarruu. Valentia, Suarez.* Et forsan talis apparebit vtilitas vitandi passiuum scandalum hic, & nunc, vt excuset quidem ab occurrenti præcepto, non tamen obliget ad eius obseruationem omittendam, vt dicebat tertia sententia.

20 Hinc varios casus decidunt Authores singuli iuxta suam sententiam. In nostro casu *Suarez 3. part. tom. 3. disput. 88. sect. 6* dixit, Missam omitti posse die festo propter euitandum scandalum pusillorum, non tamen debere omitti propter fundamentum tertiæ sententiæ. At *in tract. de charitate disput. 10. sect. 3 nu. 10.* dicit, interdum omitti posse, quin etiam aliquando debere; rarò tamen accidere hanc obligationem; in particulari verò circumstantias esse pensandas. *Vazquez, & Basil. Legion. cum alijs negant*, vnquam omitti posse propter fundamentum primæ sententiæ. *Valentia censet*, omitti debere, quia præponderat præceptum vitandi scandali, & ideò cessat obligatio præcepti Missam audiendi, seruarique debet præceptum charitatis. Addit verò, neminem teneri perpetuò, vel per annum ea de causa Missã omittere. Nam id esset intolerabile. Nec præceptum vitandi passiuum scandalum obligat cum tanta difficultate, vel detrimento spirituali tamdiu carentis auditione Missę.

21 Mihi videtur, in praxi regulariter omissionẽ Missæ futuram esse spirituali detrimento. Nam interius affectus simplex audiendi Missam, & efficax voluntas omittendi auditionem regulariter non erit talis, vt æquiualeat pluribus actibus meritorijs, qui solent inter audiẽdum sacrum exerceri; tempus etiã illud, quod auditioni Missæ foret impendendum minus benè, vel forsan malè vanis rebus, aut verbis otiosis impenderetur. Vnde censeo, nec perpetuò, nec per annum, nec per mensem teneri, nec posse quempiam omittere Missam ob euitandum scandalum vnius, vel alterius pusilli. Vna, vel altera via perpensis vtrimque circumstantijs poterit, & rarò forsan tenebitur, vt dicebat *Suarez*. Praxis particularis arbitrio prudentis committenda videtur, vt prudenter decernatur hic, & nunc, An debeam Missam audire, vel omittere? vel an liceat vtrumque, quandiù, vel quoties? Si perueniat scandalum ex malitia, quod vocatur scandalum Pharisæorum, numquam propter illud vitandum omitti potest auditio Missæ diebus festis, quod *S. Thomas supra probat ex Matthęi 15.* & ratione constat, quia tunc proximus non est in tali necessitate spirituali, cui non possit ipsemet sufficienter consulere mutãdo suam prauam voluntatem, quare non prçualet obligatio charitatis prçcepto Missę. Si quis tamen diebus profestis vna, vel altera via Missam omittendo cum nullo, vel ferè nullo detrimento suo spirituali, posset hoc scandalum impedire, deberet quidem omittere; sed rarissimè concurrent circumstantię tales, quę grauiter obligent ad omittendum. Videantur Authores relati.

22 Patres citati *num. 12.* pro prima sententia nobis non obstant. *Basilius* enim loquitur de scandalo Pharisæorũ, quod nulli prçcepto prævalet. *Gregorius, & Beda*, dum asserunt, *si de veritate scandalum sumitur, vtilius scandalum permittitur, quam veritas relinquatur*, planè loquuntur in casu, quo vel veritas relinquitur proferendo mendacium, quod numquam licet, vel quo plebs debet doceri veritatem, ne falsis doctrinis incauta seducatur; vel quo fidei professio requirit talis veritatis prolationem. Alioquin nòn omnes veritates semper, & vbique propalandæ sunt, vt scriptura docet, & omnes Doctores sentiunt. *Innocentius tertius loquitur in opere consilij*, qualis erat ædificatio noui templi: Et hanc dicit omittendam fuisse post noui operis nuntiationem ob scandalum proximum euitandum: nam, etsi res præceptæ non sint omittendæ (quamdiu scilicet vrget prçceptum) ob aliorum scandalum, at ea, quæ sine peccato possunt omitti (scilicet hic, & nunc) equidem omittenda sunt ob scandalum

lum etiam pusillorum euitandum.

23 Ad fundamentum adductum *num.* 13. fatemur, quamdiu præceptum impositum mihi propter meum spiritualem profectum, retinet obligandi vim, omitti non posse propter euitandum scandalum proximi, quod probat illud argumentum. At addimus, interdum cessare talis præcepti obligationem; nam omnibus pensatis censetur, prævalere præceptum charitatis erga proximum etiã cum aliquo meo detrimento propter euitandum multò maius proximi damnum. In exemplo ibi posito, si Petrus verè peccat mortaliter ex infirmitate missam omittens, & ego possem adire templum aliud, quamuis mihi nonnihil incommodum, certè tenerer saltem aliquibus festis. Item, etsi non possem alibi Missam audire, forsan omittere possem paucioribus festis. Quoniam vna, vel altera vice mihi cessare censetur obligatio Missam audiendi, quæ non cessat respectu proximi, vt supponimus, & per consequens ego non peccans impedio peccatum alterius. An verò tenear aliquando? Regulariter non puto, tales autem circumstantiç concurrere possunt, vt aliquando tenear.

24 Sexta causa excusans ab auditione Missæ diebus festis sit obedientia, vel erga Parentes, vel erga Superiores, aut Dominos. Curare debet Paterfamilias, vt sui Domestici Missam audiant, quod notat *Sà verb. Missæ auditio. num.* 5. Et supponunt *Suar. 3. part. tom. 3 disput.* 88. *sect.* 6. *Fillius tract.* 5. *num.* 127. *Trullench. lib.* 3. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 9. & *alij.* Cœterum famulus excusatur, vt hero ministret, subditus, vt obediat Superiori. Et quidem, si ministerium sit necessarium iuxta communẽ viuendi modum, nec herus peccet præcipiendo, nec famulus obediendo. Si tamen differri possit in alium diem, vel horam, peccat herus, qui tenetur non impedire sibi subditos ab impletione præcepti. Peccat autem subditus tunc obediens, si timeat solam reprehensionem etiam duriusculam sine maiori damno, vel offensione permanenti. Quilibet enim per se loquendo tenetur adimplere præcepta, quando potest sine magna incommodo. Sic sentiunt *Azor tom. 1. li. 7. cap. 7. qu. 1. Bonac. cum alijs de Sacram. disp. 4. qu. vlt. punct. vltim. num.* 10. *Coninch. qu. 83. num.* 315. *Suarez, & Trullench. supra.* Si verò famulus, aut subditus timeat grauem, aut diuturnam rixam, vel graue supplicium, aut detrimentum, excusatur omittens missam. Nam Ecclesia non vult cum tanto detrimento seruos, aut subditos obligare. Sic Doctores relati, qui citant alios; & subdunt, debere famulum prius dicere Domino, se non audisse Missam, atq; procurare, si commodè possit, opportunitatem audiendi, quam, si nequeat obtinere, sufficienter excusatur. Quando tamen id frequenter acciderit, quęrere debet alium Dominum, aut alium modum viuendi, quoties commodè reperturus erit.

25 Septima causa sit officium non permittens commoditatem sufficientem audiendæ missæ. Sic excusantur milites custodientes arcem, aut castra, vel portas ciuitatis, quas deserere nequeunt. Sic etiam Magistratus, Senatores, Consiliarij, seu viri Primarij, qui grauia Reipublicæ negotia nequeunt in aliud tempus commodè reijcere. Sic item Pastores, qui non possunt sine periculo gregis, aut grauis detrimenti missam audire. Qui verò necessarij non sunt ad custodiam gregis, debent audire missam, & se iuuare vicissim, itaut vnus adeat Ecclesiam, altero custodiente gregem, eoque redeunte, alter ad missam accedat, quando duæ missæ dicuntur, & sunt duo Pastores. Similiter excusantur tabellarij, seu cursores, qui faciunt velocissimum iter. Pariter excusantur nautæ, rhedarij, vel muliones, & vectores mercium, qui non possunt sine magnis expensis immorari ad missam audiendam. Adde molitores, quoties illis licet in festis laborare, quippè necessitas excusans ab opere seruili, pariter excusat ab auditione Missæ, quando labor intermitti non potest, seu linqui molendinum

sine

sine magno incommodo. Excusantur nutrices paruulorum, quos non possunt domi relinquere sine probabili periculo, nec expedit, ad Ecclesiam deferre. Similiter matres, quę domi filias in periculo relinqueret, & secum deferre nequeunt. Ita *Nauarrus ca.*21.*num.*3.*Henriquez lib* 9.*cap.*25.*num.*10. *Suar. Azor. Filliuc. supr. Fagund. Precept.*1.*lib.*1.*cap.* 9.*Bonac. disp.*4. *qu. vlt. punct. vlt. num.*5. *& sequentibus. Trullench. lib.*3. *Decal. ca.* 1.*dub.*7.*num.*5.6.*&* 11.*& alij.*

26 Huc pertinent missæ ministri, quos *Azor tom.*1.*lib.*7.*cap.*7.*qu.*1. dicit excusari quamuis in rebus sacrificio necessarijs apparandis, scilicet in afferendo vino, libro, thure, pulsandisue cymbalis, aut similibus occupentur toto tempore missæ, dum non sint alij, qui possint id commodè pręstare. Certè qui pro rebus istis ab Altari recedunt aliquoties, dum non exeant è templo, nisi breuissimo tempore, nec absint ab Altari diutius, quam moralis assistentia requirit, moraliter reputantur adesse, ac subindè satisfaciunt præcepto, vt docent *S. Antonin. Syluester*, *& Tabienna*, quos sequitur *Moure part.*2.*capit.*8.§.1.*num.*5. *Toler. lib.*6.*cap.*7 *Saa tom.*3, *disput.*88, *sect.*2. *Grassis part.*1.*lib.*2. *cap.*35. *num.*11. *Bonac. supra punct.*11.*num.*18. *Fagund. cap.* 6.*num.*10. & nos *supra cap.* 14.*num.*67. Quare debent omnia necessaria sacrificio sic opportunè præparari, vt non sit opus extra templum vagari tempore missę. Si quando tamen sine culpa ministrorum contingat, vt tempore Missę necessarium sit, ministros diù vagari foris, aut intus etiam abesse celebrationi, non implent vtique pręceptum, & ideo debent audire Missam aliam, si possint, si verò non possint, excusantur ob obsequium sacrificio necessarium. Sic accipiendus est *Azor*, & sic docet *Fagundez supra*.

27 Octaua causa excusans est consuetudo rationabiliter inducta, & per Episcopos tolerata. Sicut enim consuetudo potest ferre legem, sic etiam illam abrogare, vel moderari. Sic excusantur primò viduæ post mariti mortem non exeuntes domo certo tempore. Quidam limitant ad mensem: sed alicubi viget per semestre, vel annum præsertim fœminis nobilioribus, nec eam consuetudinem esse damnandam, censent *Suar. supra sect.*6. *Filliuc. num.*129. *Henriquez numer.*12. corrigendam tamen esse per Episcopum, dicunt *Fagundez supra cap.* 9.*num.*6. *Trullench. num.*18. Certè non erit diutius abstinendum ab auditione Missæ, quam postulet recepta consuetudo. Idem est de fœminis, quę propter obitum parentum, aut fratrum iuxta receptum morem certo tempore domo non exeunt, vt notant *Fagund. & Trullench. supra, Azor q.*3.

28 Excusantur virgines nobiles, & nubiles, vbi mos est, ne prodeant in publicum, donec nubant, etenim quamuis *Filliuc. & Trullench. supra* talem consuetudinem improbent, & *Nauarrus ca.* 21.*num.*9. *Suarez supra cum alijs velint*, saltem esse moderandam, vt in festis solemnioribus Missam audiant. At, quamdiù consuetudo vim habet, excusari sufficienter à mortali docent. *Henriquez li.* 9.*cap.*25.*num.*12. *cum multis*, *& Bonac. disput.*4.*qu. vlt. punct. vlt. num.*26. Si tamen eædem virgines exire domo permittantur ad ludos, aut choreas, aut spectacula, vel exhibere se videndas in fenestris; non est æquum, vt excusentur ab audienda Missa. Sic communiter Doctores, quos sequitur *Bonac. & Trullench. supra*.

29 Excusantur tertiò fœminæ post partum abstinentes ab ingressu templi, non ex ritu Mosayco, sed ex reuerentia, seu deuotione *ca. vnico de purificat. post part.* Ita *Suar. Trullench & alij supra. Caietanus, Maiolus, Nuñus*, quos sequitur *Bonac. num.*27. Verum seclusa debilitate, melius esset, audire Missam, quam illam omittere, quamuis omittatur in honorem Sanctissimæ Virginis, vt indicat *Henriquez supra*. Quæ verò patiuntur menstrua, non excusantur, nisi morbus, aut debilitas per accidens adiungantur. Ita *Nauarrus, Suarez, Henriqu. Filliuc.*

Trul-

Trullenc. & alij. Pariter non excusantur pręgnātes, nisi forsan exitus è domo notabiliter ipsis nociturus esset. Ita *Trull. sup. Villal. b. to. 1. tr. 8. diffic. 36. n. 8.*

30 Hinc fit 1. non excusare causam audiendæ concionis: nam audire concionē est opus consilij, missam autē audire diebus festis, est opus pręcepti. Sic docēt aduersus *Angel. ver. Fer. n. 45.* communiter DD. *Henriq. li. 9. c. 25. n. 10. Fagund. Precept. 1. li. 2. c. 9. Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 6. Fillluc. tr. 5. n. 230. Azor to. 1. lib. 7. cap. 7. q. 10. Trullenc. li. 3. Decal. c. 1. dub. 7 n. 19.* Si simul vrgeat pręceptum confessionis, aut cōmunionis, quæ commodè differri nō possit, hoc pręualere videtur precepto Missam audiendi, vt notat *Trull. sup.* Quin, etsi confessio facienda sit ex deuotione, dum est valdè necessaria, vel ad lucrandū Iubileum, vel ad vincendam tentationem, vel ad exonerandam consciētiam nimis grauatam, quando diu quispiam non est confessus, nec multo post tempore confiteri cōmodè poterit, posse simul fieri confessionē, & audiri Missam, diximus *c. 14. q. 12.* Si verò nequeat, hic, & nunc vtrumq; simul præstari propter circūstantiam loci, personæ, vel cōfessionis, hāc excusare ab auditione missæ, docent *Fagund. & Trull. supr. contra Suar. & Azor.* Certè sola maior vtilitas confessionis non sufficiet ad excusandū: At ita poterit esse conueniens confessio saluti pęnitentis, vt censeatur necessaria moraliter, & per consequens excusare: magna tamen prudētia requiritur ad discernendum talē conuenientiæ gradū. & tunc idē erit proportionaliter in concione, quæ potest esse necessaria moraliter ad firmandum audientem in fide, vel ad illum instruendum aduersus infideles.

31 Fit 2. illum, qui rationabiliter excusatur ab auditione Missæ, non teneri ad recitandas alias preces, nec ad audiendam Missam alio die: quoniam id nullibi præcipitur. Sic *Henriquez supr. nu. 13. Azor. q. 14. Bonac. n. 16. Moure, num. 11. Trullenc. n. 14.* Fit 3. nullam esse pœnam impositam non audientib. Missam præceptam. Solum enim *in cap. Missas de Consecrat. dist. 1.* dicitur, vt ab Episcopo confundantur: intellige, vel publica correctione, vel etiam excommunicatione, si res ita postulent. Sic tradunt *Suarez, & Fillucius supr. Trullench. nu. 20.* Iam circa primam excusationem sit.

CAP. XV. QVÆST. II.

Quando ligatus negligit absolutionem obtinere censuræ, peccet ne non audiendo Missam in festo?

32 Affirmat *Nuñus 3. p. qu. 83. art. 6. post concl. 9. dub. 1. & probabile dicit Ledes. to. 1. Sum. tr. de Euch. cap. 27. post concl. 16.* Probatur 1. Nā omnis, qui tenetur ad aliquem finē, tenetur pariter ad media per se necessaria tali fini: sed absolutio censuræ medium est per se necessariū audiendæ Missæ. Igitur dum vrget præceptū audiendi Missam, pariter obligat ad procurandam absolutionem censuræ. Probatur 2. Quia, si ligatus censura præsentem haberet Episcopum, quē sciret petitam absolutionē illicò concessurum, & ex sola negligentia, vel duritia cordis petere nollet, ideoq. Missā omitteret die festo, sine dubio peccaret contra pręceptum audiendi Missam siquidē non vult adhibere tam facile mediū ad eius obseruantiam necessarium. Ergo similiter quoties facilè potest absolutionē obtinere, at ex negligentia non illam procurat, peccat cōtra tale præceptum. Probatur 3. Nam, si quis excommunicatus in Pascha nolit absolutionē obtinere, cum facilè possit, peccat contra præceptum annuæ confessionis, & communionis, vt docēt communiter Doctores. Quia non tollit impedimentū, quod tollere potest, & debet ad ea Sacramēta recipienda. Ergo similiter in nostro casu.

33 Nihilominus communis sententia docet, excommunicatum, vel interdictū, quamuis negligens sit in obtinenda censuræ absolutione, quam facilè obtineret, & ideo forsā peccet alio genere peccati contra charitatē propriam, vel obedientiam, & c. nō peccare contra praeceptum au-

audiendi Missam. Ita *Nauarrus capitulo 21.num.3. Henriquez. lib.9.capitulo 25. numero 11.Suarez tom.3. disp.88. sect.6. Filliucius tract.5. num.225. Coninch disput.14.num.56. Auila part.2.cap.6.disp. 4.dub.7.Layman.lib.1.tract.5.par.2.cap. 2.Fagundez Pracept.1.lib.2.cap.8.Bonacin.de Sacrament.disput.4.quaest.vltim. punct.vltim. Hurtado de Excommunic. disput.5.diffic.2.nu.5.Diana part.5.tract. 9.Resolut.*88. Probatur, quia pręceptum audiendi Missam non obligat ad tollendum impedimentum tam remotum. Ergo ligatus censura negligens in absolutione procuranda, non ideo peccat contra præceptum audiendi Missam; nec manente censura potest illam audire: Quare nullo modo peccat contra tale præceptum omittendo Missam die festo. Antecedens ostenditur; nam incurrens excommunicationem, aut interdictum personale, quamuis aliud peccatum committat, ob quod incurrit censuram, non tamen peccat contra præceptum audiendi Missam, etsi præuideat, se per censuram impediendum esse diebus festis ab auditione sacri: Sicut, qui comedit cibum noxium, præuidens, indè se cōtracturum esse morbum, quo nequeat audire missam, peccat contra temperantiam; non verò contra præceptum audiendi Missam. Ergo sicut istud præceptum non obligat ad hæc impedimēta pręcauenda; quia remora sunt, ita pariter non obligat ad eadem tollenda: quoniam pariter remota sunt respectu talis præcepti.

34 Hæc communis sententia mihi videtur probabilior; quia circa præceptorum implendorum impedimenta præcauenda, vel tollenda non potest vniuersalis regula tradi, quæ sigillatim, & determinatè præscribat; quando præceptum obliget ad ea præcauenda, vel tollenda, & quando non obliget; vt benè notat *Sanchez lib.1. Decalog.cap.15. num.4.* Solum generaliter docemur, prudenter debere perpendi vim, & rigorem præcepti, necessitatem, aut vtilitatem impedimenti: Rursus, an impediat proximè, vel remotè: An per se, vel per accidens; & his omnibus computatis diuersimodè de diuersis præceptis, & impedimentis fore dijudicandum. Quædam enim pręcepta rigorosius vrgent, vt præcepta diuina Sacramentorum, & Ecclesiastica, quæ talem obligationem determinant. Quædam benignius explicantur, ac minoribus causis excusantibus indigent, vt alia præcepta humana ieiunij, festorum, &c. Quædam impedimenta sunt proxima: Si quis ver. grat. die communionis comederet: Quædam remota, si quis edat nimium, aut aliquid nociuum, vnde postea morbo correptus nequeat ieiunare, Missam audire, vel similia. Quædam impediunt per se, vt proijciens breuiarium impedit recitationem Horarum; alia per accidens, vt committens delictum, ob quod detruditur in carcerem, impedit auditionem Missæ.

35 Hinc Doctores censent communiter, si quis in fraudem ieiunij, vel aliorum præceptorum impedimentum apponat, peccare contra præceptum, cuius obseruantiam impedit; quia per se directè repugnat præcepto. Quodlibet .n. obligat, ne per se, ac ex intentione directa fiat aliquid incompatibile cum eius impletione. Sic docent *Henriquez supra litt. P. Sanchez num.3. Layman libro 4. tractat.8.capit.3.num.5. Villalobos tom.1. tract.23.difficult.4 num.11. Azor tom.1. lib.7.cap.17. qu.9.* Quamuis oppositum teneant *Ioan. Sanchez disput.4. numero 14. & Diana par.3.tractat.9. Resolut.52.* putantes, nō esse fraudem præcepti quærere sufficientem excusationem.

Si verò non apponatur impedimentum in fraudem pręcepti, sed ex intentione diuersa. Ver. grat. qui fatigatur die ieiunij ludendo pila, vel quærendo concubinam, non peccare contra ieiunium, docent *Medina 1.2.qu.77.art.7. & lib.1. Summa cap.14.§.10. Petrus de Ledesma tom.2.Sum.tract.27.cap.2.concl.6.diffic. 5.Filliucius tract.27.num. 123. Diana sup.Resolut.*40. Quia putant, non obligare ieiunium ad omittendum ludum, vel

vel iter etiam aliàs illicitum. Tutius verò sentiunt, peccare contra ieiunium etiam, cuius præceptum obligat ad impedimenta tam propinqua præcauenda: quando præuisa sunt impeditura ieiunium, & facilè possunt præcaueri, vel in aliud tempus differri. *Corduba, Vega, Caietanus apud Ledesmam supra. Manuel in Summ. tom. 1. cap. 23. num. 6. Ortiz in Summ. cap. 19. num. 17. Homobonus in examin. part. 2. tract. 7. qu. 23. & tract. 9. cap. 4. quaest. 74. Ioan. de la Cruz in Direct. part. 1. Precept. 3. artic. 4. dub. 9. conclus. 3. Quinimò Syluius. 2. 2. qu. 147. art. 4. Moure part. 2. cap. 8. §. 2. numer. 12. Villalobos supra num. 16.* docent, peregrinationem etiam piam, vel omittendam, vel differendam esse, ne ieiunium impediatur.

36 Ad idem *Henriquez supr. cum alijs docet*, edentem nimium, aut cibos noxios non in fraudem præceptorum, quãuis præuideat morbum indè sequẽdum, qui plurium præceptorum obseruãtiam impediat, non peccare contra talia præcepta. Quia scilicet pręcepta ieiunij, Missæ, vel similia sanos dumtaxat astringunt, nec obligant ad conseruandam sanitatem ipsorum obseruantiæ necessariam; nam hoc est medium valdè remotum, & hæc præcepta mitiora sunt. Quãuis contrarium innuant *Caietanus. 1. 2. qu. 77. artic. 7 & Corduba lib. 2. quaest. 8.* Si quis autem præuidens, quod in ebrietate non curabit infirmos, quos curandos suscepit, vel non soluet debitum cum graui iactura creditorum, peccat contra iustitiam inebrians se. Nam hoc praceptum rigidius obligat ad pręcauendum impedimenta.

37 Similiter, qui vult inebriari, præuidens, se propterea non auditurum sacrũ die festo, peccat contra præceptum missæ: Nam hoc impedimentum est proximum. Ita censent *Henriquez supra, & Sanchez lib. 1. Decal. cap. 15.* subdens, debere vouentem iuxta mentem Doctorum impedimenta voti tollere: nimirum (vt reor,) quę proximè, seu per se impediant eius executionem. Igitur ad rem nostram, quia Doctores communiter existimant, censuræ vinculum esse quidem impedimentum remotum, & per accidens auditionis Missę; nec huius præceptum obligare cum tanto rigore, vt extendatur ad impedimenta remota; propterea docent, præceptum audiendi Missam non obligare ad præcauendum, vel tollendum impedimentum censurę; subindèque non peccare ligatum contra Missæ præceptum, quando censuram incurrit, vel eius absolutionem non procurat, etsi præuideat, indè Missæ auditionem impediri.

38 Hinc opposita fundamenta facilè soluuntur. Ad primum dicimus, hoc Missæ pręceptum non adeò rigidum esse, vt obliget ad media tam remota, & quasi per accidens necessaria, scilicet, vt remoueant prohibens.

Ad secundum videtur, consequenter esse negandum antecedens. Nam hęc excusatio non sumitur ex difficultate procurandi absolutionem, sed ex ratione talis impedimenti, quod censetur remotum, & per accidens respectu talis præcepti.

Nihilominus moraliter loquendo, qui tam facilè posset impedimentum tollere, Missamque pręceptam audire, nec rubore, vel alio titulo retraheretur; si non tolleret, videretur contemnere pręceptum, & regulariter pręberet scandalum. Quin etiam in talibus circumstantijs iam esset impedimentum proximũ: siquidem adest obligatio festi, modus tollendi censuram est facilis, & promptus. At vix continget casus sine causa quapiam retardante petitionem absolutionis ob satisfactionem exhibendam, aut quid simile.

Ad tertium communiter Doctores, concesso antecedente, negant consequentiam. Quia præceptum communionis per se requirit confessionem præuiam, quoties adest conscientia peccati mortalis: præceptum verò confessionis per se tendit ad mundandam animam, & consequenter ad omnem dispositionem necessariam veniæ peccatorum

obli-

obtinendæ. Vel dic clarius, hæc præcepta rigidius obligare, subindèque cogere ad illa impedimenta tollenda; participant enim quamdam vim diuinorum præceptorum, quæ per Ecclesiam determinãtur ad tale tempus.

CAP. XV. QVÆST. III.

An habens priuilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, teneatur, illam audire die festo?

PRima sententia negat. Ita *Victoria, Canus, Mancius, & alij*, quos refert *Henriquez lib.9 ca.25. num.11. litt.X. & lib.13. capit.48. num.5. litt.D. Auila de Censf. par.5. disput.4. sect.2. dub.6. Llamas 3. part. Methodi. cap.5. §.11. Coninck. disput.17. num.28. Alterius de Censf. tom.2. disput.2. de Interd. cap.3. fin. Diana part. 1. tract.11. Resolut.2.* Probabilem illam vocat. *Fagundez Præcept.1. lib.2. cap.8. num.4.*

Probatur primò. Quia nemo tenetur vti priuilegio sibi concesso; alioqui iam gratia verteretur in onus contra Regulam. *Quod ob causam 61. de Regul. iur. in 6.*

Probatur secundò. Nam Interdictum inducit obligationem, ne laicis diuinis intersint, ac subindè respectu communitatis interdictæ præceptũ audiendi Missam omnino suspendit, sit aut illam, eiusque partes desinat obligare, quo tempore durat Interdictum. Ergo, qui priuilegium habet, potest, si velit, huic obligationi se conformare: Cum præsertim valdè sit conforme Prælatorum intentioni, quod omnes Interdictum obseruent, ne censuræ vigorem suum amittant.

Probatur tertiò. Nam Interdicti tempore, si Missa dicatur extra mœnia Ciuitatis, quamuis distantia tanta non sit, vt deobliget ab audienda Missa, quando non adest Interdictum, adhuc laici non tenentur adire tale templum, quia possunt Interdicto posito se conformare. Similiter ergo qui priuilegium habent.

40 Secunda sententia communis affirmat. Ita *Syluest. & Couarruuias*, quos sequitur *Henriquez supra. Sotus, Nauarrus, Medina, Viualdus, Valdes, Cenedo, Gomez*, quos sequitur *Fagundez num.5. Azor tom.1. lib.7. cap.2. qu.3. Suarez 3. par. tom.3. disp.88. sect.6. Filliuc. tract.5. num.225. Bonac. disput.4 qu. vltim. punct. 13. n.24. Toletus lib.1. cap.53. numero 2. Mourre part.2. cap.12. §.1. num.25. Card. de Lugo de Euchar. disputat.22. num.13. Trullench. lib.3. Decal. cap.1. dub.5. num. 24. & alij plures.*

Probatur: Nam Interdictum eatenus excusat ab auditione Missæ, quatenus inducit impedimentum ipsius. Ergo sublato per priuilegium impedimento, mox obligat præceptum audiendi Missam. Sicut, si quis in carcere detentus habeat liberam facultatem adeundi templum diebus festis, vtique tenebitur audire Missam: quia respectu talis præcepti non est impeditus. Similiter, dum Ciuitas interdicitur, & aliqua pars illius ob aliquod obsequium Ecclesiæ præstitum eximeretur ab Interdicto; certè pars illa teneretur ad Missam audiendam, cum ipsam non liget Interdictum. Sed in nostro casu quotquot accipiunt Bullam, ob obsequium Ecclesiæ præstitum eximuntur ab Interdicto, vel in toto, vel quoad maiorem partem. Ergo tenentur ad Missam audiendam diebus festis. Ob istud fundamentum putat *Suarez*, primam sententiam non esse practicè probabilem.

41 Pro decisione suppono primò. Neminem etiam diuitem debere tempore Interdicti Bullam accipere, vel simile priuilegium, vt Missam audiat. Sic *Henriquez lib.9. cap.25. num.11.* dicens, esse communem sententiam Recentiorum. Consonant *Bonacina supra, & Trullench. dub.7. num.17.* Probatur; quia præceptum audiendi Missam non obligat ad obtinendum priuilegium: Addunt *Trullench. & Bonac.* saltem, si commodè nequeat obtineri. Verum hanc limitationem non reputo necessariam; nam etiam

etiamsi commodè possit obtineri, verè præceptum non obligat ad obtinendum priuilegium. Quippe non solum est licitum, sed etiam satis honestum seruare communem legem, quàm ab eius obligatione velimus eximi. Quod saltem conuincit fundamentum primæ sententiæ.

42 Suppono secundò, tali priuilegio non frui eum, qui dedit causam Interdicto. Nam Ecclesia non vult isti fauere; quare non solum potest, sed debet abstinere à diuinis officijs. Sic *Henriq. sup. Fagund. num.10. qui citant alios.* Suppono tertiò, Religiosos, & Clericos (etiam primæ tonsuræ iuxta *Nauarrum cap.21.nu.3. & Fagundez num.4.*) qui iure communi facultatem habent audiendi diuina tempore Interdicti, teneri diebus festis audire Missam, Interdicto non obstante. Nam hoc secundum ius commune non prohibet Clericos, nec Religiosos ab audiendis, vel celebrandis diuinis officijs seruata moderatione *Capitis Alma mater de sent.excommun.in 6.* Non est ergo, cur excusentur ab auditione Missæ. Quin potius Canonici, vel similes tenentur Horas in choro dicere cum prædicta moderatione, nec alioqui lucrantur distributiones, vt asserunt communiter Doctores, quos sequitur *Henriquez supra.* Quapropter addunt *Coninch, & Auila sup.* hoc non tam esse priuilegium Clericorum, quam negationem prohibitionis respectu ipsorum; noluit enim Ecclesia per Interdictum arcere Clericos à diuinis. In quo conueniunt vtriusque partis Doctores, vt testantur *Henriqu. Auila, Coninch.* Quare non video, quo fundamento velit *Fagund.* etiam quoad Clericos primam sententiam esse practicè probabilem.

43 His positis, quoad laicos habentes Bullam Cruciatæ, vel simile priuilegium censeo, secundam sententiam esse probabiliorem ob eius fundamentum, quod sic explico. Possumus in priuilegio distinguere duplicem effectum, primum quasi formalem, secundum actiuum. Primus per semet aufert inhabilitatem, vel impedimentum priuilegiati, videlicet ad audiendam Missam tempore Interdicti; & hic effectus necessario resultat semel accepto, vel acceptato priuilegio, nec requirit alium vsum ad tollendam excusationem: qua sublata manet præceptum expeditum (Missæ nimirum) ad obligandum. Secundus effectus priuilegij quasi actiuus est facultas aliquid agendi aliàs prohibitum: Sicut Bulla Cruciatæ concedit, vt edi possint lac, & oua diebus quadragesimalibus: & ad hunc vsum non obligatur priuilegiatus.

44 Vnde ad primũ fundamentum primæ sententiæ respondetur, in nostro casu non cogi priuilegiatum ad vsum actiuum sui priuilegij: verum per eius effectum quasi formalem sic impedimentum tolli, vt excusatio pariter tollatur, & expedita maneat obligatio præcepti. Ad secundum respondetur, Interdictum non inducere proprium præceptum positiuum non audiendi Missam, sed priuationem quamdam diuinorum, quæ posito priuilegio quasi formaliter cessat: & per consequens obligatio Missam audiendi manet non impedita. Quare non potest priuilegiatus se conformare præcepto non audiendi Missam tempore Interdicti: cum non detur tale præceptum. Ad tertium negatur antecedens: quia præceptum Missæ pariter obligat Interdicti tempore, quoties cessat priuatio diuinorum: & consequenter eamet distantia templi, quæ de obligat, vel obligat extra tempus Interdicti, pariter deobligabit, vel obligabit Interdicti tẽpore: vbi cessat priuatio diuinorum; nisi forsan templum esset angustum, & ab alijs præoccupatum non posset reliquos capere: nec esset alia Missa dicenda. Non tamen censeo, primam sententiam esse practicè improbabilem: Nam, & graues habet Authores, & fundamentum illud: quod respectu communitatis Interdictæ suspendatur omnino præceptum Missæ, non satis conuincitur apertæ falsitatis.

45 Notandum est, habentem priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti, posse secum deferre suos familiares, qui pertinent ad solitum eius comitatum. Sic enim habetur *cap. licet vobis de* Pri-

Priuileg. in 6. traduntque communiter Doctores. Hi verò non vocati non tenẽtur se adiungere priuilegiato, ipsumque comitari, vt audiant Missam in festo. Si tamen ab illo vocentur, aut deducantur, tenentur audire Missam, sicut ipse priuilegiatus. Sic *Azor to.1.li.7.c.2.qu.5.* Iam circa tertiam excusationem fit.

CAP. XV. QVÆST. IV.

An qui domi manere cogitur, si priuilegium habeat, & Oratorium, teneatur ibi Missam audire?

46 Affirmat prima sententia, quam tenent *Zenedus q.44.num.11. Nuñus 3.p.qu.83. art.6. Card. de Lugo de Euch. disput.22.n.14.* Probabilem dicunt *Petr. de Ledes. to.1. Sum. tr. de Euch. c.27. post concl.16. Fagund. Præcep.1. lib.2. ca.9. nu.9.* dum. s. vel infirmus, qui nequit exire domo, commodè potest audire Missam domi; vel qui dòmi tenetur reclusus, aut mandato Iudicis, aut data fide, potest accersere Sacerdotem sine magno dispendio. Probatur; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non admodum difficilia. Sed hic tenetur ad Missam audiendam, & potest adhibere medium nõ valdè difficile; præsertim, si diues sit, aut Capellanum habeat. Ergo debet adhibere tale medium. Confirmatur 1. Nam fœminæ diuites, quæ non solent exire domo, nisi comitatæ famulis, aut vectorib. stipẽdiarijs, tenentur conducere tales famulos, vt Missam audiant in festo, cum non sit illis valdè difficilis solutio talis stipendij. Similiter ergo tenetur in nostro casu, Capellanum habere, vel accersere, qui dicat Missam in Oratorio domestico.

47 Confirmatur 2. quia, si Sacerdos cũ socijs iter faciens die festo perueniat ad Eremitorium, in quo celebrare possit, sine dubio debebit ibi facere sacrum, vt tã ipse, quàm comites impleant Missę præceptum. Ergo cum in Oratorio domestico licitè celebrari possit, vt supponimus; pariter debebit ibi fieri sacrum, vt Missæ præceptum impleant, qui nequeunt exire domo. Confirmatur 3. Nam, vt dicebamus quæst præcedenti, quoties priuilegium tollit impedimentum implendi præcepti, tollit simul excusationem ab obseruatione præcepti. Sed in hoc casu priuilegiũ Oratorij domestici tollit impedimentum audiendi missam impeditis exire domo. Pariter ergo tollit ab ipsis excusationem ab auditione Missę; cuius preceptum hic, & nunc subindè maneat expeditum ad obligandum.

48 Si dicas, diuersam esse rationem; nã in qu. præced. tollebatur impedimentum per effectum formalem priuilegij; qui necessariò resultat acceptato semel priuilegio, nec requirit alium vsum ad tollendam excusationem, vt n.43. fuit ostensũ; at in casu præsenti requiritur effectus, vel vsus actiuus priuilegij, s. vt accersatur Sacerdos, & fiat sacrum; ad quod non obligatur priuilegiatus iuxta Regulam. *Quod ob causam 61. de Reg. iur. in 6.* contra potest vrgeri; nam interdum obligatur priuilegiatus ad vsum actiuum priuilegij. V.g. qui priuilegium habet extrahẽdi merces vetitas, vel pecunias è regno, nec posset aliter alere commodè suã familiam, teneretur ad vsum actiuum sui priuilegii. Similiter, qui priuilegiũ habet, ne teneatur in carcere propter debita, si nequeat è carcere prouidere sufficienter suæ domui, tenebitur ad vsum actiuum adeundi domum suam. Similiter, qui priuilegium habet eligendi Confessarium, qui absoluat ipsum à reseruatis, tenebitur ante communionem talem eligere, dum abest habẽs iurisdictionem ordinariam.

49 Secunda sententia probabilior negat. Ita *Fagund. & Ledesma supr. Suar. to.3. disp.83. sect.6. Filliuc. tr.5. n.224. Bonac. disp.4. qu. vlt. punct. vlt. n.14. Laym. lib.4. tr.7. c.4. n.3. Auersa de Euch. q.11. sec.14. Diana par.4. tr.4. Resol.80. Trullenc. li.1. Bulla, § 3. dub.6. n.9. & lib.3. Decal. cap.1. dub.7. n.12.* Probatur; nam imprimis præceptum audiendi Missam non obligat ad quærendum Sacerdotem stipendiarium, & ad dandum stipendium, vt omnes ferè fatentur. Deinde quamuis adsit Sacerdos volens celebrare gratis, non tenetur habens

bens priuilegium, & Oratorium, vti tali priuilegio. Cum enim celebrare domi de se sit odiosum, & præter generales Ecclesiæ Canones, minusque deceat reuerentiam huic sacrificio debitam; magis honestum reputatur, non dici Missam in domibus priuatis, quam implere preceptum illam audiendi; quod iuxta prudentum æstimationem ad media non consueta, vel extraordinaria non obligat, multòque minus, si minus deceant celebrationis excellentiam. Vnde, quamuis aliquis habeat priuilegium celebrãdi super Altari portatili, vel in Oratorio priuato, vel in naui, rarò tenebitur ad vtendum tali priuilegio. Quia rarò preponderabit vtilitas Missæ communi legi tanti mysterij reuerentiam attendenti quoad loci circumstantiam. Hanc sententiam secuti sumus in hoc *l. 5. c. 6. q. 5. n. 39.* Vbi notauimus, si de facto Missa dicatur in tali Oratorio, tunc qui nequit adire templum, bene tamen Oratorium, ibi debere Missam audire: Quoniam in eo casu non procedit ratio facta, siquidem indecentia celebrationis non vitatur.

50 Ad fundamentũ oppositum respondetur, illum, qui tenetur ad finem, teneri quidem ad media consueta, & ordinaria, quale non est, vel stipẽdium dare, vel domi fieri sacrum cum indecentia nonnulla. Vnde ad primam confirmationẽ concesso antecedente negatur consequẽtia. Nam respectu talium fœminarum illud est medium ordinarium, & facile; nec vllam continens indecentiam; quod secus contingit in nostro casu. Similiter ad secundam confirmationem cõcesso antecedente negatur consequentia. Nã Eremitorium approbatum ab Episcopo iam est templum publicum, & sufficienter dedicatũ decenti celebrationi Missæ; quod non conuenit Oratorijs domesticis.

51 Ad tertiam confirmationem sufficienter ibi responsum est. Ad replicam dicimus, ad vsum actiuum priuilegij regulariter non teneri priuilegiatum, vt diximus *nu. 43.* rarò tamen posse teneri: si præceptum hic, & nunc obliget ad adhibenda quoq; media extraordinaria. Pro cuius explicatione possumus adhuc in effectu, vel vsu actiuo priuilegij distinguere facultatem ad preceptum implendũ per aliud opus, quod non erat in præcepto: V. g. cum Bulla Cruciatæ cõcedit, vt cum necessitate de consilio vtriusque medici possit seruari ieiunium vescendo carnibus; aut cum quis habet priuilegiũ commutandi Missam in coronam B. Virginis, vel anteponendi diuinum officium vno, vel duobus diebus; & hoc modo nũquam obligamur ad vsum actiuum priuilegij. Quia præceptum de se non præcipit illud opus; nec priuilegium imponit illud nouum onus: aliàs redundaret in dispendium priuilegiati contra Regulam illam. *Quod ob causam.* Quapropter habens illa priuilegia, si verè nequit ieiunare sine carnibus, non tenetur ieiunare cum illis: si nequit audire Missam, vel officium recitare suo tempore, non tenetur dicere coronam, vel officium anticipare. Ac idem est in similibus, vt rectè docet *Cardin. de Lugo sup. n. 15.*

52 Possumus item distinguere facultatem ad faciendum opus antea præceptũ, quod alias hic, & nunc præstare non possemus, vt in exemplis ibi positis; & in nostro casu faciendi sacrum in oratorio domestico: possuntque similes excogitari. Nec video, posse regulam in his generalem statui, quæ non patiatur exceptiones; sed arbitrio prudenti perpendẽdum erit; quale sit præceptum, à quo priuilegium nos eximit; quale sit item illud; quod ad vsum etiam actiuum priuilegij nos cogit: quales hic, & nunc circumstantię concurrant, vt decernamus prudenter, quid præponderet, aut non preponderet: ac proindè quid possimus licitè, quid conuenienter, quidue debeamus facere. Quin addo, nonnumquam nos cogi posse non solum ad vtendum priuilegio iam accepto, sed etiam ad illud recipiendum, aut procurandum, quando non habemus, & illud commodè possumus obtinere. Rursus, quamuis interdũ re vera nõ egeamus priuilegio, debebimus ad satisfaciendũ externo foro, vel impetrare priuilegium, vel eius vsum prætexere.

53 Sit

53 Sit exemplum; habet quis in Quadragesima priuilegium vescendi lacticinijs & ouis, vel etiam carnibus; & timet aliquod detrimentum valetudinis ab esu piscium: certè si detrimentum leue sit, nō tenetur ad vtendum priuilegio; nam honestas obseruantię quadragesimalis pręponderat obligationi naturali tuendi valetudinem, vitando leue quoq; detrimentum ipsius: & idem credo, quoties necessitas abstinēdi à piscibus per se solam nō excusat à peccato contra quadragesimalem obseruantiam. Quod si necessitas excuset à tali peccato per se solam, sed quia non apparet exterius, non dabuntur egenti carnes, vel oua, nisi priuilegiū ostendat, vtiq; debet ostendere: tantumque potest esse periculū grauissimi morbi, vel etiam mortis, vt ad id præcauendum debeat accipi, vel etiam procurari priuilegium, si credatur obtinendum. Nam præceptum conseruandi vitam, & sanitatem obligat ad adhibenda media etiam extraordinaria, quando non sunt valdè difficilia, vel dissona: præsertim quando vita, vel sanitas est valdè necessaria bono domestico, vel etiam publico.

54 Iam ad primum exemplum positum *num*.48. fatemur, tales esse posse circumstantias, vt ille teneatur vti priuilegio; si verè nequeat commodè, vel honestè suā familiam alere, nisi merces extrahat à regno, nec indè proueniat regno damnum, quod præponderet detrimento familiæ particularis. Si verò graue damnum commune timeretur indè, postponendum esset particulare detrimentum. Atque iuxta proportionem vnius, & alterius detrimenti sic crescet, vel decrescet obligatio vitandi damnum commune, vel proprium, vt interdum priuilegiatus ille nec debeat, nec possit vti priuilegio: nam esset iniquum, si verteretur in graue detrimentum publicum. Interdum poterit vti, sed non debebit, nam ex neutra parte timetur graue damnum: Interdum debebit vti: quia timetur graue damnum particulare: leue verò, vel ferè nullum publicum. Quod si necessitas particularis grauissima sit, obligabit etiam ad procurandum tale priuilegium.

55 Idem proportionaliter est in exemplo secundò. Idem est quoq; si quis habeat priuilegium arma noctu portandi, nec possit non egredi noctu, nec incedet inermis sine magno periculo. In tertiò exemplo fateor, illum teneri ad talem vsum priuilegij: Quippè cum præceptum integritatis etiam materialis confessionis grauissimum sit, videtur ad illum quoque casum extendi, quo tam facilè potest impleri. Verum obligare non reor ad procurandum, vel accipiendum priuilegium. Sic in similibus theologizandum erit. Et quidem in nostro casu præceptū audiendi Missam non censetur tam strictum, vt obliget ad vtendum Oratorij priuati priuilegio contra communem legem celebrandi solum in locis sacris, & publicis.

F I N I S.

